



37
36 F
12

JO. BAPTISTÆ
DE LUCA
Venusini, S. R. E. Presbyteri Card.
THEATRUM
VERITATIS, ET JUSTITIÆ,
SIVE DECISIVI DISCURSUS PER MATERIAS, SEU TITULOS DISTINCTI, & ad veritatem editi in forensibus Controversiis Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una Partium scripsit, vel consultus respondit.

Cum Annotationibus, ac Discursibus, qui antea in Supplementis extabant; necnon aliquibus S. R. Rom. recentissimis Decisionibus, & Sum. Pont. Constitutionibus.


Adjectis insuper in hac novissima EDITIONE quamplurimis EXCERPTIS selectisque RATIONIBUS potissimum ad rem facientibus, in materiis præsertim FEUDALIBUS, JURISDICTIONALIBUS, & de PRÆEMINENTIIS, Quæ quidem omnia ex authenticis ALLEGATIONIBUS, aliisque MSS. AUTHORIS CODICIBUS in BIBLIOTHECA BALLEONIANA asservatis, nunc primum eruerunt, suisque locis aptaverunt J. B. S. & F. G.

LIBER DECIMUSQUINTUS,
Cujus I. Pars de Judiciis, & de Praxi Curiæ Romanæ; II. Relatio Romanæ Curiæ forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum; III. Conflictus Legis, & Rationis cum Opusculo, *Dello Stile Legale*.



VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
M. DCC. LIX.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.





INDEX TITULORUM, SEU MATERIARUM,

Vel Rubricarum totius Theatri, juxta ordinem Alphabeticum, ut sequitur.

A

B

C

D

Pla-



INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS,

Qui habentur

In hac Parte Prima Lib. XV. de Judiciis.

DISC.

DISC.

DISC. XLIV.

De Judiciis; vel interdictis possessoriis, Adipiscendæ; Reintegrandæ, & Retinendæ.

DISC. XLV.

Romana Attentatorum.

De pluribus ad eamdem materiam attentatorum; de qua supra in hoc eodem tit. disc. 18.

DISC. XLVI.


Carpentoractén. Bonorum.

De executione, & subhastatione, quando invalida censenda sit, ad eamdem materiam; de qua sup. disc. 40. Et de transactione, quando per Magistratum fieri valeat, ut afficiat Cameram, & successores, atque non veniat sub gratiosis, & voluntariis remissionibus, vel alienationibus.

DISC. XLVII.

Romana Competentiæ Fori.

Qualis sit jurisdictio, seu facultas quamplurium Tribunalium Urbis, & qualia habeant Signaturam in ventre, adeout non subjaceant Signaturæ Justitiæ, & e contra.





JO: BAPTISTÆ
CARD. DE LUCA
Libri Decimiquinti Pars Prima,
DE UDICIIS.

De Judiciorum divisione, variisque generibus, vel respective speciebus, & in quibus Judicium consistat; Et de quo Judiciorum genere agatur in præsenti; Cum aliis proœmialibus ad materiam.

SUMMARIUM.

1 *AD quid judicia inventa sunt.*
2 *Aliud est judicium civile, & aliud criminale.*
3 *Quæ proprie dicantur judicia publica, & quæ privata,*
4 *Adesse solent judices civiles, & criminales distincti, ut unus in alio causarum genere se non ingerat.*
5 *De distinctione causarum civilium, & Ecclesiasticarum, seu Canonicarum, sed quod omnes veniant sub nomine civilium ad differentiam criminalium.*
6 *De qua judiciorum specie hic agatur, nempe civilium, & de ratione, cur de criminalibus non agatur, nisi incidenter.*
7 *De quibus Auctor agat toto opere Theatri.*
8 *Quare mutetur ordo solitus in hoc volumine.*
9 *De ratione, ob quam in aliis voluminibus agatur de casibus particularibus.*
10 *De generalibus distinctionibus, vel prænotationibus remissive.*
11 *Quale sit judicium ordinarium.*
12 *In hoc judicio sententia sine libello, & absque terminis substantialibus est nulla.*
13 *Termini substantiales servati in judicio summario, illud faciunt ordinarium.*
14 *In judicio ordinario intrat appellatio suspensiva.*
15 *Qualis sit causa summaria.*
16 *Aliud est causam esse summariam, & aliud est esse executivam.*
17 *Aliud judicium personale, & aliud reale, & quale sit personale, vel reale.*
18 *Aliud est petitorium, & aliud possessorium, & quale sit unum, vel alterum.*
19 *De possessorio adipiscendæ, seu immissionis, in quibus casibus intret, pluraq; remedia adipiscenda recensentur.*
20 *De altero reintegrandæ, seu recuperandæ.*
21 *De possessorio retinendæ, seu manutentionis, & quando sit summarium, & executivum.*
22 *De distinctione inter causas temporales, & spirituales.*
23 *Quæ sint causæ spirituales distinguitur.*
24 *De distinctione inter judicium ordinarium, & delegatum.*
25 *De causis extra figuram judicii.*
26 *De aliis distinctionibus remissive.*
27 *Ex quibus judicium constet, nempe de actore, reo, & judice.*
28 *De Principe, vel Fisco in causa propria.*

DISC. I. GENERALIS.

1 JUdicia omnia, aut dirimendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa comparata esse admonet Cicero in oratione pro Cæcinna, quem communiter laudant Institutionum interpretes (quorum unum dixisse sufficiat, ad hoc ut omnes repetant;) *a* Ideoque generica judiciorum distinctio, quam Imperator Justinianus docet in institutionum titulo de publicis judiciis, ac bene antiquioribus relatis reassumit modernorum practicorum magister concivis meus *Robertus Maranta*, *b* Quod scilicet, 2
alia sunt judicia publica, & alia privata; Publicorum autem nomine veniunt ea, quæ in causis, vel actionibus criminalibus consistunt; Privata vero ea sunt, quæ in civilibus; ideoque aliud est judicium civile, & aliud est criminale.

Quamvis etenim de stricta censura, etiam in criminalibus, tantum proprie dicantur publica judicia, quæ illa concernant crimina, quorum accusatio publica, & popularis dicatur, sive, ut Criminalistæ dicunt ea, in quibus 3
ex officio, vel per inquisitionem procedi potest, non autem ea, in quibus nonnisi ad partis offensæ accusationem, vel querelam; quasi quod ista privatorum potius jure censenda sint, unde propterea apud Doctores datur species mixta, quæ de utraque participet; Ideoque, ut patet ex dicto practico, triplex adhibeatur generica distinctio, quod scilicet aliud est judicium mere criminale, aliud mere civile, & aliud mixtum; Nihilominus pro frequentiori loquendi usu ad præfata duo genera distinctio restringi videtur; Mixtorum quæstione cadente, super competentia fori, seu jurisdictione, quando casus præbeat, ut jurisdictiones distinctæ sint, quia nempe alii sint judices civiles, & alii criminales, ab eodem Principe, vel Domino deputati; Sive quod ejusdem loci sint duo Domini, vel Barones, quorum unus habeat jurisdictionem civilem, & alter criminalem, ut unus in altero causarum genere se non ingerat, vel quod inter eos interquæstio in casibus mixtis, ut alibi advertitur. *c*

Ubi etenim cum stricta censura, seu cum verborum rigo- 4
rosa significatione procedendum esset, neque sufficiens remaneret dicta distinctio causarum civilium, & criminalium, ut supra, cum adsit etiam altera species causarum spiritualium, seu ecclesiasticarum, quæ differre videntur a civilibus, concernentibus materias temporales, juxta utriusque juris civilis, & Canonici divisionem; Adhuc tamen pro communi usu loquendi, genericum vocabulum judiciorum, seu causarum civilium, congruit omnibus illis causis, ac judiciis, quæ a criminibus non pendeant, sed ab humanis dispositionibus inter vivos, vel per ultimam voluntatem, pro humano commercio, ita discretis a criminalibus.

De isto autem civilium causarum genere, quod tam prophanas, quam ecclesiasticas, vel spirituales quoque complectatur, (criminalibus exceptis) in præsenti agitur; De altero etenim criminalium genere non tractatur, quoniam licet ante accessum ad Curiam, diversas Judicis gerendo partes, aliquas criminales materias quoque peragere occasio dederit; In Curia tamen, frequentiori occupatorum Advocatorum stylo, fortius autem genio prohibentibus, ab eis

abstinui, aliquas tantum agendo, quæ ad effectus civiles, puta confiscationis bonorum; d Vel competentiæ fori causæ civilis tenderent; e Cumque meum fuerit, ac sit institutum, ea tantum posteritati insinuare, quæ practice mihi peragere in foro occasio dederit, non autem formales, ac absolutas materiarum tractationes assumere, ut quatuordecim jam edita volumina docent, unde propterea, Par-
7 rium, ac judicum nomina, ut idealitatis suspicio tolletetur, exprimere, operæ pretium fuit; Hinc de iis tantum agitur, quæ disputare occasio dedit, cum uni omnia peragere non conceditur.

Mutatur autem in hac judiciorum sede, præfatus jam tentus ordo de casibus individualibus agendi, ita subjecta
8 cogente materia; Singularum enim quæstionum nimium frequentes, penèque quotidianæ disputationes, facultatem quidem præberent, multa, tot demque pene volumina edendi, quæ jam edita sint, quando, insequendo parum apud me commendabilem Consulentium stylum, omnia responsa, quæ ad veritatem, vel ad causarum opportunitatem desuper edita sint, ut jacent, lucri traderentur; Earundem etenim propositionum repetitio quoties absque fine, vel mysterio fiat, nauseam, nimiumque fastidium parit, cum frequentius juris propositiones in idem recidant; Particulares autem adeo frequentes disputationes, facti, seu applicationis potius, in hac judiciali materia esse videntur.

Hinc proinde, per discursus generales, plurium, ac plurium particularium casuum complexivos, in hoc libro
9 procedere, congruentius visum est; In aliis etenim materiis, in quibus de causarum justitia, vel meritis agitur, non superfluum, sed opportunum, immo necessarium est plures casus in idem tendentes peragere, ut ita educcantur, causarum decisionem, non a regulis, & theoricis generalibus, sed a singulorum casuum circumstantiis pendere, ideoque totam vim in applicatione consistere, cum sæpius in duobus casibus, qui pene indentifici videntur, diversimode judicare oporteat.

Neglectis itaque illis generalibus præcognitionibus, quæ scholis nimium adaptatæ, foro autem parum congruæ videntur; Super hujus scilicet vocabuli ethymologia, & definitione, diversisque significationibus, quarum novem
10 observat idem practicorum magister, & concivis, illisque distinctionibus quæ antiquis cognitæ erant, moderno autem tempore, præsertim in Romana Curia ab aula exulasse videntur, illasque solum reassumendo distinctiones, quas hodierna praxis docet.

Ultra superius insinuatam distinctionem generalem, judiciorum civilium, & criminalium, atque ad civilium plures, diversasque species descendendo; Ea in primis distinctio est, quod aliud est judicium ordinarium; Et aliud est summarium; Ordinarium etenim est illud, quod (ubi particulares leges, vel styli aliud non suadeant) exigit solem-
11 nitatem libelli, & litis contestationis, ac etiam publicationis, & conclusionis, aliasque solemnitates ab utroque civili, & canonico jure præscriptas, quæ in Curia explicantur cum obligatione servandi terminos substantiales; In aliis autem Ditionibus pro earum diversis stylis, ac legibus; Ideoque per sententiam diffinitivam, non autem per decretum causa terminanda est.

Istaque solemnitas, vel tela judiciaria adeo connaturalis est judicii ordinarii, ut non solum in iis quæ talia sunt,
12 necessaria sit, adeout alia sententia sine libello, vel alia petitione, quæ loco libelli succedat, (ut in aliquibus Curiæ Tribunalibus est monitorium) ac sine aliis solemnitatibus, quæ ut supra sub nomine servationis terminorum substantialium in Curia explicantur, nulla, & invalida sit,

Sed etiam quando adhibeantur, operantur ut illud judicium quod alias de sui naturam summarium sit, & executivum, ita reddatur ordinarium, sibique imputet Actor, qui,
13 cum possit tenere viam summariam, & executivam, istam ordinariam adhibeat, ut infra in singulis judiciis, vel remediis, eorumque particularibus rubricis advertitur; Licet aliqua adsint judicia summaria, & executiva, in quibus ista terminorum servatio quoque intrat, ut in eorum sede magis distincte advertitur. f

Ac etiam hoc judicio ordinario, connaturalis est appellatio, adeout illud terminari non dicatur nisi per rem judi-
14 catam, quæ resultet a neglecta appellatione infra tempus præfinitum; Vel ab ejusdem jam interpositæ desertione, ob lapsum fatalium; Sive per tres sententias conformes; Et nihilominus, etiam in his casibus, adhuc aliud suppetit remedium restitutionis in integrum.

Summarium vero est illud quod dictis solemnitatibus non subjacet, sed nullas, vel aliquas respective exigit pro
diversis stylis, ut pariter infra in judiciorum, vel actionum 15
singulis Rubricis advertitur, istudque subdistinguitur in duas species, quorum unum dicitur executivum excludens appellationem suspensivam, illamque devolutivam tantum admittens; Aliud vero est appellabile ad utrunque effectum; Stant etenim bene simul, quod causa dicatur summaria, ad effectum, ut non subjaceat illi rigorosæ formæ, vel telæ judiciariæ, cui subjacet causa ordinaria, & tamen
quod non sit executiva, sed appellabilis; Ut plura 16
exempla habemus in materia locationis, tam favore locatoris pro solutione pensionis, ac restitutione rei locatæ; illa finita, quam favore conductoris pro consignatione rei conductæ, ac præstatione patientiæ, quod sc. causa dicitur summaria, & tamen in puncto juris communis, quando lex particularis, vel consuetudo, contrarium non disponat, (ut in domibus habitationis consuetudo pene universalis disponere videtur,) ex veriori sententia non sit executiva, sed appellabilis, cum similibus.

Alia est generalis distinctio, inter actionem seu judicium personale, & reale; Personale enim est illud, quod in vim
obligationis resultantis ex contractu, vel quasi, vel ex deli- 17
cto, vel quasi, indistincte afficit personam debitoris, seu alias aliquid præstare debentis, absque restrictione ad certam rem; Reale autem dicitur illud, quod certam rem prosequitur, atque etiam absque obligatione personali, exercibile est contra tertium, qui rem prosequendam possideat vel detineat.

Istudque ultimum judicium reale, in alias duas subdistinguitur species, quoniam aliud dicitur petitorii, quod
idem est ac ordinarium, quale (exempli gratia) est illud 18
rei vel vendicationis, seu alicujus rei, vel juris, omnimodæ, ac plenæ adjudicationis jure dominii, seu pertinentiæ; Aliud vero est possessorium, quod generaliter de sui natura est summarium, atque concernit solam possessionem, reservando alteri judicio ordinario cognitionem totalis pertinentiæ, vel dominii.

Possessorium autem subdistinguitur in tres alias species; 19
Quorum unum dicitur adipiscendæ; Alterum recuperandæ, Et alterum retinendæ possessionis; Primum vero, quod generaliter in Curia sub nomine immissionis explicari solet, sub se plures continet species subalternas, seu remedia, cum quibus controversæ rei, vel juris possessio adipiscitur; Primo nempe est remedium *l. fin. C. de edict. div. Adr. tol.* quod conceditur directo, & immediato, ac etiam
mediato fidei commissario hæredi ex testamento; Sive 20
ad instar, conceditur etiam feudatario; vel emphyteutæ in vim investituræ, quæ speciem testamentorum ad hunc effectum redolere videtur. Secundo interdictum aliquorum bonorum, quod conceditur legitimo hæredi ab intestato; Tertio interdictum aliquorum legatorum, quod legatario, vel fideicommissario certæ rei, ad ipsam obtinendam competit; Quarto Salviani; Quinto illud quod hypothecariæ dicitur; Sexto alterum associationis favore creditoris ad bona sibi affecta; Et septimo illud, quod pro executione literarum datur in beneficialibus.

Alterum est interdictum reintegrandæ, seu recuperandæ possessionis; qua possessor fuerit spoliatus; Illudque antiquitus in Curia frequens erat, hodie vero raro ob appellationem, quam admittit, ut in ejus rubrica.

Et alterum est interdictum retinendæ, quod in Curia
frequentius, ac vulgo sub vocabulo manutentionis explica- 21
tur, in puncto juris, pariter subdistinguitur in duas species, quod scilicet; Aliud est summarium, quod etiam summariissimum dici solent, Hispani autem vocant *interim*: Et aliud est plenarium; Verum in Curia ista distinctio ab aula recessisse videtur, cum indefinite hoc manutentionis remedium summarium reputetur, eo casu excepto, in quo per sententiam diffinitivam in forma judicii ordinarii procedatur, quod nimium rarum est, cum tunc processus executivi beneficium, aliaque remedia amittat, ut pariter in ejus particulari Rubrica advertitur.

Alia item est generica judiciorum, seu causarum distinctio, quod aliæ sunt causæ laicales, seu temporales, quæ
in Curia prophanæ dicuntur, utpote bona, vel jura mere 22
temporalia concernentes; Aliæ vero sunt causæ ecclesiasticæ, vel spirituales, (quæ vocabula synonyma sunt) concernentes bona, vel jura spiritualia, seu ecclesiastica, ut ex. gr. sunt, matrimonia, decimæ, beneficia, pensiones, jurisdictiones, & præeminentiæ spirituales, cum similibus.

Istaque secunda species causarum ecclesiasticarum in Curia ex quodam ejus stylo ad certum particularem effectum, remissoriæ, vel compulsoriæ, diversa sortitur vocabula; quo-

mium

etiam quando de his agitur, sub causarum spiritualium no-
23 mine non veniunt nisi beneficiales, reliquæ autem omnes dicuntur prophanæ, quamvis essent matrimoniales, vel decimales, seu alias mere ecclesiasticæ, ac spirituales, quales ad omnes alios effectus censentur.

Quamvis autem dari soleat distinctio inter judicium or-
24 dinarium, & delegatum, ut patet ex dicto practico, & aliis, non tamen ista distinctio ipsis causis, vel judiciis congruere videtur, sed potius judicibus, ob eorum facultatum divisam speciem, vel naturam, ideoque sub Judicum potius quam judiciorum sede id cadit. b

Datur quoque alia distinctio inter causas judiciales, &
25 extrajudiciales, vocando extrajudiciales illas, quæ sine processu, & absque aliqua tela judicii, summarie cognoscuntur; Puta in Curia per Sacras Congregationes Cardinalium; Vel in nundinis, & in emporiis; Aut in exercitu more militari; vel mercantili respective, Sive etiam per arbitros, vel arbitratores; Atque in plerisque Civitatibus (laudabiliter quidem) pro facilitate, ac libertate comercii per peritos in ea arte, vel ministerio, neglectis juris apicibus, Legistarumque frequenter irrationabilibus subtilitatibus, vel traditionibus, seu verius superstitionibus sunt illi qui Judices pectorales vulgo dici solent, sed ista species cadit sub genere causarum summariarum, ut infra in earum sede.

Aliæ vero distinctiones, quas curiosus terminorum seu vocabulorum indagator, videre poterit apud prædictum, &
26 alios practicos, vel recesserunt ab aula, vel revera coincidunt in distinctionibus supra recensitis.

Generaliter autem, judicium, tale quale sit, cujuscunque generis, vel speciei, ad sui essentiam tria vulgaria exigit requisita, seu tres per necesse exigit personas, ex quibus illud constitui dicitur, nempe, ex Actore, ex Reo, &
27 ex judice, sine quibus judicium non datur; etiam ubi agatur de judiciis criminalibus ex officio, seu per inquisitionem absque accusatore, quoniam fiscus nomine Reipublicæ, partes actoris gerere dicitur. i

28 Et quamvis plures personæ a lege privilegiatæ sint, ut judices in causis propriis esse valeant, ut præsertim sunt supremi Principes habentes fiscum, cui hoc privilegium conceditur, adeout apud vulgus, una, & eadem reputari soleat persona, Judicis, & Partis, Adhuc tamen ista personarum distinctio verificari dicitur; Vel quia Princeps non per se ipsum, sed per Tribunalia ac Magistratus a se deputatos judicare solet; Vel quia ubi etiam per se ipsum judicare velit, ejus officialis, vel minister fiscalis, partes actoris, vel rei respective explicare dicitur, juxta frequenter in omni fere materia enunciatam distinctionem plurium personarum formalium in eadem persona materiali. l

Agendo autem de iis quæ generaliter concernunt hanc judicialem, seu practicam materiam, pro frequentiori usu exemplificavit praxis Curiæ Romanæ, ac etiam in aliqua parte illa Tribunalium Regni Neapolitani, non quidem taxative, sed demonstrative, tanquam de regionibus in quibus, earumque Tribunalibus, in vitæ forensis ingressu, ac respective progressu, practicare occasio dedit, cum prudentiæ regulæ non concedant practice loqui de iis, quæ practicata non sint.

a *institut. de publ judic. §. 1.*
b *in specul. seu praxi, par. 4. n. 1. & seqq.*
c *infra hoc tit. disc. 3. & tit. de jurisd. disc. 77. & 79. Rovit. super pragm. 2. de jurisdict. invicem non turban.*
d *tit. de Regal. disc. 13. & seqq. 123. & 160. & in supplem.*
e *de jurisdict. disc. 79.* f *infra in discursu in quo agitur de observatione terminorum substantialium.*
g *tit. de locat. & conduct. disc. 34. & infra in eo discursu, in quo de judicio, pro pensionibus domorum agitur.*
h *infra disc. 3.*
i *infra disc. seqq.*
l *infra disc. 3.*

S U M M A R I U M.

ADNOT. AD DISC. I. & II.

Cum in ista materia Judiciali editi non fuerint discur- 1
sus particulares, in quibus decisiones, vel aliæ res judicatæ de tempore, vel postea prodierint, sed generales, & instructivi, in quibus usque ab initio aliquas auctoritates, & loca concordantia in glossis marginalibus indicavi; Hinc nulla mihi superiit occasio supplendi, dum ipsemet Auctor sequentes Adnotationes adjecit cum tribus discursibus ex integro, necnon Summa, sive Compendio, in quo tota materia reassumitur; Et de plerisque aliis pertinentibus ad hanc materiam Judiciorum agitur in Adnotationibus ejusdem Auctoris, *ad relationem Curiæ*, præsertim *a disc. 8. & 29. cum seqq.*

AUCTORIS ADNOTATIONES
AD DISC. II.

Super puncto, de quo in hoc discursu, quisnam scilicet
sit Actor, & quisnam reus, ac etiam quisnam sit prin- 2
cipaliter interessatus, cui tribuatur facultas declinandi forum privilegiatum; In casus contingentia, cum per acta Auditoris Cameræ secuta esset subhastatio domus deliberatæ cuidam mulieri creditrici, vel tertiæ oblatrici, quæ decedens puellam hæredem instituit, atque contra istam ille, qui subhastationem passus erat coram eodem Judice, & per eadem acta judicium reintegrationis instituisset, ob enormissimam læsionem, aliosque prætensos defectus, præfatæ puellæ reæ conventæ possedítricis pater, cum esset Cursor Tribunalis S. Officii, forum declinando curavit causam reassumi per Assessorem ejusdem Tribunalis Judicem ordinarium in prima instantia, quare altera parte ad me recurrente tanquam Auditorem Papæ decrevi remissionem causæ ad Judicem subhastationis, circumscribendo dictam reassumptionem, cumque Sacra Congreg. de hoc conquereretur, quasi quod violaretur ejus jurisdictio, quodque ad ipsam declarare, & decernere pertineret, an ab uno, vel altero Judice causa cognoscenda esset, absque eo quod utraque Signatura gratiæ, vel justitiæ, sive Auditor Papæ in causis istius Tribunalis se ingerant. Quatenus pertinet ad istum ultimum punctum dixi ad o-
stendendum, quod juridice, ac fundate processum esset, 3
illud esse verum, recteque procedere in causis concernentibus fidem, & quando oriatur dubium, an sit talis qualitatis, quod non nisi ad Inquisitores earum cognitio pertineat, vel e converso sit indifferens, ut earum cognitio ad alios Judices competentes pertinere valeat, ut (ex. gr.) pro frequentiori contingentia sequi solet in criminibus blasphemiæ, vel sacrilegii, quod oriatur quæstio, an cognitio pertineat ad Judicem ordinarium loci, vel ad Inquisitorem, quod pendet ab eo, an ista sit hæreticalis, vel sacrilegium sit talis qualitatis, ut redoleat suspicionem in fide, necne, quoniam ista declaratio pertinet ad hanc Congregationem privative; nullusque alius potest se ingerere, secus autem in hujusmodi causis mere prophanis, & indifferentibus, ut advertitur infra *hoc eodem tit. disc. 47.* ubi generaliter de hujusmodi competentiis, & remissionibus agitur.

Quo vero ad primum punctum dicebam, quod omnis ra-
tio dubitandi cessabat ex eo quod pater aliud jus, vel inter- 4
esse non habens, nisi illud usufructus legalis, dici non poterat principalis collitigans, sive possessor, cui licitum esset forum declinare, dum usufructus importat simplicem servitutem personalem, non autem dominium, vel possessionem, ut in sua sede *sub tit. de servitut. ad materiam usufructus, & alibi*; Verum quando ipsemet esset possessor, ac principalis interessatus, non per hoc tamen locus esset
huic declinatoriæ, dum per decretum ejusdem Congrega- 5
tionis privilegium fori ejus ministris competit, quando sunt Rei, non autem quando actores, istoq; casu deliberatarius, quamvis tanquam possessor, atque in hoc reintegrationis judicio conventus dicendus veniat reus, attamen istud attributum inspecta substantia, attentoque initio causæ congruit illi, qui executionem, vel subhastationem, & deliberationem passus erat, dum ita prius judicium prosequebatur juxta ea, quæ in hoc proposito habentur *sub tit. de jurisd. disc. 94.* ideoque non hæc apparentia ordinis, sed substantia rei attendi debet, ut in discursu advertitur. Potissime vero, dum erat hæres, cui ex persona propria non conceditur declinare forum defuncti, cum quo causa cœpta erat.

De Actore, & de Reo. Et quando unus, vel alter dicatur; Et de effectibus resultantibus ex una, vel altera persona.

S U M M A R I U M.

1 *Actor dicitur ille, qui primus est in judicio.*
2 *Sed quod ad id dignoscendum spectari potius debeat effectus.*
3 *An intentans judicium* L. diffamari *dicatur actor, vel reus?*
4 *Vocatus ad judicium quatenus velit, suaque putaverit interesse, an sit actor, vel reus?*
5 *Actor laudatus, vel defensor necessarius quem personam gerat, & an declinet forum?*
6 *Quid in fisco.*
7 *Actor sequitur forum rei.*
8 *Clericus vocatus juxta modos, de quibus n. 4. & 5. non declinat forum.*
9 *An ille, qui intentat manutentionem, sit actor vel reus?*
10 *Quomodo dignoscatur an provocatus ad judicium dici debeat reus.*
11 *Actori competit jus eligendi judicem, vel forum inter plures competentes.*
12 *Ille qui est actor, vel reus in prima instantia, est etiam talis in altera,*
13 *Fallit in secunda instantia, in qua electio est appellantis etiam si sit reus.*
14 *Actor tenetur declarare quam actionum intentare vellit eamque restringere.*
15 *Reus potest deducere plures exceptiones, etiam diversas, vel contrarias.*
16 *Declaratur conclusio, de qua n. 14.*
17 *Actori incumbit onus probandi, & reo sufficit vincere per non jus.*
18 *In pari causa vincit reus, cui sufficit offuscare probationes actoris,*
19 *Quando actor bene probavit ejus intentionem, vel eam habet fundatam in assistentia juris, tenetur probare exceptionem.*
20 *De assistentia juris, quam habet Ordinarius loci in jurisdictione Ecclesiastica.*
21 *De altera assistentia parochi in jure decimandi.*
22 *Allegans libertatem habet intentionem fundatam, eique sufficit intentare negatoriam adversus praetendentem servitutem.*
23 *Declaratur in petitorio, non autem in possessorio retinenda.*
24 *In possessorio attenditur nudum factum possessoris, & non quaeritur de justitia, vel injustitia.*
25 *In jurisdictionalibus sufficit sola assistentia juris ad possessorium, non autem in decimis, & aliis.*
26 *Etiam in beneficialibus procedit regula de actore probante.*
27 *Quid in officiis, aliisque juribus Regalibus.*
28 *Actor premitur onere probationis, etiam si consistat in negativa.*
29 *In iis, quae in actore sunt fundamentum intentionis, non admittitur probatio praesumpta.*
30 *Inter actorem, & reum in judicio servanda est aequalitas.*
31 *Actori non conceditur dilatio, quia debet venire instructus.*
32 *De aliis differentiis inter actorem & reum.*
33 *Potest quis eodem tempore esse actor, & reus, & quomodo.*
34 *Judicium est metiendum ex persona actoris.*

D I S C. II.

1 Actor dicitur ille, qui primus est in judicio, ac provocat alteram partem, cui Rei conventi nomen congruit. *a*

Neglectisque iis generalitatibus, quae hujusmodi vocabulorum originem, vel significationem concernunt, cum haec scholis potius congrua sint, atque (ut practicum forensem docet) spectatis effectibus exinde resultantibus, & isti quamplures, & quidem notabiles, esse dicuntur, ut infra;
2 Ideoque merito frequenter disputari contingit, quisnam vere Actor, & quisnam Reus dicatur, spectato ut dictum est, potius effectu quam verbali significatione, vel formalitate, circa priorem, vel posteriorem existentiam in judicio.

Quamvis etenim vera sit praemissa regula generalis, ut scilicet provocans dicatur Actor, provocatus autem Reus; Ea tamen non semper firma est, cum quandoque provocanti, qui sit primus in judicio, Rei potius, quam Actoris nomen congruat; Et e converso, provocatus, spectato effectu, censeatur actor.

Ut praesertim disputare frequens occasio in Signatura aliisque Tribunalibus praebuit super remedio textus *in l. diffamari, ff. de ingen. & manumiss.* Et in altero desumpto ex 3
textu *in l. si contendat, ff. de fidejussor.* de quorum utroque particulariter agitur infra *b*, quoniam non levis est quaestio inter scribentes, an unius, vel alterius remedii, sive utriusque intentator, quamvis inspecta materiali origine, sit primus in judicio, potius provocator, quam provocatus censeri debeat actor, vel Reus; Aliquibus priorem; Aliis autem posteriorem partem tenentibus; Tertia vero opinio distinguens probabilior est, cum qua Romana Curia (fundate quidem) procedit, ut a possessionis qualitate, quaestionis decisio pendeat, Si enim hujusmodi remediorum intentator non possideat rem controversam, sed illam adipisci cupiens, contra formidatos, vel suspicatos oppositores, sive sint possessores, sive non, pro obstaculis removendis, in judicio sit, tunc actor potius censendus erit; Clarius vero si provocatus possideat; E converso autem si ipse possessor existat, jactatores autem, vel diffamantes provocet, tunc censendus est Reus, ut in sua possessione se confirmat, atque rejici curet illas actiones, vel oppositiones, quas contra ipsum possessorem, tanquam reum dirigere, vel exercere opus esset. *c*

Prout ille qui sit provocatus in ratione potius invitativa 4
quam coactiva, adeout non parendo contumax reputari non possit, neque ad aliquid in persona, vel bonis propriis condemnari, ut in illis contingit, qui in judicio concursus creditorum, vel in alio simili, cui eadem congruat ratio, evocantur, cum clausula, *quatenus sua putaverit interesse*, Actoris potius quam Rei personam, spectato effectu, gerere dicitur, ideoque licet, ab eo judice vel foro sit exemptus, illum non declinat. *d*

Idemque in eo, qui tanquam defensor necessarius, cui in plerisque partibus, praesertim in tribunalibus Regni 5
Neapolitani, authoris laudati, alicubi vero rei mediati vocabulum tribuitur, spectato effectu, actoris, vel tertii ad causam venientis, personam gerere dicitur; Adeout, ea veriori magisque recepta opinione (a contradictoribus tamen non immuni, forum non declinet, neque suum privilegium possessori, ac reo immediato communicet *e*; cum istud singularis Fisci privilegium sit, *f* cum similibus, de quibus, 6
occasione singularium rubricarum infra agi contingit.

Effectus autem eainde resultantes multi sunt, ex hac universa judiciorum materia conjiciendi; Praesertim vero, ac frequentior est ille, competentiae, vel declinationis fo- 7
ri, ex regula quod (excepto fisco, qui in hoc est privilegiatus,) actor tenetur sequi forum rei, illumque in pro- 8
prio foro convenire; *g* Unde propterea si laicus possessor, timens Clerici molestias, illum cum dictis remediis provocet coram proprio judice saeculari, qui omnimodam habeat incompetentiam cum Clerico, non poterit iste forum declinare, quoniam nihil ab eo petitur, sed possessor per viam exceptionis potius quam actionis, suum jus, suamque actionem confirmare satagit, coram eo judice, coram quo conveniendus esset, quando jactatae molestiae ad exercitium in judicio deduci deberent, cum similibus, quibus eadem congruat ratio. *h*

Hinc proinde, quamvis regula sit, quod etiam intentans summariissimum interdictum possessorium retinendae, dicatur Actor potius, quam Reus; Adhuc tamen ad hunc effectum fori, cum eadem distinctione proceditur, an scilicet de facto sit possessor, utramque, naturalem, & civilem, habens possessionem, quam confirmare cupiat, & tunc Reus 9
potius censendus veniat: Secus autem ubi ea solo beneficio possessionis civilis animo retentae, intendat cum hoc remedio recuperare naturalem ab alio occupatam. *i*

Punctus enim est in eo, an ille qui provocatur, contumax 10
reputari valeat, atque molestias in persona, vel in bonis quae possideat de facto pati, & tunc dicitur Reus coram eo Judice comparere arctatus, secus autem ubi ad comparendum, suaque Jura, quae habere praetendat, deducendum invitetur tantum, non autem arctetur. *l*

Alter est effectus, quod pluribus existentibus Judicibus aeque competentibus, Actoris est electio, coram quo, data competentia, Reum provocare velit, juxta ea, quae in proxime sequenti rubrica habentur, agendo de Judice com- 11
petente. *m*

Nisi de ulteriori instantia agatur in gradu appellationis, quoniam licet ille, qui est Reus in prima instantia, dicatur etiam talis in secunda, & in quacunque alia ulteriori, *n* At- 12
tamen inter plures judices appellationis aeque competentes,

ipsius

ipsius appellantis est electio, quamvis Reus existat, cum
13 electio Actori tribuatur in prima instantia, atque in
judicii initio. *o*

Datur quoque alter notabilis effectus, qui ex hac inspe-
ctione oritur, circa actionis restrictionem, vel declaratio-
14 nem, quoniam inspecto rigore Juris civilis, Actor, Reo
petente, declarare tenetur, ad quam actionem se restrin-
gat, neque plures diversas cumulare potest; *p* E conver-
15 so autem Reo conceditur facultas deducendi, & cumu-
landi plures exceptiones, non solum diversas, sed etiam
contrarias. *q*

In praxi tamen, rarus, penequn idealis hic effectus re-
manere videtur, dum hodie, ex particularibus legibus,
vel stylis, sive ex quodam generali usu, sublati videntur
16 Juris civilis antiqui rigores, ac formalitates, ideoque in
vim clausularum, quæ in libellis, vel monitoriis, aut in
commissionibus, vel supplicationibus, pro diversis stylis,
adjici solent, plurium actionum, vel remediorum cumula-
tio actoris permissa est, ut infra agendo de libellis, & mo-
nitoriis, vel commissionibus advertitur. *r*

Præcipuus autem, omniumque major effectus est ille,
17 circa onus probationis, quod Actori incumbit, quoniam
Reo sufficit vincere, fugiendo, per non jus actoris, quo
perfecte, & concludenter non probante id, quod est suæ
actionis, vel intentionis fundamentum, Reus absolvitur:
f Idemque procedit, ubi æquales essent probationes utriusq-
que, cum semper in pari causa potior sit conditio Rei:
Quinimo, neque hoc æqualis probationis onere premitur,
sed ei sufficit cum ejus probationibus offuscare, dubiasque
18 reddere illas actoris, ita impediendo ne ad perfectionem,
seu conclusivam qualitatem perveniant. *t*

In hoc autem probationis onere, frequenter contingit,
19 ut Reus actoris partes potius gerere dicatur; quando enim
actor, vel in assistentia juris, vel in perfectis, beneque
conclusis probationibus, suam fundavit actionem, vel
intentionem, si Reus illam elidere velit cum exceptione,
seu cum limitatione, tunc partes actoris potius in hoc ge-
nere dicitur circa onus perfectæ, & concludentis probatio-
nis, qua non facta, actor obtinet, quamvis (ut dictum est)
ejus intentio fundetur in sola assistentia, vel regula juris, cu-
jus virtus, & operatio est fundandi intentionem ejus, cui
assistit, atque transfundendi onus probationis in alteram
partem, quæ prætendit contrarium, ut in plerisque ma-
teriis frequenter habetur. *u*

Præsertim autem id praxis docet in materia jurisdictio-
nali favore Episcopi, vel Ordinarii loci, qui juris assisten-
20 tiam, vel regulam habet in spirituali, & Episcopali juris-
dictione in omnibus Ecclesiis, & cum Clericis, ac etiam
respective in suis casibus cum laicis suæ diœcesis, vel terri-
torii; Ista enim assistentia sufficit, donec Prælatus inferior,
vel alter, qui jus exemptionis, vel separationis territorii,
aut præscriptionis prætendit, contrarium concludenter
probet, juxta illas plures inferiorum Prælatorum species,
quæ in sua jurisdictionali sede recensentur. *x*

21 Ita pariter in materia decimarum favore Parochi ha-
bentis assistentiam juris in causa universali decimandi in-
tra omnes fines suæ Parochiæ, donec qui prætendit jus
activum decimandi, vel exemptionem passivam, id pro-
bet, quamvis Parochus sit Reus; alter vero sit actor, ut
pariter in sua decimarum materia, cum similibus. *y*

Et generaliter habemus in materia servitutum, ac etiam
in altera pensionum ecclesiasticarum, quæ pariter servitu-
tis speciem redolent, quod scilicet juris regula assistit liber-
22 tati, ideoque ille, qui eam allegat, fundatam dicitur habe-
re intentionem absque alterius probationis onere, per il-
lam actionem, quæ dicitur negatoria, quamvis ipse sit actor,
& provocator, donec ille, qui servitutem prætendit, illam
probet, unde propterea præfinitis terminis, pro locorum
vel Tribunalium stylis, provocato non probante, fertur
sententia pro actore, super libertatis canonizatione. *z*

23 Procedunt vero hæc in judicio petitorio, non autem in
possessorio, in quo jurisdictionis speciale est, ut sola juris
assistentia, absque alio fomento, vel adminiculo sufficiat;
a In reliquis autem præmissis, ac similibus, ista non
impedit servitutis, vel pensionis, aut similis juris posses-
sorem, quin in sua possessione interim manuteneatur, cum
24 ad hunc effectum, non quæratur de justitia, vel injustitia,
sed attendatur nudum factum possessionis, atque sufficiat
sola possibilitas justificationis, in petitorio; *b* Et licet in
decimatoria materia id quoque procedat, non per hoc ta-
men, sola juris assistentia absque possessionis saltem admi-
25 niculativa justificatione, in parte, quæ in habente causam
universalem sufficit, ad id admittitur, eo modo, quo in

Card. de Luca Lib. XV.

jurisdictionalibus, in quibus videatur speciale, ut in suis
respective rubricis, vel discursibus inferius magis distin-
cte advertitur. *c*

Adeoque procedit dicta regula generalis, quod cessanti-
bus limitationibus, ut supra, illi, qui actoris personam 26
gerit, perfectæ, & concludentis probationis onus incum-
bit, ut receptum sit, id procedere etiam in beneficialibus,
quæ de sui natura sine titulo obtinentur; *d* Quamvis in pro- 27
phanis, quæ pariter sine titulo obtineri non possunt, ut sunt
officia, aliaque regalia ob nimiam residentiam, id patiatur
difficultates juxta varios regionum, vel principatuum sty-
los; *e* Eademque regula de actore non probante generali-
ter procedit, quamvis agatur de negativa, in qua ejus in-
tentio fundata sit, quoniam ista quoque concludenter ju-
stificanda est, illis casibus exceptis, in quibus ob assisten-
tiam juris competat actio negatoria, ut supra. *f*

Atque in iis, quæ sunt intentionis actoris fundamen-
tum, non admittitur probatio præsumpta. *g*

In reliquis autem regula generalis est innixa æqualitati, quam lex inter collitigantes in Judiciis servandam esse disponit, ut Actor, & Reus ad imparia judicari non debeant, eorumque conditio debeat esse æqualis, unde propterea privilegium, vel quasi, quod uni eorum competat, alteri commune efficitur, ut (exempli gratia) habetur infra in appellationum rubrica, seu discursu, in proposito Ægidianæ, quod si actor sit Clericus, vel alias Ægidianæ non subditus, id Reo quoque suffragabitur, & e converso, cum similibus. *h*

Ea tamen, inter Actorem, & Reum præ cæteris inæqualitas quoque dignoscitur, circa dilationes, quæ Reo de jure competunt. Actori vero negantur: Ex ea differentiæ ratione, quod Actor unire debet ad causam instructus, quod Reo objici non potest; *i* Prout etiam circa litis introductionem, vel initiationem aliqua notabilis differentia dignoscitur inter Actorem, & Reum, ut inferius agendo de litis introductione advertitur *l* cum similibus, de quibus in progressu juxta singulos respective effectus, vel singula judicia, seu remedia, de quibus particulariter agitur,

In eadem tamen persona materiali eademque lite, seu causa, utriusque personæ formalis, Actoris, & Rei concursus, pro diversitate respectuum, recte dari potest, quia nempe ratione reconventionis, seu alias coram eodem Judice, & in eodem processu; duplex cumuletur judicium, in quorum uno quis sit Actor, & in altero Reus, & e converso *m* cum aliis in universa hac judiciali, seu practica materia inferius desumendis.

Demum recepta est regula generalis occasione judicii possessorii retinendæ sæpius enunciata, præsertim in materia pensionum ecclesiasticarum aliarumque præstationum etiam contra successorem, quod judicium est metiendum ex persona Actoris, non autem Rei. *n*

a *l. in trib. ff. de judic. ubi DD. ferus §. actor. de reg. jur. in 6.* Mantic. *dec.* 282. *n.* 1. b *hoc eod. tit. disc.* 16.
c *sub tit. de jurisdict. disc.* 62. *&* 69. d *eod. tit. de jurisdict. disc.* 60. *&* 94. e *Eod. tit. de jurisdict. disc.* 60. *&* 63.
f *Eod. tit. de jurisdict. disc.* 83.
g *dict. tit de jurisdict. in locis allegatis, & in aliis pluries.*
h *dicto disc.* 60. *&* 94. *de jurisdict.* i *Dicto disc.* 63. *& in aliis, eod. tit. de jurisd.* l *Dicto disc.* 60. *&* 94. *de jurisdict.* m *Disc. seqq.*
n Seraph *dec.* 1422. Cavaler. *dec.* 630. *contr.* 1. o *Infr. in disc. appellationis*, p *Infr. disc.* 15. q *Ibid. proxime.* r *Infr. disc.* 7.
f Greg. & Add. *dec.* 228. *& passim.* t *dec.* 158. *&* 270. *n.* 2. *&* 3. *p.* 10. *rec. & infr. disc.* 22. *& sæpius in omni materia.*
u Mantic. *decis.* 251. Barbos. *axiom.* 198. *& inf. disc.* 22. *& sæpe in omni materia.*
x *Tit. de jurisd. disc.* 1. *cum plur. seqq.*
y *Sub tit. de decim. disc.* 1. *cum plur. seqq.*
z *Dec.* 101. *p* 4. *rec. to.* 2. *& sub tit. de servit. pluries, & sub altero de pensionib.* a *dict. tit. de jurisd. disc.* 1. *& seqq.*
b *Infra disc. ubi de hoc judicio.*
c *Dicto disc.* 1. *& seqq. de jurisdict. & infra in eo discursu, in quo agitur de hoc possessorio.*
d *Tit. de benef. disc.* 22. *& in aliis.* e *Tit. de Reg. disc.* 14.
f Burart. & Add. *dec.* 10. *&* 948. *dec.* 551. *p.* 5. *rec. & passim.*
g Add. ad Greg. *dec.* 53. *dec.* 202. *n.* 4. *p.* 5. *rec. & sæpius in omni pene materia.* h *Infra in discurs. in quo agitur, de appellatione.* i Capsiaq. *dec.* 15. *p.* 1. *& infra.*
l *Infra, disc.* 7. m Merlin. *dec.* 350. *repetit. decis.* 170. *p.* 5. *rec.* Coccin. *dec.* 1380.
n *Infra in eo discursu, in quo agitur de manutentione, & sub tit. de pension. & alibi sæpius.*

De judice, & foro competente, vel incompentente Aut de illo majoris, vel minoris competentiæ, in concursu plurium eque competentium; Et de judice recusabili, vel non recusabili ratione suspicionis; Ac etiam de Judice ordinario, & delegato.

S U M M A R I U M.

1 DE quo judice hic agatur, & ad quid.
2 Alter est ordinarius, & alter delegatus.
3 Quis dicatur ordinarius fori ecclesiastici.
4 De judice ordinario fori laicalis.
5 Qualem potestatem habeat judex ordinarius.
6 Alia est jurisdictio in dominio, & alia in exercitio, ut in Baronibus.
7 Episcopi habent in dominio, & in exercitio, & de execuitone Episcoporum, Baronum.
8 De Vicario Generali, & Vicariis Foraneis, eorumque jurisdictione.
9 Episcopus an teneatur habere Vicarium?
10 De antiquis Archidiaconis, & Archipresbyteris.
11 Distinguuntur judices fori Ecclesiastici, & laicalis.
12 Etiam in eodem foro Judices civiles, & criminales.
13 Qui judices ordinarii Curiæ Romanæ.
14 Rota est judex ordinarius, sed singuli Auditores delegati.
15 Quid de Sacris Congregationibus Cardinalium.
16 De delegatis ad universitatem causarum, & ad causas particulares respective.
17 Episcopi, seu locorum Ordinarii, sunt Ordinarii, & delegati diversis respectibus.
18 Quando judex Ordinarius fiat delegatus ex superveniente commissione, vel rescripto.
19 Memoriale non tribuit jurisdictionem.
20 Stylus est interpres voluntatis Principis.
21 Quid referat, ut Ordinarius efficiatur delegatus.
22 Delegatus particularis debet docere de delegatione, eamque in citatione inferere, quod limitatur.
23 Delegatio stricte intelligenda est, & non extenditur.
24 Judex ordinarius revocat sententiam propriam diffinitivam ex capite nullitatis, quod non facit delegatus.
25 Executor literarum Apostolicarum si nulliter procedit, non potest denuo valide procedere.
26 De incompetentia etiam habituali, vel de actuali tantum.
27 Judex laicus cum Clerico est incompetens habitu, & non est prorogabilis.
28 An Episcopus possit committere laico causas ecclesiasticas, vel spirituales.
29 Prorogatio partium non dat jurisdictionem habitu deficientem.
30 An compromissum in causis ecclesiasticis fiat in laicum.
31 De causis spiritualibus etiam inter laicos.
32 De casibus, in quibus Judex laicus procedit in causis Clericorum.
33 De judice incompetente cujus jurisdictio sit prorogabilis.
34 Auditor Cameræ extra Curiam non procedit in prima instantia.
35 Prorogatio jurisdictionis judicis incompetentis fieri non potest in præjudicium tertii.
36 Notarius petit remissionem causæ in prima instantia, non obstante consensu partium.
37 De majori competentia inter plures æque competentes.
38 Judex loci administrationis habet majorem competentiam privative.
39 Neque suffragatur privilegium miserabilium personarum seu Eugeniana circa redditionem rationum.
40 Forus loci delicti vincit alios.
41 In pari concursu competentiæ attenditur præventio.
42 Quando ille judex coram quo causa est præventa, trahat omnes alios ad se.
43 Idem ratione connexionis, vel præjudicialitatis.
44 De judice civili inhibente criminali, & e contra.
45 Pendente judicio universali silet particulare.
46 Judices secundæ instantiæ non se ingerunt in causis primæ instantiæ.
47 De privilegio electionis fori miserabilium personarum.
48 Obligatio cameralis tribuit electionem fori.
49 De privilegio Eugeniana.
50 De apprehensis in Urbe.
51 Non possunt apprehendi Episcopi venientes ad visitandum limina.
52 De judice competente Cardinalium.
53 Episcopi non processantur nisi de commissione Papæ.
54 De ordine servando inter judices appellationis.
55 De materia appellationis remissive.
56 An, & quando Episcopus sit suspectus, & incompetens, vel recusari possit in causa ejus Ecclesiæ, vel Mensæ.
57 Quæ proprie dicatur pars interessata in causa.
58 Principes supremi sunt judices in causa propria, & quomodo.
59 Episcopus non judicat in causis Ecclesiæ, non audito Promotore fiscali.
60 Coram quo judice agatur de causa devolutionis, vel caducitatis feudi.
61 Fiscus non litigat manibus vacuis.
62 Auctor laudatus, seu defensor necessarius non declinat forum, sed fallit in fisco.
63 An, & quando Ordinarius, vel respective delegatus recusetur tanquam suspectus.
64 De stylo Curiæ Rom. etiam in suspicione judicis ordinarii.
65 Non datur recusatio post consensum.
66 Quando dicatur adesse consensus.
67 Quare Advocati Curiæ Rom. non soleant tractare de causis suspicionum, & de stylo in judicibus, qui libenter abstinent.
68 An Cardinales qui sint Episcopi, interveniant in Congregationibus, quando agitur de eorum causis.
69 Quæ regula dari potest in materia recusationis ob suspicionem.
70 De suspicione Ordinarii ad materiam, C. ad hæc.
71 Judex legitime recusatus nulliter procedit.
72 De pluralitate personarum formalium in una persona materiali, ut competentia ratione unius personæ non intret quoad aliam.
73 De quibus quæstionibus, vel propositionibus in hac materia judicis competentis agatur.
74 Ordinarius, vel Diœcesanus habet in suo Territorio intentionem fundatam in causa universali.
75 De jurisdictione in personas, vel ratione causarum alias quam ratione Territorii.
76 De judicibus particularibus artium, vel collegiorum, seu piorum locorum.
77 De exemptione regularium, aliorumque exemptorum, & quando Ordinario subjaceant.
78 Exemptio a jurisdictione non tollit reverentialia.
79 De prætensione subditorum ne trahi possint extra proprios lares, ac alibi eorum causa judicari.
80 Quando etiam non subditus, fiat subditus.
81 De casu in quo superior, vel dignior, sit subditus sui inferioris, nempe Metropolitanus sit subditus suffraganei.
82 Clericus in minoribus an, & quando dimisso clericatu remaneat subditus Episcopi.
83 De competentia judicis laici cum Clericis conjugatis, & cum laicis familiaribus Episcopi, Cardinalis, & quando etiam in causis Clericorum.
84 Quid de militiis ecclesiasticis, vel de confraternitatibus, & locis piis, vel de conservatoriis mulierum.
85 De privilegio fori militaris.
86 An heres ligetur foro defuncti.
87 De foro rei litea.
88 Si hereditas habeat bona in diversis locis, qui sit Judex ejus competens.
89 De privilegio electionis fori viduarum, & pupillorum.
90 An privilegiatus variando forum electum reficiat expensas.
91 A.C. non est judex in causis beneficialibus, & quando.
92 Quid in causis matrimonialibus.
93 Quomodo judices Rom. Curiæ se declarent competentes.
94 Diversitas judicii non diversificat judicem.
95 De aliis ad materiam præsertim recusationis.
96 De judice literato, vel illiterato.

D I S C. III.

ALtera persona, ex qua judicium constituitur, ultra illas Actoris, & Rei, est illa Judicis, super cujus declioatione, frequentes esset solent quæstiones initio causæ, vel etiam ea finita, sive instructa, super gestorum invaliditate defectu jurisdictionis, quæ una ex tribus substantialibus nullitatibus reputatur. 1

De qualitatibus, quibus Judex præditus esse debet, in præsenti, utpote extra propositum, non agitur, aliquid vero insinuatur in relatione Curiæ, occasione agendi de Rotæ Romanæ Auditorio, in quo ex ibidem insinuatis rationibus, generalis Judicis idea efformatur, pluraque in hoc bene observat idem practicorum magister, *Robertus Ma-*

Marantam; *a* In præsenti etenim, de judicis competentia,
vel recusabilitate agitur prout, quæ ad causæ, vel judicii
validitatem pertinent pro forensi praxi.

Quatenus itaque ad primam inspectionem pertinet, su-
2 per judicis qualitate, vel jurisdictione; Agendo de quocun-
que judice in genere, sive sit in prima, sive in quacunque
alia ulteriori instantia; Duplex est judicis species; Alius
enim dicitur Ordinarius, alius vero delegatus.

Ordinarius est ille qui, sive ad tempus præfinitum, sive
perpetuo ad vitam, vel ad nutum, pro diversis locorum sty-
3 lis, deputatur ab habente potestatem ad exercendum in eo
loco cum quibuscumque subditis genericam jurisdictio-
nem in quibuscunque causis, quæ sub jurisdictione, vel
potestate deputantis cadant, ita repræsentando Judicem,
vel Correctorem loci in universum; Ut (agendo de foro
Ecclesiastico) sunt Episcopi, eorumque Vicarii generales,
quibus propterea Ordinariorum nomen in jure Canonico,
tribuitur, Ac etiam ad instar, sunt alii Prælati inferiores,
qui *Nullius* dicuntur; Sive sunt isti Prælati, qui in aliquo
loco, vel parte territorii, seu diœcesis, quæ suum habeat
Episcopum, ex privilegio Apostolico, vel præscriptione,
plenam, quasi Episcopalem jurisdictionem habent cum il-
lius loci Clero, & Populo, vel cum certo genere persona-
rum, ut frequens praxis ubique docet in Prælatis regula-
ribus intra propria septa. *b*

Et respectu fori laicalis, sunt illi, qui Civitatum, vel
4 locorum Judices, vel Correctores deputantur, quibus pro
diversis regiminum stylis, diversa vocabula congruunt:
Alicubi enim vocantur Gubernatores, alicubi Potesta-
tes, alicubi Capitanei, alicubi Judices, & alicubi Cor-
rectores, &c.

Isti enim utriusq; fori Judices respective restrictionem
5 aliquam non habent, sed sunt Judices in universo territo-
rio cum omnibus illi foro subjectis, tanquam per speciem
jurisdictionis universalis, ac nativæ, quæ competat in ge-
nere personæ formalis Judicis loci, quam illa persona ma-
terialis, quam præfinita tempora repræsentat; Ideoque sibi
assistit regula, seu causa universalis in omnibus iis, quæ
in jure excepta non reperiuntur.

Non omnis autem competentia jurisdictionis universa-
6 lis, vel juris territorialis, aliquem Judicem constituit, sed
requiritur competentia exercitii, pro quo potius, quam
pro habitu sit deputatus; Illi siquidem, qui jurisdictionem
temporalem habitu habent, non sunt Judices, sed Domini,
vel supremi Magistratus, ut exempli gratia sunt Barones,
& feudatarii, vel Domicelli, habentes universalem juris-
dictionem in loco cum jure territoriali, quoniam illam ha-
bere dicuntur jure domini, non autem jure judicis; Sive
(ut alii dicunt,) in habitu, non autem in exercitio,
quoniam ipsi deputant judicem, sed non judicant.

Secus autem est in foro Ecclesiastico, quoniam licet Epi-
scopi, qui comparative ad Papam, quodammodo Barones,
ac Domini locorum videntur, eo modo, quo in foro laica-
7 li sunt Barones, & Domicelli comparative ad supremum
Principem *c* deputare soleant pro communi usu Vicarium
generalem pro universali diœcesi, qui cum ipso, unum
8 & idem tribunal constituit, necnon Vicarios foraneos in
singulis locis particularibus, vel etiam pro aliquibus par-
tibus, seu regionibus diœcesis, cum majori vel minori fa-
cultate pro indigentia, vel usu; *d* Attamen sunt etiam ju-
dices, ac possunt per se ipsos causas cognoscere, & judica-
9 re, neque tenentur habere Vicarium, quo carere possunt
de jure, quamvis eorum retentio, adeo in consuetudinem
generalem abierit, ut pro subditorum commoditate, ac me-
liori diœcesis administratione, Sac. Congregatio Episco-
porum, & Regularium, ejus retentionem præcise deman-
dare soleat, etiam cum certa qualitate, ut scilicet Docto-
res vel licentiati saltem in decretis, & non diœcesani esse
debeant, pro Episcopatuum qualitates, ac stylis. *e*

Antiquitus enim in foro Ecclesiastico dabantur quidam
10 Judices ordinarii fixi, sub Episcopo, vel alio Ordinario,
quandam nativam jurisdictionem, vel judicaturam haben-
tes, quales erant Cardinalis Archidiaconus in temporali-
bus, & Archipresbyter in spiritualibus; Verum hodie de
communi consuetudine id recessit ab Aula, cum istorum
jurisdictionem exerceat Vicarius generalis, unde propter-
ea hodierni Archidiaconus, & Archipresbyter, abusivi
sunt, potius quam veri. *f*

Istaque ordinaria jurisdictio universalis, quoad exerci-
tium, divisa esse solet, non quidem per species, sed per
genera, non solum ratione diversitatis fori, ut supra,
11 quod scilicet unus est judex fori ecclesiastici, vel spiritua-
lis, & alter fori sæcularis, vel temporalis, seu propha-

Card. de Luca, Lib. XV.

ni, dum id non tollit, quin eorum quilibet in suo genere
sit Ordinarius, ac universalis; Sed etiam hæc distinctio
cadit in quolibet genere respective pro diversitate qualita-
tis, vel naturæ causarum; Puta inter causas civiles, & cri-
minales ejusdem fori, quod scilicet alter esse solet judex cau- 12
sarum civilium, & alter criminalium, unde propterea dis-
cretive reputantur duo fori inter se distincti, cum frequen-
tibus controversiis præventionis, ac majoris competentiæ,
adeout unus absque alio se non ingerat, sed eorum quili-
bet in suo genere dicitur Ordinarius, ac universalis, cum
Ordinarii qualitas vere, & proprie, in universitate, seu
causa universali consistat. *g*

Atque id exemplificando in Romana Curia, istamque
generalitatem reducendo ad speciem; Ordinarii Judices 13
Romanæ Curiæ universalis, seu Papæ uti Papæ, & Epi-
scopi Ecclesiæ universalis, vel uti Patriarchæ Occidentis,
sunt, Auditor Cameræ, & Rota, quæ sunt etiam Judices
ordinarii ad universitatem causarum, Status, vel ditionis
temporalis Ecclesiæ, Judices autem Ordinarii ejusdem Pa-
pæ, ut Episcopi, vel etiam Domini temporalis Urbis, ejus-
que territorii, vel districtus sunt, Vicarius, Gubernator,
& Senator Urbis, eorumque respective Locumtenentes,
vel inferiores officiales, dum istorum jurisdictio limitata
est intra Urbis districtum, in qua quoque sunt judices ordina-
rii, sed jurisdictio Rotæ, & Auditoris Cameræ, ejusque 14
Locumtenentium, est respective universalis, ut latius
agendo de singulis, habetur in relatione Curiæ, ubi in spe-
cie de Tribunali Rotæ, quod sit Judex ordinarius in uni-
versum, quamvis singuli Auditores, quibus causæ com-
mittuntur, dicantur delegati. *h*

Et licet moderno tempore, in Curia quædam adsint Tri-
bunalia, cum universitate jurisdictionis ecclesiasticæ, vel 15
temporalis respective; Puta respectu fori sæcularis, Con-
gregatio, quæ *Consulta* dicitur, pro universa ditione tempo-
rali, quæ sub Status Ecclesiastici nomine explicatur; At-
que respectu fori Ecclesiastici sunt pleræque Sac. Congre-
gationes, illa præsertim Episcoporum, & Regularium,
quæ adversus gravamina Prælatorum, ac Ordinariorum,
recursus, & querelas admittit, atque super eis providet;
Non tamen Judicis Ordinarii, sed potius vicarias partes Pa-
pæ extra formam judicii gerere dicuntur, ut latius, ma-
gisque distincte in relatione Curiæ de singulis hujusmo-
di Congregationibus agendo advertitur. *i*

Quo vero ad aliud judicum delegatorum genus; Illud
subdividitur in duas species, quoniam; Alii sunt, qui di-
cuntur delegati ad certum genus causarum, unde propter- 16
ea, in eo genere universalem causam habere dicuntur,
adeout comparative ad delegatos speciales, sive intra illud
genus, Ordinariorum speciem redolere videantur, ut puta
(exempli gratia) est ubique Procurator Cæsaris, cujus offi-
cium hodie in omnibus pene principatibus explicari so-
let per quædam Tribunalia, quæ *Cameræ* dicuntur, dum
eis competit jurisdictio universalis in genere causarum
fiscalium, vel aliarum, quæ cum eis connexionem ha-
beant, vel ab eis dependentes, cum similibus; Particulares
vero, ac vere, & proprie delegati, quorum occasione, fre-
quentius de delegationis stricta natura, vel operatione dis-
putari solet, sunt illi, quibus per speciale rescriptum, vel
commissionem, aliquæ causæ particulares committuntur; Ut
(exempli gratia) in Curia sunt Prælati, vel Cardinales,
quibus committuntur causæ particulares per specialem
commissionem; Ac etiam sunt in partibus Judices synoda-
les, vel Episcopi viciniores, quibus per breve speciale ex-
tra Curiam, committi solent causæ appellationis ab Ordi-
nariis, vel a Metropolitanis, cum similibus.

Datur etiam quædam tertia, vel mixta species utrius-
que, ordinariæ, & delegatæ jurisdictionis in eodem Judi-
ce, vel officiali, seu Prælato; Ut (exempli gratia) post
Concilium Tridentinum, sunt Episcopi, aliique Ordina- 17
rii locorum, quibus in plerisque casibus supra regulares,
aliosque exemptos, per idem Concilium, aliasque Apo-
stolicas Constitutiones, concessa, seu verius restituta est
jurisdictio, quæ ipsius Apostolicæ sedis delegata dicitur;
Revera tamen, spectato effectu, etiam in hoc genere Or-
dinarii sunt; Ideoque omnia, quæ in Judice ordinario pro-
cedunt, in eis quoque locum habent, ita in verbis adjun-
cto hoc vocabulo delegationis; Vel ad præservanda privi-
legia exemptiva; Vel ut huic jurisdictioni aliquod majus
robur tribuatur; & ne exempti illam declinare valeant;
in reliquis autem, quoad modum procedendi, vel appel-
landi, nulla inter unius, vel alterius jurisdictionis genus,
vel species differentia dignosci videtur, iis casibus exce-
ptis, in quibus per quandam speciem limitationis, spe-

cialiter ita provisum sit; Ut puta in materia immunitatis Ecclesiasticæ, super exemptione, a potestate metropolitani cum similibus. *l*

Cum autem frequenter contingat, quod Princeps, vel
18 supremus Magistratus, cui delegandi causas potestas competat, eisdem ordinariis judicibus, vel tribunalibus, super aliquibus causis particularibus, commissiones, vel rescripta dirigere soleat; Hinc proinde frequenter disputari contingit, an exinde resultet mutatio naturæ, vel qualitatis jurisdictionis, vel judicis, ut ex ordinario efficiatur delegatus; Id autem varias habet opiniones, pro quarum conciliatione, sive pro hujusmodi controversiarum determinatione, loci stylo, vel observantiæ in primis deferendum est, Istaque cessante, vel dubia existente, adeout per juris tramites quæstio decidenda sit, ea solet adhiberi distinctio, an scilicet agatur simplici rescripto Principis, super supplicatione recurrentis, atque ut vulgo in Curia dicitur, per memoriale; Et tunc id nullam importat delegationem, sed solum excitationem ordinariæ jurisdictionis, sive monitum, ut judex administret illam justitiam, quam ex sui muneris debito administrare tenetur, suæ jurisdictionis specie, vel natura non immutata; Adeout si in causa ille, cui hoc rescriptum dirigitur, non sit competens,
non per hoc jurisdictionem acquirit, quoniam hujusmodi
19 rescripta per memoriale non tribuunt jurisdictionem, talisque est Curiæ recepta praxis.

Ubi vero sit per viam formalis commissionis, in ea forma, in qua delegationes concipi solent, adeout commissio directa ei, qui alias non habet jurisdictionem, quam ei tribuat; Et tunc proprie intrat quæstio, quæ potius facti, quam juris esse videtur, non de facili recipiens certam, ac generalem regulam, cuicunque casui applicabilem, an scilicet per commissionem aliquæ communicentur facultates, quæ alias non competerent; Et an ita commissio concepta sit, ut in universum ille Judex ordinarius, partes delegati assumat, antiquas vero ordinarii exuat; Vel potius, ut ordinaria jurisdictione continuante, atque non immutata, delegatio operativa sit quoad illam potestatem tantum, quæ alias jure suo non competeret. *m*

Id autem totum pendet ex singulorum casuum qualitate,
20 & circumstantiis; Fortius vero ex stylo, quoniam stylus est interpres, ac regulator voluntatis Principis, vel alterius delegantis; *n* Et consequenter, cum sit quæstio voluntatis, ista desumenda est ex ratione, seu qualitate commissionis, & an ista concedat ea, quæ alias non competebant.

Effectus autem, ex unius, vel alterius jurisdictionis genere, vel qualitate resultantes, multi sunt, ex solo hujus judicialis materiæ progressu, ac singulorum judiciorum sedibus, vel rubricis desumendi; Ideoque incongrua prolixitas, vel digressio esset illos omnes recensere; Potissimum
21 vero ii, qui sunt jam judices ordinarii, & competentes, istam delegationis qualitatem affectare solent; Vel ut ita obtineant sportulas, & propinas, quæ in figura judicis ordinarii non deberentur, ut habetur in sua sede, agendo de hujusmodi sportulis earumque usu; *o* Vel ut ita non subjaceant inhibitionibus ac impedimentis ordinariorum judicum appellationis; Ut in praxi docet prætensio, quam frequenter habent locorum Ordinarii, quibus Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, negotia remittere solet, in ratione potius excitativa, quam delegativa, ut supra, dum ita prætendunt se ejusdem Congregationis delegatos, & consequenter non subjacere Metropolitano, vel A. C. Verum contrarium est verius, quoties facti circumstantiæ non probent, quod non sit remissio in forma excitatoria, sed vera delegatio super eo, quod ipse alias ex ordinaria ejus facultate facere non posset, cum similibus effectibus, quibus eadem ratio congruat.

Posito autem, quod agatur de Judice delegato, ex delega-
22 tione particulari (cum delegatio universalis comparative, ut supra, jure ordinariæ potestatis habenda videatur;) Multæ resultant differentiæ, seu effectus, de quibus in toto hoc judiciorum progressu; Et præsertim, ut delegatus pro validitate processus, atque ut citatum contumacem reddat, ac successive ad ulteriora procedere valeat, delegationem ponere debet in actis, eandemque citato denunciare, inserto ejus tenore, dum alias ipsum tanquam privatum, omnique jurisdictione carentem, citatus contemnere potest; Nisi facti circumstantiæ, delegationis notorietatem inexcusabilem probent; Vel nisi agatur de delegato, qui publice, & palam procedat in loco residentiæ Principis, vel alterius superioris delegantis; Quæstione cadente, an præcise requiratur in actis delegatio originalis, vel sufficiat transumptum. *p*

Ac etiam circa strictam, & rigorosam delegationis intelligentiam, seu operationem, tam respectu impeditæ extensionis de casu ad casum, vel de persona ad personam,
quamvis identitas rationis accedat, quam etiam circa mo- 23
dum procedendi, dum (exemplificando in Curia) Judices ordinarii, exceptis diebus in honorem Dei, non subjacent feriis hominum, atque procedunt in quibuscunque diebus, & temporibus, quod facere non possunt delegati, qui in Curia commissarii appellantur, dum non nisi statutis diebus, ac temporibus procedere possunt, quoties in commissiones dispensatio non accedat. *q*

Prout etiam, judex ordinarius propriam sententiam diffinitivam, quæ nullitatis vitio laboret, retractare potest,
& consequenter in causa jam terminata procedere, non ob- 24
stante dispositione legis disponentis, ut Judex posteaquam functus est officio suo, non possit amplius in causa se ingerere, quoniam nullum, & nihil parificantur; Ideoque sententia nulla habetur ad hunc effectum, ac si non esset in rerum natura; Et tamen delegato id denegatur, quoniam, sive bene, sive male processerit, illico delegatio consumpta est, ac expirasse dicitur, ut particulariter inferius habetur. *r* Atque hinc manat conclusio, quam habemus in materia alienationis bonorum Ecclesiæ, vel si-
mili, quod si executor deputatus in litteris expeditis super 25
beneplacito Apostolico, quod vulgo dicitur, *in forma si in evidentem*, male processerit, non potest amplius se ingerere, ac denuo valide facere id, quod invalide gesserat, *f* cum similibus.

Altera quæstio, quæ in persona Judicis cadit, est illa competentiæ, vel incompetentiæ, sive circa exceptionem
declinationis fori; Istaque distinguitur in duplicem spe- 26
ciem; Alia etenim est incompetentia omnimodam, tam actu, quam habitu, adeout neque de consensu sit prorogabilis; Et alia est actu tantum, non autem habitu, adeout explicita, vel implicita prorogatio, quæ ex partium consensu resultat, apta sit sanare defectum.

Prima species exemplificatur in Judice laico respectu Clericorum, aliarumque personarum Ecclesiasticarum, quoniam est incompetentia omnimoda, actu, & habitu, cum
nisi Apostolica dispensatio accedat, partium consensus, vel 27
prorogatio non sufficiat, cum neque volentes Clerici, & Ecclesiastici, laicali foro se subjicere valeant.

Adeout, etiam Episcopis, aliisque Prælatis interdictum sit deputare laicum Vicarium generalem, sive causas ecclesiasticas, vel spirituales indefinite, aut prophanas contra Clericum committere laico; Nisi tamen laici
deputatio, consiliarii, vel assessoris partes potius redoleat, 28
cum non prohibeatur laicus esse in hujusmodi causis assessor, quamvis non possit esse Judex; *u* Et consequenter
etiamsi de consensu Partium procederet, nulliter proce- 29
dere diceretur ex omnimoda carentia jurisdictionis, quam sola prorogatio Partium dare non potest, ubi habitualiter desit. *x*

Idque etiam in ratione compromissi, quoties istud de
jure fiat; Secus autem si de facto, atque in figura amica- 30
bilis compositoris; Dummodo exinde non resultet exercitium jurisdictionale, seu publicum laicalis potestatis, cum Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis. *y*

Et quod dicitur de Clericis, & personis Ecclesiasticis, ut judex laicus sit cum eis regulariter incompetens; In lai-
cis etiam procedit, respectu illarum causarum, quæ sint 31
mere ecclesiasticæ, ac spirituales: Ut (exempli gratia) sunt causæ matrimoniales, vel beneficiales, seu decimales, & similes, Quoties de illarum determinatione, ut juris est, agatur; Secus autem, ubi de iis, quæ concernant nudum factum, super quo, regionum stylis, ac moribus deferendum videtur; In hac tamen parte facti, nullatenus autem in iis, quæ juris sunt.

Adhuc tamen, plures non desunt casus, in quibus lai- 32
ci, se competentes prætendunt, atque de facto procedunt; Puta (ex alibi insinuatis) citando Clericum ad forum suum, tanquam actorem voluntarium in concursu creditorum, vel in alia simili causa; Aut continuando contra eum processum, saltem respectu bonorum, quæ coram eo præventa sint, ante susceptum clericatum; Sive contra possessorem laicum, cui Clericus successerit; Ut etiam contra eundem, qui bona a manu ejusdem laici obtinuerit, cum explicita, vel implicita obligatione restituendi ad ejus mandatum; Vel super redditione rationum administrationis ab ejusdem manibus susceptæ, sive pro aliquorum Tribunalium stylis, ratione reconventionis, cum similibus in jurisdictionali materia deductis; *z* Super quibus tamen certa regula generalis cuicunque casui applicabilis

non

non statuitur, neque statui potest, cum regionum, vel
Tribunalium stylis deferri soleat; Vel quia sic in aliqui-
bus casibus de jure deferendum sit; Vel quia prudentiæ
leges doceant, dissimulari, vel tolerari debere id, quod
de facto practicetur. a

Altera species incompetentiæ est, non omnimoda, ne-
33 que habitualis, sed actualis tantum, unde propterea con-
sensus partium, quoties jus, vel interesse tertii admistum
non sit, jurisdictionis defectum tollere, vel sanare potest;
Puta ubi agatur de Judice ejusdem fori, qui competentiam
habeat in universum, quia sit Prælatus, vel Judex Ecclesia-
sticus in genere, sed non habeat competentiam in specie,
ratione ordinis, quia nempe sit Judex secundæ instantiæ,
qui procedere non potest in causis primæ, neque in illis se
ingerere; Ut (exempli gratia) in Curia habemus de Au-
34 ditore Cameræ, qui extra Curiam, in causis de partibus
nulliter procedit in prima instantia, eo quia est Judex tan-
tum appellationis; b Quoniam si de consensu partium pro-
cedat, acta sustinentur, cum adsit jurisdictio habitualis,
Idemque in Metropolitano, seu Legato, & similibus.

Nisi admixtum sit jus, vel interesse tertii, in cujus
præjudicium talis prorogatio fieri non potest; Puta, juxta
frequentem praxim, quod locorum Ordinarii, respectu
35 fori Ecclesiastici, vel Barones, aliique Magistratus respe-
ctu fori laicalis, pro eorum jure cognitionis causæ in pri-
ma instantia coram ipsis, se opponere possunt, atque re-
missionem causæ petere, non obstante consensu partium.
36 c Idemque in exemptis, qui in præjudicium Sedis Aposto-
licæ, vel alterius, cui subjecti sint, non possunt Ordi-
narii jurisdictioni, ac potestati se subjicere. d

Ubi vero, etiam actualis competentia adesset, ex una
37 illarum causarum, quæ illam tribuunt; Originis, scili-
cet, Domicilii, Delicti, Contractus, vel destinatæ so-
lutionis; Adhuc tamen intrat quæstio majoris competen-
tiæ, quæ ratione præventionis, vel ratione connexionis,
seu continentiæ causæ, aut ratione fori magis privilegia-
ti, alteram competentiam vincat, vel suffocet juxta ca-
suum circumstantias.

Ut puta Judex loci gestæ administrationis, una partium
38 instante, est privativus ad omnes alios Judices, qui com-
petentiam habeant, ratione originis, vel domicilii, aliis-
que inhibet, atque causam ad se trahit, ob majorem com-
petentiam; Ex ea ratione, quod rationes reddi debent in
loco gestæ administrationis, in quo pluribus existentibus
judicibus competentibus; Actoris electio erit, nisi Reus
prævenerit, cum in hac materia ille, qui rationes reddere
tenetur, ac ille, cui reddendæ sunt, correlativi dican-
tur; Adeout etiamsi ille, qui ad rationes reddendas tene-
tur, & cujus favore principaliter ista privativa fori com-
petentia introducta est, ne cogi debeat libros, & ratio-
nes transportare, sive cum majori sumptu, & difficulta-
te parare alibi illas justificationes, quas ibi faciles, ac
promptas habet; Huic favori renunciando, alibi eas red-
dere velit, adhuc exaudiendus non est, eo contradicente,
cui reddi debent; Nisi quoties, non, vel altero id peten-
te, facti circumstantiæ talem redoleant æquitatem, quæ
judicis officio, vel arbitrio locum aperiat. e

Idque adeo verum, ut neque privilegia suffragentur,
etiam clausa in corpore juris super electione, seu variatio-
39 ne fori, ut est illud viduarum, ac pupillorum, aliarumque
similium miserabilium personarum; Vel sit privilegium
particulare, ut est illud, quod *Eugeniana* dicitur, quod
Curialibus concessum est cum similibus:

Eademque majoris competentiæ quæstio inter plures
æque competentes, intrat in plerisque aliis casibus; in
quibus, unus privative ad alios, cognitionem causæ ha-
bere debet, quamvis æqualis competentia accederet ratio-
ne identitatis instantiæ, quia nempe omnes essent ordina-
rii in eadem prima, vel respective in alia ulteriori instan-
tia, adeout non intret instantiarum diversitas, quæ lon-
ge diversam habet rationem, ut infra.

Primo nempe, ubi forus unius, de jure judicetur ma-
gis privilegiatus, quam ille alterius; Ut puta est forus loci
40 delicti, in concursu illorum, originis, & domicilii, A-
deout affectata præventio, quoties nimia negligentia fori
privilegiati non accedat, hanc majorem competentiam
non tollat. g

Secundo, ubi data in omnibus æqualitate, inter foros
41 scilicet, originis, domicilii, loci contractus, & loci de-
stinatæ solutionis, &c. Accederet legitima præventio co-
ram uno, de cujus jurisdictione habetur infra occasione
agendi de litis introductione. h

Tertio, quando ita exigat causæ universalitas, quæ pro-
hibeat de jure, ut coram pluribus judicibus, sive in diversis
foris agi debeat, ut (exempli gratia, pro frequentiori con-
tingentia,) sunt causæ super concursibus creditorum ad
bona, vel ad patrimonium debitoris defecti, ut tunc ille
Judex, coram quo concursus sit introductus, omnes credi-
tores, vel respective debitores trahat ad suum forum, quam-
vis alias esset recusabilis, data (ut dictum est,) competen- 42
tia in genere, cum difficultas cadat, quando omnimoda in-
competentia in genere deficeret, ut quia in Judice laico re-
spectu Clerici, quoties iste sit possessor, seu alias Reus, nisi
invitetur tanquam Actor voluntarius ut supra. i

Quarto in idem, ubi ratio connexionis causæ ita sua-
deat, & ne ejus continentia dividatur, cum tunc ille Ju-
dex, coram quo una causa præventa est, alias quoque ad
se trahat; Unde propterea super hujus connexionis, vel 43
continentiæ verificatione, majores quæstiones cadunt, an
scilicet verificetur illud connexionis requisitum, quod sen-
tentia lata in una causa, parere possit exceptionem rei ju-
dicatæ in altera; Sive quod verificetur alterum requisitum
inconvenientis, ut super uno eodemque puncto, a quo
pariformiter utraque causa pendet, eodem tempore co-
ram diversis judicibus, diversæ, vel contrariæ sententiæ
emanare possint. l

Et quinto ubi adsit jurisdictionum divisio, civilis sci-
licet, & criminalis, eadem vero causa sit utriusque actio-
nis expers, atque de facto contingat, quod utraque ad exer- 44
citium deducatur, ut exempli gratia, pro frequentiori con-
tingentia, habetur in testamentis, ac etiam quandoque
quoad actus inter vivos, in instrumentis, & apocis, quod
scilicet testamentario, vel creditori coram judice civili, hæ-
reditatem, vel debitum petente, successor intestatus, vel
debitor, seu testamento, vel instrumenti falsitate, cri-
minale judicium intentet, cum similibus; Tum etenim,
cum de jure utriusque judicii æqualis concursus sit prohibi-
tus, sed unum silere faciat alterum, vel in totum, quia
una actio alteram perimat, vel ad tempus, ac suspensive,
ut unius exitus expectetur; Hinc proinde quæstiones ca-
dunt, an, & quando Judex civilis inhibeat criminali, vel
e converso criminalis inhibeat civili. m

Idemque in eodem genere judicii civilis, disputari solet
inter causam universalem, & causas particulares, ut sci-
licet pendente judicio universali, silere debeat particulare, 45
ex eadem ratione connexionis, vel præjudicialitatis. n

Procedunt hæc, & similia, data (ut dictum est) coæqua-
li competentia, & instantia, puta quia omnes sint parifor-
miter judices primæ instantiæ; Ubi vero instantiarum di-
versitas accedat, tunc regulariter iste concursus non intrat,
quoniam, tam ex dispositione juris communis, quam cla- 46
rius in foro ecclesiastico ex illa Sacr. Concil. Trid. causæ in
prima instantia cognosci debent per locorum Ordinarios;
Ideoque Metropolitani, seu Legati, vel Nuncii, aliique
appellationum, vel recursuum Judices, etiam in ipsamet
Curia Papæ, hujusmodi causarum cognitionem non ha-
bent; Atque si de facto eam assumant, tunc altera parte
contradicente, vel etiam utraque consentiente, ipsomet
Ordinario, vel alio interessato se opponente, sibi causa
remittenda est. o)

Nisi tales accedant circumstantiæ, quæ hujus regulæ 47
limitationem suadeant, ut (exempli gratia pro frequen-
tiori contingentia) resultat ex superius insinuato pupil-
lorum, & viduarum, aliorumque miserabilium persona- 48
rum privilegio, super electione, vel variatione fori. p
Sive quia partium conventio accedat, eidemque privile-
gium electionis fori tribuat, qualis præsertim obligatio- 49
ni Camerali inesse dicitur, vel consimili pacto, quod in
aliis dictionibus adjici solet, ut scilicet debitor in omni lo-
co, Curia, & Foro, ad creditoris electionem conveniri
possit; Aut quod privilegium Curialium ratione Eugenia-
næ id concedat. q

Contra apprehensos in Curia, prætendi solet, ut ibidem 50
causa, etiam in prima instantia, peragi valeat, quamvis
alias forus incompetens esset, ex ratione, quod Roma
communis patria sit. Id autem ita generice sumptum, æ-
quivoco laborat, cum solum recipiendum sit respectu eo-
rum, cum quibus etiam hodie, ipsa Roma Metropolis fi-
guram gerat, ut in jurisdictionalis materiæ sede adverti- 51
tur. r Et nihilominus cum accedentibus ad visitationem
id practicandum non esse, specialiter statutum est. s

Super Cardinalium causis, quandoque disputari contin-
git, an ille privativus forus Curiæ Papæ, quem Auditor 52
Cameræ exercet, in quo Cardinales conveniendi sunt, ut-
pote eorum favore inductus, cesset, ipsismet recusanti-
bus, ac petentibus juxta generalem juris regulam, remis-
sionem

sionem causæ ad Ordinarium loci in prima instantia; Idque varias habet opiniones, neque adhuc firmiter determinatum videtur. *t*

Idemque privilegium, privative ad Metropolitanos, & Patriarchas, per C. T. & Apostolicas constitutiones Epi-
53 scopis attributum est in illis casibus criminalibus, quæ eorum personas concernant, ut nonnisi per commissionem manu Papæ signatam inquiri valeant. *u*

Eadem item contentio, quæ inter plures Judices, vel foros ejusdem primæ instantiæ, super majori competentia, ut supra cadit, intrat quoque inter plures judices appellationis, quod scilicet, quamvis data eorum pluralitate electio sit appellantis, qui in hac parte Actoris personam gerere videtur, quamvis in reliquis retineat eandem rei personam, quam in prima instantia gerebat; Adhuc ta-
54 men id intelligitur, dummodo serventur gradus, vel media, quæ a jure statuta sunt, ob prohibitam appellationem omisso medio, præterquam Papam, ad quem tanquam Ordinarium Ordinariorum, omisso medio appellari potest. *x*

Quando autem appellatio intret, ut a Judice unius in-
55 stantiæ ad illum alterius causa transitum faciat, habetur infra agendo de materia appellationis. *y*

Altera super idoneo, & competenti judice inspectio est circa ejus recusabilitatem, quando scilicet ille, qui alias per tramites juris competens, ac legitimus esset, prohibeatur, ex juris dispositione tanquam suspectus, in aliqua particulari causa judicare, vel quod recusari valeat;
56 Idque præsertim contingit in Episcopis, aliisque Prælatis, quando agatur de causis eorum Ecclesiæ, vel mensæ; In hoc etenim variæ habentur opiniones, quoniam aliqui simpliciter affirmant, ut censeri debeat ex juris dispositione suspectus, atque incompetens tanquam in causa propria, in qua nemini judicare conceditur, ac propterea quod sententia, & quæcunque acta ex defectu jurisdictionis corruant, quamvis recusatio expressa non accedat; Alii vero e converso credunt illum adeo competentem esse, ut sine legitima causa justificata (ut in judicibus ordinariis requiritur) recusari non valeat, cum proprium, ac privatum interesse non sit, sed principaliter Ecclesiæ; Verum tertia opinio distinguens probabilior est, pro causarum qualitate; Aut etenim agitur de illis causis, in quibus Ecclesia, ejusdem Prælatus quoddam improprium, ac remotum interesse solum habeat, ut (ex. gr.) quando ageretur de statu beneficii, vel alicujus Ecclesiæ, an sit de jurepatronatus, vel liberæ collationis cum similibus, & tunc recte procedat secunda opinio; Aut causa concernit
57 statum, ac interesse principale ipsius Ecclesiæ Cathedralis, ejusque Episcopi, ut sunt causæ jurisdictionales, quas habent Episcopi cum Prælatis inferioribus, super situatione alicujus loci in diœcesi, vel super interpretatione, aut operatione privilegiorum exemptivorum; Aut inter duos Episcopos contendentes de finibus diœcesis; Vel de majori vicinitate alicui loco *nullius* pro jurisdictionibus, & prærogativis, quæ Episcopo viciniori competunt. Sive etiam inter Metropolitanum, & illum, qui prætendatur suffraganeus, cum similibus. Et tunc non sit judex, juxta primam opinionem, cum in effectu sit pars interessata, ac veniat sub nomine Actoris, vel rei.

Aut vero agitur de causis super bonis, vel juribus Ecclesiæ, cum omnimoda pertinentia ad ipsam Ecclesiam absque aliqua participatione Episcopi, vel Prælati, & sic ex-
58 tra illa bona, quæ sint de mensa ipsius, ut in plerisque Ecclesiis contingit, habentibus peculium, seu mensam distinctam a mensa Episcopi, pro fabrica, & ornamentis, aliisque expensis, Et tunc procedat secunda opinio, ut sine causa non intret recusatio; Aut demum agitur de bonis, & juribus pertinentibus ad mensam ipsius Episcopi, vel Prælati; Et tunc sit quidem judex competens, adeo ut non accedente recusatione, recte procedat, atque acta sint valida; Bene tamen possit recusari, quoniam licet principale, ac totale interesse non sit ipsius, sed Ecclesiæ, quæ vere est pars interessata, qualis proprie dicitur illa, cui causæ exitus bonus, vel malus acquisitionem, vel amissionem rei controversæ causat: Attamen admixtum quoque est interesse proprium in fructibus, vel in commoditate; Istudque interesse non est quidem aptum ad tollendam jurisdictionem, ac faciendum, ut dici mereatur pars interessata, quæ judicem agere prohibita est; Bene tamen facit, ut reddatur recusabilis, istamque opinionem sequitur, ac servat Romana Curia. *z*

Dicta vero propositio, ut nemini concedatur judicare in causa propria, (ut superius quoque insinuatum est) limitationem recipit in Papa, & in Regibus, aliisque supremis Principibus, quoniam judicant per Magistratus, & Judices per eos ad id deputatos, unde propterea adest discretio inter Judicem, & partem, cum istam repræsentet
fiscus; Quinimo etiam in Episcopis, aliisque inferioribus 59
datur hæc discretio, in quibus ipsamet Ecclesia, vel mensa sit pars interessata, quoniam OEconomus, vel Promotor fiscalis, partes Actoris, vel Rei gerere dicitur; Unde propterea receptum habetur in materia jurispatronatus, vel in similibus causis etiam solum jurisdictionalibus, vel præeminentialibus, quod sententiæ, aliaque acta, ipsiusmet Episcopi, vel Prælati corruunt, non citato, nec audito Promotore fiscali, cum ita judicii partes essentiales deficere dicantur, super concursu trium personarum, Actoris, Judicis, & Rei. *a*

Et sic, ubi de feudorum devolutionibus, vel caducita-
tibus, aliisque similibus controversiis agatur, in quibus 60
Princeps dici valeat pars collitigans; (quicquid varie desuper teneatur,) magis receptum est, ut coram suis judicibus, & magistratibus fiscalibus, vel aliis ab eo deputatis, causæ cognoscendæ sint: Cum ea etiam specialitate, ut quamvis esset Actor, trahat Reum ad forum suum contra regulam juris, ut Actor forum Rei sequi teneatur. *b*

Bene verum, quod ubi agatur de supremo Principe, ni-
mium raro datur casus, ut fiscus sit actor, quoniam ex 61
quadam consuetudine, fiscus litigare non solet manibus vacuis; Ideoque frequentius Rei, ac possessoris partes gerere solet. *c*

Ac etiam, licet defensor mediatus, vel necessarius*,
qui alicubi author laudatus appellari solet (ut supra quoque 62
advertitur) non declinet forum ex privilegio proprio, cum attendi debeat persona possessoris, ac immediati litigantis; Attamen cessat in fisco, qui etiam ratione mediati interesse, causam ad proprium forum fiscalem trahit. *d*

In reliquis autem concernentibus recusationem judicis,
alias competentis; Alia generalis regula statuenda non vi- 63
detur, nisi illa, quæ resultat a distinctione inter judicem ordinarium, & delegatum; Ac etiam in hoc genere delegati, inter delegatum particularem, & generalem ad universitatem causarum, ut scilicet delegatus particularis etiam sine causæ allegatione, ac probatione recusari valeat re integra, & antequam legitima prorogatio secuta sit. Ordinarius autem, vel delegatus ad universitatem causarum, qui Ordinarii quoque jure in hac parte censetur, nonnisi ex justa causa probata: Verum & in hoc loco-
cum stylis deferendum venit, quoniam in Romana Curia, 64
ex recepto stylo, etiam judices ordinarii re integra, & ante consensum in jurisdictionem sunt recusabiles, nulla probata, quinimo, nec allegata causa.

In casibus vero, in quibus jam consensum fuerit in ju-
risdictionem judicis, quamvis alias recusabilis: Non da- 65
tur amplius recusandi facultas, quoniam declinanda non est illa jurisdictio, quæ semel valide prorogata sit: Nisi nova causa recusationis superveniat; Vel nisi recusatio per non habentem potestatem, seu ex alio defectu, infecta haberi mereatur.

Unde propterea quæstiones, quæ in Curia, & præsertim
in Signatura desuper audiri solent, hunc punctum percu- 66
tiunt, an scilicet, & quando dicatur adesse consensus in jurisdictionem; Et præsertim, an ille resultet ex consueta protestatione, quam causidici adversus primas citationes facere solent, ut nihil fiat in causa, ipsis non citatis; Et quæ in Curia vulgo dicitur, *protestatio nihil fieri, &c.* Atque super hoc stylo in tribunali respective recepto deferendum videtur, cum desuper in jure nil statutum sit.

Nulli autem, vel nimium rari in Curia Romana sunt casus, in quibus qualificati clastici Advocati de hac materia recusationis judicis ratione suspicionis disputent; Bene tamen, ac frequenter de causis declinationis, ratione incompetentiæ, quoniam laudabilis est mos, ut ipsimet judices, quando ratione conjunctionis sanguinis intra gra-
dus per Constitutiones Apostolicas præscriptos (ut in Au- 67
ditoribus Rotæ, & Clericis Cameræ præsertim statutum est,) *f* voluntarie abstineant; Quinimo etiam in casibus dubiis id agunt, ideoque non de facili dantur casus, ut de hoc contendatur; Atque licet in Cardinalibus ob
eminentiam dignitatis non admittatur allegatio suspicio- 68
nis, & præsertim causis vertentibus in Sac. Congregationibus, quæ in forma extrajudiciali potius aguntur; Attamen frequentius, voluntarie, ac libenter abstinent, quamvis nolentes abstinere, repelli non possint; Atque præsertim, quandoque practicari vidi in illis Cardinalibus, qui essent etiam Episcopi, intervenientes in Sac. Congregatione Episcoporum, vel Concilii in causis propriæ Eccle-

siæ

siæ cum aliquo Prælato inferiori, vel cum alio super ju-
risdictione vel præeminentia, aliove jure, quod volen-
tes, intervenerunt. *g*

Super causis autem particularibus conjunctionis sangui-
nis, vel inimicitiæ, sive interesse, &c. ex quibus suspicio,
69 vel recusandi facultas resultet; Certa regula statui non po-
test, cum totum pendeat ex singulorum casuum circumstan-
tiis, ac etiam ex locorum particularibus legibus, vel sty-
lis; De illa vero recusationis causa in Curia agi solet, præ-
70 sertim in Sac. Congr. Episcoporum, quæ resultet a grava-
mine, quod super subdito intulerit, unde propterea ad-
versus superiorem, subditus recursum habuerit ad Papam,
vel ad Sac. Congregationem, aliosque superiores, litemque
cum eo substinuerit; Potissime vero ubi aliqua eidem obje-
cerit, quæ crimen sapiant, cum tunc, ex Sacrorum Ca-
nonum dispositione, generalis exemptio illius subditi con-
cedi soleat, illum committendo alicui Ordinario viciniori,
h Verum, & id neque certam regulam recipit, cuicun-
que casui applicabilem, cum ex Sac. Congregationis, vel
Signaturæ arbitrio, varie pro facti qualitate, id practicari
soleat, dum quandoque subditi, recursus, & querelas in-
debite, & calumniose affectare solent, ut hanc exemptio-
nem obtineant; ideoque merito illa denegare solet, de-
cernendo solum quandoque ut Superior, inconsulta Sacr.
Congregatione ad actus irretractabiles contra illum subdi-
tum non deveniat.

Generaliter autem posita legitima recusatione, ex ea
71 manat effectus nullitatis judicii, & actorum, quæ per ju-
dicem recusatum gesta sint post recusationem; Nisi accedat
recessus ab ea per novum consensum in jurisdictionem, per
quem recessum dicitur a recusatione. *i*

Reassumendo item materiam competentiæ fori, illa
72 competentia, quæ ab origine, vel domicilio resultat, in iis
causis procedit, quæ ipsius personam concernant, vel ea
bona, quæ personam sequantur; secus autem ubi de iis,
quæ in alia Ditione existant, in quibus illa persona mate-
rialis, aliam omnino diversam personam formalem repræ-
sentat, ratione ecclesiasticæ prælaturæ, seu baroniæ, aut
principatus, &c. ut in jurisdictionali sede advertitur. *l*

Plures item in ista materia competentiæ fori quæstiones
cadunt, quas omnes non facile est reassumere, neque (ut
73 initio præmissum est,) meæ sunt partes assumendi forma-
les materiarum tractationes, sed tantum insinuare ea, quæ
in praxi peragere occasio dedit; Alias autem studiosus
perquirat, ut occasio præbebit.

Præsertim vero in Romana Curia quæstiones esse solent
jurisdictionales fori ecclesiastici, quæ duplicis sunt speciei;
Aliæ siquidem sunt circa jurisdictionem, vel competentiam
activam; Et aliæ circa competentiam passivam, idest cir-
ca exemptionem a foro illius, qui alias, exemptione ces-
sante, esset competens.

Quatenus itaque pertinet ad primam speciem jurisdictio-
nis, vel competentiæ activæ; Quæstiones cadere solent
inter plures Prælatos, vel judices ejusdem fori ecclesiasti-
ci, qui sint æque habitualiter hujus jurisdictionis capaces,
ad quem scilicet eorum spectet activa jurisdictio, & cogni-
tio causarum alicujus cleri, & populi in certo loco viven-
tis, vel aliquarum personarum, puta inter Ordinarium lo-
ci, seu diœcesanum, & Prælatum inferiorem, qui aliquam
prælaturam possideat; Atque ubi jurisdictio, pendeat a ter-
ritorio, sive a jure territoriali, quod tribuat competentiam
74 originis, vel domicilii, seu loci delicti, vel contractus,
aut rei sitæ, juxta regularem activæ jurisdictionis naturam;
Et tunc regula assistit Diœcesano, vel Ordinario habenti
causam universalem in eo territorio, ac intra ejus limites,
donec ille, qui contendit ad privativa, vel respective ad
cumulativa, doceat, vel de privilegio Apostolico, vel de
immemorabili super territorio separato, sive de legitima
præscriptione, dum alias fundata est intentio illius, qui
habet juris assistentiam in causa universali, ut in rerum
jurisdictionalium annotationibus latius advertitur. *m*

Si vero jurisdictio prætendatur ab inferiori Prælato,
75 non ratione territorii, sed ratione jurisdictionis in perso-
nis, vel in certo genere causarum; Et tunc id pendet a
privilegio, vel a præscriptione, sive (his positis) a qua-
litate personæ, vel causæ, an scilicet cadat sub ea delega-
tione. Ut præsertim frequenter disputari contingit inter
locorum Ordinarios, & Nuntios, vel Collectores, a-
liosque commissarios, & officiales Apostolicos; Et præ-
76 sertim frequentius cum conservatoribus privilegiorum re-
gularium. *n*

Idemque cum sua proportione contingit in foro sæculari
inter Barones, eorumque officiales, aliosque ordinarios lo-
corum gubernatores, & judices, cum delegatis, & commis-
sariis Principis ad certum genus causarum, vel persona-
rum; Ut contingit in Judicibus particularibus artium, &
collegiorum, vel universitatum, unde intrat quæstio, an
jurisdictio particularis intelligatur data cumulative, vel
privative, atque juxta primam partem est regula. *o*

Quo vero ad aliam speciem jurisdictionis, vel competen-
tiæ passivæ; De ista frequentius agi solet inter locorum
Ordinarios, & exemptos, præsertim regulares, qui sive di- 77
recte, ac immediate, sive per communicationem, genera-
liter ab Ordinariis locorum exempti sunt, eorumque re-
gularibus Prælatis subjecti; Adhuc tamen multi dantur ca-
sus, in regularium, ac jurisdictionalium sedibus recensiti,
in quibus exemptione non obstante, loci Diœcesano, vel
Ordinario, ex ordinaria, vel delegata jurisdictione subja-
cent, ideoque illorum est judex competens non recusabi-
lis; Quasi quod limitationes regulæ generalis exemptivæ,
quandam operentur restitutionem, seu reviviscentiam an-
tiquæ nativæ jurisdictionis, quam generaliter loci Ordina-
rius cum regularibus habebat, eo modo quo in reliquo cle-
ro, & populo *p*; Et ex qua ratione, etiam in casibus non 78
limitatis, in quibus dicta regula generalis exemptiva in-
tret, jus reverentiale eidem Ordinario debetur, illudque
non est denegandum, quoniam adhuc durat. *q*

Inter eosdem Ordinarios, ipsosque diœcesanos non ex-
emptos de sibi commisso clero, & populo, competentiæ
quæstiones in cognitione causarum oriri solent, ratione 79
loci; Quia nempe subditi, non impugnantes superioris
potestatem, prætendant tamen, ejus exercitium ad certum
locum esse restrictum, ipsosque non posse extra proprios
lares trahi; Regulariter autem, injusta, parumque fun-
data est hæc prætensio, quoniam universa diœcesis, uni-
cum constituit territorium, ideoque in qualibet ejus par-
te, Episcopus, vel alter Prælatus jus dicere, ac tribunal
erigere, subditosque evocare potest; Idque adinstar, ces-
santibus legibus, vel stylis particularibus de Præsidibus
provinciarum aliisque laicis magistratibus quoque dicen-
dum est; Nisi itineris asperitas, magnaque loci distantia,
& causarum qualitas, aliæque circumstantiæ suadeant ut
hoc arbitrium congruam moderationem recipere debeat,
pro judicis particularis deputatione in loco. *r*

Cum non subdito quoque jurisdictio in plerisque casibus
acquiritur, & quandoque etiam ad proprium superiorem 80
privative; Puta ratione loci delicti, ut supra advertitur;
Sive ratione turbatæ, vel offensæ jurisdictionis, aut of-
fensarum eorum, cum similibus.

Ac etiam datur casus, ut superior, vel dignior, subdi-
to, vel minus digno subjaceat, ratione Ecclesiæ, vel rei, 81
quam privato jure ibi possideat, cum ibi tanquam privatus
consideretur, licet id obtineat non ex persona propria, sed
ratione prælaturæ.

Cum Clerico in minoribus qui per dimissionem clerica- 82
tus, laicum se declaravit, Ordinarius priorem retinet
competentiam, quando criminis jam patrati ratio suadeat;
Vel quod dimissio legitime, ut decet, facta non sit. *u*

Super competentia judicis laici cum Clericis conjugatis,
cadunt quæstiones cum certis distinctionibus decidendæ, 83
x Sive cum laicis ministris, vel familiaribus Episcopi, vel
Cardinalis *y*, Atque ut supra, quandoque cum Clerico ce-
libi, qui ab ipsius laici manibus aliquid habuerit, vel ra-
tione reconventionis, juxta varios stylos. *y*

Prout etiam cum aliquarum ecclesiasticarum, vel piarum 84
militiarum, vel pii instituti aut societatis possessoribus;
Sive cum illis personis sæcularibus, quæ in aliqua pia, seu
religiosa domo vivant, super quorum competentia, inter
laicos, & ecclesiasticos judices, quæstio est in jurisdictio-
nali materia peracta.

Militaris fori privilegiati quæstiones cadere solent, quan- 85
do scilicet intret privilegium *b*. Sive an hæres non sub-
ditus foro defuncti ligetur *c*. Aut quando rei sitæ forus
absque personali residentia, & apprehensione sufficiat. *d* 86

Atque ubi hæreditas, vel alia bonorum universitas in 87
diversis territoriis bona, vel membra habeat, majoris 88
competentiæ quæstiones cadunt super delatione hæredita-
tis, vel fideicommissi, aut legatorum inter plures con-
tendentes. *e*

De privilegio superius insinuato electionis, ac variatio-
nis fori, quod per legem conceditur viduis, ac pupillis, 89
aliisque miserabilibus personis, *f* non multum frequenter
in gravibus causis civilibus prophanis, vel Ecclesiasticis
in Curia agi solet, cum in causis criminalibus frequentius
de illo disputari contingat; Experientia vero me docuit
quod illud, calumniarum, ac subterfugiorum potius
fomen-

fomentum sit, ac instantiæ præjudiciale; Illudque de facili certam non recipit regulam, cum pro tribunalium, ac ditionum stylis, diversa esse soleat praxis; Occasione
90 autem alicujus causæ criminalis civiliter super expensarum refectione, disputare occasio dedit, an scilicet privilegiatus ad eam teneatur, quando fori electio postmodum illud variat. *g*

Causarum beneficialium non omnes Romanæ Curiæ
91 judices, quamvis Ordinarii cognitionem habent, illorum etenim beneficiorum, quæ summam viginti quatuor ducatorum valorem excedant, causæ Rotæ committuntur; Aliorum vero, quæ dictam summam non excedant, Prælatis per speciales commissiones committuntur; Ideoque licet A. C. causarum fori ecclesiastici cognitionem quoque habeat, atque sit literarum Apostolicarum generalis executor, & præsertim causæ pensionum ecclesiasticarum coram eo agi soleant; At etiam illæ, quæ concernunt Apostolicarum literarum executionem pro ipsorum beneficio-
92 rum possessione assequenda; In causis tamen vere beneficialibus, quæ dicuntur tales, ubi de titulo beneficii sit quæstio, non est competens, neque jurisdictionem habet; adeoque nulliter procedere dicatur; *b* Ac etiam in causis matrimonialibus earum jurisdictio, vel competentia dubia est.

Non solet autem Romana Curia practicare, ut judices,
93 coram quibus de fori declinatoria opponitur, se ipsos positive competentes cum decreto declarent, sed implicite id agunt per processum ad ulteriora; denegando moderationem inhibitionis per eos alias concessæ, vel eam reintegrando, si alias moderata fuerit cum decreto remissionis causæ ad alium; Ideoque tribunal Signaturæ hujusmodi quæstiones frequentius disputat, ac decidit.

De aliis autem, quæ Judicis, vel fori competentiam concernunt inferius de singulis Judiciis agendo, inciden-
94 ter agi contingit; & præsertim, ubi diversitas judicii non variet judicem, vel forum, puta quia licet causa possessorii, diversa sit a causa petitorii, adhuc tamen idem est forus, vel judex, qui non diversificatur, cum similibus.

Item in ista materia jurisdictionis, habitualis potius, quam actualis, super potestate creandi judices, & magi-
95 stratus, & gratiandi de delictis, & an jurisdictio sit feudalis, vel allodialis sub feudorum, ac Regalium sedibus aliqua insinuantur; Verum id hanc materiam non percutit, in qua de Judice tertiam personam efformante, quæ in judicio necessaria est, agitur; Et de aliquibus ad materiam recusationis ex capite suspicionis habetur, discursu sequenti agendo de assessore.

96 Atque in eodem, disc. seqq. habetur, quando judex dicatur literatus; Et an judicare possit sine Assessore; Ac etiam quomodo votum Assessoris sequi debeat.

a *in praxi, vel specul.* & Valasc. *in suo tract. de judice perfecto.*
b *De pluribus Prælatorum, & Superiorum specieb. lib. 3. de jurisd. disc. 1. cum plur. seqq. lib. 14. in Miscell. Eccl. disc. 1.* c *De ista comparatione, lib. 3. tit. de præmin. disc. 26.* d *Tit. de jurisd. disc. 22. & seqq.*
e *lib. 4. tit. Miscell. Eccles. disc. 1. & in ann. ad Conc. Trid.*
f *De præem. disc. 20.* g *Tit. de jurisd. disc. 77. 79. & 81.*
h *Infra in relatione Curiæ, agendo de Curiæ Tribunalibus.*
i *Ibidem agendo de Sacris Congregationibus.*
l *lib. 14. tit. Miscell. Eccl. disc. 2. & in ann. ad Conc. Trid.*
m *de ista quæstione, an Ordinarius per commissionem fiat delegatus*, apud Bich. *dec. 79. n. final.* Barbos. *de potestate Episcopi, alleg. 92.*
m Mant. *dec.* 114. Greg. & Add. *decis.* 150. *& sæpius insinuatur* o *infr. in eo discursu, in quo de sportulis, & propinis agitur.*
p *de his*, Anna & Add. *alleg.* Macant. *in prax. p. 3. distin.* 16. Gram. *cons. civ.* 24. Rot. *dec.* 143. *p. 2. rec. dec.* 264. 265. *p. 7. rec.* q Capucc. *in praxi, part. 2. cap. 3. n. 62.* Bucca *de stylo A. C. cap* 30. *§. cum itaque.*
r Vant. *de nullit. cap. 3. n.* 9. Scaccia *de appell. q. 19. rem. 1. concl. 6. ex n. 73.* Merlin. *decis.* 135. *& tit. de alien. & contract. prohib. disc. 1.* s *proxime supra.*
t *lib. 14. tit. Miscell. disc. 2. & passim.*
u Barbos. *de Episc. alleg.* 54. Pellegr. *de Vicario in princ. n. 4.* x Add. ad Greg. *decis.* 118. Rovit. *pragm. 2. de jurisdict. invicem non turban.*
y *sub tit. de jurisdict. disc. 7.* z *tit. de jurisdict. disc. 58. & seqq. & 94.* a *d. disc. 58. & seqq. & 94.*
b *decis. 49. & 54.* apud Posth. *de subhast. dec. 150. part. 3. rec. tom. 2. 181. n. 14. p. 10.* c Rovit. *super pragm. 1. de jurisdict. invoc. non turban.* Prat. *observ.* 2.
d *decis. 456. & 461. p. 5. rec.* Greg. *dec.* 325. Cels. *decis. 17. & 25.* e *tit. de jurisd. disc. 73.* f *eod. disc. 73.*
g *eod. tit. de jurisd. disc. 57.* h *disc. 7.*
i *disc. 58. 60. & 63. & 94. & in aliis, sub tit. de jurisd. & Miscell. Eccl. lib. 14. disc. 1. & 2.*
l *disc. 74. & 76. eod. tit. de jurisd.*
m *eod. tit. de jurisd. disc. 77. 79. & 81.*
n Buratt. *dec. 257. n. 2. & 434. n. 8. & 14. cum declaratione, de qua dec. 31. n. 1. & 2. p. 5. rec.* o *de jurisd. disc. 78. & sæpius, & lib. 14. in ann. ad Concil. Trid. disc. 33.*
p *eod. tit. de jurisd. disc. 72. & 80.* q *eod. tit. de jurisd. disc. 71. & 73.* r *eod. disc. 89.*
s *eod. disc. 89.* t *eod. tit. disc. 80.*
u *lib. 14. Miscell. Eccles. disc. 1. & in ann. ad Sac. Conc. Trid.* x *lib. 14. disc. 1. & in annot. ad Concil. Trid. & de jurisd. disc. 69. & 72.*
y *Infra in eod. disc. in quo agitur de appell.*
z *de jurisd. disc. 47. & 48.*
a *sub tit. de jurepatr. disc. 57. & 58. & sæpius.*
b *sub tit. de feud. disc. 1. 2. 3. 4. & seqq. & 56.*
c *locis proxime citatis.* d *ibidem, & alibi sæpius.*
e Greg. & Add. *dec.* 292. Cels. *dec. 110. num. 11.* Otthob. *dec. 245. n. 6.* f *in Constitutionibus Pii IV. & Pauli V. super reformatione tribunalium.* g *ita contingit præsertim in casu, de quo sub tit. de jurisd. dis. 4.*
h Ad text. *in cap. ad hæc primo, de appell. & c. proposuit, eod.* Aret. *con. 29. num. 25.* Capyc. *decis.* 147. ubi late Mascull. in Add. ad Sanfelic. *dec.* 86.
i apud Buratt. *decis.* 388. apud Cels. *dec. 110. & 118. & seqq. & alibi.* l *sub tit. de jurisd. disc. 90.*
m *sub tit. de jurisd. disc. 1. cum plurib. seqq.*
n *sub tit. de jurisd. disc. 49. & de Regular. disc. 51. & 52.*
o *dict. tit. de jurisd. disc. 85.*
p *d. tit. de jurisd. disc. 1. & seqq. & disc. 28. cum plur. seqq.*
q *eod. tit. de jurisd. disc. 31. & 35.*
r *eod. tit. de jurisd. disc. 22. cum seqq.*
s *eod. tit. de jurisd. disc. 57.* t *eod. tit. disc. 21.*
u *eod. tit. de jurisd. disc. 55.* x *eod. tit. disc. 55.*
y *eod. tit. disc. 67.* z *eod. tit. disc. 58. & 94.*
a *eod. tit. disc. 92. & de Regular. disc. 50.* b *eod. tit. disc. 78.*
c *disc. 75. & 86. eod. tit. de jurid.* d *eod. disc. 75. & 86.*
e *eod. tit. disc. 87.* f *eod. tit. disc. 67. 72. & 80.*
g *infra in eod. disc. in quo agitur de expensarum refectione.*
h *eod. tit. de jurisd. disc. 84. & in ejus supplemento.*

S U M M A R I U M.

1 *DE competentia Judicis, & damnatur in curia eorum multiplicitas.*
2 *Quales debeant esse partes Judicis.*
3 *Recusatio Judicum quando, & de quo tempore fieri valeat.*
4 *Et de monitione ad dandum listam confidentium, & diffidentium.*

ANNOT. AD DISC. III.

AGitur in hoc discursu de Judice, quando sit competens, 1
necne, & quoniam in Curia Romana ob nimiam, forteque monstruosam, & irregularem multiplicitatem judicum, & tribunalium nimium frequentes, & quotidianæ sunt quæstiones competentiæ fori, & an causæ ad unum, vel alterum pertineant judicem, quod ut plurimum calumniose affectari solet pro subterfugio ad protrahendum cum hujusmodi disputationibus causas in longum, & defatigandum collitigantem, & idcirco postquam ratione muneris Auditoris Papæ ad me pertinuit de hujusmodi controversiis cognoscere, non quidem animo, & intentione præjudicandi aliquo modo Judicibus, & Tribunalibus præsertim particularibus privilegiatis, sed ad etuendam veritatem, atque occurrendum hujusmodi calumniis pro justitiæ cursu, rectaque administratione particularem, atque præter stylum prolixum desuper edidi discursum, qui habetur infra *in hoc eod. tit. disc.* 47. ubi videndum est.

Quales vero debeant esse partes Judicis, & quomodo iste 2
in ejus munere exercendo se gerere debeat, habetur actum in *rel. Cur. disc.* 32. occasione agendi de Auditoribus Rotæ, ubi idea boni Judicis efformatur; Non quidem, ut illa theorica sit de facili practicabilis, sed ut cum illis admonitionibus minuatur malum; Ac etiam de hoc agitur *in opusc. de stylo legali* italici idiomatis.

Circa vero Judicum recusationes ex capite suspicionis,
ibidem enunciatus Romanæ Curiæ stylus esse solet frequenter calumniarum, ac subterfugiorum fomentum, quoniam 3
callidi litigantes, vel causidici disputare solent, etiam per

menses

mensea, forteque annos coram uno Judice, nullum tamen faciendo actum judicialem, ad hoc, ut illum jam instructum motivantem contra eos, valeant etiam in hoc statu recusare, ideoque me proponente per Congregationem reformationis decretum fuit, quod postquam unica disputatio in contradictorio super meritis, non autem super aliqua exceptione declinatoria habita fuit: Multo vero magis si pluries disputatum esset, non debeat esse licitum facere hanc recusationem, quamvis de consensu in actis non appareret.

Practicare quoque consuevi id, quod de jure dispositum
4 esse advertitur *in hoc eod. disc. vel in seqq.* non attendendi, sed negligendi recusationes nimium generales Prælatorum in lista diffidentium dari solita, ob suspicionem, imo claram probationem calumniæ, ut præsertim expertus sum in quadam causa, in qua ex rescripto Signaturæ gratiæ committenda erat causa appellationis A. C. procedentis cum voto duorum Locumtenentium, tribus aliis Prælatis, quod una Parti non dedit in lista 42. & altera 44. Prælatos diffidentes, adeout detractis dictis tribus, qui judicaverant, & aliis qui ob eorum munera deputari non solent, non adessent Prælati, quibus commissio dirigenda esset.

Proutetiam eorum cepisti stylum monendi Partes ad dandum listam confidentium, & diffidentium, quoniam deputari non debent in Judices illi, qui a partibus reputentur confidentes, sed eligendi sunt ex officio illi, ad quos partes non cogitent, ideoque monitio solum facienda est pro lista diffidentium ad effectum occurrendi præfatæ calumniæ, ut pariter in discursu advertitur.

De Accessore, seu Consultore.

S U M M A R I U M.

1 *De assessore, & aliis qui ad integritatem judicii requiruntur.*
2 *Imperitus potest esse judex.*
3 *Quæ sint partes judicis.*
4 *Tenetur tamen imperitus habere assessorem.*
5 *De vocabulis cum quibus assessor explicari solet.*
6 *Duæ sunt species assessoris, necessarii, & voluntarii,*
7 *Assessor necessarius, & fixus non potest recusari sine causa, ut potest alter.*
8 *An possit quis esse assessor vel judex in patria?*
9 *Datur etiam assessor, vel consultor judici perito, & quando dantur exempla.*
10 *An judex teneatur sequi votum, seu consilium assessoris?*
11 *De eodem ut judex debeat proferre sententiam juxta votum, quod declaratur.*
12 *An in deputatione assessoris sequatur partium citatio, distinguitur.*
13 *De recusatione assessorum & judicum in Curia etiam sine causa.*
14 *De eodem de quo n. 9. ut etiam judici literato detur assessor.*
15 *Quando non admittatur assessorum, vel judicum recusatio.*
16 *De recusatione peritorum in arte.*
17 *De cautela ut occurratur calumniis circa recusationem.*
18 *An sit necessaria citatio partium ad informandum assessorem?*
19 *An a voto assessoris liceat appellare?*
20 *Quomodo in Curia tradantur vota.*
21 *An culpa in judicando sit judicis, vel assessoris?*
22 *Quis dicatur literatus, vel illiteratus.*
23 *De doctoratu necessaria, ut dicatur literatus, & qualis species requiratur,*
24 *Judex synodalis dicitur idoneus.*
25 *Deputato uno consultore non deputatur alter.*
26 *De obligatione assessoris quod infra certum tempus debeat proferre votum.*

D I S C. IV.

1 Quamvis essentiales partes judicii consistant in tribus jam enunciatis præcise necessariis personis, Actoris, Rei, & Judicis, sine quibus non datur judicium validum, ac perfectum, Adhuc tamen: Vel ea Judicis qualitate: Vel ex communi usu: Aliæ personæ, si non essentiales, saltim integrales ad judicium perfecte concludendum interveniunt, utpote de judicii appendiciis reputari solitæ: Ut sunt Assessor, Notarius; Et Procurator cujuslibet partis: Seu Auctor, vel Curator, aut alter defensor pro qualitate personæ.

2 Quatenus itaque pertinet ad Assessorem, cum de jure non prohibeatur legum imperitus magistratum gerere, atque judicis munus obtinere, *a* incongruum tamen sit, ut imperito non bene per tramites juris discernenti justum ab injusto, judicandi facultas tribuatur, cum in hoc judicis partes consistant, gerendi scilicet ministerium justitiæ præcipientis, ut unicuique, quod suum est, tribuatur, idque sine legum peritia, non bene practicari valeat.

Hinc proinde provisum est, ut idem judex in hoc sibi assumat adjutorem, cui legaliter, ac juridice, Assessoris 3
vocabulum, seu nomen tribuitur, quamvis pro variis stylis alia diversa vocabula sibi tribuantur; Puta, Consultoris, vel Auditoris, vel Consiliarii, sive etiam, Judicis, ex eo quod Magistratui, Gubernatoris, vel Correctoris, seu Præsidis nomen congruat; vis etenim non est in verbis, vel 4
in vocabulis, sed in substantia, ut scilicet imperitus Judex, vel Magistratus, illam habitualem judicandi facultatem, quam officii ratione obtinet, ad exercitium non deducat, nisi cum judicio periti, quodque alias nulliter procedat, etiam ex dispositione juris communis; Et ultra quam, fere 5
ubique, præsertim vero in Regno Neapolitano, per leges particulares, ad omnes quæstiones dirimendas ita expresse cautum est, sub decreto annullativo. *b*

Duæ autem sunt hujusmodi assessorum species, una scilicet eorum, qui necessarii sunt ut puta in officium deputa- 6
ri ab eodem Principe, vel altero majori Magistratu, ad quem Judicem quoque, seu principalem officialem deputare pertinet, ut ex. gr. est in Urbe Assessor Ædilium, qui vulgo magistri viarum nuncupantur ac ille, Agriculturæ, & alter Assessor Camerarii Riparum & in dicto Regno Neapolitano sunt Assessores trium Judicum, trium antianarum fabricæ S. Petri, ac etiam in eodem Regno sunt illi Assessores ordinarii, qui vulgo Judices appellantur, deputari soliti in illis Civitatibus, vel locis, in quibus officium Gubernatoris alicui militi, seu alias legum imperito conferri solet, & altera species est Assessoris particularis, ac voluntarii, qui per ipsummet judicem, seu Magistratum, in ejus petitum, & consiliarium adhibeatur.

Notabilis autem differentia est inter has species, Ubie- 7
nim de prima specie agitur, non intrat regula, quæ locum habet in altera specie, quod scilicet Assessor absque justæ causæ allegatione, ac justificatione, suspectus allegari possit, *c* cum iste quandam speciem habeat judicis ordinarii deputati a Principe, vel a Barone, seu ab alio potestatem habente; Ac etiam, quia istius deputatio particularis in singulis causis necessaria non est, & de consequenti non intrat quæstio, de qua infra, an scilicet partium citatio in ejus deputatione præcise necessaria sit.

Et e converso, in illis locis, in quibus, vel ex dispositione, seu intentione juris communis, vel ex legibus, aut 8
stylis particularibus, prohibentur cives in propria patria esse Judices, vel Assessores. *d* Quod equidem nimium laudabile videtur, atque in omnibus Magistratibus, etiam majoribus generaliter demandari deberet, non quidem ut inhabiles censendi sint illi, quibus natura magnum concessit beneficium habendi naturales in metropolitica Civitate, in qua Principes, ejusque Tribunalium residentia est, sed ut a concivium causis judicandis abstineant, atque in eis generaliter suspecti reputentur; Attamen id non procedit in altera specie singularis, vel accidentalis Assessoris, qui per Judicem assumat.

Datur tamen etiam in hac specie Assessoris particularis, 9
eadem qualitas, quæ in prima specie Assessoris generalis concurrit, quod scilicet non sit voluntarius, sed necessarius, quia nempe ab eodem Principe, vel ab alio majori Magistratu, ad quem pertinet, Judici non solum imperito, sed etiam perito, ac habili ad judicandum per se ipsum, injungantur, ut alterius votum adhibere debeat, juxta Romanæ Curiæ praxim committendi causam uni, qui in ea judicare debeat cum voto, vel de voto alterius: sive etiam alicui Judici ordinario id injungitur, ut frequens praxis docet, præsertim in Tribunali A. C. quod eidem rescribi solet, ut procedat cum voto, vel de voto suorum duorum Locumtenentium civilium: sive eidem, vel alicui ex locumtenentibus, coram quo causa introducta sit, & quandoque etiam instructa, ut procedat cum voto, vel de voto Rotæ, sive aliquorum Prælatorum, qui sibi dentur tanquam adjuncti, cum similibus. *e*

Istoque casu intrat quæstio, an Judex teneatur sequi 10
consilium, seu votum, & in qua aliqui procedere solent cum ea traditione Doctorum, quæ habetur in altera quæstione generaliter acta, ac frequenter insinuata in plerisque materiis *f*. An scilicet ille, qui alterius consilium petere, ac adhibere tenetur, illud pernecesse sequi teneatur, vel potius petiisse sufficiat? In hoc autem regula est negati-

tiva.

va. Verum in Curia per ora practicorum quædam volitat distinctio, quæ a forma rescripti pendet, an scilicet injungatur, ut procedi debeat de, vel cum voto, ut primo casu, in quo dictio, *de* adhibeatur, votum pernecesse sequendum sit, quamvis ipse Judex in legibus peritus in contraria sententia sit, ut in Rota frequens, & quotidiana praxis docet ex insinuatis in relatione Curiæ occasione agendi de Rotæ Auditorio; In altero autem casu in quo accedat dictio, *cum*, id voluntarium sit, atque possit Judex, neglecto voto diversimode judicare.

11 Pro diuturno autem cursu meæ forensis vitæ in Curia, nunquam occasio præbuit id formiter disputare, minusque ab aliis disputatum, ac judicatum videre, cum sive uno, sive altero modo, rescriptum conceptum sit, judicia, præter voti formam preferri non soleant, præterquam in iis, quæ virtualiter inesse insint, unde sententia lata per Judicem clarius explicet id, quod in voto quamvis necessario, inesse inferatur, ut quandoque in facti contingentia per Rotam decisum fuit occasione sententiæ latæ per A.C. procedentis de voto ejusdem Rotæ. [g]

12 In casu itaque particularis Assessoris per ipsummet Judicem deputandi, quæstio cadit, an in hujusmodi deputatione, partium citatio requiratur, adeout actus alias nullus remaneat, cum omnibus inde secutis; Atque licet aliqua opinionum varietas dignoscatur: Ea tamen vera, magisque recepta distinctio est, an agatur de judice illiterato, qui pernecesse Assessorem habere debet; Sive etiam de literato, & habili, cui ad formam commissionis, vel ratione statuti, aut alterius legis, vel styli eadem necessitas incumbat, unde propterea sit Assessor necessarius, ac vere judicialis: Et tunc requiratur partium citatio, ne contingat deputari personam uni earum diffidentem, dum in hujusmodi particularibus Assessoribus, etiam ex dispositione juris communis ubique servanda, multo vero magis in Curia, ex recepto stylo, recusatio fieri potest etiam sine causæ allegatione, vel probatione ut supra; Secus autem ubi de illo judice agatur, qui literatus, & habilis ad judicandum per seipsum, absque alio Assessore, vel con-
13 sultore, in forma extrajudiciali, pro ejus majori satisfactione, ac instructione, illum voluntarie sibi assumat, cum tunc nulla requiratur citatio, dum non est actus qui percutiat judicium; Ut frequens, & quotidiana praxis Curiæ docet in plerisque Cardinalibus, ac Prælatis, qui licet sint habiles per se ipsos ad judicandum, attamen alicujus Advocati, vel Procuratoris, sive proprii Auditoris, vel alterius Prælati, consilium pro veritate, seu votum exquirunt, cum id extraneum sit ab actis judicialibus; Et consequenter nulla cadit citationis necessitas, quinimo frequenter talis Consultor, vel Auditor, Partibus ignotus est. [h]

Ille siquidem dicitur Assessor, vel Consultor publicus,
14 ac necessarius, qui in parte judicii adest, ut praxis Curiæ docet in foro Capitolino, ubi non solum Senator, qui non sit juris professor, seu etiam primus, vel secundus Collateralis, vel Capitaneus appellationum, procedunt cum voto consultoris, formiter deputati, qualis esse solet aliquis Prælatus, vel Advocatus; Et licet in deputatione, quandoque non soleant partes citari; Attamen id nullius præjudicii reputatur, ob liberam facultatem illum recusandi solo verbo, ad libitum voluntatis, etiam sine causa. [i]

15 Unde propterea, quando collitigans studiose plures recuset, ut ita causam in longum protrahat, ut puta ultra tres; Sive quod, ut huic calumniæ occurratur, adhibeatur cautela citandi ab initio Partes ad dandam listam hinc inde confidentium, & diffidentium, ut ita eligatur unus ex eis, qui per utranque inter confidentes positus sit, sive qui licet non existens inter confidentes, non tamen sit inter diffidentes; Tunc, uno, vel altero casu, admitti non debet recusatio sine legitima causa, cum alias calumniam redoleat etiam ex dispositione, vel intentione juris communis; Hinc apud DD. receptum est, quod quamvis Assessor sit recusabilis absque causa; Attamen si recusatio sit nimium generalis, puta de omnibus Doctoribus loci in quo existant plures in numero competenti, unde propterea omnium suspicio, vel diffidentia sit inverisimilis, tunc reputetur calumniosa, quoties causa non sit talis, quæ in omnes influat; Puta quia sit cum Communitate loci, unde propterea omnes dici valeant interessati, saltem ob interesse affectionis, cum similibus. [l]

16 Idemque a simili procedit, ac servatur in electione peritorum in aliqua arte, vel professione, dum, & isti speciem Assessoris, vel Consultoris habere videntur, in ea re, in qua Judex sit imperitus. [m]

17 Ac etiam, stante stylo Curiæ enunciato discursu præcedenti, recusandi pro libito omnes Judices, etiam ordinarios; Quando in locum Judicis ordinarii recusati aliquem Prælatum deputare oportet, tunc ista cautela monendi partes ad dandum listam confidentium, & diffidentium adhibere solet.

18 Cum autem officium Assessoris sit consulere, & non judicare; Hinc plerique putant nullam subesse necessitatem citandi coram eo partem interessatam ad ipsum informandum, suaque jura cum Advocatis, & Procuratoribus deducendum. Contrarium autem in praxim receptum est, ac probabiliter quidem, quoties de Assessore publico, ac judiciali, ut supra agatur, cum tunc, spectato effectu, ille potius dicatur Judex, dum ille qui vere Judicis partes gerit, quandam cærimoniam authoritativam cum ejus sententia, vel decreto adhibere videtur, in omnibus autem judicat ad formam voti. Ideoque dicta conclusio intelligenda est de altera specie Assessoris, qui per Judicem literatum, ac ideoneum extra formam judicii, ut supra, in ejus adjutorium, ac majorem instructionem voluntarie assumatur. [n]

19 Adeoque partes Judicis de facto Assessor gerere dicitur, quando est necessarius, ut aliquorum opinio sit, quod ab Assessoris voto appellari possit, etiam ante sententiæ prolationem; id autem receptum non est, quoniam quando imprudenter voti publicatio ante sententiam sequatur, occurri potest juxta varios stylos, ut alter consultor assumatur. [o] Unde propterea in praxi servatur in Curia, quod hujusmodi vota particularia dentur clausa, & sigillata, non aperienda nisi in actu prolationis sententiæ prævia citatione particulari ad eam, adeout citatio coram Assessore ad videndum proferri votum, non sufficiat; Præterquam ubi
20 agatur de voto, quod tradatur per Rotam, dum illud non traditur, nisi præviis decisionibus publice editis; Sive etiam per aliud Tribunal collegiatum, quod ejus resolutiones publicet, quamvis decisiones desuper non edantur, ut (ex: gr:) est Tribunal Cameræ, de cujus voto, quandoque Præses viarum, vel alter particularis Magistratus, ex ejusdem Cameræ Clericis procedere solet, ut in relatione Curiæ agendo de his tribunalibus advertitur. [p]

21 Ea vero differentia est, inter Judicem illiteratum sibi assumentem Assessorem de necessitate, vel etiam literatum, cui eadem incumbat necessitas; Et literatum, qui illum voluntarie ad suam satisfactionem assumat; Ut primo casu Judex de aliqua culpa non teneatur, sed tota sit Assessoris; Secus autem in altero. [q]

22 Quando vero Judex literatus, vel illiteratus dici debeat; Hodie ex recepto usu ob inconvenientia, quæ alias resultarent, pendet a qualitate doctoratus in utroque jure civili, & canonico, vel etiam in uno eorum pro causæ qualitate; Si enim agatur de Judice temporali, seu laico, qui temporalem, seu prophanam causam sit judicaturus, tunc sufficit doctoratus in jure civili; e converso autem si de Judice ecclesiastico, sufficiat doctoratus in Decretis, hoc est in jure canonico: Bene verum quod raro, & forte unquam dignoscitur hæc differentia in aliquibus Studiis Italiæ, in quibus doctoratus redactus videtur ad quandam cærimoniam, ista vero differentia practicari solet in Hispania, ubi cum magna solemnitate ac rigore iste gradus confertur, cum hac distinctione, unde propterea ad hunc, & similes effectus licentiatura ibi successit loco illius doctoratus, quem in Italia habemus. [r]

23 Et quamvis ob facilitatem assequendi istum gradum, frequens praxis doceat adesse Doctores, qui legum, & canonum omnino ignari sint, imo neque linguam latinam bene calleant: Adeout pluries practicaverim quod magis habiles, ac idonei ad judicandum sint illi Judices, qui ob carentiam hujus gradus illiterati de jure censentur, quam sint illi Doctores, qui eis deputantur in Assessores, vel Consultores; Attamen, ut regula generalis desuper statuatur, id metiendum est ex frequentiori contingentia, ad evitanda inconvenientia, quæ resultarent ab inquisitione singularis literaturæ: Ideoque ex hac distinctione gradus decisio pendet, cum pro gradu stet præsumptio; Dummodo tamen a publica Universitate, vel Collegio, non autem ex singulari privilegio sit collatus. [s]

24 Verum sufficere, ut quis sit deputatus judex synodalis, firmavit quandoque Rota, cum tunc præsumptio stet pro idoneitate. [t]

25 Postquam vero unus est deputatus in Assessorem necessarium, non potest judex alium sibi assumere, & præsertim si fuerit electus unus ex Auditoribus Rotæ, atque alias sententia est nulla, ut quandoque Rota censuit. [a]

Et

Et de obligatione Assessoris expediendi causam infra certum tempus ad formam Statutorum Urbis, ac etiam Constitutionum Apostolicarum super reformatione Tribunalium Urbis, agitur in eisdem mox allegatis decisionibus. *x*

a *Certi juris, C. de judic. cum ibi notat.*

b *C. statutum, §. assessorem, de rescript. in 6.* Mantic. *dec. 5. n. fin.* Rovit. *super pragm. 1. de offic. n. 8.*

c ex collect. per Barbos. *in cap. postremo, n. 14. de appell.* Fab. de Ann. in Add. *ad singular. 489. Anna sen.*

d Franch. & Add. *dec. 98.* Follet. *in const. Regni Justitiarii per Provincias.*

e *de hac specie deputationis,* apud Coc. *dec. 1701. & 1758.* & infra allegan. Romana primogenituræ de Bubalo.

f Apud Coccin. *d. dec. 1701. & 1758.* & de generali conclusione, an consilium sit sequendum, Sanch. *de matrim. lib. 1. disp. 34. n. 24. & seqq.* Buratt. & Add. *dec. 29. n. 16. & habetur sub tit. de Regular. disc. 8.*

g *ita aliis relatis firmatur in Romana primogenitura de Bubalo* 23. *Januarii* 1672. cor. Emerix.

h Mant. *dec. 5. n. 4. & seqq.* lex deduct. per Cyriac. *contr. 373. in fin.* in Cyriac. *ib.* in Mant. *dec. 5.*

n *an a voto detur appellatio,* agitur in Sarsin. feudi 3. Julii 1641. cor. Pirov. *ubi negative, quia non est sententia.*

p *infr. in secunda parte agendo in relatione Curiæ de Tribunalibus Cameræ, & Capitolii, & aliis.*

q Dec. *cons. 80.* Jo. Ant. de Nigr. *in cap. Regni 43. & 147.*

r *in annot. ad S. C. T. disc. 31.* s *ad C. T. ubi sup. & sub tit. de praem. disc. 35. ubi de gradu Doctoratus.*

t Mant. *dec. 5. in fine.* u apud Coccin. *dec. 1701. & dec. 1758.* x apud Coce. *ubi supr.*

S U M M A R I U M.

1 *DE Assessoribus, & Consiliariis, & quando Judex istorum votum sequi teneatur.*

2 *Rejicitur distinctio inter dictionem* cum, *& alteram* de.

3 *Pontifex, Rex, vel alter Princeps supremus non tenetur sequi consilium Cardinalium, Procerum, & Magnatum, neque Episcopus, vel alter Prælatus illud Capituli.*

4 *Secus autem Judices inferiores, qui in judicialibus aliorum consilium sequi tenentur, ubi de A. C. procedente de voto Locumtenentium.*

ANNOTAT. AD DISC. IV.

1 DE Assessoribus, & Consiliariis agitur in hoc discursu, super cujus materia cadere præsertim solet quæstio ibidem insinuata; An, & quando Judex votum Assessoris, vel Consultoris teneatur sequi; Super quo superficiales Pragmatici procedere solent cum distinctione in discursu
2 pariter deducta; An judici injunctum sit, ut procedere debeat cum, vel de voto alterius, quasi quod ubi adsit dictio, *de*, pernecesse teneatur sequi consilium, seu votum, atque alias gesta sint invalida, secus vero, ubi adsit dictio, *cum*, ut tunc sequi non teneatur, ibidemque advertitur istam videri distinctionem idealem, forte unquam in judicialibus practicatam, & merito, ac propterea inter legales ineptias id recensetur in *conflictu legis, & rationis in hoc tit. part. 3. post tit. de succession. sub hoc eod. tit. de Judic.* Tunc etenim ille, cui injunctum est, ut cum voto, seu consilio alterius procedat, sive illud exquirat, non tenetur illud sequi, quando id a lege, vel a consuetudine generaliter disponitur ex quadam ratione congruentiæ, & honestatis pro meliori administratione, ac regimine Principatus, vel
3 Prælaturæ in forma extrajudiciali, & in concernentibus politicum, vel civile gubernium, puta quod Pontifex debeat exquirere consilium Cardinalium, vel Rex, sive alter Princeps cum consilio ejus Procerum, & Magnatum, vel aliorum, qui Parlamenta, vel alia similia corpora efformant, aut Episcopus, vel alter Prælatus, cum consilio, & consensu Capituli cum similibus, sed quando agitur de
4 judicialibus, in quibus potest aliquis Judex, vel Tribunal jure proprio, atque cum ejus ordinaria, vel delegata potestate procedere ad sententiam, vel aliam diffinitionem, per superiorem vero ad instantiam unius ex Partibus contendentibus diffidentiam habentis de illius judicio sibi injungitur, ut alterius votum expetere teneatur, ut exempli gratia, juxta praxim Romanæ Curiæ in discursu insinuatam, quod pendente causa coram Auditore Cameræ obtineatur a Papa in Camera, vel in Signatura gratiæ rescriptum prævia disputatione, ac alterius partis contradictione, quod procedat *de*, vel cum voto duorum Locumtenentium, vel Rotæ, idemque si coram alio Judice ordinario, vel delegaro, & quandoque etiam in aliqua Sacra Congregatione Cardinalium, ut patet ex multis casibus, qui sub diversis materiis recensentur, quoniam fatuum, ac irrisione dignum reputari meretur hoc rescriptum cum formali disputatione, & causæ cognitione editum, si licitum esset judici hoc votum negligere ob hanc formalitatem unius, vel alterius dictionis adjectæ ex inadvertentia Auditoris Papæ, vel alterius, qui concipit rescriptum, seu commissionem, sive quia id sequatur ex stylo fundato in quadam ratione reverentiæ, ut in Sac. Congregationibus contingit.

De Notario, sive Actuario, vel Scriba.

S U M M A R I U M.

1 *NOtarius, vel actuarius dicitur persona necessaria ad integritatem in judiciis ad effectum probationis actorum.*

2 *De diversis Notariorum, vel conficientium acta vocabulis.*

3 *De juvenibus, vel substitutis Notariorum, seu Scribis.*

4 *Isti conficiunt acta nomine Notarii eorum Domini, etiam si non sint Notarii.*

5 *& 6 Notarii, vel actuarii, an sint officiales, atque officialium nomine veniant ad plures effectus?*

7 *Notarius an possit recusari suspectus sine causa allegatione, & probatione?*

8 *Quid servetur in Curia, quando Notarius allegatur suspectus.*

9 *Quæ fides eis præstetur circa decreta, & alia acta.*

10 *De eodem præsertim circa eorum deputationem, an eorum assertioni deferatur?*

11 *An subjaceant syndicatui?*

12 *An possint esse in propria patria?*

13 *Laici, an possint esse Notarii fori Ecclesiastici, & quatenus sic, an obtineant exemptionem fori, & quid e converso, an Clerici sint Notarii in causis fori secularis?*

14 *An Clericus, qui sit Notarius fori laicalis, amittat pensiones, & beneficia?*

15 *An quæsita per Clericum ex Notariatus exercitio subjaceant spolio?*

16 *De eodem, de quo n. 9. & 10. circa facultates Notarii.*

17 *Tenetur Notarius de minus idoneis ab eo susceptis.*

18 *Item tenetur de facto juvenum, & substitutorum.*

19 *Ad quid teneatur circa amissionem scripturarum apud ejus acta productarum.*

D I S C. V.

EX communi recepto usu ultra tres substantiales personas Actoris, Rei, & Judicis; De judicii appendiciis reputatur quoque Notarius, sive Actuarius, qui acta, & processum conficiat, magisque necessarius est Notarius, quam sit Assessor, dum iste deputatur solum in casu, quo Judex sit illiteratus, Notarius autem, vel Actuarius, in omni judicio adhibetur, etiam ubi Judex sit literatus, cum dicatur Judicis oculus, sive instrumentum necessarium, unde Juristæ illum Judicis oculum appellant; Quamvis aliquando Notarius sit oculus clausus, vel Judicem potius cæcutire faciat, atque velamen ante ejus oculos apponere soleat, vel pulverem inficere. 1

Diversa vero sunt hujusmodi Notariorum nomina, seu vocabula; Alicubi enim vocantur Notarii, ut præsertim 2
praxis docet in Urbe, ubi illi Notarii, qui conficiunt acta judicialia, sunt etiam Notarii conficientes instrumenta, aliaque acta conventionalia, habentes officium in titulum, vel in administrationem, juxta illas diversas Notariorum species pro diversitate Tribunalium, quæ recensentur in relatione Curiæ de singulis Tribunalibus agendo; *a* Ac etiam aliquæ species insinuantur in sede Regalium, occasione agendi de officiis venalibus. *b*

Alicubi vero dicuntur Actuarii, seu Magistri actorum, ut praxis docet in Regno Neapolitano, ubi conficientes acta Judicialia, discreti sunt a Notariis conficientibus instrumentum, super contractibus, & conventionibus; Ideoque sub hoc diverso nomine appellantur; Atque in ipsa Civitate Regia, seu Tribunalium residentiali, isti Actuarii eodem modo quo in Urbe, hoc munus obtinent in officium venale; In inferioribus autem Curiis, & Tribunalibus Regni, id obtinent in administrationem, vel jure conductionis ad annum, vel ad alia statuta tempora, ipso jure residente penes Regem, vel penes Barones, sive penes eos, quibus illius loci Cancellaria sub nomine banchæ explicari solitum, in officium competat; Et alicubi dicuntur Cancellarii,

rii, ut frequentius contingit in Curiis Episcopalibus; Ac etiam in Statu Ecclesiastico, in quo exercentes Cancellarias jure affictus, seu appaltus singulis annis, vel aliis statutis temporibus id obtinent; Et alicubi dicuntur secretarii, ut aliquorum Episcopatuum praxis docet, quod tam in nomine, quam in modo, totum pendet a stylis, & consuetudinibus, pro regionum, seu principatuum diversitate.

3 Adest etiam talis species Actitantium, qui in Urbe, aliisque Status Ecclesiastici partibus, substituti, vel juvenes dicuntur; In dicto autem Regno Neapolitano, præsertim in magnis Tribunalibus, tam ecclesiasticis, quam sæcularibus Civitatis, vel in regiis audientiis, aliisque Tribunalibus collegialibus, sive singularibus, in quibus multa peragantur negotia, vocantur Scribæ, idest non Notarii in officium, vel in administrationem, sed ipsorum Notariorum adjutores, & substituti, vel famuli in illius muneris exercisio; Et sub quo Scribarum vocabulo in Hispania ipsi Notarii in capite, seu Actuarii, proditionum quoque diversitate explicari solent; Eomodo, quo in dicta Civitate Neapolis explicantur illi Actuarii, seu Cancellarii, qui peragunt acta illius supremi tribunalis, quod Collaterale Consilium dicitur, & constituitur ex Prorege, & Regentibus Regiam Cancellariam, quoniam scribæ a mandatis appellantur, plures alios inferiores scribas, vel substitutos habentes pro adjutorio in exercitio, qui tamen non sunt officiales.

4 Dictique substituti, vel adjutores in Curia se rogare solent nomine eorum domini, ac Notarii, ut inferius agendo de fide instrumentorum advertitur agendo de Notariis. *c*

Quæstio enim alias involuta erat, hodie vero est plana; An hujusmodi Notarii, vel Actuarii dicantur vere officia-
5 les, atque officialium nomine veniant, quod præsertim inter Regnicolis nimium disputatum est occasione illius Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ, ut de delictis officialium non cognoscat, nisi ipsa Magna Curia, privative ad quascunque alias regias, vel Baronales Curias inferiores, sive ad effectum comprehensionis sub aliis legibus, & pragmaticis loquentibus de officialibus; Licet enim apud antiquiores id essent nimium controversum, hodie tamen recepta videtur affirmativa. *d*

6 Quod etiam generaliter in terminis juris communis receptum videtur, occasione prohibitionis contractuum, vel etiam ultimarum voluntatum inter officiales, & litigantes, sive de civili, sive de criminali lite agatur, in qua concussionis ratio intrare valeat, cum ad Notarios quoque id extendi soleat, quando eadem congruat ratio, ut in suis sedibus advertitur, *e* cum similibus effectibus pro diversis locorum moribus, vel stylis, ob quorum diversitatem, certa, & generalis regula cuicunque casui applicabilis, statui non potest, ideoque pro generalitate, ad rationis identitatem est reflectendum.

7 In hujusmodi vero Notariis, vel Actuariis, receptum est idem quod in assessoribus enunciatur, *disc. præcedenti*, ut regulariter suspecti recusari valeant, absque necessitate allegandi, & justificandi legitimas causas, ut in Judicibus ordinariis, vel etiam in delegatis ad universitatem causarum requiritur, nisi locorum leges, vel styli particulares aliter suadeant. *f*

8 Quia vero hoc munus, sive sit in officium, sive in administrationem, aut ex titulo conductionis, vel appaltus, ex causa onerosa obtinere solent; Hinc proinde, quando apud eorum acta, aliaque causa introducta sit justa præsertim praxim Curiæ, recusatio non causabit amissionem causæ, sed solum impedimentum exercitii in ea persona, ut sc. acta ab alio Notario per Judicem subrogando, sive ab illo, qui ex pluribus Mensarius dici solet, acta peragantur, ad commodum tamen illius Notarii, qui causam prævenit; Quamvis etiam super hoc certa regula generalis, ubique applicabilis non cadat, cum ex locorum stylis totum pendeat.

Eorundem fidei, pariter pro locorum, vel Tribunalium legibus, vel stylis, magis, vel minus diversimode deferri quoque solet, quoniam in aliquibus partibus etiam su-
9 per decretis interlocutoriis, vel aliis incidentibus, nulla fides Notario præstatur, nisi Judicis quoque subscriptio accedat, atque in aliis actibus, in quibus nullæ sint Judicis partes, puta in relationibus, quæ fiunt per nuncios, vel cursores super executionibus citationum, nisi testes quoque adhibeantur; *g* Alicubi vero, & præsertim in Curia nimium eorum fidei defertur, præsertim circa decreta interlocutoria, etiamsi quandam vim habeant definitivæ super omnimoda terminatione, puta in causis
10 summariis, & executivis, Notariis defertur absque Judicis subscriptionibus, vel publicationis solemnitate, cum utraque in solis sententiis definitivis per cedulam practicetur, cum declarationibus infra in sententiarum Rubrica; Ac etiam defertur eorum assertionibus super deputatione de se ipsis facta per Judicem. *h*

Super syndicatui quoque certa non habetur regula, sed
11 totum ex variis stylis, vel moribus pendet, quoniam, ubi agitur de illis Notariis id obtinentibus in officium, syndicatus in usu non est; secus autem, ubi de iis, qui jure conductionis, vel simplicis administrationis annalis, vel ad nuptum, id obtineant; Idque pariter diversos habet usus, ut scilicet in Curiis laicalibus syndicatui regulariter subjaceant, eodem modo, quo subjacent ipsi Judices, cum acta conscribant; Secus autem, ubi de Curiis Episcopalibus, ita regulando accessorium a natura principalis, cum receptum sit, quod Vicarii generales non subjacent syndicatui, qui solum a S. C. T. in Vicariis capitularibus demandatur. *i*

Super qualitate personæ hoc munus exercentis quæstio-
12 nes cadere solent; Puta pro locorum legibus, vel stylis, prohibentur esse cives, vel incolæ, nisi consuetudo aliter suadeat, sive loci qualitas, quoniam etiam in laicalibus Curiis dicti Regni Neapolitani, in quibus receptum est, ut regulariter tam Judices, quam Actuarii non possint esse cives, vel incolæ, limitatur in parvis locis, in quibus ob emolumentorum exiguitatem non facile inveniuntur exteri, qui illud munus exerceant. *l*

Ac etiam super laicali, vel ecclesiastica qualitate, quo-
13 niam in causis mere ecclesiasticis, vel spiritualibus, laici regulariter prohibiti sunt Notarium gerere, nisi consuetudo aliter disponat; Et quatenus laici id gerant, intrant jurisdictionales quæstiones, an efficiantur de foro ecclesiastico, ut propterea fori laicalis exemptionem obtineant, idque non modicam habet quæstionem; Atque licet regula ex probabiliori sententia exemptioni assistat, observantia tamen, seu consuetudo magnam partem habet. *m*

Et e converso, in plerisque partibus, vel ditionibus, præsertim vero in dicto Regno, ob generalem prohibitionem, ne Clerici absque regia dispensatione laicalem jurisdictionem, seu laicalia officia exerceant, Clerici ad hujusmodi Notariorum, vel Actuariorum munus exercendum non admittuntur.

Adeoque id alicubi cum Clericatu incompatibile reputa-
14 ri solet, ut quandoque judicatum sit, quod hujusmodi muneris susceptio, implicitam Clericatus dimissionem, ac assumptionem status laicalis præseferat, ut propterea ecclesiasticorum beneficiorum vacatio, vel ecclesiasticarum pensionum amissio resultet. *n*

Ejusdem quoque muneris exercitium Clericis illicitum
15 esse plerique putant, ut propterea bona, quæ ex eo quæsita sint, spolio subjaceant, eo modo quo alia ex illicita negotiatione, sive illicito quæstu subjacent; Verum hæc opinio minus probabilis censetur, quoties non agatur de Clericis in sacris, utpote prohibitis se ingerere in causis criminalibus, sive idem munus exercere apud Judicem laicum; Adhuc tamen locorum moribus, vel stylis nimium deferendum est. *o*

Super facultate autem conficiendi acta, præsertim super illa recipiendi testium dicta, aliaque peragendi, quæ regulariter, ac in puncto juris interventum, vel authoritatem Judicis exigunt, an scil. solus Notarius explicet, & an sibi de commissionibus, vel facultatibus a Judice attributis, defe-
16 rendum sit; Aut circa fidem ei præstandam super actorum, aliorumque jurium extractione, certa desuper generalis regula statui non potest, cum singulorum Tribunalium, seu locorum legibus, vel stylis deferendum sit, atque in iis, quæ Romanæ Curiæ praxim concernunt, singulorum Tribunalium recensita praxis, vel qualitas, aut singulorum actorum judicialium pertractatio, id incidenter insinuabit, cum has generalitates pro nunc insinuasse satis videatur. *p*

De minus idoneis cautionibus, vel fidejussionibus, quas recipiunt, de proprio in subsidium tamen tenentur partibus quanti interest. *q*

17 Ac etiam regulariter tenentur de facto eorum juvenum, & substitutorum, seu adjunctorum in iis muneribus, quibus per eos sunt præpositi. *r*

18 Super juribus, & scripturis, quæ in ejus actis producta sint, & non reperiantur, quæstiones cadere solent, ad quid scilicet Notarius teneatur, idque revera pro locorum, vel
19 Tribunalium diversis stylis determinationem recipit; In Curia vero tenentur parti interessatæ ad quanti interest, ne alias colluendo cum altera parte, in eorum libito repositum sit, aliquem supplantare, ejusque scriptura, ac instrumenta occultare, seu lacerare; *s* Qualis autem Notarii interventus requiratur in publicatione sententiæ habetur infra in ea Rubrica, in qua de sententia tractatur.

a *infra*

a *Infra in relatione Curia, disc..... ubi de Notariis.*
b *sub tit. de Regal. disc. 7. & seqq.*
c *infra, disc. 26. & in relatione Curia agendo de Notariis.*
d Gizzarell. & add. *decis. 24.* Rovit. *dec. 72. n. 50. & seqq.*
e *sub tit. de testam. disc. 51.* f Ann. & add. *sing. 489.* Rovit. *pragm. 1. de suspic. official. n. 19.* Buratt. *dec. 371. n. 8. ubi quod requiritur juramentum.*
g Buratt. & add. *decis. 324. & infra disc. agendo de citatione, ejusque executione.*
h Add. ad Vestr. *l. 7. c. 2. n. 38.* Rovit. *pragm. 9. de ord. judic. n. 7.* Coccin. *dec. 404. & 475.* Buratt. & add. *dec. 146.*
i *in annot. ad S.C.T. disc. 31.* l Francb. & add. *decis. 98.*
m De Marin. *resol. 117. lib. 1.* Thes. *dec. 22.* Squillant. *de privil. cleric. cap. 7. n. 54.* n *l. 13. tit. de pension. disc. 47.*
o *eod. disc. 47. de pension.* p *in relatione Curia agendo de Notariis, vel de singulis Tribunalibus respective.*
q Rovit. *dec. 45. & 83.* de Matin. *resol. 3. lib. 1.*
r Ottbobon. *decis. 142. n. 9. cum seqq.* s Buratt. *decis.* 808, Ridolph. *part. 2. cap. 3. n. 69. dec. 207. part. 10.*

S U M M A R I U M.

1 *De pluribus provisionibus quoad Notarios factis per Auctorem in munere Auditoris Papa.*
2 *De provisionibus circa Broliardos in comparationibus, & protestationibus.*
3 *Circa registra, & manualia citationem facienda singulis mensibus ne lacerentur in filcis.*
4 *De Protocollatione publicorum instrumentorum singulis annis.*
5 *Quod in protocollo non sint ponenda imbreviatura cum cancellationibus, sed instrumenta nitida.*
6 *Ut Notarii approbent apostillas ad evitandas lites,*
7 *De facienda registro sententiarum.*
8 *In causis commissariis Notarii conficiant regestra, & prius non recipiant sententias, vel decreta; Et de emolumentis ejusdem registri ad effectum assecurandi partem, & Notarium.*
9 *Pro debitis Notariorum non exequantur protocolla. Proprietas protocollorum dicitur Principis Domini officii.*
10 *Pro instrumentis susceptionis tutela, vel cura, qua merx exigi valeat.*
11 *Et de differentia cum aliis cautionibus, & contractibus voluntariis.*
12 *Qualia emolumenta exigi valeant pro sententiis diffinitivis, & mandatis executivis, qua relaxantur.*
13 *Vigore mandati decreti in ipsa sententia non potest fieri executio, sed illud relaxandum venit ad partes.*
14 *Instrumenta, & testamenta vulgari idiomate extendenda.*
15 *In urbe non possint se rogare, qui vivant in domibus privatis.*
16 *Quod Notarii non sint Procuratores, vel Agentes in causis, qua sint in eorum officio.*

ANNOT. AD DISC. V.

1 QUoad Notarios, qui alicubi Actuarii, seu Cancellarii, aut scribæ dici solent, & de quibus in hoc discursu agitur, assumptus ad munus Auditoris Papæ plures hucusque dedi per me ipsum provisiones, aliasque curavi dari per Congregationem reformationis, atque si Deo placebit conservare Sanctissimum per aliquod tempus congruum, aliæ dabuntur, quas Judicis experientia docet dari debere, cum non omnia inconvenientia, & abusus sciantur, & quatenus sciantur, non possit omnibus illico, & incontinenti provideri, cum solius divinæ sit potestatis instantanee operari, & tamen adhuc ipse Deus ad nostram instructionem plures adhibuit dies in creatione illarum rerum, quas illico, & instantanee cum solo verbo creare poterat.

Primo nempe per me ipsum occasione visitandi officia
2 Notariorum A. C. aliorumque Tribunalium cum assistentia quatuor Procuratorum Collegii a me electorum decrevi, quod illi codices, vel quinterni, qui broliardi nuncupantur, in quibus quotidie scribi solent Partium comparitiones, & protestationes, vel decreta, aliaque acta currentia, quolibet die compleri debeant; ita taliter, ut postmodum ex intervallo nil penitus addi valeat, sed in spatiis albis apponantur lineæ, idque ad occurrendum fraudibus committi solitis, ne ex intervallo sub diversa die adjiciantur protestationes, vel alia acta præjudicialia; Et quoniam Notarii replicabant, quod id non esset pro Curiæ stylo practicabile ob illa judicia, quæ fiunt per contradictas, idcirco decrevi, ac mandavi, quod ad hunc effectum fiat alter broliardus, qui deserviat pro omnibus judiciis, quæ fiant per contradictas in Tribunali coram omnibus ejus Judicibus, puta in Tribunali Auditoris Cameræ in civilibus adsunt plures Judices, nempe ipsemet Auditor Cameræ, & duo Locumtenentes Civiles, pluresque Prælati, cui in aliquibus causis particularibus per eundem Auditorem deputari solent; Ac propterea plures broliardi separati tenentur, attamen pro hujusmodi causis per contradictas unus earum particularis pro omnibus deservit, ideinque deserviat etiam pro protestationibus *nihil fieri, &c.* ad occurrendum inconvenientibus frequenter sequi solitis, quod actore citante coram uno ex dictis Judicibus, dicta Protestatio forte malitiose scribatur in broliardo alterius, atque ita annullentur pleraque judicia sub bona fide facta per contradictas.

Secundo, ut omnino proficerentur registra, quæ manualia dicuntur citationum ab aliquibus Notariis per multos 3
annos neglecta, quodque imposterum diligenter singulis mensibus fieri debeant ad occurrendum fraudibus, & delictis, quæ desuper cum nimia facultate committi possunt, & solent, subripiendi scilicet de filcis, seu lacerandi citationes, quæ in parvis pagellis retinentur, atque ita annullandi processus, & judicia per rem judicatam terminata, quod quidem est magnum inconveniens, atque super hoc præsertim debet, tam ipsemet A. C. sive alter Judex qui sit caput Tribunalis, & superior Notariorum, quam Auditor Papæ, cum particulari diligentia advertere.

Tertio, quod pariter perficerent protocollationem per 4
multos annos ab aliquibus neglectam publicorum instrumentorum, quodque imposterum singulis annis omnino protocollari deberent ob inconvenientia, quod instrumenta retenta in foliis volantibus penes substitutos de facili occultari, vel amitti possunt cum magno Partium interessatarum præjudicio.

Quarto, quod eadem instrumenta imposterum in pro- 5
tocollo poni debeant nitida, non autem imbreviaturæ cum cancellationibus, & apostillis, & quatenus id nimium incommodum esset Notariis, ob expensam transcriptionis, saltem debeant propria manu ipsorum Notariorum approbare distincte omnes apostillas, cancellationes, aut lineationes, ut ita occurratur fraudibus, & alterationibus, ac etiam tollantur tot lites, quæ in dies oriuntur super apostillis, & super additionibus, aut cancellationibus præsertim in testamentis, & codicillis frequentius, ac etiam in actibus inter vivos.

Quinto, quod debeant etiam tenere regestrum sententia-
rum, vel saltem de originalibus conficere diligenter proto- 7
collum, ut ita fraudibus, & inconvenientibus occurratur.

Sexto, quod in illis causis, in quibus conficiuntur rege-
stra, ut contingit in causis Commissariis, quæ fiunt præser- 8
tim in officio archivii Notarii, non debeant recipere sententias, vel decreta, neque alias facere expeditiones, nisi prius confecto regesto, dum praxis docebat, quod frequenter Notarius exigebat emolumenta regestri absque illius confectione, quam partes negligebant ob aliquam condonationem emolumentorum, sive quod causidici negligerent in præjudicium Partium. Et licet Notarii replicarent id esse impracticabile, eo quia Causidici retinent penes se citationes, omnesque scripturas usquequo causa sit in expeditione, quodque certificari sint de animo Judicis pronunciandi ad eorum favorem, ut ita semper liber sit aditus recusandi Judicem suspectum; Attamen ultra quod huic inconvenienti occurritur per provisionem, de qua *in annot. disc. 3.* providi, quod quando Partes, vel Causidici petunt expeditiones, debeant quidem solvere emolumentum regestri, quamvis illud adhuc non sit confectum ad effectum tamen deponendi penes idoneum Curialem, puta illum Procuratorem, qui esset depositarius propinarum Rotæ, non liberandum Notariis, nisi post completum regestrum, ita etenim remanet consultum omnibus, Notarii scilicet indemnitati, & ne cogatur post expeditam causam lites, & incommoda pati pro exactione dictorum emolumentorum, quæ alias amissionis periculo subjacerent, ita Notario solicito existente pro eorundem emolumentorum assecutione; Et partibus, ut revera conficiatur regestrum, quod post expeditam causam, atque obtenta emolumenta per Notarium negligi solet.

Septimo, per dictam Congregationem reformationis decretum, atque provisum fuit, quod pro Notariorum debitis nullatenus exequi possit protocolla, eaque transmitti 9
ad Depositarium, & subhastari, quoniam ultra jus & interesse Partium revera protocollorum proprietas est Principis Domini officii, ipsi vero Notarii eorum officio, seu jure durante, sunt solum usufructuarii, utpote obtinentes emolumenta, quæ pro instrumentorum authenticis documentis partes præbeant,

10 Octavo per eandem Congregationem decretum fuit, quod pro instrumentis susceptionis tutelæ, vel curæ pupillorum, seu minorum, ac aliorum sub legali necessaria administratione viventium, in quibus præstatio fidejussoriæ cautionis, & confectio inventarii, aliarumque solemnitatum implementum continetur, alia merx exigi non valeat, nisi ad formam statuti Urbis, *cap.83. lib.3.* Prætendebant siquidem præsertim Notarii A. C. quod pro cautionibus, ac etiam pro aditione hæreditatis, exigere possent ad mensuram, seu valorem bonorum juxta tasam quæ habetur in cautionibus, aliisque contractibus voluntariis; Verum id continere dicebam clarum æquivocum, quoniam ubi agitur de conventionibus voluntatis, quæ in forma extrajudiciali, etiam per apocam privatam perfici possunt, tunc si contrahentes pro eorum majori cautela, & meliori directione eligunt viam instrumenti publici per Notarios magis peritos, magisque securos, sibi ipsis imputent cur hanc viam magis dispendiosam eligunt, in præsenti autem ista ratio non cadit, quoniam est actus necessarius qui fit præcipiente lege, ut ei obediatur, ac satisfiat, ideoque da-
11 mnum istius sumptus pati non debet tutor, vel curator, aut alter administrator, dum ejus officium gratuitum non debet sibi esse damnosum, obediendo legi, minusque illud pati debet pupillus, vel alter qui sub administratione vivat, dum iste dicere potest, vel ejus vice dicit lex, quod pro actu faciendo adiri debebat Notarius Capitolinus ad observantiam dicti statuti obligatus.

Nono per eandem Congregationem decretum fuit,
12 quod licet in sententiis diffinitivis quæ proferuntur, per cedulam decerni soleat mandati executivi, vel de manutenendo, aut similis relaxatio pro contentis in ea, non tamen possint Notarii exigere emolumentum solvi debitum pro mandato, sed solum illud quod solvi debet pro nota sententiæ, ex ea ratione quod a sententia solet, & potest appellari, ideoque per appellationem suspenditur executio, atque mandatum remanet sine operatione; Bene tamen de-
13 cretum est, ut vigore mandati decreti in sententia nulla fieri possit executio, pro qua necessarium sit mandatum relaxatum ad partes, pro quo Notarius obtineat solitum, ac debitum emolumentum, atque alias executio nulla sit.

Decimo proposui in eadem Congregatione, a qua tamen
14 huc usque nulla prodiit resolutio, quam probabiliter juxta propositum sperare debeo, quod instrumenta, & testamenta imposterum non lingua latina, sed materna, sive italica vulgari, stipulari, & extendi debeant, præterquam ubi Partes concorditer, & expresse aliter velint, idque ex rationibus insinuatis in diversis locis & præsertim *in discursu edito in eodem Italico idiomate*, super ejus defensione, inserto post opus cui titulus est, *il Vescovo pratico*, *& in proœmio operis, cui titulus est, il Dottor Volgare*, ac etiam, *in conflictu legis, & rationis impress. in tertia parte hujus supplementi*, *observ.* 20. & alibi.

Undecimo quod in Urbe non possint se rogare de instru-
15 mentis, & testamentis illi Notarii, qui nulli publico officio addicti sint, sed in privatis domibus vivant quamvis se rogent nomine Notarii habentis officium, quoniam hæc instrumenta de facili perire solent, atque desuper fraudes commicti possunt, cum aliis provisionibus quas fieri debere in dies contingentia inconvenientium doceat, & de aliis ad hanc Notariorum materiam pertinentibus habetur *in relatione Curiæ*, *disc.* 47.

Et duodecimo per dictam Congregationem provisum
16 quoque, ac mandatum fuit, quod Notarii nullo pacto possint esse procuratores, vel Agentes, aut negotiorum gestores in causis, quæ in eorum officio agantur, idemque de substitutis, juvenibus Officii.

De Procuratoribus judicialibus, vel Curatoribus, seu Actoribus ad lites, aliisque defensoribus.

S U M M A R I U M.

1 *Illi qui habent liberam administrationem, possunt litigare per se ipsos sine defensoribus.*
2 *De tribus nullitatibus substantialibus, quarum una est ista mandati.*
3 *Mandatum probatur etiam per præsumptiones, & adminicula.*
4 *Quæ sint istæ præsumptiones, & præsertim illa expensæ notabilis.*
5 *De eodem, & de aliquibus conjecturis.*
6 *An exhibitio scripturarum sit sufficiens argumentum?*
7 *Sufficit citare illum, qui obtinuit expeditionem.*
8 *De mandato speciali necessario in positionibus, & in præstatione juramenti, & aliis.*
9 *An, & quando factum procuratoris præjudicet principali?*
10 *De tacita, vel implicita revocatione procuratoris.*
11 *An & quando procurator revocari non possit?*
12 *De procuratore effecto domino litis, ut mandatum non expiret per mortem.*
13 *Revocari potest procurator, etiamsi fuerit deputatus tanquam irrevocabilis.*
14 *De personis, quæ non possunt esse in judicio sine curatore, vel defensore,*
15 *Non sufficit deputatio curatoris, vel defensoris nisi sequatur defensio.*
16 *De aliis personis, in quibus intret idem, de quo, n. 14.*
17 *De deputatione curatorum minorum, vel patrimoniorum, &c.*
18 *De partibus, quas habere debent procuratores, & causidici remissive.*
19 *An scientia procuratoris noceat principali, atque in eo etiam certioratio præsumatur?*
20 *An procurator teneatur de proprio ad mercedem Notarii pro actis.*
21 *De obligatione procuratoris appellandi, vel prosequendi appellationem.*
22 *De facultatibus procuratorum generalium Religionum.*
23 *De mercede procuratorum, & causidicorum, & de perioritate dicta mercedis,*
24 *De pacto quota litis.*

D I S C. VI.

Regulariter ista persona procuratoris, vel defensoris, 1
ad judicii integritatem necessaria non est, ut est illa Notarii, vel Assessoris respective, quoties de illis litigantibus agatur, qui liberam habentes suorum bonorum administrationem, per se ipsos contrahere, aliaque negotia gerere valent, quoniam pariformiter per se ipsos in judicio esse possunt, eorumque jura, absque necessitate deputandi procuratorem, vel alium causidicum defensorem, sine quo recte judicium perfici potest; Pro frequentiori tamen usu, ut periti defensores habeantur, raræ sunt causæ, in quibus Actoris, & Rei, procuratores, aliique defensores non interveniant, super quorum sufficienti facultate, facti potius, quam juris quæstiones esse solent; An scilicet constet, necne de sufficienti mandato ejus, cujus commissio, vel omissio principali collitiganti præjudicium causet, adeout in Ro- 2
mana Curia, in qua nimium commendabiliter resecatæ sunt omnes illæ nullitates, quæ ex legum superstitiosa subtilitate, super judiciali ordine manant, cum restrictione ad tres tantum substantiales, ista species nullitatis ex defectu mandati inter dictas tres recenseatur; Una enim est jurisdictionis; Altera citationis; Et altera mandati ut infra in nullitatum discursu, vel Rubrica advertitur. *a*

Quando itaque de expresso mandato constat, tunc ejus 3
tenor quæstionem dirimit, an scilicet contineat, necne illas facultates, de quibus sit quæstio; Ideoque frequentius cadere solent disputationes, quando explicitum non accedat mandatum, sed allegetur præsumptum; Siquidem non dubitatur, ut illud etiam tacite, sed implicite dari possit, quodque præsumpta, vel adminiculativa probatio admittatur; *b* Verum, & id pariter facti potius, quam juris est, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidendum; Et ex quibus in uno casu leviores præsumptiones sufficere solent; in altero autem, eædem, ac majores insufficientes reputantur, pro causarum qualitate, vel præjudiciorum gravitate, fortius vero pro Tribunalium, seu locorum stylis ac moribus.

Potissime vero (juxta Curiæ praxim) desumitur ab ex-
pensis, quæ necessariæ sint pro illis actibus, ex quibus man- 4
dati præsumptio nimium desumi solet, ut scilicet quando ea sit notabilis, hanc præsumptionem inducat, cum præsumendum non sit, ut quis propria bona pro tertio absque mandato jactare voluerit; Atque regulariter notabilis, illa dicitur impensa, quæ unius scuti summam excedat. *c*

Verum id pariter certam non habet regulam, cum ve-
rius a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis pen- 5
deat, dum alterius collitigantis collusio, vel affectatio, notabilem quoque impensam suppeditare potest; Nimirumque conferri consuetudo particularis, an scilicet ille causidicus alia ejusdem Patris negotia tractare solitus esset, necne; Sive quod sanguinia conjunctio, aut alia verisimilia accedant argumenta. *d*

Scripturarum item, seu jurium qualitas, magnum est 6
argumentum, vel præsumpta probatio mandati, quando sci-

scilicet scripturæ sine tales, ut verisimiliter aliunde haberi non potuerint, quam ab ipso principali; Adeout quandoque id sufficiens reputari consueverit, etiam ad effectum illius mandati specialis, quod necessarium est pro illa præjudiciali productione, quæ causet restrictionem possessionis ad certum titulum, qui sit exclusivus illius melioris, qui in vim immemorabilis, vel centenariæ possessionis alias allegari valear. *e*

7 Procedunt hæc in Reo, vel etiam in Actore in illis actibus, in quibus, spectato effectu, Rei personam quodammodo gerere videatur; Secus autem (juxta Curiæ praxim,) in eo qui monitorium, vel commissionem super aliqua prætensione adversus alium obtinear, ejusque vigore illum provocet, quoniam tunc, provocato sufficit citare illum causidicum, qui expeditionem obtinuit, absque alia probatione mandati, quod ita inesse dicitur, quoties id ex collusione aliqua non sequatur, pro facti qualitate. *f*

8 Super ejusdem procuratoris potestate frequenter disputari contingit, tam ex oppositione alterius colliti gantis, ut scilicet gerere non possit aliquos actus, qui speciale mandatum requitant, puta jurare in productione positionum, vel in responsione ad illas, aut alteram juramenti speciem præstare, sive facere declarationem eorum, quæ latent in animo principalis, vel ab eo pendent, & præsertim circa beneficium restitutionis in integrum, quod mandatum speciale regulariter exigit, an illud desumatur ex quibusdam clausulis apponi solitis, cum similibus, in quibus certa regula generalis ubique applicabilis non de facili statui potest, cum Tribunalium praxi nimium in hoc deferendum veniat. *g*

9 Sive quod ex parte ejusdem mandantis contendatur, ut procurator sibi præjudicare potuerit, præsertim cum ejus negligentia, vel alio facto culposo, super quo regulariter procedi solet cum distinctione, inter actus qui consistunt in committendo, & alios, qui consistunt in omittendo, ut primo casu sine mandato speciali notabile præjudicium facere non possit; secus autem in altero, ut præsertim frequens, & quotidiana praxis docet in omissione appellationis intra legitima tempora, pro transitu sententiæ in rem judicatam, sive in negligentia committendi causam intra illum terminum, intra quem de stylo committenda est; Aut prosequendi appellationem intra fatalia, ut propterea appellationis desertio resultet, cum similibus negligentiis præjudicialibus, quæ in omittendo consistunt; In his etenim, negligentia procuratoris regulariter præjudicat, non autem ubi agitur de actibus positivis præjudicialibus, qui ut supra in committendo consistant. *h*

10 De tacita, vel implicita revocatione procuratoris, quandoque dubitari contingit, vel per alterius constitutionem in eisdem actis, atque in eadem causa, vel per comparitionem ipsiusmet principalis; Verum & id pariter certam non habet regulam, sed ex actorum qualitate pendet, an scilicet talem incompatibilitatem importent, ut implicitam redeleant revocationem mandati. *i*

11 Super hujus revocationis potestate, quandoque cadit quæstio, ut scilicet, quando ille jam dominus causæ effectus est, non possit amplius revocari; Non quidem respectu ipsius procuratoris deputati, ut scilicet, ejus remotio collitiganti non præjudicet, quia non interest cum uno, vel cum altero judicium prosequi, sed pro interesse, vel præjudicio collitigantis, ne scilicet revocetur procurator absque alterius deputatione, unde propterea principalem denuo citare debet, quoniam revocatione non obstante, cum eodem causam prosequi poterit; secus autem si alium deputet, cum tunc nulla cadat prohibitio. *l*

12 Eodem modo, quo per mortem mandantis in hoc procuratore judiciali, non resultat mandati revocatio, sed etiam contra mortuum, ejusdem hæreditatem cum procuratore litis domino effecto, judicium prosequi, ac terminari potest; *m* Nisi hæres, eo revocato alterum deputaverit, quoniam defectus potestatis consistit in revocatione procuratoris in genere, adeout nemo superstit, cum quo judicii prosecutio fieri valeat, secus autem super mutatione personæ.

13 Adeo enim certa est de jure facultas revocandi procuratorem ad lites, ut quamvis mandatum datum sit perpetuum, & irrevocabile; Adhuc tamen revocari valeat; Remanente actione mandatario adversus mandantem ad id, quod interest pro salario, vel pro alio jure, juxta ea, quæ infra in salarii procuratoris, vel alterius causidici materia habentur, Cum etenim istud dicatur summæ fiduciæ munus, idcirco, quoties cesset fiducia alias habita, tunc potestas revocandi nullatenus restringenda est, quacunque conventione non obstante. *n*

Quamvis autem (ut præmissum est) ista persona, ad judicii integritatem necessaria non sit; cum sine procuratore, Actor, vel Reus respective, judicium per se ipsos agere valeat, neque ad constituendum procuratorem cogi possit. Adhuc tamen plures dantur casus, in quibus ista persona, sub diversis tamen vocabulis explicari solita, necessaria est ad judicii integritatem, ac perfectionem. Quia nempe ipsa principalis persona, Actoris, vel Rei, proprias partes per se ipsam explicare non possit; Ut exempli gratia sunt pupilli, minores, amentes, fatui, & similes, qui sub necessaria, seu legali administratione vivunt, & cum quibus tutorem, vel curatorem legitimum non habentibus, judicium peragi non valet, ideoque ad judicii perfectionem, ac validitatem, curator, vel actor, ad litem illam peragendam deputandus est. *o* 14

Quinimo, nec sufficit sola deputatio, sed requiritur etiam effectiva susceptio defensionis, cum alias sententia aliaque acta contra pupillum, vel minorem, aut similem personam in defensam, nullius momenti reputanda sint, dum paria sunt, nullum adesse curatorem, vel defensorem, & adesse, sed suas partes non explere. *p* 15

Idemque in omnibus aliis sub eadem legali, ac necessaria administratione viventibus, quibus eadem congruat ratio. Ut sunt Ecclesiæ, & Monasteria, vel pia loca, necnon communitates, & corpora ficta, seu intellectualia. Sive hæreditates jacentes; Ac etiam patrimonia decocta sub concursu posita; Vel patrimonia illorum absentium, quorum status sit incertus, sive existant apud hostes, aut alias ita impediti, ut per se ipsos judicium peragere, suaque jura tueri non valeant. *q* 16

Super modo autem, vel praxi deputandi hujusmodi curatores, vel defensores, certa regula generalis cuicunque casui, vel loco applicabilis, non de facili statui potest; Et præsertim circa cautionem, vel circa juramentum, aliasque solemnitates, in tutoribus, & curatoribus aliisque administratoribus desideratas, cum locorum, ac tribunalium particularibus legibus, vel stylis frequentius inter se variis sit deferendum. 17

Percutiunt hæc validitatem, seu integritatem judicii; Ea vero, quæ concernunt hujusmodi judicialium procuratorum, vel defensorum personam, vel munus bene, vel male explicatum pro jure principali; Sive an, qui fuit procurator unius in una instantia, possit esse procurator alterius partis in altera, cum aliis similibus, quæ Advocatis quoque communia sunt in particulari discursu Advocatorum, & Procuratorum, occasione relationis Curiæ habentur. *r* 18

De præjudicio autem, vel scientia verisimili principalis, resultante a scientia procuratoris, a quo præsumatur certioratus, & quandoque ad effectum attentatorum disputari frequenter solet; Verum id certam, ac generalem non recipit regulam, cuicunque casui applicabilem, cum totum ex casuum particularibus circumstantiis pendeat, & præsertim ex lapsu temporis congrui, adeo ut sequi potuerit certioratio, quæ verisimilis est, atque in dubio præsumitur. *s* 19

An autem procurator teneatur de proprio ad mercedem Notarii, pro expeditionibus, & aliis absque promissione; Et an super ista credatur ipsius Notarii libro, disputari solet, atque regula videtur negativa, ex stylo Tribunalis, vel ex aliis circumstantiis limitari solita. *t* 20

De obligatione procuratoris appellandi, & appellationem prosequendi, agitur infra in appellationis Rubrica. *u* 21

Et de facultatibus Procuratorum generalium Religionum an & quando agant causas singulorum Monasteriorum, non de facili certa regula statui valet, cum varia sint Religionum instituta. *x* 22

Qualis vero sit Curiæ stylus circa Procuratorum, aliorumque causidicorum salarium agitur infra in relatione Curiæ, agendo de Advocatis, & Procuratoribus, ubi etiam de ejusdem mercedis prælatione; Ac etiam de iis quæ concernunt materiam pacti quotæ litis. 23 24

a *infra in eo disc. in quo agitur de nullitatibus.*

b Gregor. *decis.* 44. 111. & 330. *dec.* 205. apud Posth. *de subhast. & sæpius.*

c Cavaler. *dec.* 590. Burat. & add. *dec.* 203. & 593. Greg. & add. *dec.* 324. Royas *dec.* 392. & *frequenter.*

d *de his dec.* 205. apud Posth. *de subhast.* apud Ottob. *dec.* 116. Dunozett. *dec.* 786.

e *de ista præsumptione ex productione scripturarum, dec.* 300. *p.* 8. *rec. & agitur sub tit. de Regal. disc.* 47.

f *valde est inconcussa Curiæ praxis.*
g Merlin. *lib. 1. contr.* 73. Buratt. & add. *dec.* 190. & 388.
h Cavaler. *dec.* 283. & 501. add. ad Buratt. *dec.* 585.
i Gregor. 548. add. ad Buratt. *decis.* 723. *dec.* 294. *part.* 1. *rec.* Rovit. *super pragm. in rubr. de procurator.*
l Buratt. & add. *dec.* 440. & 723. Bich. *dec.* 305.
m Mantic. *dec.* 204. add. ad Vestr. *lib.* 4. *lib.* 4. *aliis duobus proxime supra.*
n Add. ad Vestr. *lib.* 5. *cap.* 13. Rovit. *super pragm. in Rub. de procur. & habetur, lib. 7. tit. de tutor. & procurat. disc. 20. ubi allegantur dec.* 253. & 354. *p.* 4. *rec.*
o Ast. *dec.* 256. Buratt. & add. *dec.* 440. & 524. Gregor. & add. *dec.* 43. & 46. *part.* 10. *rec. & sæpius.*
p *Ibid. de quibus proxime.* q *Apud eosdem, & passim.*
r *Infra in relatione Curiæ agendo de Advoc. & procurat.*
s *De hoc agitur* apud Gregor. & add. *decis.* 127. Buratt. & add. *dec.* 307. Cels. *dec.* 192.
t Buratt. *dec.* 174. Vestr. & add. *lib.* 3. *cap.* 4. & *lib.* 7. *cap.* 1. Zacch. *de salar. qu.* 78.
u *Infra in eo disc. in quo agitur de appellat.*
x *De hoc agitur* apud Coccio. *dec.* 169. Cavaler. *dec.* 206. & 201. *p.* 2. *rec.* Cappucin. *de elect. dub.* 104.

S U M M A R I U M.

1 *DE provisionibus circa Procuratores, & defensores causarum.*
2 *Pro originalibus non exigatur ultra decem julios.*
3 *Advocatis, Procuratoribus &c. quanto tempore competat actio pro eorum mercede, vel honorario. Pro expensis non competit actio, nisi pro summa scutorum quinquaginta.*
4 *Hujusmodi honoraria solvi solent manualiter absque recepta, & n.* 35.
5 *Et quanto tempore præscribantur.*
6 *Præsumuntur potius soluta, & de ratione.*

ANNOT. AD DISC. IV.

1 DE procuratoribus, & defensoribus causarum, aliisque forum sequentibus, de quibus in hoc discursu agitur, habetur etiam latius dictum *in relat. Curiæ disc.* 46. ubi de variis eorum speciebus ac etiam de obligationibus, quæ eis incumbunt, ut munus quod exercent bene impleant, ideoque ibi dicta sufficiunt; Postquam vero dictam personam publicam peregi, ut aliquibus quæ sum expertus, consulatur inconvenientibus, duas provisiones circa eos per Congregationem reformationis fieri curavi. Primo nempe quod eorum amanuenses, vel scriptores pro mercede primæ
2 copiæ Informationum facti, vel juris, quæ sub originalis vocabulo ad differentiam aliarum, quæ fiunt per copistas, explicari solet, non possit exigi ultra decem julios, idque ex ea ratione quod cujusdam vere turpi lucri gratia affectabatur, uti illa informatio, quæ commode scribi posset in una charta extenderetur in decem, stante usu solvendi unum julium pro qualibet, adeout literis in qualibet charta contentis congrueret illud vulgare dicterium *apparent rari*
3 *nantes in gurgite vasto*: Ac propterea sequebatur absurdum vere damnatione, ac irrisione dignum quod honorarium scripturæ Advocati, vel procuratoris compositæ cum magno studio, magnoque labore, esset viginti quatuor juliorum juxta usum, de cujus ratione, & origine agitur *dict. disc. 46. in relatione Curiæ*, Mercis autem amanuensis, vel scriptoris esset quandoque in duplo, vel triplo plus, quod nil incongruentius, ac turpius.

Et secundo, quod Advocatis, Procuratoribus, & solici-
4 tatoribus, aliisque causidicis, vel negotiorum judicialium gestoribus pro eorum mercede, vel honorario non competeret actio nisi pro uno anno citra montes, & duobus ultra & pro expensis non competeret actio nisi usque ad summam scut. 50. idque ne liceret facere cumulum cum supplantatione clientum, & cum magnis fraudibus, atque alias sibi imputent, cur continuent patrocinium, vel faciant de proprio majores expensas. Experientia namque docuit quod desuper magnæ fierent fraudes; Cum etenim hujusmodi mercedes, vel honoraria solvi soleant in dies, & tempora, manualiter in pecunia, vel in victualibus, aliisque rebus satisfieri soleant; absque eo quod solventes per se ipsos, vel per famulos, aut ministros soliciti sint de recepta per scripturam, vel de alia specie probationis, hinc frequenter contingit, quod nec Deum, nec honorem mundi aliqui causidici timentes, & æstimantes, mortuis clientibus, etiam molestare solent hæredes, petendo salaria, vel honoraria
5 per longissimum tempus, in quo litibus peractis concludenter docebant de servitio præstito, atque inveniebantur inepti judices, quibus cum leguleico irrationabili, ac indiscreto rigore procedentibus; videbatur quod hæc actio non præscriberetur nisi per spatium triginta annorum ad instar aliarum actionum personalium ex deductis apud Surd. *decis.* 24. & Zachiam *de salario*, q. 105. id etenim revera continet leguleicam simplicitatem, sive ineptiam, ut in hac materia procedendum sit cum terminis generalibus præscriptionis actionum personalium, ac propterea reddatur licita petitio 6
ab annis triginta citra, ac desiderandi perfectam, & concludentem probationem solutionis, dum subjecta materia neutrum patitur ob communem usum, ut supra insinuatum, quod scilicet manualiter absque scriptura, & absque testibus in dies, & tempora hujusmodi solutiones fieri solent, ut generaliter in famulis habetur, ac etiam ob magnam verisimilitudinem, quoniam causidici de hoc opere in dies vivere solent, ideoque a pari, & ex eisdem rationibus adaptari videntur ea, quæ habentur *sub tit. de dote, disc.* 176. in proposito illius annuæ, vel menstruæ solutionis, quam vir uxori facere tenetur pro ejus extraordinariis indigentiis vulgo *per lacci, & spille*, cum similibus, ac merito per Ægidianam cautum est, ut nonnisi per sex menses hæc petitio fieri valeat, atque ex his nimium justam, beneque fundatam istam credidi provisionem, forteque aliæ capientur, prout in dies praxis docebit adesse inconvenientia, quibus occurrendum sit. Et de aliis ad hanc materiam *d. disc.* 46. *in relat. Cur. & in ejus annotat.*

De litis, vel causæ introductione, contestatione prudentia, & cessatione, vel desertione. Et de differentia inter litem, & causam.

S U M M A R I U M.

1 *DE lite ad effectum Regulæ de annali, vel de triennali, vel vitii litigiosi in beneficialibus.*
2 *De lite ad effectum præventionis.*
3 *De eadem ad effectum attentatorum.*
4 *De eadem ad effectum interrumpendi præscriptionem,*
5 *Sive ad effectum restitutionis fructuum.*
6 *Vel pro vitio litigiosi.*
7 *Necessaria est distinctio terminorum.*
8 *Respectu actoris quid sufficiat pro lite.*
9 *Et quid respectu Rei, an requiratur citatio executa?*
10 *Defectus citationis sanatur per comparitionem.*
11 *De reproductione an, & quando sit necessaria:*
12 *De eodem, & quando ejus defectus non obstet.*
13 *Citatio Rei debet esse legitima, atque alias non sufficiat.*
14 *De contestatione litis, quando adsit.*
15 *Quando lis, vel causa dicatur instructa.*
16 *De eodem ad diversos effectus.*
17 *De lite ad effectum vitii litigiosi, de quo n. 6.*
18 *De extinctione litis quomodo sequatur, & præsertim de peremptione instantiæ.*
19 *De ejusdem instauratione, seu de insufflatione spiritus.*
20 *De jure canonico non datur peremptio instantiæ, idque servatur in curia.*
21 *Sed etiam de jure canonico datur litis desertio.*
22 *De extinctione litis per mortem unius ex litigantibus.*
23 *De extinctione per cessionem, & de differentia inter cessionem litis, & cessionem causæ.*
24 *De effectu litis pro alimentis dandis collitiganti.*
25 *De Alexandrina super offensione collitigantium, vel defensorum.*
26 *De alio effectu litis pro subrogatione gratiosa danda collitiganti.*
27 *Quando lis dicatur calumniosa.*
28 *De extinctione litis per rem judicatam.*

D I S C. VII.

AD plures effectus de litis introductione, ac existentia 1
frequenter in praxi disputari solet; Primo nempe in beneficialibus, ad illos utriusque regulæ de annali; Et de triennali; Vel ad illum reservationis ratione vitii litigiosi, de quibus utpote diversas, ac peculiares rationes habentibus, agitur in propria Beneficiorum sede. a

Secundo generaliter pro judiciaria praxi, in quibus- 2
cunque causis cujuslibet naturæ, vel qualitatis, ad effectum majoris jurisdictionis, vel majoris competentiæ inter plures Judices æque competentes, ratione præventionis, sive universalitatis, aut præjudicialitatis, vel connexionis, justa ea, quæ agendo de judice magis competente superius habentur. b

Tertio ad effectum attentatorum, qualia dicuntur ea, 3
quæ

quæ lite, vel causa jam introducta, & pendente coram uno Judice, geruntur coram alio, juxta ea, quæ inferius in attentatorum materia habentur. *c*

4 Quarto ad effectum malæ fidei impeditivæ cursus præscriptionis, seu ejus interruptivæ, aut deductionis ejus temporis, juxta ea, quæ infra habentur in materia probationis præscriptionis immemorabilis, vel centenariæ, seu alterius brevioris. *d*

5 Quinto ad alium effectum, pariter malæ fidei, pro restitutione fructuum rei sub lite existentis, ut pariter infra ad materiam condemnationis fructuum, ac etiam expensarum litis habetur. *e*

6 Et sexto ad effectum contrahendi vitium litigiosi proprium, vel impeoprium, tam in prophanis, quam in beneficialibus, de quo etiam infra in particulari sede, *f* cum similibus, de quibus in progressu totius materiæ judicialis.

7 Ad effectus autem prædictos, vel eorum aliquos respective, pro diversa qualitate, diversi sunt litis status, quoniam, ad aliquos effectus sufficit solum initium, vel sola introductio; Ad alios autem introductio non sufficit, sed requiritur etiam contestatio; Et ad alios, neque ista sufficit, nisi accedat instructio; Hisque omnibus accedentibus, adhuc ad aliquos effectus, requiritur existentia, vel duratio, ob litis cessationem, vel expirationem, quæ pro diversis Tribunalium stylis resultare solet a peremptione instantiæ, vel ab ipsius litis desertione; Hinc proinde hujusmodi terminorum distincta notitia Practicis necessaria est, ne pro frequentiori eorundem Practicorum usu, totam scientiam restringendi ad solas traditiones, sive ad auditum, ea resultent consueta æquivoca, quæ ex hujusmodi terminorum non bene cognita distinctione oriri solet, ut frequens, & quotidiana experientia docet.

8 Quatenus itaque pertinet ad initium, seu introductionem litis ad illos effectus, qui ex isto solo actu resultat; Distinctio est inter Actorem, & Reum, ut respectu Actoris, sive sit Actor verus, tam in ordine, quam in substantia, sive sit Actor in ordine, sed Reus in substantia, qualis est ille controversæ rei possessor, qui pro sui juris, vel possessionis confirmatione jactatorem, vel diffamatorem in judicio provocat juxta distinctiones, de quibus supra in Actoris, ac Rei tractatione; *g* Et tunc ad aliquos effectus, illos præsertim ex mala fide resultantes, tam pro impediendo cursum præscriptionis, quam pro impediendo juxta unam opinionem, licitam perceptionem fructuum, ipsa sola petitio in judicio facta, sive sit per viam libelli, sive per viam monitorii, aut commissionis, vel supplicationis, & cujuscunque alterius talis, qualis petitionis, vel decretæ citationis, sufficit, ut lis cœpta dicatur, quamvis alterius partis citatio non accesserit, quoniam ea tunc ipse jam novit se posse dubitare de controversæ rei dominio, vel pertinentia, & consequenter se ipsum in statu litis, ac malæ fidei constituit, quando ejusdem causæ eventus ita doceat. *h*

9 Respectu autem alterius Partis, cui tanquam provocatæ, saltem inspecto ordine, Rei nomen, seu vocabulum convenit, id nullius est operationis, nisi citationis legitima executio accedat, cum tunc lis, quoad eum cœpta dicatur, & non alias, etiam si ejus decreti scientia accedat; Nisi affectata latitatio, vel aliud impedimentum operetur, ut habeatur pro executa. *i*

10 Vel quatenus de tali valida, & legitima executione non constet, accedat ejusdem citati, seu provocati comparitio, per quam omnis citationis defectus, sanatus, vel suppletus remanet; Cum etenim finis citationis sit Partis interessatæ evocatio, hinc proinde Parte comparente, talis finis adimpletus dicitur, neque media quærere oportet. *l*

11 Ad alium vero effectum firmandi jurisdictionem, vel majorem Judicis competentiam, præmissa non sufficiunt, sed requiritur etiam citationis bene executæ reproductio, qua mediante illius judicis jurisdictio firmetur, ipseque recte agnoscat se esse competentem; Nil enim refert, quod Actor coram eo Reum provocando, citationem, vel aliam expeditionem obtinuerit, illamque exequi curaverit, nisi reproducat, eo quia pœnitere potest, atque sententiam mutare. *m*

12 Et quamvis non semper, monitorii, vel alterius expeditionis reproductio necessaria sit, cum quandoque, etiam sine illa, substineantur acta, quæ interim gesta sint; Attamen id provenit, quando Reo comparente, per Actorem, cum replicationibus, aliisque actibus, coram eodem Judice continuatio fiat, ad effectum ostendendi perseverantiam voluntatis. *n*

13 Non omnis autem executio citationis quoad Reum sufficit, sed requiritur, ut legitima sit, atque servatis

Card. de Luca. Lib. XV.



servandis facta, juxta ea quæ inferius ad materiam citationis habentur. *o*

14 Contestatio litis juxta Juris civilis rigores, aliquas exigit formalitates, per Actoris scilicet interrogationem, & Rei responsionem aliasque solemnitates, quæ tamen pene ubique, ab Aula exulare videntur; Ideoque in Curia Romana, lis contestari dicitur per illos primos actus, qui inter Actorem, & Reum post legitimam citationem, ejusque reproductionem sequuntur, quamvis dicta formalitas interrogationis, vel responsionis non servetur, cum ita per æquipollens servari dicatur; Atque in judicio recepta videatur propositio, quam in omni materia etiam quoad merita recipiendam esse frequenter advertitur, ut scilicet substantiæ veritatis, non autem verborum formalitati incumbendum sit. *p*

15 Instructio vero litis resultare dicitur, non quidem ex ea publicationis, & conclusionis formalitate, quæ eodem juris civilis rigore attento, necessaria videtur, sed ex illorum jurium productione, ex qua Reus bene edoceri, seu instrui potuerit de ejus malo jure, seu non pertinentia dominii, ac possessionis rei controversæ, ad effectum præsertim illius malæ fidei, quæ desideratur pro restitutione fructuum, quatenus pro stylo, illa recepta sit opinio, ut ad hunc effectum non sola introductio, vel contestatio, sed instructio requiratur. *q*

16 Quamvis etenim idem instructionis terminus desiderari soleat ad alios effectus respicientes judicii ordinem, puta, ut pro diversa praxi, post instructam, seu conclusam causam unus ex collitigantibus, altero invito, nova jura producere non valeat, vel novas facere probationes, aut deducere exceptiones; *r* Attamen ad hunc effectum causa dicitur instructa, quando collitigans instrui sufficienter potuit de ejus malo jure, vel saltem de illo ita dubitaret, ut in vera mala fide constitutus dicatur, quatenus ea magis benigna opinio accipienda sit, ut hæc instructio ad effectum restitutionis fructuum requiratur, ut infra ad hanc materiam condemnationis fructuum advertitur. *s*

17 Idemque procedere videtur circa vitium litigiosi, quoad alios effectus, præterquam illum causæ mutationis fori, ut pariter in sua particulari sede habetur. *t*

18 Cessat autem, vel extinguitur lis, ex juris civilis dispositione ob instantiæ peremptionem, quæ a negligentia prosecutionis infra triennium, in prima instantia resultet (cum de cessatione in ulterioribus instantiis intrent diversi termini desertionis appellationis,) ut propterea intret res judicata, ad quam transitum facit sententia primæ instantiæ, nisi secunda instantia in iis, quæ pertinent ad negotium principale loco primæ habeatur, quia nempe causa introducta sit per appellationem ab aliquo decreto interlocutorio, vel ab alio incidenti. *u*

19 Bene verum quod ista cessatio firma non est, quoniam ubi ista dispositio juris civilis viget, adhuc in usu est ejusdem instantiæ restauratio a Principe, vel ab aliquo Magistratu, ex regionis moribus, vel legibus, ad id potestatem habente concedi solita, quæ insufflatio spiritus alicubi dicitur, & præsertim in Tribunalibus sæcularibus Regni Neapolitani, in quibus cum hac juris civilis dispositione proceditur; Unde propterea plures desuper apud illos Practicos quæstiones cadunt, & præsertim circa retroactionem, seu temporum conjunctionem, ad effectum restitutionis fructuum, ut scilicet tempus restaurationis tantum; vel etiam illud initii, seu introductionis causæ attendi debeat, ut pariter in dicta sede condemnationis fructuum advertitur cum similibus. *x*

20 Hæc autem omnino exularunt a Curia Romana, aliisque Tribunalibus ab ea dependentiam habentibus, sive quæ cum ejus praxi, ac opinionibus procedere debent; Ut generaliter sunt omnia Tribunalia fori ecclesiastici per universum Orbem catholicum, quoties stylus particulari legitima inductus aliter non exigat. Accedunt sunt Tribunalia laicalia Ditionis temporalis Ecclesiæ, quæ sub nomine Status ecclesiastici practicatur, quoniam proceditur cum dispositione juris canonici, qua attenta, instantia nunquam perit, sed est perpetua, juxta veriorem, magisque receptam opinionem, unde propterea isti termini peremptionis, ac respective instaurationis instantiæ, sive insufflationis spiritus ignoti sunt Practicis, licet non desint volentes, quod etiam de jure canonico ista peremptio instantiæ detur, sed prior opinio recepta est in Curia. *y*

21 Adhuc tamen alia intrat species cessationis, vel extinctionis litis, per desertionem resultantem a præsumpta voluntate ejus, qui diu per longissimum tempus eam deseruit, quasi quod eam pro derelicta habuerit; Verum id

nimium raro in praxi verificabile est, cum ad hunc effectum duo copulative requirantur; Primo nempe lapsus longissimi temporis ex sola negligentia absque excusationis legitima causa; Et secundo bonum jus, unde propterea quoad collitigantem, vel successorem, qui antiquatam litem diu quiescentem instaurare, vel suscitare velit, ista exceptio extinctæ, vel desertæ litis, nimium raro proficua est, quoniam sive ex beneficio restitutionis in integrum ex capite injustitiæ, sive ex capite excusationis, antiquissimæ litea, quæ pene per secula quieverunt, de facili suscitantur, perinde ac si novæ, ac integræ essent, quod aliquem abusum redolere videtur, ut in restitutionis in integrum particulari sede advertitur; Ideoque hujus extinctionis inspectio, in beneficialibus tantum cadere solet, ad removendas reservationes, vel alios effectus beneficii litigiosi cum tertio de hoc vitio opponente, dum in eis utpote vitalitiis, ac non transmissibilibus ad hæredes, & successores, qui dependenter a primo collitigante veniunt, non intret illa continuatio ejusdem litis, quæ in prophanis datur in hærede, cum solum per quandam imaginem juris successorii, ista continuatio dari videatur in illo noviter provisso, qui Apostolicam subrogationem obtinear, ut in sua particulari sede super executione literarum Apostolicarum infra advertitur. z

22 Eadem distinctio inter lites, & causas temporales, vel prophanas, ac beneficiales, seu alias mere personales, & non transmissibiles, intrat circa illam extinctionem, vel cessationem litis, quæ resultat a morte unius ex collitigantibus, cum in beneficialibus tantum id verificabile sit cum suis declarationibus, de quibus in eadem supra insinuata sede executionis literarum Apostolicarum, non autem in prophanis super bonis, ac juribus transmissibilibus, in quibus hæres, vel successor defuncti personam in universo jure repræsentat, ac si mors non contigisset. a

23 Cessat quoque, seu extinguitur lis per cessionem, seu renunciationem, ex generali regula, quod cedentibus jura sua non datur amplius ad ea regressus; Ad hunc tamen effectum intrat distinctio inter illos terminos litis, & causæ, qui alias pro synonymis habentur, ac promiscue per practicos adhibentur, quoniam per renunciationem liti, renunciatum non censetur causæ, idest juri, quod collitiganti competat, quia nempe renunciatio illam instantiam, seu illud judicium tantum percutiat; Sive ad effectum inspiciendi, an intret, necne simoniæ labes, quando pro hujusmodi renunciatione aliquid temporale reficiatur, vel dimittatur ab eo, cujus favore cessio, vel renunciatio fiat. b

24 De litis autem proficuo effectu favore unius ex collitigantibus contra alterum super jure petendi alimenta, & sumptus litis, agitur in ejus particulari sede. c

25 Atque in Curia quædam in collitigantibus specialitas habetur, super pace, ac reverentia inter eos servanda, ut per Apostolicam Constitutionem, quæ *Alexandrina* dicitur, gravissimis pœnis afficiatur ille collitigans, qui alterum, vel ejus defensores, verbis, vel factis offendat; d Cum aliis quæ ad materiam litium in progressu insinuari contingit.

26 Alter quoque resultat effectus ex lite, quæ calumniosa non sit, in beneficialibus, ut uno ex collitigantibus moriente, alteri superstiti debita sit subrogatio ad lites extinguendas, ne cogatur novum habere collitigantem, ut in rerum beneficialium sede advertitur. e

27 Ibique etiam agitur, quando lis dicatur calumniosa, quod etiam infra occasione refectionis expensarum insinuatur. f

28 De litis autem cessatione per rem judicatam, vel per tres conformes, quando sequi dicatur, habetur infra in rei judicatæ particulari sede. g

a *Sub tit. de benef. disc. 47. 91. & 92. & in eodem tit. in supplemento in Tudan. Canonicatus, & in Vestana Canonicatus, & in aliis.* b *Supra, disc. 3.*
c *Infra, disc. 18.* d *Infra, disc. 21.*
e *Infra in eo discursu, in quo agitur de expensis.*
f *Infra in discursu, in quo agitur de vitio litigiosi.*
g *Supra, disc. 2.* h Greg. & add. *dec. 27. & 94.* Burat. & add. *dec. 109. & 280. dec. 94. part. 7. rec. & sæpius.*
i *Apud allegatos proxime supra.*
l *Infra, disc. 9. de citation.* m *Eod. disc. 9. de citat.*
n *Ibidem.* o *Eod. disc. 9.*
p *De litis contestat.* Vestr. *in prax. lib. 7. cap. 3.* ubi add. Rovit. *pragm. 7. de ced. judic. & quod non detur in executivis,* Burat. *dec. 277.*
q *Infra in eo disc. in quo de fructuum condemnatione agitur.*
r *Inf. in eo disc. in quo agitur de terminis substantialibus, quorum occasione agitur de publicatione, & de conclusione.* s *d. disc. in quo agitur de fructibus.*
t *Infra, in disc. in quo de vitio litigiosi.*
u *De hac materia peremptionis instantiæ,* Rovit. *super Rub. & pragm. 1. de instant. caus. non restauran. & decis. 6. 29. & 74.* Marant. *in prax. part. 5. verbo, & omnia fiant durante instantia.* x *Infra d. disc. ubi de fructibus, & apud proxime supra allegatos.*
y *Quando etiam de jure canonico pereat,* Covar. *in c. quamvis pactum, de pact. in 6. par. 2. n. 4.* Rovit. *super prag. 1. de instantia caus. non restaur. n. 1. & aliis, Contrarium autem esse verius, & receptum,* Vestr. & add. *lib. 3. cap. 5.* Marant. *in prax.* verbo, *& omnia fiant durante instantia, n. 14.* Royas *dec. 294. dec. 326. in fin. p. 11. rec. & tit. de benefic. disc. 92.* z *Infra in disc. executionis literarum Apostolicarum, & sub tit. de benef. disc. 91. 92. ubi de hac materia extinctionis litis.*
a *Infr. eodem supracitato disc.*
b *Sub tit. de benef. disc. 70.* c *Infra, disc. 14.*
d Apud Farin. *cons. 67. lib. 1.* apud Marchesan. *de commiss. part. 1. fol. 1296.* e *Tit. de benef. disc. 50. & 92.*
f *Ibid. & infra in eod. disc. in quo agitur de expensis.*
g *Infra in eo disc. in quo agitur de appellatione, & re judicata.*

De libello, monitorio, & commissione, vel supplicatione, aliave petitione, super causæ, vel judicii introductione.

S U M M A R I U M.

1 *Antiquitus necessaria erat rigorosa solemnitas libellorum.*
2 *Hodie ubique non videtur necessaria.*
3 *Etiam articuli solent sufficere loco libelli.*
4 *Etiam ubi habetur usus libelli, ejus loco sufficit qualisqualis petitio.*
5 *Actor, reo petente, tenetur declarare libellum.*
6 *De licita cumulatione plurium actionum.*
7 *Sed reo instante tenetur actor se restringere.*
8 *Sententia debet esse conformis libello, nisi clausula suffragentur.*
9 *Quando suffragentur clausola.*
10 *In quibus Curia Tribunalibus libellorum usus habeatur.*
11 *In Rota proceditur per viam commissionis, quæ est loco libelli.*
12 *Commissio non extenditur de casu ad casum, vel de persona ad personam.*
13 *De clausola* quam, & quas, *ejusque operatione.*
14 *In Tribunali Cameræ Apostolicæ proceditur per viam propositionis, quæ est loco libelli, seu commissionis.*
15 *In Tribunali Aud. C. proceditur per viam monitorii, quod est loco libelli.*
16 *Quomodo procedatur in S. Congr. Cardinalium.*
17 *Quid in judiciis executivis.*
18 *Commissio conditionalis non tribuit jurisdictionem, non purificata conditione.*
19 *Clausulæ primæ commissionis censentur repetita in aliis.*
20 *Attenditur rescriptum, non corpus commissionis.*
21 *Est subreptitia, non facta mentione litis.*
22 *Quid, si clausula,* cujus statum.
23 *In causis Rotalibus non datur avocatio.*
24 *Subreptitia commissio non facta mentione transactionis, vel rei judicatæ, & quando secus.*
25 *Quando accedente commissione avocatoria, alter Judex procedere valeat.*
26 *De necessitate citationis ad dicendum contra commissionem.*
27 *Quando sine d. citatione fiat communis, & præsertim si in plena Signatura, & ad quid.*
28 *De commissionibus appellationis.*
29 *De reproductione Monitorii.*
30 *In Rota sufficit unica commissio.*
31 *Quid, si subrogatoria non inveniatur.*
32 *In commissione dependente non est necessaria citatio ad dicendum, &c.*
33 *De clausula cum* emergentibus, & dependentibus.
34 *Directa judici ordinario, an eum faciat commissarium.*
35 *De clausula* justitiam faciat prout de jure.
36 *In Rota attenditur ultima commissio.*
37 *Quando commissioni censeatur renunciatum.*
38 *In quibus causis requiratur monitorium.*
39 *De stylo Sacri Concilii Neapolitani.*
40 *De contracommissionibus, sive de moderationibus commissionum.*

DISC.

DISC. VIII.

1 JUris civilis dispositione attenta, juxta rigores, vel for-
malitates, quæ forsan illis antiquis attentis moribus;
justum habebant motivum, nobis hodie ignotum, pro
judiciorum, & causarum legitima introductione, ac pro-
gressu, libellus in quadam solemni forma porrigendus,
omnino necessarius erat, cum tali præcisa restrictione,
ut quicquid extra illum, judicari, ac peragi continge-
ret, inutile esset; Quinimo in plerisque casibus, quod
etiam utile vitiaret, atque utrumque processum corruc-
re faceret. *a*
2 Hodie vero ubique, etiam ubi libellorum usus adhuc vi-
geat, a foro, & praxi hujusmodi rigorosæ formalitates exu-
lasse videntur; Præsertim vero a Regni Neapolitani Tri-
bunalibus, in quibus, excepto eo Sacro Consilio, quod
S. Claræ, seu Capuanæ dicitur, in quo per viam supplica-
tionis proceditur, in omnibus aliis Curiis, & Tribunali-
bus, habetur usus libellorum; Non tamen viget subjectio
antiquæ libellorum solemnitatis, quoniam sufficit ejus lo-
co, qualisqualis petitio, dummodo sit talis, ut ex ea Reus
conventus deliberare valeat, an cedere, vel contendere
3 velit, dum ad hunc effectum, omnes causæ ibi summariæ
reputantur, quamvis quoad effectum appellationis, vel
quoad alia substantialia ordinis judiciarii, causæ quæ sunt
ordinariæ, suam retineant naturam; *b* Quinimo ubi etiam
ista qualisqualis petitio inepte concepta esset, adhuc ta-
men, ubi subsequantur articuli ad effectum faciendi pro-
bationes, per istos talis defectus suppletur; Unde propter-
ea apud illos Practicos dicterium volitat, quod causa inci-
pit ab articulis, quod etiam alibi receptum est. *c*
Idemque magis generaliter in inferioribus Curiis, &
4 Tribunalibus Status Ecclesiastici, aliarumque Ditionum
servari habetur, quoniam causæ, quæ non sint mere exe-
cutivæ initium habent a libello, qui tamen subjectus non
est antiquis solemnitatibus, sed juxta varios stylos, per
viam narrativæ, & talis qualis petitionis initiantur.
Adhuc tamen, ea, quæ in jure disposita sunt, hodie
5 quoque subsistunt, circa libelli, vel petitionis declaratio-
nem, quoties ita Reus instet, ac petat, quando petitio
adeo obscura sit, ut resultet supra insinuatus effectus, quod
scilicet Reus deliberare non possit, an velit cedere, vel
contendere; Id autem procedit in causis ordinariis, ubi
juris civilis dispositio vigeat; secus autem ubi procedatur
cum illa juris canonici; Vel quod agatur de causis sum-
mariis, in quibus non attenditur quid petatur, sed quid
probetur. *d*
Sive ubi plura diversa, vel incompatibilia remedia,
6 seu actiones deducantur, quod hodie in vim clausula-
rum salutarium usu receptum est, ut infra in sua sede
cumulationis actionum advertitur *e*; Quoniam Reo in-
stante, adhuc tenetur Actor se restringere ad unum ju-
7 dicium, sive unam actionem, ne Reus super pluribus
evagari, suasque exceptiones parare compellatur, pro ju-
dicis arbitrio, quando æquitas ita exigat. *f*
Prout subsistit etiam antiqua regula, quod sententia
conformis esse debeat libello, adeout extra petita, con-
8 demnatio sequi non valeat. Quamvis eam ista species
nullitatis ad praxim deduci videatur, ob clausulas salu-
tares, quæ de communi stylo adjici solent; Nempe, *de-
ducens, &c. non se astringens, &c. & omni modo melio-
ri, &c.* per quæ deductum, ac intentatum censetur o-
mne pinguius, ac efficacius remedium, vel actio, ex
pluribus, quæ de jure competant. *g*
Suffragatur vero ista cautela, circa actiones, vel re-
media, quæ pro eodem jure, vel pro eadem re, inten-
tata fuerint; Non autem, ut liceat sententiare in una
9 re, si Actor alteram petiit, cum tunc clausulæ salutares
non suffragentur, tanquam accessoriæ, & consecutivæ,
ideoque restringendæ sunt ad specificata, pro eorum effi-
caciori consecutione, ne alias detur accessorium, sine
principali, quodque (exempli gratia) Actore petente do-
mum, Judex decernat vineam; Sive quod illo unam
personam induente, Judex ex altera pronunciet, cum si-
milibus, de quibus infra in singulis judiciorum, vel pro-
cessuum speciebus habetur. *h*
10 In Curia vero iste libellorum usus habetur solum in fo-
ro Capitolino, & in aliquibus inferioribus, vel particu-
laribus Judicibus, quorum tam magna copia habetur, ut
in ejusdem *Curiæ relatione*, inferius advertitur.
11 In Rota vero proceditur per viam commissionis, quæ
Papæ directa, per eundem, vel respective per Signatu-
ræ Justitiæ Præfectum signatur, ut in eadem *Relatione*

Card. de Luca, Lib. XV.

Curiæ insinuatur, agendo de utriusque Signaturæ, Gra-
tiæ, & Justitiæ Tribunalibus; Atque hinc manat, ut
ipsum Rotæ Tribunal ordinarium dicatur, singuli vero
Auditores dicantur delegati, ut in eadem *Relatione* ha-
betur, agendo de hoc Tribunali Rotæ. *i*
Super istis itaque commissionibus, quæ libellorum 12
vim habent; eorumque loco subrogatæ sunt, eædem,
de quibus supra quæstiones cadunt, super restrictione
scilicet ad petita; Quinimo strictius de juris rigore in
eis procedendum videtur, ex delegationis stricta natura,
non patiente extensionem de re ad rem, vel de casu ad
casum, sive de persona ad personam. *l*
Verum loco dictarum salutarium clausularum, quæ 13
in libellis adjici solent, adjicitur clausula *quam, & quas*,
quæ eosdem operatur effectus, ut omnis actio, omne-
que remedium, vel jus intentatum censeatur. *m* Eadem
tamen declaratione cadente, ut scilicet tanquam acces-
soria, & consecutiva, restringatur ad petita, aliaque a
specificatis emergentia, & dependentia, neque ultra se
extendat, vel jurisdictionem tribuat. *n*
In Tribunali autem Cameræ, quod habet Signaturam 14
in ventre, proceditur per viam propositionis, quæ vi-
cem habet libelli, vel commissionis, quod scilicet ea per
Actorem facta, in plena Camera, Decanus alicui Cle-
rico committit, vel distribuit causam cum eadem clau-
sula *quam, & quas*, adeout ista propositio, cum com-
missione Rotali, spectato effectu fraternizent, quamvis
in vocabulis, vel in formalitate diversificent. *o*
In altero Tribunali Aud. C. & in illo Vicarii procedi- 15
tur per viam monitorii, quod succedit loco libelli *p*;
Atque eædem clausulæ salutares, quæ in libellis adjici
solent, ut supra pariter adjiciuntur; eædemque in omni-
bus regulæ, vel declarationes procedunt, adeout (ut
præmissum est,) spectato effectu, omnia tendant in i-
dem, cum sola vocabulorum, vel formularum diversi-
tate, ut magis distincte advertitur, agendo de singulis
prædictis, ac aliis Tribunalibus Curiæ, eorumque par-
ticulari, ac diversa praxi.
In sacris autem Congregationibus, istæ inspectiones 16
non cadunt, cum revera contentiosa Tribunalia non
sint, neque in eis, litium, ac processuum veri termini
cadant, quoniam more Principis, potius quam Judicis,
supremas Vicarias Pontificis partes gerendo, in forma
summaria, & extrajudiciali procedunt, ut de ipsis in
eadem *relatione Curiæ* agendo advertitur *r*; Ac propter-
ea controversiæ, a memorialibus, vel supplicibus libel-
lis initium habent, neque per sententias, vel per decre-
ta finem causæ recipiunt, sed per resolutiones, vel ora-
cula; pro quorum executione, ordinariis judicibus re-
scribitur, si jus eos adeundi competit.
Procedunt hæc omnia in illis causis, quæ sive ordi-
nariæ, sive summariæ sint, atque sive petitorium, sive 17
possessorium concernant, cum formali tela judiciaria
initium habente a libello, vel monitorio; seu commis-
sione, ut supra per sententiam diffinitivam, vel per de-
cretum (quod juxta diversam Judiciorum qualitatem, il-
li æquipolleat) finem accipiant; Secus autem in causis,
& Judiciis executivis, quæ a simplici citatione, vel præ-
cepto initium habent, & pro diversa praxi, vel stylo,
ut pariter infra agendo de singulis Judiciis specialiter
advertitur; Hujusmodi generalitatibus ita in præsenti in-
sinuatis pro sola indicatione initii, vel introductionis
causarum, seu litium, cum de singulorum Judiciorum
progressu, & validitate in eorum particularibus sedibus
magis distincte agatur infra.
In Curiæ autem causis gravioribus, & præsertim Ro-
talibus, de commissionibus magis agi solet; Potissime 18
vero ubi sunt conditionales, per illas conditiones quæ
per ablativum absolutum concipi solent, puta per clau-
sulam *constito*, sive per alteram *refectis*, vel *parito*,
aut cum similibus, tunc illius purificatio, seu implemen-
tum requiratur, ad effectum ut judex habeat jurisdictio-
nem, atque procedere possit in causa, cum alias dica-
tur carere jurisdictione. *s*
Ea vero quæ in prima commissione apposita sunt,
præsertim clausulæ salutares, repetitæ censentur in aliis 19
subsequentibus ejusdem causæ commissionibus subroga-
toriis; vel dependentibus dummodo prima commissio
non sit de medio sublata. *t*
Item in ea attenditur rescriptum, non autem corpus
commissionis, quoniam signatura restringit; *u* Sive il- 20
la est quæ animat, & informat actum.
Subreptitia, vel obreptitia dicitur, nullamque tribuit 21

jurisdictionem commissio, quando non faciat mentionem
litis pendentis coram alio judice, cum ita implicitam ha-
beat avocationem, quæ non est præsumenda. x

Nisi adsit clausula *cujus statum*, *&c.* cum ista operetur
22 sufficientem mentionem litis y, quoties tamen non adsit
res judicata certa, non autem dubia, quo casu non rele-
vat. z Sive ubi agatur de causa pendente in Rota, quo-
niam tunc, licet ista clausula salvet commissionem, seu de-
23 legationem a vitio subreptionis, non tamen concedit, ut
lite pendente in Rota, alius executor manus apponat,
cum id videatur hujus Tribunalis speciale, quod ubi ma-
nus apposuit, cessent quicunque alii executores, sed ipsa
Rota succedit loco executoris, neque præsumenda sit avo-
catio nisi expresse dicatur. a

Sicuti etiam subreptitia est commissio, non facta men-
tione transactionis, cum ista rei judicatæ æquipolleat; Nisi
24 transactio sit nulla, cujus mentionem facere non oportet,
eodem modo quo non oportet facere mentionem rei judi-
catæ nullæ, vel notorie injustæ, quoniam tunc ea revera
adesse non dicitur. b

Avocatoria commissione accedente, alter Judex nulli-
25 ter procedit, quamvis adhuc non adsit citaon ad dicendum
contra, cum appositio manuum Papæ illico tollat juris-
dictionem. c

Nisi agatur de revocatione attentatorum, vel de punitio-
ne spretus ejusdem judicis c; Aut quod commissio contineat
clausulam *dummodo causa non sit instructa*, eaque instrua-
tur ante præsentationem commissionis. d

In reliquis autem, generaliter commissio non tribuit ju-
26 risdictionem, nisi prævia citatione ad dicendum contra,
efficiatur de actis, & communis, cum possit ille, qui eam
obtinuit, pœnitere, ac nolle uti e; Nisi ejus vigore obti-
nuerit citationem cum inhibitione, aliosve actus fecerit,
ex quibus arguatur voluntas utendi. f

Post reproductionem vero, dicitur absque dubio effecta
27 communis g; Ac etiam sine dicta citatione dicitur commu-
nis, ubi ea signata sit in plena signatura utraque parte infor-
mante. h Quod tamen procedit ad effectum introductionis
litis, quodque appellatus, invito appellante, illa uti valeat,
Non autem ad effectum devolutionis causæ a Judice, a quo,
ubi agatur de commissione appellationis, ut propterea Ju-
dex a quo remaneat impeditus in causa procedere. i

Alia vero quæ concernunt commissionem appellationis.
28 Et præsertim, an expedita ante sententiam suffragetur, ac
de diligentiis in ea adhibendis, ad evitandam desertionem,
agitur infra in Rubrica appellationum. l

Et de monitorii reproductione habetur in materia citatio-
29 nis, ubi an, & quando reproductio necessaria sit. m

In Rota sufficit unica commissio n; Atque si commissio
30 subrogatoria non inveniatur, sed ille, qui dicitur subro-
gatus, processit in causa, ea præsumitur, ideoque defectus
jurisdictionis non intrat. o

31 In commissione autem dependente citationem ad dicen-
dum contra non esse necessariam probabilius videtur. p

32 Atque circa superius insinuatam conclusionem, non
dandi extensionem de casu ad casum, vel de re ad rem,
33 seu de persona ad personam, frequenter disputare contin-
git de operatione clausularum *cum emergentibus*, *depen-
dentibus*, *annexis*, *& connexis*, *&c.* Veriusque videtur,
ut intelligi debeant in his quæ sunt ejusdem naturæ, cu-
jus est ipsa causa. q

An autem commissio directa judici ordinario, eum fa-
34 ciat judicem commissarium, advertitur *in disc.* in quo
de judice agitur. r

Atque licet clausula *justitiam faciat prout de jure*, nil
35 de novo tribuere videatur, non tamen limitat facultatem
circa expressa in commissione. s

Receptum vero est, quod ultima commissio est atten-
36 denda in Rota. t

Disputari etiam quandoque contingit, quando commis-
37 sioni censeatur renunciatum, quod regulam certam non
recipit cum ex facti circumstantiis pendeat.

In quibus vero causis necessarium sit monitorium, col-
38 ligitur ex singulorum judiciorum sede, vel tractatione,
præsertim occasione agendi de judiciis possessoriis, & exe-
cutivis, cum pleraque istorum a monitorio etiam ini-
tium habere debeant.

In S. Consilio Neapolitano adhibetur idem usus Rotæ
Romanæ, quod scil. causæ non initiantur cum libello, ut
in aliis illius Regni Tribunalibus, sed cum commissione,
quæ ibi supplicatio dicitur, atque adhibetur illa eadem ci-
tatio, quam in Curia dicimus contra commissionem, dum
39 ibi dicitur contra supplicata. x

De reformationibus autem commissionum, sive de no-
vis cum præinserta, & de aliis ad materiam commissionis
causarum, habetur in singulorum judiciorum discursibus,
ac etiam agendo de Signatura, ejusque stylis,

a Marant. *in prax. p. 4. dist. 9.* Muscat. *in prax. civil. p. 1. in princ.* b Maranta, & Muscatell. *ubi sup.*
c Muscatell. *ubi sup.* Rot. *decis. 78, n. 7. p. 7. rec.* ex Oldr. *cons. 144. in princ.* d Muscatell. *ubi sup.* Mantic. *decis.* 341. add. ad Boratt. *dec. 58. n. 7.*
e *Infra, disc. 15.* f *Apud allegatos proxime supra.*
g Dunozett. *dec. 792. n. 12.* Cels. *dec. 125. n. 3.*
h *Infra in eo disc. in quo agitur de sententia.*
i *Infra in relat. Curiæ, in disc. 32. in quo agitur de* Rot.
l Gregor. *decis. 34.* Buratt. *dec. 88. & dec. 85. p. 6. rec. tit. de marr. disc. 3. & sup. disc. 3.*
m Cavaler. *dec. 475.* Gregor. & add. *dec. 320.* Buratt. & add. *dec. 51. & 405. dec. 184. part. 7. rec.*
n Greg. *dec. 345.* Dunoz. *dec. 847. n. 4. & 5. & infra in eo disc. in quo de appellat. & in transportatione actorum.* o *Infra in relatione Curiæ, agendo de hoc Tribunali Cameræ, disc. 33.*
p Buratt. *dec. 109.* Ridolphio. *in prax. & passim.*
q *Infra in eadem relat. Curiæ agendo de hoc Tribunali A. C.* r *In d. relat. Curiæ agendo de Sat. Congregationibus.*
s Gregor. & add. *decis. 36.* Buratt. *dec. 124. & in relat. Curiæ, disc. 31.* t Coccin. *dec. 17.* Cavaler. *dec. 11. & 364. dec. 104. n. 6. part. 6. rec.*
u Bich. *dec. 198.* Buratt. *dec. 88.*
x Mantic. *dec. 167.* Buratt. & add. *dec. 74.* Bich. *dec. 370. n. 23.* y Greg. & add. *dec. 2.* Buratt. & add. *dec. 794.*
z Buratt. & add. *dec. 187. & d. dec. 794.*
a *Pluries sub tit. de benef. & infra agendo de executione literarum Apostolicarum.*
b *Decis. 343. part. 6. rec. dec. 52. part. 11.*
c Apud Bich. *dec. 623.* d Apud Bich. *ubi sup.*
e Buratt. & add. *dec. 138. & 871.*
f Buratt. & add. *ubi sup.* Dunoz. *dec. 664.*
g Buratt. & add. *ubi supr.*
h Bich. *decis. 617. ubi concordantes.*
i Apud Bich. *decis. 617. n. fin. & plenius, dec. 582. n. 9. & seqq. ubi concordantes.*
l *Infra agendo de materia appellationis.*
m *Infra, disc. seq.* n *In relatione Curiæ, disc. 32.*
o Coccin. *decis. 327. & in aliis pluries.*
p *Decis. 264. n. 20. part. 8. rec. ubi declaratur.*
q *Dec. 104. n. 41. part. 6. rec.* r *Supra, disc. 3.*
s *Interamnen. ususfructus 17. Februarii 1653.* Meltio.
t Buratt. *dec. 854.* *Lucien. administrat. 13. Junii 1653.* cor. Cerro, *& in aliis.* u *Dec. 264. part. 8. rec.*
x *Incidenter in relatione Curiæ, agendo de Tribunali Rota disc. 32.* y *In relat. Curiæ, agendo de utraque Signatura, disc. 30. & 31.*

De citatione, ejusque legitima executione, ac reproductione,

S U M M A R I U M.

1 *NOn sufficit monitorium, vel decreta citatio sine executione, & reproductione.*
2 *Citatus a judice incompetente, an illum contemnere possit, & non comparere?*
3 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
4 *De citationis valida forma.*
5 *De citatione a superiore demandata constare debet citando.*
6 *Citatio Judicis delegati debet continere delegationis tenorem.*
7 *Debet continere terminum competentem, alias non afficit.*
8 *Paria sunt nullam adesse citationem, vel eam non esse bene executam.*
9 *Regulariter debet esse de persona.*
10 *Fallit ubi vigeat stylus faciendi domi, ubi ille stylus vigeat.*
11 *De statutis demandantibus, ut etiam facta domi afficiat.*
12 *An per statutum, vel per Principem tolli possit citatio?*
13 *Contra latitantem, vel alias impedientem ne citetur, citatio habetur pro bene facta.*
14 *Item ubi non pateat tutus accessus, fieri potest per edi-*

ctum

ctum, & quomodo id tali casu practicetur, & de materia citationis per edictum.
15 *Quando dicatur non tutus accessus.*
16 *Quando impartitio brachii superioris localis sit necessaria.*
17 *An, & quando citatio fieri possit in alieno territorio?*
18 *Beneficiatus quando citari possit in loco beneficii.*
19 *Et an feudatarius in feudo?*
20 *Cum procuratore generali in Curia institui potest judicium in Curia sine citatione Generalis.*
21 *Malum consilium est deputare procuratorem generalem.*
22 *Item pro debito contracto in Urbe sufficit citatio per diligentias.*
23 *De citatione per contradictas mortuo, vel absente procuratore.*
24 *In facto notorio, an, & quando requiratur citatio?*
25 *De eadem materia notorii.*
26 *Confessus coram judice non est citandus.*
27 *Quid de obligato penes alia Curia.*
28 *Declaratur conclusio, de qua, n. 27.*
29 *An intrusus, vel alter, cui certum sit nullas competere defensiones, debeat citari?*
30 *Non requiritur citatio adversus impedientem de facto, ubi censura adhibeantur per viam defensionis.*
31 *Non requiritur citatio in judicio suspicionis fugæ.*
32 *De aliis casibus in quibus non requiratur citatio remissive.*
33 *Citandus est ille qui habeat principale, & immediatum interesse.*
34 *Defensor necessarius non est citandus.*
35 *Sufficit agere judicium cum gravato, absque necessitate citandi fideicommissarium.*
36 *Ubi sunt plures principales interessati, omnes sunt citandi, & an omissio citationis unius, causet nullitatem etiam quoad citatos?*
37 *In causa spectante ad Ecclesiam, vel ejus statum, qui sint citandi.*
38 *De citatione Capituli, vel Monasterii.*
39 *& 40 Licitum est citare unum pro alio, vel in certo loco, ex conventione.*
41 *Quid de citatione Communitatis, vel universitatis.*
42 *Per quos facienda sit citatio, & de ejus relatione.*
43 *Per ipsummet Judicem fieri potest citatio.*
44 *An citatio fieri possit in Ecclesia?*
45 *Quid de citatione quæ nullum contineat terminum.*
46 *Comparitio supplet omnem defectum citationis.*
47 *Negativa citationis quomodo probetur.*
48 *Quando citatio circumducatur.*
49 *An defectus citationis allegetur a tertio?*
50 *Quid de citatione, quæ nullam contineat diem.*
51 *De citatione ad sententiam.*
52 *An possit fieri die feriata?*
53 *An debeat continere peremptorium?*
54 *An unica citatio sufficiat pro tota causa?*
55 *De circumductione citationis.*
56 *Facta ex errore contra unum, an afficiat alterum?*
57 *Quid de facta contra illum, qui duplicem personam gerat.*

D I S C. IX.

1 CUm pro litis, vel judicii introductione, ut *in precedenti discursu* advertitur, libellus, vel commissio, seu monitorium, cum decreta Partis citatione non sufficiat, nisi ejusdem citationis legitima accedat executio, cum ejus reproductione, qua mediante, Judex de sua jurisdictione certus reddatur, ideoque citatum non comparentem, contumacem reputare valeat, atque contra eum, servatis de jure servandis, ad condemnationem, ejusque executionem procedat; Idcirco de hac citationis materia, pro judiciorum, seu processuum validitate, frequenter agi contingit; Easque triplicem habet inspectionem. Præsupposito tamen primario, ac essentiali requisito jurisdi-
2 ctionis, & competentiæ, sine quo, reliquorum inanis expressio est, quoniam posito defectu jurisdictionis, & competentiæ, citatus recte contemnere potest citantem, a quo contumax reputari non potest, cum quoad eum loco privati habeatur; quoties tamen incompetentia omnimoda sit, adeout, actu, & habitu deficiat; Secus au-
3 tem ubi adsit quidem habitualis, sed actualis declinari valeat ratione majoris competentiæ alterius judicis, vel fori, cui causa remittenda sit, ut superius advertitur, agendo de judice incompetente, vel recusabili. *a*
4 Plures igitur desuper cadunt inspectiones, ut adversus legitime citatum, ad alios actus contumaciales, eo non comparente, procedi valeat; Primo nempe super ipsius decretæ, vel demandatæ citationis valida forma, ut per eam citatus agnoscat, se ab illa affici, & arctari ad comparendum, quodque alias agnoscat, vel agnoscere debeat se contumacem reputari posse.

Itaque prima inspectio in plures alias subdistinguitur; Primo nempe circa legitimam probationem de facto, idest quod juxta illius Judicis, vel Tribunalis stylum, authentica sit, atque expedita juxta formam consuetam, ad hoc ut citatus agnoscat, quod revera a suo Judice avocetur, ideoque requiritur, ut super originali mandato fiat ei denunciatio, ejus copia autentica relicta; Quamvis in hoc stylo deferendum sit. 5

Secundo ubi non de ordinario Judice agatur, vel notorio delegato ad universitatem causarum, qui Ordinarii jure censetur, sed de delegato speciali, ut citatio contineat delegationis notitiam cum ejus insertione, ut citatus 6
sciat eum esse judicem, quem seclusa delegatione recto scit non esse talem, quodque propterea illi parere non teneatur, pariter supra agendo de Judice advertitur. *c*

Et tertio ut citatio congrua sit, atque talis, cui citatus parere valeat; Et præsertim, pro frequentiori contingentia, ut competentem terminum contineat, intra quem comparitio sit possibilis; alias etenim si terminum incompetentem contineat, inutilis remanet, atque non afficit, quamvis Judex, non nisi elapso termino competenti, ad judiciales actus procedat; Ut puta, de mandato Auditoris Cameræ, vel Rotæ, citatur aliquis in partibus ita remotis, ut, juxta legalem itineris computationem requirantur decem dietæ; Si citatio contineat terminum breviorem, puta ad comparendum quinta, vel sexta die, &c. tunc illa non afficit, quamvis nonnisi post decimam ad actus contumaciales procedatur, quoniam ut citatio afficiat, terminum competentem continere debet, atque alias licite sperni potest; Sive ubi sit pro eadem die; nisi pro causæ qualitate fiat ad hodie personaliter. *d*

Altera est principalis inspectio, super ejusdem citationis 8
legitima executione, cum paria sint, citationem nullatenus adesse, vel male executam esse, ob parificationem inter nullum, & nihil, idque nullam recipit dubitationem, quoties (ut infra) comparitio non sanet defectum.

Modus autem citandi, regulariter, cessante legitimo 9
stylo particulari, est, ut personaliter fiat, neque sufficiat fieri domi habitationis, vel penes domesticos, sive per edictum, aut per proclama, quoniam, ad inducendam contumaciam, necessaria est scientia vera, & certa, quæ sine citatione personali non verificatur ob contrariam possibilitatem, ut alias facta ad ejus notitiam non devenerit, ideoque regulariter citatio personalis esse debet, neque alias afficit. *e*

Plures tamen limitationes ista regula patitur, de qui- 10
bus infra, in singulorum judiciorum progressu, ac sedibus; *f* Et præsertim primo, ubi illius Tribunalis stylus sit in contrarium, quod citatio facta domi solitæ habitationis, vel relicta penes domesticos sufficiat, ut in Curia præsertim docet stylus Auditoris Cameræ, ac etiam quorundam aliorum Tribunalium, ut in eorum singulis rubricis *in relatione Curiæ* advertitur. *g*

Secundo ubi vel ex Statuto, vel ex alia lege muni- 11
cipali, cautum sit, ut citatio domi habitationis, vel penes domesticos, sufficiat, ac habeatur, perinde ac si personaliter facta esset, ut in aliquibus locis praxis docet hujusmodi legum existentiam, earumque validitas firmata est, eodem modo, quo ex supra insinuato stylo receptum habemus, cum eadem sit utriusque casus ratio. *h*

Quamvis etenim magna inter DD. quæstio sit, an legi 12
positivæ animatæ, vel inanimatæ facultas competat tollendi citationem, quæ juris divini, & naturæ reputatur, ex eo id desumendo, quod ipsemet Deus cum Adam primo parente post contraventionem præcepti in terrestri Paradiso practicavit, deindeque cum Cain fratricida, multaque hinc inde deducantur argumenta; Ea tamen academicis relinquendo; Quatenus pertinet ad forensem praxim, illa est probabilis, receptaque distinctio, inter substantiam, & modum, ut prima pars de jure divino, vel naturali reputetur, ideoque tolli non possit; Secus autem quoad secundam, circa solemnitatem, vel modum, utpote juris positivi, quod ita inducit probationem, vel præsumptionem scientiæ, cujus finis est citatio. *i*

Tertia limitatio est, ubi ipse citandus, affectare latitet, 13
seu alias impedimentum præstet, quominus citatio contra eum executioni demandetur, ex recepta regula, quod im-

pediens

pediens citari, habetur pro citato; Inter etenim eadem ratio scientiæ, pro cujus fine citatio adinventa, & desiderata est, dum ita affectando latitationem, vel impedimenta, scite ostendit se citari debere, seu citationem contra eum decretam esse. *l*

14 Quarto in idem, ubi citandus sit in loco, ad quem non pateat tutus accessus illius ministri, qui ex sola auctoritate citantis, citationem exequi debeat; Idque hodie, agendo de citationibus decretis a Tribunalibus Romanæ Curiæ, videtur in praxi pene generale in omnibus principatibus, vel dictionibus extra illam temporalem Ecclesiæ, ubi agatur de causis prophanis contra laicos, seu quod alias, per Principes, & Magistratus sæculares de eis prætendatur privativa competentia, seu Romanæ Curiæ incompetentia, quod denegatur facultas exequendi citationem, unde propterea notoria sunt impedimenta, quo præstari solent, absque probabili spe, ut de facili dilui possint, quoniam tunc sufficit citatio in locis magis adjacentibus per edicta; Talisque est frequens praxis, quod scilicet ubi agatur de talibus locis, ad quæ per terrestre iter, de necessitate, vel pro frequentiori usu accessus habeatur, citationes fiunt in locis confinium Status ecclesiastici, versus illam regionem seu ditionem; Ubi vero iter sit maritimum, fit in locis magis frequentatis maritimis, nempe in portu centum cellarum, seu Civitatis vetulæ; Quoniam non dato tuto accessu, locus est citationi per edictum. *m*

15 Secus autem ubi adsit solum quoddam impedimentum congruentiæ, quod de facili removeri potest, ac solet; Ut puta pro frequentiori praxi, Magistratus sæculares brachium impartiri volunt citationibus, aliisque expeditionibus Romanæ Curiæ, exequendis cum Clericis, & Ecclesiasticis, vel etiam cum laicis, in causis mere Ecclesiasticis, & spiritualibus, in quibus nulla competentiæ quæstio cadat, id desiderando ad solum effectum notitiæ, & ne sequatur actus proprie jurisdictioni præjudicialis, *n* quoniam cum istud sit impedimentum quod de facili, & cum modica diligentia removeri potest, idcirco aditum non præbet dictæ praxi citationis prædictum, quoniam etiam ipsimet locorum Ordinarii, aliique ecclesiastici Prælati, & Magistratus; præsertim vero (& quidem tenaciter) Cardinales Legati ipsiusmet Status ecclesiastici, hanc scientiam desiderant, atque istud brachium, seu assensum impartiri volunt.

16 Licet enim juxta distinctionem alibi deductam in ordine ad istius licentiæ, seu brachii impartitionem, inter ipsosmet ecclesiasticos, Prælatos, vel Magistratus, distinctio fit, inter citationes, quæ decernuntur per Judices Romanæ Curiæ, aliosque delegatos Apostolicos nomine Papæ, id decernentes, & illas, quæ decernantur per Ordinarios locorum, seu alios officiales habentes restrictam jurisdictionem intra proprios fines; Ex ea differentia ratione, quod isti dicuntur exercere actum jurisdictionalem in territorio alieno, quod non congruit Papæ, qui est Episcopus Ecclesiæ universalis, ideoque universum Mundum habet pro diœcesi, & consequenter non dicitur exercere jurisdictionem in alieno territorio. *o*

17 Quinimo etiam respectu Ordinariorum, aliorumque Prælatorum, & Magistratuum, altera subsistit distinctio, particulariter alibi acta, inter citationes verbales, & reales; ut primæ in proprio territorio decretæ, contra proprios subditos, vel alios, cum quibus competentia habeatur, exequi possint absque licentia, vel consensu Ordinarii loci, atque ita executæ afficiant; Adhuc tamen, pro communi frequentiori usu, ea ratione saltem congruentiæ, vel prudentiæ, ad jurgia, vel scandala tollenda, istius brachii impartitio peti solet; sed quia non solet denegari, idcirco sequitur, ut reputandum non veniat sufficiens impedimentum, ob quod ad citationem per edictum deveniri valeat. *p*

18 Quinta est limitatio ubi, non constito in superiore citante de scientia loci, in quo citandus existat, atque commode citari valeat, agatur de causis concernentibus rem, apud quam ipse citandus esse debeat; Ut puta, (exemplificando pro frequentiori contingentia) in spiritualibus sequi solet in beneficiato, super processu contra eum habendo pro condemnatione ad pœnas ob non residentiam, quoniam citari potest per edictum in loco beneficii, cum distinctionibus in beneficiali materia recensitis inter beneficia curata, & non curata; Sive inter processum juxta formam Sacrorum Canonum, vel juxta illam Sacri Concilii Tridentini; Vel quod aliud in concernentibus ipsum beneficium, ejusque administrationem demandandum sit, cum similibus. *q*

Sive in prophanis, quod agatur contra feudatarium in causis concernentibus feudum, quoniam sufficit illum citari in loco feodi per edictum, & per proclama in locis publicis, sive in palatio solitæ residentiæ Baronis, & feudatarii, aut penes domesticos, vel ministros, juxta diversos stylos, vel praxim, cum similibus, quibus eadem respective ratio congruat. *r* 19

Sexta limitatio est in Curia Romana, ex ejus particulari stylo, ubi citandus in ea procuratorem generalem habeat, quoniam quamvis aliarum causarum, vel negotiorum occasione sit deputatus, adhuc tamen cum co novum, ac diversum judicium inchoari, & prosequi potest; Ideoque 20 Imprudens consilium est, ut illi qui vocati ad Curiam occasione alicujus causæ particularis, pro ejus defensione, 21 procuratorem deputare coguntur, deputationem generalem faciant, nulla exigente necessitate, cum sufficiat deputatio pro illa causa particulari, unde propterea in deputationibus generalibus adhiberi solet cautela, illas restringendi ad causas activas tantum, non autem ad passivas.

Septima est limitatio, pariter de stylo Curiæ, ubi procurator jam deputatus in causa, decedat, vel se absentet, quoniam non per hoc colligans tenetur perquirere collitigantem in partibus, eumque denuo citare, sed recte procedi potest ad compilationem processus, vel judicii contumacialis, quod in curia dicitur per contradicta, sibique imputet ille, qui de morte, vel absentia procuratoris deputati solicitus esse non curaverit; *s* De alia vero citatione per contradictas contra contumacem habetur infra in discursu judicii contumacialis. *t* 22

Octavo, ex eodem Curiæ stylo, quando agatur debito contracto in Urbe, ubi etiam promissa sit solutio, 23 quod absque promissione, de jure inest, quoties contrarium conventum non sit, quoniam si debitore absente, non teneatur creditor illum perquirere in partibus, sed sufficit eum citare per diligentias in eadem Urbe per cursorea adhibendas, atque ita judicium contumaciale recte perfici potest. *u*

Nono, ubi agatur de re, quæ utramque facti, & 24 juris certam habeat notorietatem; Quod tamen in civilibus raro ad praxim deducitur, solumque practicari solet aliquando in declaratione censurarum ipso jure inflictarum, puta ob percussionem Clerici, seu ob violationem ecclesiasticæ immunitatis, cum similibus, quoniam si accedat certa, & incontrovertibilis notorietas facti, quod nullam habeat excusationem, cum notoria sit dispositio juris, idcirco absque necessitate præviæ citationis, ad declarationem procedi potest. *x*

Ac etiam in aliquibus partibus, præsertim vero in Tri- 25 bunalibus, & Curiis Regni Neapolitani, practicari quandoque solent condemnationes ad pœnas personales, vel pecuniarias de facto, nulla prævia citatione, aliove processu, ratione notorietatis, quia nempe coram Judice in publica audientia aliquis convicietur, seu aliter, verbis, vel factis offendat eundem Judicem, vel alium Curiæ officialem, sive collitigantem, unde propterea illi practici Criminalistæ super hoc notorio se nimium diffundunt. *y*

Decimo, ubi agatur de confesso coram Judice in calore & 26 figura judicii, ex regula, quod in confessum nullæ sunt Judicis partes in condemnando, sed solum in exequendo. *z*

Hinc autem in ejusdem Neapolitani Regni Tribuna- 27 libus, & Curiis laicalibus, quidam usus inolevit, relaxandi mandata executiva, seu literas executoriales, de facto nulla prævia citatione, pro obligationibus penes acta Curiæ, ex ea ratione, quod ita agi dicatur de debito confessato cor. Judice; idque ad instar, seu per limitationem practicari consuevit etiam in Curiis Episcopalibus aliisque Ecclesiasticis; Verum per Curiam Romanam perpetuo id improbatum fuit, ideoque hujusmodi executiones, cum omnibus inde secutis, semper retractatæ fuerunt, ac retractantur, tanquam notorie nullæ, ex omnium magis substantiali nullitate resultante a defectu citationis; Et merito quidem, quoniam, ut alibi quoque advertitur, dicta conclusio, quod in confessum Judicis partes non sunt in condemnando, sed in exequendo, vera est de jure, sed clara fallacia est in applicatione, cum procedat in ea confessione vere judiciali, quæ scilicet coram Judice pro Tribunali sedente, vel agente in forma, & figura judicii contentiosi fiat de debito jam maturato, nullaque exceptione elidibili, secus autem in hac specie confessionis; Tum quia est potius in forma judicii voluntarii, & pacifici; Tum etiam quia ex recepto stylo, hujusmodi obligationes recipiuntur per Notarium, seu Actuarium ex quadam tacita subintel-

lecto

lecta generali Judicis delegatione, ideoque in substantia est iostrumentum rogatum per Notarium actitantem; Ac eóam clarius, quoniam non est de confessione debito puro & maturato, cujus tunc illico debitum sit implementum, sed de confessione debiti, cujus solutio intra certum conventum tempus promissa sit, ideoque debitor omnino citari debet, quia incontinenti de solutione vel alio implemento docere poterit. *a*

28 Quinimo etiam ubi addatur de dicta alia specie confessionis factæ coram ipso Judice pro Tribunali sedente in forma, seu calore judicii contentiosi, ubi confessio fieret non pura, sed qualificata, puta quia debitor confiteretur debitum, cum certa qualitate dilationis, vel implementi conditionis, tunc utique non poterit relaxari mandatum executivum de facto pro debito, cujus solutionis dies adhuc non cesserit, & quando cesserit, omnino requisita videtur citatio, eo quia potuit jam secuta esse satisfactio, ac propterea omnino irrationabile videtur, ut quis de facto possit carcerari, vel executionem in bonis pati cum gravi injuria, vel molestia pro debito jam soluto. *b*

29 Undecima est limitatio, ubi certum sit, quod nullæ competant defensiones, vel exceptiones, istaque limitatio fraternizat cum altera notorietatis superius insinuata, raraque proinde in civilibus est ejus praxis, atque solum de illa agi solet, præsertim in beneficialibus, ubi agatur de intruso, de quo disputatur, an sit citandus; Idque ad instar trahi solet spoliatorum de facto; Verum ad hunc effectum exigitur intrusio omnino certa & notoria cum utraque notorietate facti & juris, alias etenim regula est, ut quicunq; possessor quamvis prætendatur intrusus, vel injustus spoliator, sive ut nostri dicunt fur, vel prædo, citari debeat. *c*

30 Duodecima est limitatio, ubi agatur de illis actibus qui per Judicem, & Superiorem fiant, adhibendo arma judicii, vel jurisdictionis, potius per quandam speciem defensionis, de facto ita vim vi repellendo; Ut puta juxta casum frequenter contingibilem, quod Episcopus, vel alter Prælatus, aut superior Ecclesiasticus, nulla prævia citatione, nulloque ordine judiciario servato procedat ad censuras contra usurpatores bonorum, & jurium Ecclesiasticorum, vel turbatores de facto tanquam per speciem defensionis, ita cum istis armis vim vi repellendo, quando alias consuli, seu occurri non possit, adeout verificetur defensionis requisitum, quod ita sequatur absque discrimine inculpatæ tutelæ. *d*

31 Decimatertia est omnium forte frequentior limitatio in judicio suspicionis fugæ, quod cum particularem habeat inspectionem inferius, idcirco ad ibi deducta relatio haberi debet. *e*

32 De plerisque autem aliis casibus, in quibus pro Tribunalium, vel regionum usibus, ac stylis, vel etiam legibus scriptis citatio omitti potest, vel alias circa eam juris communis dispositio alterata sit, agunt diversorum Principatuum, seu Tribunalium practici, ac etiam agendo infra de singulis judiciis, vel remediis insinuatur, & præsertim agendo de concessione familiæ, habenti facultatem capiendi propria auctoritate, quod sub associationis nomine, seu vocabulo, in Curia explicatur. *f*

Præsupposito autem, ut cessantibus casibus limitatis ut supra, versemur in casu regulæ generalis, super necessitate citationis, plures desuper instant inspectiones; Primo nempe super personis, quæ citandæ sunt, adeout omissio citationis vitiet processum, vel aliud negligenti præjudicium causet.

33 In hoc autem regula est, ut sufficiat citare illum, quem principaliter causa tangit, & qui est directus ac immediatus defensor, nulla vero suppetit necessitas citandi eos, qui habeant interesse, vel patiantur præjudicium accessorium, & consecutivum; *g* Itaque regula firma existente, quæstiones cadunt super applicatione, an scilicet & quando interesse dicatur connexum, & coæquale, seu æque principale, & quando accessorium, vel consecutivum; puta (agendo de prophanis,) principalis, qui citari debet, est rei controversæ possessor, ejus autem auctor, vel defensor necessarius, qui possessorem in casu evictionis relevare debet, (unde propterea spectato effectu contra ipsum causa tendat) non est citandus: *h*

34 Ita pariter judicium agere sufficit cum hærede gravato, vel cum possessore fideicommissi, seu majoratus, nulla vero suppetit necessitas citandi substitutos, & successive vocatos cum similibus. *i*

35 Si vero sint plures ejusdem rei, vel ejusdem hæreditatis directi possessores, omnes citandi sunt, quoniam omnes causa principaliter tangit, omnesque sociativo jure unicam personam intellectualem repræsentant; Istoque casu instat quæstio, an omissio citationis unius, vel plurium cohæredum seu principalium interessatorum, vitiet judicium, seu processum in totum, etiam respectu eorum, qui citati fuerint, vel potius intactum remaneat præjudicium non citatorum, ut ab eo judicio, vel processu non affi- 36
ciantur; Ex licet aliqua dignoscatur (pro generali stylo) opinionum varietas, Verius tamen, magisque receptum videtur, ut decisio pendeat a natura judicii, vel interesse, an scilicet sit omnino connexum & individuum, vel e converso dividuum, ut primo casu omissio citationis unius vitiet processum in totum, etiam respectu citatorum, in altero autem secus, sed non afficiat non citatos.

Ut puta (exemplificando in spiritualibus,) ubi ex. gr. 37
agatur de causa jurisdictionali, vel præeminentiali super statu Metropolitico, vel Cathedratico, vel alia jurisdictione activa, sive exemptione passiva alicujus Ecclesiæ, sufficit citare Prælatum, & Capitulum, a quibus coæquali jure illa Ecclesia constituitur, vel efformatur, ideoque eadem, & æque principalis est defensio, adeout omissio citationis unius vitiet processum in totum, dum agatur de jure connexo, & individuo, sed non est opus citare clerum, & populum, quamvis, & ipsi interessati sint ob commoda & præeminentias, vel respective præjudicia, quæ ipsis ex eo judicio resultant, quoniam ad eos non pertinet defensio, eorumque jus, vel interesse est solum accessorium, vel consecutivum. *l*

Ita pariter ubi agatur de causa alicujus Monasterii, vel 38
Conventus regularis, non sufficit citare Abbatem, vel Priorem, sed citatio facienda est totius Conventus, vel Capituli conventualis, *m* sed non est opus citare Prælatos generales Religionis, sive e converso Prælatos, vel administratores granciarum, & membrorum Monasterii, quoniam eorum jus, vel interesse respective est accessorium, vel consecutivum; illudque operatur ut dici valeant interessati ad effectum, ut volentes admitti ad causam, atque assistere ejus defensioni, non possint repelli, cum ad hunc effectum sufficiat interesse qualequale etiam remotum, seu mediatum, vel accessorium, non autem, ut pro validitate judicii citari debeant. *n*

Altera inspectio est super modo citandi, ut scilicet 39
quando agitur de personis singularibus, exceptis casibus limitatis, de quibus supra, regulariter citatio debeat esse personalis; *o* Atque ultra limitationes superius recensitas, aliæ quoque resultant, ex ipsarum Partium conventione, ob quam firmari solet, ut liceat citare in quadam domo, seu alio loco, quamvis citandus ibi non moretur, ut in plerisque partibus in usu est, & præsertim frequentius in Civitate Neapolis, quod in contractibus statui solet locus, in quo unus ex contrahentibus pro adimplemento citari potest, deputando frequentius domum, seu mansionem Notarii rogati, quæ ibi Curia dicitur; *p* Sive conveniendo quod 40
una persona pro alia citetur, ut quandoque ratione legati administrationis de jure fieri potest, puta citando patrem legitimum administratorem in causa filii, seu virum in causa uxoris cum similibus. *q*

Ubi vero agatur de citatione alicujus universitatis, vel 41
corporis politici, puta Communitatis, vel Populi, vel sive Capituli Monasterii, non sufficit citare singulos, etiamsi citatio esset in eorum personis, sed citari debet ipsum corpus collegialiter, seu capitulariter congregatum; Cumque hæc species citationis non sit de facili practicabilis, unde propterea posset ita altera Pars eludi, atque judicium impediri; Hinc proinde interessatus citare debet Prælatum, vel alium, ad quem de jure, vel de consuetudine pertinet convocare Capitulum, vel Populum, seu Consilium Civitatis, sin minus in contumaciam liceat ad ulteriora procedere. *r*

Executio autem citationis fieri solet frequentius per 42
cursores, vel nuncios, seu bajulos, ad id in officio deputatos, super quibus quæstiones cadere solent, an eorum relationibus absque Notario, & testibus deferendum sit; Sive an deferatur Notario tantum, sine ipsorum subscriptione cum similibus; Atque neglecta opinionum varietate, locorum Tribunalium stylis deferendum venit. *s*

Per ipsum autem Judicem ore proprio citatio fieri po- 43
test, atque in causis Ecclesiasticis etiam per privatos, quinimo per religiosos, ubi de illius veritate constet. *t*

In Ecclesia, vel in alio loco exempto, sive extra ter- 44
ritorium, dummodo vel in proprio territorio, vel in loco suæ jurisdictionis decreta sit, verius est ut citatio verbalis fieri possit, illaque afficiat, cum prohibitio citationem realem percutiat. *u*

At-

Atque ubi nullam diem, vel tempus contineat, aliquorum opinio est, ut intelligatur de prima die; Aliorum vero,
45 ut de termino congruo; Et aliorum, ut tanquam vaga, invalida sit, atque nullatenus sufficiat; ideoque locorum, vel Tribunalium stylis deferendum videtur. *x*

46 Cumque finis citationis sit partis citandæ scientia, & evocatio, ideirco ejusdem partis comparitio, seu alias agnita citationis executio, omnem supplet defectum; *y* Sed sine legitima executione, sola ejus decretæ scientia, vel illegitima executio non sufficit, nisi latitatio, vel affectatum impedimentum accedat ut supra.

47 Negativa vero citationis probatur ex revolutione processus, & actorum, in quibus ea contineri debet; ideoque desideratur actorum integritas, ut alibi advertitur. *z*

48 Circumduci quoque citatio solet, ac evanescere, quando intra certum terminum non reproducatur; In hoc autem regula certa statuenda non videtur, quoniam locorum, ac Tribunalium stylis, qui varii sunt, deferendum est. *a*

49 Citationis autem defectum a tertio allegari non posse, est regula, nisi superius allegata ratio connexionis vitiet totum processum etiam respectu citatorum, ob omissam citationem aliorum. *b*

50 Si citatio nullum contineat diem, quod substineatur pro prima, si in ea detur possibilitas comparendi, quandoque firmatum fuit. *c*

51 Nisi agatur de citatione ad sententiam, quæ debet continere diem certam, in qua sententia proferri debet, adeout lata per terminum invalida sit; Nisi contumacia citati, vel stylus aliter suadeat, ut in sententiæ, ac nullitatis sedibus advertitur. *d*

52 Die feriata citatio fieri, seu exequi juxta unam sententiam non potest, licet non desint contrarium tenentes, ideoque locorum stylis, & praxi deferendum est: Sed citatus die feriata comparet, nullitatem allegare non potest ex eadem superius assignata ratione, quod omnis citationis defectus per comparitionem sanatur. *e*

53 Peremptorium de jure necessarium videtur, ut citatio contineat; In Curia vero de stylo non requiritur; Multo vero magis in causis beneficialibus, summariis, in quibus etiam de jure id non sit necessarium. *f*

54 Ad totam causam, an unica citatio fieri possit, ac sufficiat de jure, est sub quæstione, sed in Curia de stylo sufficit, ac substinetur. *g*

55 Per simplicem comparitionem, ac jurium exhibitionem non circumducitur citatio nisi jura per Judicem admissa sint, *h*

56 Lapsus vero termini circumductionem non producit in Rota, in qua licita est reproductio infra annum, sive ubi agatur de citatione generali ad totam causam, regulariter autem lapsus termini circumductionem producit. *i*

Facta ea errore contra unum habitantem in eadem domo, in qua alter inhabitet, substinetur, si constet ita citationem devenisse ad notitiam ejus, qui citandus erat, cum iste sit finis citationis. *l*

57 Si vero facta sit contra illum, qui duplicem gerat personam nulla expressa, ut afficiat eo modo quo afficere debet; Secus autem si persona non exprimatur. *m*

a *supra disc. 3.* b *praxis est diversa, ideoque id non recipit certam regulam.* c *eod. disc. 3. supra.*

d *Clem. 1. de judic. cum concord. late deduct.* per Vestr. & adden. *lib. 4. c. 2. & lib. 7. cap. fin.* Mantic. *dec. 8. dec. 199. n. 12. p. 5. rec. & dec. 233. n. 10. p. 7.*

e Rovit. *pragm. 3. de citat.* add. ad Vestr. *lib. 5. cap. 13. cum aliis de quibus infra in limitationibus, dum regula supponitur certa.*

f *infra in discursibus particularibus singulorum judiciorum, & in relatione Curiæ agendo de singulis Tribunalibus, eorumque stylis.*

g *ibid. & de citat. facta domi,* Rovit. & add. ad Vestr. *ubi supra, dec. 185. p. 7. rec. n. 27. & seqq.* Buratt. *dec. 186. n. 11 & in locis supra cit.*

h apud Ottbob. *dec. 269.* & apud Cels. *dec. 152.*

i Buratt. *dec. 118.* Capyc. Latr. *dec. 88. num. 34. & seqq. apud quos concordantes.*

l Ridolph. *in praxi, p. 1. c. 3. n. 11. & c. 14. n. 242.* Buratt. *dec. 416. & 519.* Cels. *dec. 130. & 177.*

m *de ista citat. per edictum, & quando ei sit locus,* Rovit. *super pragm. in rubr. de cit.* Burat. & add. *dec. 943. dec. 70. & 306. par. 7. rec.*

n *de hoc* Rovit. *super pragm. 4. & 5. de cit. & de ista executoriatione agitur, sub tit. de feud. disc. 107. & l. 14. in Miscellan. Eccl. disc. 22.*

o *tit. Miscellan. Eccl. l. 14. d. disc. 22.*

p *d. disc. 22. Miscell. Eccl. & de jurisdiction. disc. 20.*

q *tit. de benef. disc. 77. & in supplemento eod. tit. in Vestana Canonicatus.* r *sub tit. de feud. disc. 33.*

s *infra disc. seq.* t *eod. disc. seq.* u *d. disc. seqq.*

x Marant. *in prax. p. 6. membr. 1.* add. ad Vestr. *lib. 6. c. 2. num. 30.* add. ad Buratt. *dec. 166.* apud Bich. *dec. 589.*

y Follet. *in prax. crim. verb.* verbo *Item quid est notorius delinquens.* z add. Vestr. ad *lib. 5. c. 16. n. 9.* Post. *de manutenen. observ. 19. ex n. 17.*

a *sub tit. de credito, disc. 116. & infra in disc. in quo agitur de judicio executivo.* b *ibidem.*

c *supra tit. X. & de intruso, lib. 12. tit. de Benef. disc. 55. & 73. n. 26.* d *tit. de jurisd. disc. 47. & 48.*

e *infra in disc. particulari super hoc judicio.*

f *infra in particulari disc. super associatione.*

g *tit. de jurisd. disc. 2. 18. & 22.* apud Cavaler. *dec. 328.* Buran. & add. *dec. 371. & sæpius.*

h *eod. tit. de jurisd. disc. 63.*

i Molin. *de primog. lib. 4. c. 8.* Giurb. *dec. 1.* Rovit. *dec. 1.* Put. *dec. 91. lib. 3. ubi quod de stylo Curiæ, debet etiam adesse citatio per edictum contra sua putantes interesse,* Fusar. *q. 622.* Gregor. & add.

l *dict. tit. de jurisd. disc. 2. 18. & 22.*

m Greg. & add. *dec. 584.* Mantic. *dec. 309.* Cavaler. *dec. 435. dec. 181. p. 10. rec.* n *ibid.* o *supra, n. 9.*

p Rovit. *super pragm. in rubr. de liquid. instrum. n. 47. dec. 302. n. 7. p. 8. rec.*

q Cavaler. *dec. 353.* Rota *dec. 112. p. 10. rec.*

r Rovit. *pragm. 2. de citat.* add. ad Vestr. *lib. 4. c. 3. n. 12.* Seraphin. *dec. 1406.* Cavaler. *dec. 408. & 410.*

s Gabr. *de citat. conclus. 4.* Menoch. *de Arbitr. casu 112.* Buratt. & add. *dec. 324. dec. 241. p. 10. rec.*

t *eodem loco ubi supra.* u *tit. de jurisd. disc. 70.*

x *habetur supra n. 7.*

y Greg. & add. *dec. 27.* Burat. & add. *dec. 727.*

z *infra in disc. super transportatione actorum.*

a Franch. & add. *dec. 232.* b Gregor. & add. *dec. 137.* Burat. *dec. 371. in fin. d. disc. 79. de jurisd.*

c Seraph. *dec. 857.* Cavaler. *dec. 376.* Mantic. *dec. 8.*

d *infra in disc. particulari de sententia, & in altero de nullitate.*

e Vestr. ad add. *lib. 5. cap. 3.* Rovit. *pragm. 1. de cit.* Rot. *in Auxim. fideicommissi 24. Martii 1662.* coram Albergato. f Vestr. & add. *lib. 4. c. 2. n. 7. & 12. cum seq.*

g Vestr. ad add. *lib. 4. c. 4.* Rot. *dec. 282. p. 10. rec. & infr. disc. seqq.*

h Afflict. *dec. 115.* Burat. & add. *dec. 727.* Royas *dec. 472.*

i *dec. 7. p. 7. rec. Melevitana hereditatis 26. Januarii 1637.* coram Panzirolo. l Rot. *dec. 112. & 202. p. 10. rec.* m Ottbob. *dec. 103. & 237. dec. 40. p. 11. rec.*

S U M M A R I U M.

1 *IN erectionibus Cathedralium, vel Metropolitanarum, quinam sint citandi.*

2 *De controversia inter Cursores, & mandatarios circa executionem citationum cum seqq.*

3 *De differentia inter citationes judiciales, & extrajudiciales, & sub n. 41.*

4 *De duplici figura quam gerit Romana Civitas.*

5 *De differentia inter Cursores, & mandatarios.*

6 *Qualia dicantur Tribunalia Curialia.*

7 *Mandatarii non possunt se ingerere in pertinentibus ad Curiam Papalem.*

8 *Fallit in casu mixto ibidem contento.*

ANNOT. AD DISC. XI.

QUoad punctus, quisnam sit principalis interessatus, qui pro actorum validitate citari debeat, ultra hic deducta, *& in disc. 2. & in aliis sub tit. de jurisd.* habetur etiam actum *in Miscel. Eccl. disc. 52.* occasione agendi de materiis consistorialibus, quinam scilicet citari debeant in cathedralium, vel metropolitanarum erectionibus, vel respective dismembrationibus, & similibus. 1

In hoc item proposito citationis legitime exequendæ, in Congregatione reformationis tribunalium orta est quæstio inter Collegium Cursorum ex una, & mandatarios aliorum Tribunalium Urbis ex altera, illos præsertim Tribunalis Cardinalis Vicarii, an scilicet in causis Rotæ, vel Cameræ, aliisque commissariis, vel in illis Auditoris Cameræ, & in Sacris Congregationibus Cardinalitiis Mandatarii possint se ingerere, atque exequi citationes; Cursores namque prætendebant, quod in hujusmodi causis nullo pacto se ingerere possent mandatarii, 2

qui-

quibus competat solum facultas exequendi citationes proprii Tribunalis juxta Constit. Clementis VII. & Julii III. E converso autem mandatarii admittebant, quod ad earundem Constiustionum præscriptum non possint exequi citationes judiciales reproducendas in actis pro validitate processus, bene tamen possent exequi citationes extrajudiciale, puta ad informandum, vel similes, quæ non reproducuntur, neque fiunt de actis innixis auctoritate *dec. 12. alias 204. de Privil. Crescentii*, in qua proceditur cum hac distinctione judicialium, & extrajudicialium.

In examine igitur istius puncti in dicta Congregatione reformationis pro majori parte procedebatur ad favorem Cursorum ex eo quod dicta decisio *Crescentii*, quam jam præsupponebat tanquam veram, ac admittendam, prodiisset intermedio tempore inter Constitutionem Clementis, & Julii, quodque ista posterior utpote concepta per verba magis ampla tolleret hanc difficultatem, atque com-
3 plecteretur etiam citationes extrajudiciales; e converso autem illi, qui licet in longe minori numero sentiebant pro mandatariis, ponderabant quod verba hujus posterioris constitusionis essent cum dicta decisione compatibilia, ideoque super verborum criticatione magna fuit quæstio.

Dicebam autem ego, qui tanquam junior in prælatura eram de ultimis in votando juxta istius Congregationis stylum, inhærendo meæ in omnibus consuetudini, quod immorandum non esset in formalitate verbo-
4 rum, sed in substantia veritatis, qua attenta præfata decisio Crescentii mihi videbatur male fundata, quodque etiam sine hac ampliori constitutione Julii idem dicendum esset ad favorem Cursorum.

Ad id autem comprobandum adhibebam sæpius enunciatam distinctionem personarum formalium concurrentium in persona materiali Papæ, sive reduplicatam figuram, quam Romana Civitas facit, unam nempe privatæ Civitatis, præscindendo a residentia, & Curia Papæ, & alteram tanquam locus, in quo Papa, ejusque Curia residet. Attenta itaque prima figura privatæ Civitatis, vel istius Principatus, sicuti sunt Bononia, Ferraria, Perusia, & similes cum suis propriis, & particularibus judicibus, & tribunalibus cum Civibus, & incolis, ut sunt Vicarius, Gubernator, ac Senator Urbis, & similia quamplura, cum aliis, de quibus infra *disc.* 47. adeout
5 etiamsi Papa cum ejus Curia alibi resideret, adhuc adessent, suamque exercerent jurisdictionem, atque proprios haberent mandatarios absque aliqua mixtura cursorum, qui tanquam ministri Papæ ipsum, ejusque Curiam sequuntur atque in causa, quæ ad ista Tribunalia juxta eorum ordinarias facultates pertinent, totum munus exequendi citationes judiciales & extrajudiciales pertinet, ad cujuslibet Tribunales mandatarios absque eo quod Cursores se in-
6 gerant. Attenta vero altera figura Curiæ Papalis, & in illis Tribunalibus, quæ vere Curialia sunt, quia nempe curiam, ubique sit, sequi debeant juxta distinctionem, *de qua in relatione Romanæ Curiæ, disc. 1. & sub tit. de benefic. Romana beneficiatus S. Petri, disc. 142.* & alibi ut sunt Rota, Camera, utraque Signatura Gratiæ, & Justitiæ, Camerarius, Vice Cancellarius, Datarius, Auditor Cameræ, & similia, quorum jurisdictio restricta non est ad Urbem, ejusque districtum, sed ultra se extent ratione
7 auctoritatis Papalis, ac etiam sunt Sacræ Congregationes Cardinalitiæ, & in his tam in judicialibus, quam etiam extrajudicialibus totum pertinet ad Cursores tanquam mandatarios Curiæ Papalis ad id destinatos pro intimandis Consistoriis, & Cappellis, aliisque Papalibus functionibus, atque habentes officium, ex causa onerosa pretio mediante ab ipso Papa intuitu emolumentorum, quæ ab his citationibus percipiunt, ideoque mandatarii tribunalium particularium Urbis nullatenus possunt se ingerere in pertinentibus ad Curiam Papalem, sed singuli discretive possunt se ingerere in pertinentibus ad propriam Curiam, ut supponebatur practicari per mandatarios fori Capitolini, & Gubernatoris.

Datur autem quidam casus mistus, de quo proprie loqui videtur dict. *decisio Crescentii*, quod scilicet alicui Judici, vel Tribunali particulari Urbis dirigatur commissio, seu delegatio Papæ, puta juxta casum decisionis *Crescentii*, quod Vicario dirigantur literæ Apostolicæ, quæ vulgo dicuntur *Si in evidentem* super aliqua alienatione bonorum Ecclesiæ, cum similibus, & tunc nisi ad favorem Cursorum adessent dictæ Constitutiones, dicendum veniret, quod ad mandatarios omnes citationes etiam judiciales pertinere deberent, quoniam est quidem delegatio Apostolica, sed fieri solita tanquam Ordinario loci, eodem modo quo consimiles literæ locorum Ordinariis in partibus diriguntur, adeout non alteretur natura tribunalis, & per consequens cum in judicialibus potius exorbitantia, & correctio adesse videatur, improbabiliter in præfata decisione præfata distinctio adhibetur etiam hodie admittenda, adeout respectu causarum pertinentium ad Tribunalia Papalia ut supra, dicta decisio nullatenus obstet in isto casu mixto, quod nempe judici ordinario & locali Urbis non autem Curiali superveniat aliqua commissio, vel delegatio Papalis, secus autem in Curiis, & Tribunalibus, quoniam de illis dicta decisio non loquitur.

De contumacia citati non comparentis. Et de processu contumaciali, qui in Curia dicitur per contradictas.

S U M M A R I U M.

1 *Citatus qui non comparet, reputatur contumax, & contra eum proceditur ad ulteriora in causa.*
2 *De stylo Curiæ processus per contradictas.*
3 *Ad quid iste processus.*
4 *De requisitis processus contumacialis, vel per contradictas.*
5 *An citati de tempore incongruo ob aeris insalubritatem teneantur comparere?*
6 *Citatio debet esse legitima, & præsertim tempore non feriato.*
7 *Debet esse personalis, ut sit certa.*
8 *An ei sit locus, mortuo, vel se absentante procuratore jam deputato?*
9 *Quando etiam sine citatione personali id procedat.*
10 *An practicetur contra universitates, & corpora ficta?*
11 *Quid si actor sciat, quod citatus habeat in Curia procuratorem, si iste non compareat, & non exhibeat mandatum in actis.*
12 *Etiamsi in Curia procedatur per contradictas, attamen in actibus faciendis in partibus, in quibus est principalis, iste debet citari.*
13 *Quando contumax audiatur, vel respective denegetur audientia.*
14 *An, & quando contumacia debeat accusari?*
15 *An, & quomodo admittatur ad appellandum?*
16 *In odiosis habetur pro præsente, ac etiam pro confesso ut in deterius.*
17 *An possit mulctari, & quando?*
18 *De quo tempore accusetur contumacia.*
19 *Non efficitur contumax, qui non potest comparere.*
20 *Minusque ille qui non tenetur.*

D I S C. X.

Secuta citationis legitima executione de mandato Judicis competentis, ejusque legitima productione, a in tempore pariter legitimo, aliisque concurrentibus, de quibus *disc. præced.* Si citatus statuto termino non compareat, adeout incurrat contumaciam, tunc juris rigore ad ulteriorem processum in contumaciam procedi potest, absque necessitate replicandi alias citationis; Potissime vero ubi prima citatio sit ad totam causam, juxta stylum hodie pene ubique vigentem, cum monitione ad deputandum legitimum procuratorem in loco reperibilem, & cum comminatione, quod alias ad ulteriora procedetur, usque ad judicii terminationem, & executionem, adeout aliæ citationes, etiam per contradictas sit ex urbanitate, atque ad superabundantiam.

Super hoc tamen contumaciali processu, diversa est 2
regionum, seu Tribunalium praxis, adeout certa regula generalis desuper statui non valeat, unde propterea me restringendo (ut decet) ad praxim Curiæ Romanæ, cum religione in reliquis ad singularum aliarum Ditionum practicos; Quamvis (ut dictum est) de rigore juris, alia citatio contra contumacem, cum præsupposito legitimæ contumaciæ, non requiratur; Adhuc tamen ex quadam urbanitate, in singulis actibus repetuntur citationes in ipsa Curia, in illa Audientia, quæ dicitur Contradictarum, quæ habet particularem Auditorem cum ejus Notario, unde propterea vulgo dicitur judicium, seu causa per contradictas, quod idem est, ac in contumacem. a

Licet enim, spectato effectu, quoad absentem, ac vere 3
non comparentem, iste processus per contradictas quandam cæremoniam, seu formalitatem importet; adhuc tamen idem absens, & contumax conqueri non potest, dum ita

sta cum eo quædam; qualis illa sit, adhibetur exuberans urbanitas, saltem in potentia, quæ potius proficua est quam damnosa, dum de juris rigore absque hujusmodi repetitione citationum, & terminorum, ad ulteriora procedi potest. *b*

4 Hujus autem judicii, seu processus per contradictas, fundamentum, sive essentiale requisitum, est executio legitima, & personalis primæ citationis generalis ad totam causam, per quam citatus sciat, ac certificetur, quod non comparendo, tanquam contumax, ad ea, quæ in monitorio, seu citatione continentur, per Judicem, quem sciat, vel scire debeat competentem, condemnari potest, quoniam cum ista contumacia grave redoleat præjudicium, hinc sequitur, ut ea vere dari non possit sine scientia certa, & specifica, non autem præsumpta, ex recepta regula quod in graviter præjudicialibus certa scientia necessaria est; Ideoque plura copulative requiruntur pro isto processu per contradictas, ut validum sit; Primo scilicet notitia competentiæ Judicis citantis, quæ in ordinario, vel in eo delegato ad universitatem, qui loco ordinarii habendus est, notoria reputatur; Unde propterea, ut superius in Judicis sede advertitur; *c* Quando agitur de delegato particulari, citandus certiorari debet de ejus delegatione, inserto ejus tenore, ac alias non afficit; Secundo generaliter, ut citatio sit, ad totam causam, cum monitione, seu comminatione ut supra; Tertio, ut eadem citatio exprimat qualitatem judicii, ac bona, vel jura, super quibus illud instituatur, ut sciat, ad quid, non comparendo, neque se defendendo, condemnari potest.

Quarto, ut citatio contineat terminum competentem, quoniam (ut agendo de ipsa citatione advertitur, *disc. præced.*) si contineat terminum nimium brevem, & incompetentem, intra quem, per se ipsum, vel per procuratorem, coram Judice citante, comparere non possit, tunc contumax reputari non potest, etiam post lapsum illum terminum, qui competens esset, dum ita præceptum impossibile, recte sperni potest.

Quinto, ut contineat locum, ad quem citato tutus pateat accessus; Bene verum quod in civilibus istud requisitum non videbatur adeo considerabile, dum comparere potest per procuratorem, qui de facili deputari potest per absentem per literas.

5 Idemque congruit alteri requisito, quod in aliquibus regionibus, vel Tribunalibus desideratur in criminalibus, in quibus comparitio debeat esse personalis, & non per procuratorem, ut scilicet fiat tempore congruo, ob aeris insalubritatem, quam præsertim aliquæ Italiæ partes pati solent in aliquibus anni temporibus; Unde propterea in Regno Neapolitano receptum habetur, quod citati de mensibus Julii, & Augusti, comparere non tenentur; *d* Quod tamen pro diversa causarum qualitate recipi solet, ideoque illis practicis, & aliis aliorum Tribunalium, vel regionum, juxta varios stylos, est deferendum.

6 Demum requiritur, ut citatio fiat legitime, idest personaliter, quando ex culpa citandi id non impediatur, ac etiam congruo tempore, idest non feriato; Quando stylus, vel aliæ circumstantiæ non concedant, ut etiam tempore feriato fieri possit; Licet enim in plerisque locis, vel Tribunalibus,
7 de stylo receptum sit, ut etiam primæ citationes fiant domi, vel in manibus domesticorum; Attamen id recte procedit, ad effectum validitatis processus, & actorum, cum præsupposito, ut in singulis actibus citationes repetantur tanquam contra præsentem, & comparentem, pariter in domo habitationis, vel in manibus domesticorum, cum tunc, ob tot citationes, quæ in singulis actis reiterari solent, improbabile sit, quod citatus notitiam non habuerit, Secus autem ad effectum hujus judicii per contradictas, pro quo requiritur contumacia vera, cujus præcipuum requisitum consistit in scientia certa. *e*

Hinc probabiliter dubitari consuevit, an istud judicium per contradictas practicabile sit, mortuo, vel se absentante procuratore, qui per citatum jam deputatus
8 fuerit, quasi quod contumax reputari non debeat ille, qui jam comparuit, atque procuratorem deputavit, dum ita versari potuit in bona fide, quod defensores haberet, unde propterea æquum videtur, ut isto casu contingente, de illo moneri debeat.

9 Quamvis autem id magnam habeat probabilitatem; Attamen de stylo Curiæ contrarium receptum est, ut scilicet, prævia citatione per diligentias procuratoris, qui non reperiatur, hoc judicium per contradictas recte fieri, ac perfici valeat; *f* Idemque in aliis casibus recensitis in proxime præcedenti citationis Rubrica; in quibus prima citatio sufficiat per diligentias, vel per edicta ratione latitationis, aut non tuti accessus, vel alterius impedimenti cum ita in impediente præsupponenda sit scientia; Sed ubi ita fiat, aut quia sufficiat citatio per diligentias, ut contingit in obligatis in Urbe, citationes in singulis actibus non sunt de urbanitate, sed de obligatione, alias processus corruit. *g*

Iste autem processus contumacialis, præsupposita legitima citatione, ut supra, practicabilis est, non solum 10
contra personas singulares, sed etiam contra corpora universalia, vel ficta, puta Communitates, & Capitula, vel Monasteria, &c. quamvis antiquiori tempore de hoc dubitatum fuerit, atque apud exteros adhuc sit in controversia. *h*

Est bene verum, quod licet de rigore attendatur singularum causarum processus, adeout nisi illis actis citationis ipse citatus, vel ejus procurator compareat, per contradictas procedi valeat, cum non teneatur altera pars inquirere, an citatus habeat in Curia procuratorem; Attamen si id alteri parti innotescere constet, adeout aliqua malitia, vel affectatio desuper dignoscatur, tunc istud judicium per contradictas non solet substineri, ideoque pluries practicavi, quod Signatura Justitiæ illud circumscripsit cum omnibus inde secutis; Id autem certam non habet regulam, cum ex facti qualitate, & singulorum casuum circumstantiis pendeat; Ideoque cautela est, ut ille qui judicetur esse procurator, citetur ad docendum de mandato in actis, eoque non docente in termino, recte proceditur in contumaciam. 11

Prout, licet hoc judicium, bene in Curia servatum 12
sit; Attamen si agatur de aliquo actu explicando in partibus, in quibus existat principalis, contra quem in contumaciam in Curia proceditur, (ut in processu remissoriali, vel compulsoriali practicari solet,) tunc ipse principalis est citandus, neque ibi excusat contumacia contracta in Curia. *i*

Inter contumaciæ autem effectus, ille recensetur, quod 13
ei audientia denegatur, etiam in aliis causis inter easdem tamen personas, non autem inter diversas; *m* Non tamen arctatur Judex ad hanc denegationem, quoniam id in ejus arbitrio est repositum, atque ex causa potest ei audientiam concedere. *n*

In Curia vero quoties agitur in civilibus, auditur con- 14
tumax in statu, & terminis, refectis tamen expensis factis per alteram partem, quod etiam de jure communi statutum est. *o*

Ad constituendum autem in contumacia, de jure illa in 15
termino debet incusari; *p* Sed in Curia potest semper accusari, etiam post lapsum terminum ad comparendum. *q*

Regulariter contumax non admittitur ad appellandum, de juris rigore, sed de æquitate canonica, quæ in Curia est recepta, appellat, ubi sit contumax verus infra decem dies a die latæ sententiæ, & ubi sit fictus, a die scientiæ numerando. *r*

Reputatur præsens in ejus odiosis, & præjudicialibus, 16
pluribusque aliis subjacet pœnis, quas usque ad numerum viginti quatuor practici enumerant; *s* Et præsertim habetur pro confesso, ut in deterius. *t*

Potest mulctari, quamvis non impediretur processus 17
ad ulteriora, rejecta opinione volentium, ut eatenus mulctæ sit locus, quatenus dictus processus impediretur, quoniam adhuc ob judicis contemptum, iste mulctam demandare potest. *u*

Non dicitur contumax ante ultimam horam totius 18
dicti termini, in qua debet expectari; *x* Licet in hoc Tribunalium stylis deferendum videatur.

Cum autem contumacia in judicis contemptu consistat, 19
hinc non debet reputari contumax, qui ex aliquo justo, non autem affectato impedimento comparere non potest. *y*

Minusque ille, qui citanti tanquam incompetenti parere non tenetur. *z*

a *de iis & aliis ad hanc materiam processus per contradictas*, Greg. & add. *dec.* 110. *&* 430. Burat. & add. *dec.* 943. *dec.* 104. *p.* 6. *rec. in Civitatis plebis Cappellania* 4. *Decemb.* 1663. 5. *Februarii* 1664. *&* 9. *Decembr.* 1666. *coram Taya & sæpius*. b *Ibidem ut supra*. c *supra, disc.* 3. d Balar. ad Clar. §. *fin. q.* 34. *n.* 2. 31. Sanfelic. *dec.* 31. *n.* 1. e Vestr. & add. *lib.* 7. *cap.* 3. Buratt. *dec.* 17. Greg. & add. *& alii de quibus supra lit. A.*

f apud Otthob. *dec.* 154. apud Cels. *dec.* 128.

g Rot. *in Romana census* 21. *Maii*, *&* 10. *Decemb.* 1627. *coram Ubaldo*.

h *dec.* 181. *p.* 10. *rec. in contr.* Rovit. *prag.* 3. *de eod. jud. n.* 3.

i Ro-

Rota *in Amerina domus* 4. *Martii* 1619. *cor. Pamfilio*, *& sæpe vidi praticatum in Signatura Justitiæ.*
l Adden. ad Greg. *dictæ dec.* 110. & 430.
m Franch. *dec.* 275. *ibique* adden. *ubi concordantes*.
n Franch. *ibid.* o Menoch. *de arbitrar.* q. 36. Thes. *dec.* 9. add. ad Vestr. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 10.
p Rovit. *pragm.* 6. *de citation.* & *pragm.* 3. *de eod. judic.*
q Pret. *dec.* 162. *lib.* 3. r Burat. & add. *dec.* 59. & 122. Ridolph. *in prax.* p. 1. c. 13. *ex n.* 124.
s Vestr. & add. *lib.* 3. *cap.* 2. Marant. *in prax. verbo contumacia, par.* 6. t Rovit. *pragm.* 6. *de ord. jud. n.* 6. Capyc. Latr. *consult.* 1636. *n.* 3. & *infra*, *disc.* 29.
u *de his* apud Seraph. *dec.* 965. & 972. add. ad Burat. *dec.* 710. *ubi concordantes*. x *dec.* 199. *p.* 5. *rec.*
y Burat. & add. *dec.* 725. & 588. de Marin. *ref.* 44. *lib.* 1.
z Add. ad Burat. *dec.* 588. Marin. Andr. *dec.* 87. *cum aliis*, *disc.* 3. & 9.

De compromisso; quando peti valeat, atque ex ejus causa forus declinari; Et de aliis, quæ ad hanc materiam compromissi, & laudi, ac arbitri pertinent.

S U M M A R I U M.

1 *Objici solet de exceptionibus dilatoriis præsertim de illa incompetentia fori.*
2 *De exceptione compromissi ex statuto Urbis cum quibus personis, vel in quibus Tribunalibus procedat.*
3 *De compromisso in vim Regiæ pragmatica in Regno Neapolitano, & quando peti valeat.*
4 *Quare in Curia raræ sint controversiæ in hac materia.*
5 *De eodem, & quando agi contingat.*
6 *Quod nulla detur cautela evitandi petitionem reductionis ad arbitrium.*
7 *An impediatur executio, & cum quibus regulis in materia procedatur.*
8 *Compromissum voluntarium quas exigat solemnitates in iis qui alienare, vel alias disponere sint prohibiti.*
9 *De declinatione fori ratione compromissi necessarii.*
10 *Quid in casu mixto ratione connexionis cum causa pendente coram Judice Ordinario non declinabili.*
11 *Quod compromissa perniciosos effectus potius producant.*
12 *De praxi quæ per electos in arbitros teneri debet.*
13 *Commendatur stylus Curialium Urbis.*
14 *Non est in usu trigesima, & quæ sit merces arbitri.*
15 *De causis privilegiatis, in quibus non intret compromissum necessarium.*
16 *De eodem, de quo, n. 4. 5.*
17 *Laudum debet justificare ex actis.*
18 *Non potest proferri ultra compromissa.*
19 *Debet terminare omnes controversias.*
20 *De necessitate citationis, aliorumque actorum in tela judiciaria.*
21 *An religiosi esse possint arbitri?*
22 *Ad quem appelletur a laudo arbitri Ecclesiastici.*
23 *Curia Romana distinguit professiones, & non solent fieri compromissa in Religiosos.*
24 *Causæ Ecclesiasticæ non compromittuntur in sæcularibus.*
25 *An laudum possit dividi, & exequi in parte?*
26 *An compromissum per juramentum fiat irrevocabile?*
27 *Post causam finitam per sententiam, fieri non potest.*
28 *An sit pluries reiterandum si semel factum expiret?*
29 *Non complectitur rem judicatam.*
30 *Quando dicatur arbiter, vel arbitrator.*
31 *Quando expiret per mortem.*
32 *An laudum nullum, sed emologatum afficiat, & de emologatione.*
33 *Regulariter non habet viam executivam.*
34 *In laudo procedunt ea, quæ in sententiis.*
35 *Procedit compromissum pari passu cum transactione.*

D I S C XI.

1 COmparente illo, qui ad judicium evocatus est, mediante citatione legitime executa, priusquam deveniatur ad ea, quæ ulteriorem processum, in ordinatoriis, vel decisoriis concernunt, & quæ alicubi sub nomine exceptionum peremptoriarum explicari solent, de exceptionibus dilatoriis, quandoque objicitur; Præsertim vero super declinatoria fori, vel Judicis, ratione competentiæ, vel recusationis, aut litis pendentiæ, coram alio Judice; Verum de his actum est superius occasione agendi de Judice, ubi an & quando ille Judex, qui cum ejus citatione ad judicium evocavit, incompetens, vel recusabilis esse dicatur. a

2 Data vero competentia; In pletisque partibus datur quoque ejusdem fori, vel Judicis declinatio, per exceptionem compromissi, quod ex locorum legibus particularibus inter conjunctos intra certum gradum, sive inter alias personas certam qualitatem habentes præcipiatur, ut in Urbe, ejusque districtu dispositum est per Statutum, quod tanquam laicale, ac attendendum in foro Capitolino aliisque inferioribus, & subordinatis Tribunalibus & curiis sæcularibus, & locum non habet cum ecclesiasticis, minusque in aliis Urbis Tribunalibus utriusque fori mixturam, sive utriusque gladii exercitium habentibus, ut (ex. gr.) sunt Tribunalia Rotæ, & Auditoris Cameræ, cum similibus.

3 Idemque cum eadem restrictione ad forum, ac personas & causas laicales, absque mixtura Ecclesiasticarum, dispositum est in Regno Neapolitano, per quandam Regiam pragmaticam; *b* Atque in plerisque Italiæ Civitatibus, vel locis frequens est usus hujusmodi Statutorum, vel legum; super quibus tamen certa regula generalis dari non potest, quibuscunque casibus, vel locis applicabilis, ob earundem legum diversam formam, diversamque praxim, vel interpretationem; Ideoque singulorum locorum praxi, vel stylis deferendum est; Illud enim ante litis contestationem est petendum, nisi conventionaliter exigat. *d*

4 In Romana vero Curia, exceptis aliquibus brevibus causis, quæ in Capitolino foro pertractari solent, raræ sunt inter Advocatos, aliosque classicos curiales disputationes; super interpretatione, vel observantia præfati statuti Urbis; Vel quia in aliis Tribunalibus locum non habet ut supra; Vel etiam quia experientia docuerit, ut id, quod ad bonum ac laudabilem finem resecandi lites introductum est, diversos, imo contrarios producat effectus, quod scilicet, loco resecandi lites, & calumnias, eas potius foveat, atque reddat longiores, adeout lege concedente tres instantias, ita per quatuor, causas pertractare oporteat; Ideoque in eadem Curia, illæ disputationes desuper audiri solent, quæ percutiunt Statuta aliarum Civitatum & locorum Status Ecclesiastici, ita declinando forum Auditoris Cameræ, coram quo alias legitime causa introduci potuerit.

5 Hinc nulli, vel nimium rari, ideoque ignoti sunt casus, in quibus de hue necessario compromisso in Rota disputari contingat, cum de iis, quæ fori declinatoriam, seu causarum remissionem ad partes concernunt, in ipsomet Tribunali A. C. occasione petendi moderationem inhibitionis, disputari soleat, vel (& frequentius) in Signatura Justitiæ, cujus propriè munus est hujusmodi competentiæ, vel incompententiæ quæstiones decidere, ut agendo de hoc Tribunali in relatione Curiæ advertitur; *e* Adeout revera, saltem pro frequentiori praxi, dictus præjudicialis, ac oppositus effectus fovendi calumnias reorum, atque protrahendi lites in longum resultet; Et consequenter sanctius forsan esset hujusmodi leges abolere.

Quoniam licet, etiam in causis gravioribus, atque cessante hujusmodi legum dispositione, compromissorum frequentem usum praxis doceat, quandoque proficuum ob præfati commendabilis finis, vel effectus assecutionem; Attamen id ex diversa provenit ratione, quia nempe (præsertim pro Curiæ Romanæ praxi) compromissa, de jure, & de facto fieri solent, deputando Arbitros, etiam in arbitratores, & amicabiles compositores, eaque muniri obligatione camerali aliisque pactis executivis, tollentibus appellationem suspensivam, vel petitionem reductionis ad arbitrium boni viri, ac etiam cum aliis clausulis adimentibus necessitatem servandi rigorem, & formalitates ordinis judiciarii, ex quo nullitates deduci solent, unde propterea processus executivus pro frequentiori experientia finem præbet plerisque litibus, quæ alias in longum protraherentur, quando debitori, vel possessori concederetur executionem effugere *f*

6 Et licet, (ut plerique Doctores prudenter advertunt, *g*) nulla detur sufficiens cautela, evitandi adversus lauda, vel sententias arbitramentales, hoc remedium petendi reductionem ad arbitrium boni viri. Nimium tamen refert, an id ad utrumque, suspensivum, ac devolutivum effectum competat, ut contingit in compromissis necessariis, quæ ex legibus municipalibus ut supra fiant, quando per ea aliter non disponatur; Et quando ratione obligationis cameralis, aliorumque pactorum executivorum, vel clausularum, effectus executivus denegetur, atque laudum paratam habere debeat executio-

tionem non retardabilem per exceptionem altioris indaginis, sed solum per nullitatem claram, vel notoriam injustitiam, ea quibus in omnibus causis, ac processibus executivis appellatio suspensiva admittenda est, ea nimium vulgari, & quotidiana regula, quod sententia nulla, vel 7 injusta, nunquam executioni demandanda est, quamvis de re judicata, vel de tribus conformibus agatur, cum in hoc proposito, laudorum executio, pertractari soleat cum eisdem regulis, ac propositionibus, quas generaliter in sententiis, & decretis Judicum habemus, dum eadem pariformiter intrat ratio. *b*

8 Quatenus itaque, ad hujus materiæ compromissi praxim, vel generalitates pertinet; Ea in primis intrat distinctio, inter compromissum voluntarium, & necessarium, ut primum quandam redoleat speciem alienationis, Ideoque in personis prohibitis alienare, aliosque contractus præjudiciales facere sine certis solemnitatibus, eædem solemnitates, vel requisita in compromisso voluntario requiruntur; Secus autem in necessario, quod ex legis obligatoriæ dispositione provenit; *i* In reliquas autem quæstiones, quæ in hac materia haberi solent, præsertim super natura, vel qualitate causarum, & an sub hujusmodi legibus intreot, necne, cessant in compromisso voluntario, dum partium conventio eas dirimit, quoties ea valida sit.

9 Agendo autem de compromisso necessario; Illud de stricto juris rigore, fori alias competentis declinationem inducit, atque Judicis ordinarii jurisdictionem suspendit, quod scilicet causa per unam Partium legitime in Curia introducta, recte per alteram petatur remissio ad partes, coram arbitris ad formam Statuti eligendis, isteque dicatur forus competentior, seu magis privilegiatus; secus autem ubi sit voluntarium, cum tunc quilibet Partium redire valeat ad judicem ordinarium, licet competat alteri Parti actio ad pœnam, vel ad quanti interest, nisi per pactum expresse alias provisum sit. *l*

10 Quæstio autem cadere solet in casu misturæ, seu connexionis alterius causæ cum tertio, an scilicet ratio connexionis prævaleat, atque compromissum impediat, vel e contra; Atque In facti contingentia quandoque de hoc agendo in Tribunali A. C. ac etiam in Signatura Justitiæ occasione præsertim Statuti Fulginatensis, quod affines etiam post dissolutam affinitatis causam intra certum gradum ad id obligat, sustinui permanentiam causæ in Tribunali A.C. in quo pene instructa erat; Tum ex ista ratione connexionis; Tum etiam ex aliquibus exempli S. Consilii Neapolitani. *m*

11 Et merito quidem, quoniam (ut præmissum est) hujusmodi compromissa, ea laudabili fine inducta, contrarium effectum, inanesque circuitus, atque calumniarum fomentum, potius inducunt; Quoties non sint voluntaria, & munita pactis, & clausulis. de quibus supra, & nihilominus sæpius neque id sufficit; Unde propterea, quamvis frequenter in Arbitrum, vel Arbitratorem, litigantium concordi sensu deputatus fuerim; Nimium tamen raro ad laudi prolationem deveni, sed partibus, earum12 que defensoribus auditis, matureque omnibus perpensis, oretenus eisdem per modum concordiæ proponere consuevi id, quod laudare in animo conceperam, ut eis acquiescentibus, vocaretur Notarius, atque fieret transactio, & ita adimpleretur finis, ob quem compromissa introducta sunt, sin minus integrum remaneret causam prosequi in statu & terminis, in quibus præambula compromissi hora reperiebatur, dum lauda partibus non acquiescentibus nova, & majora dispendia ac majorem temporis jacturam producere quandoque solent, ut quandoque expertus sum, quando laudum proferre oportuit. *n*

Atque in hac parte vero commendabilis est Romana classica Curialitas, quæ generaliter cordi habet, cum ni13 mia charitate, magnaque ingenuitate, omne studium, omnemque laborem, etiam gratuitum adhibere, pro litium compositione, neglecta quacunque propria utilitate, quæ ex litium prosecutione resultaret (quamvis nulla detur in hoc mundo regula, quæ limitationem non patiatur; Atque ubi ad laudi prolationem devenitur, ille usus, abusus trigesimæ, qui ea jure civili derivet, penitus ignotus est, sed adhibetur ille idem usus sportularum, qui in Judicibus Commissariis, vel aliquibus ordinariis adhibetur; Unde 14 propterea in facti contigentia pluries obtinui revocari sententias condemnantes ad hanc trigesimam in vim Regiæ pragmaticæ, quæ in Regno Neapolitano viget, utpote cum personis Ecclesiasticis, & in foro ecclesiastico non attendenda.

Hujusmodi autem leges compromissum damnantes, in pletisque causis non intrant utpote privilegiatis; Puta ubi agatur de alimentis, vel de dote; Quæstione cadente in legitima an alimentorum naturam ac privilegium habeat; 15 Et generaliter in iis juribus, quæ liquida incontinenti probata sint, per instrumenta publica, sive etiam per scripturas privatas, pro quibus competat processus executivus, puta ratione obligationis cameralis, vel ex simili pacto, vel clausula, & in pletisque aliis casibus, quos recensere ac etiam examinare student DD. qui de hac materia particulariter & ex professo ex genio, vel propriæ regionis opportunitate tractarunt, sed in Romana Curia, ut dictum est, rarus videtur hujusmodi quæstionum, seu disputationum usus.

Frequentior antiquiori tempore erat usus disputandi de 16 laudorum executione, ac validitate, ut docent pleræque Rotæ decisiones, inter finem decursi & initia currentis sæculi editæ, sed moderno tempore adhuc iste usus rarus effectus est ob superius insinuatam rationem, quod quando Arbitrorum charitas dictam cautelam non adhibet, compromissorum ac laudorum usus, effectus perniciosos potius producit,

Ubi vero de his disputari contingat, præsertim circa laudi validitatem, & executionem; Regula est, ut illud tam circa justificationem, quam circa facultatem ipsius 17 Arbitri, ex actis justificari debeat, quodque Arbitri assertioni non deferatur circa ejus deputationem, nisi ubi ea fiat Partibus præsentibus, & non contradicentibus. *p*

Item, ut proferri non debeat ultra compromissa, cum illud dicatur stricti juris, strictèque interpretandum sit, 18 atque non extendendum ultra specificata; *q* Prout terminare debet omnes controversias, ac alias invalidum 19 est, nisi clausulæ, & facultates in compromisso contentæ aliter disponat. *r*

Eædemque facultates, vel clausulæ hodie de communi stylo adjici solitæ, dirimunt quæstiones, quæ antiquiori tempore disputari solebant, circa necessitatem citationis tam in substantia, quam in solemnitate; Ac etiam circa judicii telam, seu ordinem, necnon circa 20 facultatem deputandi tertium in casu discordiæ, an de ista in actis constare debeat, sive an valeat eadem facultas de persona incerta, cum similibus; Quoniam hujusmodi quæstiones cadunt in puris Arbitris, non autem in Arbitratoribus, & amicabilibus compositoribus, qui in voluntariis compromissis pro frequentiori usu deputari solent, quibus datur facultas procedendi de jure, & de facto, nulloquoque tempore juris ordine servato. *f*

In aliquibus partibus, jurisdictionales quæstiones, voluntaria compromissa parere solent, quia scilicet fiant in Clericos sæculares, ac etiam frequenter in illos regulares, 21 qui in sæculo in Advocati, vel procuratoris munere versati, immemores illius sententiæ, *quod non sint digni Regno Dei, qui apponendo manus ad aratrum, respiciant retro sæcularia negotia*, non absque aliqua pompa, vel ambitione potius pertractare satagunt, An scilicet a laudo per eos lato ad Judices ecclesiasticos inspecta persona Arbitri, vel potius ad Judices laicos, inspecta qualitate causæ, & litigantium, 22 appellandum sit, itaque posterior opinio magis in praxi recepta videtur, ut scilicet qualitas Arbitri, vel arbitratoris non immutet naturam, seu qualitatem causæ. *r*

In Romana Curia tamen hujusmodi quæstiones non audiuntur, minusque aliæ, an & quando regulares professi, hoc munus arbitri; vel arbitratoris exercere valeant, *f* 23 quoniam Curia bene professiones distinguit, etiam in ipsismet Curialibus, ut in ejus *relatione*, advertitur occasione agendi de Curialium diversis ordinibus; Ideoque adinstar distributionis beneficiorum, sæcularibus sæcularia, & regularibus regularia congruunt; De aliis autem ad hanc materiam apud ejus tractatores, sive alios super præmissis insinuatos, in casu contingentiæ recurrendum erit, cum a Curiæ praxi ista materia potius extranea quodammodo videatur, vel saltem rara.

In sæculares autem personas, vel Magistratus causas 24 ecclesiasticas, vel spirituales absque Apostolico beneplacito est prohibitum compromitti. *t*

Nimiumque occasione præsertim executionis laudi a me prolati in quadam gravi causa, *u* disputata fuit in Rota, (me tamen ea dicta ratione non scribente) ea quæstio 25 individuitatis, vel dividuitatis laudi, an scilicet illud in ea parte, quæ justa videatur, exequendum sit, alterius partis executione denegata; Affirmativam enim veriorem esse super dividuitate, plerique sustinent, ubi per capita separata latum sit ad instar sententiæ; *x* Negativam vero alii tenent, ex laudi individua natura. *y*

Cum

Cum æquivocè autem in hac disputatione procedi ego advertebam, atque aliquibus causæ defensoribus insinuabam, adeout pro meo judicio inania videretur labor desuper adhibitus; Dicta etenim quæstio, quæ diversas ut supra, opiniones habet (ideoque in Praxi illa tenenda est, quæ in ea regione, ejusque majoribus Tribunalibus recepta sit) procedit, ubi idem qui sit in parte victor, & in parte victus, laudum in partibus odiosis, ac præjudicialibus impugnet, atque ab eo appellando, vel reclamando se opponat executioni, istam vero petat in partibus sibi favorabilibus; Isto etenim casu, licet in sententiis judicum, id de jure liceat; Attamen in laudis aliqua dignosci videtur ratio differentiæ ob individuitatem consensus, juxta unam opinionem ut supra; Sed quando ille, qui petit executionem partium, seu capitulorum favorabilium, acquiescit etiam partibus, vel capitulis odiosis, ac præjudicialibus; totumque laudum accepiat, unde propterea impugnatio proveniat solum ex parte illius, qui executioni se opponat, tunc nulla cadere videtur dubitandi ratio, quoniam alias nunquam verificabilis esset executio contra invitum.

Compromissum juramento firmari prohibitum est de jure
26 civili, hæc autem prohibitio cessat de jure canonico, quod ubique etiam in terris Ecclesiæ, vel in foro laicali attendendum est, atque ita communis praxis recepit. z

Post causam jam finitam per sententiam compromissum
27 fieri non potest, nisi consensus illius cujus favore sententia prodiit, & qui prævia certa scientia, sit validus, & legitimus, prohibitionem cessare faciat. a

Requisitum ab homine puta ex conventione, vel ex
28 præcepto testatoris, sufficit semel factum esse, neque reiteratio prætendi potest; Ubi vero requisitum est a lege sub quæstione est an iterum peti possit, si primum absque effectu capiraverit, toties quoties &c. vel potius non ultra duas vices; Atque variæ sunt opiniones, ideoque Tribunalium, seu regionum stylis deferendum videtur, dum (ut præmissum est) raro Curia Romana has disputat quæstiones. b

29 Rem judicatam non complectitur, quantumvis ample conceptum sit, nisi dicatur. c

Ubi Arbitri, & Arbitratoris potestas data sit, in ejus
30 electione est, quam personam gerere velit, sed si primam eligat, tenetur juris formam, ac ordinem judiciarium servare; Quando autem uno, vel altero modo in dubio procedere voluisse dicendum sit, certam non habet regulam, sed a facti qualitate, & circumstantiis, vel argumentis pendet. d

31 Per mortem unius ex compromittentibus expirat, nisi factum sit etiam pro hæredibus, ut hodie pro frequentiori stylo fieri solet. e

Ubi laudum sit nullum, partium emologatio, vel acce-
32 ptatio, illud validum reddere non potest; Si tamen cum certa scientia facti, & juris talia nullitatis, valida acceptatio utriusque partis accedat tanquam per species reciprocæ conventionis, tunc valebit quidem in vim pacti, vel transactionis, cujus naturam assumit. f

Regulariter non habet viam executivam, sed ab eo licitum est appellare etiam ad effectum suspensivum, nisi par-
33 tium conventio aliter statuat. g Limitant autem aliqui in Judæis. h

34 In reliquis autem, circa injustitiam impedientem executionem, non obstante quocunque pacto executivo sine quo injustitia in parte, vinet totum, quoties non sit per capitula separata, cum similibus: Generaliter receptum videtur idem quod in sententiis, vel decretis Judicum habetur.

Compromissum procedit pari passu cum transactione,
35 tam circa solemnitates requisitas respectu eorum, qui alienare, vel alias libere disponere sint prohibiti, quam etiam super eo an afficiat successorem, qui jure suo independenter veniat, ex causa feudi, vel fideicommissi; Ideoque ad hunc secundum effectum, eædem intrant distinctiones. i

a *supra, disc.* 3.
b *pragm.* 1. *de arbitr. cujus materiam agunt* Rovit. *supra cod. pragm.* de Marin. *resol.* 66. *lib.* 1. Prat. *observat.* 21. *& alii, de quibus supra.* d Affict. & Ursell. *disc.* 185. Cavaler. *dec.* 456. e *in relatione Curiæ, disc.* 32.
f apud Cels. *dec.* 170. *Neap. seu Jarn. laudi* 21. *Jun.* 1671. *&* 18. *Martii* 1672. *coram Rondinino in casu de quo tit. de feud. disc.* 108.
g adden. ad Oldrad. *cons.* 156. Rovit. *pragm.* 1. *&* 2. *de arbitr.* Pratt. *de observ.* 21. Buratt. *dec.* 29. *&* 650.
h Burat. & add. *dec.* 14. *&* 156. Cels. *d. dec.* 170.
i *sub tit. de feud. disc.* 49. *sub tit. de jurisd. disc.* 7. *& sub tit. de alien. & contract. probib. disc.* 1.

l *Civilistæ in l. si quis rem, ff. de arbitr. & Canonistæ in clem. quamdiu, de appellat.* Zacch. *de obl. q.* 19. Mantic. *dec.* 221. *n.* 10. m Staiban. *resolut.* 63. *n.* 1. Rosa *consult.* 58. *n.* 11. *in fine.*
n *in casu de quo sub tit. de feud. disc.* 108. *& in aliis.*
o *de his habetur* apud Galeot. *lib.* 1. *contr. ult.* de Marin. *ref.* 66. *lib.* 1. *ubi concordantes.*
p Mantic. *dec.* 258. Burat. *dec.* 14. *&* 29.
q Burat. & add. *d. dec.* 14. *&* 29. *ubi alii recensentur.*
r Cavaler. *dec.* 656. Burat. *dec.* 14. Duran. *dec.* 200.
s Mantic. *dec.* 299. Burat. *dec.* 56. *&* 70. Cels. *dec.* 170. *de* Marin. *ref.* 45 *lib.* 1. t Rovit. *prag.* 2. *de arbitr.* Sperell. *dec.* 19. *apud quos de utraque opinione.*
t Rovit. *ubi supr.* Cels. *dec.* 170. *n.* 3. t *d. disc.* 7. *de jurisd. ubi concordantes.* u *de qua dicto disc.* 108. *de feud.*
x Cancer. *var. l.* 3. *cap.* 17. *n.* 28. *& p.* 1. *cap.* 21. *n.* 60. Marott. *disc.* 37. Staiban. *ref.* 57. *n.* 32. Burat. *dec.* 29. *n.* 15. *ubi add. n.* 21. *&* 27.
y Franch. *dec.* 173. Fontanell. *claus.* 4. *glos.* 21. *p.* 1. *n.* 35. Merlin. *lib.* 1. *contr.* 55. *n.* 12. Rota, *dec.* 133. *ex n.* 13. post Post. *de subhast. in add.*
z Vestr. & add. *lib.* 3. *c.* 3. Marant. *in prax. p.* 6. *n.* 264.
a Surd. *dec.* 185. Capyc. Latr. *consult.* 70. *apud quos alii.*
b *Pro prima opinione* Capyc. Latr. *dec.* 182. *n.* 43. Rot. *dec.* 867. *p.* 3. *divers. & alii relati* per Marin. *ref.* 75. *lib.* 1. *Pro altera* Afflict. *dec.* 46. Rov. *in prag.* 1. *de arbitr. n.* 9. de Marin. *ubi sup.* c Surd. *dec.* 185. B ch. *dec.* 630.
d Greg. *dec.* 204. *ubi concordantes.* e Giovagnon. *cons.* 23. *lib.* 2. Cavaler. *dec.* 656. Bich. *dec.* 6 o.
f Burat. & add. *dec.* 14. *&* 657. *dec.* 155. *p.* 5. *rec. dec.* 65. *p.* 7. *& sæpius.* g Bich. *dec.* 248. *cum aliis supr. n.* 6.
h Thesaur. *dec.* 253. *n.* 6. i *supra n.* 8. *ubi allegantur auctoritates id firmantes in specie.* Otthob. *dec.* 242.

De legitimatione Personarum in judicio existentium, & quando defectus legitimationis annullet processum, vel ejus exceptio illum impediat.

S U M M A R I U M.

1 *AN & quando defectus legitimationis personæ obstet, vel annullet?*
2 *De legitimatione personæ, de qua sit oppositum, quomodo geri debeat.*
3 *De hoc oppositum dicitur per protestationem,* generalia contra, &c.
4 *In casu oppositionis non admittitur mandatum præsumptum.*
5 *De eodem, seu de ratione.*
6 *De actionibus popularibus, in quibus unus pro alio comparere potest etiam sine mandato, quomodo intelligatur.*
7 *De probatione identitatis personæ, ejusque suppositione.*
8 *De legitimatione personæ circa qualitatem, quæ tribuat actionem.*
9 *De justificatione descendentiæ, vel filiationis, aut parentelæ.*
10 *An & quando pater habeat legitimam personam standi in judicio pro filio?*
11 *An requiratur citatio filii in actibus, qui ex causa administrationis geruntur a patre?*
12 *De differentia inter actus gestos per tutorem, vel per curatorem.*
13 *Quod personarum pluralitas, vel suppositio non præsumatur, & quomodo sit intelligendum.*

D I S C. XII.

QUæstio est, cum consueta opinionum varietate, inter scribentes, an legitimatio personæ Actoris adeo ne- 1
cessaria sit, ut ea neglecta, etiam parte non opponente, judicium, seu processus corruat; Aliquibus simpliciter affirmantibus; Aliis autem simpliciter negantibus; Et aliis distinguentibus inter causas ordinarias, & summarias, vel executivas juxta illas distinctiones, quæ infra habentur in eo discursu, in quo agitur, an, & quando sententia, vel decretum justificari debeat ex eisdem actis?

Verior tamen, magisque in praxi recepta videtur opinio distinguens, inter judicium, seu processum contumacialem, & alterum compilatum cum parte comparente, ac se defendente; ut in primo casu legitimatio personæ sit necessaria, illaque ex actis justificari debeat, ea ea congrua ratione,

De alimentis, & sumptibus litis.

S U M M A R I U M.

1 *De subministratione alimentorum, & sumptuum pauperi collitiganti.*
2 *Abbati, vel monacho debent dari a Monasterio.*
3 *Uxori per virum.*
4 *Filio per patrem.*
5 *De clausula* subministratis *per ablativum absolutum.*
6 *Impedit processum causæ.*
7 *De taxa seu quantitate.*
8 *De dicta clausula per ablativum, cum alia clausula* arbitrio.
9 *Quid operetur hoc rescriptum.*
10 *De casu, quod sine rescripto petantur ex solo Judicis officio.*
11 *De stylo dandi aliquam summam in causam declarandam.*
12 *De requisitis necessariis pro his alimentis.*
13 *De illo paupertatis.*
14 *De illo boni juris per sententiam.*
15 *Etiam sine sententia per solam decisionem, vel alium gestum.*
16 *An debeantur in judicio particulari?*
17 *De causa status inter Monasterium, & Monachum, vel patrem, & filium.*
18 *Mulieri vir vel ejus pater debet alimenta pendente lite super matrimonio.*
19 *Pauper pauperi non tenetur.*
20 *An restituantur, vel imputentur?*
21 *An tutor pupillo pendente redditione rationum?*
22 *De debitis per creditorem arbitrio carcerato.*
23 *Generaliter quod sit materia arbitraria non habens regulam certam.*

D I S C. XIV.

1 SOlent item una Partium, sub prætextu paupertatis, ac insufficientiæ ejus virium ad litem sustinendam, petere ab altera collitigante subministrationem alimentorum, & sumptuum litis, ex quadam juris dispositione, ita inducta, ne pauper a potente, qui ejus bona, vel jura occupat, ac detinet, opprimatur, ideoque dicitur privilegium, quod conceditur petitori, adversus possessorem bonorum, quæ petitor ad se spectare prætendat, sive adversus denegantem illud jus, vel statum, quo non controverso, de consequenti re-
2 fulciretur ipsius petitoris sustentatio, Ut (ex. gr.) in monacho contendente de statu monastico, cum Abbate, vel cum Monasterio, a quo expulsus repetiatur, vel Abbati, seu Abbatissæ litiganti super prælatura; *a* Ac etiam in uxore
3 expulsa a viro, sub prætextu nullitatis Matrimonii, vel ex alia causa, quæ matrimonium, vel ejus effectus concernat; *b* Aut in filio contendente cum patre, *c* cum similibus.
4 Quatenus itaque pertinet ad praxim Curiæ pluribus modis de hoc agi solet; Primo nempe, quando ille, qui prætendit alimenta a collitigante, in Rota, vel coram alio
5 Judice, ut desuper effugiat disputationes coram ipso Judice habendas adeat Signaturam Gratiæ, vel Justitiæ, atque in ipsa prima provisione, vel in causæ progressu super hujusmodi subministratione rescribi obtineat præcise, cum clausula scilicet *subministratis &c.* Et tunc coram Judice causæ, cui commissio, vel rescriptum dirigitur, nulla cadit disputatio super puncto, an hæc alimenta debeantur, necne, cum ista clausula concepta per ablativum absolutum, importet Principis decretum decisivum, ideoque partes Judicis, absque aliqua cognitione consuetorum requisitorum, de quibus in una, vel altera Signatura cognitum, vel actum sit, sunt in exequendo. *d*

Quinimo, cum ablativus absolutus importet conditio-
6 nem, idcirco recte ille, cujus favore rescriptum prodiit, se opponit ut in causa procedi non valeat, nisi prius ista conditione adimpleta, eique parito, cum ita suspendatur alias jurisdictio. *e*
7 Quare disputationes, quæ desuper haberi solent in Rota, vel coram aliis Judicibus, percutiunt taxam, seu quantitatem, super qua certa regula statui non potest, cum generaliter materia alimentorum reposita sit Judicis arbitrio, regulando ex facti qualitate, & circumstantiis, pro qualitate scilicet personæ, & loci, ac etiam bonorum, vel jurium, quæ sint in lite, ad proportionem fructuum ipsius rei, non autem si de re infructifera agatur. *f*

Alter dispositionis modus est, quando pariter una, vel altera Signatura rescribit de hac subministratione, non
8 quidem præcise cum dicta clausula *subministratis*, sed cum clausula *arbitrio &c.* Et tunc disputatur coram Judice, etiam de ipsa substantia subministrationis, ac de ejus requisitis, quasi quod commissio intelligenda sit prout de jure; Sive quod de hoc in commissione non ageretur, sed subministratio peteretur ex dispositione juris.

Illæ vero dignoscuntur differentiæ, vel effectus, ob 9
quos istud rescriptum alicujus majoris operationis remanet; Primo nempe, ut ille, qui subministrationem petit, recte se opponere valeat, quod de hoc ante omnia disputetur, ut præsertim Rotæ praxis docet, & secundo quod ista clausula, *arbitrio &c.* licet intelligenda veniat prout de jure; Attamen ne omnino inanis remaneat, juris rigorem in aliquo temperat, sive de illo relaxat, ut propterea circa justificationem requisitorum, ea non adeo concludens, ac rigorosa requiratur; Ex vulgari, & frequenti axiomate, quod arbitrium aliquid relaxat de juris rigore, ut in omni materia habetur.

Tertius modus est, quando hujusmodi commissione, 10
vel rescripto cessante, ista subministratio petatur ab ipso Judice, coram quo causa pendet, ex dispositione juris; Et tunc formalis disputatio super ejus requisitorum justificatione assumitur; Atque stante stylo Tribunalis Rotæ, omnia decidendi prævia formali disputatione dubii; Hinc proinde particulare dubium desuper datur, cum decisionis editione; Idemque etiam in aliis duobus modis, de quibus supra agi contingit, in primo scilicet circa taxam, & in altero circa dubium, quod ex rescripti ventre resultat, an scilicet intret arbitrium, ut de hoc stylo habetur infra in *relatione Curiæ*, agendo de hoc Tribunali Rotæ. *g*

Bene verum quod, quandoque pro facti qualitate, ob moras, quas iste stylus secum ferre solet, tam circa formalem justificationem requisitorum, quam circa disputationem, ac editionem decisionis, adversus quam audientia 11
conceditur solet, ut loco citato advertitur, practicari solet ille stylus, qui in aliquibus aliarum Ditionum Tribunalibus, est magis frequens, provisionaliter scilicet decernendi aliquam summam in causa declarandam.

Verum super hoc nimium circumspecte procedi debet, 12
nimiumque raro concedi, ne alias ansa detur vivere volentibus de alieno, lites excitandi, ut ita pecunias a collitigante extorqueant; Unde propterea, quando etiam concludens requisitorum probatio non habeatur, saltem aliquis vehemens fumus necessitatis videtur, non autem, ut in Judicis arbitrio repositum esse debeat, ex proprio capite, atque ad complacentiam, de alienis bonis disponere.

Requisita vero desuper necessaria tria sunt; Primo nempe paupertas; Secundo præsumptio boni juris; Et tertio, quod agatur de causa, vel jure universali. *h*

Primum requisitum, utpote nudi facti, ac probationis, certam non habet regulam, cum a qualitate probationum pendeat, & an illæ concludant necne; Solumque eam re- 13
cipit regulam, quod licet paupertas sit homini connaturalis, cum omnes nudi oriamur, ideoque bona fortunæ sint accidentia, adeo ut ad alios effectus, ista sola præsumptio quandoque sufficiat; Ad hunc tamen effectum ejus probatio, perfecta, & concludens necessaria est, tanquam fundamentum intentionis.

Alterum requisitum præsumptionis boni juris, ut pluri- 14
mum, atque pro frequentiori contingentia, pendet a sententia favorabili per petitorem obtenta, quamvis per appellationem suspensa essent; Licet enim appellatio suspendat sententiam omnesque ejus effectus, perinde ac si lata non esset; Attamen adhuc istum recte operatur effectum; Ideoque pro frequentiori contingentia in secunda instantia, potius, quam in prima, hujusmodi disputationes haberi solent.

Quamvis autem iste modus justificandi hoc requisitum facilior sit, ac frequentior, non tamen est taxativus, ac præcisus, quoniam si aliunde, idem boni juris fumus habeatur, adhuc admittendus est; Et præsertim in Rota, quamvis 15
adhuc nulla sententia in causa emanaverit, dummodo aliqua prodierit decisio petitori favorabilis, quoniam ista eundem operatur effectum; Licet enim decisiones sint actus mere extrajudiciales, aliud non continentes nisi quandam propalationem voti, vel sensum Tribunalis, seu motiva, ex quibus in animo habeatur, ita decernendi, unde propterea per Rotas Florentinam, & Senensem, motiva potius, quam decisiones appellantur, ut magis distincte advertitur infra in *relatione*, agendo de Auditorio Rotæ; *i* Attamen illæ ostendunt bonum jus, atque ad hunc effectum sententiæ æquipollent, quamvis adversus decisionem pendeat revisio, cum etiam gustus boni juris in

hoc admitti soleat, utpote in materia arbitraria, quo tota
pendet a facti circumstantiis.

16 Tertium requisitum est sub quæstione, quoniam licet
una opinio illud requirat, eaque opinio probabile habeat
fundamentum; Attamen altera opinio, quam tenere videtur
Rota, & Curia, contentatur etiam judicio, seu causa
particulari, in qua de aliquibus bonis fructiferis agatur,
ea quorum fructibus hæc subministratio haberi possit, pro
facti, ac bonorum qualitate; Ideoque non de facili certa
regula desuper statui potest, cum in Judicis arbitrio nimium
id repositum videatur.

Procedunt hæc generaliter inter quoscunque extraneos
litigantes, inter quos alia non superat ratio hujusmodi
17 subministrationis; Secus autem ubi ea petatur a persona,
in qua aliqua vigeat ratio peculiaris, quodque lis non vigeat
super bonis, sed potius super statu; Puta juxta exempla
superius tradita; Inter patrem, & filium; Virum, &
uxorem, Monachum & Abbatem, vel Monasterium, cum
similibus, cum isto casu primi requisiti justificatio necessaria
non sit, ob præsumptionem, quod ille non habeat
aliunde, quoties ea per contrariam probationem non excludatur,
atque ratione subjectæ materiæ non intret inspectio
tertii requisiti, ea superius deductis.

18 Adeoque favore mulieris litigantis cum viro præsertim
de fœdere matrimonii procedi solet, ut quando vir idoneus
non existat, quia nempe sit filiusfamilias, tunc etiam
pater viri ad id cogi soleat; Quod absonum videtur,
quando, invito, vel inscio patre matrimonium contractum
sit. *l*

19 In reliquis autem, generaliter præsupponenda est idoneitas
ejus, a quo hæc subministratio petitur, cum alias
pauper pauperi ad id non teneatur, neque cogi quis debeat
pati præjudicium in alimentis propriis, ut illa alteri subministret.
m

20 An autem ista alimenta restitui debeant in casu succumbentiæ,
sub quæstione est, varias opiniones habente,
unde propterea Tribunalium stylis in hoc deferendum
est. *n*

21 Regulariter non debentur per tutorem pupillo facto adulto,
pendente redditione rationum, nisi facti circumstantiæ
Judicis officio locum aperiant. *o*

De alimentis autem debitis per creditorem debitori car-
22 cerato etiam judex, agitur infra, agendo de executione
personali, ac etiam in relatione Curiæ de Congregatione
visitationis carceratorum. *p*

Et in summa, ista materia facti potius quam juris dicen-
23 da est, adeo ut certam regulam generalem non recipiat,
sam circa boni juris, quam paupertatis justificationem, ac
etiam circa taxam alimentorum pro facti, causæ, & personarum,
ac locorum qualitate, ideoque Tribunalium stylis
nimium est deferendum.

a Burati. *decis.* 615. *&* 756. b apud Bich. *dec.* 82. Royas *dec.* 422. c Burati. *dec.* 756.
d Merlin. *dec.* 7. & Royas *d. dec.* 422. *& sæpius.*
e *infra in eo disc. in quo agitur de processu in causis pensionum, & alibi.*
f Burati. *dec.* 906. *ubi add. & ad, dec.* 15. *&* 707. *dec.* 398. *in fin. p.* 13. *rec. & in aliis, in quibus de materia ut infra,* g *infra, disc* 32.
h Galeott. *lib.* 1. *contr.* 6. Burati. & add. *dec.* 15. *&* 707. add. ad Greg. *dec.* 189. *dec.* 298. *p.* 13. *rec. & sæpius, cum sit principium in foro quotidianum.*
i *in Relatione Curiæ* 32. l apud Royas *dicta dec.* 422. *in casu de quo sub tit. de matrimonio, disc.* 2.
m *dec.* 398. *n.* 3. *p.* 13. *rec.*
n *De utraque opinione* apud l'ab. de Ann. *conf.* 102. Franch. 614. add. ad Gregor. *dec.* 189. *& ad dec.* 617. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *num.* 139. *& seqq.* Mantic. *dec.* 43. *&* 171.
o Ursill. ad Afflict. *dec.* 10. *n.* 7. Burati. *decis.* 485. *n.* 1.
p *in relatione Curiæ, disc.* 29.

De cumulatione, ac variatione judiciorum, & actionum, & quando electio unius, alteri præjudicet.

S U M M A R I U M.

1 *ACtor non potest intentare plures actiones diversas, vel contrarias, sed reus utitur pluribus exceptionibus diversis, vel contrariis.*
2 *Per electionem unius ex pluribus actionibus, aliis remanet præjudicatum, ut variari non possit.*
3 *Fallit in executivis, in quibus cumulatio, & variatio datur, & de variatione etiam in exequendo.*
4 *In vim clausularum salutarium datur variatio etiam in ordinariis.*
5 *Declaratur quando clausula operentur necne.*
6 *De materia compatibilitatis, vel incompatibilitatis, in judiciis possessoriis.*
7 *Quando per electionem actionis criminalis censeatur renunciatum civili, vel è contra, si utraque est ex causa pœnæ.*
8 *Quid ubi una est ratione pœnæ, & altera pro interesse.*
9 *Quando Judex civilis inhibeat criminali, vel è contra.*
10 *Judicium universale quiescere facit judicium particulare.*
11 *Judicium possessorium suspendit, & quiescere facit petitorium.*
12 *Ita etiam judicium purgationis attentatorum suspendit negotium principale.*
13 *An, & quando ille, qui intentat judicium ordinarium, regredi possit ad summarium, vel executivum, & è contra.*
14 *Quando dicatur intentatum judicium ordinarium ad dictum effectum.*
15 *An id sequatur per exhibitionem articulorum, & per testium examen?*
16 *Quod regulariter examen testium non congruat judicio executivo.*
17 *Quando per electionem viæ ordinariæ, non censeatur præjudicatum executive.*
18 *Ille, cui, concedatur potestas variandi, tenetur ad refectionem expensarum.*
19 *Clericus, qui conventus coram Judice laico distulit opponere de clericatu, tenetur reficere expensas cum declaratione.*
20 *Quid de privilegiato eligente, vel variante forum in vim l. unicæ.*
21 *Electio judicii ordinarii ex parte unius non præjudicat alteri parti in judicio summario, vel executivo sibi competente.*
22 *De commissionibus, & rescriptis adversus præventiones, vel judicia introducta ex parte rei.*

D I S C. XV.

JUris civilis rigorosæ formalitates, Actori facultatem
denegant cumulandi plures actiones diversas, vel diver- 1
sa judicia; Reo tantum concedendo, ut ad sui defensionem,
plures diversas, imo contrarias exceptiones proponere valeat
a; Ideoque Reo opponente, Actorem obligant ad se
restringendum ad unam ea pluribus intentatis actionibus;
Eique quoque denegando variandi facultatem, quodque
propterea per unius electionem in aliis præjudicatum sit,
eisdem præclusus aditus, vel regressus. *b*

Tribunalium autem, frequentius recepta praxis, cum
aliqua varietate, pro diversis legibus, vel stylis, ex eadem 2
tamen generica ratione æquitatis, vel naturalis veritatis
de facto attendendæ, hujusmodi rigores, quos forte illorum
temporum mores exigebant, hodie vero indiscretos,
parumque rationabiles fateri oportet, nimium temperavit,
Distinguendo in primis inter judicia ordinaria, & summaria,
ac executiva, ut in hac secunda specie, cumulatio
concedatur, ac etiam variandi facultas pro eodem fine
assequendo, *c*

Hinc proinde receptum est, ut creditori debitorem in 3
processu summario, & executivo cogenti ad solutionem
debiti, vel ad aliud implementum, facultas competat
utramque actionem, seu utrumque remedium, reale, &
personale cumulare, ac etiam de uno in aliud variare, ut
scilicet factam executionem personalem, vel è converso, 4
petere valeat; Imo etiam in eodem actionis, vel executionis
realis genere variare, ut ita debitor magis tædio, ac
molestiis affectus, id, ad quod tenetur, adimpleat;
Quoties tamen, quædam non scripta æquitas, Judicis officium
impellat ad id negandum, quia nempe, ex jam factæ
realis executionis imminenti consummatione, promota
sit satisfactio; Id autem certam non recipit regulam,
cum pendeat ex facti particularibus circumstantiis, prudenti
Judicis arbitrio pensandis.

In causis vero ordinariis, illisque summariis, quæ quan- 5
dam ordinariam figuram, seu speciem, circa ordinem processus,
redolere videntur, ut in aliquibus judiciis possessoriis
contingit ex beneficio clausularum, quæ in libellorum,
ac monitoriorum rubrica insinuatæ sunt, *e* licita
redditur illa cumulatio, quæ incompatibilitatem non
redo-

redolest; Et quatenus etiam incompatibilitas obstet, adhuc tamen cumulatio profitua est, ut ita censeatur deductum omne validius, & pinguius remedium, quod de jure magis competere, causæ progressus doceat, usquequo per sententiam, vel per alium restrictionis, vel declarationis actum, unius ex compatibilibus electio secuta sit, cum incompa-
5 tibilium simultaneum concursum pro fine judicii, neque praxis admittat, & de consequenti, neque variatio, electione jam facta concedatur, ideoque clausulæ operativæ sunt pro judicii ingressu, ac etiam pro aliquo progressu, ne juxta antiquos rigores ob libelli ineptiam, processus omnino corruat, non autem pro egressu, per sententiam, vel per decretum; ejusque executionem. *f*

6 Adhuc tamen, quo magis benigne fieri potest, incompatibilitas interpretationem recipit; seu conciliatur; Ut puta (ex. gr.) possessoria retinendæ, & adipiscendæ, vel recuperandæ, contraria, sive incompatibilia reputantur, adeout regula sit, quod petens immitti, vel reintegrari, fateatur se non possidere, quinimo fateatur collitigantem esse possessorem, cui propterea pro manutentione, ista confessio sufficit ad suæ possessionis probationem, quamvis injusta, & intrusiva dicatur, ut agendo de hujusmodi possessoriis interdictis infra particulariter advertitur, *g* Et tamen adhuc possibilis intellectus compatibilis admitti solet, ut scilicet in illo, qui possessionem civilem tantum habendo, ejusque vigore interdictum retinendæ intentando, aliud reintegrandæ, vel adipiscendæ cumulet, admittitur ista compatibilis cumulatio, quod nempe immissio sit referibilis ad confirmationem possessionis, quæ jam animo obtineatur, sed naturaliter, vel de facto ab alio turbetur, vel occupetur; Sive quod reintegratio, sine præjudicio possessionis civilis, quæ animo retinetur, ad naturalem referatur, de facto ab alio occupatam, ut ita naturalis cum civili conjungatur, *h* cum similibus, quibus eadem congruat ratio, pro facti qualitate; Quoties etenim omnimoda incompatibilitas non resistat, tunc omnia possibilis intellectus capi debeat, ita potius attendendo naturalem æquitatem, vel facti veritatem, quam antiquas, & rigorosas legum civilium formalitates, quandam judaismi speciem redolentes.

7 Quo vero ad variandi facultatem, & an per electionem unius actionis, vel remedii, aliis irreparabiliter præjudicatum sit; Tres cadere videntur inspectiones, Primo nempe in illis causis, in quibus utraque civilis, & criminalis via, vel utrumque judicium, in eadem ratione pœnæ, alternative competat, non autem cumulative; ut puta pro injuriis, duplicem penalem actionem lex alternative concedit, ad injuriati electionem, punitionis scilicet personalis, & mulctæ pecuniariæ in duplo, vel triplo, seu quadruplo, &c. Tunc etenim, si actor, viam vere criminalem pœnæ personalis eligat, atque pro ea actionem intentet, sibi perpetuo, vel in substantia præjudicium intulit in actione civili penæ pecuniariæ, sibi applicandæ, ad quam regredi non potest; Nisi restitutionis in integrum beneficio, illi subveniendum sit, cum recte intret regula alternatorum, ut per unius electionem, alterius renunciatio resultet.

8 Altera est inspectio, circa illum utriusque, civilis, & criminalis concursum, qui simultaneus, & compatibilis est, absque aliqua præjudicialitate, quia nempe uterque sit ejusdem causæ effectus cumulativus; Ut puta, pro vulnere, seu violentia, aut pro alia injuria, competit actio criminalis ad penam pro delicto, & actio civilis ad refectionem damni, seu ejus quod interest, ex ejusdem delicti causa. Et tunc, quando non obstet fori diversitas, quæ præjudicialitatem causet, recte intrat cumulatio ab initio, vel etiam ex intervallo, quæ variationem quoque importet, cum nulla dignoscatur incompatibilitas, neque urgeat ratio alternatiorum.

9 Tertia est inspectio, potius ordinis, quam substantiæ, utriusque actionis, ratione scilicet præjudicialitatis, vel connexionis, quia nempe, una ab alia dependeat, quodque alias super eadem re in utroque judicio ejusdem instantiæ, diversę, vel contrariæ sententiæ emanare possint; Ut puta (exemplificando juxta frequentiorem contingentiam) quæstio est inter testatum, ac intestatum hæredem, super testamenti falsitate, ex qua utraque actio, sive uterque effectus, civilis, & criminalis, compatibiliter resultat, quoniam si testamentum falsum declarabitur, intestato hæredi competat actio civilis pro assecutione hæreditatis, & actio criminalis pro punitione falsitatis, neque unius actionis exercitium alterius competentiam tollit; Adhuc tamen unius electio, vel præventio, alteri

Card. de Luca, Lib. XV.

præjudicialis est, causamque impedit, non quidem in totum, vel in substantia, sed in solo ordine, sive ad tempus, ut scilicet unus Judex, puta causæ civilis jam præventæ, inhibeat alteri judici posterioris causæ criminalis, ut ulteriorem processum suspendat, atque causæ civilis exitum expectet; Siquidem si in judicio civili scriptura falsa, vel alias vitiosa declarabitur, ad effectum, ut non probet, nullumque effectum operetur, vel actionem, seu exceptionem producat, & tunc Judex criminalis suum processum reassumet, pro criminis punitione; Et e converso, si in judicio civili, scriptura declarabitur vera, & fide digna, tunc inconveniens erit, ut judex criminalis in judicio falsitatis procedat. *i*

Adhuc tamen in hoc, magnam partem habent, Dictionum, vel Tribunalium styli, sive particularium causarum circumstantiæ, pro Principum, vel supremorum Magistratuum pro tempore existentium genio, vel stylo, dum in Curia, in aliquibus causis gravis momenti, diversimode practicari vidi. Verum istæ dicendæ veniunt limitationes regulæ, quæ modo, quo supra constituenda est.

Eademque præjudicialitas, non in substantia, sed in
ordine, verificatur etiam, in eodem genere causarum 10
civilium, quarum cognitio, ad unum eundemque Judicem spectare potest, ut scilicet intentatio unius suspendat alteram, illamque faciat quiescere, donec una terminetur; Puta quod judicium universale suspendat, & quiescere faciat judicium particulare; Vel quod causa
possessorii suspendat, & quiescere faciat causam, seu 11
judicium petitorii; Aut quod causa, seu judicium purgationis attentatorum, suspendat causam principalem,
cum similibus, de quibus in suis respective sedibus, vel 12
Rubricis infra.

Altera est præjudicialitatis inspectio, quæ respicit ejus- 13
dem individuæ causæ, vel actionis naturam, magisque, vel minus privilegiatam qualitatem, quia nempe pro eodem jure, vel actione, duplex via, vel duplex judicium competat, ordinarium scilicet, & summarium: unde propterea, actore intentate judicium ordinarium, atque hanc viam eligente; inter quæstio, an ita sibi præjudicasse censeatur, ut sibi præclusa sit altera vis judicii summarii, vel executivi.

Non datur enim quæstio in casu converso, quando scilicet Actor, delinquendo viam summariam, vel executivam, ordinariam assumere velit; Tum quia non de facili iste casus est contingibilis; Tum etiam quia, eo contingente, pro frequentiori usu non datur, Rei conventi oppositio, cum Reorum, generale, atque connaturale vitium sit fugere, eorumque defensores colant potius materiam dilationum, quam illam justitiæ.

Adhuc tamen quandoque istam regulam limitatam vidi ut scilicet Actor fugeret, atque dilationibus studeret, Reus autem insequeretur, ac solicitaret, quia nempe ita exigeret temporum opportunitas, vel inopportunitas, ob fortunæ mutationem, quam in dies Curia Romana experitur, ex causa principatus electivi, ut sphera, seu genere privatarum personarum.

In hoc autem, regula est negativa, ut electa via ju- 14
dicii ordinarii, non liceat redire ad summarium, vel executivum; unde propterea, majoris quæstiones cadunt, super hujus qualitatis verificatione, quando scilicet hæc electio facta censeatur; Idque regulariter pendere soleat a Tribunalium stylo, qui in una, vel in altera causarum specie diversus esse solet; Puta quia judicium intentatum sit per viam monitorii, seu libelli; Quamvis id solum sufficiens reputari non soleat, nisi aliæ accedant circumstantiæ, vel argumenta, quoniam ob clausulas salutares, quæ in monitoriis adjici solent, illud resolvibile est in simplicem citationem, quæ in omni judicio, etiam executivo necessaria est, ideoque aliquid aliud desideratur, cum iste dicatur actus æquivocus. *l*

Eo modo quo ad hunc effectum reputatur citatio ad di- 15
cendum contra articulus, quoniam etiam in judicio summario, & executivo quandoque facere oportet probationes per testes, pro quorum examine requiruntur articuli præsertim in materia beneficiali pro executione literarum Apostolicarum, alicujus provisionis super verificatione narratorum cum similibus.

In prophanis tamen, nimium rari, ac verificabiles sunt ca- 16
sus judicii vere executivi in actione personali, cum probationibus extrinsecis per examen testium, cum ipse punctus, an probationes concludant, & an testibus deferendum sit, necne, appellabilitatem secus fere videatur; Unde pro-

haberi, adeout existentibus jam molestiis judicialibus, in-
hibitio non afficiat, neque processus ad ulteriora causet
attentata, atque juxta Advocatorum necessarias partes,
de quibus Morales in hoc ignorando quid dicant, scanda-
lizari solent, modo unam opinionem, & modo alteram
substinendo.

4 Quando attentatorum incursum substinere occasio da-
bat, deducebam vulgarem, & quotidianam propositio-
nem, de qua infra in attentatorum Rubrica, *b* quod Inhibi-
5 tio sive justa, sive injusta est timenda, quodque in arbi-
trio partis, vel Judicis inferioris repositum esse non de-
bet, superioris inhibitiones, & præcepta spernere, sibi-
que in hac parte jus dicere, ac propterea adiri debet idem
inhibens, vel alter ejus superior, ut est Signatura Justitię
pro moderatione.

6 E converso autem, quando scribere contigebat pro at-
tentatorum excusatione; Dicebam, quod dicta conclu-
sio, ut inhibitio sive justa, sive injusta timenda sit, limi-
tationem recipiat in casu notorio, & certo, qualis iste
dicendus videtur, ob expressam dispositionem dictę Con-
stitutionis Apostolicæ continentis perpetuam dictionem
semper, quæ æquipollet dictioni universali *omnes*, quod-
7 que propterea recte congruerent ea, quæ in jure habemus
de clausulis de communi stylo apponi solitis, vel debitis,
ut non appositæ inesse censeantur etiam ad effectum exer-
cendi illas actiones, vel ea judicia, quæ non nisi in earum
vim institui possunt.

8 Juxta vero hanc secundam partem frequentius Signatu-
ra rescribere consuevit, quandoque tamen rescribendo de
prima parte, potius ex circumstantiis facti, super causa
scilicet legitima præventione, seu dictæ clausulæ verifica-
tione, aut quod ille actus, qui coram alio Judice gestus
erat, jam suum effectum sortitus esset, diversamque rem
respiceret, adeout dici posset quod illud judicium jam es-
set finitum.

9 Bene verum quod, ut infra *relatione Curiæ* agendo
de hoc Tribunali advertitur, *d* ex ejus resolutionibus, cer-
ta, & uniformis regula, & certus stylus desumi, vel sta-
tui non valeat, ob crebras mutationes pro temporum, vel
causarum, aut ingeniorum varietate.

Quando autem causa præventa dici valeat, adeout ve-
rificetur dicta clausula, quod molestiæ judicialiter illatæ
sint, habetur super agendo de litis introductione, vel
pendentia. *e*

10 Altera est præventivi judicii species quæ fiat, tam ratio-
ne Judicis, quam fortius ratione judicii, quia nempe (ut
disc. præced. insinuatur,) debitor timens processum exe-
cutivum, & rigorosum in Tribunali magis summario,
& celeri, in alio Tribunali præfatum jactationum, vel diffa-
mationum judicium instituat, ut frequens praxis in Curia
docet, introducendi causam in Rota, quæ in vim obliga-
tionis Cameralis, vel alterius processus executivi, dum
majori celeritate in Tribunali A. C. tractaretur, quoniam
Actore petente, inhibitio moderatur, sive rescribitur ei-
11 dem Tribunali ut procedat perinde ac si commissio signata
esset cum clausula sine præjudicio obligationis Cameralis,
vel alterius processus executivi.

12 Ista vero præventionis materia ad hunc effectum rara
est in Curia, eo quia per Signaturam Justitiæ celeriter in
una hebdomada, sive in una die plures causæ hujusmodi,
cum summaria cognitione terminantur ut infra in *relatio-
ne Curiæ* agendo de hoc Tribunali advertitur.

Frequens autem ista præventionis materia, esse solet in
13 aliquorum Ditionum Tribunalibus, & præsertim in illis
Regni Neapolitani, quoniam ob illud rigorosum judicium
ad formam Ritus M. C. Vicariæ, super incusatione, seu li-
quidatione instrumentorum, debitores illud formidantes,
soliciti esse solent super aliquo instrumenti defectu, vel su-
per prætensa solutione, vel compensatione, aliave excep-
tione, præventivum judicium introducere, idque eis
nimium proficuum esse solet, ob notabile tempus, quod
in hujusmodi incidentium, ac subterfugiorum disputatio-
nibus teritur.

Tertia demum judicii præventivi species est illa, quæ
14 dicitur de futuro, quia scilicet deducatur ad exercitium il-
la actio, quæ adhuc nata non sit, sed nati speretur; Si-
ve quod ad certam diem oritura sit, ut pro frequentiori
contingentia praxis docet in causis fideicommissariis, quia
nempe ille, qui prætendat post mortem alterius, ad ali-
quod fideicommissum se vocatum esse, ut facto casu, co-
gatur assumere litem, quæ, tam super fideicommissi exi-
stentia, vel pertinentia, quam super legitimatione perso-
næ, & identitate bonorum, ac etiam super detractionibus
per hæredem gravatum prætendi solitis, diuturna esse so-
let, ita prævenire studeat, petendo fideicommissi canoni-
zationem ad ejus favorem super certis bonis, quæ illi sub-
jecta prætendantur, atque ita præventive disputare de
prædictis exceptionibus, de quibus hæredes gravati, vel
eorum successores, aut tertii bonorum possessores oppone-
re solent.

In hoc autem; Quamvis juris regula sit negativa, hu- 15
jusque judicii de futuro prohibitiva, unde propterea ple-
rique DD. regularum rigori firmiter inhærentes, simplici-
ter, ac indistincte, hujus judicii introductionem negant,
Probabilior tamen videtur opinio aliorum distinguen-
tium, ut scilicet ista regula judicii de futuro prohibitiva
procedat ad effectum condemnandi, & exequendi ex tunc,
atque speranti jus de futuro, incertum, & eventuale, con-
cedendi immissionem, vel aliud remedium; Secus autem
ad effectum declinandi ea, quæ sub dubio esse possunt, ut
ita futuris litibus ac dilationibus occurratur ad effectum
tamen, ut non nisi purificata conditione, seu alias facto
casu aperturæ juris ad favorem actoris fiat executio ejus
quod judicatum est, cum id omnino rationabile, ac ju-
stum videatur, ita calumniis ac subterfugiis occurrendo;
Quoties Actoris petitio probabilem habeat boni juris fu-
mum. *g*

Idemque etiam praxis docet in dotibus, quæ ex bonis libe-
ris, vel fideicommissariis respective illorum, quorum do- 16
tandi obligatio prætendatur, petantur per puellas adhuc
nubiles, nullamque matrimonii occasionem habentes,
quoniam licet dotandi obligatio, sive sit ex dispositione
juris, sive ex illa hominis, quoties non intrat ratio, vel
privilegium legitimæ, matrimonii conditionem sub se
contineat, adeout possit per puellæ prædecessum ante ma-
trimonii contractum, caducari; Adhuc tamen recte datur
judicium præventivum de futuro, ad effectum firmandi
statum, cum re judicata, prompte exequibili purifica-
ta conditione, tam circa ipsius dotis substantiam, quam
circa taxam, ac modum in quantitate, vel qualitate bo-
norum, ut ita certificata dote, puella promptius, ac fa-
cilius inveniat virum, quem alias non de facili inveniret,
cum dote incerta & litigiosa, ne duplicem litem vir susci-
pere cogatur. *h*

Quinimo isto casu, quando facti circumstantiæ, pro Ju- 17
dicis prudenti arbitrio, ita suadeant, dari potest judicium
de futuro, etiam ad effectum executionis præventivæ,
sed sub implicita conditione resolutiva, quatenus condi-
tio deficiat, ut scilicet ille, qui dotare obligatus est, tot
bona assignare, vel dotem in pecunia deponere teneatur,
etiam ante tempus matrimonii, præsertim in dotibus mo-
nachandarum, ut quotidiana praxis docet, *i* cum simili-
bus, quibus eadem congruat ratio, quoniam omnium re-
rum via consistit in effectu, vel fine, non autem in for-
malitatibus.

Cum autem, & cum minori controversia, istud ju- 18
dicium de futuro datur in iis, quæ habeant causam cer-
tam præexistentem de præsenti, congruat autem pro ejus-
dem causæ effectibus occurrere, ut adveniente tempore,
seu facto casu, promptum sequatur implementum; Puta
in censibus, vel in decimis, aliisque annuis præsta-
tionibus. *l*

Ac etiam in jurisdictionalibus, vel præeminentialibus, 19
ne quando casus contingit, lites, & inconvenientia orian-
tur, ut præsertim in praxi dedit occasio de hoc agere su-
per jure Capituli Cathedralis contra aliud Capitulum Col-
legiatæ, in deputatione Vicarii Sede vacante, ut scilicet
Sede plena, super futuro casu, vel tempore judicium per-
agatur, etiam cum coactione ad paritionem verbalem
loco executionis realis, ut ista, facto casu, prompte se-
quatur. *m*

Idemque in præcedentiis, vel in aliis juribus, pro casi- 20
bus in futurum contingentibus, puta in ingressibus Prin-
cipum, vel in processionibus, seu comitiis, ac similibus
functionibus, cum inconveniens esset, ut tunc lites desu-
per peragere oporteat, dum ipsa lis tempus functionis ab-
sorbet, ipsamque occasionem irreparabiliter tollit, juxta
exemplum quod vulgo tradi solet in litibus super scanno,
vel sede pro concione, tempore quadragesimali, quo-
niam nihil refert, quod post Pascha obtineatur victoria,
quæ inutilis remaneret, ideoque recte intrat extra tempus
quadragesimale judicium præventivum de futuro, ut adve-
niente tempore, vel occasione, prompta sit executio,
cum similibus.

Et in summa, hujusmodi quæstionum regulatrix esse
debet ratio, seu finis ob quem juste id petatur; Nimis
etenim

etenim irrationabile esset, ut qui sperat, vel expectat purificationem fideicommissi, vel majoratus ad sui favorem, pro sola fruitione ad vitam, stante onere post mortem alitia restituendi, sciens possessoris prætensiones, cogi debeat silere, donec possessor vivat, secuto vero casu longam litem super fideicommissi existentia, vel pertinentia substinere, aut super identitate bonorum, vel super legitimatione personæ vel detractionibus, dum ita ejus vita prius terminaret, quam lit haberet finem, cum similibus.

a *supra, disc.* 2. b *disc.* 18.
c *dict. disc.* 18. *in materia attentatorum.*
d *disc.* 31. *in Relatione Curiæ.* e *disc.* 7.
f *dict. disc.* 31. *in Relatione Curiæ.*
g *De ista quæst. pro utraque opinione* Fab. de Ann. *cons.* 326. Rovit. *cons.* 95. *lib.* 2. Prat. ad Muscatell. *in prax. civ. par.* 1. *fol.* 20. Amat. *lib.* 1. *var. cap.* 49. add. ad Ratt. *dec.* 368. h *tit. de dote, disc.* 166. & 145.
i *eod. tit. de dote, disc.* 167. l Cens. *de cens. quæst.* 96. Conciol. *alleg.* 26. m *tit. de jurisd. disc.* 24.

De tertio veniente ad causam.

S U M M A R I U M.

1 *Tertius, qui non docet de ejus interesse, non auditur, nec admittitur.*
2 *Quando constare dicatur de interesse.*
3 *Sufficit interesse quale quale, ideoque raro admissio denegatur, & quod imprudens consilium sit disputationes desuper assumere.*
4 *An admitti debeat in statu, & terminis, & de effectu hujusmodi quæstionis, quod admissus in statu, & terminis facit acta sua.*
5 *De tertio veniente coadjuvando unum ex colligantibus.*
6 *De tertio veniente principaliter pro jure suo, sed consecutivo.*
7 *Quinam interessati sint citandi.*
8 *De tertio infrigente jura utriusque, vel habent cum uno jus coequale, ubi jus sit dividuum.*
9 *Quid ubi sit individuum, an ob omissionem suacitationis totum judicium corruat?*
10 *Quando jus dicatur principale, & coequale, vel accessorium, & exemplificatur.*
11 *An, & quando tertius impediat expeditionem causæ?*
12 *De eodem, & quando interesse sit accessorium, vel principale, & coequale.*
13 *Licet tertius veniens ad causam, faciat acta sua, etiam sententias, non tamen sibi obstat res judicata, sed admittitur ad appellandum, quamvis id non liceret principali victo.*

D I S C. XVII.

1 Regula est, quod tertius, qui non doceat de ejus interesse, non debet ad causam admitti, quoniam ille qui nullum habet interesse, audiri non debeat; *a* Ideoque ubi quis ad causam admitti petat, de ejus interesse docere debet, atque commissiones desuper signantur cum clausula *docto de interesse*, ac propterea, in causis Rotalibus, stante stylo Tribunalis, etiam circa hæc incidentia, nihil decernendi sine disputatione dubii, ac editione deci-
2 sionis, *b* assumi solet disputatio particularis super hoc dubio, an constet de interesse.

Verum quia istud sufficit quale quale, quodque de eo doceatur (ut practici dicunt) apparenter, quamvis non exi-
3 stente; *c* Ideoque, pro frequentiori contingentia, admissio de facili conceditur, nimiumque rari sunt casus, in quibus de denegatione respondeatur. Hinc propterea apud bene fundatos practicos, imprudens consilium reputatur hujusmodi admissionibus se opponere, atque disputationes desuper assumere, dum occasione hujusmodi incidentis, multa præjudicialia in decisionibus, quæ desuper eduntur, firmari solent, concernentia merita negotii principalis, ut etiam frequentior praxis docet in disputationibus, quæ suscipi solent super concessione, vel denegatione remissoriæ, vel compulsoriæ, cum similibus; Ac propterea præsertim in Rota, ob dictam necessitatem edendi decisiones, stante introductione non commendabilis usus se diffundendi in decisionum extensione, ultra punctum præcisum, quid disputatum, ac decisus fuit, hujusmodi incidentium disputationes quo magis fieri potest, effugi debent; priusque cedere expedit, ita eludendo artem cum arte, quoniam ad dictum finem frequentius hujusmodi disputationes affectari solent; Licet enim cedere incidentibus, importare soleat subterfugia Reorum, & aliquam temporis jacturam in Actoribus; Attamen ex duobus malis, minus est eligendum.

Posita vero admissione, frequentiores quæstiones cadunt, super modo, vel statu, an scilicet ille tertius admitti debeat ex integro, vel potius in statu, & terminis, 4
in quibus causa reperitur; Hujusque quæstionis notabilis est effectus, quoniam, ubi sequatur admissio simpliciter, quæ propterea intelligenda venit in statu, & terminis tunc admissus facit sua omnia acta, eisque afficitur, eo modo quo ipsemet principalis colligans, cum quo gesta fuerunt, ideoque id nimirum refert. *d*

Ad id autem, distinguendæ sunt plures species tertii venientis, Una etenim est species illius tertii, qui ad cau- 5
sam admitti curet, ut coadjuvet, cum ejus juribus, unum ex colligantibus, nempe quia ad id teneatur, ut contingit in defensore necessario, qui alicubi, author laudatus dicitur, istoque casu planum est, quod istius supervenientia, nullum infert præjudicium alteri parti, tam circa forum, quem ex ejus persona, vel privilegio non declinat; Excepto fisco, qui sive de jure, sive de facto id sibi usurpat, ut alibi supra agendo de Judice, vel foro competenti advertitur; Minusque aliud ejus privilegium communicat circa appellabilitatem, ut habetur infra agendo de appellatione, & Ægidiana, *e* cum similibus, cum revera ista nova persona sit solum accessoria, seu additativa, & consecutiva, & consequenter in nihilo alterat, respectu colligantis, quidquid sit inter se ipsos defensorem, & defensum, circa evictionis præstationem.

Altera species tertii, est illius, qui venit ad causam, non in gratiam unius ex colligantibus, ut eum adjuvet, sed principaliter, pro jure, vel interesse proprio, independenter ab eo, cujus partes per consequens coadjuvare 6
dicatur; Ut exemplificando in iis, quæ frequentius contingunt, habemus in substituto, qui adhuc pendente conditione substitutionis, petat, ac obtineat admitti ad causam agitatam cum hærede gravato, ut ita pro ejus sperato jure, occurrat dicti hæredis negligentiis, vel collusionibus, suisque præjudiciis consulat; Quod etiam verificari potest in domino directo, qui veniat assistendo feudatario, vel emphyteotæ, cum quo lis agatur cum similibus, quoniam isti nullum habent interesse principale, & coæquale, ob quod in causa citari debuerint, ex regula quod sufficiat citare possessorem, sive illum, de cujus interesse principaliter agitur, non autem omnes habentes interesse acceso- 7
rium, vel consecutivum. *f*

Et consequenter iste dicendus erit tertius voluntarie veniens ad causam, assistendo uni ex colligantibus, ideoque est casus, qui præcedenti assimilatur, atque cum eo fraternizat, unde sibi dici potest, quod, Aut credit, ut acta gesta inter illos, qui litem agunt, sibi præjudicent; Aut non; Si credit sibi non esse præjudicialia, tutus est de jure suo, ac propterea nullam habet comparendi necessitatem; Si vero credit præjudicialia, atque supponit, quo ille, cum quo ea gesta sunt, sit legittimus defensor, tunc de consequenti justum, ac rationabile non est, ut altera Pars, quæ cum sumptibus & incommodis, ac laboribus, processum cum uno compilavit, ac litem sustinuit, forsan terminatam, vel ad terminationis limites redoxit, cogi debeat, cum altero denuo ad causam venien- te, illam ex integro suscipere, dum ita fraudes in dies committi possent, per quas induceretur circulus inextricabilis, qui lites æternaret.

Tertia est species illius tertii, qui ad causam veniat, ex ejus jure principali, vel scilicet infringendo jura utriusque, vel quia suum jus sit cum uno ex colligantibus coæquali, 7
quia nempe res, quæ in lite ad ipsum æque principaliter pertineat; Sive ipse coæquale jus defensionis habet, ut (ex. gr.) est cohæres in re hæreditaria, sive sit primus sive ulterior, qui confideicommissarius dici solet; Vel est socius, qui pro communi eandem rem possideat, ut contingit in bonis emphyteuticis, vel etiam in feudalibus, ubi agatur de feudis pacti, & providentiæ cum similibus; Et tunc intrat distinctio, an agatur de jure dividuo, vel de individuo; Ubi etenim agatur de jure dividuo, intrat idem, quod dictum est in casu proxime præcedenti, dum nullas subest in hoc tertio necessitas sed faciendi admittere ad causam, eo quod suum jus remanet salvum, quoniam in rebus, vel juribus dividuis non suppetit necessitas citandi consortem, atque citationis omissio non vitiat processum, & acta quoad citatum, sed bene illa non afficiunt non citatum, qui tutus de jure suo quiescere potest, ideoque si voluntarie vult ad causam venire, sibi imputet, si

faciat

faciat acta sua; Atque ita rigorose, & circumspecte procedendum est, ut occurratur fraudibus, & calumniis, pro litibus æternandis, quoniam postquam victus, vel vincendus, victorem diu cum lite defatigavit, ita posset curare admissionem alicujus consortis, ut ea integro lis assumeretur.

Si vero sit jus, vel interesse individuum; Et tunc tertius admissus ad causam, non cogitur stare actis gestis cum consorte, ex ratione eorum nullitatis etiam respectu ejus,
9 cum quo gesta sunt, ex regula, quod in individuis, omissio citationis unius ex principaliter interessatis, vitiat processum, & acta, etiam respectu eorum, qui citati fuerunt, sibique imputet Actor, cur omnes principales, & coæquales causæ defensores non evocavit; Unde propterea exemptio tertii venientis ab obligatione faciendi acta sua, provenit ab eorundem actorum nullitate, dum habenda sunt perinde, ac si gesta non essent.

Dummodo tamen ille, cujus evocatio omissa est, habeat jus principale, & coæquale, adeout ad ipsum æque
10 principaliter causa defensionis pertineat; Secus autem si jus, & interesse sit accessorium, & consecutivum; Ut exemplificando in prophanis, interesse coæquale dicitur illud cohæredis, accessorium autem dicitur illud fideicommissarii sperantis successionem. Atque exemplificando in spiritualibus, si (ex. gr. agatur de jure, vel jurisdictione Ecclesiæ Cathedralis, interesse coæquale, & æque principale, est illud Capituli cum Episcopo, quoniam ex eis simul junctis constituitur corpus formale, sive intellectuale cathedraticum, ab Episcopo, scilicet tanquam capite, & a Capitulo tanquam reliquo corpore; Et consequenter in juribus individuis, quæ consistunt in jurisdictionibus & præeminentiis, gesta cum solo Episcopo, non tenent ex defectu citationis Capituli, vel e contra; Secus autem ubi agatur de bonis, vel juribus, quæ licet habitualiter sint Ecclesiæ, quam æque repræsentant Episcopus, & Capitulum. Attamen ea sint divisa, quia nempe alia sit mensa Episcopi, & alia sit mensa Capituli, quoniam tunc sufficit agere judicium cum eo, ad quem mensa pertinet; Alter vero ex participatione, quam habet in efformatione Ecclesiæ dominæ habitualis, dici quidem potest habere sufficiens interesse ad obtinendum admitti ad causam, atque ut admissus audiri debeat, & ne tanquam non interessatus negligi valeat, sed in statu, & terminis, dum ejus interesse est accessorium, & consecutivum; Idemque (ex. gr.) in clero, & populo, cujus intersit victoria, vel succumbentia litis jurisdictionalis, vel præeminentialis, quam Ecclesia habeat; quoniam est interesse accessorium, & secundarium, cum similibus, ad quæ ex istis, pro casuum qualitate, & circumstantiis pro identitate rationis inferri potest. g

Atque ex iis distinctionibus pendet decisio alterius quæstionis, an & quando tertius impediat expeditionem cau-
11 sæ, vel executionem, vel det de attentatis, cum ista dicantur connexa, atque tendentia in idem. h

Hinc proinde; ista theorica ita constituta; Juxta fere omnium forensium quæstionum naturam, majores controversiæ, consistunt potius in facto, quam in jure super applicatione scilicet dictæ theoricæ ad casum, & quando
12 interesse dici valeat coæquale, & æque principale, sive quando agatur de re dividua, vel individua; Id autem aptum non est certam regulam recipere, cum pendeat ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, ut in progressu, pro actorum qualitate insertius advertitur, & præsertim in Rubrica nullitatum, ac in altera executionis, & subhastationis, ac alibi.

Quamvis autem tertio admisso ad causam in statu, & terminis obstent omnia acta, proinde ac si cum eo gesta essent ut supra, & consequenter etiam sententiæ, quamvis sint plures, ac faciendum earum numerum. Non tamen obstant res judicata, sive tres conformes, adeout sibi præclusa sit illa appellandi facultas, quæ præclusa est principali victo, sed admittendus est ad appellandum, i Adhuc tamen circumspecte in hoc procedendum est, inspiciendo quale sit tertii jus, vel interesse, & an absit suspicio fraudis, vel collusionis, quia scilicet victus appellare impeditus, ita curet fraudulenter tertium supponere.

a Gregor. *dec.* 118. *n.* 5. & 6. *dec.* 425. *p.* 12. *rec.*
b *infra in relatione Curiæ*, *disc.* 32. c Bich. *decis.* 536. Otthob. *dec.* 171. *Sanfel. dec.* 90. d Gregor. *dec.* 259. Giurb. *dec.* 1. add. ad Buratt. *dec.* 833. *dec.* 288 & 346. *p.* 9. *rec.* e *infra in ea disc. in qua agitur de appellatione*, & *supra*, *disc.* 3. f *supra*, *disc.* 9. *de citationibus*, & *tit. de jurisdict. disc.* 2. & 22.
g *tit. de jurisd. disc.* 2. 18. & 22.
h *de retractu impediente, vel non impediente executionem.* Add. ad Burat. *dec.* 833. Caval. *dec.* 305. add. ad Vestr. *lib.* 5. *c. ult. dec.* 48. *p.* 7. *rec.* Franch & add. *dec.* 261.
i *dec.* 304. *p.* 5. *rec.* Caval. *dec.* 397. ad Buratt. *dec.* 833.

De attentatis, & de exceptione litis pendentiæ.

S U M M A R I U M.

1 A*ttentatorum materia frequens, & quare.*
2 *Judicium attentatorum suspendit causam principalem.*
3 *De errore causidicorum in partibus.*
4 *Super quibus cadant attentatorum quæstiones.*
5 *Attentans debet omnia restituere in pristinum, ac etiam restituere fructus, omniaque reficere damna, & interesse.*
6 *Ac etiam expensas, & quales.*
7 *Quæ moræ in hac materia cadant.*
8 *An detur appellatio suspensiva.*
9 *Datur manutentio loco purgationis.*
10 *Secunda purgatione, ille, qui attentata passus est, potius moras parat.*
11 *In illis, quæ sunt liquida, integra purgatio omnino est necessaria.*
12 *Quid in illiquidis practicetur.*
13 *De recursu ad Signaturam pro refectione.*
14 *De differentia inter Signaturam Gratiæ, & illam Justitiæ.*
15 *Quomodo in hac rescribi soleat.*
16 *De eodem quando id remissum est arbitrio, pro istius regulatione.*
17 *De eodem circa qualitatem attentatorum.*
18 *Quando etiam in attentatis claris, & culposis detur suspensio.*
19 *Quare Signatura gustare soleat de meritis.*
20 *De distinctione inter attentata scandalosa, & non scandalosa.*
21 *Circa fructus facilius datur suspensio, & ex qua causa.*
22 *Quomodo materia decidi debeat.*
23 *Clausula* purgatis attentatis, *vel aliis per ablativum absolutum.*
24 *De alia clausula* cum facultate revocandi.
25 *Ex quibus regulatio pendeat.*
26 *De tribus speciebus attentatorum.*
27 *Quando dicantur attentata juris tantum.*
28 *Quando gesta post interpositam appellationem, vel pendente termine, sint attentata.*
29 *Etiam in causis, in quibus non intrat appellatio; dantur attentata ratione injustitiæ.*
30 *De attentatis lite pendente, cujus naturæ sint.*
31 *Lis coram judice incompetente non causat attentata.*
32 *De triplici identitate requisita.*
33 *De litis extinctione per peremptionem instantiæ.*
34 *De jure canonico non perit instantia.*
35 *De desertione litis hoc jure attento.*
36 *Quando extinguatur ob mortem collitigantis.*
37 *De attentatis contra inhibitionem.*
38 *De regula quod inhibitio sive justa, sive injusta est timenda.*
39 *Judex ex officio revocat attentata etiam si pars non curet, vel cedat.*
40 *De revocatione attentatorum post rem judicatam.*
41 *Quando inhibitio non causet attentata ob clausulas.*
42 *Item ob clarum defectum jurisdictionis.*
43 *De conclusione, quod qui continuat, non attentat, ejusque limitatione.*
44 *De altera limitatione hujus conclusionis, ubi inhibitio sit super ipsa continuatione.*
45 *Quandoque mandatur videri de bono jure.*
46 *Quando cesset purgatio, & præsertim si processum est in negotio principali.*
47 *Per quantum tempus, & quomodo attentata præscribantur.*
48 *De eodem.*
49 *De mutua compensatione attentatorum.*
50 *De attentatorum justificatione.*
51 *In dubio pro eorum exclusione.*
52 *De pluribus excusationibus, puta in causa diversa, vel extra rem litigiosam.*
53 *An ex facto procuratoris incurrantur attentata.*
54 *Gesta pendente recursu ad Signaturam, vel post supercessoriam, sunt attentata.*
55 *An attentata afficiant successorem.*

56 *An*

D I S C. XVIII.

1 NIhil forte in Curia frequentius agitur, quam ista ma-
teria attentatorum; Vel ob spretum inhibitionis
Vel ob gesta coram diverso Judice lite pendente: Magis
vero ex opinatione, quod sententiæ, vel decreta, su-
spensivam appellationem non admitterent, ob executio-
nem, quæ illico intra terminum appellationis, vel post
eam interpositam, fieri solet.
2 Nimium autem, Reis, aa possessoribus qui succum-
bentiam passi sunt, vel timent, excedit in attentatis, co-
rumque purgatione insistere, ob illorum magna privile-
gia, illud præsertim, quod attentans audiri non potest in
negotio, seu causa principali, ejusque ulterior processus
impeditus remanet, ac alias male procedi dicitur, donec
illorum vera, & integra sequatur purgatio, ideoque istud
judicium dicitur privilegiatum, ac præjudiciale; Unde
propterea hujusmodi incidentes disputationes frequenter
causas principales perimere solent, ob alterius colliigan-
tis, cui attentatorum crimen objiciatur, mortem, vel
defatigationem.
Quare, ubi præsertim causæ aguntur in partibus, postea-
3 que devolvuntur ad Curiam, & præsertim in materia bene-
ficiali, vel in altera jurispatronatus, in hac attentatorum in-
spectione, primæ, ac majores quæstiones, frequentius con-
sistere solent, in partibus etenim, commune vitium est, to-
tam vim constituere, in celeri, ac immatura executione,
quæ non sine violentiis, & scandalis magnisque sumptibus
sequi solet, non advertendo, quod ita potius est, se ipsos
proprio ligone percutere, atque æmulum magis consove-
re; Unde propterea verificatur dicterium, quod nimia, &
immoderata celeritas moras parat, juxta Itali Poetæ di-
ctum, *Che per troppo spronar la fuga è tarda.*
Duplicem itaque inspectionem hujusmodi attentato-
4 rum objecta habere solent; Primam nempe, super ipsorum
attentatorum existentia, & an de illis constet, necne,
cum (sæpius excusari prætendantur; Et secundo (illis
positis) super eorum purgatione, integra, & omnimoda,
quæ in tribus consistit; Primo nempe in repositione o-
mnium rerum in statu pristino, ad instar eorum, quæ infra
in Spolii Rubrica, seu inspectione habentur; *b* Secundo in
5 restitutione omnium fructuum, tam perceptorum, quam
eorum, quos ille, qui attentata passus est ostendat, perci-
pere potuisset: nisi hoc impedimentum recepisset, ratio-
ne damnorum, & interesse, ad quæ attentans tenetur; *c*
Adeout in beneficialibus, sub nomine fructuum, ex di-
cta ratione damnorum, & interesse, veniant etiam dis-
6 tributiones quotidianæ, quæ præcise debeantur, ratio-
ne interessentiæ, ac servitii personalis, quamvis istud
præstitum non esset, eodem modo quo veniunt in casu
7 spolii, vel alterius injusti impedimenti; *d* Et tertio, in
refectione expensarum, sub quarum nomine veniunt,
non solum expensæ judiciales, ad quas Victus victori
condemnari solet (& quæ in Curia, *vive* appellantur,
de quibus infra in earum peculiari discursu) sed etiam
veniunt omnes aliæ, extrajudiciales, vel accidentales,
quæ in Curia, ad differentiam judicialium, *mortue* dicun-
tur; Ut (ex. gr.) sunt illæ, Advocatorum, Procurato-
rum, solicitatorum, copistarum, & quandoque viatico-
rum, aliarumque expensarum, puta pro accessu ad Ur-
bem, pro facti qualitate, ex dicta ratione, quod non ve-
niunt tanquam expensæ judicii, sed tanquam damna, &
interesse. *e*
Quia vero ille, qui attentata passus est, puta per eje- 8
ctionem a sua possessione, in beneficialibus, aliisque in-
corporalibus, vel per executionem bonorum, quæ secum
trahit eandem ejectionem, duplex habet interesse, circa
attentatorum purgationem; Primo scilicet, ac principali-
ter, pro repositione rerum in pristinum, suaque reintegra-
tione in possessione; Et secundo, super dictis refectioni-
bus fructuum, ac expensarum, & interesse. Verum de his
refectionibus, antiqui possessores, postquam reintegrati
fuerunt in possessione, ac primævo statu, non solent esse
multum soliciti, sed potius moras parere student, cum id
deserviat ad se confovendum, atque ad impediendum æmu-
lo prosecutionem causæ principalis, in qua potius timo-
rem, quam spem concipiant.
Ordinaria, ac directa via purgationis attentatorum, 9
qua antiqui utebantur, est, cum sententiis, vel decretis,
quæ desuper fiant super repositione rerum in pristinum, ac
reintegratione prioris possessoris. Sed quia hæc moras pa-
rare solet, præsertim ex eo, quod hujusmodi sententiæ,
vel decreta, suspensivæ appellationi subjacere videntur, ob
implicitam declarationem existentiæ attentatorum, per al-
teram partem negatæ, unde propterea Practici dicuntur,
quod non appellant a purgatione attentatorum, præsuppo-
sito quod illa adsint, sed appellant a mala declaratione co-
rum existentiæ, quæ negetur. *f*
Hinc proinde pro magis celeri purgatione obtinenda, 10
inolevit media cautela, procedendi per viam extraordina-
rii remedii summarissimi possessorii retinendæ, seu manu-
tentionis, quod ubi in forma summaria, & per simplex
decretum interlocutorium conceditur, non admittit ap-
pellationem suspensivam, sed ex recepta praxi censetur in-
ter judicia executiva, & privilegiata, dum illud est unum
ex remediis purgationis attentatorum, ex ratione, quod
attentata complicant nullitatem, ac manifestam injusti-
tiam eorum, quæ gesta sunt, & consequenter bene intrat
hoc remedium, quod hodie receptissimum est competere,
etiam adversus factum Judicis, quoties istud sit nullum,
vel notorie injustum, ut infra in hujus remedii particulari
sede advertitur. *g*
Postquam vero ille, qui attentata passus est, cum præ-
dicto, vel cum alio remedio, in pristino statu repositus
fuit (& ad quem effectum partes soliciti Actoris gerere stu-
duit.) Tum licet easdem Actoris partes continuare dica-
tur, super ista duplici reflexione, fructuum, & expensa- 11
rum, ac damnorum, & interesse; Attamen, (ut dictum
est,) pro frequentiori contingentia moras nectere, atque
Rei fugientis partes, sub hoc honesto clypeo, assumere so-
let, ut ita, juxta artes belli, hostem detinendo in pugna,
exteriorum fortificationum, atque ita illum defatigando,
Civitatem, vel Arcem tueatur, & custodiat. Atque hinc
resultat interversio consueti ordinis, quod scilicet debitor
insequitur creditorem, eumque solicitat, ut satisfactio-
nem obtineat, ad effectum, ut ita removeatur impedimen-
tum super causæ principalis prosecutione.
In hoc autem, pro illa parte, quæ liquida sit, necessa- 12
ria est vera, & effectiva purgatio integra (ut Practici di-
cunt) usque ad minimum quadrantem, atque non sufficit
oblatio quamvis judicialis, ac munita cum idonea cautio-
ne; *h* Ubi vero agatur de parte illiquida, tunc ille, cujus 13
interest, purgationem accelerare, ac sequi pro dicto effe-
ctu prosecutionis causæ principalis, curat præfigi termi-
num competentem colliiganti, cui refectio facienda est ad
liquidandum, dictoque termino elapso, ac liquidatione
non facta, adeout incertum remaneat, quid, & quantum
reficiendum sit, tunc admittitur depositum alicujus parvæ
summæ, puta unius julii, cum obligatione in actis de sol-
vendo prompte totum id, quod liquidatum fuerit, atque
ita ad causæ principalis prosecutionem admittitur, clarius
vero ubi causa commissa sit cum clausula *arbitrio &c. i*
Quandoque autem ipsi attentantes recurrere solent ad 14
Signaturam gratiæ, ac etiam aliquando ad illam Justitiæ,
pro causarum qualitate, ad effectum obtinendi rejectio-
nem attentatorum ad finem litis. Verum super hoc, certa
non habetur regula, cuicumque casui applicabilis, cum
totum repositum sit in arbitrio Papæ in Signatura gratiæ,
sive in aliquibus casibus Signaturæ Justitiæ, quæ rescribit
ejus nomine.

Cum

Cum ēā differentia, inter unam, & alteram Signatu-
14 ram, quod ubi agitur de illa gratiæ, in qua ipsemet Papa personaliter præsidet, atque audito, vel non audito, ut sibi placet, voto consultivo Prælatorum, ore proprio rescribit, non est ligatus legibus, ejusque regulis, quibus pro libito derogare, vel dispensare potest, dum istud tribunal, proprie est gratiosum, ac dispensativum. Ideoque stylus non est uniformis, sed difformis, pro diverso genio, vel stylo Pontificis regnantis, ejusque Auditoris, aliorumque ministrorum sibi assistentium. Alteram vero Signaturæ Justitiæ, quamvis ejusdem Papæ nomine, ac vice, rescribat. Attamen rescribere non potest, nec debet, nisi juxta regulas juris, cui dispensare non potest, Ideoque ejus rescripta intelligenda veniunt prout de jure ut advertitur infra in particularibus sedibus *l*, in quibus de utraque Signatura agitur. Licet quandoque praxis doceat oppositum, quod scilicet majorem sibi assumat licentiam Signatura Justitiæ, quam illa Gratiæ.

Pro ea tamen regula, quam a frequentiori praxi, vel
15 contingentia, desumi potest. Quando clare videtur justa causa, quæ mereatur moderationem rigoris legalis, tunc pure ac dispositive concedi solet rejectio attentatorum in fine litis. Quando autem e converso causa reputatur minus sufficiens, tunc id simpliciter denegatur, *Nihil* rescribendo. Ubi vero dubium id reputetur, altiori indagine, vel discussione dignum, tunc rescribit solet, in causis præsertim Rotalibus, cum clausula *arbitrio*. Unde propterea assumuntur formales disputationes, cum dubio particulari Rotæ, an intret arbitrium, atque ita examinantur causæ, ex quibus illud per attentantem interponi petatur, juxta regulas juris, Ea recepta, & quotidiana propositione, quod arbitrium regulandum est a jure, cujus rigorem tamen in aliquo temperat, ne alias fatuum, ac inane remaneat Principis rescriptum.

16 Pro isto autem arbitrio regulando, sive etiam, in ipsamet Signatura, ad effectum rescribendi, necne, regulariter inspici solet, qualitas, vel natura attentatorum, an scilicet illa sint juris tantum, vel etiam facti; Primo etiam casu facilius rescribatur, in secundo autem difficilius.

Verum neque ista Regula omnino firmata est, ac uniformis, quoniam in qualibet attentatorum specie, inspicienda est individua qualitas singulorum casuum, an scilicet attentata sint clara, vel dubia. Sive an ille, qui attentavit, habeat necne probabile excusationis motivum, adeo ut dici valeat dolosus, vel non dolosus, cum ista circumstantia doli, sive positivi spretus in hoc proposito principaliter considerari debeat. Et in summa, cum illud sit dispensativum beneficium fundatum in æquitate, & in commiseratione, idcirco inspici debet, an casus, æquitate, & commiseratione dignus sit, tam circa modum, seu qualitatem attentatorum, quam etiam circa paupertatem, vel aliam impotentiam ejus, qui ad purgationem tenetur, ne ita ejus justitia in negotio principali ob impotentiam ex hoc incidenti suffocata remaneat, ideoque materia arbitraria est, quæ certam non habet regulam. *n*

Habendus quoque venit respectus ad speciem purgatio-
17 nis, cujus rejectio, vel suspensio petatur; quoniam Aut est circa illum actum, ex quo attentata resultant; Aut circa refectionem expensarum, & fructuum, aliorumque damnorum & interesse, &c. In prima enim specie, distinguitur, quod Aut agitur de actu facti permanentis habente tractum successivum, ex quo unius, vel alterius Partis commodum resultet. Et tunc nullatenus concedenda est ista æquitativa, & gratiosa suspensio, cum id directo adversetur æquitati, atque iniquitatem potius redoleret, quod scilicet ille, qui cum vitio attentatorum, in aliqua possessione rei corporalis, vel incorporalis se intrusit, debeat ita in ea, durante lite, se confovere. Hoc etenim nullatenus concedi solet, neque concedendum est.

Nisi quando ratio publici præjudicii, ac etiam magnæ æquitatis, ita suadeat; Puta quoties agatur de aliquo ædificio, quod de stricto rigore juris, attentate constructum sit, unde propterea, eodem rigore attento, demoliri deberet, sed quoniam id publico ornatui esset præjudiciale magnumque pareret damnum uni Parti absque utilitate
18 alterius; Hinc proinde, quando constet de bono jure ædificantis, adeout secuta purgatione, id productione causæ pro facultate de novo ædificandi judicandum veniret, tunc suspenditur judicium purgationis etiam ex ipsius Judicis officio, quamvis Principis rescriptum non accedat, idemque in similibus casibus, quibus eadem congruat ratio. *o*

19 Atque exinde inolevit laudabilis stylus utriusque Signaturæ, gustandi etiam de meritis causæ, quamvis super ipsis judicari non debeat, ad effectum scilicet regulandi dictum arbitrium, ac inspiciendi, an ob justitiam causæ principalis, purgatio importet circuitum inanem necne.

In actibus autem momentaneis, vel facti transeuntis, qui 20
attentate gesti sint, adeout differre purgationem, non importet dictum inconveniens, quod attentans se confoveat in attentata possessione, atque continuatum commodum ex ejus delicto reportet; Et tunc inspicitur, an purgatio, scandalum importet, necne, quoniam ubi scandalosa esset, tunc de facili datur ista suspensio, ut (ex. gr.) contingit in exhumatione cadaveris cum similibus, quibus eadem congruat ratio; Nisi dolus attentatis adeo sit clarus, & scandalosus, ut ratione istius scandali, curandum non sit de altero; Ideoque (ut præmissum est) ista dicitur materia, quæ certam regulam non recipit, sed pro singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda est. Et præsertim, circa suspensionis concessionem, quando attentata sint talis naturæ, ut magnam habeant dependentiam a negotio principali. *p*

In altera vero specie purgationis, circa fructus, & ex-
pensas, magis benigne proceditur, faciliusque concedi- 21
tur, præsertim ratione paupertatis, vel alterius impotentiæ, sive ratione vehementis fumi boni juris, adeout intret etiam dicta æquitativa ratio circuitus inanis; Verum pariter id neque certam regulam habet, cum nimium, ac principaliter pendeat a qualitate attentatorum; an sint facti, & juris, vel etiam, an juris tantum; Sive an dolosa, vel non dolosa; Aut an dolus sit major, vel minor; Ideoque firmum est, ut istæ sint quæstiones nudi facti, quæ a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decisionem recipiunt.

Quare frequenter scribendo super ista materia, in Ro-
ta, & in utraque Signatura, quando pro attentantibus, 22
& quando contra, juxta necessarium stylum Advocatorum, Mea fuit consuetudo dicendi idem, quod frequentius, ac in dies, dicere contingit in materia remissoriæ super ejus concessione, vel denegatione, quod scilicet conclusiones, ac decisiones, & doctrinæ, quæ desuper habentur, pro cærimonia, in Advocatorum informationibus allegari solent, ut ignarum vulgus videat, quod sunt informationes juris, quæ ita contradistingui solent ab informatione causæ Patroni in facto, sed videtur labor inanis, cum omnes conclusiones, vel regulæ quæ hinc inde deduci solent, in abstracto sint veræ, sed punctus est in applicatione; Ac propterea, irrisione dignum semper censui, ineptissimum modernum usum, faciendi magnos allegationum cumulos super hujusmodi conclusionibus, quæ nullam amplius patiuntur difficultatem in punctu juris, dum tota vis restringitur ad applicationem, quæ ex facto pendet: Ex eisdem autem circumstantiis quoque pendet, quod una, vel altera Signatura, non solum denegare solet attentanti, qui ad eam recurrat, dictam suspensionem, vel
rejectionem, sed recurrente eo, qui attenta passus est, 23
ad coercendum omne Judicis arbitrium, rescribit præcise, super purgatione ante omnia facienda per ablativum absolutum, Puta *purgatis attentatis*, quod importet conditionem, cujus virtus, & operatio est, ut adimat jurisdictionem, ac facultatem procedendi in causa, priusquam ista conditio impleatur; Ac etiam infra in progressu, habetur in aliis clausulis, quæ per ablativum absolutum concipi solent; Puta *parito literis*, vel *parito judicato*: Aut *non retardata solutione*: Sive *subministratis alimentis*, cum similibus, de quibus infra in particularibus discursibus executionis, vel paritionis.

Solet etiam Signatura quandoque, ad instantiam ejus,
qui prætendit fuisse attentatum, signare commissionem 24
cum clausula *cum facultate revocandi attentata*. Verum id videtur idem, ac nihil, atque est quædam exuberans satisfactio imperitorum, cum sit expressio ejus quod de jure inest, dum Judex ad quem hanc habet facultatem jure suo.

Cum itaque (ex præmissis,) omnia pendeant a qualitate attentatorum, an scilicet sint juris tantum, vel etiam
facti, sive an dolosa, vel excusabilia; idcirco, fere o- 25
mnes, vel majores quæstiones, quæ desuper haberi solent, hunc punctum percutiunt.

Tres autem sunt species attentatorum; Prima scilicet eorum, quæ fiant cum auctoritate unius Judicis, pendente lite coram alio; Altera eorum, quæ fiant post appellationem interpositam, ejusque prosecutione durante, vel etiam pendente termino ad appellandum; Et tertia eorum, quæ fiant post inhibitionem, atque in ejus spretum.

Prin-

Priores duæ species dicuntur juris tantum, atque regulariter non dicuntur dolosa, nisi adeo clara sint, ut juris ignorantia, vel diversa credulitas, supina, & affectata
27 sit, adeout dolum saltim præsumptum redoleat, pro facti qualitate; Præsertim vero in secunda specie attentatorum, post appellationem, vel pendente ejus termino, quoniam pro frequentiori contingentia id sequi solet in illis causis, quæ, vel juxta unam opinionem minus communem, vel pro diverso stylo, in partibus, quem Curia non approbat, reputantur executivæ, & non admittentes appellationem suspensivam, ut de opinionum, vel stylorum diversitate patet ex singulorum judiciorum sedibus vel discursibus particularibus infra.

In eo etenim puncto, an & quando gesta post interpositam appellationem, vel pendente termino ad eam inter-
28 ponendam, dicantur attentata, necne? Ea est distinctio; An scilicet causa, vel sententia sit de sui natura appellabilis, necne? Ubi etiam est de sui natura appellabilis, ad utrumque effectum, suspensivum scilicet, & devolutivum (ut pro regula generali sunt omnes causæ, quæ per speciem limitationis, a jure communi, vel municipali non sint exceptuatæ) Et tunc intrant sine dubio attentata; E converso autem, non intrant, ob solam appellationem, vel potentiam appellandi, in causis non admittentibus appellationem suspensivam; Ideoque majores quæstiones esse solent, super hujus distinctionis applicatione, an scilicet causa, de una specie sit, vel de altera. q

Est bene verum, quod etiam in casibus limitatis, verificari potest vitium attentatorum, indirecte, seu consecu-
29 tive, quando scilicet illa sententia, quæ sit de sui natura executiva, atque suspensivam appellationem non admittat, detegatur nulla, vel injusta, quoniam executio, quæ per legem in sententiis decernitur, intrat, in validis, & justis, cum sententia nulla, vel injusta, neque nomen sententiæ mereatur, ideoque executione indigna sit, atque appellationem ad utrumque effectum admittat, ac propterea de consequenti intret vitium attentatorum, quæ tamen juris dicuntur, utpote implicite, & ex juris dispositione resultantia, in qua Pars decipi potuit, opinando validitatem, & justitiam; Et consequenter dicuntur attentata non dolosa, & excusabilia.

30 Ejusdem naturæ regulariter censentur attentata de prima specie superius distincta, super gestis scilicet lite pendente, nisi tales accedant facti circumstantiæ, ut illa dolosa, & inexcusabilia reddant, cum ex plerisque causis, litigantes credere soleant quod actus geri potuerit, lite non obstante; Vel quia ejus legitima introductio negatur, juxta ea, quæ superius ad hanc materiam introductionis litis habentur; r Vel quia, ob Judicis incompetentiam, pro non introducta haberi debeat; Puta in causis ecclesiasticis, vel spiritualibus, coram Judice laico; Sive coram eo Judice, in quo alias vigeat defectus jurisdictionis, ut præsertim docere solet Curiæ praxis in causis beneficialibus
31 coram Auditore Cameræ. s

Aut quia causa prætendatur diversa, cum ad hunc effe-
32 ctum attentatorum, copulative requiratur triplex identitas, personarum scilicet, rei, & actionis, unaquæque difformita hanc identitatem tollat. t

Sive quod lis prætendatur extincta, quod de jure civili, de facili, ac frequenter est ad praxim deducibile, ob peremptionem instantiæ; Verum in Curia id nimium ra-
33 rum est, forteque nunquam verificabile, ob alibi assignatam rationem, quod in Curia servatur dispositio juris ca-
34 nonici, qua attenta instantia est perpetua, & nunquam perit; Et licet detur illa extinctio, quæ resultat a casu, in quo habita fuerit pro derelicta; nihilominus nimium rari sunt casus, in quibus id verificetur, cum copulative
35 requirantur lapsus longissimi temporis trigința annorum, & injustitia. u

Facilius tamen ista extinctio verificabilis est, ob deficientiam unius ex personis Actoris, vel Rei, ex quibus judicium constituitur: Verum, & id pariter, raro ad pra-
36 xim reducitur; Vel quia verificabile solum est in causis beneficialibus, vel similibus juribus vitalitiis non transmissibilibus ad hæredem; Vel quia Apostolica auctoritas cum subrogationis concessione, speciem transmissionis ad successorem inducere soleat cum aliis limitationibus desuper cadentibus; x Adhuc tamen præmissa, ubi etiam non subsistere detegantur, talem inducunt excusationem, ut dolum, vel malitiam excludant.

37 Deterior autem, ac regulariter dolosa, & inexcusabilis est tertia species attentatorum in spretum expressæ inhibitionis, cum tunc adsit actus positivus criminosus super contemptum præcepti superioris.

Et quamvis id excusari soleat ex motivo ejus nullitatis, vel injustitiæ, non tamen sufficiens excusatio reputatur, ex vulgari regula quod inhibitio sive justa, sive injusta est
tumenda; Licet enim attenta origine, seu frequentiori 38
contingentia, ista propositio per ora Practicorum volitet in inhibitionibus Rotalibus; attamen etiam in illis Auditoris Cameræ, aliorumque Judicum ea locum habet, cum eadem sit ratio, quod scilicet in facultate subditi inhibiti, repositum esse non debeat, gerere partes Judicis in causa propria, atque sibi ipsi jus dicere, judicando inhibitionem injustam, sed adire debet inhibentem, vel alium majorem superiorem, puta Signaturam pro moderatione, atque interim parere, ne superioris majestas contemnatur, atque ita omnis judiciorum ordo pervertatur, cum prævidentibus molestias, alias consultum esse non possit, ut se ab eis tutos reddant, nisi cum hoc inhibitionis remedio. z

Ideoque rigorose in hoc proceditur, quod ubi etiam il- 39
le, qui attentata passus est, ea dissimulet, atque revocationem non petat, quinimo eis renunciet; Sive quod patiendo procedi ad ulteriora in causa sibi præjudicet; Adhuc tamen Judex, cujus majestas spreta fuit, ex officio illorum revocationem demandare potest, atque attentanti audientiam denegare, donec purgatio sequatur. a

Prout circa ea attentata, de supradicta secunda specie, quæ scilicet post interpositam appellationem, vel ejus ter-
mino durante, commissa sint, quamvis evanescant, 40
ob subsequentem rem judicatam, quæ resultet a non interpositione appellationis in termino, vel a desertione appellationis interpositæ, ob lapsum fatalium; Adhuc tamen revocantur ex capite nullitatis, b Id autem declarationem recipit ubi executio, quæ attentata prætenditur, facta sit, antequam laberetur terminus ad appellandum, secus autem si postea, cum tunc executio facta dicatur in vim rei judicatæ; Ac etiam si facta sit dicto termino pendente, adhuc tamen superventa res judicata, eam de æquitate, ac ratione inanis circuitus revalidat, si executio directa est per adeptionem possessionis rei controversæ, secus autem si indirecta per pignora, vel per carcerationem, aut censuram. c

Hanc autem magis culposam attentatorum speciem, in spretum inhibitionis, excusare solent clausulæ præserva-
tivæ contentæ in eadem inhibitione, sive in commissio- 41
ne, cujus vigore inhibitio prodiit; Ut contingit in illis commissionibus, quæ in ventre habeant clausulam, sine præjudicio executionis literarum Apostolicarum, vel obligationis Cameralis, &c. cum similibus; Aut alias insinuatam clausulam in inhibitionibus super judicio diffamationis, vel jactationum, dummodo molestiæ non sint judicialiter illatæ. d

Cadit autem dubitatio, an idem dicendum sit ubi dicta clausula sit omissa, sed tanquam apponi solita, subintelligenda sit, præsertim vero prædicta in Judicio diffamationis, dummodo molestiæ non sint judiciales, atque aliquando Signatura consuevit excusare.

Ac etiam omnino certa, & notoria nullitas, vel inju-
stitia inhibitionis quandoque excusare solet; Ut præser- 42
tim contingit in ea nullitate, quæ resultet ex claro defectu jurisdictionis, vel incompetentiæ. f

Procedunt hæc; ubi agatur de actibus, qui per actum
positivum, vel etiam negativum de novo fiant; Ubi ve- 43
ro agatur de continuatione juris, vel possessionis, in qua collitigans, vel inhibitus reperiatur, tunc intrant majores quæstiones. Regula enim vulgatis, ac recepta est, quod qui continuat, non attentat; Verum plures limitationes ea recipit, super quarum verificatione quæstiones cadunt; Primo nempe, ut continuatio sit eo modo, quo prius ante appellationem, vel inhibitionem possidebatur, cum possessione clara, vera, & actuali, non autem instrumentali tantum ac turbida; f Secundo ut continuatio sit per viam privatæ possessionis, non autem ubi judicialiter, & ex auctoritate alterius Judicis. g

Nisi pro continuatione jure proprio, ac privato, ad reprimendam alterius Partis potentiam, atque evitandum molestias de facto, adhibeatur auctoritas alterius Judicis, non tanquam judicis, & in forma judiciali, sed tanquam viri potentis, qui cum ejus familia assistentiam de facto sibi præstet; In hoc autem circumspecte procedi solet, ne sub hoc prætextu, fraus legi fiat, ad instar eorum, quæ in materia recursuum inferius habentur, disc. seq.

Tc

Tertia huic regulæ continuationem permittenti, limitatio traditur, in casu inhibitionis, ac etiam litis, quoties ista in specie sit super ipsa possessione, vel ejus continuatione; *b* Verum & in istius limitationis praxi, vel admissione, nimium circumspecte procedendum est, ut scilicet recipienda veniat, quando ipsa possessio turbida sit, atque hinc inde illa prætendatur, unde propterea super ejus actuali exercitio, scandala, & inconvenientia oriri possint, & de consequenti, inhibitio mature desuper prodierit, tanquam per speciem sequestri provisionalis, de quo supra, vel suspensionis, ac implicite avocationis possessionis penes ipsum Judicem inhibentem, juxta varios Tribunalium, vel Ditionum stylos; Non autem ut ob illam inhibitionem, quæ pro consueta formula expediri solet cum prima citatione, vel ob alteram, quæ expediatur in vim litis pendentiæ, teneatur quis suam certam possessionem dimittere, cum id nullum juris fundamentum habere videatur: Ideoque id intelligendum venit, de illis formalibus inhibitionibus, quæ, causa cognita, partibusque auditis, expresse, ac mature decernuntur, & quæ per Rotam non dantur, nisi cum formali disputatione dubii, ideoque earum usus nimium rarus est; Sive ut dictum est, tales essent facti circumstantiæ, quod possessionis exercitium, vel actus post inhibitionem in effectum redolerent innovationem sub pallio continuationis, ideoque non est propositio, quæ ita generaliter attendi, seu practicari debeat: Et tamen in facti contingentia, pene incredibile est, quam magnos labores adhibere oportuerit in id suadendo aliquibus Judicibus, qui cum his generalitatibus, in sola libera procedere solent, & qui propterea Advocatorum subtilitatibus, ac ratiociniis, hujusmodi distinctiones, vel considerationes referre solent.

Pro evitanda, seu excusanda dicta necessitate purgationis attentatorum; Ultra præmissa, & potissimum, ac
45 principaliter ob dictam circumstantiam inanis circuitus,
ratione boni juris, quoties non agatur de attentatis mere dolosis, & scandalosis, continentibus spretum positivum, ipsius boni juris inspectio assumi solet; rescribendo scilicet, ut videatur de bono jure, etiam ad effectum attentatorum; Verum id certam non habet regulam, cum sit arbitrarium, an & quando bonum jus attendi debeat, cum tamen regula sit in oppositum, ut boni juris exceptio in hac materia non attendatur; *i* Ideoque ista videtur quæstio potius facti & applicationis, quam juris, non decidenda cum solis generalitatibus, sed cum singulorum casuum particularibus circumstantiis, prudenti Judicis arbitrio pensandis.

Plures aliæ viæ, vel exceptiones competere solent, ea
46 facti qualitate pariter regulandæ; Illa præsertim, quando
ille qui passus est attentata, postmodum passus est in causa principali procedi ad ulteriora, adeout ista patientia, quandam implicitam renunciationem dicto juri opponendi de attentatis, ac impediendi ulteriorem processum, redolere videatur.

Sive quod dici posset hæc actio præscripta, ob lapsum
47 longi temporis, ob quem resultet præsumptio animi, super
illorum remissione; Ad instar eorum, quæ habemus in materia possessionis civilis, animo retentæ, quæ ob diuturnam patientiam amittatur juxta declarationes, de quibus infra in particulari sede possessorii retinendæ; Aut ex eadem ratione, cui innixa est proxima limitatio, quæ resultat ex patientia, ut procederetur ad ulteriora.

Quamvis enim hæc actio, vel exceptio purgationis attentatorum, cadat sub regula generali præscriptionis,
48 quod scilicet agendo, non præscribantur, nisi per trigin-
ta, vel quadraginta annos, pro eorum qualitate, ac dummodo alia præscriptionis requisita concurrant, quæ nimium raro ad praxim deducuntur, ut infra in præscriptionum sede advertitur, *m* ubi habetur quod facilior est præscriptio hujusmodi actionum, vel exceptionum concernentium ordinem judicii, quam ubi agatur de altera præscriptione rei principalis; Attamen, ut ibidem advertitur, ac etiam in generali Rubrica probationum; Aliud est considerare lapsum temporis, in ordine ad formalem præscriptionem actionis, vel exceptionis; Aliud vero in ordine ad probationem præsumptivam remissionis actionis, istaque distinctio pariter in facti contingentia aliquando reputari consuevit subtile ratiocinium.

Haberi quoque solet consideratio, an adsit concursus
49 attentatorum, hinc inde, quoniam, licet regula sit, quod
ultima attentata attenduntur, ac revocari debent; *n* Attamen quandoque, pro facti qualitate, admitti solet regula compensativa delictorum hinc inde; Ac propterea congruit repetere id quod supra insinuatum est, quod scilicet ista materia, generaliter dicenda veniat, potius facti, quam juris, non regulanda pariformiter cum solis generalitatibus, sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, prudenti arbitrio.

Prout, facti est potius, quam juris, eorundem attentatorum justificatio, quoniam licet ista regulariter juxta 50
sensum Rotæ concludens fieri debeat, ex parte illius, qui attentata alleget; ideoque non admittantur attestationes extrajudiciales, sive testes examinati ad futuram rei memoriam, aliæque probationes præsumptæ, & imperfectæ; unde propterea stylus Curiæ est, ut quando instar pro attentatorum revocatione, prompte sit decretum ad favorem petentis sed cum clausula *docto*, quæ redolet necessitatem perfectæ probationis, ob regulam contrariam, quod in dubio præsumenda non sunt delicta. *o*

Et ex qua regula manat altera propositio, quod in dubio
respondendum est pro exclusione attentatorum, adeout si 51
eadem die secuta sit citatio, vel inhibitio, ac etiam secutus sit actus, qui prætenditur attentatus, sed non constet, quinam actus præcesserit, regulariter respondendum venit pro exclusione attentatorum; *p* Attamen, pariter discrete, atque pro facti qualitate, id intelligendum venit, cum aliquando, ob ejusdem attentantis malitiam, ac affectationem, in occultatione actus, vel ob ejusdem potentiam, seu alia impedimenta, haberi non possit probatio; unde propterea procedendum venit cum adminiculis, & præsumptionibus, ut infra in recursuum materia advertitur, *disc.* *seq.* ut etiam de stylo procedit Auditor Cameræ; Et consequenter non semper procedendum est cum generalitatibus.

Quæstiones quoque super attentatorum excusatione frequenter cadunt, ratione diversitatis causæ, quod scilicet
non verificetur illa copulativa identitas quæ superius insi- 52
nuata est, nempe rei, personarum, & actionis; Sive quod actus, qui attentatus prætenditur, sit extra rem in judicio deductam; *q* Aut quod gesta sint per procuratorem, qui non poterat facere incidere principalem in pœnam sine scientia, & ratificatione; Verum hæc, & similia, certam juris regulam non recipiunt, sed ex facti qualitate, & circumstantiis pendent; Et præsertim circa verisimilem, seu præsumptam scientiam principalis super iis, quæ gesta sint
per procuratorem, vel cum eo, ex regula quod principalis 53
censetur certioratus a procuratore; Unde propterea diversa adest praxis super attentatis, quæ fiant in Partibus post
inhibitionem factam procuratori in Curia, sive post ob- 54
tentam supersessoriam, adeundi Signaturam Justitiæ, vel Gratiæ, vel pendente recursu ad eam; Isti etenim actus inhibitionis speciem redolent, & causant attentata. *r*

Cum successore quoque habentur quæstiones, an scili-
cet illum afficiat attentata prædecessoris; Sive quod lis, 55
vel inhibitio cum prædecessore ipsum afficiat, atque gesta per eum dicenda sit attentata: Verum pariter a facti qualitate id pendet, an scilicet ipse suum jus mutuatur a prædecessore, atque causam cum eo cœptam, in statu, & terminis prosequatur, vel potius veniat jure suo ex integro, ac omnino independenter, ideoque certam, ac generalem regulam id non recipit. *f*

Idemque in quæstionibus quæ habentur cum tertio, a-
ctive, & passive, an scilicet tertio obstent attentata, vel 56
ipse de eis dare possit, cum eadem intrent distinctiones activi, vel passivi usus actorum cum tertio. *t*

In literis Apostolicis, regulariter non dantur attentata,
ex regula, quod Papa non attentat; Adhuc tamen, su- 57
per illarum executionem, recte intrant, utpote gesta a Parte, vel ab Executore, unde propterea frequens praxis docet sequestrum, de quo supra actum est. *u*

Super natura quoque, vel qualitate sententiæ, vel decreti revocationis, vel purgationis attentatorum, quæstio
cadit, an diffinitivi, vel interlocutorii speciem redoleat, 58
& an suspensivam appellationem admittat necne; Verum, & id certam non recipit regulam, sed a singulorum casuum circumstantiis decisionem expectat, quoniam licet regulariter attentans appellationis beneficio indignus reputetur, potissime vero ubi de illis attentatis agatur, quæ gesta sint in spretum appellationis, quoniam non debet quis potiri beneficio illius legis, quam contemnit: Adhuc tamen suspensiva appellatio congrue quandoque cadere solet, non ab ipsis attentatis, eorumque purgatione (præsupposita eorum existentia,) sed a mala declaratione ipsius existentiæ, quando attentata pendeant ab alio puncto facti, vel juris, super quo quæstio existat probabiliter dubia: Ideoque desuper cadat Judicis declaratio, a qua, non autem ab ipsis attentatis, appellatio suspensiva admittenda est: *x* Eodem modo quo in literis Apostolicis, plu-

ribus-

ribusque similibus privilegiatis in jure habemus, ex deductis in appellationum Rubrica.

59 Utputa sub probabili quæstione est, an lis legitimè introducta dicatur, ac pendeat, neene, quia nempe ex parte illius, cui objiciuntur attentata, lite pendente, ista pendentia negetur; Sive sub quæstione sit, an decretum, vel sententia executioni demandata post interpositam appellationem, vel infra tempus datum ad appellandum, sit appellabilis, neene; unde propterea ille cui attentata objiciunt, negat illorum fundamentum, ex natura, vel privilegio causæ, cum similibus; Et tunc, quoties iste punctus non sit clarus, adeout sit affectata, & improbabilis probatio, ab ista declaratione intrat appellatio, quoniam in hoc Judex decipi potuit. Ideoque firmum remanet, id quod pluries insinuatum est, atque pene generaliter in omnibus forensibus quæstionibus dicendum videtur, quod scilicet istæ sunt quæstiones facti potius, & applicationis, quam juris, pro facti particolari qualitate decidendæ, quodque erroneum est cum solis generalitatibus procedere. Eodem modo quo supra advertitur, circa interpositionem arbitrii super suspensione, vel rejectione purgationis, quod scilicet totum pendet ab attentatorum qualitate, & an sint dolosa, vel non dolosa, sive excusabilia, vel inexcusabilia; Vel circa modum purgationis, an scilicet, & quando sufficiat sola verbalis, mediante renunciatione illis actis, ex quibus attentata desumuntur, cum similibus.

60 Atque in hoc sensu generaliter recipienda est illa propositio, quod pauperis Doctoris est, procedere cum regulis generalibus. Idest quod judicandum non est cum solis generalitatibus in abstracto, sed principaliter immorandum est super concreto, ac super congrua regularum, & principiorum juris applicatione ad casum, spectata ratione, vel fine, ac effectu, ob quem juris regulæ prodierunt, non autem, ut Doctoris divitiæ consistant in contemptibili collectorum, seu pragmaticorum usu, replendi chartas inutilibus allegationibus extra propositum, vel sine congrua applicatione.

61 Super natura, seu qualitate sententiæ, vel decreti, pro revocatione attentatorum, quæstio cadit, an diffinitivi, vel interlocutorii speciem habeat; Regula vero est, juxta hanc secundam speciem, ea tamen plures recipit limitationes, & præsertim, ut eam non habeat interlocutorii naturam, quod idem Judex reponere valeat, quod tamen a Tribunalium stylis nimium pendet. y

62 Attentatorum autem revocationem peti non posse post conclusum in causa, in ea tamen instantia, plerique volunt; z Quod tamen pariter pro Tribunalium diverso stylo est recipiendum.

63 Super appellatione extrajudiciali, quæstio cadere solet, an causet attentata. Et licet opinionum diversitas dignoscatur; attamen ab ipsius appellationis justitia, vel injustitia, sive ab actus natura, vel qualitate decisionem recipit, & an subjecta materia dilationem patiatur. a

64 Excommunicationis exceptio non impedit quominus opponatur de attentatis, eorumque revocatio petatur. b

65 Co:::m en Judice attentatorum revocatio peti debet, cujus majestas læsa fuit, Non tamen impeditum est coram Judice alterius instantiæ eam peti, si in præcedenti instantia neglecta fuerit. c

66 Quomodo autem purgata dicantur, & an sola verbalis renunciatio sufficiat. & an sufficiat renunciare in actis possessioni, aliisque actis, & quomodo hæc renunciatio fieri debeat, ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis pendet, spectato scilicet fine, vel effectu, non autem attenta verborum formalitate. d

67 Illorum attentatorum quæ lite pendente gesta prætenduntur, non petitur revocatio, neque opponitur per eum, qui jurisdictionem declinavit. e

68 Æquiparantur spolio violento, atque cum eisdem terminis regulantur. f

69 Actus consecutivi alteri actui, qui appellationem præcedat, non sunt attentati, nisi inhibitio inter unum, & alium actum accedat. g

70 Quamvis autem contumax non verus, etiam post decem dies admittatur ad appellandum, ut in appellationis Rubrica advertitur. Non per hoc tamen executio post lapsum dictum terminum attentata dici potest, bene tamen ex capite injustitiæ revocanda venit. h

71 Quando vero attentata pendet a negotio principali, tunc de isto videri debere, antiquus est Rotæ stylus demandate. i

72 Præmissa vero, quæ magis in foro, atque in praxis frequentia memoria suppetit, vel disputandi occasio dedit adnotasse sufficiat. Pro reliquis autem minus contingibilibus, apud eos, qui materiam ex professo tractant, sive apud practicæ formales professores, recurri poterit. l

a Royas *disc.* 380. *n.* 2. *ubi dicitur regula receptissima qualis revera est, & quotidiana.* b *infra in eo discursu, in quo agitur de interdicto possessorio retinegranda.*
c Cels. *dec.* 80. *&* 133. Dunoz. *dec.* 825. Burat. & add. *dec.* 777. *& passim.* d Royas *dec.* 173.
e Cels. *dec.* 80. *&* 133. Royas *decis.* 384. Bich. *dec.* 534. Dunoz. *d. dec.* 825. f *infra n.* 58.
g Cels. *dec.* 43. *n.* 14. *dec.* 251. *n.* 2. *p.* 11. *rec. & sæpius.*
h Dunozett. *d. dec.* 825. Bich. *dec.* 534. add. ad Burat. *decis.* 449.
l *apud proxime allegatos* Ridolphin. *in prax. p.* 2. *cap.* 15. *n.* 68. *&* 69. add. ad Burat. *dec.* 356.
l *dec.* 154. *p.* 12. *rec. & in Relatione Curiæ, agendo de utraque Signatura, disc.* 30. *&* 31.
m *d. dec.* 154. *p.* 12. *rec.* add. ad Burat. *d. dec.* 356.
n *de his* apud Greg. & add. *dec.* 361. Burat. & add. *dec.* 320. *& in aliis locis ut supra,* Carill. *d. dec.* 248. *& frequenter, quando pro una, & quando pro alia opinione, cum vere sit materia arbitraria non recipiens regulam.* o *sub tit. de servitut. disc.* 7.
p apud Greg. *dec.* 276. Bich. *dec.* 439. *sub tit. de matr. disc.* 10. *ubi declaratur.* q *de hac distinctione* Burat. & add. *dec.* 63. 134. *&* 902. Bich. *dec.* 422. *& passim.*
r *disc.* 7. s *tit. de benef. disc.* 92. *& in relatione Curiæ, agendo de Audit. Cameræ, disc.* 34.
t Burat. & add. *dec.* 644. *dec.* 246. post Zacch. *de oblig. cam.* Cels. *dec.* 82. u *supra disc.* 7. *& tit. de benefic. disc.* 91. *&* 92. x *d. disc.* 91. *&* 92. *de benef.*
y apud Bich. *d. dec.* 439. *& in aliis de quibus proxime infr.*
z Cavaler. *dec.* 544. *&* 574. Greg. *dec.* 119. Buratt. & add. *dec.* 177. 181. *&* 652. Bich. *dec.* 448.
a Greg. & add. *dec.* 91. *&* 243. Buratt. & add. *dec.* 406. Bich. *dec.* 385. *in fin.* b Otthob. *decis.* 170. Burat. & add. *dec.* 59. *&* 72. *& in aliis, de quibus proxime infra.*
c *dec.* 295. *p.* 9. *rec.* d Royas *dec.* 302. Bich. *dec.* 462. *in fin.* Greg. & add. *dec.* 119. Dunoz. *dec.* 847.
e Bich. *dec.* 448. *in fin.* f Mantic. *dec.* 168. Caval. *dec.* 615. *& in aliis de quibus proxime infra.*
g Cavaler. *d. dec.* 615. Bich. *dec.* 381. *in fin. Cathoren. hæreditatis* 1. *Febr.* 1651. *coram Cerro, & sæpius.*
h apud Bich. *d. dec.* 381. *in fin. dec.* 132. *n.* 9. *p.* 11. *rec. Rossanen. jurispatronatus* 10. *Februarii* 1653. *coram Cerro, Romana attentatorum* 4. *Junii* 1663. *coram V. Comite, & sæpius.*
i Burat. & add. *dec.* 4. *& ubi concordantes.*
l Greg. & add. *dec.* 91. *&* 243. *dec.* 132. *&* 284. *p.* 11. *rec.*
m *disc.* 21. n *dec.* 52. *p.* 11. *rec.*
o Burat. *dec.* 644. *dec.* 131. *p.* 13. *rec.*
p Dunoz. *dec.* 847. q Cels. *dec.* 82. Burat. & add. *dec.* 644. Dunoz. *dec.* 847.
r *de his* Burat. & add. *dec.* 177. *&* 63. Royas *dec.* 493. Bich. *dec.* 451.
s Burat. & add. *dec.* 278. Bich. *dec.* 300. Otthob. *dec.* 99. *in fin.* t *dec.* 243. *part.* 1. *divers.* Mantic. *dec.* 31. Burat. *dec.* 860. Royas *dec.* 173. *&* 493.
u Greg. & add. *dec.* 2. *&* 10. 152. *p.* 11. *rec. tit. de benef. disc.* 98. *& supra, disc.* 13. x *dec.* 52. *p.* 11. *rec.*
y *de his* Lancellot. *de atten. p.* 9. *cap.* 28. *a n.* 17. Gratian. *discept.* 55. Cavaler. *dec.* 375.
z Mantic. *dec.* 33. *ubi allegantur* Lancellott. & alii.
a Vestr. *in prax. lib.* 3. *cap.* 7. Burat. *decis.* 771. *&* 859. *dec.* 279. *p.* 9. *rec. dec.* 104. *p.* 10. *& habetur in materia jurispatronatus, & in illa electionis.*
b Gonz. *ad reg.* 8. *§.* 7. *proem. n.* 239. Burat. & add. *dec.* 72.
c Burat. & add. *dec.* 72. *&* 77. Bich. *dec.* 515. *in fin.*
d Burat. *dec.* 126. Otth. *dec.* 272. *&* 446. Coccin. *dec.* 372.
e Burat. *dec.* 212. *dec.* 102. *p.* 6. *rec.*
f Gregor. *dec.* 336. Burat. & add. *dec.* 642.
g Burat. *dec.* 859. Greg. *dec.* 251. *dec.* 426. *p.* 5. *recent.* Dunoz. *dec.* 690. *dec.* 176. *p.* 10. *rec.*
h Vestr. *in prax. lib.* 8. *cap.* 4. Dunoz. *dec.* 787.
i Lancellott. *p.* 3. *cap.* 24. 9. 19. *dec.* 374. *p.* 3. *divers. lib.* 3. l Lancellot. *de attent. ac etiam* Ridolphin. *in praxi, aliique practici.*

ADNOT. AD DISC. XVIII.

De attentatis, de quibus in hoc disc. agitur, videndum est quid adnotatum sit infra, *hoc eod. tit. disc.* 45.

De

De recursibus ad Magistratus sæculares in causis ecclesiasticis, & spiritualibus.

S U M M A R I U M.

D I S C. XIX.

1 AD impediendum causæ cursum, vel progressum, ad instar eorum, quæ de attentatis, *disc. præcedenti* habentur, objici frequenter solet de recursibus ad Judices, & Magistratus sæculares; Idque præsertim pro frequentiori contingentia praxis docet in causis beneficialibus, vel aliis Ecclesiasticis Hispaniarum, ubi ob illos stylos, frequentior, ac facilior est recursus ad sæculares Magistratus, qui prætendant habere quandam cognitionem causarum ecclesiasticarum, vel spiritualium, etiam super executione litterarum Apostolicarum, ex motivo, vel prætextu occurrendi violentiis, & ne istæ committantur, juxta ea quæ habentur apud plures Hispanos Doctores, qui volumina desuper conficere curarunt. 2

3 Inter plures autem pœnas, quæ per Sacros Canones, & Apostolicas Constitutiones, vel conciliaria decreta, impositæ sunt recurrentibus ad Judices, & Magistratus sæculares in causis ecclesiasticis, vel spiritualibus, pro impedimento ecclesiasticæ, vel spiritualis jurisdictionis, illas præsertim incursus censurarum, ast quoque ista, quæ ab attentatis, ac etiam a spolio resultat, denegationis audientiæ, quod scilicet recurrens audiri non debet, neque sui juris, vel actionis exercitium, vel prosecutio ei competit, nisi recursuum purgatio præcedat cum eorum renunciatione. *a*

4 Neque verbalis renunciatio sufficit, sed etiam realis, & effectiva requiritur, id est curando quod revocantur inhibitiones, & impedimenta, cum omnibus exinde secutis, Ac etiam cum refectione expensarum, ac damnorum, & interesse, eodem modo, quo in attentatis supra, *disc. præced.* advertitur, cum hæc fere in omnibus fraternizare videantur; *b* Ideoque, circa renunciationis, seu purgationis partes accessorias, quæ consistunt in dicta refectione expensarum, ac damnorum interesse, quoties revera secuta est effectiva cessatio recursus in negotio principali, intrat eadem consideratio probabilis, vel improbabilis excusationis pro regulatione arbitrii, adeout pariformiter ex facti qualitate, & circumstantiis totum pendeat.

5 Majores autem quæstiones in hac materia super duobus circumferri solent; Primo nempe, super eorundem recursuum probatione, quod scilicet illa impedimenta, quæ per Magistratus sæculares præstantur, a collitigante proveniant; Et secundo super eorum qualitate, an scilicet, & quando dicantur veri recursus, ut supra, prohibiti, & punibiles.

6 Quatenus itaque pertinet ad primum; Ut plurimum res solet esse difficilis probationis, dum ad eludendas pœnas id fieri solet in occulto, & per tertias manus, ut negari valeat; Et per consequens sufficit præsumptio generalis, quod illi habiti censeantur per illam, cujus interest talia impedimenta præstari. *c*

Procedit autem ista præsumptio, ad effectum minoris præjudicii denegationis audientiæ, ac impediendi præsumpto recurrenti, ulteriorem ejus actionis, vel causæ progressum, & ad quem effectum de hoc proprie in præsenti agitur; Secus autem, ad graviores effectus pœnarum, præsertim illius censurarum, & præcipue excommunicationis, quæ (ut alibi pluries advertitur,) cum sit pœna gravis & ordinaria, exigit perfectam, & concludentem probationem delicti, quoniam Aliud est considerare præsumptionem, vel diffamationem criminis, ad effectum subtrahendi beneficia, sive ad affectum impediendi emolumenti acquisitionem; Aliud vero, ad effectum pœnæ formalis in persona, vel in anima, sive in bonis, vel juribus jam obtentis, juxta distinctionem in beneficiali materia receptam ac frequentem, *d* a qua etiam inferri potest ad omnia similia quibus eadem congruat ratio. Atque in his terminis specialibus, ita distinguendo sæpius Rota firmavit. 7

Verum quia sæpius, pro casuum contingentia, nihil interest recurrentis, quod audientia sibi denegetur, atque causæ progressus impediatur, quia nempe sit jam condemnatus ad aliquid præstandum, vel faciendum, unde propterea ad eludendas executoriales, vel mandata de parando, vel ad impediendum executionem alicujus Apostolicæ provisionis, mediantibus recursibus curet impedimentum præstari, juxta casum præsertim sæpius alia occasione enunciatum Capituli Cæsaraugustani, cum similibus. *e* Hinc proinde, ab aliquo moderno tempore oportuit (rationabiliter quidem) introducere quoque processum ad dictas pœnas, & præsertim ad illam censurarum, ad quarum arma videtur hodie de facto (deplorabiliter quidem,) restricta potestas Judicum & Tribunalium ecclesiasticorum extra temporalem Ecclesiæ ditionem etiam cum Clericis sæcularibus, vel regularibus, ob hujusmodi recursuum extensionem, vel usum, *f* ad instar, cum de facili in malo detur imitatio, ac extensio. Procedendo scilicet ad censuras, etiam per præsumptiones, & argumenta, ob nimiam difficultatem, ac pene impossibilitatem probationis concludentis, eo quia Magistratus sæculares, eorumque Notarii, vel Cancellarii, nunquam concedunt acta, & comparitiones. *g* 8

Ut enim in omni materia frequenter receptum habemus in proposito probationum; Aliud est probatio præsumpta; Aliud vero est probatio vera, & perfecta, quæ ex præsumptionibus, & adminiculis pluribus simul junctis perfici seu concludi valeat. 9

Altera quoque in idem accedente conclusione in eadem materia probationum, quod ubi ex facto partis, ac ob injusta impedimenta, ea perfecta, & concludens fieri non potest, tunc etiam levis, ac imperfecta sufficit. *h* 10

Prout in puncto juris, dicta præsumptio intrare non videtur, nisi cum personis singularibus, non autem cum corporibus politicis, vel universalibus, ut sunt Capitula; & Collegia, & similia; *i* Et tamen modernis temporibus oportuit, etiam cum Capitulis, & corporibus universalibus ex ista causa recursuum, ad censuras procedere, quæ cum illis sunt practicabiles, nempe suspensionis & interdicti, procedendo etiam ad excommunicationem, contra illas singulares personas de eodem corpore, quas etiam adminiculative constet esse rebelles, & contumaces, ac impedire ne ipsum corpus pareat Superiorum mandatis. *l* 11

Idemque pro facti qualitate, & circumstantiis contingit in casu, in quo sint plures in causa interessati, unde propterea incertum sit, ex cujusnam parte recursus habiti sint; Licet enim regulariter, ex causa incertitudinis, contra neminem ad pœnas procedi valeat, Attamen cum ita malus resultet effectus de facto, absque punitione, vel remedio; Idcirco eodem modo, quo de corporibus universalibus dictum est, arbitrium dilatari potest, procedendo contra omnes; Vel quia inter eos intret aliqua præsumptio collusionis; Vel quia inter eos regulæ Criminalistarum, quod ubi agatur de delicto commisso in loco, in quo plures erant personæ, absque eo quod certificari valeat delinquens, contra omnes procedi potest, cum similibus; Ac etiam quia molestando omnes, tunc illi, qui sint innocentes, ad proprias molestias evitandas, soliciti erunt inquirere, ac patefacere culposos, cum in hujusmodi occultis actibus, ex quibus tamen certus, ac patens resultat effectus, expediat a juris tramitibus recedere, atque reputetur ordo, ordinem non servare, ut quandoque Rotæ praxis docet. 12

Contingit etiam, ut probationes expressæ, vel adminiculativæ recursuum, habeantur contra Procuratores, de quorum mandato speciali non constet, ut in puncto juris, præsertim ad effectum incursus censurarum requiritur: Verum pariter ab hac regula receditur, in illis casibus, in quibus (ut supra) nil inter sit recurrentis, quod sibi audientia denegatur, eo quia agatur ad effectum impediendi executionem judicati, dum ita facilis esset collusio, occultando mandatum & obtinendo intentum, vel effectum recursuum sine punitione; Ideoque consuevit practicari idem quod supra, circa probationes præsumptas, vel adminiculativas, ut scilicet illi, sub cujus nomine, alter recursum habuerit, non sufficiat dicere, quod nullum desuper mandatum dederit, dum ipse tenetur de facto removere impedimentum, ac parere, atque alias, id non agendo, convincitur de culpa, ideoque intrat præsumpta probatio ratihabitionis, vel præcedentis mandati, cum in his materiis, non curentur verba, sed attendantur facta. m

Eodem modo, quo in materia paritionis habemus, quod scilicet in iis, quæ consistunt in aliquo facto positivo, non 14 sufficiunt verbales declarationes, vel oblationes, quantumvis amplæ, & humiles, nisi sequantur facta, quæ respondeant verbis, quoniam bona verba, cum factis malis, potius majorem malitiam, majoremque contumaciam arguunt. n

Atque hinc, bene, ac rationabiliter, in facti contingentia decisum fuit, ut illi, qui de Capitulo, vel de alio cor-15 pore, se promptos, ac obedientes exhibent, omneque possibile ex eorum parte agant, ut pareatur ab aliis, excusabiles quidem reputari debeant ac soleant a censuris personalibus, sed non excusentur a censuris, aliisque pœnis universalibus, vel communitativis, & præsertim circa usum actuum jurisdictionalium, vel præminentialium, ne alias collusive illi de corpore se dividant, atque mediantibus illis qui verbaliter tantum obediunt, conserventur, ac obtineantur jura illius corporis, quod factum est contumax, ac inobediens spectato effectu. o

Ita etenim lex, prudenter, ac rationabiliter statuit; Verum ab eis deviare oportet ob fraudes ab humana malitia adinventas, ad ejusdem legis dispositionem eludendam; 16 Ut in specie habemus in hac materia recursuum, quod scilicet ad illos concludendos, in puncto juris plura desiderantur requisita; Primo nempe ut recursus fuerit, cum petitione inhibitionis quæ fiat Judici, vel executori ecclesiastico in forma jurisdictionali, & auctoritativa; Secundo ejusdem inhibitionis confessio; Et tertio ejus effectuatio, cum in hac materia non puniatur affectus, non secuto effectu. p

Unde propterea si recurratur ad Magistratum sæcularem tanquam ad virum potentem, pro sola defensione in ejus juribus, vel possessione de facto, ut scilicet ipsum recur-17 rentem tueatur, eique assistat adversus molestias, & turbationes æmuli, tali casu non dicitur recursus illicitus, & punibilis ut supra. q

Verum cum hujusmodi declarationes deservire cœperint pro pallio, ad fraudandum, & cooperiendum recursus formales. Hinc proinde bene aliquando decisum est, ut procedi debeat cum toties insinuata mea generali propositione, omnium rerum regulatrice, ut scilicet, non formalitas verborum, sed substantia facti, seu veritatis atten-18 di debeat; Et per consequens, si spectato effectu, iste sequatur, eo modo, quo sequeretur si habitus esset recursus formalis, cum dictis requisitis, tunc iste effectus attendendus est.

Ideoque inspiciendum venit, an illa defensio de facto, quam recurrens obtinuit a Magistratu, sive illud impedimentum, quod iste præstitit, sequi potuisset pariformiter ex assistentia alterius viri privati, qui non esset in Magistratu, sed esset vir potens ratione clientelæ, vel adhærentiæ, sive numerosæ familiæ; Vel potius id referendum sit laicali jurisdictioni, ac muneri, seu Magistratui, sine quibus impedimentum secutum non esset, adeout in effectu adsit inhibitio, quamvis non adsit ejus formalitas; Puta, quia ille Magistratus, ad quem haberi solent recursus, & cui competit jus concedendi hujusmodi inhibitiones, per se ipsum, vel per aliquem ejus oratorem, seu ministrum, Judici, vel executori ecclesiastico, oretenus, atque (ut vulgo dicitur) *per ambasciata*, quamvis urbane concepta sit, in effectu inhibeat, atque impedimentum præstet; Et per consequens punctus est in effectu, non autem in formalitate verborum. r

Dicta vero requisita, ex quibus formalis recursus verificari dicitur, considerari solent ad effectum, ut traherent Clericum, vel personam ecclesiasticam ad forum laicalem, seu etiam laicum in causa tamen mere ecclesiastica, & spirituali, etiam in iis, quæ sunt juris, importet quidem incursum aliarum pœnarum, quæ per sacros Canones inflictæ sunt, contra hujusmodi trahentes, non tamen dicantur recursus, minusque intrent censuræ contentæ in Bulla Cœnæ; Illa etenim, in ea parte, in qua de trahentibus loquitur, procedit in ipsis Judicibus, & Magistratibus, qui jurisdictionaliter, & auctoritative trahunt, non autem in Partibus, quæ trahi curant, vel petunt, quoties non verificentur dicta alia requisita, cum recursus proprie consistere dicantur in impedimentis, quæ Judici, vel executori ecclesiastico præstantur, ne ejus jurisdictionem, & auctoritatem exerceat, atque sibi incumbentes partes expleat, spectato (ut dictum est) effectu, vel substantia veritatis, non autem immorando in formalitatibus. f 19

a Butatt. *dec.* 446. Bich. *dec.* 282. *& miscellan. Eccl. disc.* 17.
b *apud supra allegatos* & per add. ad Butatt. *dec.* 416.
c Greg. & add. *dec.* 96. Cavaler. *dec.* 372. *&* 529. Butatt. & add. *cum aliis d. disc.* 17. d *de benef. disc.* 70. *&* 71.
e *tit. de preeminent. disc.* 3. *& seqq. & in Miscell. Eccl. d. disc.* 17. f *juxta casum, de quo d. disc.* 17. *in Miscellan.* & apud Bich. *d. dec.* 282.
g apud Bich. *d. dec.* 282. Cavaler. *dec.* 529. Butatt. & add. *d. dec.* 416. *&* 446. h *infra disc.* 22.
i Butat. *dec.* 536. l *d. disc.* 3. *de praeminent. disc.* 23. *de benef. & d. disc.* 17. *in Miscellan. Ecclesiast.*
m apud Bich. *d. dec.* 282. *cum aliis supra alleg. & dict. disc.* 17. *in Miscellan.*
n *dict. disc.* 17. *in Miscellan. Ecclesiast.*
o *d. disc.* 23. *de benef. & d. disc.* 17. *in Miscellan. Ecclesiast.* p *d. disc.* 282. Bich. *cum aliis d. disc.* 17. *Miscellan. Ecclesiast.*
q *dec.* 240. *p.* 7. *rec. dec.* 212. *post* 2. *vol. consid. Farinac.* & apud Bich. *d. dec.* 282.
r *apud proxime allegatos, & d. disc.* 17. *in Miscell.*
f *d. disc.* 17. *in Miscellan.*

De aliis causis, vel exceptionibus, quæ judicii, vel causæ cursum impediunt, & respective audientiæ denegationem causant, nempe: De spolio: De contumaci, & de intentione possessorii: Aut de clausulis præjudicialibus: De excommunicatione: De munere publico: De transactione, & perjurio: Et de non implemento, seu de contraventione.

S U M M A R I U M.

1 *Spolium impedit progressum judicii, & spoliatori denegatur audientia, donec purget spolium.*
2 *In quo purgatio consistat.*
3 *Quando hujus purgationis suspensio concedatur.*
4 *An audientia denegari etiam debeat in aliis causis?*
5 *Opponente parte ut prius terminetur judicium possessorium manutentionis, procedi non potest in causa petitorii.*
6 *An pro isto possessorio probari debeat turbatio?*
7 *De cumulatione possessorii cum petitorio remissive.*
8 *Contumaci deneganda est audientia.*
9 *Transactio impedit litis ingressum, vel progressum.*
10 *Idem de clausolis præjudicialibus, puta clausula sublata, & similibus.*
11 *De concessione aperitionis oris adversus istas clausulas, earumque reductione cum distinctione.*
12 *Gratia male exorta debent revocari.*
13 *Magistratus quando debeat abstinere ab executione gratiæ Principis.*
14 *Quare super d. aperitione oris cognoscatur de meritis.*
15 *Dictæ clausulæ, de quibus n. 10. non impediunt cognosci de non comprehensione.*
16 *Quid referat, an una, vel plures clausulæ prædictæ obstent.*
17 *Quod in Curia adhuc debeat abstineri ob recursum ad Principem.*
18 *Excommunicatus, an & quando possit esse in judicio?*
19 *De exceptione, quod collitigans sit in publico Magistratu.*
20 *De exceptione hostica.*
21 *De Perjurio.*
22 *De non implemento, seu contraventione.*

DI-

DISC. XX.

1 NOn solum ex causis attentatorum, & recursuum ad
Magistratus sæculares, judiciorum, seu causarum
progressus, vel respective ipsemmet initium impeditur
ob audientiæ denegationem; Verum etiam ex plerisque
aliis eundem effectum, in toto, vel in parte operantibus;
Et præsertim, ex causa spolii violenti, quod pariformiter
in jure reputatur, ac attentata, eundemque operatur effe-
ctum; Et consequenter, spoliator, vel attentator pari
passu ambulant, ut quemadmodum de attentatore supra
dictum est, ita etiam de spoliatore dicendum veniat, ut
scilicet ei denegari debeat audientia, donec sequatur pur-
gatio spolii. a
Ista vero purgatio pariformiter consistit in plena rein-
2 tegratione spoliati, tam circa ipsam rem, in qua spolium
commissum sit, quam etiam circa fructus, vel expensas,
omniaque damna, & interesse, quacunque compensatio-
ne, vel retentione denegata. b
Cadentibus eisdem distinctionibus, & considerationi-
bus, circa hujusmodi purgationem, ejusque suspensionem,
3 quæ cadunt in dicta attentatorum materia, adeout ea,
quæ ibi dicuntur, pene in omnibus huic materiæ quoque
congruant; Ideoque repetendum non est.
Disputari tamen solet, an ista pœna denegationis au-
dientiæ, procedat solum in causa vertente super ea re, in
qua spolium commissum sit, vel etiam in aliis causis, cum
4 eodem spoliato, sive cum aliis coram ipso Judice penden-
tibus, vel initiandis; Atque cum distinctione qualitatis
spolii procedi solet, an scilicet sit verum, ac violentum,
pro quo competat Interdictum, unde vi, vel potius im-
proprium sive interpretativum, ut primo casu obstet etiam
pro causis diversis, non autem in secundo. c
Impedimentum quoque judicii prosecutioni, vel initio
præstare solet privilegium alterius possessorii retinendæ,
5 quod vulgo manutentionis dicimus, quia nempe ubi col-
litigans prætendit se turbari in possessione, in qua reperia-
tur, vel reperiri, seu esse debere prætendat, ac propte-
rea, suspenso quoque petitorio, petat prius sibi decerni
hoc possessorium; Tunc id impedit cursum causæ prin-
cipalis in petitorio, atque super possessorio prius est provi-
dendum, alias nulliter proceditur, cum ita virtualiter,
vel implicite adesse videatur eadem ratio, quæ viget in
spolio violento, quoniam, licet non adsit violentum,
adhuc tamen, ita adesse dicitur turbativum, seu interpre-
tativum. d
6 Neque juxta magis communem, ac receptam opinionem
necessaria est turbationis, ac molestiarum positiva proba-
tio, sed sufficit illa possessionis, quoniam intrat clarum
dilemma inevitabile; Aut collitigans dicit se turbasse, Aut
non; Si dicit turbasse, ergo probatio turbationis est in
confesso; Et si negat, sibi replicari potest, quod non de-
bet se opponere concessioni manutentionis, dum ita in-
continenti, terminato hoc judicio obtineret intentum pro-
secutionis causæ petitorii. e
Hinc proinde frequentes audiuntur quæstiones in Signa-
tura Gratiæ, super cumulatione possessorii cum petitorio,
7 de qua etiam quandoque agitur in Rota, vel coram aliis
Judicibus; Quoniam quando Signaturæ non videatur,
simpliciter rescribere affirmative, vel negative, quia nem-
pe sit materia probabiliter dubia, majorique discussione
digna; Tunc rescribi solet eidem Rotæ, vel alteri Tribu-
nali, in quo causa pendeat, cum clausula *arbitrio*, super
cujus interpositione disputari solet, ut de hoc, & de aliis
hujusmodi, adeo in Curia frequens possessorium concer-
nentibus, habetur infra in ejus particulari Rubrica; ne
idem pluries repetatur. f
Idem impedimentum ulterioris progressus causæ, ob
8 audientiæ denegationem, resultare solet a contumacia,
quoniam contumaci pro facti qualitate, Judex audien-
tiam denegat, donec cum refectione expensarum, vel
aliorum damnorum, quæ collitigans ratione contumaciæ
sit passus, illam purget. g
Transactio item de jure eundem effectum operatur,
9 quod scilicet ille, qui transactionem impugnat, nisi prius
restituat id, quod ejus vigore accepit; Quoties manifesta
nullitas transactionis, ob quam ratione inanis circuitus,
intret æquitas, aditum non præbeat Judicis officio, vel ar-
bitrio relaxandi hunc rigorem. h
10 Majores autem hac frequentiores quæstiones, quæ in
hac materia cadunt, percutiunt clausulas, quas in Curia
dicimus præjudiciales, quæ in literis Apostolicis apponi
solent; Ut sunt, Decretum irritans, & clausula *sublata*,
quodque de subreptione, vel obreptione, aut de defectu in-
tentionis dari non valeat; Hujusmodi etenim clausularum
virtus, ac operatio est, claudendi os, atque ligandi ma-
nus, tam Judici, quam Parti, ut ista audiri non debeat,
& ille desuper non judicare, atque alias nulliter agitur ex
defectu jurisdictionis, quæ per Papam sublata dicitur.
Hinc propterea frequentes habentur disputationes in
plena Signatura Gratiæ, & quandoque apud Papæ Audi-
torem, ut vulgo dicitur in camera, pro concessione aperi- 11
tionis oris, adversus hujusmodi clausulas; Eaque aliquan-
do simpliciter concedi solet, & aliquando simpliciter dene-
gari, & multoties rescribi Rotæ, vel alteri Tribunali, in
quo causa pendeat cum superius enunciata clausula *arbitrio*,
pro diversis singulorum casuum circumstantiis, ideoque id
certam ac generalem non recipit regulam.
Ea tamen cadere videtur distinctio, quæ quandam re-
gulæ imaginem redolet, an scilicet hæc petitio aperitio-
nis oris, ac reductionis gratiæ ad viam juris, percutiat
substantiam ipsius gratiæ, eam de medio tollendo, per
quandam speciem revocationis, vel circumscriptionis,
Et tunc strictius procedatur, atque nonnisi ex magna cau-
sa, & evidenti læsione concedatur, i Ideoque male oblo-
qui solet ignarum vulgus præsertim ultra montes contra
Romanæ Curiæ stylum, quod unus Pontifex concedit, &
alter revocat. Id etiam ex mera ignorantia provenit, 12
quoniam omnes leges civiles, & canonicæ laudant, ut
quod ad importunas, vel minus veras preces, per unum
a Principe in præjudicium, vel læsionem alterius obten-
tum est, altero recurrente, ab eodem, vel a successore
debeat revocari. l
Quinimo inferiori Magistratui, vel executori, licen- 13
tia conceditur, abstinendi ab executione, atque replican-
di eidem Principi, donec per alteram Partem, cui præju-
dicium, seu læsionem, gratia causet, recursus haberi va-
leat, pro revocatione, vel moderatione. m
Secus autem ubi agatur de illa aperitione oris, quæ non 14
tangat substantiam gratiæ, sed solum tollat impedimen-
tum quod ea clausula resultat, ut Judex, prout de jure, de
gratiæ defectu, ratione obreptionis, vel subreptionis, vel
defectus intentionis cognoscere valeat, cum tunc de facili
id concedi soleat, ac debeat. n
Adhuc tamen aliqua summaria cognitio justitiæ, seu bo-
ni juris desuper haberi solet, ex ea congrua ratione, quod
Princeps, cui cordi esse debet, litigantium calumnias re-
secare, eisque occurrere, concedere non debet aditum li-
ti, quam agnoscat esse injustam. o
Hujusmodi tamen clausularum obstaculo non refragan- 15
te solent Judices, etiam sine dicta Principis facultate in
causis manus apponere, ex motivo præsertim non com-
prehensionis. p
Sive ubi adsint solum decretum irritans, & clausula *su-* 16
blata, desint vero aliæ clausulæ ampliores, nempe quod
de subreptione, & obreptione, ac defectu intentionis dari
non valeat, ita distinguendo, an adsit, necne omnimoda
carentia jurisdictionis; Adhuc tamen in Curia, ob præ-
sentiam ejusdem Principis, ad quem promptus, ac facilis
haberi potest recursus, ex stylo fundato in quadam reve-
rentia, Judices abstinere solent, atque remittere Partes 17
ad eandem Signaturam pro aperitione. q
Plerique alii dantur casus, pro regionum, seu Tribuna- 18
lium legibus, vel stylis, in quibus idem impedimentum in
judiciorum & causarum ingressu, vel progressu resultet;
Puta quia reperiatur actor innodatus excommunicatione
majori, quæ inter alios effectus, istum operatur, ut repel-
lat a limine judicii excommunicatum agentem, qui pro-
pterea nulliter agat, etiamsi de causa diversa agatur, se-
cus autem excipientem, seque defendentem; r Etiam si
ab ejus procuratore, vel alio ejus nomine, vel jure acta
fiant, secus si in rem, & causam propriam. f
Sive e converso, quod reus occupatus sit in munere pu- 19
blici Magistratus Civitatis, quod non ubique eandem ha-
bet observantiam.
Aut quod in bello, ut proprio Principi, non autem alie- 20
no inserviat, reperiatur; Verum, & id particularem ha-
bet usum, vel praxim, cum similibus. t
Perjurium quoque repellit a limine judicii, cum perju- 21
rus non sit audiendus, ideoque ubi accedat alterius partis
oppositio, sententia, aliaque acta ejus favore secuta, re-
manent invalida, secus autem si oppositio non accedat;
Idque licet agatur de solo possessorio. u
Procedit autem in perjurio perfidiæ, vel doloso, secus
autem in eo quod excusabile dici valeat præsertim ex causa
impotentiæ, vel difficultatis. x

Sive ubi obtenta sit absolutio, antequam agatur, quamvis ea exhibita non sit, cum sufficiat eam exhibere, quando de illa objicitur. y

Aut quod judicium instituatur nomine Ecclesiæ, cujus principaliter interfit, cum tunc perjurium Prælati, vel Rectoris non obstet; z Omniaque præmissa procedunt agendo, secus autem excipiendo, vel retinendo, ut in fortiori casu excommunicationis, superius advertitur, ac etiam in hac specie habetur. a

22 Non implementum quoque, vel contraventio repellit actorem, cui incumbit necessitas docendi, quod ex ejus parte impleverit contractum, cujus vigore ipse agat, cum alias ex actu impugnato, vel non impleto, nullatenus actio competat; Istaque exceptio etiam in executivis, ac privilegiatis, in quibus cautum sit, ut nulla exceptio admittatur, obstat. b

Nisi doceatur de implementi remissione; Vel quod illud jam adsit, sed prætendatur non secutum in tempore, sive non comodo quo sequi debebat, cum hæc exceptio respiciat merita, non autem operetur hunc effectum repellendi a judicio. c

23 De plerisque autem exceptionibus, de quibus frequenter disputari solet, an dicendæ veniant incontinenti probatæ, vel respective altioris indaginis, adeout aptæ, vel non aptæ sint retardare processum executivum, vel alias privilegiatum, agitur sparsim infra in singulorum judiciorum executivorum, vel privilegiatorum Rubricis, cum illæ non percutiant judicii ingressum, sed progressum, & ordinem.

a Burat. & add. *dec.* 731. & 449. & 848. Orthob. *decis.* 104. b *apud proxime allegatos.*
c add. ad Burat. *dicta dec.* 731. *n.* 8.
d *infra in discurs. in quo agitur de hoc possessorio retinendo.* e *ibidem.*
f *ibidem, & in relatione Curia, disc.* 30. & 31. *ubi de stylo Signatura.* g *supra disc.* 10.
h *tit. de alien. & contract. prohib. disc.* 50. *n.* 28.
i *insinuatur infra in relatione Curia, disc.* 30. *agendo de Signatura Gratia, & tit. de pension. disc.* 50.
l *tit. de Regal. disc.* 148. & *alibi pluries.* m *eod. disc.* 148.
n *de hac distinctione, ac aliis ad materiam* apud Coccin. *decis.* 2148. *repetit. dec.* 358. *p.* 11. *rec. & dicto disc.* 50. *de pension. & dicta disc.* 30. *in relatione Curia.*
o *ibidem.* p *ibidem.* q *ibidem ut supra.*
r Grass. *except.* 4. Greg. & add. *dec.* 64. Peregr. *de jur. fisci lib.* 3. *tit.* 11. *in Trident. Canonicatus* 17. *Maii,* 1645. *cor. Cerro, dec.* 165. post Zacch. *de obl.* Burat. & add. *dec.* 32. Post. *de manut. obser.* 68. *in Casaraugustana, de qua disc.* 17. *in Miscellan. eccles.*
s Peregr. *de jur. fisci d. lib.* 3. *tit.* 11. & *in dicta Tridentina Canonicatus cor. Cerro.*
t *de exceptione hostica late* Grass. *de except. cap.* 3. Masul. *ad* Capyc. *dec.* 172. apud Bich. *dec.* 30.
u Greg. & add. *dec.* 64. Burat. *dec.* 152. Seraphin. *de juramento, cap.* 174. x Mantic. *dec.* 221. & 274.
y Dunozet. *dec.* 792. *n.* 3. z apud Bich. *dec.* 290.
a apud add. ad Greg. *dicta dec.* 64.
b Grass. *de except. cap.* 13. *n.* 37. Zacch. *de obl. q.* 17. *ex n.* 85. Mantic. *dec.* 1. *dec.* 471. *p.* 9. *rec. & tit. de usur. disc.* 7. & *alibi.* c Zacch. & *alii ubi supra.*

De Præscriptione.

S U M M A R I U M.

1 *Præscriptio præstare solet impedimentum judicio, & actorem repellere.*
2 *Distinguuntur diversæ species præscriptionum ordinariarum, & extraordinariarum.*
3 *De præscriptione in materia beneficiali remissive.*
4 *De præscriptione nullitatis professionis resultante a Concilio Tridentino per quinquennium.*
5 *De præscriptione statutaria, quæ conceditur debitori.*
6 *De differentia inter consuetudinem, & præscriptionem, & de effectibus ex una, vel altera specie resultantibus.*
7 *De altera distinctione inter observantiam interpretativam, & præscriptivam, & de requisitis observantiæ interpretativæ.*
8 *De observantia præscriptiva, ejusque requisitis.*
9 *De distinctione præscriptionis juris, vel actionis in substantia, seu in decisoriis: Et actionis, vel judicii in ordinatoriis.*
10 *Via executiva etiam cum mala fide præscribitur per 30. annos.*
11 *Quid in Regno Neapolitano adversus instrumenta, vel obligationes penes acta.*
12 *De præscriptione constituti, aut hypotheca, vel pacti de capiendo.*
13 *An, & quando in præscriptione requiratur bona fides? Et de distinctione inter præscriptionem longam, & longissimam?*
14 *De jure canonico servando etiam in foro laicali, non datur præscriptio sine bona fide, & correctum est jus civile.*
15 *Declara in mala fide vera, non autem præsumpta.*
16 *Et quando etiam præsumpta quæ ex lite resultat, habeat vim veræ.*
17 *Hæres non obstante mala fide præscribit legata adversus legatarios.*
18 *Vel unus hæres contra alios.*
19 *De ratione cur istis casibus non obstet mala fides.*
20 *De conclusione quod mala fides defuncti noceat hæredi, quæ non placet.*
21 *Cessante impedimento malæ fidei, in reliquis proceditur in hac materia cum dispositione juris civilis.*
22 *De triennali possessione, vel usucapione rerum mobilium.*
23 *De eadem respectu fructuum ex re aliena perceptorum.*
24 *An fructus præsumantur durare ultra triennium, & quinam durent.*
25 *De emptore mercium, vel animalium, aliorumque mobilium in nundinis, & emporiis, quando reddatur tutus.*
26 *De præscriptione quinquennali in delictis, vel in pœnis fraudatæ gabellæ; Et de præscriptione quadriennali rerum datarum a Principe.*
27 *De præscriptione ordinaria bonorum stabilium, annorum decem inter præsentes, & viginti inter absentes, & qui dicantur præsentes, vel absentes.*
28 *Quod ista species præscriptionis nunquam verificetur, & quare.*
29 *De præscriptione longissima, & de differentia inter longam, & longissimam.*
30 *De requisitis unius, vel alterius præscriptionis.*
31 *Quando possessionis interruptio non obstet ad effectum præscriptionis.*
32 *De requisito quod res non sit vitiosa, & quæ res sint impræscriptibiles.*
33 *Non valenti agere, non currit præscriptio, ideoque istud tempus subducitur.*
34 *Ideo non præscribuntur bona dotalia durante matrimonio.*
35 *Minusque bona fideicommissaria ante factum casum.*
36 *Idem in Jurepatronatus, vel in feudis, emphyteusi &c.*
37 *Durante tempore pupillari præscriptio non currit, & quando secus ob scientiam tutoris, & quid in mente capto.*
38 *Contra minorem currit, sed datur restitutio in integrum, & infra, n. 68.*
39 *De eadem restitutione ex causa ignorantiæ, vel alterius impedimenti, & in specie belli.*
40 *De præscriptione contra Ecclesiam, & quale tempus debeat subduci.*
41 *Quod sit imprudens consilium recurrere ad præscriptionem, & qualis sit melior via.*
42 *De quadragenaria cum titulo colorato, vel putativo.*
43 *Quod male confundantur promiscue, & pro synonymis habeantur centenaria, & immemorabilis.*
44 *Utriusque tamen vigore allegari potest quicunque titulus absque necessitate probandi.*
45 *Qualis sit centenaria, & quomodo probetur.*
46 *Immemorabilis excludit principium; ideo non probatur per scripturas.*
47 *Quando tamen admittatur ista probatio.*
48 *Qualis dicatur major centenaria, vel immemorabilis.*
49 *Quando dicatur constare de principio infecto, quod impediat hanc præscriptionem.*
50 51 & 52 *De eodem, & quando titulus, de quo constet, præjudicet.*
53 *Quomodo titulus possit esse compatibilis cum immemorabili.*
54 *Quando unius tituli productio obstet, & alium titulum excludat.*
55 *De modernorum cautela in productione jurium.*

56 *Nil*

D I S C. XXI.

1 INter impedimenta ulterioris progressus causæ, vel judicii, recensetur quoque præscriptio, per quam Reus, ac possessor Actorem repellat; Ideoque priusquam ad probationes, & alia, quæ processus conclusionem, seu complementum percutiunt, deveniatur, de oppositæ præscriptionis efficacia, vel operatione quæri solet.

2 Plures autem sunt præscriptionis species, in magis lata, seu generica earum distinctione; Aliæ siquidem sunt extraordinariæ, idest utrique juri civili, & canonico ignotæ, a legibus particularibus provenientes: Aliæ vero ordinariæ, idest in utriusque juris corpore clausæ.

Extraordinariæ autem, quæ improprie dicuntur præscriptiones, utpote ad hunc effectum judiciorum, eundem, vel similem operantes effectum, & sic per quandam imaginem & similitudinem sunt.

3 Primo illæ, quæ in materia beneficiali resultant a regulis Cancellariæ; Una scilicet, quæ dicitur de annali; Et altera, quæ dicitur de triennali, & de decennali possessore, sed quoniam istæ particularem habent sedem, nimiaque digressio esset, eas cum omnibus declarationibus, vel requisitis recensere, idcirco in eadem propria sede videndum est. *a*

4 Altera est species præscriptionis, quæ resultat a Concilio Tridentino per lapsum quinquennii, adversus jus, vel actionem, dicendi de nullitate professionis in aliqua Religione, vel Monasterio; Et hæc species pariter particularem habet sedem, in qua videndum est. *b*

5 Tertia est species illius præscriptionis, quæ statutaria dicitur, quia nempe, absque illis requisitis, quæ de jure communi, una cum lapsu temporis desiderantur; solum tempus perimat, vel saltem impediat actionem, donec probetur contrarium; Ista vero in effectu non est prescriptio, sed potius inductio præsumptionis, quæ sufficit ad fundandam exceptionem, ac repellendum actorem, donec ex ipsius parte, per contrarias probationes, vel per fortiores præsumptiones, illa eludatur, ex natura, seu operatione præsumptionis legalis, fundandi intentionem ejus, cui ipsa assistat, ac transferendi onus probationis in alteram partem; Ut (ex. gr.) est in Urbe præscriptio, quæ vulgo statutaria dicitur, inducta favore debitoris pecuniæ, vel alterius rei, sive præstationis alicujus facti, puta redditionis rationum, &c. ob lapsum sexdecim, vel respective decem annorum; Ac etiam in eadem Urbe, aliisque partibus habentur leges particulares super præscriptione debiti ex causa pharmacorum, vel mercium, seu victualium, per solum lapsum certi temporis, absque aliorum requisitorum justificatione; Et de his, vel similibus in debiti, & crediti sede particulariter agitur, ubi videndum est, cum pariter nimia, & inordinata digressio esset, omnia desuper cadentia, in præsenti reassumere. *c*

Juris autem communis dispositione attenta, aliæ pariter latæ, seu genericæ distinctiones intrant: Prima siquidem distinctio est, inter præscriptionem, & consuetudinem. Quamvis etenim ambæ circa lapsum temporis, aliaque requisita, ac etiam circa effectus inde manantes, in multis fraternizare videantur; Attamen differunt inter se, pluresque diversi effectus ex hac differentia resultant. Consuetudo etenim dicitur illa, quæ tanquam species legis, non respiciat jus, vel personam particularem, neque agat de tollendo jus uni, illudque deferendo alteri in particulari, sed quandam statuit, vel inducit legem generalem, per quam tuti reddantur in universum illi, quibus ipsa assistit, pro incertis casibus particularibus, pro tempore contingentibus. 6

Præscriptio autem est illa, quæ respicit personas, vel jura certa, vel singularia in particulari, quia nempe jus unius perimat, illudque alterius firmet, quamvis de universitatibus, vel de corporibus universalibus agatur: Ut sunt locorum Communitates, vel Capitula, & Collegia, seu etiam Religiones in universum, quoniam circa ea, quæ concernunt ipsius universitatis regimen, ejusdemque personas, vel membra in universum, pro quibuscunque casibus contingibilibus, dicitur consuetudo.

In iis autem juribus de quibus ipsa Universitas, vel Religio contendat cum altera Universitate, vel Religione, sive etiam cum aliqua persona particulari, dicitur præscriptio, quoniam Universitas ad hunc effectum, certam & singularem personam constituere, seu repræsentare dicitur. *d* 7

Præterea, quatenus pertinet ad observantiam per aliquod tempus, ex qua, ad præscriptionem, vel consuetudinem respective infertur; Altera distinctio intrat, plurium notabilium effectuum productiva, quod scilicet; Aliud est observantia præscriptiva; Aliud vero interpretativa; Ista etenim secunda species intrat in casibus ambiguis, quando scilicet agatur de illis privilegiis, vel conventionibus, aliisque dispositionibus, vel juribus, quæ ambigua sint, atque capacia utriusque intellectus hinc inde prætensi; Unde propterea eis congruat terminus interpretationis; cum tunc observantia dicatur optima interpres, atque interpretationum regina, eique nimium deferendum veniat; Atque ista species alicujus determinati temporis spatio non indiget, minusque aliis requisitis præscriptionis, sed sufficit quod ita per aliquod tempus considerabile observatum fuerit; Quod tamen certam, ac determinatam regulam generalem non recipit, cum totum pendeat a facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis; Præsertim, ex ea, an observantia sit proxima, vel remota, sive an sit univoca, vel æquivoca, aut magis, vel minus verisimilis, & adaptata interpretationi, quæ ex ea desumitur. Quamvis etenim illa tantæ operationis reputetur, ut apta quoque sit prævalere grammaticali sensui verborum; attamen major, vel respective minor approximatio huic sensui, nimium considerabilis videtur, ad effectum inspiciendi, an ea longior, vel brevior, seu magis, vel minus univoca, & clara desiderari debeat, pro qualitate facti, cujus revera potius quam juris est quæstio. *e*

In claris autem, & expressis, non intrat interpretatio, & consequenter incongruus remanet terminus observantiæ interpretativæ, sed ea dicitur præscriptiva, potius odibilis, quam favorabilis (ut est altera interpretativa;) Ideoque cum idem sit, ac formalis præscriptio, ejus rigorosa requisita in omnibus exigit. *f* 8

Descendendo itaque ad præscriptionem; Ista pariter aliam recipit distinctionem, quod scilicet; Aliud est præscriptio ipsius rei, vel actionis in substantia; Aliud vero est præscriptio actionis, vel judicii tantum, firma remanente competentia juris, vel dominii in substantia, ipsaque præscriptione suum effectum operante in concernentibus ordinem judicii, & aliqua ejus beneficia, vel privilegia. 9

Præscriptio itaque actionis, pro judiciis ordinatoriis tantum, intacto remanente jure Actoris quoad substantiam, est (ex. gr.) illa quæ cadit in Judicis officio, seu in via executiva, quæ etiam per principalem debitorem fiat, non obstante mala fide, quæ perpetuo impedit præscriptionem debiti, vel rei controversæ, per silentium triginta annorum, quoniam non est præscribere debitum, 10

vel jus, sed est præscribere Judicis officium, ex quo provenit processus executivus; Nisi eadem actio cum hoc
11 processu ita jam instituta sit, ut perpetua evaserit; g Istaque præscriptio, in Regno Neapolitano, adversus illum rigorosum processum executivum liquidationis instrumentorum ad formam ritus M. Curiæ Vicariæ, inducitur per annos viginti; Et per annos decem in altero processu executivo, in vim obligationum penes acta, vel apocharum banchi, cambii, &c. cum similibus. h

12 Prout etiam, est illa præscriptio constituti, vel hypothecæ, aut salviani, quam faciat tertius possessor per decennium, quoties non adsit pactum de capiendo, quod durat per annos 30. cum similibus, i quoniam est præscribere judicia, vel remedia, non autem acquirere illam liberationem, vel omnimodam securitatem, quæ obtinetur ex vera præscriptione juris, in substantia, sive in negotio principali; Et in summa est præscriptio circa ordinatoria, non autem circa decisoria.

13 Altera vero præscriptio, in negotio principali, seu circa decisoria, plures habet species, circa quas, priusquam ad earum distinctionem, aliaque requisita deveniatur; Illud in primis generaliter est advertendum, quod licet etiam jus civile exigat bonam fidem, tanquam unum ex requisitis præscriptionis; Attamen id percutit tempus, majus, vel minus, quoniam etiam in iis casibus, in quibus bonæ fidei requisitum desit, adhuc admittitur præscriptio longissimi temporis triginta, vel quadraginta annorum, per cujus lapsum statuitur regula generalis, ut quæcunque actio indefinite præscribatur, ad hoc, ut dominia perpetuo non remaneant in incerto; Ideoque mala fides, impedit solum præscriptionem ordinariam, decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, quando de bonis stabilibus agatur, vel triennii, quando de mobilibus, sed ea non obstat præscriptionis longissimæ; Ex ea differentiæ ratione, quod ubi agitur de præscriptione, quæ non habeat solum fomentum temporis, sed etiam tituli justi, & bonæ fidei, dicitur favorabilis, non solum favore præscribentis ad confirmationem ejus tituli, bonæque fidei, sed etiam publici commercii, ne dominia diu stent in incerto; Altera vero præscriptio, ex ratione temporis, sine titulo & sine bona fide, est odiosa, utpote inducta in pœnam negligentis, quamvis dictus favor publici commercii fuerit causa istius pœnæ.

14 Ista vero Juris civilis dispositio, indistincte, ac generaliter, correcta est per jus canonicum; l Ejusque dispositio, ubique recepta est in Orbe catholico, etiam in foro laicali: Sive (ut nostri dicunt) etiam in terris Imperii, utpote fundata in ratione peccati, quod inesse dicitur in eo, qui acquirat, vel retineat rem, quam sciat non esse suam, sed alienam; Esset enim lex nutritiva peccati, quæ recipienda, & practicanda non est; Ideoque etiamsi quis per mille annos possideat in statu malæ fidei, non præscribit. m

Verius tamen videtur, juxta probabiliorem, magis-
15 que receptam opinionem, ut id procedat in mala fide vera, adeout urgeat dicta ratio peccati: Secus autem in mala fide præsumpta, in qua incorrecta remanere videtur dispositio juris civilis, cum tunc cesset ratio peccati, cui innixa est dicta dispositio juris canonici; n Nisi adeo vehemens sit præsumptio, per legem inducta, ut quamvis revera possessor continuet in bona fide, & in credulitate sui juris, attamen lex id non admittit; Ut contingit in ea mala fide, quæ resultet a lite, quoniam frequenter litigantes adhuc continuant in bona fide, atque in probabili credulitate proprii juris, vel dominii; Vel quia (ut in ple-
16 risque personis contingit) neque sciant litis introductionem, quæ facta sit cum procuratoribus, vel ministris, Vel quod ejus introductionis obliti sint; Aut, & frequentius, pro communi vitio, vel consuetudine litigantium, quod pro certo credant clarum bonum jus fovere; Adhuc tamen id non prodest. o

Primoque casu, non obstante dispositione juris canonici, ac scientia juris alieni, adhuc incorrecta remanet dis-
17 positio juris civilis, circa præscriptionem longissimi temporis, quando scilicet possessor sciat jus alienum, sed in spe, non autem in re, sive quærendum, non autem quæsitum; Ut (ex. gr.) contingit in hærede testamentario, præscribente per longissimum tempus triginta annorum legata, quæ continentur in eodem testamento, ex quo ipse jus hæreditarium obtinet. p

18 Sive in uno ex hæredibus, qui præscribit portionem cohæredis; Aut in hærede ab intestato præscribente adversus testamentarium, quem adesse sciat; Ex ea ratione, quod credere, vel sperare potuerit, quod ille non esset agniturus, eaque bona quærere non curaturus, idemque lapsus tanti temporis ipsum in ista credulitate confirma- 19
vit; Ac etiam quia, non est acquirere alienum, idque facere suum, quod non erat, sed potius evitare obstaculum, ne alter acquirat, sibique tollat; Unde propterea est potius confirmatio per remotionem obstaculi: Magnaque differentia est inter casum privationis, vel amissionis juris jam quæsiti, & impedimentum juris quærendi. q

Stante autem dicto probabili assumpto, quod disposi- 20
tio juris canonici, impeditiva præscriptionis, ratione malæ fidei, procedat in mala fide vera, non autem in ficta, seu præsumpta, in qua non intrat ratio peccati, cui innixa est; Hinc intellectus non de facili acquiescit conclusioni, quam ex plurium DD. sensu, pluries firmavit Rota, ut scilicet mala fides defuncti debitoris, influat etiam in hæredem. r

Ubi enim ex persona, & ex possessione propria, omnino novam, ac integram præscriptionem inchoaret; adeout juvari nolit possessione sui auctoris malæ fidei: Quoties ipse revera ignarus sit debiti, vel alterius juris alieni, quod in inventario descriptum non sit, minusque in libris, vel in memorialibus, aliisque notulis testatoris penes eum existentibus reperisse constet, adeout revera sit ignarus juris alieni, atque in bona fide versando, credat possidere illa bona tanquam propria, & libera: Tunc non videatur subesse congrua ratio, cui ista propositio innitatur.

Et tamen non desunt volentes, ut mala fides defuncti prædecessoris, influat non solum in primum, sed etiam in secundum, vel ulteriorem hæredem, qui ex persona propria, novam præscriptionem incipiat, quod minus probabile videtur, cum revera procedat restrictio, quando hæres juvari velit tempore possessionis defuncti, illudque cum suo conjungere, atque in hoc versari videtur æquivocum. s

Cessante autem dicto impedimento malæ fidei, quod a 21
præfata dispositione juris canonici, ratione malæ fidei, resultat: Atque ita, firma remanente dispositione juris civilis, ejusque terminis retentia, cum quibus, in reliquis in foro proceditur.

Plures sunt, ac diversæ species præscriptionis; Alia 22
enim est illa brevis, cui usucapionis terminus magis congruit, quæ cadit in rebus mobilibus, pro quarum præscriptione, præsuppositis aliis requisitis generalibus, nempe bona fide, justo titulo vero, vel putativo, & quod res non sit vitiosa, ideoque de sui natura impræscriptibilis, sufficit possessio trium annorum, quæ possessorem tutum reddit. t

De ista specie præscriptionis, raro forus disputat, ad- 23
eout in meæ diuturnæ forensis vitæ cursu, occasio non præbuerit de illa particulariter agere: Cadere autem potest, (licet raro) in fructibus adhuc extantibus de tempore motæ litis, quos perceperit non dominus, qui se dominum credebat, Ubi etenim isti de tempore motæ litis, percepti, & consumpti sunt, necessarium non est præscriptionis præsidium, quoniam ab eorum restitutione, generaliter bona fides excusat. Quinimo, neque præcise necessaria est bona fides positiva, sed sufficit, quod absit mala positiva, quæ in dubio non præsumitur, unde propterea sufficit media, quæ datur in errante, vel in dubitante. u Sed si fructus adhuc extant, adeout non suffragetur illa æquitas, quæ a consumptione manat, tunc bona fides non excusat, cum ita intraret locupletatio de alieno; Bene tamen suffragatur hoc præsidium præscriptionis. x

Rari tamen sunt casus existentiæ fructuum post trien- 24
nium, ex regula generali, quod in illis non præsumuntur durare ultra triennium, intra quod solum adversus eorum morosum debitorem intrat obligatio ad pretium quanti plurimi. y Adhuc tamen in plerisque regionibus ista regula patitur limitationem, ut (ex. gr.) in Apulia frumentum in puteis, vel foveis, multo vero magis in horreis, seu repositoriis, in quibusdam vasis confectis ex cannis intextis, quæ vulgo *cannarom camere* dicuntur, conservatur etiam per plura triennia. Atque in eadem Apulia late sumpta, & complectente non solum Apuliam planam, sed etiam provinciam Barensem, ac alteram provinciam Hidruntinam, & in aliis regionibus, frequentior praxis id docet, in oleo, quod ad longissimum tempus est conservabile; Prout in

plerisque

plerisque partibus Hispaniæ, id praxis docuit in vino, cum similibus; Ac etiam quia adsunt plures species fructuum, diuturno tempore conservabilium, ut (ex. gr.) sunt bombis, crocum, Saccharum, & similia.

25 Verificari etiam potest hujus præscriptionis præsidium in mercibus, vel in supellectilibus, seu in animalibus, quæ a non domino emantur, cum rigor juris domino concedat eorum vendicationem, non restituto pretio, etiam adversus bonæ fidei emptorem; Quinimo etiamsi in nundinis, vel in portubus, aliisque publicis emporiis emptio facta sit. z

Adhuc tamen, rari sunt casus, in quibus de hoc præsidio disputare oporteat; Vel quia mercium, & mobilium domini, tandiu acquiescere non soleant, Vel quia forte, in majori parte regionum, & præsertim in locis mercantilibus, ratione libertatis commercii, non procedatur cum illis rigorosis legalibus judaismis, cum quibus in Curia procedi solet; Ut scilicet, excepto casu collusionis, & malæ fidei, ementes in publicis portubus, vel emporiis, & nundinis, tuti sint; a Verum ubi possessoris prætensio ad hoc nudum præsidium restringatur; tunc in iis partibus, in quibus dicta æquitas non servetur, pene unquam nuda præscriptio ad perfectionem reducitur, ob tot subductiones & excusationes, vel restitutiones, ut infra.

26 Secunda species præscriptionis, pariter minoris temporis, nempe quinquennalis, a jure communi cognitæ, est illa, quæ datur in aliquibus delictis, de quibus non agitur, utpote extra propriam spheram, vel praxim, ut in proœmialibus insinuatum est; Adhuc tamen in civilibus quandoque de hac specie quinquennalis præscriptionis agi, praxis docet; Puta in pœnis commissis ob fraudatas gabellas, vel ob similes casus, juxta declarationes, de quibus in gabellarum, & vectigalium sede; b Prout etiam in sede donationum agitur de præscriptione quadriennali rerum, quæ a Principe donentur. c

27 Tertia est præscriptio, quæ dicitur ordinaria, seu longi temporis, in bonis stabilibus, annorum decem scilicet inter præsentes, & viginti inter absentes; Disputatione inter DD. cadente, circa præsentiæ, vel respective absentiæ qualitatem, an scilicet intelligatur in eadem Civitate, vel loco, vel in eodem districtu, seu comitatu, aut in eadem provincia, quod varias habet opiniones.

28 Verum ista quæstio, hodie residere videtur in scholis, & academiis, potius quam in foro, dum ob tot remedia, quæ habentur adversus præscriptionem, ut infra, nunquam forte datur casus, ut ista ordinaria longi temporis, quinimo neque sequens extraordinaria, & longissimi temporis præscriptio, ad perfectionem deducatur.

29 Quarta est præscriptio extraordinaria longissimi temporis, triginta, vel quadraginta annorum, per quam, omnem & quamcunque actionem, omniaque jura incorporalia præscribi, lex civilis pro generali regula statuit; Aliquam differentiam adhibendo inter ipsas actiones, magis, vel minus privilegiatas, ut in aliquibus minus sufficiat, in aliis autem majus quadraginta, præsertim ratione juramenti requiratur; d Itaque species præscriptionis, præsertim in bonis, in quibus alias ordinaria præscriptio longa sufficiat, de jure civili non exigit requisitum bonæ fidei, ut aliæ præcedentes exigunt; Ex ea differentiæ ratione, initio supra insinuata, quod scilicet ordinaria præscriptio, inducta est favore præscribentis, ad confirmandum dominium possessoris bonæ fidei, ista vero respicit odium negligentis, atque continet negligentiæ pœnam, quæ libertatis commercii favore (rationabiliter quidem) inducta est, ne dominia perpetuo in incerto sint.

30 Priusquam vero ad alias longioris temporis, magisque privilegiatas, ac operativas præscriptionis species deveniatur; Quatenus ad præmissas pertinet (ut dictum est,) nimium rari, peneque nulli videntur casus in praxi verificabiles, ob difficultatem præsertim justificandi earum requisita, quæ sunt; Primo bona fides per jus canonicum
adeo ampliata ut supra; Secundo justus titulus, saltim
putativus, ex regula generali ab ipsomet jure civili statuta,
quod solum tempus non est modus tollendi, vel solvendi
obligationem; Tertio possessio pacifica, & continua,
cum non sufficiat interrupta, Præterquam ubi de illa interruptione
agatur, quæ ab injustis accidentalibus impedimentis,
vel etiam a casualibus oriatur; Puta ob humani,
31 vel divini belli impedimenta; Sive ob hostium, vel latronum
incursiones, & occupationes; Aut ob carcerationem,
vel exilium, cum similibus, ob quæ impedimenta,
pro eorum diversa qualitate, vel fingitur continuatio, perinde
ac si interruptio secuta non esset, vel subducto tempore
impedito, intrat extremorum continuatio, ut præsertim
praxis docet in ea longissimi temporis præscriptione,
quæ datur in contractu conventionali, hoc est in pacto
de retrovendendo, cum similibus. e

Et ultimum demum est requisitum qualitatis rei, quæ 32
vitiosa non sit, idest impræscriptibilis, ut exemplificari solet in rebus sacris, sanctis, & religiosis; Atque quoad forensem praxim, habemus frequenter in juribus Regalibus, quorum regulariter sunt incapaces privati, sine supremi Principis concessione; f Aut in juribus spiritualibus, quorum sunt incapaces laici, unde propterea aliæ majores magisque privilegiatæ præscriptiones requiruntur, de quibus infra.

His requisitis etiam concurrentibus; Adhuc rari sunt
casus, ut præscriptio redigatur ad perfectionem, ob tot
deductiones, quas facere oportet, Siquidem in primis deducendum
est tempus litis, vel alterius interruptionis;
Et quando ista non adsit, adhuc plures aliæ intrant deductiones,
vel impedimenta, ex quibus (ut præmissum est)
nimium rari, peneque nulli sunt casus, in quibus hoc
præscriptionis præsidium, tutum reddat possessorem; Pri- 33
mo namque deducitur totum illud tempus, in quo ille,
cui bona, vel actiones competant, agere non potuit, ex
juris regula quod non valenti agere, non currit præscri-
ptio; Ut (ex. gr.) in rebus dotalibus, contingit in mu- 34
liere, durante matrimonio; g Sive frequentior praxis do-
cet, in vocatis ad fideicommissum, donec ejus casus ad 35
eorum favorem fiat, cum gravati, vel prædecessoris ne-
gligentia, non noceat successori, venienti independen-
ter, & ex persona propria; h Quod etiam in jurepatro- 36
natus familiari procedit, vel in feudo, & emphyteusi pa-
cti, & providentiæ, cum similibus. i

Secundo, subducendum est tempus pupillaris ætatis, dum in isto tempore præscriptio non currit, sed (ut nostri dicunt) obdormit. Dubitatione cadente, ubi tutor sciat, cum tunc aliquorum opinio sit, ut præscriptio currat, atque pupillo contra tutorem succurratur, si sit idoneus, secus autem in subsidium. l 37

Atque pupillo in omnibus æquiparatur, in hoc proposito amens qui jure pupilli habetur. m 38

Tertio subducitur tempus minoris ætatis: Non quidem ipso jure per viam obdormitionis, ut in pupillari ætate contingit, sed ex beneficio restitutionis in integrum. n

Idemque beneficium, nisi agatur de præscriptione cœpta cum defuncto, ut infra, eandem operatur subductionem, in iis omnibus, in quibus justa causa concurrat; Puta, carcerationis, absentiæ, paupertatis, alteriusve impedimenti, & præsertim belli divini, vel humani; Imo etiam ignorantiæ, quæ tamen sit probabilis. o 39

Adsunt etiam personæ privilegiatæ, ut sunt Ecclesiæ,
contra quas non præscribitur nisi spatio quadraginta an-
norum & contra Ecclesiam Romanam spatio centum; 40
Istudque privilegium aliquibus Religionibus, & Ecclesiis est etiam communicatum. Ita tamen, ut tempus vitæ Prælati, vel Rectoris, aut alterius administratoris, qui alienavit, vel contractum præjudicialem fecit, subducatur, neque prius tempus computetur; Ac etiam subducatur tempus sedis vacantis, quod non computatur; p Ideoque his omnibus pensatis, nunquam forte datur casus, quod præscriptio ad perfectionem reducatur.

Hinc proinde, imprudens consilium reputatur beneficium diuturnæ possessionis applicare huic remedio præscriptionis forte unquam proficuo; Atque melius consilium est, eadem possessione uti, ad præsumptam probationem alicujus tituli ita adminiculanve probandi, cum præsumptionibus, & argumentis, inter quæ diuturna possessio nimium prodest, ubi alia concurrant. q 41

Tres demum aliæ adsunt magis privilegiatæ præscriptionis species, quarum una est ea quæ resultat ex quadragenaria continua, & pacifica possessione, juncta cum titulo explicito colorato, seu cum titulo putativo bonæ fidei, aut cum fama privilegii; Itaque præscriptio, quæ præsertim apud Canonistas magis frequens est, eandem pene operationem habere videtur, quam habeant aliæ duæ majores, nempe, centenaria, & immemorabilis. r 42

Istæ vero duæ, centenaria scilicet, & immemorabilis, ab aliquibus exteris DD. prophanis, sive prophanas materias tractantibus, & præsertim a Regnicolis, 43

occafione agendi de aliquibus juribus regalibus, quæ per
Barones, vel per privatos poffideantur, ac exerceantur,
confundi folent, atque haberi pro fynonymis. *f* Sed male;
quoniam licet in multis fraternizent, ac præfertim, ut
tam unius, quam alterius vigore, licitum fit allegare
44 quemcunque titulum de mundo meliorem, & fic etiam
privilegium conceffum ab habente ad id poteftatem, vel
etiam contractum validum, prout magis expedit; Et
ob quam rationem illæ fuffragantur, etiam in iis quæ im-
præfcriptibilia funt ac vehementem habent juris refiften-
tiam. *t*
45 Attamen revera funt diverfæ, quoniam centenaria, per-
neceffe exigit probationem, quæ concludat tempus certum
continuatæ, & pacificæ poffeffionis, ultra centum annos,
quod per teftes concludi non poteft, unde propterea con-
junctas habere oportet alias fpecies probationis per fcriptu-
ras, & hiftorias, ac infcriptiones, &c.
Immemorabilis autem, nullam haber determinati tem-
46 poris metam, dum ifta potius illi oppofita eft, dum inter
ejus requifita, illud eft præcipuum, ut de initio non con-
ftet, ac propterea potius abhorret probationem per fcriptu-
ras, quæ illi contrariæ funt. *t* 2.
Eatenus autem, ab aliquo moderno tempore, judicio-
47 fe admitti cœperunt fcripturæ pro ifta probatione, quate-
nus illæ non dent principium, vel caufam poffeffionis, fed
iftam, jam antiquiori tempore præexiftentem, præfuppo-
nant, feu enuncient. *u*
Quare, non modica quæftio eft inter DD. quænam ea-
48 rum fit major, & efficacior; Pluribus adhærentibus cen-
tenariæ; Pluribufque immemorabili; Verum ifta pofte-
rior opinio, probabilior, magifque recepta videtur, quo-
niam licet dari poffit cafus poffeffionis excedentis memo-
riam hominum, quæ ad metam annorum centum, adhuc
non pertingat; attamen illa incertitudo, feu exclufio
principii, quæ in hac fpecie præfcriptionis datur, magnum
præfidium eft, dum in vim facultatis (ut fupra) compe-
tentis, allegandi quidquid placet illi, qui habet immemo-
rabilem bene probatam, dicere poteft, habere quoque
centenariam, & ultra; *x* Si enim neganda eft exiftentia
principii, ergo non datur hæc temporum diftinctio; E
converfo autem, in centenaria cadunt difficultates fuper
principii vitio, vel infectione, & per confequens magis
tuta dicenda eft altera. *y*
49 Super hoc autem principio, circa centenariam, fe in-
volvere videntur DD. quorum plerique de more, non be-
ne diftinguendo, incidunt in æquivoca; Siquidem certum
eft juris principium, ut pofito initio, fed titulo infecto,
feu vitiofo, tunc ipfa poffeffio, quantumvis antiqua, non
folum unius, fed plurium fæculorum, infecta quoque, ac
vitiofa cenfenda fit, utpote redolens implicitam malam fi-
dem, quoniam effectus non poteft effe diverfus a fua cau-
fa, neque radix mala bonum germen producere poteft,
vel arbor mala facere fructus bonos; Verum æquivocum
effe folet in applicatione, quando fcilicet conftare dicatur
de hoc principio, quod hujufmodi perniciofos effectus
operetur.
50 Omnia enim dominia, ac bona, vel jura quæ ab anti-
quiffimo, ac immemorabili tempore bene conclufo, pof-
fideantur, aliquod principium abfque dubio fupponunt;
Ut puta (agendo de jurepatronatus) fupponendum eft
tempus, vel principium, poft illius loci ædificationem;
Sive poft Ecclefiæ tranquillitatem, ac religionis publi-
cum, vel liberum ufum in eo loco; Idemque dicendum
eft, in decimis, aliifque juribus fpiritualibus, in quibus
immemorabilem in dies præfupponimus; Atque in domi-
niis temporalibus, hiftoriæ, aliaque documenta probant,
antiquiora dominia diverfa tot Regnorum, feu Monar-
chiarum, & præfertim Romanæ in noftro Orbe commu-
nicabili. Ergo præfupponendum eft principium pofterius
in illis dominiis, quæ dicimus obtineri a tempore imme-
morabili.
51 Hinc proinde dicendum eft, ut id intelligendum fit, de
exclufione illius tituli, feu initii præcifi, & exclufivi cu-
jufcunque alterius, & cui poffeffor referat fuæ poffeffionis
caufam; Et confequenter, quod ex tunc importet tempus,
quod concludat centenariam. Sive quod poft diffolutum
dictum antiquum dominium, vel Imperium; alia non ad-
fit contraria memoria.
52 Ideoque; Aliud eft probatio centenariæ, vel majoris
temporis taxative, cum exclufione temporis antiquioris,
unde propterea concludatur, quod poffeffio fuerit effectus
illius caufæ; Aliud vero concludere centenariam affirma-
tive, pro obtinenda facultate allegandi quemcunque ti-
tulum de mundo meliorem, non exclufa poffeffione anti-
quiori, ac poffibilitate alterius caufæ melioris. *z*
Siquidem, etiam cum immemorabili, frequenter com-
patibile reputatur privilegium, five alter titulus certus per 53
fcripturam cum certo initio, ad confirmationem tamen,
majoremque firmitatem poffeffionis, vel ad aliam caufam
referibilis, cumulative non autem taxative. *a*
Pro dicta itaque reftrictione, atque ut titulus, de
quo conftat, cenfendus veniat melior, ac præcife cu- 54
jufcunque alterius melioris exclufivus requiritur, ut il-
le titulus ab ipfo poffeffore fit principaliter productus
pro titulo, & fundamento principali fuæ poffeffionis,
adeout non fufficiat productio facta per procuratorem,
fine fpeciali mandato expreffo, vel eo præfumpto, quod
refultat ab adminiculis, illo præfertim qualitatis fcriptu-
rarum, quæ ab alio haberi non potuerint nifi ab ipfo
poffeffore. *b*
Quare, ob modernorum Practicorum cautelas, in pro- 55
ductione, feu exhibitione jurium, vel fcripturarum, ni-
mium rari funt cafus, in quibus hæc reftrictio verificetur,
dum fiunt per compulfum, & in parte, &c. cum pluribus
claufulis præfervativis, ut infra agendo de productione,
& repetitione jurium, in ejus particulari Rubrica ad-
vertitur. *c*
Atque hinc fequitur, quod nil refert, an altera Pars 56
aliquem exhibeat titulum indicativum dominii, vel pof-
feffionis Partis, quoniam ifta replicare poterit, quod non
illi, fed alteri meliori titulo anteriori, vel pofteriori, fuam
poffeffionem referat, ob titulorum cumulum, feu multi-
plicitatem, quæ in jure permiffa eft, pro ejufdem poffef-
fionis confirmatione. *d*
In hac autem facultate allegandi alios titulos meliores, 57
confiftit tota operatio hujufmodi præfcriptionum, cum
alias, dato initio, vel titulo certo, folum tempus, quan-
tumcunque longum, modicæ remanet operationis, ob
tot fubductiones, ac reftrictiones ut fupra; Et fortius, ob
infinuatam regulam, quod non valenti agere, non currit
præfcriptio, unde propterea novi fucceffores, venientes
jure fuo, independenter a prædecefforibus, in dignitati-
bus, & in officiis, five in feudis, & fideicommiffis, &c.
quodcunque tempus contemnere poffunt, eo quia, ficuti
prædeceffores, cum actibus pofitivis alienationis, illi præ-
judicare non potuerunt, ita neque cum hoc actu negati-
vo negligentiæ; *d* 2. Verum punctus eft in dicta facultate
allegandi poffibilem titulum validum, ac deftructivum il-
lius juris, ex quo petitor veniat.
Super juftificatione autem requifitorum immemorabi-
lis, frequentes in Curia difputationes habentur; Atque 58
praxis hucufque docuit, quod in proceffibus, qui fiant in
partibus, rari fint cafus, in quibus ifta probatio bene con-
cludatur.
Requifita vero funt; Primo, ut teftes puberes conclu- 59
dant de quadragenaria pacifica ante motam litem de vifu;
Et per confequens in eis præcife neceffaria eft ætas anno-
rum quinquaginta quatuor completorum, præambula ho-
ra litis, vel moleftiæ, feu interruptionis, ut ita fubdu-
cto tempore pupillaris ætatis, ac illo litis, conclufa re-
manere valeat quadragenaria; Unde propterea fequitur,
quod quando diuturna lis adfit, tunc materia reputari folet
improbabilis, ob impoffibilitatem teftium talis ætatis, ut
occafione denegationis remifforiæ frequenter difputari
contingit. *e*
Alterum eft requifitum auditum a majoribus; Atque
huic aliqui addunt alterum, quod ifti dicerent audiviffe 60
ab aliis eorum majoribus; Verum iftud, quamvis ad fu-
perabundantiam, articulari, ac probari folitum fit, non
eft tamen ita præcife neceffarium, atque omiffum non im-
pedit probationis perfectionem. *f*
Tertium eft requifitum, ut concludant teftes, quod 61
nunquam aliud in contrarium, geftum, vifum, vel audi-
tum fuerit, minufque de actu contrario alias conftet, cum
folus actus unicus ad id fufficiat, imo quandoque pro facti
qualitate, folus rumor. *g*
Et quartum eft illud famæ publicæ fuper immemorabili 62
poffeffione, eaque particulariter per feparatum articulum,
feu capitulum probari debet, ideoque non fufficit illa ge-
neralitas, quæ in omni articulo de ftylo apponi folet. *h*
Non omnis tamen lis, vel contradictio, apta eft, hanc 63
præfcriptionem impedire, fed ea, quæ adhuc indecifa
pendeat; fi enim poffeffor obtinuit fententiam favorabi-
lem, fuæ poffeffionis canonizativam, ac reprobativam
impugnationis, eaque tranfitum fecerit in judicatum,
tunc ifta impugnatio potius confirmat jus poffefforis,
atque

atquè immemorabili non præjudicat; Sive quod deserta remansetir, adeo ut idem resultet effectus, vel eadem congruat ratio; Aut quod lis esset in causa diversa, *k*

64 Postquam vero, sive de una, sive de altera præscriptionis specier agatur, ea est jam perfecta, seu completa, adeo ut jus possessoris confirmaverit; Tunc subsequens interruptio, seu detectio juris alieni, ei non præjudicat, neque superventa mala fides obstat, quoniam ista impedit quidem præscriptionem adhuc imperfectam, ne perficiatur, sed non destruit jam perfectam. *l*

65 Circa vero generale bonæ fidei requisitum in omni præscriptione necessarium, ut supra, illius positiva probatio necessaria non est, cum in dubio præsumatur, non docto de mala. *m*

66 Verum aliquando admitti solet quædam ejus præsumpta, seu legalis probatio, quæ potest esse fallax; Puta quia in proprio archivio retineantur illæ scripturæ, ex quibus jus alterius resultet; *n* Adhuc tamen discrete, pro facti qualitate, non autem judaice id intelligendum est ubi scilicet, aliæ facti circumstantiæ verisimilem talium scripturarum, ac omnium in eis contentorum scientiam redoleant. *o*

67 Item non modica est quæstio inter DD. an ea fides, quæ media dicitur, quia scilicet, neque bona, neque mala positive dici valeat; (Et quæ in errante, vel in dubitante consideratur) sufficiat, vel respective obstet. Atque plures desuper tradi solent distinctiones, ac declarationes. *p* Verum in praxi idealis esse videtur quæstio, quæ est potius professoribus fori interni congrua, cum non de facili pro foro externo istius medii status probatio detur. Adhuc tamen, ubi daretur, ea videtur distinctio probabilis. An scilicet agatur de simplici, & ordinaria solum longi temporis præscriptione, pro qua eam alleganti incumbere videtur quoddam majus onus; Vel de illa longissimi; Maturius tamen reservo cogitandum in casus contingentia, cum id practice disputare occasio non dederit.

68 Ea vero, quæ de obdormitione præscriptionis de tempore pupillaris ætatis, vel de restitutione adversus tempus ætatis minoris, aut ignorantiæ, vel alterius impedimenti dicta sunt, ex beneficio restitutionis in integrum. Non intrat in ea conventionali præscriptione, quæ contra defunctum auctorem cœpta sit, ex probabiliori sententia, quamvis non desint volentes, ut etiam isto casu restitutio intret, ex propria persona, ut in retractnum sede advertitur. *q*

In legali autem præscriptione cœpta contra defunctum, restitutio conceditur. *r* Quæstione remanente in præscriptione judiciali, quæ varias habet opiniones; Pro facti vero qualitate quæstio decidenda videtur, spectata scilicet causa justitiæ, quæ hoc beneficio, magis, vel minus digna videatur.

69 Hæreditas jacens, jure pupilli, ex aliquorum sensu in hoc reputatur, ex aliorum vero, jure minoris, vel impediti, prima vero opinio probabilior est; Nisi de continuatione jam cœpta præscriptionis, contra defunctum, ut supra agatur, cum tunc persona præscribentis principaliter attendatur. *f*

In facultativis autem regula est, ut præscriptio non detur, nisi oppositio cum subsecuta acquiescentia sequatur;

70 *t* Vel nisi adeo diuturnum sit tempus, ut ejus lapsus superior insinuatam concedat facultatem, allegandi titulum absque necessitate probationis; Potissime vero ac certius præscriptio excluditur, si non utendi occasio non adfuerit. *u*

71 Atque hinc resultat, ut in annuis præstationibus, aliisque similibus juribus, nisi oppositio, vel denegatio cum subsecuta acquiescentia accedat, præscriptio non intret, cum eadem declaratione, de qua proxime. *x*

72 Super requisito etiam scientiæ, & patientiæ ejus, contra quem præscribatur, quoties de juribus incorporalibus agatur, frequentes audiri solent quæstiones. Atque regula est, ut ea requiratur, cum stet in loco possessionis, sine qua præscriptio non datur. Nisi aliqua circumstantia limitationem inducat, atquè ab hoc excuset, ut latius in suis peculiaribus sedibus advertitur. *y*

73 Interruptio autem cum uno, vel cum aliquibus secuta, an aliis, qui pacifice possederint, præjudicet, quæstio est; Sive an interruptio in aliquibus actibus, in aliis quoque impediat præscriptionem; Idque a causæ universalis, vel particularis distinctione decisionem recipit, ut primo casu interruptio prosit, non autem secundo, ut pariter in ejus sedibus particularibus latius. *z*

74 Strictæ naturæ præscriptio reputatur, ideoque extensionem non admittit, sed id solum præscriptum censetur, quod, aliis requisitis accedentibus, possessum est, & non ultra. *a*

Ideoque in dubio contra præscriptionem; atque pro ejus exclusione judicandum est, ut de facto docet. *b*

a *De regula de annali, tit. de benef. disc. 47. & 50. & eodem tit. de supplem. Et de triennali, eod. tit. disc. 91. ac etiam in supplemento, ubi etiam de decennali.*
b *tit. de Regular. disc. 41. & 42.*
c *tit. de credito, disc. 125. & 130.*
d *de his, dictaque distinctione, tit. de servit. disc. 28.* Greg. & add. *dec. 191.* add. *ad dec. 20. p. 3. rec.*
e Barbos. *in l. post. dotem, ff. solut. matrim. n. 47. decis. 319. & 251. p. 6. rec. atque frequenter habetur in omni pene materia.* f *ibidem proxime.*
g *tit. de credito, disc. 117.* h *eodem disc. 117. de cred. & infra in eo disc. in quo de judicio executivo agitur.*
i Merlin. *de pignor. lib. 5. tit. 1. q. 21.* Bich. *dec. 310.*
l *in cap. fin. de præscript.*
m Bich. *dec. 43. & 373. p. 9. rec. tit. de credito, disc. 131.*
n *d. disc. 131. de credito* o *infra in disc. in quo de fructuum condemnatione, ac restitutione agitur.*
p *dec. 153. p. 8. rec.* Ciroch. *discept. 7. & 16. & eodem disc. 131. de cred. & alibi pluries.*
q *tit. de testam. disc. 73.* r *dec. 373. p. 9. rec.* Bich. *dec. 574. & 603. dicto. dicto disc 131. de cred.*
f *d. disc. 131. de credito, & tit. de servit. disc. 87.*
t *§. 1. in tit. de usucap. & infra d. disc. in quo de fructuum condemnatione agitur.* u *d. disc. 131. de cred. & infra in d. disc. in quo de fructuum condemnatione agitur.*
x Ciroch. *discept. 67. & infra d. disc. fructuum.*
y *tit. de emptione & vend. disc. 14.* Cels. *dec. 308. dec. 344. & 421. p. 9. rec.* z *tit. de Regal. disc. 129.*
a *eod. disc. 129. de Regal.* b *tit. de regal. disc. 69. & 119.*
c *tit. de denat. disc. 43.* d *dec. 373. p. 9. rec.*
e *tit. de servit. disc. 87.* f *tit. de Regal. disc. 2. & 14. & per tot. in materia officiorum, & locorum montium.*
g Bich. *dec. 574. & 603. tit. de dote, disc. 29.*
h *tit. de jurepatr. disc. 35. tit. de alien. & contract. disc. 3.* Fusar. *q. 528.* i *ibidem.*
l Othob. *dec. 173.* Buratt. & add. *dec. 410. & 774.*
m Bich. *dec. 356. in Nolana parochialis, de qua sub tit. de benef. in supplemento.*
n Royas *dec. 316. & apud supra allegatos, ac passim.*
o Thes. *dec. 133. & 134.* add. *ad dec. 3. p. 3. rec.*
p Buratt. *dec. 598. & 629.*
q *tit. de alien. & contract. disc. 3.* r *dec. 1. p. 4. rec. tom. 2. dec. 324. & pluries sub tit. de jurisd. & alibi.*
f Capobl. *de Baron. cum aliis, d. disc. 3. tit. de alien. & contr.* t *tit. de Reg. disc. 47. & in aliis pluries ibidem.* 2. Greg. & add. *dec. 51.* Buratt. *dec. 435. dec. 168. p. 10. rec. & sub tit. de jurepatr. disc. 58.*
u *d. disc. 47. de Reg.* Greg. & add. *dec. 51. & in aliis proxime allegatis.* x *disc. 3. de alien. & contract. probib.* y *de Regal. disc. 47. & de alien. & contract. probib. disc. 3. & alibi.* z *tit. disc. 3. de alien. & contract.*
a *disc. 43. de Regal.* Cels. *dec. 110.* Aich. *dec. 386. dec. 101. p. 10. rec. & sub tit. de jurepatr. disc. 57. & 58. & sæpius.* b *d. disc. 3. de alien. & contract. & disc. 47. de Regal. & infra disc. 23.* d *2. locis proxime citatis* 2. *in eisdem locis citatis, & sub tit. de jurepatr. disc. 31. & 35.* e Buratt. *dec. 673.* Cels. *dec. 104. & sæpissime cum sint principia absoluta, & quotidiana & infra disc. 31.* f *dec. 56. p. 7. rec.* add. ad Greg. *dec. 169.*
g *tit. de jurisd. disc. 1. & 3. & sæpius.*
h Gabr. *de præscript. concl. 1. n. 80.* Franch. *dec. 56. n. 24.* Capobl. *de Baron. pragm. 1. n. 224. dec. 136. p. 6. recent.*
i *dec. 101. p. 10. rec.* Bich. *decis. 361.* Coccin. *dec. 283.* Buratt. & add. 172. & 436. Greg. & add. *dec.*
l Fagnan. *in cap. si quis, de Regular.* Greg. & add. *decis. 51.* Burat. *dec. 729.* m add. ad Burat. *dec. 505. in fin. & passim.* n *tit. de jur. patr. disc. 11.* Cavaler. *decis. 77. & 91. dec. 13. p. 7. rec.*
o Othob. *dec. 173.* Duran. *dec. 426.*
p *disc. 131. tit. de credit. & debit.* q *tit. de servit. disc. 87.*
r Othob. *dec. 556.* Cels. *dec. 194.* f de Marin. *cap. 164. lib. 1.* Rovit. *dec. 41. dec. 193. p. 10. rec.*
t Greg. & add. *dec. 162.* Buratt. & add. *dec. 312. tit. de preeminent. disc. 26. & pluries sub tit. de dec.*
u *d. disc. 26. de preeminent.*
x Royas *dec. 387.* Rov. *dec. 97. & d. tit. decim.*
y *tit. de jur. disc. 56. & 63. tit. de jurisd. disc. 1. & 34. & sæpius.* z *d. disc. 1. de jurisd. & tit. de dec. disc. 18.*
a add. *ad dec. 20. p. 3. rec.* b Buratt. *dec. 427.*

De

De Probationibus in genere,

S U M M A R I U M.

1 *AD prosecutionem, & terminationem judicii necessaria sunt probationes.*
2 *Distinctiones inter forum internum, & externum.*
3 *Judex tenetur judicare secundum acta, & probata, non autem juxta privatam notitiam.*
4 *Quod non est in actis, non est in mundo.*
5 *Notorium non exigit probationem, atque in ea sufficiunt extrajudiciales notitiæ.*
6 *In quibus casibus sufficiant informationes extrajudiciales, vel probationes insufficientes.*
7 *An Princeps, vel Principis Vicarius procedat cum informationibus extrajudicialibus?*
8 *Arbiter, vel Arbitrator, an & quando procedat cum dictis informationibus.*
9 *Quod materia probationum sit arbitraria, & in ea non detur regula, & n. 19.*
10 *Cui incumbat onus probationis.*
11 *Recensentur plures species probationum.*
12 *De probationibus, ut habeantur pro factis in odium impedientis eas.*
13 *Probata substantia, circa probationem quantitatis, vel accidentium sufficit levior probatio.*
14 *De conjunctione imperfectarum probationum in civilibus.*
15 *In antiquis sufficiunt probationes leviores.*
16 *Idem in iis quæ sunt de sui natura difficilis probationis.*
17 *Vel ubi assistat veri similitudo.*
18 *De probatione medii probatis extremis.*
19 *De eodem de quo, nu. 9. quod materia est arbitraria, & n. 23.*
20 *De conclusione, quod non est perfecta probatio, quæ habeat contrariam possibilitatem.*
21 *An & quando probationes inter alios factæ, alteri præjudicent?*
22 *Quid in causa status.*
23 *De eodem de quo n. 9. & 19.*

D I S C. XXII.

1 CEssantibus præmissis, vel similibus exceptionibus, quæ judicii ingressum, vel ulteriorem progressum impediunt, ut ad ejusdem judicii perfectionem procedi valeat, necessaria est extrinseca probatio ejus, quod agendo, vel excipiendo, per Actorem, vel per Reum respective, pro suæ intentionis fundamento allegetur, ut super probationibus, quæ fiant in forma judiciali in actis, fundari possit sententia, quæ sine actis, nullius est momenti, ut infra, in ipsius sententiæ sede advertitur.

2 Ea etenim dignoscitur differentia, inter forum internum, & externum, quod in primo, cujus Judex est Deus, qui corda, & mentes hominum videt, sola veritas, quamvis intrinseca, & hominibus occulta, attenditur; In altero autem, cujus Judex est homo, qui videt in facie, non autem in corde, requiritur extrinseca justificatio publica in actis, adeout veritas, non solum sibi, sed omnibus pateat; Ideoque vulgatum est juristarum axioma, quod Judex sententiare,
3 vel judicare debet, secundum acta, & probata, non autem juxta ejus scientiam, vel conscientiam; *a* Unde propterea vulgo illud dicterium circumferri solet, quod si Judex oculis propriis viderit Titium occidisse, vel percussisse Sempronium, probationes autem factæ, in actis, & processu, concludatur id gestum esse a Cajo, istum, non autem Titium, condemnare debebit; Sive juxta aliquorum monitum, abstinere tenebitur a judicando in illa causa, Principem, vel alium superiorem, ad quem pertinet, rogando, ut alium deputet, qui in causa judicet; *b* In idem alio influente axiomate, quod per ora forensium in dies volitat, quod scilicet
4 id, quod non est in actis, non dicatur esse in mundo. *c*

5 Solumque per extrajudiciales informationes, privatamque notitiam, procedi posse concluditur, circa ea quæ sunt facti, non autem juris, quoties ea, quæ in facto consistunt, notoria fiunt, eorumque veritas generaliter omnibus nota sit, vel de facili esse possit, adeout agatur de eo notorio, quod sit publicum; Ut pro frequentiori contingentia exemplificari solet in qualitate, seu valore monetarum alicujus Regionis; Vel situationis alicujus Civitatis, & loci, in una, vel in altera ditione, seu mundi parte, quoties ita sita sit, ut nulla finium controversia cadat, cum similibus; Secus autem ubi de illis factis, vel casibus privatis agatur, in quibus, ob populi multitudinem, prætendatur notorietas, quoniam ubi non agatur de illo notorio quod ipso judice, ac pluribus aliis præsentibus sequatur, adhuc judiciali justificatione in actis indiget super illa notorii qualitate, quæ circa ordinem judicii, vel processus, conferre potest. *d*

Et quamvis aliqui in jure dentur casus, in quibus ex- 6
trajudiciales informationes, etiam præsumptæ, vel possibiles sufficiuntur; Attamen id procedit in actibus voluntariæ, non autem contentiosæ jurisdictionis, in quibus, vel nullo extante oppositore, vel partibus concordibus, sola veritas in forma extrajudiciali pro actus validitate requiratur; Vel quia agatur, de mere gratiosis, ut contingit in executionibus literarum Apostolicarum in beneficialibus, vel similibus, quando executor sit merus, non autem mixtus, juxta distinctionem, de qua infra in sua sede; *e* Vel ubi de simili alia executione absque figura judicii agatur; Ut in illa beneplaciti Apostolici super alienatione bonorum Ecclesiæ, *f* Vel super similibus gratiis ac dispositionibus contingit; eo quia merus executor revera non est Judex, cujus nomen, vel terminus congruit solum executori mixto.

In Principe autem, vel in eo majori Magistratu, cui 7
idem supremus Princeps, generaliter, vel ad certum genus, ejus facultates commisit, seu communicavit; Quæstio cadit, an per solam privatam notitiam procedere valeat? Idque varias habet sententias, variasque recepit distinctiones alibi insinuatas, *g* meumque non est istam quæstionem decidere.

Ac etiam colligantium consensus privatæ personæ id 8
concedere potest, ac solet, ut in compromissis praxis docet, quoties tamen, non de simplici arbitrio agatur, sed de arbitratore, cui in figura amicabilis compositoris facultas concedatur procedendi, etiam per extrajudiciales informationes, ac privatas notitias.

Præsupposita itaque probationis necessitate; Super ea, certa regula generalis, cuicunque casui applicabilis non 9
cadit, cum ob ejus diversam qualitatem, pro causarum, vel casuum diversitate, diversa sit regula, vel decisio, quod scilicet; In aliquibus, ordinaria & regularis requiritur ac sufficit; In aliis autem, major ac extraordinaria desideratur; Et in aliis etiam minor ac imperfecta admittitur, & sic (ex. gr.) in ordinariis ac indifferentibus causis, duo testes contestes, qui in dicto, vel in persona, vel in examine exceptionem non patiantur, ad perfectam, & concludentem probationem sufficiunt; In altero autem casu non, sed magis exacta, & solemnis probatio in testium numero, & qualitate desideratur, Et in altero etiam testis unicus admitti solet.

Prout, posita specie, seu qualitate probationis, quæ pro causæ natura, seu qualitate necessaria sit; Adhuc id arbitrarium remanet, ideoque certam non recipit regulam, quando ista qualitas adesse dicatur, cum totum pendeat ex singulorum casuum individuis circumstantiis & adminiculis, ex quibus alias imperfectæ probationes efficiuntur perfectæ & concludentes. 10

Super ejusdem autem probationis onere, cui scilicet incumbat, jam insinuatum est supra, agendo de Actore, & Reo: *h* Ut scilicet non incumbat illi, qui sit Actor in causa, illius substantiam considerando; Sed illi qui sit talis in ea re, quæ allegatur pro intentionis fundamento; Si enim Actor in causa, jam in probationibus facti, vel in assistentia, seu in dispositione Juris, ejus intentionem, vel actionem fundaverit; Reus autem pro actione elidenda, exceptionem proponat, quæ justificationem exigat, tunc ipse Reus in hac parte, Actoris partes gerere dicitur.

Plures vero sunt probationis species, vel modi, quibus singulis proprias ac distinctas rubricas pro clariori methodo distribuere congruit, quamvis earundem specierum unio quandoque detur, ut una alteram coadjuvet, vel ejus defectum suppleat, quæ pro facti qualitate ponderando est prudenti Judicis arbitrio, cui ut præmissum est, lex istam probationum materiam commisit.

Species autem, seu modi, ultra supra insinuatam pri- 11
vatæ scientiæ, seu extrajudicialis informationis, ratione notorietatis sunt; Primo confessio Partis; Secundo rei evidentia; Tertio juramentum; Quarto publicum instrumentum, vel documentum; Quinto scripturæ privatæ; Sexto libri; Septimo testes; Octavo aliæ extraordinariæ species, nempe inscriptiones, historiæ, & similia; Nono præsumptiones, & conjecturæ, legis, vel hominis;

nis; Et decimo peritorum in arte, vel facultate, relationes, ac judicia; Ideoque de singulis hoc ordine retento in sequentibus Rubricis, vel Discursibus agitur.

12 Illud autem generaliter advertendum est, circa omnes species probationum, de quibus infra, quod scilicet in odium ejus, qui probationes impediat, illæ habentur pro factis, vel quod leviores sufficiunt, *l* Item quoad ea, quæ pertinent ad materiam probationum in genere, plures cadunt genericæ propositiones, quæ omnibus supra recensitis speciebus congruunt, ideoque non magis sub una, quam sub altera specie cadunt.

13 Ut puta (inter multa) est illa, quando non agitur de probatione substantiæ, quæ jam bene probata sit, sed solum de probatione accidentis, puta quantitatis, vel qualitatis, quia nempe certo constet quod quis pecunias, vel bona habuerit, vel surripuerit, aut occupaverit, non tamen constat de certa quantitate, vel qualitate, cum tunc minores, atque imperfectæ probationes sufficiant. *m*

14 Super conjunctione quoque plurium imperfectarum probationum ad faciendum unam perfectam, quæstiones in praxi frequenter cadunt: Atque in civilibus regula est affirmativa, quodque intret regula, ut singula quæ non prosunt, unita juvent: Dummodo tamen imperfectæ, sint in suo genere perfectæ, & non alias, quoniam centum nihil, facerent unum nihil, sive centum fili corrupti non ligarent. *n*

15 In antiquis etiam leviores, ac imperfectæ probationes
admittuntur; *o* Prout generaliter in iis omnibus, quæ de
16 sui natura sint difficilis probationis, quia in occulto fieri
soleant illi actus, de quorum probatione agatur. *p*

17 Aut quod verisimilitudo assistat, cum ea operetur, ut leviores admittantur probationes.

18 Sive quod agatur de probatione medii, quod probatis extremis, vel præsumitur, vel leviori probatione contentatur. *r*

19 Et in summa, reputatur hæc materia probationum judici arbitraria; *f* Ideoque non de facili certam recipit regulam, cum a singulorum casuum circumstantiis decisio pendeat, ut præsertim occasione agendi de fide testibus adhibenda inferius advertitur.

20 Stante autem illa propositione, quæ frequenter in foro per ora Practicorum volitat, quod perfecta, & concludens dici non potest ea probatio, quæ contrariam habeat possibilitatem, *t* Hinc plerique, imperfectam, & non concludentem reputare solent omnem speciem probationis, etiam eam quæ per publica instrumenta, vel per plures testes idoneos, & contestes, quinimo etiam per partis confessionem fiat, cum in testibus, & instrumentis possibilitas falsitatis insit; Atque in propria confessione adesse valeat metus, vel concussio, aut error, seu dolus, cujus justificatio desit, quodque propter ea non detur probatio perfecta; Verum id fallaciam continet, quoniam ea dicitur probatio imperfecta, quæ contrariam habeat possibilitatem, ubi scilicet ista possibilitas ex ejusdem probationis ventre resultet, quia nempe duplicem sensum habere valeat, sive ad duplicem diversum titulum referri, aut alias æquivoca reputari.

21 Super tertii præjudicio, quod ex probationibus resultet, frequentes audiuntur in foro quæstiones, an scilicet probationes factæ cum uno, præjudicent alteri, Regula vero generalis est negativa, pluribus tamen subjecta limitationibus, super quarum verificatione, vel congrua applicatione, cadunt potius quæstiones, quales revera hodie pene omnes aliæ forenses esse videntur, cum theoricæ generales, quæ apud antiquiores adeo controversæ fuerunt, videantur hodie pene omnes explanatæ: Unam scilicet opinionem, quæ probabilior visa sit, recipiendo pro regula; Alias vero limitationibus.

Generaliter autem ea distinctio cadit an ille tertius, cui per has probationes præjudicatum esse prætendatur, coæquale, seu alias independens actu, ac de præsenti, habeat interesse, ut (exempli gratia) est cohæres, vel consors: Vel potius illud sit accessorium, & consecutivum, ut (exempli gratia) est illud quod habeat successor in fideicommisso, vel feudo, seu emphyteusi: Primo enim casu de plano intrat regula de re inter alios acta, ut alteri non præjudicet: In altero vero decisio pendet ex distinctione bonæ, vel malæ fidei, eodem modo quo in transactionibus, vel in sententiis, aliisque actibus judicialibus habetur, cum eadem in omnibus ratio cadat, quod scilicet sufficiat probationes, aliaque acta tunc gesta esse cum legitimo defensore, absque collusionis, vel fraudis interventu. *u*

Unde propterea licet vulgo, ea circumferri soleat limitario, quæ causam status concernant, quasi quod ista causa 22
aliquid speciale contineat: Attamen id æquivocum videtur, cum pendeat a præfata distinctione, Causa vero prædicta, status exemplificative potius pro frequentiori contingentia considerari solet, dum etiam in illa praxis docet, quod si (ex. gr.) pro habitu militari unius Regionis, vel pro habilitate obtinendi beneficia qualificata in una Ecclesia, justificaverit quis ejus nobilitatem, vel puritatem sanguinis, aut aliam necessariam qualitatem, quæ personæ statum concernat, non inde tamen hæc probatio sufficit pro habitu in alia Religione, vel pro beneficiorum assecutione in alia Ecclesia, cum qua probationes factæ non sint, cum similibus: Bene tamen hujusmodi probationes, cum alio factæ, præsertim in causa status, magnum præstabunt adminiculum novarum probationum, quæ cum hac diversa persona fiant, *x* Ideoque facti potius, ac arbitrii, quam
juris est quæstio, quæ certam regulam generalem non re- 23
cipit, cum totum pendeat a singulorum casuum circumstantiis, erroneumque propterea est, tam in ista particulari conclusione, quam generaliter in universa ista materia
probationum, procedere cum generalitatibus, vel cum 24
doctrinis, ac decisionibus, quæ aliquos casus particulares percutiant, eorum combinatione non bene facta.

a Coccin. *dec.* 1784. Greg. & add. *dec.* 224. *decis.* 197. *p.* 5. *rec.* Rovit. *prag.* 1. & 15. *ad ord. jud.* Valasc. *de judice perfecto, rub.* 14. *annot.* 3. *ubi late colligit.*

b *apud allegatos, præsertim* Valasc.

c *d. dec.* 197. *p.* 5. *rec. cum aliis ut supra.*

d *late* Fagnan. *in cap. vestra, de cohabit. cler. ex n.* 68. Dunozett. *dec.* 846.

e *infra in eo discursu, in quo agitur de executor literarum Apostolicarum.* f *tit. de alien & contract. disc.* 1.

g *tit. de Regal. discurs.* 148. & *infra in relatione Curiæ, agendo de S. Congreg. Episcoporum, & Regul. disc.* 16.

h *supra disc.* 11. i *supra disc.* 2.

l Buratt. *dec.* 419. *dec.* 492. *p.* 9. *rec.* & *sæpius.*

m Ciriac. *controv.* 147. *in fin.* Farin. *q.* 176. Greg. *dec.* 324. Bellon. jun. *cons.* 93. Cels. *dec.* 264. Bich. *dec.* 485.

n Affl. & add. *dec.* 12. & 337. Greg. *dec.* 245. Roxas *dec.* 159. Mantic. *dec.* 307. *dec.* 103. *p.* 5. *rec.* & *in aliis.*

o *disc.* 34. p *dec.* 191. *p.* 6. *rec.* q Greg. *dec.* 245. & *advertitur infra, disc.* 32. *agendo de testibus.*

r Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 64. Buratt. & add. *dec.* 172. & 875. & *pluries alibi advertitur, præsertim sub tit. de Jurepatr,* f Ancharan. *cons.* 132. & 176. Mantin. *dec.* 338. *n.* 9.

t Barbos. *axiom.* 191. Cels. *dec.* 161. *in princ.* & *sæpius.*

u *de hac materia actorum tertio præjudicialium, tit. de jurisd. disc.* 2. & 22. *tit. de feud. tit. de Emphyt.* & *tit. de fideicomm. circa transactionem, & de hac materia probationum agunt* Capic. Latr. *consult.* 16. & 129. Buratt. *dec.* 488. & 358. ubi add. Gait. *de cred. cap.* 2. *tit.* 3. *ex n.* 384.

x *tit. de præeminent. disc.* 33. & *apud allegatos.*

De confessione Partis; Et qua occasione agitur etiam de interrogatoriis actionibus, sive de Positionibus.

SUMMARIUM.

1 *Partis confessio, superat omnem speciem probationis dummodo sit legitima.*

2 *Potissime ubi sit confessio judicialis, & qualis ista dicatur.*

3 *Quando etiam confessio judicialis non afficiat, quia erronea, sed error non præsumitur.*

4 *Debet esse univoca, & æquivoca non præjudicat.*

5 *Non attenditur confessio in iis, quæ consistunt in jure.*

6 *Minusque in iis, quæ pendet a facto tertii.*

7 *De implicita confessione, quæ resultat a productione.*

8 *An id resultet a productione facta per procuratorem.*

9 *De confessione quæ resultat a positionibus, & quod ponens fatetur, sed non articulans.*

10 *Unde derivet ista conclusio, & quomodo intelligi debeat.*

11 *De operationibus juramenti, & quomodo debeant intelligi.*

12 *De actionibus interrogatoriis, & de obligatione respondendi.*

13 *Quod usus positionum sit inutilis, & debeat aboleri.*

D I S C. XXIII.

1 CErtum est, nimiumque vulgatum juris principium,
quod nulla datur major probatio, quam proprii oris
confessio, quæ inter tamen species probationis est prima,
aliarumque mater; Verum quia de legitima, perfectaque
confessione id intelligendum est, adeout nullam patiatur exceptionem, ex multis, quæ in jure considerantur,
Hinc proinde, quamvis axioma generaliter, ac in abstracto clarum, atque indubitatum sit, in concreto tamen super ejus applicatione, nimium frequentes audit forus quæstiones.

Duplicis namque speciei confessio est. Una scilicet ju-
2 dicialis, & altera extrajudicialis. Illa vero quæ in judicio
fit, plures habet species, quoniam; Alia est vera, & propria confessio judicialis, quæ in ipso calore, ac forma judicii, explicita, atque consulto fiat, puta quia parte interessata, vel Judice, in forma judicii, debitorem, vel delinquentem interrogante, ipse positive interrogatus respondendo, veritatem fateatur; Tunc etenim vere, & proprie præfatum axioma locum habet, atque alterum intrat, quod in confessum aliæ non sunt Judicis partes nisi in exequendo, dum ipsemet Reus, vel debitor, ita se ipsum ore proprio judicavit. *a*

3 Et nihilominus, etiam isto casu, præsupposito in confitente, judicii, vel rationis perfecto usu (cum posita imperfectione, illa sine dubio nullius momenti sit,) adhuc non desunt exceptiones, tam in criminalibus, de quibus in præsenti non agitur, quam etiam in civilibus. Primo scilicet erroris, qui tamen in facto proprio non præsumitur, sed concludenter probari debet; *b* Secundo alicujus accidentalis hebetationis mentis, vel intellectus; Tertio
4 quod confessio ambigua sit, cum ad effectum præjudicii omnino clara, & univoca requiratur, adeout, dubia, vel æquivoca, favore confitentis interpretanda sit, ut ei quominus fieri potest, præjudicet. *c*

Quarto quod confessio contineat rem, quæ ab animo, vel a facto proprio pendeat, & in quibus terminis, axioma procedit. Secus autem, ubi sit confessio in iis, quæ juris sunt, in quibus ea non attenditur, ubi jus ita non dis-
5 ponat, & ubi disponat, nil refert confessionem adesse, cum ipsius legis operatio sufficiat, adeout ea, vel non sufficiat, vel non sit necessaria. *d*

Quinto quod factum tertii contineat, seu quod aliàs a
6 facto confitentis non pendeat, in quo pariter tanquam confessio partis, adeo operativa non consideratur. Bene tamen ad veritatis comprobationem confert, quando aliæ species accedant, potissime vero ubi fraus legis, vel usuris fieri valeat. *e* Cum similibus exceptionibus, quæ pro facti qualitate dari solent,

Alia species confessionis judicialis est illa, quæ implicite, seu virtualiter ex aliquo actu in judicio facto resultet; 7
Puta per productionem jurium, & scripturarum, ex juris regula, quod producens scripturas, approbari, seu fateri dicitur omnia, quæ in eis continentur. *f*

Ista vero confessio tantæ non est operationis, quantæ est
prior, eaque plures etiam patitur exceptiones; Vel quia scilicet, juxta modernam frequentem cautelam, facta sit cum protestatione, ut censeatur scriptura approbata in partibus favorabilibus tantum, impugnative autem quoad odiosas, vel præjudiciales, (quod in Curia Practici dicunt fieri per compulsum.) Sive quia facta sit per non habentem legitimum, ac sufficiens mandatum. Unde propterea frequenter cadunt quæstiones super mandato præsumpto, quod ex præsumptionibus, & adminiculis deduci solet, illo præsertim quod resultat a qualitate scripturæ, quam non nisi ab ipso principali, procurator habere potuerit. *g* 8

Id autem non semper tutum est, cum ab eodem principali, dari potuerint Causidico scripturæ, ad ejus instructionem, eumque consulendum, an expediat illas exhibere, necne. Ipse autem Causidicus, præter voluntatem principalis, ac sine mandato, & frequentius ex ignorantia, *h* (& utinam quandoque non ex corruptela, & collusione cum altera parte) eas producat. Quamvis enim id non præsumatur; attamen ista est simplex juris præsumptio, quæ non solum per contrariam expressam probationem, sed etiam per fortiores præsumptiones tolli potest, ideoque discrete pro facti, & personarum qualitate ista conclusio intelligenda est, circa hujusmodi confessionem, quæ ex scripturarum productione resultat.

Ejusdemque speciei est illa confessio virtualis, vel Implicita, quæ resultat a positionibus, quoniam ponens fateri dicitur omnia, quæ in positionibus continentur; *i* 9
Id autem non sequitur in articulis, ex regula, quod articulans non fatetur; Adhuc tamen illi magnum faciunt adminiculum contra articulantem, maxime si cum juramento dati sint; *l* Adhuc tamen intrat eadem inspectio, an positiones datæ sint ab ipso principali, cum sæpius dari soleant per Causidicum. Bene verum quod isto casu minor intrat dubitandi ratio, quoniam dandæ sunt medio juramento, quod præstandum est ab ipsomet principali, vel a procuratore cum mandato speciali, inserto ipsarum positionum tenore, nisi mandati præsumpti argumenta accedant. *m*

Verum pariter nimium circumspecte procedendum est, circa præjudicia ex hujusmodi specie confessionis resultantia, quando ea gravia sint, quoniam reflectendum est ad qualitatem personarum, dum idiotæ, ac mulieres, totum agunt in fide Causidici, ignorando, quid in positionibus contineatur; Prorsusque erroneum est pariformiter in omni casu, cum eisdem generalitatibus in hac materia procedere, cum id judaismi speciem potius redoleat, ita desumendo præjudicialem confessionem ejus, qui vere confessus est, ac ejus qui nunquam confessus est, vel id confiteri nunquam in animo habuit, eo quia positiones pro frequentiori contingentia efformati solent per Causidicos; quorum magna pars, totum id quod scit, vel agit, scire dicitur per simplicem traditionem, & praxim, seu per formularia, ideoque ad id est reflectendum.

Rigor etenim regulæ prædictæ, quod ponens fatetur, probabilem habet rationem, inspecta origine; Siquidem
Romani Imperii antiquis temporibus, in quibus leges ci- 10
viles prodierunt, in usu erant interrogatoriæ actiones, quod scilicet ipsemet Actor personaliter, ac per se ipsum, coram Judice, Reum interrogabat. Ideoque super iis, quorum certam scientiam habere præsupponeret, interrogationes fiebant, atque si dolose, ac mendaces fierent, in pœnam doli, ac mendacii pro confitente habendus erat,

Ac etiam quia, ut insinuatur infra in juramenti sede, *n* ac alibi pluries, quando juramenti præstatio introduci cœpit, cui idem Jus Civile fortius vero Canonicum adeo
magnas tribuit operationes, illud cum magna maturitate, 11
ac solemnitate præstabatur, ob graves pœnas quibus perjurus subjacebat, & ob magnam infamiæ notam, quam incurrebat, ideoque non nisi causa cognita, & cum summo ac maturo studio, & consilio præstabatur. Hodie autem redolet meram cæremoniam, seu formalitatem, adeout transierit in clausulas de Notariorum stylo apponi solitas; Et consequenter, cessante dictæ regulæ utraque ratione erroneum est, cum illa mordicus, ac generaliter in omni casu pariformiter procedere; Atque in hoc versari debet officium, vel arbitrium Judicis, in quo propterea desideranda quidem est scientia juris, magis ve-

ro

so prudentia, pro ejusdem juris congrua applicatione,

Ubi vero antiquam formam interrogatoriæ actionis
12 hodie raram, utpote ad obligationem respondendi positionibus redactam, collitigans servare velit, non poterit altera pars negare responsionem. *o* Nimium vero commendabile videtur ut iste usus introduceretur, quoniam ita multæ resecarentur lites, atque tot cessarent perjuria, quæ in dies committuntur, dum (ut diuturnæ forensis viræ exercitium me docuit,) ipsi principales; Vel judicii calorem metuentes; Vel majorem habentes conscientiæ timorem, quam illi Causidici, qui tabulæ forenses dici merentur, per quorum manus hujusmodi positiones, ac responsiones transire solent, non de facili audeant interrogare minus vera, minusque interrogati respondere, dum juxta quotidianam praxim, usus positionum hodie omnino inutilis remanet, adeout ad aliud non deserviat, nisi ad calumniarum fomentum, ob tot disputationes, quæ
13 desuper assumuntur, tam super ipsarum positionum impertinentia, & resecatione, quam super responsionibus, & an illæ sint præcisæ, atque in ea forma, in qua esse debere, illius loci, vel Tribunalis praxis exigat, atque super his cum magno sumptu, ipsarum tabularum impinguatione, magnaque temporis jactura sine profectu, eadem fere unquam praxis docet, ut hujusmodi confessiones, vel responsiones, litibus finem imponant.

Hinc sanctius esset eas abolere, dum (ut præmissum est)
14 ad aliud non deserviunt, nisi ad calumniarum fomentum, multorumque perjuriorum incursum (quamvis ut alibi advertitur) iste perjurii reatus apud Sacros Canones, & antiquos Sanctos PP. adeo gravis, & execrandus, hodie in desuetudinem abiisse videatur, tam in hujusmodi actibus judicialibus, qui cum juramento a colligantibus fiant; quam etiam circa illud quotidianum, ac pene generale perjurium, quod debitores, aliique contrahentes incurrunt, non faciendo statuto tempore debiti solutionem cum juramento promissam, sive alias contractus juratos non adimplendo; Adeout neque ipsi contravenientes in confessione sacramentali, in qua etiam levitates fatentur, de hoc se culposos agnoscant; Minusque ipsi Confessarii, levitatum pariter scrupulosi indagatores, de his interrogent, vel moneant; Ideoque tam causa, quam effectus hujusmodi positionum, hodie omnino cessare videntur, atque res inutilis remanet, prædictorum malorum effectuum potius productiva.

Datur autem in aliquibus regionibus, præsertim vero in Regno Neapolitano, quædam species confessionis spe-
15 cialis, in debitis conventionalibus, per obligationes scilicet penes acta, quibus propterea, parata datur executio, huic rationi innixa, quod in confessum in judicio, aliæ non sunt partes Judicis, nisi in exequendo; Adeout ex insinuatis super in citationum Rubrics, nulla etiam prævia citatione, ad executionem de facto devenitur. Id autem erroneum est ex rationibus ibidem ponderatis, & alibi. *p*

Altera est generalis species confessionis, quæ dicitur
16 extrajudicialis, utpote facta extra judicium; Istaque subdistinguitur, inter illam, quæ fiat Parte præsente, & alteram, quæ fiat absente Parte; Atque in utraque specie intrat eadem regula generalis, quod scilicet in iis casibus, in quibus confessio judicialis non probat, neque præjudicat, multo minus probat, vel præjudicat ista extrajudicialis, quæ est longe minoris ponderis, & efficaciæ. Ideoque omnia, quæ apta sunt elidere confessionem judicialem, multo magis elidunt extrajudicialem, quæ absque dubio est minus efficax, seu præjudicialis.

Dantur etenim casus, in quibus confessio extrajudicia-
17 lis, etiam serio facta, Parte præsente, atque concludenter probata, etiam per instrumentum publicum, non attendatur, atque inefficax reputetur: Ut contingit in minoribus, & mulieribus, aliisque personis, quæ juxta frequentem, Italiæ præsertim, usum, inhabilitatæ sunt ad contrahendum, aliosque actus præjudiciales faciendum absque certis solemnitatibus, ex regula, quod prohibitus alienare, sive alium contractum præjudicialem facere, est prohibitus etiam facere illas confessiones, ex quibus resultent effectus præjudiciales, ne ita fraus legi fiat, atque id quod directe prohibitum est, indirecte sequatur. *q*

Et tamen confessiones judiciales, aliaque acta judicialia, sine hujusmodi solemnitatibus, attenduntur, ac præ-
18 judicant, dum præsentia Judicis, ipsiusque judicii calor tollunt illam suspicionem doli, vel metus, aut seductionis, quæ in actibus extrajudicialibus per legem præsumitur in hujusmodi personis, quæ per ipsam, imbecillis, vel imperfecti judicii reputantur. *r*

Id autem respectu actorum judicialium, pluries in facti 19
contingentia dicere consuevi, ac practicari obtinui, ut recipiendum sit in illis actibus, qui vere cum calore judicii, atque cum Judicis præsentia, & auctoritate, mature, ac serio fiant, adeout congruat supra insinuata ratio differentiæ, dum videmus, quod etiam in judicialibus, lex provideri voluit de curatore ad lites, minores, quos imbecillis judicii reputavit, non providendo mulieres majores, eo quia ipsa lex communis (excepto Vellejano) viris eas exæquavit, eandem contrahendi, vel disponendi liberam dedit facultatem; Unde propterea quando lex municipalis (ita regionis moribus, vel rerum experientia docentibus) mulieres minoribus exæquet, eadem consideratio habenda videtur, illis actibus exceptis, in quibus judicii calor talis sit, ut æquipollenter, & forte magis suppleat legis municipalis solemnitates; Sive cesset illa ratio, vel suspicio, ob quam illæ adinventæ sunt.

Ita igitur spectata dicta ratione, non autem in sola generalitate verbali, ista conclusio capienda est, cum de facili, sub prætextu alicujus affectati actus judicialis, puta dandi positiones inconsultas, vel inconsulte illis respondendo, aut pariter inconsulto aliquam productionem faciendo, vel se enunciando alicujus hæredem, cum similibus, fieri possit eadem fraus. Ideoque in ista quoque, prout in omni alia materia, mea fuit consuetudo dicendi, ut reflecti debeat principaliter ad legis rationem, seu finem, vel effectum, ob quem forma introducta est, illam præ oculis propositionem habendo, quod lex edita non est super verbis, sed super rebus, dum vere judicialis confessio ea solum dicitur, quæ fiat prævio Judicis præcepto, vel calore, atque alias etiam apud acta voluntaria confessio, pro extrajudiciali habenda est. *s*

Quatenus itaque pertinet ad illam confessionem extra-
judicialem, quæ si esset judicialis, afficeret, adeout sola 20
dubitandi ratio, ex dicta qualitate resultet, quod extrajudicium facta sit: Illa pariter distinguitur in duas species; Unam scilicet, quæ fiat Parte interessata præsente; Et alteram, quæ fiat Parte absente.

Prima species, præsupposita illius perfecta, & conclu- 21
denti probatione, adeout quæstio solum sit super ejus operatione, vel efficacia, plene & concludenter probat, atque in ea intrat initio insinuatum axioma, quod nulla major probatio, quam proprii oris confessio, attento etiam rigore juris civilis, quod in ista confessione extrajudiciali Parte præsente, non discordat a jure canonico. *t*

Atque inter modos confitendi, recensetur etiam illa 22
species confessionis, quæ inter absentes fiat, eo modo quo humanum ingenium mutuam absentium allocutionem introduxit, per epistolas scilicet familiares, quoniam ubi epistola (ex. gr.) debitoris directe scripta sit creditori, in ea fatendo debitum, tunc dicitur adesse confessio extrajudicialis, Parte præsente; Quando vero scripta sit tertio, dicitur confessio Parte absente, de cujus efficacia in hac specie epistolarum inferius agitur. *u*

Altera vero species confessionis extra judicialis; Parte absente, juris civilis dispositione attenta, juxta unam opinionem, nullum constituit gradum probationis; Juxta vero alteram, eam semiplenam tantum facit.

Verum ex quadam æquitate canonica, quæ in Romana Curia recepta est, etiam ista species confessionis, perfectam, & concludentem inducit probationem, quasi quod canonica æquitas non attendat formalitates, vel subtilitates juris civilis, sed contentetur sola veritate naturali, qua accedente, debitorem cogat ad solvendum quod debet, vel creditorem repellat a petitione ejus, quod ipse fassus sit sibi non deberi, vel solutum esse, ad occurrendum peccato, sine quo unum, vel alterum fieri non potest. *x*

Ista vero æquitas admixtum habet rigorem ab ejusdem
Curiæ praxi inductum, circa modum probandi hujusmodi 23
confessionem, ut scilicet illa plene, & concludenter probari debeat per testes bene contestes de loco, tempore, & verbis: *y* Difficultate cadente ubi agatur de pluribus, & geminatis confessionibus successivis, an scilicet admittantur testes singulares, cum ea singularitate, quæ dicitur adminiculativa, non autem obstativa, quia nempe unus deponat de una confessione facta in uno loco, vel tempore, & alter de altera; Atque in hoc aliqua dignoscitur opinionum varietas; Aliquibus affirmantibus; Aliis vero negantibus; Probabilius autem videtur, ut desuper certa regula generalis cuicumque casui applicabilis statui non valeat; Ideoque er-

ror

tor est unam, vel alteram opinionem generaliter, pro consueto inepro pragmatico stylo simpliciter, ac indefinite sequi, quoniam retento alias insinuato principio, quod universa hæc materia arbitraria sit pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulanda, inspiciendo scilicet principaliter modum, vel occasionem confitendi, an serio, & mature pro recognitione veritatis, confessio facta sit, vel potius ex alio incidenti, cum alio amico, singulariter, atque ad alium finem, ita opinando, quod utpote fiducialiter facta cum uno, apta non sit præjudicare alteri, reflectendo etiam ad verisimilitudinem, vel inverisimilitudinem, aliaque veritatis adminicula, vel argumenta pro facti qualitate.

Et præsertim in hoc proposito confessionis extrajudicialis Parte absente, probata per testes singulares, prædicta singulariter adminiculativa, super confessata solutione unius termini pensionis per Titularem ad effectum, ut ita pensionarius obtineret adeo in hac materia proficuum remedium summatiissimi possessorii retinendæ, seu manutentionis; Dicebam scribens pro Titulare confitente, magnam in hoc proposito differentiam constituendam videri, inter confessionem positivam debiti, & alteram solutionis, quando ista non tendat ad absolvendum & liberandum, ut est illa creditoris favore debitoris, sed tendat potius ad magis obligandum, vel præjudicandum ut supra, quoniam non de facili quis positive fatetur se debere id, quod non debet, potissime exprimendo causam debendi, sine qua confessio non relevaret; E converso autem de facili fit confessio solutionis debiti, cujus jam certa sit probatio per instrumentum, vel aliud documentum, quoniam de facili debitores, majoris existimationis gratia, sive ut se liberent ab instantiis fidejussorum, vel expromissorum, vel amicorum, seu nuntiorum creditoris, dicunt solvisse, cum revera non solverint, ut frequens, & quotidiana praxis docet. z

24 Asperum autem videtur id, quod alias in facti contingentia Rota firmavit, ut scilicet epistola familiaris, quæ tertio fiducialiter conscripta sit, atque ab isto, contra leges amicitiæ, vel congruentiæ, creditori tradita, habere debeat vim confessionis extrajudicialis Parte absente, adeout, ex prædicta æquitate canonica, sufficiens esse debeat ad concludentem probationem. a

25 Super confessione etiam tertii quæstiones frequenter cadunt, an tertio præjudicent, ubi præsertim confitens non sit omnino extraneus, sed reputetur tertius, ad differentiam auctoris, cujus confessio probat in præjudicium hæredis, vel alterius, qui jus suum metiatur omnino dependenter a confitente, sed veniat independenter jure suo; Ut (ex. gr.) sunt tutor, curator, procurator, vel alter administrator, sive Prælatus, aut Rector Ecclesiæ, ac etiam hæres gravatus, seu fideicommissarius, vel prædecessor in officio, vel in beneficio, aut in feudo pacti, & providentiæ cum similibus, ac etiam cedens in præjudicium cessionarii, vel debitor in præjudicium creditoris &c. Et tunc regulariter ista confessio non præjudicat, nisi accedant sufficientia adminicula, quorum pondus, vel efficacia certam non habet regulam, sed a facti qualitate, & circumstantiis pendet, eo modo quo generaliter habemus in confessione dotis receptæ, aliisque similibus prohibitis; b Quoties enim præjudicare potest sententia, vel transactio, quæ sententiæ, ac rei judicatæ vim habet, præjudicat etiam confessio. c

26 Cum autem confessio cum aliqua modificatione, vel excusante qualitate fieri soleat, frequenter in praxi audiuntur quæstiones, an divisioni locus esse debeat, adeout rejecta qualitate, si extrinsecus ea non justificetur, confessio pura remaneat, ideoque veritatem contra confitentem probet; Idque de more, ut in omnibus, varias habet opiniones, ea tamen probabilior, magisque communiter recepta videtur, quæ distinguit inter causas criminales, & civiles, ut primo casu recte intret divisio, ideoque si quis fateatur homicidium, quod tamen ad sui defensionem, vel ex alia causa excusante, aut temperante pœnam, fecisse asserat, tenebitur de homicidio, si qualitatem excusantem non justificet; d Quamvis ad effectum pœnæ ordinariæ ad excusare soleat, quando criminis alia non urgeant gravia indicia.

In altero autem casu confessionis in civilibus; Una opinio, simpliciter, ac indefinite divisionem negat, quodque confessio individua sit; Altera vero distinguit, an qualitati resistat, necne juris præsumptio, ut in casu resistentiæ intret divisio, atque rejici possit qualitas, secus autem, ubi hæc non urgeat; e Verius tamen pro meo sensu videtur, ut ista facti potius quæstio dicenda sit, quæ proinde, certam, ac generalem regulam, cuicunque casui applicabilem non recipit, sed pro singulorum casuum circumstantiis prudenti, ac recto, bene que regulato judicis arbitrio, non autem ex illo affectionis, & voluntatis, quæstio decidi debeat, considerando potissime qualitatem confitentis, & an sinceritati, vel captioni adjecta qualitas referri mereatur. Sive an substantiæ, seu veritatis debiti confessio nuda sit, vel potius aliorum habeat adminiculorum fomentum; Idemque clarus videtur error cum solis generalitatibus juxta pragmaticum stylum procedere, cum potius ratiocinativæ partes circa ponderationem circumstantiarum, in hoc præcipuæ videantur.

Contemporanea tamen debet esse qualitas; Nil enim refert, ut quis post confessionem jam pure emissam, adjiciat qualitatem, cum tunc in nulla consideratione habeatur, dum tollere non valet effectum jam ex ea consummatum.

De confessione debiti facta in testamento, resolvenda in legatum revocabile, & quid ubi juramentum accedat, in materia crediti, & debiti particulariter agitur, ideoque ibi videndum est. f 27

Adnotatione autem dignæ non sunt aliquæ hodie receptæ, nimiumque vulgares propositiones; Puta ut confessio auctoris præjudicet hæredi, vel alteri successori dependenti, qui a confitente suum jus metiatur; Quinimo etiam si de jure proprio, ac independenti agat, quoties qualitatem habeat hæreditariam confitentis, eamque cum inventarii beneficio, ac redditione rationum non exuat, ut præsertim in fideicommissaria materia, & in illa hæredis frequenter advertitur. 28

Super procuratoris, vel alterius administratoris confessione, quæstio cadere solet, an præjudicet, sive an sit revocabilis, & quomodo? Atque regula est, ut non præjudicet, sive quod revocari valeat etiam non docto de errore, quoties mandatum speciale ad confitendum non accedat; Nisi conjecturis, ac vehementibus adminiculis confessio suffulta sit. Verum desuper certa regula statui non potest, cum ex facti qualitate, & circumstantiis totum pendeat, ideoque in singulis casibus, diversum est, ac particulare judicium. g 29

In beneficialibus autem unius Partis confessio veritatem non probat favore alterius, qui in ea tantum suam fundet intentionem, quam in canonico, & legitimo titulo, non autem in confessione colligitantis fundare debet; Bene tamen veritatem probat in accidentalibus pro tituli canonici justificatione, vel ejusdem adminiculo. h 30

Eademque distinctio adhibetur, ac recepta est in materia fideicommissaria, ut scilicet Partis confessio apta non sit inducere fideicommissum, ubi non adsit, minusque operari, ut sub eo cadant ea bona, quæ cadere debere aliunde non constet; Vel quod exinde tantum personæ legitimatio probata sit; Bene tamen, aliis probationibus quamvis imperfectis, magnum præbet fomentum confessio interessati, sive pro interpretatione in ambiguo attendenda est. i 31

In iis quoque casibus, in quibus regulariter confessio probat, atque confitenti præjudicat; In eo solum attendenda est, super quo principaliter prodierit, non autem in eo quod incidenter, ac ad alium effectum. l 32

Et in summa, universa ista materia confessionis in civilibus, (de quibus tantum agitur) facti potius, quam juris censenda est, erronee ex solis generalitatibus regulanda, cum revera, ex prudenti, ac recto, beneque regulato judicis arbitrio singulorum casuum circumstantiæ rem decidere debeant; Potissime vero, an verisimilitudinis, vel inverisimilitudinis fomentum accedat. 33

a Add. ad Vestr. *lib.* 5. *c.* 16. Post. *de manut. observ.* 19. *n.* 17. *& seqq. tit. de cred. disc.* 116. *& infr. in eo disc. in quo agitur de processu executivo in actione personali.*

b Manic. *dec.* 199. Burat. *dec.* 269. Bich. *dec.* 367.

c Mant. *dec.* 205. *dec.* 219. *p.* 6. *rec.* add. ad Burat. *dec.* 443. *tit. de testam. disc.* 33.

d Burat. *dec.* 335. *&* 483. *& utrobique, n.* 5.

e Burat. *dec.* 1. *& sæpius sub tit. de usur.* Ottobob. *dec.* 169.

f *tit. de Reg. disc.* 47. *ac etiam habetur infra, disc.* 28. *agendo de scripturarum productione, & alibi, hoc eod. tit.*

g *eodem disc.* 47. *de Regal. & infra d. disc.* 28.

h *dict. disc.* 47. *de Regal.*

i Greg. & add. *dec.* 143. *&* 385. Burat. & add. *dec.* 566. Rovit. *pragm.* 8. *de judic.* l Greg. & add. *ubi supra, & dec.* 215. Burat. & add. *dec.* 600. Dunoz. *dec.* 672.

m Burat. *dec.* 566. *cum aliis collectis per practicum* Ridolph. *cap.* 10. *p.* 1. *ex n.* 70. n *infra disc.* 25.

o *late colligit idem practicus* Ridolphio. *d. cap.* 10. *p.* 1. *ex n.* 48. apud Coccin. *decis.* 1071. Franch. *dec.* 220.

Rovit.

Rovit. *pragm. 8. de ord. jud.* Burat. *dec.* 882. *dec.* 334. *p.* 11. *rec. circa fin. ubi quod non tenetur respondere post publicatas attestationes.*
p *supra disc. 9. & tit. de credito, disc. 116. & infra in ei disc. in quo agitur de judicio executivo personali.*
q Fusar. *q.* 694. Greg. & add. *dec.* 188. Burat. & add. *dec.* 560. *pluries sub tit. de alien. & contract. prohib.*
r Burat. *dec.* 301. *tit. de herede, disc.* 14.
f *dec. 27. p. 9. rec.* Bich. *decis.* 250. *n.* 20. & *d. disc.* 24. *tit. de herede.*
t *apud proxime infra allegandos de alia specie loquentes. dec. 191. p. 12. rec.* u *infra lit. A.*
x Burat. *dec.* 901. & 928. *dec.* 22. *p.* 7. *rec. dec.* 63. *p.* 11. *rec. tit. de cred. disc. 79. & in aliis, de quibus infra.*
y Royas *dec.* 213. Burat. & add. *dec.* 114. 294. 341. & 458. Bich. *dec.* 354. *disc.* 79. *de credit.*
z *agitur in Albanen. pensionis, sub tit. de pension. in supplemento.* a *sub tit. de credito, disc.* 79. Rota, *dec.* 191. *n.* 8. *p.* 12. Cels. *dec.* 264. *n. fin.*
b Mantic. *dec.* 39. Burat. *dec.* 733. Royas *dec.* 488. & *seqq.* add. ad Burat. *dec.* 453. *dec.* 27. *p.* 9. *rec. cum iis habentur tit. de frud. disc. 49. & tit. de fideicomm. disc. 172. & seqq. & tit. de dote, disc.* 159.
c Burat. *dec.* 792. *cum aliis proxime supra.*
d Farinac. *q.* 81. de Marin. *ref.* 83. *lib.* 1. *cum aliis, de quibus proxime infra.*
e Greg. & add. *dec.* 92. & 200. Burat. & add. *dec.* 190. & 730. *dec.* 434. & 442. *p.* 5. *rec.* Bich. *decis.* 380. *numer.* 18. f *tit. de credito, disc.* 80.
g Mantic. *dec.* 302. Vestr. & add. *lib.* 5. *cap. penult.* Burat. *dec.* 374. 468. 551. *dec.* 172. *p.* 11. *rec.* & *sæpius.*
h Gemitian. *cons.* 38. *dec.* 62. *n.* 5. *p.* 10.
i *sub tit. de fideicomm. pluries.*
l Surd. *dec.* 250. ubi Hodiern.

De probatione per rei aspectum, seu per evidentiam, sive per mappas & tabulas geographicas.

S U M M A R I U M.

1 *PRobatio per evidentiam est magna.*
2 *De praxi circa accessum judicis super faciem loci, & in quibus materiis iste accessus practicetur.*
3 *Quid in hoc gerendum sit per Judices probos, & de inconvenientibus, qua desuper praxis docet.*
4 *Dieta legalis qualis sit pro salario Judicis in hoc accessu?*
5 *An officialis plura explicando negotia in eodem itinere, plures dietas, vel plura emolumenta exigat?*
6 *De stylo Congregationis Baronum super æstimatione Castrorum.*
7 *Declaratur conclusio, de qua n. 1. & quando probatio per aspectum probet.*
8 *De mappis geographicis quando, & quomodo probent, & de diversis mapparum speciebus.*
9 *In quibus deferendum sit judicio peritorum.*
10 *De quæstionibus distantiæ, seu majoris vicinitatis, aut comprehensionis loci intra fines diœcesis, vel provinciæ.*
11 *Quomodo finium quæstiones decidi debeant, & de confinibus publicis, vel perpetuis.*
12 *De eodem, & quæ regula in dubio teneri debeat.*

D I S C. XXIV.

1 MAgna quoque ac certa reputatur ista species probationis, per evidentiam rei, utpote tanquam species probationis infallibilis, non subjecta falsitatibus, & alterationibus; quibus subjacent aliæ species, de quibus infra, dum rei veritatem oculis propriis Judex inspicere potest. *a*

2 Ideoque, ubi quæstio sit super iis, quæ ab evidentia, seu rei aspectu pendeant, ut præsertim contingit in quæstionibus confinium, vel servitutum, aut retractuum; Praxis est, ut per Judicem fiat accessus super faciem loci, cum Notario, aliisque ministris, ibique, Partibus, earumque peritis, & defensoribus auditis inspiciat quomodo facti veritas se habeat; Ac propterea praxis est, ut hujusmodi accessus, qui utraque Parte, vel una earum petente faciendus est, decernatur pro certa die, & hora, ipsis Partibus intimanda, ut super faciem loci se quoque cum earum defensoribus, ac peritis, intervenire valeat, atque Judicem informare, sin minus actus invalidus reputatur; Pluissime quia ibidem testes informati, vel periti (quando ita subjecta materia exigat) examinari solent; Ideoque necessaria pariter est Partium citatio ad videndum eos jurare.

3 Bene verum quod, quandoque per probos, & Dei timoratos Judices, mercaturam super judicio facere nolentes, gravando Partes gravibus expensis, quas hujusmodi accessus, extra Civitatem, seu locorum differentiæ, importare solent, quando subjecta materia ita patiatur, quod scilicet probatio situationis, vel status rei per testes, & scripturas, vel per mappas geographicas, aliasque species probationis, sufficienter probatus haberi potest, nimium vero conferret; ut Judex oculis propriis cerneret, sive saltem unus eorum, quando agatur de causis vertentibus in Tribunalibus Collegialibus, ut aliis referre possit, ut in aliquibus gravibus causis vertentibus in Tribunali Rotæ, vel in altero Cameræ, ac etiam in illo Auditoris Cameræ pluries practicavi, *b* Consueverunt aliqui Judices, sumpta occasione alterius negotii, vel devotionis, aut recreationis, in forma extrajudiciali, ad propriam instructionem, secum adhibitis, vel non, personis peritis in arte, juxta subjectæ materiæ qualitatem, habendo in manibus probationes hinc inde jam factas, ex quibus de utriusque Partis prætensionibus, ac motivis sufficienter instrui possent, locum differentiæ inspicere; Stylus quidem, nimium nobilis, & commendabilis, ob ingentes sumptus, quos hujusmodi accessus secus trahunt, quando formiter, & publice in forma judicii fiant, dum ultra dietas Judicis, & Notarii, aliorumque ministrorum, ac etiam testium, vel peritorum, conducere quoque oportet Advocatos, & Procuratores; Idque pro frequentiori contingentia, citra necessitatem, pro turpi lucro, convertendo judicium in telonium, demandari solet, sive affectari, ut una Partium petat; Ideoque nimium circumspecte per probos, & Dei timoratos Judices in hoc procedi debet, ac solet, id non decernendo, nisi quando præcisa necessitas exigat, quia nempe testium, & scripturarum probationes, vel tabulæ, seu mappæ geographicæ sufficientem informationem non præbeant, ob eorundem testium, vel peritorum, ipsarumque mapparum contrarietatem, vel diversitatem.

Et licet hujusmodi inconvenientia cessare videantur, quando id utraque Parte petente, ac instantia sequatur, ex regula quod volenti non fit injuria; Adhuc tamen circumspecte procedendum est, atque nonnisi in vero casu subsidii ut supra decernendum; Vel quia Partium instantia, quæ apparenter spontanea, seu voluntaria sit, revera tamen potius coacta dicenda venit, ex illa vi, quam nostri dicunt interpretativam, dum Judice ostendente id desiderare; Partes ad ejus benevolentiam captandam id petunt; Vel quia Partibus id suggerant ad proprium turpe lucrum proprii causidici & defensores, quibus excoriatorum potius nomen, vel attributum congruit.

4 Et quod magis est, (ut veræ mercaturæ, seu negotiationis regulæ adhibeantur:) cum legum, seu Doctorum traditionibus, subtiliter procedi solet, circa taxam dietæ legalis statutæ in itinere viginti milliarium, ita scilicet exigendo tot viatica, seu dietas, quot ad dictam rationem loci, distantia importet, quamvis longe breviori tempore de facto accessus & recessus sequatur; Ac etiam affectando moras in loco super contemptibilibus incidentibus, quorum facilis notitia, etiam per absentem haberi potest, ita notabile tempus terendo.

5 Et quod magis est, cum eisdem legalibus subtilitatibus, affectari solet plurium negotiorum complicatio, ut ita multiplicata obtineantur integra stipendia, ex leguleicis traditionibus quod officiali plura officia, vel munia exercenti, vel implenti, quamplura stipendia, vel emolumenta congruunt. *d*

6 Atque in hoc præsertim, nimium commendabilis est frequens, & quotidianus stylus Congregationis Baronum, per quam, in executionem Constitutionis Clementis Octavi contra Barones, de qua in feudali materia particulariter actum est, *e* venduntur feuda aliaque castra & bona jurisdictionalia, & non jurisdictionalia Baronum, ad instantiam creditorum, non solum ob celeritatem, dum spatio fere unius, vel aliquorum mensium tantum totum negotium perficitur, ac pretium liberatur magis promptis, & explicitis creditoribus tunc venientibus, cum idoneis cautionibus de restituendo anterioribus & potioribus, vel in defectum cautionis ejusque loco, cum pretii investimento in loca montium; Tum etiam quia licet venditio ad publicam hastam fiat, prævia æstimatione; attamen ista simplici peritis committitur, absque eo quod Judices se ingerant, cum revera nulla id exiget necessitas

cessitas vel partium opportunitas, dum rei veritas recte comprobari potest cum libris & notulis administratorum, ita combinando fructus, seu redditus plurium annorum juxta regulas Beneficialistarum in metiendo beneficiorum valore; Ideoque non videtur ad quid deserviant ipsorum Judicium & Advocatorum, aliorumque ministrorum, quasi in forma Tribunalis, accessus ac moræ, pro bonorum æstimatione facienda, nisi ad dictum effectum telonii & mercaturæ, seu turpis lucri.

7 Quamvis autem in jure vera sit initio insinuata propositio, quod omnium major, minusque fallax est ista species probationis per evidentiam rei. Ea tamen procedit in iis, quæ solo sensu corporeo a quocunque percipiantur; Secus autem in iis, in quibus operatio intellectus intret, quodque rei veritas diversa esse possit ab ea, quod ipsa facies, vel apparentia ostendit; Tunc etenim confert quidem nimium rei aspectus pro majori instructione animi, atque ad melius dignoscendum, quænam probationes hinc inde colluctantes, magis attendi debeant, meliusque concludant, sed ipsa rei evidentia fallaciam continere potest, Ut frequens praxis me docuit; & præsertim (ex. gr.) occasione quarundam controversiarum, quæ in materia viæ publicæ in Regalium sede peractæ sunt, quod scilicet cum disputaretur, an via esset publica, vel privata, ipse rei aspectus, magnam, atque incontrovertibilem probabat publicitatem per quandam speciem viarum consularium, seu militarium, quas basilicas, vel stratas magistras dicimus; Et tamen compertum est, quod illum effectum faciebat frequens & continuatus usus curruum, & jumentorum, aliorumque instrumentorum pro conductione lignorum, aliorumque bonorum ad flumen, unde propterea ad alias species probationum hinc inde, cum magno conflictu convolare oportuit f cum similibus casibus. Et præsertim quando, occasione retractuum, vel devolutionis bonorum, quæ cum aliis liberis commixta, seu confusa fuerint, inspicere congruat; an ædificium quod de facto unitum sit, unam, vel plures domos contineat.

8 Et quoniam in controversiis, confinium, vel situationum ipsa rei evidentia nimium ac principaliter attendenda venit. Hinc sequitur, quod ubi accessus ad faciem loci non sit de facili practicabilis, procedi soleat cum mappis geographicis, quæ specialiter ipsius causæ occasione factæ sint. Sive cum illis mappis, quæ publicæ sint, utpote confectæ generaliter per geometras in libris ad id pro publica utilitate impressis, quibus deferendum esse juris regula videtur; Istam vero speciem probationis frequenter fallacem detegi praxis docet; Ac propterea cum distinctione procedendum est; Aut enim agitur de mappa, seu planta particulari, facta in eo casu præciso, de quo est quæstio. Et tunc si est facta privato jure per aliquem peritum, ad instantiam unius Partium, quæ illam in actis exhibeat, & tali casu, in nulla ratione habenda venit, altera Parte opponente, cum in effectu sit privata attestatio illius periti, qui eam confecit. Aut vero est publica, & judicialis, facta scilicet a perito, qui concorditer, & de consensu Partium, vel ex officio deputatus fuerit per Judicem, sive ab illo tertio perito, qui discordantibus plantis confectis per peritos hinc inde nominatos, pariter a Judice sit deputatus, adeout facta sit Partibus citatis, & auditis. Et tunc ei deferetur h, nisi doceatur de erroribus, juxta illas generalitates, quæ in quibuscunque peritorum relationibus habentur infra super hac specie probationis per peritos: Unde dici potest probatio fallax ac subjecta illis exceptionibus, quibus aliæ species, de quibus infra, subjacent. Potissime vero ubi agatur de planta, seu delineatione alicujus magni territorii ad effectum confinium, sive de illa prædiorum rusticorum, ita ut practicari non valeat ille modulus elevatus, qui ad oculum statum, vel situationem rei magis ostendit, ut practicari potest in domibus aliisque prædiis urbanis, cum isto casu facillimum plantæ concordent. i

Ubi vero agatur de dicta altera specie mapparum geographicarum, quæ non pro casibus particularibus, sed generaliter ad publicam commoditatem, vel utilitatem a geometriæ professoribus confectæ sunt, atque in voluminibus, vel in chartis impressæ, juxta adeo frequentem usum, quem hodie habemus; Et tunc, licet regula videatur, ut eis deferendum sit; l Adhuc tamen huic regulæ non ita simpliciter deferendum venit, sed circumspecte, ac mature procedendum est, cum in dies fallacia in eis detegatur, ubi præsertim controversia sit de aliquo loco, qui sit in extremitatibus, seu confinibus plurium Regnorum, seu principatuum, aut provinciarum, vel Mundi partium, adeout super hac situatione sit principalis quæstio, sive ab ea principaliter pendeat, id quod est in lite, cum dicta conclusio recipienda veniat, quando situatio deducatur incidenter, aliaque sit cum circumdatione undique, adeout non cadat quæstio, quæ cadit in locis existentibus in extremitatibus, juxta distinctionem, quam (ex. gr.) habemus in quæstionibus, quæ in Curia frequentes habentur inter Diœcesanos, & illos Prælatos inferiores, qui jurisdictionem quasi Episcopalem exerceant in aliquo loco, de quo sit quæstio, an existat intra fines illius diœcesis, cujus Episcopus prætendat exercere legem diœcesanam, ac jurisdictionem, saltem a S. Concilio Tridentino delegatam.

Si enim, ex eisdem mappis incontinenti constet, quod ille locus sit undique circumdatus ab ea diœcesi, adeout cum aliis diœcesibus non confinet; Et tunc fundata dicitur intentio Episcopi, donec Prælatus inferior per Apostolicum privilegium, vel per immemorabilem probet territorium separatum cum qualitate nullius; Ubi vero locus sit in confinibus, vel extremitatibus plurium diœcesum, adeout vigeat incertitudo, seu possibilitas existentiæ tam intra fines unius, quam alterius diœcesis; Et tunc punctus est sub quæstione, quæ diversam praxim habere consuevit; Quandoque enim processum est cum ea opinione, quod alio Episcopo se non opponente, ac non existente in causa, fundata sit intentio illius, qui est in causa ex ea ratione, quod ob generalem totius Orbis divisionem in diœceses sub Episcopis, quilibet locus præsupponi debeat situs intra aliquam diœcesim; Aliquando vero processum fuit cum diversa opinione, quod scilicet Episcopo actori incumbat onus probandi id quod est suæ intentionis fundamentum, istaque probatio adesse non dicitur ubi sit præsumpta tantum, atque contrariam habeat possibilitatem, ideoque intrat regula, quod Reo sufficit vincere per non jus, vel non probationem Actoris, unde demandatum fuerit quod deberet confici planta. m

Sed si Auctor hujusmodi mapparum afferat situationem loci in una, vel in altera diœcesi, sive in uno, vel in altero principatu, idque sit in quæstione, pariter ei non defertur, sed intrat conclusio de qua infra in peritorum materia, quod scilicet eis defertur in iis, quæ nudi facti sunt, atque ipsorum peritiam concernunt, non autem in aliis, in quibus Judicis partes potius assumant, atque sint extra eorum artem, seu peritiam, cum in his pro quotidiana praxi de errore convinci soleant. n 9

Prout in quæstionibus, quæ habentur super vicinitate, 10 seu comprehensione in aliquo districtu, juxta quæstiones, quæ in Curia haberi solent circa comprehensionem sub districtu Urbis, quoniam si (ex. gr.) locus inspiciatur positus inter Urbem & alterum locum remotiorem, quem jam firmatum sit esse intra districtum, tunc dicitur comprehensio probata per rei evidentiam, quoniam si est intra districtum locus, qui in remotiori situ existat, multo magis est ille, qui est in situ citeriori ac proximiori, nisi allegetur error in ipsa situatione; Sed si desumi prætendatur probatio comprehensionis ex mensura, quæ resultat ab eadem mappa continente scalam geometricam, cum qua geometriæ professores prætendunt scire distantias, sive quod ipsi Geometræ in eorum tabulis (ut facere solent) adjiciant lineas denotantes, ut id quod intra lineam est, dicatur intra districtum, vel provinciam, secus autem quod extra; Et tunc eis non defertur quando de hoc principaliter agatur, quoniam id non pendet ab eorum arte, vel peritia, cum similibus pro facti qualitate.

Posita vero naturalis situationis veritate, adeout ita firmatum sit factum, confinium autem determinatio pendeat ab iis quæ consistunt in operatione intellectus, an scilicet controversa pars territorii ad unam, vel alteram Civitatem, vel provinciam respective pertineat; Et tunc id non pertinet ad peritos, & Geometras, sed ad Judicem, qui id judicare debet, ex probationibus hinc inde factis; Et quando istæ concludant curandum non est de illis argumentis, quæ desuper haberi solent; Quando vero non concluditur, tunc recurrendum venit ad juris præsumptiones & argumenta, quæ præsertim deduci solent ex illis confinibus, qui dicuntur publici, & naturales, ut (ex. gr.) sunt; Flumina; Montes, seu eorum cacumina; Viæ Regiæ, seu consulares, & similia; Quæ tamen sunt argumenta redolentia simplicem juris præsumptionem elidibilem non solum per expressam probationem, sed etiam per contrarias fortiores probationes pro qualitate facti, cujus potius, quam juris est ista quæstio, ideoque certam non habet regulam. 11

Atque in quadam facti contingentia, seu quæstione 12 confinium inter duo loca, dicebam, quod ubi probationibus

nibus

bus hinc inde invicem colluctantibus; vel se destruentibus, res omnino ambigua sit, præsumptio esse videtur pro pertinentia territorii intermedii æqualiter pro mensura populi utrobique viventis pro rata, seu cum debita proportione, non quod id perfecte concludant, sed ad effectum inducendi præsumptionem, quæ coadjuvet probationes illius, cui ipsa assistat, ac debilitet probationes alterius, cui resistat.

a Mantic. *dec.* 79. Burat. *dec.* 367. *&* 790. *dec.* 197. *par.* 8. *& dec.* 80. *par.* 9. *rec.* Otthob. *dec.* 62. Dunoz. *dec.* 655. *dec.* 105. *par.* 12. *rec. dec.* 7.

b *Pisana tenutæ coram Bourlemont, & in aliis impress. post Paccichell. de distantiis, dec.* 13. 18. 24. *&* 36.

c apud Rovit. *dec.* 66. *& super pragm. de Commissar. dec.* 159. *par.* 6. *rec.*

d Zacch. *de salar. q.* 11. Rot. *dec.* 150. *p.* 7. *& dec.* 10. *p.* 6. Rovit. *pragm.* 6. *de commissar. prasm.* 15. *de official.* De Marin. 312. *lib.* 1. *tit. de jurisd. disc.* 85. *in fine.*

e *tit. de feud. disc.* 73. *cum plurib. seqq.*

f *in casu, de quo sub tit. de Regal. disc.* 136.

g Otthob. *dec.* 62. *& tit. de emphyt. disc.* 56.

h Bich. *dec.* 169. *n.* 24. *cum aliis per* add. ad Burat. *dec.* 357. *ubi concordantes.* i *apud eosdem, de quibus lit. A.*

l *apud proxime allegatas.*

m *tit. de jurisd. disc.* 11. *& seqq. & in supplemento.*

n Otthob. *dec.* 205. *& infra disc.* 33. *agendo de relatione peritorum.*

De probatione per juramentum; Et de diversis juramenti speciebus.

S U M M A R I U M.

1 *DE magna vi, & operatione juramenti, & de immutatione morum super eo.*

2 *Quare antiquitus tanta virtus, & operatio ei tributa sit.*

3 *Quod hodie transierit in quandam consuetudinem, ideoque non adeo ei deferendum.*

4 *Quomodo hæc operatio debeat hodie regulari.*

5 *De pluribus juramenti speciebus.*

6 *De juramento litis decisivo, seu purgativo, & de ejus antiqua operatione.*

7 *Quid hodie dicendum sit, & an illud sit in usu in criminalibus?*

8 *Quid in civilibus in quibus dicitur juramentum partiti, aut jura, aut juro.*

9 *De juramento tertii quod rem non habeat, neque dolo desierit possidere.*

10 *De juramento suppletorio.*

11 *Quando istud juramentum facilius admittatur.*

12 *De juramento præstando per creditorem immissum in salviano super notula fructuum.*

13 *De juramento in litem quando, & quomodo illi fiat locus.*

14 *De juramento confirmativo contractuum aliorumque dispositionum.*

15 *De eodem, & quas operationes faciat.*

16 *De juramento calumniæ.*

17 *De eodem, & an ejus omissio causet judicii, & actorum nullitatem?*

18 *De juramento fidei, seu assecuratio.*

19 *De juramento præstando in susceptione munerum, & officiorum.*

20 *De juramento præstando per administratores, vel Appaltatores rerum fiscalium.*

21 *De aliis ad materiam juramenti.*

D I S C. XXV.

IN utroque jure civili, & canonico, magis in hoc posteriori,
1 magna est vis, ac operatio juramenti; Majoremque illam facit antiquorum Canonistarum, & Moralium sensus, vel pietas, adeout plura desuper habeantur, non parva volumina, quæ ab uno, ac altero scriptorum genere desuper composita sint, pluresque habeantur quæstiones inter utriusque fori Ecclesiastici, & secularis, vel respective interni, & externi professores.

Verum (ut alibi pluries advertitur,) *a* ob immutata tempora, immutatosque mores, de æquivoco forte Moderni redarguendi videntur, sub antiquorum fide, simpliciter ac indefinite easdem operationes admittendo; Quamvis etenim apud Deum, omni tempore damnatus sit, ac peccaminosus perjurii reatus, quando scienter, ac dolose sequatur; Attamen morum, ac temporum diversitas, magnam desuper induxit immutationem, unde propterea, ex regula juris cessantis causæ, sive cessantis rationis, quamplures effectus pro meo judicio cessare videntur, ideoque erroneum est, cum antiquorum traditionibus non reflectendo ad casuum circumstantias, generaliter, ac indefinite procedere,

Antiquiori etenim tempore, cujus moribus attentis, tam leges, & Canones, quam primi Interpretes locuti sunt, ad juramenti interpositionem, nonnisi raro, & 2
ex magna causa, prævia consilii maturitate, ac effectuum exinde resultantium certioratione, deveniebatur; Tum ob graves pœnas corporales, quibus de perjurio convictus subjacebat, & præsertim juxta aliquarum regionum mores illam amputationis manus dexteræ; *b* Tum etiam ob magnam infamiæ notam, quam non quidem juris tantum, ac idealiter, ut hodie incurri Moderni tradunt, sed de facto in hominum, ac populorum opinione; Unde propterea rarus erat hujusmodi reatus incursus, magnæque de consequenti rationabiliter erant juramenti, ita solemniter, ac mature præstiti operationes.

Hodie vero, ob nimium frequentem illius usum, id in abusum transiisse recte dici potest, dum in quolibet levi actu, pro Notariorum stylo, vel formulario, sive 3
pro clausulis apponi solitis, illud interponitur, adeout ipsi jurantes, neque sciant, neque cogitent quid agant, unde propterea, neque peccare credunt, nullaque de facto infamia, vel turpitudinis nota incurratur; Et per consequens recte intrare videtur præfatum argumentum a cessanti causa, seu ratione. Non quidem, ut omnino jurisjurandi religio contemni valeat, vel quod sæculari potestati concedendum sit, illi directe derogare, vel dispensare, cum ea quæ generice desuper in jure præsertim canonico statuta sunt, utpote ratione peccati, ac reatus apud Deum disposita, etiam hodie, omnique tempore vigeant; Sed ut ad hujusmodi temporum, ac morum differentiam reflectendum sit pro congrua applicatione.

Nimium etenim improbabile videtur pro reatu, etiam ad effectus civiles, culpabiles, ac punibiles illos reddere, qui nunquam peccare, vel delinquere cogitarunt; 4
Ac propterea, pro facti qualitate, hujusmodi operationum applicatio regulanda videtur, inspecta scilicet principaliter earum ratione (ut homines, tanquam animalia rationalia decet, non autem, quocunque rationis usu, vel discursu neglecto, brutali more, cum solis prædecessorum vestigiis procedere, illaque insequi, non reflectendo, quod ipsi attenta suorum temporum conditione, atque hujusmodi operatione, vel ratione vigente, bene hujusmodi semitas calcarent, quas hodie nonnisi ad limites earum causæ, vel rationis simpliciter calcare, erroneum est, ac irrationabile. *c*

Plures itaque juramenti species in jure habentur; Sive plures sunt causæ, vel occasiones, ob quas juramentum, quod idem ac unicum est, præstari solet, ideoque illud diversa recipit vocabula; Aliud enim est juramentum, quod decisivum dicitur; Aliud vero quod suppletivum; Aliud quod confirmativum, seu approbativum actus alias in- 5
validi, quod fidei etiam dici solet; Aliud quod in litem dicitur; Aliud quod calumniæ appellatur; Et aliud quod est solemnitatis, seu veritatis indicativum. *d*

Quatenus pertinet ad primam speciem, quæ est una de speciebus probationis, atque subjectam materiam percutit, juramentum decisivum, quod alias purgativum 6
nuncupari solet, pro diversa causarum, vel judiciorum qualitate, ut scilicet in civilibus prius, in criminalibus autem posterius vocabulum a Practicis adhibeatur, illud est, quo ab una Partium ad suæ actionis, vel respective exceptionis, aut defensionis, sufficientem probationem præstetur.

Inspecto siquidem jure canonico, seu ecclesiastico; Tanta erat antiquitus juramenti reverentia, & existimatio, ut de gravibus criminibus imputati, absque alio processu defensivo, cum sola hujusmodi juramenti purgativi, publica, & solemni præstatione, suæ innocentiæ sufficientem inducerent probationem, atque absolutionem, omnisque maculæ ablutionem reportarent; Ut etiam in magnis Prælatis, iisdemque Summis Pontificibus, ita a gravibus imputationibus apud Imperatores, aliosque Principes se exculpantibus, sacræ, vel ecclesiasticæ paginæ docent. *e*

Ex rationibus autem supra recensitis; Hodie ista defensionis, vel exculpationis species, in omnimodam desuetudinem abiisse videtur, quoniam Criminalistarum stylus 7
est, quoties ex defectu concludentis probationis, vel ex aliqua ejus enervatione, quæ resultet a probationibus Partis, ita res in ambiguo posita sit, ut criminis probatio

sufficiens non reperetur ad condemnationem, minusque ad tormenta, ad quæ non omnino certi criminis purgatio hodie redacta videtur, neque e converso sufficiens adsit probatio innocentiæ, cujus ratione, plenæ, ac liberæ sententiæ absolutoriæ locus fiat, eadem ex hactenus deductis, vel cum clausula *novis non supervenientibus indiciis*, pro diverso stylo, vel praxi concedi soleat.

In civilibus autem, illud juramentum litis decisorium, quod etiam pro diversis loquendi moribus, partitum ap-
8 pellatur, quod scilicet actore sufficienter non probante id, quod a reo sibi deberi supponat, illi offerat, ut juret se non debere, eoque jurare recusante, sibi juramentum suæ actionis, vel petitionis ad sufficientem probationem referatur; Et e converso id actori, vel creditori habenti jam certam probationem crediti, offerat debitor, qui solutionem alleget, ita faciendo partitum, dicendo, Aut jura, Aut juro ego, *f*

Adhuc tamen modernis temporibus, hujus juramenti forte nulla, vel nimium rara est praxis, præsertim in rebus gravis momenti, adeout pro meæ diuturnæ forensis vitæ cursu, in illis qualificatis Tribunalibus, in quibus pro Curiæ stylo, solum Advocati (qui re tales dici merantur) versati solent, nunquam viderim causam per hanc viam decidi; Nimium enim circumspecte in hoc procedendum est, ad duo reflectendo; Primo scilicet, an ex parte proponentis hoc partitum, deducantur adminicula, veritatem per eum assertam verisimiliter fundentia, vel ejus sufficientem, ac probabilem summam inducentia, cum sine his hæc propositio admitti non debeat; Et secundo reflectendo ad qualitatem personæ petentis, vel ejus a quo petitur; ne alias fraudibus aditus aperiatur, quia hempe ille versutus, quia viro timido pecunias, vel bona, aut liberationem debiti extorquere velit, illum provocet ad jurandum cum aliqua extrajudiciali comminatione querelæ criminalis de perjurio; Sive quod etiam sine expressa comminatione, qualitas provocantis id timere faciat, ideoque provocatus recuset, atque locus fiat ejus affectato juramento, ad industriam præstando, cum similibus, pro facti qualitate; Ideoque merito in usu non est, nisi forte in aliquibus causis inferioribus, quæ (ex. gr.) in Curia, coram Locumtenente civili Gubernatoris, vel coram simili Judice inferiori peragi solent. *g*

Atque hujus juramenti purgatorii species, in usu quandoque esse solet, ut præstetur ad quandam juris simplicem
9 præsumptionem tollendam; Ut puta est illud juramentum, quod præstetur a tertio, quod rem non habeat, neque dolo possidere desierit; *h* Sive ab hærede, quod non habeat aliquas scripturas defuncti, quarum existentia penes ipsum ex juris præsumptione deducatur *i* cum similibus.

Pariter pro mea praxi (quæ ut præmissum est, in Advocatis, ut plurimum in causis gravibus tantum esse solet;)
10 Rarus in Curia est usus alterius speciei juramenti suppletorii, quod scilicet detur in supplementum plenæ probationis actionis, vel exceptionis, quæ semiplene probata sit, vel quia ob multas limitationes, quas ista regula patitur, raro ad praxim sit deducibilis; Vel quia ob rationes supra insinuatas, mutationis morum, ac temporum, nimiæque facilitatis jurandi, Tribunalia merito hanc speciem probationis parvipendeant, quandoque vere admittant, facti qualitate ita exigente, ideoque id certam non habet regulam, sed prudenti Judicis arbitrio est remissum *l*; Potissime quia ob parum commendabilem usum adhibendi juramentum in quolibet contractu, etiam locationis domus, vel in aliis rebus manualibus, vix dari poterit vir, quantumvis probus, & qualificatus, qui de perjurii reatu convinci non valeat, eo quia pro consueta inadvertentia, vel ex alio accidenti, punctualiter, ac præcise, non servaverit omnia, quæ in contractibus, aliisque conventionibus promiserit, unde propterea intret limitatio, quæ præ cæteris a DD. datur contra perjurium, ut ad hujus juramenti præstationem admitti debeat. *m*

Facilius vero illud juramentum in sensu DD. intrat, quando probatio non percutiat substantiam, sed acciden-
11 tia; Puta quia accedente probatione, quod bona data sint, vel respective subtracta, incerta remaneat quantitas, vel qualitas, quæ minorem, ac imperfectam probationem exigit, quoties substantia perfecte probata sit, cum admittatur probatio accidentium etiam per juramentum; *n* Verum pariter non multum frequenter hoc practicari vidi.

Frequens autem juramenti praxis in Curia (adhuc ta-
12 men pro meo sensu parum commendabilis,) est illa quæ præstatur per creditores immissos in salviano, super notula per eos exhiberi solita, circa fructus ex pignore prætorio perceptos, ut infra in hujus judicii particulari sede advertitur.

Theorice, sive in abstracto, per ora vulgi Causidicorum magis volitat juramentum in litem, quod de jure in plerisque casibus, & præsertim contra tutores, & cura- 13
tores, aliosque legales administratores, sive alios quibus eadem congruat ratio, deferri solet ipsi Parti interessatæ; Verum pariter nimium raro ad praxim iste casus deducitur, ut scilicet hoc juramentum, Actoris petitionem, vel intentionem fundet, ob tot requisita, quæ desiderantur; Primo nempe ut concurrat impossibilitas, vel difficultas probationis, ex dolo, vel facto culposo alterius, quod in tutore non conficiente inventarium, neque librum, quandoque verificentur, sed in aliis est difficile; Secundo ut competat personæ verisimiliter informatæ de eo, super quo juramentum præstet, vel præstare offerat, ideoque denegatur hæredi; Tertio ut præstetur contra ipsum principalem culposum ac informatum, ideoque e converso non datur contra hæredem.

Et quarto (ultra alias limitationes collectas per eos, qui hujus materiæ formalem tractationem agere professi sunt,) ut non concedatur facultas jurandi ad libitum, sed præcedat Judicis taxa, quam excedere non valeat; Itaque taxa fieri non solet, nec debet, nisi prævia informatione, vel saltem efficacibus accedentibus argumentis, ex quibus summa taxata reddatur verisimilis, firmando scilicet statum patrimonii administrari, saltem per modum informationis, vel instructionis, ad effectum exinde desumendi quid, & quantum penes illum remanere valeat; Unde propterea operatio istius juramenti exigua de facto remanet, nisi aliæ justificationes accedant; Licet subjecta materia exigat aliquam majorem facilitatem contra eos, contra quos illi locum esse lex disponit; Illud autem non contra quemlibet aliena bona administrantem datur, sed solum contra illos legales administratores, quorum fidei lex aliquid ex necessitate commisit, quia nempe non posset principalis per se ipsum administrare. *p*

Alia species juramenti est illud, quod confirmativum, seu approbativum actus dicitur; Illudque est magis usu frequens, adeout in abusum devenerit ut supra, quod 14
nempe fere in omnibus contractibus, vel conventionibus præstetur, quasi de stylo, atque per speciem clausulæ apponi solitæ; Ac etiam in actibus judicialibus præstetur per principales in exhibitione positionum, vel respective in responsione ad eas, aut in notulis, quæ (ut supra) dantur per creditores admissos in salviano; Sive respectu tertii, in juramento, quod præstandum est per testes, vel per peritos, cum similibus.

Super hac autem juramenti specie, (quæ tamen hanc judiciorum, vel probationum materiam non percutit,) ubi scilicet agatur de extrajudiciali præstito in conventio- 15
nibus, pro earum majori firmitate, & observantia, frequentiores in foro audiuntur quæstiones, stante illa juramenti operatione, ut prohibitiones & defectus resultantes a jure positive communi, vel municipali suppleat, vel tollat, ex juris canonici præcepto, quod illud servari debeat, quoties non sit contra bonos mores naturales, adeo ut absque interitu æternæ salutis servari valeat, sive contra bonum publicum principaliter, An scilicet & quando aliqua ex his limitationibus verificari dicatur; Sive circa potestatem legis laicalis, quæ ejus fidem, vel operationem adimat; Aut circa ejus existentiam, quando virtualiter, & implicite adsit, ut (ex. gr.) est illud contentum sub formula obligationis cameralis; Verum hæc & similia, potius ad contractuum, quam judiciorum materiam pertinent; *q* Eatenus autem sub hac judiciali sede cadunt, quatenus contraventio juramenti producat reatum perjurii, qui repellat a limine judicii, ut supra de hac perjurii exceptione agitur; *r* Vel quod ipsum juramentum pro conventionis observantia, vel executione, aliquod præstet creditori privilegium, vel inducat rigorem contra debitorem, & ut infra advertitur, agendo de judiciis executivis, præsertim de illo ritus M. C. V. Neapolis. *s*

Magis ad hanc materiam judicialem pertinet alia juramenti species, quæ calumniæ dicitur, illudque præsertim in usu est in Regno Neapolitano, ubi ac etiam in 16
Curia, consuetum est Procuratorum formularium, in generalibus protestationibus, quæ litis initio fieri solent, apponere de hujus juramenti præstatione; Adhuc tamen, ex rationibus supra initio insinuatis, iste usus parum commendabilis videtur, atque pro meo sensu aboleri deberet,

cum

eum transierit in meram cæremoniam, seu formalitatem, neque forte datur casus, ut illius præstatio terreat, vel avertat a cœptæ litis prosecutione, quæ propterea ad aliud non servit nisi ad dandam occasionem pejerandi, ac illaqueandi animas. s

17 Super istius autem juramenti defectu, quæstiones cadere solent, an exinde judicii, seu actorum nullitas resultet; Atque ubi de illo expresse oppositum sit, aliqui credunt nullitatem resultare; Verum pro meo judicio, est idem indi-
18 scretus rigor leguleicus, qui calumniis potius aditum, seu fomentum præstat, dum (ut præmissum est) juramenti præstatio redacta est ad meram formalitatem, neque unquam praxis docet illam operationem, vel proficuum effectum,
19 ad quem est introductum; Unde merito in plerisque tribunalibus & locis, quamvis pro consueto formulario de illo objiciatur, recessit ab aula; Atque præsertim in Rota, quando constat de bono jure, illud negligi solet. u

Sub ultima demum superius distincta specie juramenti, quod fidei, seu assecurationis dicitur, cadere videntur omnes illæ species, præter expressas, quas in jure, vel in usu habemus; Ut puta, est juramentum fidelitatis, quod vassalli dominis præstant, vel subditi superiori, Aut illud pacis, vel fœderis, tam inter Principes, quam inter privatos; Sive illud, quod sub nomine juratoriæ cautionis in jure exprimitur, quod pro casuum, ac personarum qualitate, vicem fidejussoriæ quandoque habere solet; Aut illud quod per officiales, ac alios alicui muneri præpositos præstandum est in muneris susceptione super illius recta administratione, ut in omnibus ditionibus praxis docet in iis, qui Magistratus etiam majores gerant; Atque in Curia praxis docet in ipsomet Papa & Cardinalibus; Et habetur præsertim in examinatoribus Synodalibus, cum similibus, de quibus in suis sedibus sparsim.

Ac etiam a fisci Administratoribus, vel Appaltatoribus exigi solet juramentum in redditione rationum, vel
20 in exhibitione computorum, ad effectum eos coercendi cum gravibus pœnis, quando computa minus fideliter dentur; ut in sua materia advertitur. x

Alia vero, quæ hanc juramenti materiam concernunt, an scilicet suppleat duos defectus; Sive quam operatio-
21 nem habeat illud implicitum, quod inest obligationi camerali; Aut an contineri dicatur in illis verbis, quod promissio habeat vim juramenti, seu actus jurati; Seu an & quomodo transeat ad hæredes, & similia; Contractuum, & obligationum, vel crediti, seu alienationum materiam potius concernunt, quam istam judicialem, ideoque in suis contractuum, & alienationum, vel crediti sedibus cadunt.

a *tit. de alienat. & contract. disc. 260. & tit. de cred. disc. 116. & alibi.* b *eodem disc. 126.*
c *infra disc. 35. & in relatione Curiæ, ubi occasione agendi de Rota, agitur de modo judicandi, disc. 32.*
d *de his speciebus DD. qui de hac materia formiter tractant, & præsertim* Seraphin. Mancin. Guttier. & Del Bene.
e *tit. Decretal. de purgatione Canonic.*
f Menoch. *de arbitrar. casu* 189. Cyriac. *contr.* 37. Salust. *in prax. lib. 2. cap.* 39. Ridolph. *par. 1. cap. 10. & n.* 117. Cavalc. *dec.* 82. & 103.
g *infra in relatione Curiæ, agendo de Tribunali Gubernatoris Urbis, disc.* 36.
h *titul. de Regal. discurs. 129. & tit. de credito, discursu* 22.
i Gregor. & add. *decis.* 199. Otthob. *decis.* 43. *decis.* 70. *part.* 10. *rec.*
l Cavaler. *d. dec.* 82. & 103. *Et e contra* Mantic. *dec.* 6. & 25. & 58. m *d. dec. 70. par. 10. rec.*
n *supra, disc. 22. tit. de cred. disc. 80. 128. & 148.*
o *infra, in disc. in quo agitur de judicio possessorio adipiscendæ, ubi de salviano.*
p *de hoc juramento in litem, ejusque requisitis, & quibus deferatur, vel contra quos præstatur, lib. 7. tit. de tutor. & administrator. disc. 8. & 9.*
q *tit. de dote, disc. 143. & tit. de alien. & contract. prohib. sæpius, & alibi.* r *supra, disc.* 20.
s *infra, in eo disc. in quo agitur de executione obligationis cameralis, vel similis obligationis.*
t *de hoc juramento calumniæ super præmissis* Gregor. & add. *dec. 157. & 209. dec.* 254. post Zacch. *de obl. cam.* Cels. *dec.* 92.
u *idem proxime supra, præsertim* Cels. *dec.* 92.
x *tit. de Regal. disc.* 119.

De instrumentis, & aliis publicis documentis, eorumque fide circa substantiam, idest falsitatis, vel respective sinceritatis, & veritatis qualitatem.

S U M M A R I U M.

1 *Instrumentum publicum facit probationem probatam.*
2 *Quot modis instrumentum esse soleat falsum, vel alteratum.*
3 *Quid possit Notarius addere instrumento, vel protocollo, quod non sit in matrice.*
4 *An requiratur certioratio partium super vi, & operatione clausularum cum distinctione inter substantialia, & accidentalia.*
5 *Quando etiam in accidentalibus debeat fieri certioratio, vel fieri non possit additio.*
6 *Ad quid attendatur, an dicta additio sit dolosa, necne?*
7 *De causa falsitatis sine culpa Notarii, nec testium.*
8 *De suppositione personæ contrahentis.*
9 *De alia suppositione personæ testatoris.*
10 *De falsitate commissa a tertio per imitationem manus Notarii.*
11 *De alia falsitate circa assertionem contrahentis, qui asserat se patremfamilias, vel majorem, cum non sit talis.*
12 *De suppositione scripturarum in archiviis, vel publicis locis.*
13 *In dubio præsumptio assistit veritati, & resistit falsitati.*
14 *An, & quando sola suspicio falsitatis habeatur pro falsitate?*
15 *De eodem, & declaratur.*
16 *Quando sit vitium intrinsecum, vel extrinsecum.*
17 *De apostillis, vel super additionibus, & an requiratur subscriptio Notarii?*
18 *Quomodo probetur falsitas.*
19 *Quomodo deferendum sit doctrinis in hac materia.*
20 *Verisimile, vel inverisimile in hoc nimium attenditur.*
21 *Quando non reperitur matrix, vel protocollum.*
22 *De diversitate instrumenti a protocollo, vel matrice, quia instrumentum contineat ea, quæ non sunt in matrice.*
23 *An debeat constare, quod clausulæ adjectæ sint de voluntate partium?*
24 *De casu in quo non liceat Notario addere neque accidentalia.*
25 *De eodem, & quomodo verborum, vel clausularum amplitudini deferri debeat, dantur exempla.*
26 *De eodem circa clausulas apponi solitas in testamentis.*
27 *De discrepantia inter instrumentum, & matricem circa substantialia.*
28 *Quid si super eodem actu Notarius det duo publica instrumenta inter se diversa.*
29 *Quid isto casu sit faciendum, & quomodo deferri debeat matrici.*
30 *Nimiæ cautelæ sunt suspectæ.*
31 *De opinione quod neutri deferatur, quomodo intelligi debeat.*
32 *De qualitatibus quas debet habere judex, & quomodo in hoc se gerere debeat.*
33 *De differentia inter forenses, & scholasticos.*
34 *Quod potius instrumento publico, quam copiæ deferri debeat, sed declaratur.*
35 *De opinione quod inter instrumenta debeat deferri magis extenso, vel magis pingui.*
36 *De eodem, & quando id procedat.*
37 *Quomodo in hoc sit procedendum in judicando.*
38 *Quid si matrix reperiatur cancellata, vel cum aliqua adnotatione præjudiciali per Notarium viventem.*
39 *Quid Notario defuncto.*
40 *De discrepantia inter Notarium, & testes instrumentarios, vel testamentarios.*
41 *De aliis generalitatibus in hac materia.*
42 *Ad quos recurrendum sit.*
43 *De discrepantia inter instrumentum, vel capitula, seu aliam scripturam partium, cui potius deferendum sit, &c.*
44 *Condemnatio, vel inquisitio Notarii de falso tempore an præjudicet instrumento?*
45 *An ejusdem Notarii confessio præjudicet?*
46 *De suspicione ob locum, in quo reperta sit matrix.*
47 *Quid si testis neget interfuisse instrumento.*
48 *De discrepantia inter annum, & indictionem.*
49 *In concursu conjecturarum, & argumentorum remanet firmum instrumentum, &c.*

DISC. XXVI.

1 ISta species probationis per instrumentum publicum, ma-
gna in jure reputatur, unde propterea, per ora foren-
sium, quotidiana volitat propositio ab antiquioribus tra-
dita, quod instrumentum facit probationem probatam, &
rem claram, ac manifestam.

Adhuc tamen, posita ejus publicitate, sive, (ut no-
stri dicunt) forma probanti cum omnibus requisitis,
quæ de jure, vel de stylo desiderantur, fallaciæ possibili-
tas inest, ut instrumentum minus vera contineat; Idque
2 pluribus modis sequi solet, ac potest; Primo nempe ex
culpa, & machinatione Notarii, & testium, ut contin-
git in instrumentis vere falsis, quoad substantiam contra-
ctus, quia nempe conficiatur a Notario cum testibus in-
strumentum verum super actu non vero; Secundo cum
culpa Notarii, non autem testium, super falsitate non
omnimoda, sed in parte, quia nempe inito actu vero co-
ram Notario, & testibus, Notarius, sive in matrice, sive
in protocollo, vel in publica veritatem alteret, ac di-
versimode actum extendat, circa substantialia, ad quæ
ejus potestas non extenditur.

Quamvis enim stylus Notariorum sit, adnotandi in
schedula breviter substantiam conventionis, vel actus,
unde propterea imbreviatura vulgo dicitur, cum faculta-
te, latius in forma debita, & consueta, extendendi in-
3 strumentum in protocollo, sive illud quod in publica for-
ma extenditur, ut partibus detur; Attamen id intelligitur
quoad clausulas, & cautelas accessorias, & consecuti-
vas, quæ de stylo apponi solent pro firmiori validitate, ac
majori observantia actus, eo quia Notarius tanquam in
arte peritus censetur rogatus a Partibus facere actum
debitis ac solitis cautelis & clausulis munitum, ut sit va-
lidus ac firmus, suamque observantiam, vel executionem
habeat eo modo meliori quo potest. *b*

Atque exinde manat, magis receptum esse, ut necessa-
ria non sit Partium notitia, vel certioratio, super efficacia,
4 vel operatione clausularum, quoties illæ de jure, vel de sty-
lo sint solitæ & consuetudinales. *c* Secus autem circa substan-
tialia, quæ ipsius actus alterationem contineant in pactis,
vel in aliis, quæ non ab ipsius Notarii formulario, sed
a Partium voluntate pendent, quoniam tunc falsitatem
positivam id redolet. *d*

Verum etiam in accidentalibus, Quamvis de stylo appo-
ni solitis, falsitas, sive dolosa, sive non dolosa, verificabi-
5 lis, quia nempe Partes, vel una earum, noluerint adjici
aliquam clausulam, vel cautelam, quamvis apponi solitam;
Ut exemplificari potest, quod in casu, quem non semel pra-
xis me docuit in aliquibus partibus, abhorretur obligatio in
forma Cameræ Apostolicæ, vel quia sæculares Magistratus
ejus praxim in ipsorum subditis prohibeant; Vel quia ob
opinionem, quod secum ferat excommunicationem, no-
lint partes illi se supponere; Et tamen Notarius illam adji-
ciat quandoque etiam sine dolo, sed inadvertenter ex con-
suetudine, vel stylo, oblitus diversæ voluntatis Partium;
Quod etiam quandoque in juramento cadit, quod scilicet
nonnullæ personæ conscientiæ timoratæ, ne se exponant
peccato, quod perjurio inest, quoties statuto tempore præ-
cisa observantia non sequatur, jurare renuunt; Et tamen
Notarius, ex eadem ratione suæ consuetudinis, in extensio-
ne Instrumenti, juramentum adjiciat; Quoniam, licet si-
ne dolo, & machinatione id sequatur, adhuc tamen est fal-
sitas, ad effectus civiles inter Partes, ad quas nil refert, an
falsitas dolosa, vel non dolosa sit, cum ista circumstantia,
seu distinctio percutiat effectus criminales, vel pœnales.

6 Tertius fallaciæ modus sequi potest absque Notarii, &
testium culpa, super actu quoad eos, materialiter, ac for-
maliter vero, quamvis quoad substantiam, ille verus non
sit; Ut (ex. gr.) verificari potest in casu relato per ali-
quos DD. in materia testamentaria, quod scilicet testatore
in statu salutis ordinante testamentum, illudque reponente
in scrinio, ad effectum illud consignandi clausum, & si-
gillatum Notario, & testibus, juxta formam illius testa-
menti, quod dicitur nuncupativum nuncupatione implici-
ta; Ejusdem testatoris famula, subtracta a scrinio sche-
dula vera, aliam, quæ omnino similis in parte extrinseca
erat, supposuit, quam testator in loco a se repositam in-
ventam Notario coram testibus consignavit, unde pro-
pterea actus undique verus ac sincerus fuit, tam ex par-
te testatoris, quam ex illa Notarii, & testium, & ta-
men revera erat falsus, ex falsitate non culposa. *e*

7 Idemque sequi solet ratione suppositionis personæ, quia
nempe, Notario, & testibus, etiam sine dolo, sed juste opi-
nantibus, quod illa esset persona vera; attamen erat
supposita; Hinc proinde ad istum effectum, in plerisque
locis, ex jure municipali statutum est, atque ubique ex 8
dispositione, vel intentione juris communis, exacte, ac
diligenter practicari deberet, ut Notarius, & testes, vel
saltem eorum aliqui, bene cognoscant Partes, ne huic
suppositioni subjaceant; *f* Nihilominus, quandoque adeo
bene, ac studiose, machinatio confici, seu præordinari
solet, quod Notarius, ac testes juste decipiuntur; Ut con-
tingit in testamentis, quæ per graviter infirmos cum ma- 9
gna celeritate ordinari solent, quod scilicet, quandoque
secuta jam morte infirmi, per domesticos eaque occul-
tata, in eodem lecto, & cubili, supponatur alter falsi-
tatis machinator, talis aspectus, ut in parte similitudi-
nem redoleat, aliam partem more graviter infirmorum
coopertam retinendo, atque vocem flexilem & debilem
graviter infirmi fingendo, dicat id quod alii falsitatis
machinatores in animo habeant; Unde propterea in-
strumentum desuper confectum, sit verum, & authen-
ticum, atque ex parte Notarii, ac testium sincerum, &
tamen contineat falsitatem, cum similibus.

Quartus est falsitatis modus, tam circa substantiam
actus, quam circa ipsammet materiam, seu scripturam,
sine dolo, vel culpa Notarii, & testium, ut contingit in 10
illis instrumentis, quæ imitando Notarii characterem,
ac sigillum, vel signum, per alium falso consignantur.

Et quinto demum, illa falsitas verificari solet, quæ
committatur per unum contrahentium, circa suæ perso-
næ qualitatem, quia nempe cum sit filiusfamilias, se
præsupponat sui juris; Vel cum sit minor, se supponat 11
majorem; *g* Aut se supponat socium, vel mandatarium,
cum non sit, cum similibus; Verum iste casus vere &
proprie non percutit materiam falsitatis instrumenti, vel
scripturæ, sed potius actus in efficaciam.

Datur quoque in aliis documentis, quæ publica dici pos-
sunt, atque regulariter fide digna sunt, species falsitatis, quæ
ex suppositione resultat, quia nempe, (ut frequens praxis 12
docet in stultis ac vanis antiquæ nobilitatis minus veræ in-
dagatoribus) supponantur in antiquis, probatisque archi-
viis, bene imitata, & conficta privilegia, vel alia docu-
menta; Sive etiam bene imitato charactere, ac signo anti-
qui Notarii jam defuncti, scripturam alicujus instrumenti
vitiose antiquatam in ejus protocollo, vel inter ejus ma-
trices imbreviaturas reponant, cum similibus machinatio-
nibus, quæ per humanam malitiam excogitari solent, abs-
que eo quod lex id impedire, seu occurrere valeat.

In his autem, aliqua juris regula desuper statui non po-
test, cum totum sit facti & probationis; Juris autem regula
generalis percutit solum præsumptionem veritatis, ac sin-
ceritatis actus, cum exclusione falsitatis, quæ in dubio præ- 13
sumenda non est, sed probanda; *h* Quando vero probatio
sufficiens adsit, necne, pariter certa regula statui non po-
test, cum totum dependeat a probationibus veris, vel admi-
niculativis, quæ in facto consistunt.

Quando autem probatio sufficiens non habeatur, sed
solum suspicio accedat, tunc disputari solet, an sola suspi-
cio falsitatis pro falsitate habenda sit; Atque generalis di-
stinctio traditur, inter judicia criminalia, & civilia, ut 14
in prima specie, suspiciones non sufficiant, sed concludentes
probationes requirantur proportionabiliter, & respective,
juxta diversos effectus per Criminalistas consideratos, in-
quisitionis scilicet, ac tormentorum, vel condemnatio-
nis; In altera vero specie, sufficiant suspiciones, illæque pro
veritate habeantur. Atque ita plerique indefinite cum ista
generalitate procedunt, quando de causis civilibus agatur,
ut scilicet suspicio falsitatis habeatur pro falsitate. *i*

Verum id manifestum continet æquivocum, quoniam
ista propositio recte procedit in illa suspicione, quæ oria-
tur ex vitio visibili, puta abrasionis, vel cancellationis, 15
aut alterationis verborum, vel characterum, cum simili-
bus; Secus autem ubi vitium non sit visibile circa ipsam
scripturam materialem, quæ perfecta & nitida sit, sed vi-
tium falsitatis tanquam latens, ac indivisibile, circa ipsum
actum formalem potius, quam materialem extrinsecus de-
ducatur; Tunc etenim res est in oppositum, quod scilicet
præsumptio sit pro veritate, in exclusionem falsitatis,
cujus exceptio proinde, quoties non omnino clara sit,
sed dubia, & altioris indaginis, non impedit instrumen-
ti executionem, vel operationem. *l*

Dicitur autem vitium intrinsecum, in cujus causis suspi-
cio pro veritate habeatur, quando abrasio, vel alteratio,
seu superadditio (quam apostillam vulgo dicimus,) ex- 16
pressam non habeat Notarii approbationem. Ea enim con-
cur-

currente, nullum dicitur adesse vitium, quoniam appostillæ, vel accommodationes, factæ & approbatæ ab eodem Notario, habentur ac si essent in corpore scripturæ, istaque integra & nitida esset, cum totum pendeat ab ejusdem Notarii fide.

Et quamvis plerique teneant, quod in singulis appostillis, vel accommodationibus, ad excludendam hanc suspicionem, sive ad earum fidem, necessaria non sit approbativa subscriptio Notarii, a quo appositæ præsumantur, donec falsitas, vel illicita superappositio probetur; Attamen id pariter æquivocum continet, confundendo in-
17 strumentum publicum cum matrice, seu originali imbreviatura, ac etiam juxta locorum, ac Notariorum stylum, cum protocollo, quod matricis quoque speciem habet; In his etenim scripturis, quibus matricis terminus congruit, dictum assumptum procedit, quoniam etiam ipsum corpus subscriptionem non exigit, neque habere solet, quamvis pro locorum, vel Notariorum stylo, potius commendando, quam damnando, adhiberi soleat, ideoque accessorium sortitur naturam principalis, secus autem ubi agitur de illa scriptura, quæ in publica forma Partibus traditur, ut in Judicio, vel extra, tanquam instrumentum publicam fidem faciat. n

Quando vero, falsitatis, vel alterationis sufficiens probatio adesse dicatur; Certa non habetur in jure statuta regu-
18 la generalis cuicunque casui applicabilis, cum tanquam punctus facti potius, quam juris, pendeat a singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus, pro regionum moribus, ac etiam pro magis, vel minus probata fide Notarii, atque personarum interesse habentium bona, vel mala fama, seu qualitate, aliisque considerationibus pendet, ut in uno casu minores probationes, vel suspiciones, & adminicula sufficiant; In altero autem, eadem, ac majora insufficientia sint, quia sic unius, vel alterius casus qualitas exigat; Ideoque erroneum est cum generalitatibus procedere, sive decisiones, aliasque doctrinas, unum casum percutientes, cuicunque alteri applicare, ut modernorum Pragmaticorum consueta ineptia facere solet.

Expedit siquidem, atque commendabile est, scire, ac inspicere decisiones, quæ in similibus casibus prodierint, ad
19 effectum ita recipiendi lumen, seu normam, pro arbitrii regulatione, congruave applicatione; Verum stultitiæ species est, cum earum sola litera procedere; Major vero stultitia est, quando id sequatur in Consiliis, quæ ad unius Partium opportunitatem, conductitio more prodierint, ut alibi non semel, sed semper opportune advertitur.

Potissime vero est reflectendum ad verisimilitudinem, vel inverisimilitudinem resultantem a rei brevitate, atque ab interesse, vel utilitate exinde obveniente auctori, seu machinatori præsuppositæ falsitatis, quæ absque
20 notabili utilitate, ac interesse præsumenda non est, cum id improbabile sit. o

Prætendi frequenter solet, ut instrumenti falsitas, vel alteratio, quæ ejus fidem incontinenti adimat, convincatur ex ejusdem Notarii actibus affirmativis, vel nega-
21 tivis; Affirmativis scilicet, eo quod instrumentum diversum esset a matrice, vel a protocollo, atque majora, vel respective minora contineret; Et negativis, quia in ejusdem Notarii protocollo, vel schedula non reperiatur matrix, vel originale.

Adhuc tamen ista non concludunt, sed bene suspicionem inducunt, nimiumque in consideratione habenda sunt, quando aliæ probationes, vel præsumptiones, seu adminicula concurrant, cum illæ ex hujusmodi circumstantiis magnum recipiant fomentum, sed solum & de per se non sufficiant, præsertim circa factum negativum, quod matrix, vel originale inter alias Notarii scripturas non reperiatur; Non per hoc enim quod reperiatur matrix, id præjudicat publico instrumento, quoties istud in reliquis suam habeat formam probantem, cum quandoque originales matrices, seu originales imbreviaturæ amitti, seu parvipendi soleans, præsertim defuncto Notario, qui diligenter proprias scripturas custodire solet, illæque remanent penes hæredes, vel alios custodes, seu administratores, qui tantum diligentiam adhibere non solent, unde propterea de facili debitor, vel alter interessatus, matricem occupando, seu lacerando, eludere posset jus creditoris, vel alterius Partis, quæ ita quiescat cum instrumento publico, quod in authentica & probanti forma penes se retinet, & custodit. p

22 Quo vero ad alios actus affirmativos, quod scilicet instrumentum diversum sit a protocollo, seu matrice; Distinctio est inter substantialia, & accidentalia; Ubi enim agitur de accidentalibus, sub quorum nomine veniunt, clausulæ, & cautelæ, quæ de stylo ipsius Notarii, vel de consilio sapientis, accessorie, & famulative adjici solent pro majori firmitate, ac observantia actus, ita occurrendo rigorosis subtilitatibus juris, ob quas actus uno modo difficultates pati posset, ut valeat, suamque executionem habeat, eo modo quo valere potest. Et tunc discrepantia non obstat ex superius insinuata propositione, quod Notarius in extensione protocolli, vel instrumenti, addere potest hujusmodi clausulas, vel cautelas, pro quibus tanquam peritus in arte a Partibus rogatus præsumitur; Quoties ista præsumptio per contrariam probationem non tollatur ut supra, & quæ adjectio omitti solet in matrice seu originali imbreviatura, in qua solum per Notarium adnotantur substantialia, circa quorum alterationem Notarius nullam habet potestatem. q

Et quamvis, non modica quæstio sit inter scribentes 23
circa hujusmodi clausularum efficaciam, ac operationem, & præsertim in testamentis, quando non constat quod adjectæ sint de voluntate Partium, quæ de earundem clausularum, & cautelarum virtute, ac operatione, certioratæ fuerint, ubi præsertim agitur de rusticis, ac de mulieribus aliisque personis idiotis, adeout revera dicendæ sint clausulæ & cautelæ adjectæ de stylo Notarii; Attamen in praxi, magis communiter recepta videtur opinio, quæ favet earum efficaciæ, operationi, ex dicta ratione, quod ideo adhibentur Notarii, ut conficiant actum eo meliori, magisque cautelato modo, quo fieri potest, ac debet. r

Verum id dupliciter temperandum videtur. Primo nem- 24
pe ubi pro stylo gravium negotiorum, & præsertim in magnis Civitatibus, præparentur instrumentorum minutæ, quæ a pluribus utriusque Partis sapientibus consulentur, ac revideantur, cum consueta discrepantia inter eos super aliquarum clausularum, vel cautelarum adjectione, vel deletione. Unde propterea, eis concordantibus de minuta, super ista ita accommodata, & concordata, sogetur Notarius pro confectione instrumenti; Tunc etenim, sibi concedenda non est ista facultas adjiciendi clausulas, & cautelas, quinimo, ut dici solet, neque syllabam, quamvis pro ejus stylo, vel formulario essent adjici solitæ, quoniam est se ingerere in substantialibus, ac super iis, quæ partes noluerunt; Nisi Partium, earumque Sapientum opera adhibita fuerit, super solis substantialibus, atque in reliquis se remiserit Notario, ut extendat instrumentum in forma, cum clausulis, & cautelis solitis, ut frequenter, uno, vel altero modo ego practicavi, ideoque totum pendet ex circumstantiis facti.

Et secundo, ut hujusmodi clausularum, & cautelarum 25
operatio discrete admittenda sit, non quidem cum solis generalitatibus traditis per DD. illasque cuicunque casui, absque alio ratiocinio, vel distinctione, ad solam literam, pro consueta ineptia, applicando; Sed discrete, & pro qualitate personarum ac negotiorum, aliarumque circumstantiarum, spectato principaliter fine, vel ratione, ob quam lex, vel DD. hujusmodi clausulas, & cautelas adinvenerunt, ut scilicet ita suppleatur id, quod partes, vel disponentes verisimiliter voluerint, pro majori firmitate actus, unde propterea eædem clausulæ, vel cautelæ, pro earum propria natura, dici mereantur famultivæ, & accessoriæ, non autem, ut causare debeant effectum potius diversum, vel contrarium, circa substantiam, inducendo id, quod Partes noluerint; Utputa (exemplificando demonstrative, non autem taxative, ut ita a simili ad alia inferri possit.) Habemus in transactionibus, quæ de earum natura restringuntur solum ad ea, quæ fuerunt in lite, pro quorum compositione initæ censentur, ideoque alia extra litem non complectuntur.

Limitari autem solet ista regula, quando amplitudo verborum, & clausularum aliter suadeat, cum aliquando litigantes, occasione concordiæ initæ super aliqua lite, ad radicitus tollendam omnem aliam discordiarum occasionem, cum amplitudine verborum, & clausularum, generales, ac amplas remissiones jurium, & prætensionum hinc inde sibi facere solent; Id autem non dicitur continere transactionem, sed potius actum diversum pacti de non petendo, vel donationis, cui transactio super lite causam, vel occasionem dederit. f

Cum itaque super isto actu, quem vere Partes ita facere voluerunt, de consilio Sapientum, & cum maturo studio bene cautelatam minutam ordinaverint, eamque tradiderint Notario, qui fideliter absque alteratione instrumentum confecerit; Adhuc tamen, frequens praxis docet, quod idem Notarius rogatus alia occasione a personis idiotis

super aliqua transactione, quæ inter eas absque hujusmodi præordinationibus conclusa sit, opinando facere rem valde bonam, mutatis nominibus, utitur illa minuta pro formulario, de verbo ad verbum adjiciendo eandem amplitudinem verborum, & clausularum, ex quibus resultet remissio aliorum jurium ac prætensionum extra litem, quod nunquam a Partibus volitum, neque cogitatum fuit. Et tamen inepti mere Pragmatici Judices, inhærendo soli formalitati verborum, ac etiam capiendo ad literam, pro quocunque casu decisiones, vel Responsa, quæ prodierint in alio casu, in quo præordinate, ut supra, id volitum fuerit, deducunt ad praxim dictam remissionem nunquam volitam; Ideoque inspicienda est substantia verisimilis voluntatis, an scilicet tales concurrant circumstantiæ conjunctionis sanguinis, vel benevolentiæ, sive etiam honesti, ac laudabilis finis eradicandi occasiones novarum litium, & discordiarum, adeo ut ista remissio, vel condonatio, verisimiliter volita fuerit, non autem ut ita serviendum sit literæ verborum & clausularum, præter verisimilem voluntatem partium.

26 Idemque dicendum est, vel contingit circa clausulas, quæ apponi solent in testamentis, ut præsertim sunt clausula codicillaris, & altera *omni modo meliori*, quibus DD. tribuunt adeo magnas operationes circa ea, quæ nunquam a Partibus somniata fuerint; imo etiam de directo in contrarium, quoniam investiganda est substantia verisimilis voluntatis disponentis, & an revera illæ clausulæ, ex præsumptione juris adjectæ præsumantur de voluntate disponentis, vel famulative pro dispositionis validitate, ejusque majori firmitate, & observantia adjectæ sint, necne. *s*

27 Ubi vero discrepantia inter matricem, & Instrumentum, sit circa substantialia, qualia dicuntur ea, quæ respiciunt substantiam actus, seu voluntatis Partium. Et tunc matrici potius deferendum est, ideoque instrumentum in illa parte alterativa substantiæ, falsum dici meretur; Et consequenter, habentibus instrumentum magis expedit, quod matrix non reperiatur, quam quod reperiatur.

28 Si vero ab eodem Notario, duo, vel plura edantur instrumenta publica, super eodem actu inter se diversificantia, tunc quæstio cadit, cui potius deferendum sit, Atque in hoc variæ habentur opiniones, Aliqui enim putant, ut neutri, ratione incertitudinis, deferri debeat, quasi quod ita Notarius, falsum, vel fide indignum se reddat. Alii, ut deferri debeat illi instrumento, quod sit pinguius, vel magis bene extensum, & cautelatum. Alii vero tenent, ut deferri debeat primo, cui per secundum, Notarius præjudicare non possit. Et alii distinguunt, ut inspiciendum sit, an ambo habeant formam publici instrumenti, vel potius unum sit instrumentum formiter editum in forma publica, alterum vero sit simplex sumptum, vel copia, ut fides, ut tunc instrumento deferendum sit. Et alii, ut recurri debeat ad matricem, seu protocollum, ad effectum inspiciendi quale magis cum matrice concordet. *n*

Omnes istæ opiniones (pro meo judicio) discretive, in suis respective casibus, attendendæ videntur, eas unitim considerando, ut pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, Judex ejus prudens beneque regulatum arbitrium interponat, ideoque erroneum est illas considerare singulariter, atque in abstractu, attendendo doctrinas ad literam, quod si in eis amplectatur una opinio, ea cuicunque casui applicari debeat; in hoc etenim consistunt quotidiani errores, & æquivoca.

29 Recurrendum itaque isto casu erit, ad matricem, seu protocollum, quod diligenter inquirendum erit ad effectum videndi, an matrix, seu protocollum, sit bene factum, eo modo, quo alia instrumenta, de quibus nulla vigeat suspicio, dum de illo malo Notario, qui duo diversa super eodem actu edat instrumenta, rationabilis suspicio quoque haberi possit, ac debeat, quod scilicet, quemadmodum in una parte se male gessit, ita se gesserit in altera, alterando quoque matricem, vel protocollum, ut magis concordet cum uno ex duobus instrumentis, adeout, quando in ipsa matrice dicta suspicio aliqualiter cadat, tunc major concordantia potius suspicionem præbeat ac fidem adimat; eo modo quo habetur infra in testibus nimium bene deponentibus, quoniam
30 nimia cautela, reputari solet unum ex argumentis, vel suspicionibus falsitatis; Et sic illa opinio, quæ tenet partes instrumenti magis concordantis cum matrice, est quidem probabilis, bonasque habet rationes, sed intelligenda venit, dummodo matrix omnino sincera sit.

Quo vero ad alteram opinionem, ut neutri deferri de- 31
beat; Pariter ea discrete practicanda est, juxta facti qualitatem, & circumstantias, indagando in primis bonam, vel respective malam fidem ejus, qui pro se habeat primum, seu anterius instrumentum, & an istud aliqua probabili suspicione laboret, necne. Atque ad idem confert, an Notarius sit solitus delinquere, sive alias de falso punitus, vel inquisitus fuerit, Vel quod ipse principalis, qui habet pro se primum instrumentum, bonam, vel malam famam habeat, cum similibus ponderationibus, in quibus, potius circumstantiæ facti, quam conclusiones juris, vel doctrinæ inquirendæ sunt.

Hinc proinde, pro istis, aliisque similibus effectibus, 32
desideratur Judex, qui sit magis sapiens, quam sciens, sive magis judiciosus, & espertus, quam ingeniosus, & literatus in abstractu, immorari solitus, atque tempus terere in legum antinomiis, vel subtilibus intellectibus, & inductionibus, aut in litera, seu meliori editione legum, inquirendo pandectas Florentinas potius quam vulgatas, sive recurrendo ad Græcas. Aut sequendo illas subtiles ac eruditas ponderationes, quas scholastici scriptores pro ingenii acumine fecerunt, cum similibus fri-
giditatibus, quæ congruæ quidem sunt scholasticis, sed 33
incongruæ forensibus, qui principaliter incumbere debent, potius facto, quam juri.

Prout etiam, circa alteram opinionem distinguentem 34
inter simplex sumptum, vel copiam, & instrumentum publicum; Probabilis est quidem opinio, ut instrumento potius deferri debeat, quoniam sumpta, seu copiæ, vel fides inconsiderate, seu non ita accurate dari solent. Adhuc tamen magna suspicio exinde resultat, quæ de instrumenti fide minuit, ideoque aliquo adminiculorum fomento indiget.

Item altera opinio quod deferri debeat pinguiori, seu 35
magis extenso, & cautelato, probabilis quidem est, quando ista circumstantia versetur circa accidentalia, nempe circa clausulas, & cautelas, quæ de stylo apponi solent, & quas, ut supra, ratione officii Notarius adjicere potest, adeout nulla adsit alteratio circa substantialia, quoniam certe dari potest, quod Notarius primo loco dederit instrumentum magis siccum, eo modo quo in matrice, sive in originali imbreviatura (ut supra) concipi solet; Postmodum vero, melius advertendo, illud conficiat magis extensum, ac munitum solitis clausulis, & cautelis, nulla tamen accedente alteratione substantiæ.

Itaque ponderatio, quod ex duobus, unus sit pin- 36
guius, seu melius extensum, magis cadere solet in ipsa matrice, præsertim post mortem Notarii, quod scilicet in ejus scripturis, seu quinternis, vel fasciculis, super eodem actu duæ repetiantur scripturæ ejusdem tenoris, cum aliqua tamen differentia, seu alteratione, adeout incertum sit, quænam sit matrix originalis authentica, super qua conceptus fuerit rogitus, quodque altera esset potius minuta, seu præparatio; Atque tunc recurri solet ad istud argumentum, quænam scilicet sit melius extensa, sive etiam quæ magis nitida, alia vero magis expurgata, vel cassata, cum frequenter soleant prius fieri minutæ, seu scripturæ præparatoriæ, transmitti solitæ per manus sapientium Partium, deindeque efformari scriptura nitida, & præparata. x

Hæc autem omnia quasdam continent regulas gene- 37
rales ad illuminandum Judicis intellectum, & pro quadam norma, non autem ut præcise ac generaliter, sive ad literam, cuicunque casui applicari debeant, cum revera sint quæstiones potius facti, quam juris, certam ac uniformem non recipientes regulam; sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decidendæ.

Si vero inter matricem, & instrumentum, non adsit 38
discrepantia, sed matrix reperiatur cancellata, sive quod in ea Notarius adjecerit, quod de consensu Partium cassata sit tunc, nisi super hoc actu adsit novus formalis rogitus, cum testibus, & cum clausula *actum*, aliisque solemnitatibus, quæ in novo instrumento necessariæ sunt, in consideratione habendum non est, ex regula, quod Notario creditur solum in iis, quæ scribit in ipso actu rogitus, ac stipulationis, cum testibus, aliisque solemnitatibus, non autem in iis quæ dicit, vel adnotat ea intervallo solus, & loquendo ex se, cum tunc consideretur tanquam mere privatus. y

Major difficultas cadit, quando in ipsius Notarii rogati 39
schedula, vel protocollo reperiatur matrix alicujus instrumenti interlineata, seu cancellata, vel habens dictam

mar-

marginalem adnotationem cum assertione cassationis, vel recessu de consensu, absque eo quod idem Notarius publicum dederit, sed eo defuncto prætendatur per unam partium reassumptio, quæ per Notarium successorem, vel alium facienda sit; Atque in hoc certa regula statui posse non videtur, cum pendeat ex singulorum casuum circumstantiis, nimium attente ponderandis, cum saltem id redoleat magnum argumentum, vel suspicionem, unde propterea non ita de facili intrant ea, quæ advertuntur supra in casu, in quo idem Notarius vivens publicum instrumentum partibus tradidisset, cum valde notabilis differentia dignosci videatur inter unum casum & alterum, ideoque ad alia extrinseca adminicula recurrendum videtur, ex quibus constet, quod matrix sit vera, atque ab initio nitida, interlineationes autem, vel cancellationes, seu adnotationes factæ fuerint ex intervallo, dum alias nimium de facili fraudes committi possent per debitores, aliosque ad alicujus contractus observantiam obligatos. *z*

40 Discrepantia quoque sequi solet, inter Notarium, & aliquos testes instrumentarios, sive testamentarios (ut in his præsertim frequentior praxis docet,) unde propterea quæstiones cadunt, cui, vel quibus potius deferri debeat. Et quamvis regula assistat Notario, cum repositum esse non debeat in aliquorum testium facultate, publicum Notarium, cujus fides a lege probata est, de falso convincere, atque publicum instrumentum Infringere. Adhuc tamen ista regula, a limitatione immunis non est pro facti qualitate, & circumstantiis, attento numero, & qualitate testium, & e converso attenta qualitate Notarii, ac majori, vel minori ejus fama, vel existimatione, necnon, & potissime attentis iis, super quibus testes diversimode deponunt, an scilicet dispositive, ac univoce convincant contrarium de directo ejus, quod in instrumento contineatur, vel potius loquantur de iis, quæ ipsi non audierint, quia non adverterint, seu non bene perceperint. Potissimum vero, ac super omnia recurrendo ad alia extrinseca facti adminicula, ex quibus inspiciendum est, cui major assistat verisimilitudo, pro facti qualitate.

41 Hinc sequitur quod ista non est materia, quæ de facili certam admittat regulam uniformem, cuicunque casui applicabilem, sed quod totum pendeat a singulorum casuum circumstantiis. Idque generaliter in ista materia cessantis fidei instrumentorum dicendum est, circa alias species probationis falsitatis, & circa ejus præsumptiones, vel argumenta, quoniam cum totum pendeat a singulorum casuum qualitate, impossibile est certam regulam desuper statuere. Ideoque in casus contingentia recurrendum est ad tractantes materiam ex professo. Sive ad decisiones, vel responsa, super consimilibus casibus. Non

42 quod cum eis in litera cum inepto pragmatico ab usu absque alio discursu procedendum sit, sed ad illuminandum intellectum, pro bene regulando arbitrio, cujus interpositio, ut supra dictum est, principaliter pendet a judiciosa combinatione circumstantiarum, ex quibus eadem individua argumenta, quæ in uno casu efficacia reputata fuerint, in altero inefficacia sint, & e converso. Siquidem non ita pariformiter procedendum est cum persona qualificata, ratione nobilitatis, vel probatæ bonitatis, cum altera vili, vel diffamata. Sive non eodem modo in re magni momenti, cum altera modicæ utilitatis, cum aliis similibus ponderationibus, quæ falsitatis, vel machinationis suspicionem includant, vel excludant. Ac propterea perpetuo damnandus est usus, indefinite procedendi cum solis generalitatibus, vel cum sola litera decisionum, & doctrinarum, ut frequenter procedi, cum magna nausea, praxis docet.

43 Frequenter quoque disputare contingit de alia specie diversitatis, non quidem inter duo instrumenta edita super eodem actu, minusque inter instrumentum, & matricem, vel inter Notarium, & testes, sed inter instrumentum a Notario celebratum, & capitula, vel alias privatas scripturas, quæ inter partes super conventione inita sint, super quibus deinde ad majorem firmitatem ac tutiorem probationem, vel observantiam, publicum instrumentum fieri, eædem partes convenerint. Hæc autem diversitas non ita influit in falsitatem, ut influunt aliæ species diversitatis, de quibus supra, sed potius percutit majorem fidem, cum diversitas citra falsitatem recte sequi possit ac soleat, vel ex innovativa partium voluntate, vel ex majori declaratione, sive quia Notarius, vel sapientes, & consultores id quod cum majori simplicitate ac rudiori stylo Partes in capitulis, vel in apocha, seu albarano, convenerant, ipsi adhibendo abusum extendendi instrumenta latino sermone, elegantiæ gratia; seu famulando formulario, aut ad sapientiam ostentandam, ut ita ab idiotis magna capiant præmia, taliter concipiant instrumentum, ut diversum habeat sensum.

In hoc autem pro magis communi, magisque receptâ opinione, præsertim in Curia, regula assistit capitulis, vel aliis privatis scripturis; Ex ea nimium congrua ratione desuper assignari solita, quod capitula contineant verba partium, instrumentum vero contineat verba Notarii. *a*

Limitationes tamen, vel modificationes ista regula recipit ex facti circumstantiis probantibus, vel arguentibus, ut diversitas ex ipsarum Partium voluntate proveniat, vel innovando conventionem in aliquibus circumstantiis, cujus argumentum desumi solet; quando aliquod temporis notabile intervallum inter unum, & alium actum intercedit, vel gratia majoris declarationis, seu majoris cautelæ, & firmitatis; Et in summa est quæstio potius facti, quam juris, in qua juris regula prodest ad inducendam præsumptionem, quæ fundat intentionem ejus, cui ipsa assistit, ut transfundat in alteram partem onus probandi limitationem juxta generalem naturam regulæ, & limitationis, atque ad hunc effectum prosunt generalitates, vel doctrinæ in similibus quæstionibus proditæ.

Inquisitio autem, vel condemnatio Notarii de falso non præjudicat instrumento prius rogato, ut etiam postea in publicam formam reassumi valeat, quoniam subsequens ejus delictum non debet partibus præjudicare; Adhuc tamen suspicionem id causat, et propterea id cum aliis falsitatis adminiculis conjungendum sit. *b* 44

Quinimo, etiamsi Notarius expresse asserat, quod instrumentum sit falsum, ejus assertioni non defertur, nisi alia concurrant adminicula falsitatis; *c* Ideoque semper firmum in tota materia remanet sæpius insinuatum assumptum, quod totum pendet ex particularibus facti circumstantiis, ideoque certa regula generalis desuper non cadit, eodem modo quo supra insinuatum est, quando matrix non reperiatur in protocollo, cum similibus, quoniam defectus hujusmodi, soli, & de per se non sufficiunt, juncti autem cum aliis in magna consideratione habendi sunt. 45

Considerabilis vero suspicio videtur ex quod matrix non sit cum aliis in protocollo, vel in loco congruo Archivii, sed separatim, & in loco insolito, vel incongruo. *d* 46

Sive quod aliquis testis neget interfuisse, quoniam solus non sufficit, sed magnam præstat suspicionem, vel adminiculum cum aliis conjungendum. *e* 47

Discrepantia item inter annum, & indictionem, suspicionem inducit in concursu aliorum adminiculorum considerabilem, quamvis ipsius indictionis omissio non adeo præcise necessaria sit, quod tamen ex stylo loci decisionem recipit. *f* 48

In dubio autem pro exclusione falsitatis est respondendum, atque in concursu argumentorum, eis hinc inde conquassatis, firma remanet veritas instrumenti. *g* 49

a Greg. *dec.* 180. Caval. *dec.* 206. Franch. *dec.* 276.

b Masull. ad Capyc. *dec.* 149. Grass. *de except. cap.* 10. *n.* 42. *& seqq.* Burat. & add. *dec.* 507. *cum aliis, de quibus infra proxime.*

c Burat. & add. *dec.* 507. *&* 932. *dec.* 24. *part.* 11. *rec.* Rovit. *pragm.* 1. *de Notar.* Capyc. Latr. *consult.* 160.

d *ibid. proxime.* e *tit. de testam. disc.* 2.

f *dec.* 62. *&* 149. *part.* 6. *rec.*

g *tit. de alien. & contract. disc.* 29. *& in supplem.*

h Farinac. *q.* 153. *ex n.* 192. Caval. *dec.* 205. Capyc. Latr. *consult.* 4.

i Capyc. Latr. *dict. consult.* 4. Burat. & add. *dec.* 605. *dec.* 6. *par.* 13. Cavaler. *dec.* 205. Royas *dec.* 474. *de test. pluries* Cels. *dec.* 180.

l add. ad Buratt. *dec.* 611. Royas *dec.* 429. Zacch. *de oblig. cam. q.* 17. *ex n.* 61. m Buratt. & add. *dec.* 356. *dec.* 340. *p.* 12. *rec. & sepius.* n *d. dec.* 340. *p.* 12. *rec. dec.* 185. *par.* 10. *rec. cum aliis proxime supra.*

o Capyc. Latr. *consult.* 4. Burat. & add. *dec.* 623. *tit. de test. disc.* 2. 5. *&* 39. p Mantic. *dec.* 22. Caval. *dec.* 122. *dec.* 349. *p.* 19. *rec. tit. de testam. disc.* 65. *&* 66. q *supra lit.* C. *&* D. r *tit. de test. disc.* 57. *& sup. lit.* C. *&* D.

s *tit. de feud. disc.* 74. *& tit. de alien. & contract. disc.* 50.

t *eod. disc.* 57. *de test. & supra lit.* C. *&* D.

u *de his habetur, tit. de testam. disc.* 65. *& disc.* 23. *de fideicommissis.*

x *dict. disc. 63. de test. & disc. 23. de fideic.*
y Gregor. & add. *dec.* 177. add. ad Burat. *dec.* 95. Galent. *lib.* 1. *contr.* 66.
z *dict. disc.* 65. *de test. & disc.* 23. *de fideic.*
a *tit. de fideic. disc.* 179. *& tit. de emphyt. disc.* 14.
b Mantic. *dec.* 3. Rovit. *pragm.* 1. *&* 3. *de Notar.* Burat. & add. *dec.* 267. *&* 591. c Surd. *dec.* 107. *&* 135. Burat. & add. *dict. dec.* 176. *ubi aliis*.
d Bich. *dec.* 489. e Royas *dec.* 374.
f Rovit. *pragm.* 2. *de Notar.* Rot. *in Placentina nullitatis professionis* 31. *Martii* 1656. *cor. Albergato* Coccin. *dec.* 1479. *repet. dec.* 430. *p.* 5. *rec. n.* 89.
g *dec.* 279. *n.* 43. *& seq. par.* 9. *rec.*

Facit ad praecedentem discursum sequens decisio novissime in Sacra Rota emanata.

R.P.D. MOLINES.

Romana Census,

Lunae 4. Martii 1697.

IN geminis decisionibus emanatis coram me in hac causa sub die 27. Januarii, & 5. Junii anni praeteriti, resolutum fuerat, procedendum non esse ad ulteriora in executione mandati, alias per A. C. relaxati pro summa scutorum 2440. favore Joannis Antonii a Sancto Petro contra Dominum Principem Sabellum, & successive executi super quibusdam locis Montium ob ipsius mandati excessivitatem ex publicis documentis justificatam; In praesenti tamen tertia causae disputatione praevio recessu a decisis, Domini censuerunt procedendum esse ad ulteriora, quoad summam scutorum 1940. vere debitam.

Ratio resolutionis fuit, quia, & si de juris rigore, quem amplectitur nostrum Tribunal, mandata executiva continentia clarum, & liquidum excessum, quantumvis satis modicum, remaneant in totum nulla, quoties, prout hic, processum fuerit ad actualem ipsorum executionem, adeout a Judice appellationis in totum retractari, nec pro summa vere debita sustineri debeat, juxta theoricam Bartoli *in l. si in sortem, §. centum ff. de condit. in debit.* & millies respondit Rota, & signanter coram Ludovis. *dec.* 198. *n.* 1. ibique Adden. *& dec.* 91. *n.* 2. *&* 3. *coram Buratt.* ubi pariter Adden. *num.* 1. & coram Cavaler. *dec.* 84. *n.* 2. coram Duran. *dec.* 883. *n.* 3. Bich. *dec.* 29. *n.* 24. *& dec.* 44. *n.* 1. *coram Cardinali Cerro, dec.* 124. *n.* 1. *& seqq. & dec.* 147. *n.* 3. *coram eodem, & dec.* 889. *n.* 3. *&* 4. *coram Ubago, & in rec. dec.* 250. *n.* 8. *p.* 1. *& dec.* 412. *n.* 4. *p.* 5. *dec.* 172. *n.* 13. *&* 15. *p.* 11. *dec.* 217. *n.* 3. *dec.* 302. *n.* 9. *p.* 4. *dec.* 81. *n.* 3. *p.* 15. *& dec.* 601. *n.* 15. *p.* 18.

Attamen de inveterato stylo A. C. in casu praesenti ad inferius deducenda observando, mandata relaxata pro summa indebita quantumvis essent executioni demandata, adhuc non retractantur in totum, sed subducto excessu, reformantur pro summa vere debita, de quo stylo testantur Salust. Tyber. *in prax. judiciaria*, sive de modis procedendi in causis, quae coram A. C. agitantur *lib.* 1. *c.* 36. *n.* 2. & melius *n.* 4. *vers. mandatum*, Scacc. *de sententia, & re judicat. gloss.* 14. *quaest.* 13. *num.* 37. Scannarol. *de visitat. Carcerat. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 32. Rot. *dec.* 86. *n.* 8. post Posth. *de manuten.*

Nec porro ejusmodi praxis recepit solummodo fomentum ab inveterata observantia illius Tribunalis, quae habet vim legis, secundum Cyn. & Bald. *in l.* 1. *in fine C. quae sit longa consuetudo, & in l. de quibus ff. de legatis*, Rolland. a Valle *cons.* 70. *n.* 13. *lib.* 1. Afflict. *dec.* 135. *n.* 3. *&* 4. Salust. Tyber. loco & numero superius citatis, Rota *dec.* 40. *num.* 10. *p.* 16. sed etiam fulcitur summa aequitate, secundum quam inutiles circuitus sunt resecandi, *l. cum fundus*, §. 1. *ff. si certum petatur*, ne Partes super una, eademque re diversis litibus, & inutilibus expensis praegraventur, *l. ne in plures, ff. de exercit. action.* & pluribus exornat Giurb. *dec.* 79. *n.* 12. & in specie observant Salust. Tyber. *ubi supra*, & melius aliis relatis Rota *d. dec.* 86. *n.* 9. *penes Post. de subhastat.*

Quae eo magis procedunt in casu praesenti, attentis duabus specialibus circumstantiis, quarum altera est, quod executio, de qua est sermo, fuit tantum coepta, sed non consumpta, quo casu cum nullum damnum dici possit illatum, aut verum spolium causatum, sed res in eodem statu existat, adeout debitor absque juria sui detrimento, solvendo summam debitam valeat ab executione se liberare, utique facilius intrat reformatio mandati quoad summam vere debitam; ut bene, ac punctualiter observat. Post. *de subhastat. inspect.* 50. *n.* 505. R. P. D. Maffejus *in legat. Avenion. & Emiliae, lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 64. *&* 65. Rota *in praeallegata dec.* 86. *num.* 7. *cum sequentibus, & dec.* 619. *n.* 9. *& seqq. par.* 18. *rec.* Altera vero, quod eadem executio facta fuit in re patiente commodam divisionem; unde nimis aequum, & rationabile est, illam in totum non retractare, sed quoad summam vere debitam sustinere, ut distinguendo casum executionis personalis individuae a reali dividua, tradit Scannarol. *de visitat. Carcerat. lib.* 3. §. 10. *n.* 32. ubi testatur de stylo A. C. Rota Lucensis *dec.* 265. *impressa* apud Balducc. *ad cons. Roman. n.* 20. *tom.* 4. Cardinalis de Luca *de dote, disc.* 58. *n.* 9. *& de judiciis, disc.* 36. *n.* 24. ubi quod praefatus stylus A. C. concurrentibus relatis duabus circumstantiis a moderno tempore coepit etiam observari a signatura Justitiae.

Quod autem in hac hypothesi servandus veniat aequitativus stylus A. C. & non rigorosus nostri Tribunalis, deducebant Domini, quia hic non agitur de reformando mandato excessivo per Rotam relaxato, sed de confirmando, vel infirmando mandato obtento ab eodem A. C. unde sequendus est stylus, quem ipse tenet, ut omissis generalibus, quod Judex appellationis in decernenda validitate, vel invaliditate mandati, attendere debeat stylum Judicis a quo, de quibus ad satietatem Tancred. *in consultat.* 40. *n.* 14. Salgad. *de regia protectione, part.* 1. *cap.* 2. §. 3. *n.* 21. Ita in specie dixit, & observavit Rota *dict. dec.* 86. *n.* 8. *penes Post.* cum qua Domini processerunt in praesenti resolutione, posthabitis aliis decisionibus adductis a defensoribus D. Principis, ex quibus apparet alias aliter per Rotam observatum fuisse reflectendo, quod in his decisionibus Rota pertransivit cum opinione juris rigorosa, nullo facto examine styli A. C. de cujus mandato agebatur, in illa autem *penes Post.* serio praeviis tribus propositionibus, ut colligitur *ex n.* 2. discussus fuit stylus A. C. & tanquam aequitati consonus approbatus pro casibus, in quibus ipsa procedit ad executionem ejusdem mandatorum, vel cum suis facultatibus, animadvertendo potissime ad laudabile nostri Tribunalis institutum, in quo prae caeteris inspicitur rei veritas.

Nec movit exemplum legatorum, pro quibus objiciebatur, quod licet A. C. tribuat viam executivam juxta opinionem Angeli, quia tamen Rota sequitur contrarium Alexandri, ut neminem latet, idcirco in gradu appellationis a mandatis A. C. etiam cum illius facultatibus, & cum clausula, *Si quid exequendum*, denegat viam executivam & respondet solummodo mandata esse justa, ut in *dec.* 604. *n.* 12. *par.* 4. *tom.* 5. *rec. & decis.* 291. *n.* 24. *p.* 7. *& coram Manzanedo, dec.* 613. *n.* 11. *&* 12. cum aliis, quos refert Ridolphin. *in prax. p.* 1. *cap.* 1. *n.* 80. Adden. ad Pamphil. *dec.* 258. *num.* 11. *&* 12.

Quoniam ultra quod ex hoc modo rescribendi non recte infertur, quod Rota reprobet praedictum stylum A. C. cum potius cainde pateat, vel de illis tacita approbatione, vel saltem de expressa viae executivae praeservatione, nam alias mandata tanquam nulla simpliciter infringeret, ac per consequens exequenda non esse rescriberet, & quod re vera Rota non redarguat in hac parte stylum A. C. expresse protestatur in *decisione* 416. *num.* 5. *par.* 16. *recent.* adhuc tamen desuper ponderatum fuit, quod quoties agitur de mandatis relaxatis ab A. C. pro consecutione legatorum, & successive executis, Rota cui commissa est causa cum clausula, *qui ad ulteriorem* non annullat executionem jam factam, utpote procedentem contra ipsius opinionem & stylum, sed imo illam expresse approbat, rescribitque pro processu ad ulteriorem executionem, ut tradit Zacch. *de obligat. cameral. q.* 18. *n.* 22. sequendo opinionem ejusdem Rot. *in Romana legitimae* 22. *Martii* 1643. *coram Peutingerio, impress. penes eundem in ordine la* 215. *n.* 6. *&* 7. ubi reddit rationem, quia in hoc casu concedendo paratam executionem legatis, non dicitur facere contra stylum, quia ejus partes sunt tantum modo declarare; An sit locus, vel non, ulteriori executioni, & comprobavit *dicta dec.* 597. *p.* 16. *& dec.* 416. *n.* 5. *ad* 8. *coram Dunozetto Juniore, & dec.* 217. *n.* 1. *& seqq.* & confirmavit, *dec.* 402. *nu.* 2. *p.* 19. *rec.*

Et quamvis in hujusmodi causis legatorum commissa cum clausula, *Si quid exequendum*, & cum facultatibus A. C. ante coeptam executionem, eadem Rota praescindendo a nullitate mandatorum ob incompetentiam viae executivae, pluries canonizando eorum Justitiam ordinario processerit, ut patet ex decisionibus superius in objecto rela-

ſclaris, quibus additur *Urbevetana Pecuniaria* 21. *Aprilis* 1692. §. 1. *coram Reverendiſſ. meo Decano, & Carpentoraten. legitime* 5. *Maii* 1694. *coram R. P. D. meo Caprara*: Attamen circa hunc ſtylum ſuppetunt opiniones, & plura exempla in contrarium; Præallegatus enim Zacch. *diſt. cap.* 18. *num.* 22. *verſ. Quotieſcumque*, teſtatur, quod commiſſa cauſa ad Rotam cum facultatibus A. C. ipſa dare ſolet paratam executionem, & in terminis commiſſionis cum clauſula, *Si quid exequendum*, fuit etiam opinio aliquorum ex noſtri ordinis Auditorum *in Romana legatorum: ſed decium* 16. *Januarii* 1662. *coram Emerix Seniore* §. *nec refert.*, ubi habetur, quod tunc nonnulli ex Dominis autumaverint, non infringi Rotæ ſtylum, quoties in his caſibus procedi deberet executive juxta clauſulam, *Si quid exequendum*, quæ præſcrvat viam executivam, allegando plures authoritates, inter quas *deciſ.* 1412. *coram Seraphino*, in cujus hypotheſi licet ageretur de indebito, pro quo de jure agendum eſt via ordinaria, nihilominus quia cauſa erat Rotæ delegata cum clauſula, *Si quid exequendum*, reſponſum fuit pro illius executione; Atque ex hac ratione pluries a modernis temporibus Rota in hujuſmodi cauſis legatorum etiam cum clauſula, *Si quid exequendum* delegatis reſpondit pro mandatorum executione: & in ſpecie in *Urbevetana dotis* 9. *Februarii* 1693. §. *etiamſi bona, in fine coram bona memoria Emerix Juniore Decano, & in Camerinen. pecuniaria* 8. *Junii* 1693. §. *Minime vero, & in Romana aſſociationis ejuſdem anni*, §. *fin. coram R.P.D. meo Pio, & in Camerinen. Primogenitura* 10. *Junii* 1695. §. 1. *coram eodem*: Ex quibus colligitur, quod oppoſitum exemplum legatorum potius quam adverſetur, faveat opinioni, juxta quam modo tenet Rota, quod quotieſcunque agitur de confirmandis, vel infirmandis mandatis relaxatis ab A. C. ſervandus venit ſtylus, qui in ipſius Tribunali paſſim, & ſine ulla hæſitatione obſervatur, quia re vera ex hoc non infringitur ſtylus noſtri Tribunalis, cum ſufficiat quod obſervetur in mandatis, quæ ab eo relaxantur.

Quare ex prædictis omnibus reſolutum fuit mandatum, de quo eſt quæſtio, reformandum eſſe, & procedendum ad ulteriora pro dicta ſumma vere debita ſcutorum 1940. quæ facto calculo, remanet liquida ſubductis penſionibus domus originarii debitoris perceptis a Joanne Baptiſta a S. Petro Patre Joannis Antonii actoris, necnon ſcuta 404. vigore ordinis Sacri Montis Pietatis, de quibus late diſſeritur in prima deciſione hujus cauſæ 27. Januarii 1696. §. ea Juribus.

Et ita utraque parte informante, &c.

De eadem materia inſtrumentorum ſuper eorum forma probante, vel non probante.

S U M M A R I U M.

1 *IN iſto diſcurſu agitur ſolum de forma probante inſtrumenti.*
2 *Diſtinguuntur inſpectiones.*
3 *Notariatus debet probari ab eo, qui prætendit, quod inſtrumentum ſit publicum.*
4 *Antiquitas temporis, an & quid in hoc operetur?*
5 *Probatio Notariatus, quando non ſufficiat, niſi aliæ accedant qualitates in Urbe.*
6 *Quid in Statu Eccleſiaſtico extra Urbem.*
7 *Et de Notariis creatis auctoritate aliorum Principum conficientibus inſtrumenta in Urbe, vel Statu Eccleſiaſtico.*
8 *De inſtrumentis rogatis extra dictum Statum, quæ deducantur in Curia per Notarios Apoſtolicos.*
9 *Quid de rogatis per Notarios creatos per Principem, vel Dominum illius loci.*
10 *An Notarii creati auctoritate Principis ſæcularis poſſint conficere inſtrumenta, & acta in cauſis, & rebus eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, vel beneficialibus.*
11 *Quid dicendum ſit in aliis Principatibus, & ditionibus.*
12 *In Regno Neapolitano non defertur inſtrumentis rogatis per Notarios Apoſtolicos.*
13 *Declaratur in quibus rebus, & cauſis eis deferatur.*
14 *An & quando deferatur inſtrumentis eorum, qui vere non ſint Notarii.*
15 *Quid in Urbe, quare in ea non intret iſta quæſtio, & an & quando intret regula* l. barbarius?
16 *Cuinam incumbat onus probandi affirmativam, vel negativam Notariatus.*
17 *De forma, vel ſolemnitate originalis matricis, & quando iſta dicenda ſit talis mere.*
18 *De menſe, anno, & aliis, an requirantur in matrice?*
19 *Quod non ſit immorandum in ſola formalitate verborum.*
20 *De circumſtantiis quæ debent attendi, ad inſpiciendum an ſit matrix originalis?*
21 *De protocollo, ejuſque diverſis ſpeciebus, & de protocollo ordinato.*
22 *De alio protocollo conflato ex matricibus originalibus.*
23 *De differentiis inter unam ſpeciem, & alteram protocolli.*
24 *Quæ ſolemnitates debeant eſſe in matrice, & quæ in publico.*
25 *Annus, & dies debent poni per extenſum, non autem per abacum.*
26 *De teſtibus, & de Judice ad contractus in inſtrumentis Regni Neapolitani.*
27 *An in matrice requiratur ſubſcriptio Notarii?*
28 *Quod commendabile ſit ſubſcribere.*
29 *Quod teſtes, & clauſula inſtrumenti poſſint deſervire pro alio.*
30 *De requiſitis inſtrumenti publici ultra ea quæ ſint in matrice.*
31 *An ſignum, & ſubſcriptio Notarii requirantur copulative?*
32 *De requiſitis inſtrumenti publici in forma probante in Regno Neapolitano.*
33 *Quando etiam ubi dicta requiſita non adhibeantur.*
34 *De copia an probet, & quando ei deferatur?*
35 *An forma legum laicalium debeat ſervari in inſtrumentis, quæ ſerviunt pro foro eccleſiaſtico.*
36 *Laudatur cautela, ut Notarii creati ab uno Principe, curent etiam creari a Papa, & ab aliis Principibus.*
37 *De materia extractionis, vel reaſſumptionis inſtrumenti ab originali Notarii mortui.*

D I S C. XXVII.

EA quæ *in præcedenti diſcurſu* habentur, percutiunt ca- 1
ſum in quo inſtrumentum habeat in reliquis formam
probantem, adeout nulla cadat quæſtio, ſuper ejus veri-
tate, & authentica forma de facto, ſed ſolum ſuper ejus ve-
ritate de jure, ob vitium ſcilicet falſitatis, vel alteratio-
nis, de quo oppoſitor, vel impugnator objiciat. In præ-
ſenti autem agitur de ipſa forma probante, vel authenti-
ca, quam altera Pars neget, ita impugnando ſubſtantiam
inſtrumenti, ejuſque veritatem de facto, quod ſcilicet ſcri-
ptura cenſeri debeat informis, ideoque ad ſufficientem pro-
bationem non apta.

Id autem pro clariori reſolutione, in plures diſtinguen-
dum eſt inſpectiones; Primo nempe ubi id proveniat ex 2
defectu legitimi notariatus ejus, qui inſtrumentum confe-
cit; Secundo ob non interventum requiſitorum, quæ in
inſtrumento publico ab initio deſiderantur, quia nempe
eorum defectus ſit etiam in matrice; Et tertio circa requi-
ſita neceſſaria ſuper ipſius publici inſtrumenti extractio-
ne, vel reaſſumptione ab originali, ut debitam formam
probantem habeat.

Quatenus itaque pertinet ad primam inſpectionem, ſu-
per notariatu; Regula eſt, quod ille probari debet, per 3
eum qui in inſtrumento ſe fundat, atque ex eo ſuam dedu-
cit actionem, vel exceptionem, cum non omnis ſcriptu-
ra, quæ inſtrumenti publici faciem, vel formam habet,
ſit inſtrumentum, ſed ſolum illud, quod per publicum No-
tarium confectum ſit, ob publicam fidem, vel auctorita-
tem, quam ei tribuit Princeps, vel alter, qui ex Princi-
pis auctoritate notariatum contulit; Ideoque iſta qualitas
eſt fundamentum intentionis. *a*

Ab iſto autem onere eximit ſolum antiquitas temporis,
quæ ad hunc effectum illa dicitur, quæ ſit centum anno-
rum, vel circa pro Judicis arbitrio, vel facti qualitate, 4
quoties copulative duo verificentur; Primo nempe quod
ſcriptura habeat faciem inſtrumenti; Et ſecundo quod ac-
cedat obſervantia, ſine qua generaliter ſolus lapſus tem-
poris nullam faciat operationem. *b*

Probatione autem notariatus accedente, quia nempe de
ejus privilegio, vel creatione conſtet, ea ſola non ſuffi- 5
cit niſi etiam accedat illa qualitas, quæ pro locorum,
vel ditionum legibus, vel ſtylis deſideratur, ideoque cer-
ta regula generalis cuicunque loco, vel caſui applicabilis
deſuper non cadit, cum a ſingulorum locorum legibus, vel
ſtylis id pendeat, præſertim vero in Curia cum ea procedi-
tur diſtinctione, quod; Aut agitur de inſtrumentis con-
fectis, ſeu rogatis in Urbe, & tunc non ſufficiat notariatus

ipſa-

ipsamet Apostolica auctoritate directe collatus, sive ex eadem mediata, ab iis scilicet, qui ex Apostolica concessione facultatem habeant creandi Notarios, ut (ex. gr.) est Collegium Prothonotariorum participantium, nisi etiam accedat descriptio in Archivio Collegii Scriptorum, ac etiam quædam alia specialis approbatio concurrat. *c*

6 Aut vero agitur de reliquo Statu ecclesiastico; Et tunc pariter requiritur notariatus Apostolica immediata, vel mediata auctoritate collatus, ac etiam dicta descriptio in Archivio, quoniam licet illa archiviatio, quæ demandatur per quasdam antiquas Apostolicas Constitutiones, in desuetudinem abiisset; Attamen moderno tempore, innovata fuit, atque necessaria reputatur. *d*

7 Illi vero Notarii, qui aliorum Principum auctoritate creati sint, hanc facultatem non habent, extra territorium illius Principis, nisi facultas tribuatur per eos, ad quos ex Apostolicis provisionibus pertinet; Ex ea congrua ratione, quod Princeps, officium, vel publicam fidem, sua auctoritate conferre potest in proprio territorio, vel ditione, non autem extra. *e*

8 Ubi autem agitur de reliquis Orbis catholici communicabilis partibus, e quibus, pro causis contentiosis, vel etiam pro actibus, & negotiis voluntariis, publica instrumenta ad Urbem transmittantur, & tunc; Aut illa rogata sunt per Notarios, qui Apostolica auctoritate creati sint, atque in dicto archivio descripti, & de plano admittuntur absque necessitate legalitatis Ordinarii loci, vel alterius publici Magistratus, circa qualitatem notariatus, cum ea de facili justificari possit incontinenti ex dicta descriptione in Archivio; Unde propterea necessaria solum reputatur recognitio subscriptionis, & signi; Et ad quem effectum instrumenta muniri solent prædicta legalitate Ordinarii loci, vel Nuncii Apostolici, aut alterius publici Magistratus; Et sine qua legalitate, recognitio etiam fieri potest, ac solet per testes habentes notam manum, & signum, cum facilius in scripturis publicis, quam in privatis ista species recognitionis admittatur. *f*

Aut vero agitur de aliis Notariis, qui creati sint auctoritate Principis laici, vel alterius ab eo potestatem
9 habentis; Et tunc pariter defertur, quoniam sufficit, ut ille sit Notarius publicus in loco creatus ab eo, qui ibi talem auctoritatem habeat, dummodo serventur solemnitates, quæ ex ejusdem loci legibus, vel stylis servari debent, ut infra advertitur in alia inspectione, super forma, vel solemnitate.

Cadente quæstione, an Notario creato cum auctoritate Principis sæcularis, deferendum sit in causis, vel
10 actibus ecclesiasticis, vel spiritualibus; Puta (ex. gr.) pro frequentiori contingentia, ubi agatur de instrumento adeptæ possessionis beneficii, vel factæ publicationis literarum Apostolicarum ad formam Constitutionis Gregorii XIII. cum similibus; At quamvis de stricto jure negativa probabilior esset, ex deficiente potestate creandi Notarium, illique dandi fidem in iis, quæ sunt extra ejus jurisdictionem; Attamen ubi agitur de actibus voluntariis, atque assistat usus loci, adhuc hujusmodi instrumenta sufficientia reputantur. *g*

Verum improbari solet usus Notariorum, qui sæculari potestate creati sunt in causis ecclesiasticis, vel spiritualibus, contentiosis, nisi quatenus Ordinarius, vel alter ecclesiasticus superior illum deputet, cum tunc ex ista potius auctoritate tale munus explere dicatur; dum quandoque commendabiliter etiam ipsi ecclesiastici Judices, vel superiores, aliquem probatæ fidei Notarium sæcularem loci, tanquam peritum, pro libito tamen voluntatis, non autem necessitate assumunt. *h*

In aliis vero ditionibus, vel dominiis extra Curiam Romanam, de qua huc usque actum est; Certa regula desuper statui non potest, quoniam (ut præmissum est)
11 totum pendet a singulorum bonorum legibus, vel stylis, quibus in hoc est deferendum; Præsertim vero in Regni Neapolitani laicalibus Tribunalibus, quando agatur de instrumentis confectis extra Regnum, proceditur (ut etiam ubique procedi videtur) cum superius insinuata regula, quod scilicet sufficiat notariatus collatus cum auctoritate proprii Principis loci.

In illis autem instrumentis, quæ fiant in dicto Regno, non defertur nisi Notariis, qui Regia auctoritate creati sint, etiam negative ad illos, qui Apostolica au-
12 ctoritate creati essent; Quamvis enim quoad istos aliqua peculiaris ratio in puncto juris adesse videretur; Adhuc tamen id non sufficit, ideoque instrumenta rogata per Notarios Apostolicos, inter laicos habentur tanquam scripturæ rogatæ. *i*

Secus autem ubi instrumenta confecta sint inter clericos, & personas ecclesiasticas, quamvis deinde cum successoribus sæcularibus, seu alias contingat de illorum ob- 13
servantia in Tribunalibus laicalibus disputari; *l* Sive ubi agatur de Tribunalibus fori ecclesiastici, in quibus Notariis Apostolicis absque dubio defertur; *m* Et in summa, in hoc totum facere videtur observantia, vel praxis Curiæ Romanæ; Defertur instrumentis rogatis per illos, qui non sint Notarii, sive alia non habeant requisita ut supra, quoties id non agant nomine proprio, sed vice, ac nomi- 14
ne præponentis, qui sit indubitanter probatæ fidei Notarius, cum omnibus requisitis; Ut in iis contingit qui per Notarios Auditoris Cameræ, seu fori Capitolini assumuntur in eorum adjutorium, atque substituti, vel Juvenes dicuntur; Quamvis enim per Apostolica decreta disponatur, ut ibi quoque Notarii esse debeant; Attamen si secus fiat, redarguendus quidem erit Notarius, qui tali muneri personam minus idoneam præponat; Non tamen exinde resultabit infectio actus, qui sub ejusdem Notarii publica fide, sit initus, cum Partibus id innotescere non valeat, ipsæque, non illius Juvenis propositi, sed domini præponentis fidem sequi dicantur. *n*

Secluso vero isto casu; In instrumentis quæ fiant in 15
Urbe, non cadunt quæstiones, quæ cadere solent in illis instrumentis, quæ fiant in partibus, super communi scilicet fama & reputatione, vel possessione notariatus, & cuinam incumbat onus probandi ejus affirmativam, vel negativam respective, quoniam stante dicta necessitate descriptionis in Archivio, de facili ex ejus inscriptione, seu revolutione justificari potest negativa; quæ recte probari dicitur ex revolutione, vel inspectione illorum librorum, in quibus affirmativa pernecesse contineri debet; *o* Idemque respectu aliorum locorum, in quibus eadem vigeat ratio, seu prohibitio.

Ubi vero ista necessitas non urgeat, tunc cadere solet quæstio, super validitate actus ratione communis reputationis ex dispositione, vel ratione textus, *in l. Barbarius &c.* Verum nimium rarum est id ad praxim reducere, ob tot requisita, quæ desuper a DD. desiderantur; *p* Plene tamen suffragari solet quasi possessio notariatus ad effectum transfundendi onus in instrumenti impugnatorem, probando negativam, ratione præsumptionis, quæ a quasi possessione resultat; Vel ut præ-
sumptiones, & adminicula ad hujusmodi probationem 16
sufficiant, quoniam ubi præsertim aliqua temporis diuturnitas accedit, atque agitur de notariatu incidenter ad hunc effectum, an publico instrumento per ipsum edito deferendum sit, necne, etiam præsumpta, seu adminiculativa pro facti qualitate admittatur, attenta præsertim qualitate præjudicii exinde resultantis, ad quod magis, ac principaliter videtur reflectendum.

Altera est inspectio, super forma, vel solemnitatibus necessariis, in ipso rogito, vel celebratione actus ad effectum, ut dicatur actus publicus, ex quo publicum instrumentum edi, seu reassumi valeat, adeout sit sole- 17
mnitas, vel forma, quæ adesse debeat, etiam in ipsa matrice, vel originali imbreviatura, utpote denotans substantiam, vel perfectionem actus, atque ut ita dignoscatur, quod sit originalis super rogitu jam secuto, & non minuta, vel scriptura præparatoria, quæ inter fasciculos, vel filzas Notarii præsertim defuncti reperiatur.

In hoc autem non de facili certa regula generalis statui potest, quoties (ut dictum est) agatur de schedula, seu folio volanti reperto inter fasciculos, vel filzas, non autem de codice, seu quinterno, qui protocollus nuncupatur, tam scilicet ad effectum denotandi perfectionem actus, quam etiam ad alterum certitudinis, & in exclusionem suppositionis, quam aliquando fieri praxis docet.

Quamvis etenim desuper considerari soleant ea, quæ
sunt publici instrumenti requisita necessaria, vel substan- 18
tia, ut sunt, Annus, Mensis, Dies, Clausula *actum*, cum expressione loci; Ac etiam testes in eo numero, qui pro qualitate actus requirantur; Puta in testamentis septem, In codicillis, vel donationibus causa mortis quinque; Et in actibus inter vivos duo, nisi leges particulares loci, quibus deferendum est, diversimode disponant; *q* Attamen ista sunt requisita, necessaria quidem, in ordine ad validitatem ac perfectionem actus, qui alias invalidus, ac imperfectus diceretur, quamvis reperiatur formiter extensus in protocollo, seu quod alias constet, quod sit originalis, Sed in ordine distinguendum, seu certificandum,

an

an sit originalis, vel minuta, est quidem argumentum probabile, non autem concludens pernecesse, quando soleant Notarii, anticipare omnia præmissa adnotare, cum præsupposito, quod illico, super jam conclusis inter Partes, rogitus, vel actus stipulationis sit secuturus, quod postmodum ex aliquo accidenti non sequatur, Ut præsertim praxis docere solet, quando agatur de testamentis conficiendis per graviter infirmos, qui longum fastidium, seu longam moram plurium personarum in aula, pati non possunt, quoniam Notarius, vel a se ipso, quia testator substantiam voluntatis prius ei communicaverit; Vel ad dictamen illius, cui dicta communicatio secuta sit, ut præsertim, ubique frequentius Advocatis, in Urbe vero frequentius cum Procuratoribus, sequi solet, totum prius extendit, ad effectum ut solum quo brevius fieri potest, ipse Notarius, coram ipso testatore, qui verbis, vel signis approbet, dicat coram testibus in compendio quid in ea scriptura contineatur, quando sit nuncupativum nuncupatione explicita; Vel quod faciat actum consignationis schedulæ, quando sit cum nuncupatione implicita. *r*

Atque hinc sequitur, (ut sæpius in suis materiis adver-
19 titur,) quod irrisione digni sunt illi Judicantes, vel Consulentes, qui pro interpretatione voluntatis totam, vel magnam vim constituunt in sola formalitate verborum, vel clausularum, vel in qualitate orationis.

Ac propterea his stantibus resultat, ut alia desideranda videantur perfectionis actus adminicula, vel argumenta, pro facti qualitate, attenta præsertim consuetudine, seu
20 stylo Notarii, comprobato ea aliis originalibus, quæ non dubitetur esse talis; Nec non ponderato modo custodiæ cum aliis, quæ prudenti arbitrio ponderanda videantur; Et præsertim; si Notarius esset solitus conficere formatum, beneque ordinatum protocollum, in quo adessent alia originalia, quoniam pro affirmativa, vel negativa, nimium prodest, vel respective nocet, an illa scriptura de qua sit quæstio, reperiatur bene ordinata & collocata cum aliis, cum ordine numerico, seu abachali. *s*

Item in ordine ad eundem codicem, seu protocollum, advertendum venit, quod ille dupliciter confici solet; Primo nempe per viam formalis registri, bene ordinati, quod
21 scilicet Notarius, postquam se rogavit de actu, adnotato rogitu in manuali, seu bastardello, vel etiam in parva schedula, seu folio volanti, postea manu sua extendat formiter actum in codice ad id ordinato, cum rubrica, seu adnotatione in principio; Istoque actu secuto, illa originalis imbreviatura lacerari, seu parvipendi potest, ac solet; *t* Ideoque si inter scripturas Notarii adsit iste protocollus bene tentus, beneque ordinatus, in quo reperiantur rogitus anteriores, & posteriores, non reperiatur autem iste intermedius, qui inveniatur inter fasciculos, vel filzas volantes, tunc magnum argumentum est, quod sit minuta, seu scriptura præparatoria, super qua non fuerit secuta stipulatio, seu perfectio rogitus. *u*

Altera species codicis, vel protocolli est, quod ipsæ originales scripturæ volantes, super quibus fiat rogitus, insimul conglutinantur, seu uniuntur ad honestum codicem
22 efformandum, juxta stylum Notariorum Urbis, ac etiam Civitatis Neapolis, & forte aliarum magnarum Civitatum; Ex ea congrua ratione, quæ saltem pro magis frequenti usu, in magis Civitatibus verificatur, quod scilicet agitur ut plurimum de negotiis gravibus, vel etiam mediocribus, super quibus præordinantur minutæ bene in omnibus extensæ, quæ transeunt per manus Advocatorum & Procuratorum utriusque Partis, per quos opportunæ clausulæ & cautelæ adjiciuntur; Et per consequens non instat illa necessitas, quo dignosci videtur in Notariis Civitatum & locorum inferioris ordinis, quod scilicet absque hac matura præordinatione, instrumenta pro majori parte, ex improviso atque currenti calamo, in schedulis, vel bastardellis, breviter adnotantur quoad substantiam, ideoque imbreviaturarum nomen, seu vocabulum prodiit, postmodum vero domi fit extensum in protocollo, ex quo, quando opus est, reassumitur instrumentum, quod Partibus tradendum est; Atque in hac specie verificatur superius insinuatum assumptum, quod originales matrices, seu imbreviaturæ possunt, ac solent a Notario lacerari, vel parvipendi.

Inter istas autem species codicis, vel protocolli dignoscitur aliqua notabilis differentia, quoniam ubi agitur
23 de prima specie, quæ redolet registrum formale in libro, qui ab initio ad hunc effectum, bene compositus & cum numeris abachalibus ordinatus est, & qui ipsorum instrumentorum seriem juxta temporum ordinem continet, cum continuationes, ad instar registrorum Datariæ, ut pleraque hujus speciei ego vidi, & practicavi, tunc non ita de facili datur illa falsitas, vel suppositio, quæ dari potest in alia specie codicis, qui constitutus est ex diversis matricibus diverso tempore, in diversis papyris, diversa signa, vel diversas formas habentibus, & cum diversitate characterum Juvenum, seu amanuensium, unde propterea nimium facilis est ablatio veræ matricis, alteram confictam, ejus loco supponendo in totidem paginis, quæ eundem numerum abachalem habeant, & per consequens minus tuta est fides; Istæque circumstantiæ, vel distinctiones quando suspicio vigeat, præ oculis habendæ sunt, bene reflectendo ad qualitatem characteris, an sit recens, vel antiquum, ac etiam ad ipsam chartam, & filos consuturæ, cum similibus pro facti qualitate; & præsertim, circa majorem, vel minorem Notarii fidem, vel diligentiam, in hujusmodi protocollorum custodia; Verum id non respicit præsentem inspectionem validitatis, ac perfectionis, sed potius alteram præcedentem falsitatis.

In his itaque matricibus, sive de una, sive de altera specie sint, non requiruntur omnes illæ solemnitates, quæ 24
(ut in sequenti inspectione) requiruntur in instrumento in publicam formam reassumpto, ut Partibus detur, sed sufficiunt substantialia superius insinuata, nempe, testes in numero opportuno pro qualitate actus, vel respective pro locorum legibus, ac etiam clausula *Actum*, *&c.* quæ sub
diversis stylis, pro ditionum diversitate concipi solet, 25
cum anno, mense, & die, qui apponi debent per extensum, non autem per breves abachales numeros, vel cifras; Id enim damnatum est ob fraudes, ac faciles alterationes, quæ fieri possunt. *x*

Atque in Regno Neapolitano, in illis instrumentis, quæ rogantur per Notarios Regios, ultra testes, qui in
actibus excedentibus valorem libræ auri, debent adesse ad 26
minus tres literati; In alii vero minoris summæ, debent esse duo; Requiritur etiam interventus alterius personæ, quæ dicitur Judex ad contractus, qui Regia auctoritate ad hunc effectum tantum absque alia jurisdictione, vel existimatione sit creatus, unde propterea istud munus exercere solent personæ populares, & idiotæ, in quibus alia idoneitas desiderari non videtur, nisi illa, quod sciant legere & scribere; *y* Videtur tamen quædam cautela non omnino inutilis, quoniam enim isti Judices creari non soleant, nisi previa attestatione Communitatis loci super eorum probitate, ita efficiuntur quodammodo personæ publicæ & certæ, ac propterea non ita de facili sequi possunt falsitates, ac suppositiones.

Non requiritur autem in hujusmodi originalibus, (juxta opinionem in praxi magis receptam) subscriptio,
vel signum Notarii; Minusque subscriptio testium, nisi 27
in casibus, in quibus, per leges particulares, ita specialiter provisum sit; Ut (ex. gr.) habemus in Urbe per ejus statutum, dispositum in donationibus, in quibus requiritur subscriptio donatoris, ac duorum testium in ipsa originali matrice, *z*

Commendabilis vero potius, quam damnabilis est ali-
quorum Notariorum stylus, (qui ex meo judicio, pro lege 28
præcisa demandari deberet) subscribendi etiam matrices, ut ita certius dignoscatur, an illa scriptura contineat matricem perfectam, vel potius minutam, seu præparationem; Ideoque ad hunc stylum, est nimium reflectendum, quoniam quando ille esset uniformis, ac generalis, tunc defectus subscriptionis certam induceret probationem, quod illa scriptura non esset matrix perfecta, sed minuta; Sed quando esset difformis, licet talis defectus non bene concluderent, adhuc tamen in nimia consideratione habendus esset, tanquam imperfectionis adminiculum. *a*

Si vero casus præbeat quod ille rogitus non contineret dicta requisita substantialia, nempe annum, mensem,
diem, testes, & clausulam *actum*; *&c.* Non semper ta- 29
men iste defectus imperfectionem concludit, quoniam pro facti qualitate, subintelligenda quandoque venit adnotatio eorundem requisitorum, quæ contineantur in præcedenti instrumento, vel actu, quando facti circumstantiæ id suadeant, quod scilicet iste secundus actus sit præcedentis consecutivus, seu alias connexus, unde propterea dicendus veniat gestus eadem die, in eodem loco, & coram eisdem testibus; *b* Et in summa, totum pendet ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ac potissimum attentis locorum legibus, vel stylis; Et per consequens certa regula generalis desuper statui non potest.

Quo vero ad tertiam inspectionem super forma probante ipsius

te ipsius instrumenti extracti, seu reassumpti in publicam 30 formam: Ultra superius insinuata requisita, quæ necessaria sunt in originali matrice, & quæ in instrumento exinde extracto sine dubio fortius adesse debent; Plura alia desiderari solent; Puta invocatio Divini nominis, initio præmittenda; Necnon, ultra annum, mensem, & diem, per extensum, non autem per numeros abacbales, vel arithmeticos ut supra, requiruntur etiam Indictio; Nomen Principis dominantis, cum enunciatione temporis suæ dominationis; Et subscriptio, ac signum Notarii. c

Super his autem, omnino certa, & generalis regula, cuicunque loco applicabilis, statui non potest, cum to- 31 tum pendet a singulorum locorum legibus, vel stylis, & præsertim circa requisitum copulativum, vel alternativum subscriptionis, & signi Notarii, cum in plerisque partibus sit in usu utrumque, & in aliis sufficiat solum signum, quod sub se contineat subscriptionem; ideoque dictis legibus, vel stylis deferendum erit; In Curia vero utrumque adhibetur. d

In Regno autem Neapolitano, ut instrumentum dicatur vere publicum, & in forma probanti, juxta illas leges particulares, requiritur quod a Notario scriptum sit in 32 charta pergamena, seu de corio, cum ejus signo, quod stare videtur loco subscriptionis, atque sit subscriptum etiam per Judicem ad contractus, & per tres testes literatos, idest scientes legere, & scribere, quando id quod in eo continetur, importet ultra valorem libræ auri, juxta antiquam æstimationem, ad rationem ducatorum sex pro qualibet uncia (dum etiam hodie retinetur in aliqua parte, & præsertim in dotibus, quæ constituuntur per plebeos, usus, qui antiquitus in omnibus contractibus, aliisque dispositionibus erat communis, atque magis retinetur in alio Regno Siciliæ ultra, adhibendi terminum, seu vocabulum *unciarum*, ad dictam rationem ducatorum sex pro qualibet;) Ubi vero valor sit inferior, tunc ultra subscriptionem Judicis ad contractus, requiritur illa duorum testium, atque alias sine hac solemnitate instrumentum non dicitur in forma probante.

Verum quia ista nimia solemnitas, ob absentiam, vel mortem testium, sive ex aliis accidentibus, magnas 33 difficultates, ac sumptus parere solebat; Hinc proinde, ut facilitati commercii magis consultum esset, iste rigor de facto retinetur solum inter præsentes, & in eodem loco, ubi agatur de instrumento incusando, seu liquidando juxta formam ritus illius M. C. V. de qua particulariter agitur infra inter judicia summaria, & executiva; Pro reliquis autem judiciis, & præsertim pro illo, ibi adeo frequenti, quod *Assistentiæ* dicitur, de quo pariter infra inter remedia, vel interdicta possessoria, ab antiquo tempore inolevit usus præstandi fidem copiis authenticis, in simplici charta, quæ ibi bombicina vulgo dicitur, inter præsentes, sive intra duas dietas; Paulatim vero per totum regnum, ac etiam in ipsa Regia civitate, ejusque Tribunalibus, in causis locorum Regni id est in usu; Adhuc tamen, quando de causis gravibus agatur, earumque principale, vel præcipuum fundamentum in illius instrumenti veritate, ac forma probanti consistat, Parte opponente, ad dictam formam probantem reducendum est; Maxime ubi sint mortui Notarius & testes; Idemque fortius ubi agatur de causis, quæ agitentur extra Regnum; Puta pro frequentiori contingentia in Curia Romana per appellationem ab Ordinariis locorum. e

Potissime, ut ego pluries in facti contingentia dicere consuevi, ac sustinui, quoniam in Curia non admittitur 34 dictus usus Regni deferendi copiis habentibus solum attestationem Notarii extrahentis, dum de jure, copiæ sint ab eo, cuntur instrumenta authentica, etiamsi extracta non dieodem Notario rogato, multo minus si ab alio, quoniam aliud est copia, & aliud est instrumentum publicum, atque eatenus copiis quandoque deferri solet, quatenus agatur de factis antiquis; atque fomentum sufficientium adminiculorum habeant. f

Cumque in eo Regno Notarii Regii habeant solum in usu dandi dictas copias, non autem instrumenta nisi juxta dictam formam; Hinc proinde non habetur ille usus instrumentorum publicorum in charta ordinaria, & cum sola subscriptione, & signo Notarii, ut in Curia, aliisque partibus in usu est.

Et quamvis aliqui crediderint, quod cum hæc forma proveniat ab illis legibus laicalibus, idcirco necessaria non sit in causis Ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum, 35 quæ præsertim in Tribunalibus Curiæ Romanæ, vel in aliis fori ecclesiastici agantur ratione exemptionis a dictis legibus; Attamen id continet æquivocum, ab eadem Rota elucidatum, occasione legis inhabilitantis Notarios vassallos in instrumentis, quæ favorem, vel odium Baronum concernant, g Ex ea clara & convincenti ratione, quod scilicet leges laicales non tollunt fidem instrumento, quod alias fide dignum esset, unde propterea suam facerent operationem cum personis ecclesiasticis non subditis, suum jus eis tollendo, sed adimunt fidem Notario eadem laicali auctoritate creato, ita declarando quod non censeatur sibi data potestas, nisi quatenus servetur forma præscripta.

Ad occurrendum itaque huic difficultati, pro causis extra Regnum, & præsertim in Curia tractandis, pruden- 36 ter aliqui Notarii, illi præsertim, qui in eadem Regia Civitate, majora, & graviora negotia agere solent, curant obtinere quoque Apostolicam auctoritatem, & consequenter tanquam Notarii Apostolici dant, seu conficiunt instrumenta pro foro ecclesiastico, eo modo quo de jure communi, & de stylo Curiæ sufficit; Ac etiam aliqui obtinent quoque auctoritatem Imperialem pro instrumentis deservientibus pro reliquis Italiæ partibus, præsertim Lombardiæ, & Hetruriæ, vel etiam extra Italiam, ne ita vigeat necessitas, quæ incumbit Notariis, qui Regia tantum auctoritate creati sunt, dictam formam servandi.

Procedunt hæc in instrumentis publicis, quæ cum debita forma, ut supra de jure communi, vel particulari respective extrahantur per ipsosmet Notarios rogatos, quorum 37 respectu compulsoria, vel alia similis forma necessaria non est; Ubi vero agatur de reassumptione, vel extractione per alium facta, vel facienda, cum tunc majores interent difficultates, seu requirantur solemnitates, idcirco agitur particulariter *discursu sequenti*.

a Menoch. *lib.* 2. *præsumpt.* 81. Buratt. *decis.* 492. Bich. *decis.* 223. b Gregor. & add. *decis.* 3. & 38. Buratt. & add. *dec.* 667. *dec.* 78. post Merlin. *de pignor. dec.* 318. *part.* 13. *rec.* Royas *decis.* 483.

c *dec.* 119. *p.* 4. *rec.* 10. 2. *dec.* 61. *p.* 8. & *sub tit. de testam. disc.* 33. & *in supplemento*. d *ut dict. tit. de testam. in supplemento in Romana hæreditatis de Celsis*.

e Gabr. *de fideic. instrum. concl.* 1. *cum aliis sub tit. de Regal. disc.* 148. & *alibi*. f Gregor. & adden. *dec.* 38. Buratt. *dec.* 878. *dec.* 53. *part.* 13. *rec.*

g Buratt. *dec.* 318. & 688. h Pellegrin. *in prax. Vicar.*

i Rovit. *pragm.* 2. *de contractibus*. l Rovit. *ubi supra*.

m *ibidem*. n *tit. de testam. disc.* 33. & *in supplemento in casu, de quo supra, lit. D.*

o Buratt. & add. *dec.* 20. & 264. Mantic. *dec.* 34. & 287. Cavaler. *dec.* 100. & 535. *tit. de Regal. disc.* 14. 47. & 81. & *sæpius*, & *infra*, *disc.* 34. & 37.

p *eod. tit. de testam. in supplemento in nullius Sancti Edicti*, & *in aliis*, Parisi. *de probat. lib.* 2. *c.* 21. Rovit. *pragm.* 1. *de Notar.*

q Mantic. *decis.* 3. Buratt. *dec.* 496. 265. & 543. & 666. Rovit. *pragm.* 2. *de Notar.* Capyc. Latr. *consult.* 79.

r *tit. de testam. pluries*. s *supra lit. Q.*

t *dec.* 349 *part.* 10. *recent. decis.* 402. *part.* 12. *tit. de test. disc.* 65. u *dict. disc.* 65. *de testam.*

x *l.* 2. *§. ne autem, C. de veter. jur. enuclean. gl. de Constit. Regni qua incipit consuetudinem*.

y Rovit. *pragm.* 2. *de contract.* z *cap.* 149. *ubi* Fenzon. & *d. disc.* 65. *de testam. ac etiam in tit. de donat.*

a *eod. disc.* 65. *de testam.*

b Bich. *dec.* 400. Capyc. Latr. *consult.* 14. & 15.

c Seraph. *decis.* 902. & *seqq.* Buratt. *decis.* 666. & 672. Cavaler. *dec.* 122.

d *Ubi supra*, & *præsertim* Cavaler. *d. dec.* 122.

e *De dict. solemnitate rigorosa, ejusque moderatione, ut supra*, Franch & add. *dec.* 141. Rovit. *pragm.* 1. *de fid. instrum.* Modier. *contr.* 32. & 8. & *decis.* 377. *part.* 11. *rec.* f Cavaler. *decis.* 79. Buratt. & add. *decis.* 243. 187. *p.* 5. *rec. decis.* 51. *p.* 9. *rec. tit. de testam. disc.* 66.

g Bich. *decis.* 23. & 93. Royas *decis.* 198. *lib.* 1. *de feud. disc.* 29.

De legitima extractione facienda instrumentorum Notarii defuncti; aliorumque publicorum documentorum, seu actorum existentium in archiviis aliisque locis: Et tali occasione agitur de materia compulsoriæ.

Ac etiam, an & quando una Pars teneatur alteri edere ejus jura, vel scripturas?

Et de materia productionis, vel repetitionis.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *NEcessaria non est compulsoria in instrumentis extractis ab ipso Notario rogato, vel successore,*
2 *Secus autem in iis, quæ ab alio extrahuntur.*
3 *Quid sit compulsoria.*
4 *De ejus duplici specie.*
5 *De differentia inter generalem, & specialem, & quod procedat in omnibus cum terminis remissoriæ.*
6 *Quod non expediat disputationes desuper assumere, remissive.*
7 *De alia differentia antiqua inter compulsoriam generalem, & specialem in Rota.*
8 *De eodem de quo num. 1. circa successorem, vel ratione officii.*
9 *Fallit in officiali deputato per collitigantem.*
10 *Quod quandoque neque compulsoria sufficiat, sed debeat exhiberi originale.*
11 *De juribus extrahendis ab actis Notarii defuncti.*
12 *De duabus speciebus Notariorum in Officio, & jure privato.*
13 *In prima specie successor est idem, ac prædecessor.*
14 *In altera specie, scripturæ remanent in hæreditate Notarii, & quomodo sit provisum in Urbe, & Statu Ecclesiastico.*
15 *Successor Notarii privati non extrahit sine compulsoria.*
16 *De praxi Regni Neapolitani circa extractionem instrumenti ex scripturis Notarii defuncti.*
17 *De eodem, & de facultatibus illorum Notariorum.*
18 *Quid ubi facultates non intrent.*
19 *Copia, vel fides instrumenti non probat, quod tamen declaratur inter præsentes.*
20 *Jura informia probant si pars citata non opponit, quod declaratur.*
21 *Item jura informia adminiculata probant.*
22 *De fide præstanda archivio, & de archivio, &c.*
23 *De eodem, & an solum archivium sufficiat?*
24 *De fraudibus quæ fieri solent in archiviis.*
25 *De copia, vel sumpto extracto ab actis.*
26 *De amissione scripturæ, ejusque tenore, probando per testes, & quid requiratur.*
27 *De eodem cum distinctione casus amissionis.*
28 *De occupante, vel lacerante scripturas.*
29 *An una pars teneatur edere alteri ejus scripturas, & jura?*
30 *De eodem, & quando hæc obligatio magis arctet.*
31 *An exhibitio præsumatur integra?*
32 *De coactione ad factum, vel sufficiat offerre interesse,*
33 *De confectione, vel approbatione, quæ resultat a productione.*
34 *Quando productio dicatur facta realiter, & quando verbaliter.*
35 *An, & quando sufficiat sola verbalis?*
36 *Debet fieri parte citata, & quando citatio non requiratur.*
37 *An productio in uno judicio sufficiat pro alio?*
38 *Generalis productio non sufficit.*
39 *Minusque ejus assertio.*

DISC. XXVIII.

1 DE instrumentis in publicam formam extractis ab ipsomet Notario rogato, & pro quibus, forma, vel solemnitas compulsoriæ necessaria non est, quamvis lite pendente edantur, dummodo publici instrumenti formam ac requisita habeant, habetur actum supra.

Ubi vero, Notario defuncto contingat extractionem
2 fieri ab alio, quam ab ipsomet, qui de actu sit rogatus; Quatenus pertinet ad regulas juris communia, aut ad Romanæ Curiæ stylum; Regula est, ut non deferatur instrumentis per diversum Notarium extractis nisi cum solemnitate compulsoriæ, cujus terminos, videtur Romanæ Curiæ specialis eo modo quo alter remissoriæ, de quo infra; Adeout quamvis ad Curiam accesserim post aliqua munera expleta, hujusque facultatis aliquod exercitium; Adhuc tamen hujusmodi termini visi sunt novi.

3 Compulsoria itaque est, quædam commissio, quam Judex, coram quo causa pendet, tradit Ordinario loci, vel alteri personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ existenti in partibus, in quibus adsit scriptura extrahenda, ut assumpto publico, & probato Notario, citata, & audita Parte interessata, factaque debita recognitione protocolli, vel alterius originalis, ex quo publicum instrumentum, vel aliud authenticum transumptum extrahendum est, hujusmodi extractionem fieri posse, ac debere decernat, ita jure delegationis, supplendo, vel explicando partes Judicis causæ, si præsens esset in loco, adeout causæ Judex, non Notarii extrahentis, sed Judicis delegati fidem sequatur super actu judiciali, qui servatis servandis, parte interessata citata in forma judicii sit gestus.

Duplex autem est compulsoriæ species, una scilicet generalis, & altera specialis; Generalis est illa, quæ non petitur, neque conceditur pro extractione aliquarum certarum scripturarum, sed in genere pro omnibus, & quibuscunque juribus ad causam facientibus; Specialis vero est illa, quæ petitur pro extractione certarum scripturarum. 4

Notabilis vero differentia est inter unam, & alteram speciem, quoniam prima secum non trahit dilationem, seu retardationem cursus causæ, ut facit altera; Et consequenter cum compulsoria generalis collitiganti nullum inferat præjudicium, neque habeat illam suspicionem, quam ex dicta ratione dilationis, vel retardationis habet specialis, non assumuntur super ejus concessione formales disputationes, sed cuilibet petenti conceditur, etiam sine citatione Partis, quæ necessaria est in ejus executione coram illo, qui assumatur ejus Judex, vel executor in partibus, pro faciendo actu extractionis: Neque dirigitur certæ, & particulari personæ, sive certo magistratui, sed omnibus, & quibuscunque. 5

Specialis vero, ob suspicionem calumniæ, quæ illi, ratione dictæ dilationis inesse solet, ut ita scilicet sub hoc prætextu Reus ac possessor, Actorem defatiget, atque causam in longum protrahat, (eodem modo quo in remissoria frequentior praxis docet) in ejus concessione requirit citationem Partis cum exhibitione copiæ, vel sumpti illarum scripturarum, pro quarum solemni extractione in forma probanti petitur compulsoria; Atque se opponente altera Parte, desuper assumitur formalis disputatio, atque in causis Rotalibus, id sequitur cum dubio particulari, super cujus resolutione eduntur decisiones, dum ita cadunt omnes illæ quæstiones, vel inspectiones, de quibus habetur infra in discursu remissoriæ, dum a pari ex rationis identitate in omnibus procedunt compulsoria, & remissoria, tam super calumnia, quam super irrelevantia; Ac etiam quia aliquando collitigans, ut hæc subterfugia evitet, dare solet scripturam in formem pro extracta ut habeatur, ac si esset in forma probanti, ex illis prudentialibus regulis, de quibus habetur infra *in dicto discursu* remissoriæ, atque ubi ea danda sit, deputatur Judex particularis, Partibus non suspectus, prævia discussione confidentium, & diffidentium, eo modo quo in remissoria, & generaliter in aliis subdelegationibus, juxta formulas Notariorum, quæ registratæ habentur apud illos Practicos, potius mechanici sunt, & transcriptores, quam scientifici; Et quæ pro consueta Practicorum scientia omnibus notæ sunt per traditiones. 6

Alia item dignoscebatur antiquitus differentia inter compulsoriam specialem, & generalem in causis Rotalibus, quod pro speciali requirebatur particularis commissio Papæ; Verum hodie ob innocentiam hæc necessitas cessat, dummodo causa cognita ut supra, ea concedatur. 7

Ista solemnis extractio cum compulsoria, necessaria non est in illis juribus, quæ extrahantur per ipsum Notarium rogatum, sive per ejus successorem in officio, aut alterum publicum officialem ad id deputatum; Ut (ex. gr.) sunt Notarii, seu Actuarii respectu actorum judicialium, vel Secretarii, aut Cancellarii, sive Archivistæ, aliove nomine nuncupati respectu illarum scripturarum, quæ in aliquo archivio, vel alio loco, sive in aliquibus libris, & regestris sunt, sub munere & custodia illius officialis, qui in summa deponat de pertinentibus ad ejus officium, quod ita exerceat; Ad instar eorum, quæ habemus in Notario rogato, vel in ejus successore. 8

Nisi tamen iste officialis deputatus esset per collitigantem, cujus sit archivium, vel registrum, seu liber, unde compulsatio facienda est, cum tali casu non intret ratio publicæ, & non suspectæ fidei, quæ per legem præsumitur, seu præsupponitur in publico officiali indifferenti, deputato per Principem, vel per alium superiorem pariter indifferentem, cum tunc necessaria sit compulsoria, principaliter pro magis exacta recognitione matricis, seu originalis, quæ ita per collitigantem in proprio archivio, seu registro per eundem officialem a se deputatum suumque famulum, seu ministrum dependentem, confingi, seu alterari potuerit, ut quandoque praxis docuit; Adeout 9

pro

pro causarum gravitate, & pro qualitate suspicionis, ejusque argumentorum, ac etiam pro faciliori, vel difficiliori praxi, juxta locorum, seu regionum distantiam, vel aliam qualitatem, neque istud compulsoriæ reme- 10 dium sufficiens reperiatur, sed demandari soleat asportatio originalis ad Urbem, ut oculis Judicis subjiciatur; Dummodo altera Pars, quæ suspicionem habet, & allegat, se offerat proprio sumptu, proprioque periculo hanc asportationem facere, ne alias detur occasio fraudibus, & machinationibus in itinere, affectandi peremptionem originalis; *d* Ideoque ista praxis nimium rara est, non apta recipere certam regulam, sed pro singulorum casuum particularibus circumstantiis ex prudenti, beneque regulato arbitrio Judicis pendet.

Procedunt hæc, circa fidem dandam juribus extractis per officialem ad id deputatum, ut plurimum in juribus judicialibus existentibus in archivio alicujus Curiæ, vel Tribunalis, sive in registris, vel aliis documentis existentibus in archiviis publicis principatus, cum 11 similibus; Quo vero ad instrumenta extrahenda ex protocollo, vel ex actis alicujus Notarii defuncti, seu civiliter mortui, ob mutationem status, vel ob sibi interdictum officii exercitium, adeout per alium extractio facienda sit, non de facili dari potest certa regula generalis, quibuscunque locis, & casibus applicabilis, ob stylos diversos regionum, seu locorum, diversasque species Notariorum.

12 Agendo siquidem de praxi Urbis, & Status ecclesiastici; Duæ sunt species Notariorum, qui super actibus voluntariis, & non contentiosis, instrumenta facere solent; Una scilicet eorum, qui habent notariatum in officium a Principe, vel ab altero ad id potestatem habente, cum jure, seu facultate gerendi etiam acta judicialia, In quibus principaliter eorum munus consistit, adeout omnes scripturæ sint annexæ officio, cum quo, (ubi officium sit vacabile) devolvuntur, ac respective alteri per Principem per alium conceduntur, ut sunt illa officia, de quibus in Regalium sede, vel materia pluries agitur; *e* Et alii sunt Notarii privati, qui vulgo instrumentales tantum dicuntur, quia nempe sint creati Notarii a Papa, vel a Collegio Prothonotariorum, sive a Collegio Scriptorum, aut ab altero hanc facultatem habente, atque descripti in Archivio, private domi viventes, ex contrahentium libito, pro eorum peritia, vel fide assumantur super privatis conventionibus.

In prima specie Notariorum, qui vere publici sunt, 13 datur formalis successor subrogatus in omnibus loco prædecessoris, eo quia semper unum, & idem est officium, eademque persona formalis Notarii; Personæ vero materiales, quæ mutantur, considerantur tanquam instrumentum, seu organum, sive tanquam ministri, ideoque nullum cadit dubium, quin successor absque alia solemnitate det instrumentum publicum super rogitu prædecessoris.

In altera vero specie, non datur formalis successor, 14 cum sit jus mere personale; ideoque de jure protocollus remanet in hæreditate Notarii defuncti, atque emolumenta pertinent ad hæredes; Unde propterea, passim in jure habetur mentio de usufructu, aliave privata pertinentia hujusmodi protocollorum, & emolumentorum. *f*

Verum prudenter provisum est, ut protocolli, aliæve matrices, asportentur ad publicum archivium in certo loco deputatum, ut exinde Notarius, vel alter officialis deputatus custodiæ archivii, extrahat instrumenta; Et consequenter dicitur facta extractio per officialem, deponentem de re spectante ad officium suum.

Sed si casus præbeat, quod hæc asportatio ad publicum archivium non fiat, adeout scripturæ retineantur per hæ- 15 redem, qui sit etiam Notarius privato jure, ideoque extractionem faciat, vel eo permittente, eam faciat alter privatus Notarius, quamvis huic hæres ex ejus libito scripturas custodiendas tradiderit, sive venditionis, aut donationis titulo concesserit, non per hoc tamen dici potest extractio facta per successorem ratione officii; Et per consequens requiritur compulsoria, sine cujus solemnitate non dicitur instrumentum in forma probanti; Atque ad has distinctiones reflectendum est; cum frequens praxis doceat æquivocorum incursum, quodque sæpius capiatur quid pro quo.

In dicto autem Regno Neapolitano, diversa est praxis, 16 quoniam Notarii actitantes; Sive in titulum, juxta praxim Urbis; Sive jure conductionis annalis, vel ad aliud tempus, a Baronibus, vel a Communitatibus, aut ab aliis habentibus in titulum, acta solum judicialia peragunt, ipsique non vocantur Notarii, sed actuarii, seu magistri actorum, atque se non ingerunt in rogitibus privatarum conventionum, præterquam in illis obligationibus, quæ dicuntur penes acta Curiæ; Unde si casus præbeat, ut ille, qui, vel in officium, de jure conductionis est Actuarius, sit etiam Notarius, atque de aliquibus instrumentis rogetur, tunc hujusmodi rogitus non remanent in actis, sed dicuntur de proprio ac privato protocollo, cum ea reduplicatione personarum formalium, quæ passim ex legis fictione datur in eadem persona materiali; Unde propterea ipsis morientibus, remanent protocolli, aliæque originales scripturæ apud ejus hæredes; Et quamvis per Regias ordinationes, quando hæres non sit etiam Notarius, teneatur, vel in custodiam, sive per viam alienationis, eas tradere alteri Notario; Attamen excepta Regia Civitate, in qua Notarii superstites, diligenter curant acquirere schedulas, & scripturas Notarii morientis, In aliis Regni Civitatibus, & locis, & præsertim in parvis, meo tempore, parum id servabatur; Sed quomodocunque sit, dici non potest, quod adsit illa successio in officio, quæ ut supra, verificatur in habentibus officium vacabile, cum dicatur potius successor voluntarius jure privato; Et per consequens de stricta juris censura, necessaria est solemnitas compulsorionis.

Verum in illis Tribunalibus, ea in usu non est, ob fa- 17 cultatem, quæ eisdem Notariis in eorum privilegio expresse tribuitur, reassumendi in publicam formam instrumenta cujuslibet alterius Notarii defuncti, dummodo vivant duo testes, vel unus, & Judex ad contractus, cum quorum interventu recognoscitur protocollus, seu matrix, ex qua reassumptio fiat; Atque super hoc actu, cum aliis testibus, alioque Judice ad contractus, Notarius conficit quandam speciem novi rogitus, ac propterea in ipso instrumento, quod in publica forma reassumitur, se subscribunt testes, antiqui & moderni, illique dicuntur, in primis gestis, isti vero in novis gestis.

Quatenus vero, ad limites privilegii, non verificetur 18 superviventia testium, ut supra, adeout hæc facultas desit; Tunc servatur in effectu (sub aliquo tamen diverso stylo) solemnitas compulsoria, quod scilicet obtinetur Regia provisio, directa Judici ordinario loci, super recognitione scripturæ originalis, ex qua reassumptio instrumenti facienda est, atque comperto, originalem matricem Notarii defuncti, cum suis requisitis, a falsitaris, vel suppositionis suspicione alienam esse, committit Notario, ac alteri Judici ad contractus, & testibus, qui in eo actu intervenerunt, ut publicum instrumentum desuper reassumant, & subscribant; Atque ita forte, mutatis mutandis, in aliis ditionibus servabitur, cum totum pendeat, quoad substantiam, ab eodem principio, quamvis modi, vel styli sint diversi.

Præsupposito autem, quod instrumentum, vel aliud documentum, hanc formam probantem non habeat, tunc 19 non dicitur instrumentum, neque probationem facit, quamvis (ut supra insinuatum est) ageretur de copia, vel de fide ejusdem Notarii rogati; *g* Hujusmodi vero copiis, vel fidibus, ex quodam stylo defertur inter præsentes, Parte non opponente, dum ita ea incontinenti de veritate certificari potest, cum inspectione protocolli, sive originalis, unde de facili instrumentum publicum reassumi potest. *h*

Adhuc tamen, quandoque scripturis, ac juribus infor- 20 mibus deferri solet; vel scilicet, quando altera pars citata ad dicendum contra, nihil opponat, quoniam tunc si ipsa non opponente, feratur sententia, non poterit dicere de illius nullitate, eo quia non justificetur ex actis ob deficientem formam probantem; *i* Bene verum quod in gradu appellationis, vel restitutionis in integrum, si formiter de hoc opponat, admittitur oppositio, atque facienda est recognitio, cum negligentia præjudicet in illa instantia tantum, non autem in ulteriori. *l*

Defertur item juribus, quamvis informibus, quando 21 sint bene adminiculata; Potissime vero ubi accedat adminiculum observantiæ, quod in hoc proposito vehementissimum reputatur; *m* Non tamen in hac materia adminiculorum dari potest regula certa & generalis, quoniam (ut nimium frequenter in omni fere materia advertitur) totum pendet ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus in uno casu aliqua adminicula sufficientia sint, in altero autem, eadem ac majora sint insufficientia, attenta gravitate materiæ, qualitate personarum, & regionis, aliisque hujusmodi considerari solitis, & potis-

potissimum, (ut dictum est,) attenta qualitate observantiæ.

Et quoniam, pro nostris præsertim Italiæ moribus,
22 quando agitur de factis antiquis, jura, sed documenta extrahi solent ab archiviis per eorundem archiviorum custodes, vel officiales, qui ut supra, loco Notariorum habentur; Hinc proinde, quæstiones frequenter cadunt, super fide archivio præstanda; Atque in primis ejus qualitas inspicienda est, an scilicet sit archivium publicum, & jurisdictionale, uti sunt archivia Principum, aliorumque publicorum Magistratuum sæcularium, ac etiam illa Episcoporum & Civitatum, sive sunt quædam archivia Monasteriorum, quæ ratione antiquitatis, ac probatæ fidei, & diligentis custodiæ, publica reputantur; Ut (exempli gratia) est celebre achivium Cassinense, cum similibus; Positaque publicitate inspiciendum est, an ejusdem archivii dominus in causa, de qua agitur, ut collitigans, sive aliquod interesse habeat, cum tunc archivio non defetatur, eo modo quo deferendum esse in causa inter tertios, absque istius interesse mixtura. *n*

23 Præterea, solum archivium robur non præbet scripturæ informi, quæ ibi reperiatur, cum quilibet posset affectate in eo scripturas reponere, ut postea sumptum authenticum extrahatur, pro ejus intentione fundanda, sed ipsa scriptura habere debet faciem, ac formam publicæ, ac probantis, quodque ab antiquo ibi inter alias antiquas scripturas extiterit, & non constet de suppositione; *o* Quamvis etenim machinatores, illi præsertim, qui inanis gloriæ cupidi, seu verius, in hoc genere stulti mani-
24 festi, nobilitates ita affectant, prævidentes has difficultates, curent, ut per antiquitatis imitatores, effingantur privilegia, & documenta, quæ habeant characterem, ac formam illorum temporum, eaque curent reponi in illis scriniis, vel arculis, in quibus consimilia documenta vera asservantur. Attamen impossibile est, ut lex humanæ malitiæ omnino occurrere valeat. Ideoque in casus occurrentia, prudens, & oculatus Judex, alia adminicula indagare debebit, illud præsertim verisimilitudinis, vel inverisimilitudinis.

Defertur item quandoque simplicibus copiis, vel sum-
25 ptis, quæ repetiantur in actis, quia nempe pro frequenti stylo exhibeatur in actis scriptura origioalis, cum facultate illam reassumendi, relicta in eisdem actis copia collationata. Verum in hoc, nimium circumspecte procedendum est, pro facti qualitate, & an agatur de negotio recenti, vel antiquo, dum sola antiquitas non sufficit, nisi etiam urgentia accedant adminicula, quoniam alias quilibet posset pro libito confingere aliquam sibi opportunam scripturam, illamque tanquam originalem producere, deindeque eam reassumere, ut falsitas convinci non posset, fundando ejus intentionem in dicto sumpto producto in actis. *p* Hinc propterea universa hæc materia, facti potius, quam juris dicenda est, uniformem generalem regulam non recipiens, sed pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidenda.

26 Datur etiam aliquando casus, ut id, quod de sui natura per scripturam justificandum est, justificetur per testes, ob scripturæ scilicet amissionem; Nimium tamen rari videntur casus, in quibus ista species probationis perfectæ, & concludentis verificetur, ob multa requisita, quæ desuper desiderantur; Primo scilicet illud casualis & non culposæ, non autem culposæ, & affectatæ amissionis, Secundo, ut constet de præcedenti existentia in eo loco, in quo casus contingit; Et tertio quod testes valde periti, beneque informati, de illius scripturæ tenore deponant, bonas & concludentes scientiæ causas assignando; Atque rigorose in hac probatione procedendum est, ratione ejusdem superius insinuatæ machinationis & malitiæ, ut alibi advertitur. *q*

Reflectebam quoque in casus contingentia, ut in hoc
27 proposito haberi debeat ratio qualitatis casus, vel accidentis, an scilicet esset accidens privatum, in quo dictæ affectationis suspicio cadere valeat, vel e converso publicum, vel notorium, quod non illam solam scripturam, sed multas alias perimat, ut in excidiis, vel incendiis contingit, ut scilicet magis benigne isto casu procedatur, quam in altero. Ac etiam, an scriptura, quæ amissa supponitur, ut verisimilis, & fieri solita, illaque potius allegetur ad se excusandum a damno & præjudicio. Ut (ex. gr.) si hæres alleget confecisse inventarium in actis illius Curiæ, cujus scripturæ perierint, ne ita ultra vires teneatur. Vel e converso, quis agendo alleget aliquod exorbitans privilegium, vel aliud documentum, cum similibus pro facti qualitate. *r*

28 Quatenus vero scripturæ per alteram partem occupentur, seu lacerentur, aut comburantur, quoties id licite fieri non potuit tanquam de scripturis, quæ non essent propriæ, suæque liberæ dispositionis, & tunc iste actus fundat intentionem alterius partis in eo, quod asseratur in illa scriptura contineri; *f* Id autem circumspecte etiam intelligendum est, ad instar eorum, quæ habentur in Juramento in litem, ut scilicet fomentum adminiculorum accedat.

Quamvis etenim ea, quæ de casu amissionis, vel de altero lacerationis, aut occupationis edita sunt, æque percutiant instrumenta, aliave documenta, ac scripturas privatas, de quibus *discurs. seq.* particularis inspectio habetur; Attamen pro frequentiori contingentia, occasione publicarum scripturarum de hoc agitur.

Idemque circa materiam editionis, de qua in Curia fre- 29
quenter disputari solet. Quamvis enim juris regula sit, quod una pars non tenetur alteri edere ejus jura; attamen de recepto stylo Romanæ Curiæ, fundato in quadam æquitate canonica, quæ veritatem attendit, atque juris civilis subtilitates abhorret, tenetur constito de suis requisitis. Primo nempe de existentia de tempore motæ litis, vel postea; Secundo de interesse petentis. Et tertio de casu subsidii, quod scilicet aliunde haberi non valeat. Ita tamen ut primum requisitum, plenam, ac perfectam probationem habeat, cum ad id non sufficiat præsumpta, quamvis agatur de hærede, qui admittitur ad jurandum non habere, neque dolo desiisse possidere. *t*

Nisi de illo agatur, qui ex debito officii teneatur eas 30
scripturas conservare, cujus respectu sufficit probatio existentiæ etiam ante litem. *u* Aut ubi ad earum exhibitionem obligatio accesserit. *x*

Exhibenti autem scripturas, ac asserenti alias non habe- 31
re, creditur, donec doceatur de non integritate, cum in dubio præsumptio assistat exhibenti, nisi de mendacio convincatur. *y*

Non datur tamen coactio præcisa ad factum, ubi ju- 32
ret non habere, cum tunc admittatur ad offerendum id, quod interest, nisi de mendacio quoque convincatur, juxta generalem regulam, quam habemus in materia præcisæ obligationis ad factum, necne. *z*

Super scripturarum item, vel jurium productione, 33
vel repetitione, quæstiones in praxi cadere solent, ad plures effectus. Primo scilicet illum approbationis, vel confessionis eorum, quæ in eis continentur, atque de hoc supra in Rubrica confessionis agitur. *a*

Secundo, an & quando dicatur facta realiter, vel po- 34
tius verbaliter tantum; Id autem certam non recipit regulam, quoniam cum facti sit quæstio, ex ejus circumstantiis decidenda est; Illæ vero considerationes, quæ fieri solent, an scilicet adsit verbum *facto &c.* sive an Judex dicat *visis &c.* cum similibus inducunt argumenta probabilia quidem, non autem necessaria. *b*

Et quando sufficiat solum verbalis, pendet a stylo, 35
cui in hoc est deferendum. *c* Regulariter autem de jure non sufficit. *d*

Debet item fieri productio parte citata; Nisi ea præ- 36
sente fiat; Vel nisi agatur ad solum effectum docendi de interesse pro admissione ad causam. *e*

Producta in uno judicio, non præjudicant in alio 37
etiam inter easdem partes, minusque prosunt, nisi reproducantur, vel repetantur. *f* Quæstione cadente, ubi idem sit judicium, sed mutetur judex. *g*

Generalis item productio omnium jurium, & scri- 38
pturarum non sufficit utpote nimis vaga. *h*

Minusque assertio productionis, nisi de illorum teno- 39
re constet. Solumque aliquod præstare potest adminiculum, cum aliis conjungendum. *i*

a *Disc. praced.* b Gregor. *& dec.* 38. add. ad Buratt. *decis.* 444. *dec.* 284. *ex num.* 7. *part.* 7.
d *Dec.* 110. *n.* 5. *part.* 10. *Ferrarien. pensionis* 12. *Martii* 1647. *&* 7. *Februarii* 1648. *cor. Ghislerio, quarum prima est dec.* 32. *ead. part.* 10. e *tit. de Regal. disc.* 7. *cum pluribus, seqq.* f *tit. de servit. ad materiam ususfructus.*
g Buran. *dec.* 543. *n.* 1. *dec.* 135. *part.* 1. *rec.*
h *Dec.* 264. *n.* 11. *&* 265. *n.* 5. *part.* 7. *rec.*
i Manuc. *dec.* 127. *n.* 2. *dec.* 283. *n.* 15. *part.* 11.
l Dunoz. *dec.* 543. *n.* 3. m Buran. & add. *dec.* 243. Bich. *dec.* 622. *n.* 11. *& lib.* 9. *tit. de Testam. disc.* 26. *&* 66.
n *dec.* 59. *part.* 11. Bich. *dec.* 246. Otthob. *dec.* 245.
o Bich. *dec.* 246. *& dec.* 59. *par.* 11. p *tit. de dote, disc.* 22.
q *tit. de jurisdict. disc.* 11. r *tit. de hærede in Arlanen. in supplemento.* f *Scribentes* apud Farinac. *lib.* 1. *cons.* 43. *idem, quæst.* 150. *part.* 7.

t Greg.

t Greg. & add. *dec.* 129. *&* 199. Burat. & add. *dec.* 266. *&* 278. *dec.* 237. *par.* 11. *rec. & sæpius.* u add. ad Buratt, *dict. decis.* 278. *dec.* 207. *part.* 10. *rec. ubi de Notario.*
x Rot. *in Pisauren. redditionis rationis* 5. *Aprilis* 1666. *coram Albergato.* y *dec.* 70. *part.* 10. *rec,*
z Buratt. *dec.* 808. a *supra*, *disc.* 23.
b Gregor. & add. *decis.* 59. Buratt. & add. *decis.* 217. Otthob. *dec.* 38. Bich. *dec.* 466.
c Gregor. *dec.* 58. Royas, *dec.* 293. d Buratt. *dec.* 134.
e Greg. & add. *dec.* 209. Buratt. *dec.* 134. Vestr. *lib.* 6. *cap.* 1. *& lib.* 5. *cap.* 2. Rovit. *pragm.* 26. *de officio S.R.Cons.*
f Burat. & add. *dec.* 94. g *dec.* 109. post Zacch. *de ob. Cam.*
h Buratt. *dec.* 134. i Mantic. *dec.* 352.

De probatione per scripturas privatas, earumdemque scripturarum recognitione, ac recognoscendi modis: Ac etiam de probatione per sigillum, vel typum.

S U M M A R I U M.

1 *De duplici effectu istius probationis, in præjudicium scilicet scribentis, & tertii.*
2 *Quando scriptura non probat contra scribentem, multo minus contra tertium.*
3 *Quoad principalem nil refert, an adsit tempus, vel testes? &c.*
4 *Nimium autem refert quoad tertium, & de ratione.*
5 *Habens scripturam privatam anteriorem, non vincet instrumentum publicum posterius nisi trino teste munita sit.*
6 *De opinione volentium, ut id sit de forma præcisa, & non sufficiat æquipollens.*
7 *Quod probabilius sit, ut admittatur æquipollens, & de ratione.*
8 *Quomodo adesse dicatur æquipollens.*
9 *De partibus, quæ in Judice concurrere debent, & quare.*
10 *Ad quid adverti debeat pro dicto æquipollente implemento, & quomodo stet simul veritas cum falsitate.*
11 *Idem est habere instrumentum publicum, ac alium documentum, vel probationem certam ad hunc effectum.*
12 *An intret distinctio summæ, quod scriptura privata excedat, vel non excedat libram auri?*
13 *Quod in nobili, & Magnate est modicum, in paupere, & populari est multum, &c.*
14 *An ista lex, de qua num. 5. procedat in quocunque alio casu, in quo intret eadem ratio?*
15 *Quod facilius, vel mitius procedatur cum contendente deliberatione.*
16 *Quod materia non sit capax regulæ generalis.*
17 *Qui sint tertii, quibus minus scriptura privata præjudicet.*
18 *De suspicione antidatæ in beneficialibus.*
19 *Quænam quæstiones cadant respectu principalis debitoris.*
20 *De regula quod scriptura probet contra scribentem.*
21 *De ampliatione, quod sola subscriptio sufficiat.*
22 *Etiamsi corpus scripturæ sit manu alterius partis.*
23 *Subscriptio restringit, seu qualificat scripturam.*
24 *An sola scriptura sine subscriptione sufficiat.*
25 *Regula de qua num. 20. procedit etiam in epistolis familiaribus, seu literis missivis.*
26 *De duplici modo impugnandi scripturam.*
27 *De materia subscriptionis, quæ asseratur facta in folio albo.*
28 *In hac materia non cadunt exceptiones doli, vel metus, aut falsi præsuppositi.*
29 *De materia recognitionis, & de praxi Auditoris Cameræ recognitionis facta in contumaciam,*
30 *Quod id non practicetur in Rota.*
31 *Quod in hoc non cadat certa regula, sed debeat deferri stylis.*
32 *An hæres teneatur recognoscere manum ejus auctoris defuncti?*
33 *De scripturis privatis testatorum, & ultimarum voluntatum.*
34 *De pluribus modis recognitionis.*
35 *Quare isti modi non examinentur, & quod debeat deferri stylis.*
36 *De distinctione inter scripturas, in quibus adhiberi solent testes, vel non.*
37 *De stylo Curiæ attendendi indistincte recognitionem per testes habentes notam manum, etiam in schedulis testamentariis.*
38 *Quod ista dicatur probatio semiplena, quod declaratur, &c.*
39 *De eodem, & qua regula desuper cadat.*
40 *De recognitione per fenestrellas, aut inter plures; & de inductione peritorum.*
41 *Modus scribendi ex tempore variatur.*
42 *An scriptura antiqua indigeat recognitione?*
43 *Quomodo materia decidi debeat.*
44 *De recognitionis retroeractione.*
45 *De aliis ad materiam.*
46 *Scriptura memoriæ causa non probat contra scribentem.*
47 *De probatione per sigillum, vel typum.*

D I S C. XXIX.

AD duplicem effectum, disputari solet de probatione, 1
ac etiam de actione, quæ resultat a scriptura privata; Primo nempe, contra ipsum scribentem, ejusque hæredes, vel alios, qui dependenter ab eo causam habeant, ut quidquid ipsi scribenti obstaret, obstet etiam aliis, utpote ejus personam repræsentantibus. Et secundo, circa præjudicium tertii, non solum ubi sit tertius, qui veniat jure suo independenter a scribente, ut est (ex. gr.) successor fideicommissi, vel feudi, seu beneficii cum similibus. Sed etiam ubi sit tertius, qui causam habeat ab ipso scribente, quem agnoscat in auctorem, sed causa sit necessaria, & talis, quod ejusdem auctoris factum posterius ei præjudicare non valeat; minusque suum jus tollere, ut (ex. gr.) est creditor, vel emptor, seu cessionarius, aut etiam donatarius inter vivos, cum similibus.

Ad istud itaque secundum effectum, probationis scilicet 2
præjudicialis tertio, per scripturam privatam alterius. Illa in primis statuenda est regula generalis, & certa, ne de scripturæ veritate, ac validitate in primis ita constare debeat, quod illa sufficientem faciat probationem contra ipsum scribentem, vel ejus hæredem, aut alterum successorem dependentem, ut supra, qui ejus personam repræsentet, quoniam si non probaret contra ipsum principalem, sine dubio non probabit contra tertium; Ad instar 3
eorum, quæ habentur ad materiam doris confessatæ, quod scilicet recte intrat argumentum a confitente ad tertium negative, idest: Non probat contra confitentem, vel ejus hæredem, ergo multo minus contra tertium, non autem affirmative, quoniam stant bene simul, quod probet contra confitentem, & tamen sufficientem non faciat probationem contra tertium. a Ita in præsenti, quoniam ubi scriptura privata sit vera, tam de jure, quam de facto, quia scilicet sit scripta, vel subscripta per eum, de cujus præjudicio agitur, neque eidem scribenti legitima competat exceptio, quæ resultet a defectu solemnitatum, vel a defectu intentionis, ratione erroris, vel metus, aut doli, seu falsi præsuppositi &c. ut infra; Et tunc nihil refert, an habeat necne testes, aliave adminicula; Minusque refert an habeat diem; Sive ista alterata sit, cum antidata, vel postdata, cum hujusmodi circumstantiæ sint quidem considerabiles, in ordine ad dictos defectus, quos adesse prætendatur, sed hoc circumscripto, in nulla consideratione habentur.

Secus autem est in tertio, ob suspicionem, quam lex
rationabiliter habet, antidatæ, vel alterius collusionis, 4
ut tertio præjudicetur. Idque non solum, ob nimiam facilitatem, sed etiam ob frequentiam quam experientia docuit & docet; Perditi enim homines, qui tam propria, quam aliena dissipare curant, postquam debita contraxerunt, vel eorum bona alienarunt, aut jura cesserunt; Ut pro continuatione consuetudinis dissipandi, sive etiam ut occurrant necessitatibus, in quibus cum eorum imprudentiis constituti sint, nimium faciles, imo studiosi esse solent in antidatis, aliisque collusionibus, cum quibus eis allicere concedatur personas, ut sibi credant pecunias, in supplantationem eorum, qui alias jam dissipatas, & consumptas ipsis tradiderunt, & quos habere, ac tractare satagunt, tanquam inimicos.

Agendo itaque de hoc secundo effectu; Jus novum, ad
hujusmodi suspicionem tollendum, statuit, ut creditores, 5
vel alii, qui scripturæ privatæ innitantur, præsupposita ejus veritate, ac sufficienti recognitione, adhuc tamen concursum prætendere non valeant cum iis, qui fundent eorum jus, vel intentionem in instrumento publico posteriori, nisi scriptura privata anterior munita sit subscriptione trium testium, idoneæ, ac integræ fidei. b

Super

Super hujus autem legis intelligentia, vel praxi, Scribentes, & præsertim antiquiores, nimium se involvisse videntur, dum plerique, ex improbo genere illorum, qui sunt servi literæ legis, cum regulis, ac significationibus gramaticalibus potius procedentes, crediderunt, ut ista sit forma præcisa, quæ non admittat æquipollens ex parte illius, qui scripturam privatam anteriorem habeat, quod scilicet minor testium numerus non sufficiat, quamvis aliæ probationis species accedant, quæ æquipolleant, etiam in excessu; Quinimo, ubi etiam testium numerus impleatur, adhuc tamen eorum qualitatem criticant, an scilicet sufficiant minores, vel impuberes, aut alii, qui non omnino idonei, ac omni exceptione majores dici valeant, longas desuper retexendo quæstiones similitudinarias illis, quæ habentur super testibus testamentariis.

Sive e converso, ut ille posterior, in cujus gratiam ista lex prodiit, munitus esse debeat instrumento publico, super cujus probanti, vel solemni forma pariter disputationes habentur, unde propterea alia certitudo sufficere non debeat.

Probabilior autem, atque apud Modernos magis communis, & in Tribunalibus magis recepta est diversa opinio, ut scilicet, non formalitas verborum legis attendi
7 debeat, sed substantia finis, vel effectus, ob quem ipsa edita est; Ex eo certo principio, quod Judices præ oculis semper ac principaliter habere debent, quod scilicet lex imposita non est verbis, sed rebus, ut idem legislatores protestati sunt: c Unde propterea opus non sit implere hanc formam specificam, seu præcisam, sed sufficiat æquipollens ex parte utriusque; Ex parte scilicet ejus, qui anterioritatem desumat ex privata scriptura, ut nihil referat, an minorem numerum testium habeat, quinimo nullum; Sive an ii, quod habet, sint necne idonei, si aliunde veritas pateat, etiam per adminicula, & per imperfectas probationes, quorum tamen conjunctio de jure detur, adeout impleatur finis, vel ratio legis, ut scilicet habeatur certitudo temporis, ita & taliter, quod sublata remaneat illa suspicio antidatæ, quam lex habet, cum eadem lex contra habentem scripturam privatam, istam induxerit præsumptionem, quæ juris tantum est, contraria probatione etiam præsumptiva elidibilis. d

Et per consequens id certam, ac generalem non recipit
8 regulam, cuicunque casui applicabilem, eodem modo quo frequenter, tam in actibus inter vivos, quam per ultimam voluntatem, in hac materia præsumptæ, seu conjecturalis probationis insinuatum est, ac etiam interius in sua particulari sede advertitur; quod scilicet totum pendet ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus pro personarum, aliarumque contingentiarum qualitate, aliquæ conjecturæ, vel species probationis, in uno casu sufficiant, in altero autem, eædem, ac longe majores sint insufficientes. e

Hinc proinde in Judice, non solum juris scientiæ, sed
9 etiam prudentiæ, beneque adæquati judicii dotes, cum integritate, ac rerum mundi experientia desiderantur, ut ita recte interponere valeat, beneque regulare ejus arbitrium, cui totum remissum est; Ad illud præsertim, ac principaliter reflectendo, ut adminicula, aliaque argu-
10 menta, ex quibus illud æquipollens resultet, non percutiant veritatem scripturæ in genere, sed percutiant veritatem datæ, seu temporis, in quo consistit substantia; Illud autem æquivocum frequenter expertus sum, unde propterea, in casus contingentia pluries, non modicum laborem pati oportuit, pro ejus elucidatione, & quandoque sufficiens non fuit, dum illi Judices, qui solam scientiam habent per traditiones, vel addiscunt conclusiones in genere, absque alio discursu, vel ratiocinio, super earum praxi, vel applicatione, illas generaliter, seu pariformiter in quocunque casu intelligunt, vel attendunt referendo Advocatorum utilitatibus, & ratiociniis hujusmodi reflexiones, vel distinctiones, Siquidem stant bene simul, quod scriptura sit vera de facto, ac etiam munita adminiculis, aliisque certis probationibus veritatis crediti, vel alterius causæ obligatoriæ in ea contentæ; Et tamen quod adsit antidata, vel alias præjudicialis collusio: Ut puta (ex. gr.) quod ille qui habeat creditum, vel aliud jus magis antiquum, nulla tamen hypotheca munitum, sed in sola actione personali, unde propterea ex quadam, (irrationabili quidem) legis civilis subtilitate, postponendus veniat creditoribus hypothecariis posterioribus, qui totum debitoris assem verisimiliter absorpturi sint, ita curet obtinere sui crediti, veri, & legitimi scriptu-ram privatam, quæ contineat hypothecam cum data anteriori, ut in praxi expertus sum; Sive quod in eadem scriptura, quæ veram datam contineat, superaddita sit hypotheca, quæ prius neglecta esset, cum similibus: Ideoque nil refert, quod veritas crediti in ea contenti aliunde justificetur, quoniam dari potest falsitas super vero, ratione alterativæ qualitatis, seu accidentis, non autem ratione substantiæ.

Prout e converso, nil refert, quod posterior quo scriptu- 11
ræ privatæ anteriori se opponat, non habeat pro se instrumentum pubblicum, si tamen habeat æquipollentem probationem certam; Puta per partitas banci publici, quæ veræ, non autem collusivæ, seu (ut vulgo dicitur) passatore sint, vel per aliam similem speciem, quæ publico instrumento æquipolleat, adeout intret eadem ratio, cujus substantia in hoc attendenda est, spectato (ut dictum est) fine, seu effectu legis. f

Quare consuetam leguleicam simplicitatem continent,
aliquorum scriptorum ponderationes, quas in casus con- 12
tingentia nimium existimati practicavi, cum non modico plausu illorum, qui singularium, ac inviduarum doctrinarum cultores, hujusmodi frigiditatibus, ac ineptiis principaliter vacare solent: Ut scilicet hujus legis dispositio super trino teste attendenda videatur, quando summa, quæ in scriptura continetur, auri libram excedat, secus autem si infra, ut tunc duo testes sufficere debeant: Ista etenim consideratio, majoris, vel minoris summæ de qua agitur, congrua quidem est ex ea ratione, quæ præsertim in materia testamentorum in sua sede insinuatur, g quod scilicet non de facili falsitas, vel machinatio pro modica utilitate præsumenda sit, ideoque ubi agatur de summa non valde considerabili, non adeo exactæ, ac perfectæ probationes desiderari debeant; non autem ut via præcise consistat in summa, vel respective in numero.

Et nihilominus, etiam ad dictum effectum attendendi minores probationes, ubi de non valde notabili summa agatur; Adhuc erroneum est cum generalitatibus procedere, dum potius materia regulari debet, ex singulorum casuum circumstantiis, attenta scilicet qualitate locorum, & personarum, quoniam ut nostri majores advertunt, illa summa, quæ in Magnate & divite est modica, in populari, vel paupere est magna: h Et consequenter non in
omnibus idem statuendum est, sed pro singulorum casuum 13
qualitate & circumstantiis, ad quod Judices advertere non solent, & tamen in hoc eorum partes principaliter consistunt.

Quamvis autem dicta lex ita providerit pro indemnitate creditorum, ne cum hujusmodi collusivis antidatis supplantari valeant a debitoribus, ita præferre curantibus creditores, qui vere sint posteriores, unde propterea procedendo cum sola litera legis in aliis casibus, id provisum non est: Attamen, dum (ut supra) magis receptum
est, ut non in littera, sed in spiritu, seu in ratione atten- 14
di debeat lex utpote rebus potius, quam verbis imposita, ac inde sequitur deterius esse, ut idem dicendum sit in quocumque alio casu, in quo eadem intret ratio: Puta quod cesso, vel donato nomine debitoris, iste pulsatus a cessionario, doceat per scripturam privatam de quietantia, vel de pacto de non petendo, aut de alia remissione, vel declaratione, ad sui favorem facta per credentem: Sive quod, cessante concursu alterius creditoris veniat ille, qui cum scriptura privata, quæ obligationem cameralem contineat, seu alias hypothecam habeat cum data anteriori instrumento venditionis bonorum alteri factæ, ut propterea super iis hypothecam anteriorem experiri valeat, cum in his, ac similibus casibus eadem adamussim intret ratio supplantationis tertii con ista collusiva antidata, de qua lex suspicatur.

Bene verum, quod pro facti, seu casus qualitate, diversimode arbitrium interponendum videtur circa pon-
dus æquipollentiæ prædictæ, & an majora, vel minora 15
argumenta sufficiant, cum rigorosius procedendum sit in casu creditoria, qui agendo veniat in exclusionem tertii, de quo proprie lex loquitur, quam in altero casu debitoria cessi, qui de liberatione contendat; Siquidem primo casu magis imputandum est creditori cur sibi melius non caverit; In altero autem pro frequentiori usu debitores non solent esse adeo soliciti de magnis solemnibus cautelis, sed de simplici receputa, seu quietantia privata contenti esse, dum agitur de liberando, non autem de
obligando, adeout ulteriorem executionem positivam, 16
vel aliam tractum successivum, talis scriptura habi-

tura non sit; Ac propterea, firmum remanere videtur id; quod supra insinuatum est, quod scilicet revera ista non sit quæstio juris, sed facti, idcoque incapax regulæ generalis cujuscunque casui applicabilis, cum totum pendeat ex singulorum casuum particularibus circumstantiis.

Procedunt hæc, quoad illum tertium, qui inspecta origine suum jus metiatur ab ipsomet debitore, de cujus scriptura agitur, adeout, quando sublata ista legis suspicione, scriptura justificetur vera etiam in tempore, tertio præjudicet; Multo vero magis ubi de illo tertio agatur, qui veniat jure suo independenter, juxta superius exemplificatos casus, fideicommissarii, vel feudatarii, aut beneficiati, &c. Ut scilicet privata scriptura prædecessoris, contra suc-
17 cessorem independentem probare non debeat, etiam in iis actibus, qui durante jure prædecessoris, legitime fieri potuerunt, ob eandem rationem, quod cum collusiva antidata fieri potuerit post suum jus jam cessatum.

Hinc proinde apud Beneficialistas, idem receptum est, ubi scilicet agatur de illis provisionibus ordinariis; quæ
18 certo tempore fieri possent, in altero autem non. Puta (ex. gr.) in collatione beneficiorum vacantium in mensibus reservatis sede Papali vacante, & quæ per Pontificem noviter creatum, in crastinum suæ creationis reservari solent, quoniam ista reservatio non capit ea, quæ per Ordinarium tam provisa sint de tempore Vacationis. Verum debet de veritate provisionis in tempore constare, alias quam per simplicem scripturam privatam literatuio Ordinarii collatoris, ob eandem suspicionem, cum similibus, quibus eadem congruat ratio. *i* Et hæc quoad secundum effectum juris, vel præjudicii tertii.

Quo vero ad primum effectum, præjudicii scilicet ipsiusmet principalis, cujus est scriptura; Cum vis non sit in
19 tempore, quoniam quoad eum nil refert, an sit debitor hodie, vel cras; Idcirco quæstio non cadit in tempore, sed in substantia, an scilicet illa scriptura sit vera de facto. Et quatenus sit talis, an sit vera de jure, idest efficax ad obligandum, vel liberandum. Itaque posterior pars non percutit hanc materiam probationis, sed potius alteram efficaciæ.

Quatenus itaque pertinet ad probationem; Posita ve-
20 ritate scripturæ de facto, idest quod ea scripta, vel subscripta sit per eum, contra quem, agendo, vel excipiendo deducatur: Regula est quod illa probet contra scribentem, *l* Idque non solum, ubi per ipsum, scripta, & subscripta sit, sed etiam ubi solum subscripta, quoniam subscriptio est illa, quæ animat, & informat scripturam, ut ea censeatur subscribentis, perinde ac si tota per eum conscripta esset. *m*

Idque adeo verum, ut idem resultet effectus, quamvis corpus scripturæ exaratum esset manum ejusdem, cujus favore cantet: Puta in scriptura obligatoria, manu ejusdem cre-
21 ditoris, dum subscriptio est illa, quæ animat, seu perficit.

22 Id autem sicuti præjudicat subscribenti, ita etiam prodest, quia nempe, si corpus scripturæ majorem obligationis, vel liberationis, aut alterius præjudicii amplitudinem continent, subscriptio autem aliquam habeat restrictio-
23 nem, seu qualificationem, tunc ad limites subscriptionis, tota scriptura intelligenda est, neglecta amplitudine, quę in ejus corpore contineatur. *n*

Si vero scriptura nullam contineat subscriptionem, im-
24 perfecta regulariter censetur, atque potius minuta, vel præparatio censenda est, fortius vero si futuram subscriptionem enunciet; *o* Adhuc tamen ex stylo mercatorum, vel pro negotii qualitate sufficiens esse solet, si scripta sit manu illius, contra quem deducatur, vel alterius, qui ejus vicem habet, puta inter mercatores, ubi sit complimentarii, vel alterius ministri, qui sit negotio præpositus, dum in hoc (ut dictum est,) consuetudini scribentium, & qualitati negotiorum est deferendum. *p*

Ad evitandam itaque præfatam certam juris regulam generalem, quæ in quacunque scriptura procedit; etiamsi de
25 literis missivis, seu de epistolis familiaribus agatur, quoniam istæ quoque contra scribentem probant, quoties directæ sint illi, qui ad suæ actionis, vel exceptionis probationem eis utatur; *q* Quinimo, ut supra in confessionis rubrica advertitur, *r* (cum aliqua quidem exorbitantia) admitti solent etiam epistolæ conscriptæ tertio, tanquam confessiones extrajudiciales, parte absente.

Solent debitores, vel alii contra quos hujusmodi scri-
26 pturæ deducantur, dupliciter adversus eas excipere; Vel negando earum veritatem de facto, quod scilicet ab eis conscriptæ, vel subscriptæ non sint; Vel admittendo dictam veritatem de facto, negando tamen efficaciam, seu veritatem de jure, ex defectu pariter facti, seu consensus; Puta quando præsertim accedat sola subscriptio, quia scripturæ corpus aliena manu confectum sit, quia nempe opponatur, quod esset subscriptio facta fiducialiter in folio albo, 27
quod ministro, vel fiduciario dari solet, ut eo opportune utatur in gratiam subscribentis, quando alias mora posset esse præjudicialis, juxta frequentem usum, non solum privatorum, sed etiam Principum, qui hujusmodi folia cum subscriptionibus in albo eorum Oratoribus, seu Vicariis, aliisque ministris tradere solent, ut pro negotiorum opportunitate utantur.

Quando itaque ista exceptio deducatur; Regula est quod hæc subscriptio non præjudicat, neque contra subscribentem aliquam facit probationem, cum ita desit consensus; Verum difficultas est in præsupposito facti, cum ista juris regula innititur, an scilicet constet de hujusmodi qualitate subscriptionis factæ in albo, dum id non præsumitur, sed probandum est per eum, qui de hoc excipit, atque alias fundata est intentio illius, qui habet scripturam pro se *t* Unde propterea intrat recepta propositio, de qua supra in rubrica Actoris & Rei, quod scilicet, quando Actor fundavit suam intentionem in scriptura, vel in alio jure, quod sufficientem probationem redoleat, tunc si Reus prætendat illum elidere cum aliqua exceptione, vel qualitate, in hoc efficitur Actor, ideoque probationis onere premitur; Atque super hac specie probationis, regula certa pariter statui non potest, cum ex personarum qualitate, vel consuetudine pendeat probatio, & præsertim ex verisimilitudine, vel inverisimilitudine, quæ nimium in hoc proposito attendenda venit.

Verum ubi ista probatio accederet, quod scilicet subscriptio facta esset in folio albo; Adhuc tamen scriptura probaret, quoties aliunde constaret, quod ille, qui subscriptionem fecit, notitiam haberet eorum, quæ in folio albo scribenda erant: Unde propterea intrat quæstio, cuinam præsumptio assistat, quæ onus probationis juxta regulatem naturam præsumptionis juris, in alteram partem transfundat, an scilicet præsumatur notitia in subscribente, qui contrarium probare teneatur, vel e contra. *f*

Posita item eadem veritate scripturæ de facto, excipi 28
solet de defectu veritatis de jure, nempe quod vi, & metu, vel dolo, aut ex falso præsupposito, vel sub spe futurę munerationis exorta sit: Id autem non percutit istam materiam probationis, sed alteram validitatis, vel effectuum exinde resultantium, quod generaliter cadit in omni alia specie probationis, etiamsi per publica documenta, imo per confessionem facta sit.

Major itaque inspectio, in hac specie probationis per scripturam privatam cadit super veritate de facto, quod scilicet debitore, vel altero negante illam esse talem, qualis per alteram partem asseritur, illius recognitionem facere oportet.

In hoc autem, loquendo de stylo Curiæ Romanæ, prę- 29
sertim vero de illo Tribunalis Auditoris Cameræ, in quo tanquam Curiæ magis ordinario Judice currentium negotiorum, & commercii, frequentius de hujusmodi quæstionibus agi solet; Ille, qui pro se habet scripturam privatam, eamque producat, pro fundamento suæ actionis, vel exceptionis, adversus scribentes, istum in primis citari curat, ad recognoscendum ejus manum, sin minus ad videndum pronunciari eam haberi pro recognita; Unde propterea; Aut citatus comparet, & eam recognoscit tanquam a se scriptam, vel subscriptam, sed eam impugnat ex alio capite, & tunc ista quæstio probationis est finita; Aut negat, & tunc onus est actoris, vel exhibentis illam aliunde justificare; Aut non comparet, adeout reputetur contumax, & pronunciatur eam haberi pro recognita, unde propterea proceditur ad ulteriora, pro ejus executione, vel observantia, quod etiam in aliis Tribunalibus inferioribus, puta Vicarii, & Gubernatoris practicatur. *t*

Rota vero non servat hunc stylum, quoniam non admittit hujusmodi fictas, & contumaciales prohibitiones, sed verificantur solum duo superius distincti casus; Et
per consequens (generaliter loquendo,) certa regula desu- 30
per statui non potest, quibuscunque locis, vel casibus applicabilis, sed procedendum est cum Tribunalium, seu locorum stylis, aut legibus, quibus cessantibus, adeout procedendum sit cum regulis juris communis, onus est illius, qui scripturam exhibet pro fundamento intentionis, illam justificare talem qualem asserit, juxta generalem propositionem, de qua supra, *disc.* 2.

Dictus vero stylus Auditoris Cameræ procedit in scri-

pturis,

pturis privatis, quæ concernant actus inter vivos, super
32 quibus, etiam cum scribentis jam defuncti hærede ille servatur, unde propterea in praxi disputari solet inter causæ Patronos, magis quam cum Advocatis, an hæres teneatur necne recognoscere, quia nempe ob ejus qualitatem, justam habeat causam dicendi, se non habere totam manum defuncti (cujus tamen contrarium in praxi regulariter præsumitur, ac propterea quod non teneatur recognoscere; Idque facti qualitate, & circumstantiis pendet, idque pariter certam regulam non recipit. u

Secus autem ubi agatur de illis scripturis privatis, quæ contineant actus per ultimam voluntatem; ut pro Curiæ
33 praxi, frequenter contingit in testamentis Cardinalium, & aliorum habentium indulta testandi, etiam per schedulam privatam, propria manu scriptam, vel subscriptam, quamvis nullo teste munitam: Ac etiam verificari solet in testamentis ad causas pias, vel partis inter liberos. x

Isto etenim casu, recognitio fieri solet (ut infra,) nemine citato, cum ita expediat non provocare contradictores, curando obtinere immissionem in possessionem bonorum, in forma non contentiosa, cum solita clausula præservativa juris tertii, ut infra in sede judicii possessorii advertitur, ibique videndum est. y

Præsupposita vero necessitate recognitionis, super il-
34 lius modo, DD. nimium certant, ac se involvunt; adeout octo recognitionis modos aliqui Moderni z referant, seu observent; Atque super singulis quæstiones cadunt, an & quando recognitio, bene, & sufficienter facta sit, necne, adeout nimiam prolixitatem, ac fastidiosam digressionem redoleret, omnium hujusmodi specierum, necnon quæstionum, quæ super earum singulis cadunt enu-
34 merationem reassumere: Potissime cum iste videatur inanis labor viro forensi incongruus, cum singulorum Tribunalium, vel locorum stylis deferendum sit illique nimium varii esse soleant, ideoque non de facili materia remanet capax regulæ certæ & generalis; Quinimo in eodem Tribunali, eodemque stylo præsupposito, adhuc iste, pro facti qualitate, & circumstantiis diversus esse solet, ut infra.

Agendo itaque de stylo Curiæ Romanæ; Quamvis in puncto juris communis, probabilior, magisque recepta
36 sit distinctio inter illas scripturas, in quibus testes adhiberi solent: Ut sunt apocæ, vel antapocæ, aliæque conventiones, quæ alicubi albarana, & alicubi capitulationes, alicubi vero chirographa dici solent; Et illas, in quibus, pro earum natura, vel communi usu, testes non soleot adhiberi, ut (exempl. grat.) sunt epistolæ familiares, seu literæ missivæ, sive literæ cambii, aut literæ certioratoriæ, vulgo *d'avviso*, sive banchi, ut illæ parvæ schedulæ, quæ inter mercatores, & negotiantes pro faciliori commercio sunt in usu, atque vulgo *pagherò* nuncupantur, & similes pro locorum, ac regionum moribus. Ut scilicet in hac secunda specie admittatur recognitio per testes habentes notam manum, sive per comparationem cum aliis scripturis certis; Secus autem in prima specie, ut tunc recognitio præcise fieri debeat per testes, qui viderint scribere. a

Attamen in Curia, de stylo, indirecte receptum est,
37 quod admittatur recognitio per testes habentes notam manum, sive per comparationem, aut per utramque speciem conjunctim pro facti qualitate, seu rei gravitate; b Adeout, quamvis revera, inspecta origine, iste stylus prodierit in scripturis, concernentibus actus inter vivos, pro libertate ac facilitate commercii; Attamen (forte parum commendabiliter) receptum quoque est in scripturis privatis, in quibus contineantur testamenta ut supra.

Eodem tamen stylo attento, ex judicio Rotæ, ita spe-
38 cies recognitionis, non reputatur probatio concludens, & plena, sed solum semiplena, aut aliquid plus, quæ indigeat aliis adminiculis, majoribus, vel minoribus pro facti qualitate; d Verum de isto adminiculorum fomento potius in materia ultimarum voluntatum disputari solet, quam in illa inter vivos, & præsertim in magis summario & executivo Tribunali Auditoris Cameræ, in quo est in usu dicta species recognitionis per testes habentes notam manum, eamque sufficiens reputari solet.

Adbuc tamen, omnino certa regula generalis statui non
39 potest, cum totum pendere videatur ex facti qualitate, & circumstantiis, præsertim ex gravitate materiæ, & ex argumentis, vel suspicionibus, quæ urgeant, necne.

Atque hinc manat etiam determinatio quæstionis, quæ disputari solet, præsertim vero in Rota (quæ magis circumspecte in materia procedit), super modo faciendi hanc 40
recognitionem per testes habentes notam manum; an scilicet eam facere debeant per partes, sive (ut vulgo dicitur) per fenestrellas, ut in criminalibus fieri solet; e Sive inter plures, quarum aliquæ sint veræ, aliquæ autem imitatæ, quandoque judicialiter, & quandoque extrajudicialiter ad animi informationem; Ac etiam pro gravitate materiæ, vel pro suspicionibus, quæ urgeant ut supra, solet procedi ad alteram recognitionem per comparationem, adhibendo etiam peritis in arte, qui bene distinguere solent scripturas veras ad imitatis, cum observationibus, quas ipsi habent, juxta regulas artis. f

Ita tamen, ut id fiat cum scripturis veris, quæ proximæ sint illi, de qua agitur, dum scribendi modus, seu chara- 41
cter cum tempore variari solet, atque non ita scribat juvenis, sicut senex, vel infirmus, sicuti validus. g

Item, super faciliori, vel difficiliori modo recognoscendi, nimium attenditur, an scriptura sit antiqua, vel mo- 42
derna, quoniam in antiquis facilius proceditur; Atque ubi antiquitas sit magna ultra centum annos, non indiget recognitione; Dummodo accedat observantia, quæ illi robur tribuit, qui sine observantia solus lapsus temporis 43
non videatur considerabilis; h Et in summa facti potius, quam juris quæstio est, certam non recipiens regulam cuicunque casui applicabilem, cum ex prudenti, beneque regulato Judicis arbitrio pro facti qualitate decisio regulanda sit, eo modo quo generaliter in adminiculativis, ac arbitrariis habetur.

Posita vero cognitione sufficienti contra ipsum principalem scribentem: Quæstiones quoque cadunt super re- 44
trotractione in præjudicium tertii: Atque super hoc intrant eadem, quæ supra in prima inspectione dicta sunt, an scilicet recognitio pendeat a solo facto debitoris vero, vel contumaciali, vel potius a testibus, super nota manu, vel ab iis, qui viderint scribere, ut in primo, & secundo casu, retrotractio non detur, bene autem in tertio, dum ita testes deponentes de ipso actu scripturæ, tempus quoque implicant. i

Quando autem apocæ, vel literæ cambii, aliæve scripturæ privatæ, processum executivum mereantur, ac de aliis ad rem, habetur infra in singulis judiciis, & præser- 45
tim in illo, in quo de judicio, vel processu executivo agitur in actione personali: Ubi præsertim habetur quam actionem, vel obligationem producant literæ certioratoriæ, nuncupatæ *d'avviso*, vel illæ quæ contineant mandatum, seu commissionem.

Et de literis laudativis, vel approbativis, habetur in sede debiti, & crediti; l Ubi etiam de apocis oneratoriis, vel assecurationis, cum similibus. m

Scriptura autem memoriæ causa non probat contra scri- 46
bentem, eo modo quo *disc. seq.* de libris dicitur. n

Item scripturæ speciem in jure habere, plerique putant sigillum, vel typum quasi quod idem sit subscribere propria 47
manu, vel charactere, ad approbationem eorum quæ in scriptura contineantur, atque eandem scripturam, cum proprio sigillo, vel consueto typo munire; o Verum periculosum est cum hac generalitate in praxi procedere, atque doctrinas de hac specie probationis loquentes, cuicunque casui applicare, cum totum pendere videatur ex singulorum casuum circumstantiis, præsertim vero ex usu, capiendo scilicet sigillum, vel typum, non pro eo sigillo, quod pro communi usu retinent homines cum impressione proprii stemmatis publice expositum in tabula scribendi commoditati destinatum; Sed pro illo sigillo, vel typo, qui caute penes se ipsum, vel penes fiduciarium ministrum retineatur ad hunc effectum, ut pro minori incommodo sit loco subscriptionis, juxta aliquorum Regum, & Principum vel supremorum Magistratuum consuetudinem adhibendi subscriptionem cum illo typo, cui *stampa*, vel *stampiglie* terminus datur, in præsertim Regis Hispaniarum, ejusque Proregum, & Vicariorum est consuetudo, quam tamen Pontifex adhuc non habuit.

a *tit. de dote disc. 159. & sæpius.* b *l. scripturas, C. qui potior. in pign. hab.* c *l. fin. Cod. de usur.*
d *tit. de credito, disc. 22. & 33. & in aliis.*
e *infra disc. 33.* e *ibid. proxime.* f Grat. *discept. 51.*
g *sub tit. de testam. disc. 6. & 39. & in aliis.*
h Duran. *decis. 98.* Burat. & add. *dec. 15. & sæpius alibi advertitur.* i *tit. de benef. disc. 22.*
l *patet ex inferius allegandis, & est absolutum.*
m Cavaler. *decis. 199. & 133.* Buratt. *decis. 192.* Duran. *dec. 368. dec. 154. n. 7. rec. tit. de cred. disc. 81.*

n *tit. de credit. disc.* 65.
o *dec.* 99. post Merlin. *de pignor. dec.* 264. post Zacch. *de oblig. cam. decis.* 154. *part.* 7. *recent.* Duran. *dec.* 368. Buratt. *dec.* 192. p *proxime supra*.
q Buratt. & add. *decis.* 143. *&* 192. *dec.* 227. *part.* 5. *rec. dec.* 57. *p.* 8. 282. *p.* 21. *& sæpius*, r *supra*, *disc.* 23.
s *de tota ista materia subscriptionis in albo, ut supra*, apud Prat. *obser.* 21. *& tit. de credit. disc.* 81.
t Ridolphin. *in praxi*, *p.* 1. *cap.* 2. *n.* 206. Franc. *dec.* 502. Rovit. *pragm.* 63. *de offic. procur.* Cas. Bich. *decis.* 501.
u Ridolphin. *qui alios refert plures*.
x *tit. de testam. disc.* 6. *& seqq.*
y *infra in eo disc. in quo de judiciis possessoriis agitur*.
z Gait. *de credit. cap.* 2. *tit.* 8. *ex n.* 2600. Genu. *de script. priv. lib.* 1. *quæst.* 14.
a Burat. *dec.* 292. 611. 624. 886. *&* 905. *dec.* 199. *p.* 5. *rec.* Greg. & add. *decis.* 139. Cavaler. *dec.* 452. Gaith. *ubi supra*. b *tit. de testam. disc.* 6. *ubi concordantes & apud allegatos proxime supra*, c *ibid. proxime*.
d *dict. disc.* 6. *& in aliis*, *dicto tit. de testam.*
e Vermigliol. *cons.* 234. Posth. *de manut. observ.* 98.
f *juxta casum*, *de quo dict. tit. de testam. disc.* 6. *& decis.* 336. *in principio*, *part.* 13. *rec.*
g Franch. *decis.* 95. ubi Viscont. & alii in add. Genua *de scrip. priv. lib.* 1. *qu.* 6. add. ad Vestr. *lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 26.
h Gregor. & add. *dec.* 3. Genua *de script. priv. lib.* 1. *qu.* 4. Buratt. *dec.* 926.
i Gait. *de cred. cap.* 3. *tit.* 8. *ex n.* 3194. Salgad. *in labyrint. part.* 2. *cap.* 21. *n.* 97. *& p.* 3. *cap.* 3. *num.* 15.
l *tit. de credito*, *disc.* 90.
m *eod. tit. disc.* 106. *& seqq.*
n Buratt. & add. *dec.* 282. *&* 666. Seraphin. *dec.* 373.
o Thes. jun. *lib.* 2. *quæst.* 100. Rovit. *pragm.* 9. *de feud. & pragm.* 1. *de fide memorial.* Vestr. & add. *lib.* 6. *cap.* 1. Franch. March. *dec.* 190. *& seqq.*

De probatione per libros.

S U M M A R I U M.

1 *Quod materia sit frequens, & quare videatur involuta, cum non sit.*
2 *De distinctione generali inter libros publicos, & privatos.*
3 *Exemplicatur qui sint libri publici.*
4 *Et qui sint privati.*
5 *Exemplificantur libri publici, & isti indefinite probant.*
6 *In specie de libro Datarii, vel de libris Cameræ super feudis.*
7 *Et de libro matrimoniorum Parochi, & circa quæ deferatur.*
8 *De eodem libro baptismatum, & quid probat, & quod non probet filiationem.*
9 *Et in specie de probatione ætatis.*
10 *De libris montis pietatis Urbis.*
11 *De libris gabellarum, & dohanarum.*
12 *De illis libris informibus, quibus memorialium nomen convenit, illique neque probant contra scribentem.*
13 *Qui proprie dicantur libri formales, seu legales, & qui memorialia.*
14 *An & quos libros teneatur quis edere collitiganti, & quomodo editio fieri debeat?*
15 *Quomodo Judices in hoc se gerere debeant.*
16 *Libri privati non probant pro scribente, sed bene contra eum, & quid cum tertiis.*
17 *Fallit ex lege, vel consuetudine particulari.*
18 *Item fallit ex adminiculis, & qualia esse debeant.*
19 *Et e contra cessat fides ex erroribus, & adminiculis malis.*
20 *Quæ regula in hoc teneri debeat.*
21 *Quales partes debeant habere Judices.*
22 *De libris tutorum, aliorumque administratorum.*
23 *An liber possit dividi, & acceptari in parte?*
24 *De libris Baronum, & Episcoporum, vel Capitulorum, & Monasteriorum in decimis, & in annuis præstationibus.*
25 *De bilanciis, vel quinterniis, & scartafaciis nundinarum.*
26 *De libro æstimi, & catastri.*
27 *Non probant libri, qui contineant relationem ad aliam scripturam.*
28 *De aliis ad materiam, &c.*

D I S C. XXX.

IN genere probationum per scripturam, frequentius in 1
praxi disputari solet de hac specie probationis per li-
bros; Sed quoniam istud *libri* vocabulum, in ejus lata
& generica significatione, pro communi usu loquendi,
complectitur omnem speciem codicis, seu voluminis, cum
tamen plures, diversæque sint hujusmodi codicum spe-
cies, quæ nimium diversam naturam habent; Hinc pro-
inde manat, quod materia reputetur involuta, cum vere
non sit; Idque ob consuetum (semper tamen damnabilem)
modernorum pragmaticorum, seu collectorum abusum,
procedendi cum generalitatibus, atque non reflectendi ad
terminorum, vel specierum distinctiones, unde in dies
capetimur tot æquivoca, de facili capiendo quid pro
quo.

Distinguendæ igitur veniunt librorum, seu codicum
species; Primaque magis generica distinctio est, inter li-
bros publicos, qui conficiantur ac retineantur ex debito
officii; Et privatos, qui pro negotii, vel administrationis 2
natura, vel meliori directione habeantur a quolibet pri-
vato negotiatore, vel patrefamilias.

Prima species publicorum, subdistinguitur etiam in a-
lias duas, quoniam, Alii sunt libri qui redoleant, quan-
dam speciem registri, quia nempe in eis adnotentur acta, 3
& gesta judicialia, vel extrajudicialia; Et alii sunt libri
ratiocinatorii, seu computorum, cum adnotationibus da-
ti & accepti.

De prima specie sunt (ex. gr.) registra Bullarum, & sup-
plicationum, seu brevium Datariæ, & Cancellariæ, & Se-
cretariæ Apostolicæ; Sive est liber Datarii, quem retinet
super registratione alternativarum; Ac etiam sunt libri Ca-
meræ Apostolicæ, in quibus adnotantur investituræ feu-
dales, & qui in Regno Neapolitano appellantur quinter-
niones; Necnon sunt libri visitationum, quas Ordinarii
faciunt de eorum diœcesibus, Aut libri Ordinationum;
Ac etiam sunt libri baptismatum, & matrimoniorum, quos
conficere ac tenere debent, & solent Parochi, cum simili-
bus libris, vel registris, qui fiant ratione officii super rebus
ad ipsum officium pertinentibus; Prout etiam sunt libri,
quos retinent Secretarii Montium, vel alii officiales simi-
lium jurium cum Principe, vel Republica super eorum re-
signatione, vel translatione, aut vinculatione.

Alii vero libri pariter publici continentes rationes, vel
partitas dati, & accepti, & in regula ratiocinativa, sunt
illi libri, qui retinentur pariter per ratiocinatores, aliosque
officiales a publico deputatos, unde propterea ex ratio-
ne, seu ex debito officii pariter eos conficiunt ac retinent,
Ut (ex. gr.) sunt libri rationum, quos conficiunt ratioci-
natores Cameræ Principis, qui alicubi Computistæ, & ali-
cubi Rationales appellantur, atque ad instar sunt illi admi-
nistratores, qui pariter ratione officii conficiunt, ac reti-
nent hujusmodi libros Civitatum, seu Communitatum;
Ac etiam sub hac specie publicorum, cadere videntur illi
rationum libri, qui retinentur per aliquas potius publicas,
quam privatas sacras ædes, vel mensas numularias, quæ
sub publica officialium administratione sint, adeout alicu-
jus privatæ personæ negotium, vel interesse non concer-
nant; Ut (ex. gr.) sont, in Urbe Mons pietatis; Medio-
lani bancus S. Ambrosii; Neapoli alma domus Annuncia-
tæ; Januæ S. Georgii, cum similibus.

De altera vero specie privata, sunt generaliter omnes
alii libri, qui alicujus privatæ personæ, negotium, vel in-
teresse, sive administrationem concernant, adeout admi-
ta non sit publica fides, vel auctoritas Principis, vel Rei- 4
publicæ, quamvis non agatur de personis singularibus,
sed universalibus, vel communitativis. Ut (ex. gr.) sunt
Capitula, & Monasteria aliave similia corpora politica,
sive universalia, quoniam & ista jure privatarum persona-
rum censentur, juxta ea quæ, occasione distinguendi con-
suetudinem a præscriptione, sive ad alios effectus superius
ac alibi insinuantur. *b*

Quando itaque agatur de prima specie; Regula est gene- 5
ralis, quod hujusmodi libri vim habeant publicorum do-
cumentorum, ideoque in iis quæ ad officium pertinent,
indefinite probant, tam pro, quam contra, vel cum ter-
tiis, quoties leges, vel styli particulares, aut etiam par-
ticulares facti circumstantiæ, hujus regulæ limitationem
non suadeant.

Hine proinde in materia beneficiali receptum est quod
libro Datarii super acceptatione alternativæ, aut super 6
aliis, quæ in eo adnotari solent, defertur, *c* etiam Da-
tariæ, vel Cancellariæ registris. Necnon, ubi quæstio
sit

sit super qualitate feudali defertur libris, vel quinternionibus Cameræ Principis, in quibus feuda adnotata sunt, *d* cum similibus: Idemque in libris Secretariorum monetiorum, aliorumve similium Officialium, super juribus cum Principe, vel cum Republica.

7 Ut etiam receptum in praxi habemus præfatis libris, qui per Parochos fiunt, ut adnotentur baptismata, & matrimonia, *e* Cum restrictione tamen ad ea, quæ proprium officium concernunt, & sic circa administrationem illius sacramenti, non autem quoad alia extrinseca, seu accidentalia; Ut (ex. gr.) agendo de libro matrimoniorum, illi defertur super ipso actu matrimonii quod ad formam Concilii celebratum est, coram ipso Parocho, & duobus testibus, in eodem libro adnotatis, sed non defertur circa alia, quæ non concernant factum, seu officium ipsius Parochi; Puta circa dotem, vel pacta cum quibus matrimonium contractum sit; Quinimo neque circa ea quæ ad ipsius matrimonii validitatem tendunt, aliunde justificanda; Puta super statu libero contrahentium; Aut super non existentia impedimentorum; Sive circa libertatem consensus; Aut super ea qualitate, quæ reddat contrahentes viros domiciliarios, ipsiusque Parochi subditos, cum similibus, *f* quoniam ista sunt extra suum officium, quod stricte versatur in adnotando illum actum matrimonii celebrati ad formam præscriptam a Concilio Tridentino.

8 Ita pariter in alio libro baptismatum, quoniam ille quidem probat, quod illa persona sit baptizata, ac etiam probat qui fuerint Patrini, pro effectibus exinde resultantibus, illo præsertim cognationis, vel affinitatis spiritualis, non autem circa filiationem, & alia, quæ ab eo actu extranea sunt, quoniam est loqui extra id, quod ad ejus officium pertinet; Ad instar eorum, quæ habemus in publico Notario cui defertur super iis, quæ concernunt actum, de quo rogatus est, ut super eo, pro debito officii publicum conficiat instrumentum, non autem super aliis, quæ ab illo actu, ejusque officio extranea sunt, cum in iis habeatur jure privati. *g*

9 Solumque circa alia accidentalia, defertur libro baptismatis, super probatione ætatis; Quoties tamen agatur de probatione talis ætatis, ut desumendo tempus a die baptismatis, in quocunque tempore illum susceptum sit, illa conclusa remaneat, dum baptizari non potest ille qui adhuc natus non est. Secus autem ubi exinde inferri prætendatur ad tempus nativitatis, ad effectum probandi minorem ætatem, quoniam potuit ille baptizari adultus; Nisi in eodem libro, ex attestatione parentum, vel obstetricis, juxta communem usum, adnotata quoque sit dies nativitatis; talisque adnotatio sit verisimilis, quia nempe juxta modernum usum catholicorum, pueri intra breve terminum post nativitatem, in eo loco baptizari soleant, nullaque tunc vigeat ratio, vel suspicio affectationis, vel fraudis, de qua suspicari possit, quando de hoc enunciatio principaliter agatur; Puta (ex. gr.) ad effectum probandi nativitatem præcedentem, pro successione in majoratu, vel primogenitura, in concursu alterius de illo genere, cum similibus. *h*

10 Hinc rationabiliter manavit privilegium Apostolicum concessum Monti pietatis Urbis, super integra fide ejus libris, eorumque partitis præstanda, cum revera publici libri censendi sint, itaque sacra ædes sit potius publica, quam privata, ut alibi latius advertitur. *i*

Super libris autem Dohaneriorum, & Gabellariorum, quæstio cadere solet, an potius publici, quam privati censendi sint; ut sub dicta regula cadant; Atque de stricta juris censura proceditur cum distinctione inter illos libros, qui conficiantur pro Officiales, qui a Principe, vel a Republica, sive a Communitate deputantur, quamvis gabella locata sit, & qui Officiales, *Credentieri* dici solent. Et illos qui conficiantur per officiales, seu ministros, qui deputentur de eodem gabellario, seu conductore, ut scilicet, primis fides præstanda sit, non aut aliis. Quasi quod in secundo casu, privatum negotium potius agant ipsius conductoris, qui eos præposuit. *l*

11 Adhuc tamen, neque id generaliter procedit, quoniam inter tertios, adeo ut cesset interesse ipsius gabellarii, haberi solent de communi stylo pro libris publicis, quoties bene teoti sint, eo modo quo tenere solent officiales deputati a publico, adeo ut sola differentia sit circa deputationem.[l]

Ac etiam eisdem pro communi fere usu deferri solet, ubi *Card. de Luca, Lib. XV.*

pariter bene & ordinate tenti sint, etiam circa ea, quæ concernant ipsam gabellam; Tam super quantitate soluta, ad effectum convincendi fraudes, quam super fide habita de ejusdem gabellæ solutione; Aut super actu affirmativo, vel negativo solutionis, ad effectum probandi observantiam super franchitia, vel super solutione. Ideoque in hoc, locorum stylis deferendum venit, ipsorumque appaltuum capitulis, quæ pro lege haberi solent. *m*

Quatenus itaque pertinet ad aliam speciem librorum privatorum, eorumque fidem; Reflectendum in primis 12
est ad eorum diversas species magis genericas; Non enim omnis codex, vel quinternus, qui libri speciem, seu figuram habeat, sive quod ex generica grammaticali significatione sub libri vocabulo veniat, legaliter ad hunc effectum dicendus est liber, quoniam illi domestici codices, vel quinterni, qui per viros privatos pro negotiorum domesticorum memoria, & ordinaria administratione, confici, ac retineri solent, non librorum, sed memorialium nomen legaliter sortiuntur, ideoque neque ipsimet scribenti præjudicant, vel aliquam faciunt probationem; Bene tamen aliquod impedimentum, cum aliis conjungendum, *n*

Itaque libri, proprie dicuntur ad hunc effectum illi qui 13
juxta regulas arithmeticas, vel mercantili more, teneantur, alios habemus codices, vel quinternos præparatorios, quorum unus vulgo nuncupatur *ricordo*, seu *squarciafoglio*, & alter *giornale*, ex quibus deinde partitæ ibi adnotatæ trasportantur in librum, qui ad differentiam aliorum nuncupatur *magister*, utpote seriatim, ac bene ordinatus, cum distinctione dierum, ac temporum, quorum perversio, seu posticipatio non adsit, neque de facili fieri possit; Sive quod, ubi non constet de dictis aliis duobus præparatoriis, attamen ipsius libri series vel bonus ordo mercantilis, illos præsupponat; Et præsertim, si non agatur de negotio recenti, sed alicujus antiquitatis, cum dicti alii codices, magis negligi, ac facilius perire soleant. Ad instar eorum, quæ superius insinuata sunt, de bastardellis, seu matricibus, aut imbreviaturis Notariorum, postquam ordinarunt protocollum. Istique proprie, ac legaliter, sunt libri, quos tenere solent, non solum Banchierii, & campsores, ac alii, qui rationis mercatores dicuntur, ac etiam illi mercatores qui mercium, vel aromatum tabernas exerceant, vulgo mercatores fendaroii, & drogherii, aliique similes negotiatores. Sed etiam viri nobiles, & magnates, qui computistarum tenent, cum ministro perito ad id deputato, qui computista, vel scripturalis dicitur, ut etiam faciunt aliqua Capitula, & Monasteria, & loca pia, aliave similia corpora universalia, seu politica.

Generaliter autem, illi libri, seu codices, quos viri 14
privati civiles, vel nobiles, ac etiam populares retinent memoriæ causa, adnotando absque hac formalitate scripturæ eorum negotia debiti, & crediti, sive introitus, & exitus, dicuntur memorialia, non autem libri.

Posita itaque hanc distinctione; Regula generalis est, quod memorialia, neque probant contra ipsum scribentem, multo minus pro eo, vel inter tertios. *o* Atque licet supra *disc.* 28. habeatur, quod de stylo Curiæ derivato ex quadam æquitate canonica, contra regulas juris civilis, constito de existentia tempore motæ litis, ac de interesse, teneatur quis edere ejus æmulo, & collitiganti jura propria, & præsertim proprios libros; Cum ea tamen 15
moderatione, quæ ex facti qualitate, pro judicis arbitrio, regulanda est, ut solum teneatur præstare patientiam, ut æmulus, vel alter ejus nomine recognoscere, & extrahere valeat illas partitas, in quibus dicat consistere suum interesse; Sive quando id commodum sit practicabile, apud ipsommet libri dominium ob æmulationes, quæ inter litigantes sunt connaturales, teneatur reponere libros, penes tertium, vel apud Judicem, ut ita commodius altera Pars eos inspicere, & considerare valeat; Ex ea congrua ratione, quod non solum expedit videri partitas, quæ cadunt in controversia; sed etiam videre initium, totumque ordine libri, usque ad finem, ad effectum inspiciendi, an sint bene, & fideliter tenti, cum suo debito ordine, ut ex inde inferri valeat ad fidem, quæ eis præstanda sit, ex eo, quod ubi liber detegatur erroneus, vel mendax, sive alteratus in aliquibus partibus, tali casu ejus fideles tollitur, vel minuitur, ex regula *semel malus &c.* sive ex dicterio *crimine ab uno &c.* Quod scilicet sicut in illis partibus erratum fuit, sive altexario commissa, ita & in aliis idem sequi potuit, ut infra.

Attamen id non procedit in hujusmodi privatis memorialibus, quos tanquam secretarios ac fiduciarios, quis ad propriam memoriam, & instructionem, sceteto conficiat, ac retineat; Esset enim alias quædam canonica æquitas, quæ naturalem iniquitatem redoleret, cogendo aliquem ad pandendum secreta domus suæ.

Quando etenim conficiuntur, ac retinentur libri formales juxta regulas arithmeticæ, seu stylum mercantilem tunc, licet isti libri dicantur privati, ad differentiam illorum publicorum, qui ratione officii tenentur, ut supra; Attamen quandam speciem publicitatis habere videntur, neque in ais intrat dicta ratio adnotationis secretorum, quæ ipsi patrisfamilias tantum innotescere debeant.

Ideoque ad hujusmodi distinctiones omnino reflectendum est, ad evitanda æquivoca, quorum incursum nimium frequenter expertus sum, quod scilicet pluries enunciati Judicea, attendendo regulas, vel doctrinas generaliter in sola litera, sive solam scientiam habentes per traditionem, non autem per causam, seu per principia, eo ipso quod legunt aliquas decisiones loquentes de obligatione exhibendi proprios libros, in omni codicum, vel quinternotum genere id practicare volunt, Advocatorum ratiocinis, vel acumini, hujusmodi distinctiones referendo. *p*

16 Præsupposito itaque, quod agatur de illis, qui legaliter tales dici mereantur ut supra; Regula generalis est, quod probant contra scribentem, non tamen probant ad ejus favorem; Atque inter tertios faciunt aliquem gradum probationis, sed ipsi soli eam perfectam non concludunt. *q*

17 Limitationam tamen eadem regula recipit, præsertim circa probationem favore ipsius scribentis, ubi ex lege particulari, scripta, vel non scripta, ita cautum sit; *r* Ut præsertim in libris mercatorum fundacariorum, vel similium tabernariorum, rerum victualium, vel usualium, pene ubique, saltim intra certam summam, introductum videtur, ax quadam congrua, imo necessaria ratione commercii. *s*

18 Ac etiam, cessante hac lege particulari, in terminis generalibus juris communis; Alia recepta est limitatio, ubi liber sit bene adminiculatus, a probitate scilicet, seu legalitate scribentis, & multo magis, ubi iste sit mortuus; Aa etiam ex aliarum partitarum verificatione in toto, vel in majori parte, sive ubi veritas partitarum, quæ sint in controversia aliunde justificetur, cum similibus adminiculis. *t*

Super istorum autem adminiculorum numero, ac pondere, certa regula dari non potest, quoniam juxta totiea insinuatam naturam conjecturalium, seu adminiculativorum, totum pendet ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, ex quibus in uno casu modica adminicula sufficere possunt, in altero autem non sufficiant magna.

19 Sicuti e converso, quando alias liber fida dignus esset, ille redditur indignus ob fallacias, vel errores in aliquibus partibus. *u*

20 Istæ autem sunt generalitates, quæ in hac materia habentur, illæque (ut præmissum est) attendi quidem debent pro quadam norma, seu lumine, quo mediante videatur via, per quam ambulandum sit: Verum, ad instar viatoris, non per hoc quod ille sciat qualis sit via, debet clausis oculis, atque inconsiderate per illam iter peragere, sed singulorum locorum qualitatem diligenter inspicere, & indagare debet, cum etiam in viis consularibus adesse soleant aliqui passus adeo lutosi, vel saxosi, seu alias incommodi, vel periculosi, ut expediat eas mutare, atque ambulare per scortos, sive per easdem vias, sed magis circumspective, & cum majori diligentia, quam fiat, ubi via sit omnino plana & tuta; Et hic est casus, quoniam reflectendum est ad qualitatem personarum, & negotiorum, necnon ad mores regionis, aliasque circumstantias facti, ex quibus potius, quam ex generalitatibus juris judicium est regulandum.

21 Ac propterea, ut alibi pluries advertitur, *x* (nunquam tamen inutiliter, quamvis in omni pagina repeteretur) desiderandus est judex, non solum literatus, atque in jure bene peritus, qui istas regulas generales, & limitationes sciat, sed etiam sit prudens, atque negotiorum praxim, & experientiam habeat, junctam cum integritate, bonoque fine, cum sine omnibus istis partibus simul junctis non de facili detur bonus Judex; Itaque sint hodie illi casus, in quibus causarum decisio pendeat a solo puncto juris in abstracto.

22 Dantur autem quidam libri, quibus memorialium nomen non congruit, minusque cogere videtur nomen legalium librorum, ut supra, quia nempe non contineant occulta & domestica negotia propria, sed aliena, ideoque publicati potius expositi sunt, seu librorum formam vere non habeant; ut pro frequentiori praxi sunt libri tutorum, & curatorum, seu perfectorum, ac magistrorum domus, qui non retineant formalem scripturam, seu computistariam, sed conficiant libros grossolano modo, tanquam per speciem memorialium; Credunt autem hi proprio munari satisfacere, quodque tales libri ais sufficiant pro redditione rationum suæ administrationis; Et in hac specie quamvis aliqui scribentes ex genere illorum, qui procedunt cum sola litera legum, vel cum solis generalitatibus, multas firmant rigorosas, ac irrationabiles propositiones, præsertim contra tutores, aliosque legales, vel conventionales administratorea, qui ad libri confectionem, ac retentionem tenentur, ita ob librum, non omnino ordinate tantum, eos redarguendo adeo fallacea, ut juramento in litem subjici mereantur; Sive quod etiam circa expensas currentes, modicas, & verisimiles hujusmodi libris deferri non debeat; Attamen istæ potius dicendæ sunt leguleicæ superstitiones, per judiciosum Judicem negligendæ; Attendendo quidem juridicas propositionas generales pro quodam lumine generico, juxta supradictum exemplum viæ, regulando autem arbitrium juxta qualitatem facti, ac singulorum casuum circumstantias, & præsertim circa expensas verisimilea, vel inverisimiles. *y*

23 Solet circa hanc speciem probationis disputari, an illa dividi valeat, atque in parte attendi, & in parte impugnari, quia nempe velit quis uti libro contra scribentem in partibus sibi favorabilibus, sed nollit illi deferre in partibus sibi præjudicialibus, ipsique scribenti favorabilibus; Atque in hoc, licet non desit consueta opinionum varietas; Magis tamen probabile, & communiter receptum videtur pro regula, ut hæc divisio admittenda non sit; Ad instar eorum, quæ supra de confessiona in civilibus dicta sunt; Intrat autem eadem limitatio ibi enunciata, quæ resultat ab obstantia contrariæ præsumptionis, qualis urgere dicitur, quando liber detegatur minus fidelis, & alteratus; *z* Sed pariter periculosum, minusque commendabile est, cum hac generalitate simpliciter procedere in omni casu, cum verius dicendum sit idem quod supra, & ut scilicet totum pendeat a singulorum casuum qualitate ac circumstantiis.

24 Datur item quandam species librorum, qui licet de stricto jure sint privati, attamen quandam publicitatem præseferre videntur, & propterea quadam majori fide digni sint, atque minoribus indigeant adminiculis ad favorem scribentis, adeout quandoque sufficientes reputentur in solo possessorio; (Ut ex. gr.) sunt libri, vel diarii Baronum, vel Episcoporum, seu Capitulorum, & Monasteriorum, aliorumve piorum locorum, pro decimis, responsionibus, ac terraticis, aut similibus, quod pariter certam non recipit regulam, sed per facti qualitate est regulandum. *a*

25 Ea quoque datur species codicum, quibus non libri, sed scartafaccii, seu simplicis bilancii nomen datur, atque legalium librorum formam non habent, & tamen integra fida digni reputentur, potiusque publici, quam privati dicendi sint, ob plurium privatorum concursum in diem; Ut sunt bilancia, seu quinterni, vel scartafaccia nundinarum, in quibus adnotantur literæ, seu tractæ cambiorum, adeout ipsis literis amissis, ex eis, tanquam registris, vel protocollia, novæ efformari valeant. *b*

26 Super illis libris Communitatum, qui sub catastri, vel æstimi nomine appellantur, in quibus bona privatorum describi, & allibrari soleot pro collectarum regulationa, quæstiones cadunt, an & quam probationem faciant? Vel circa valorem bonorum; Vel circa eorundem dominium, ac pertinentiam, vel possessionem, & sic circa ea, quæ extranea sunt a fine, ad quem illi confecti sunt; Atque regula est, ut ais non deferatur inter tertios, bene tamen faciant adminiculum, vel adminiculati deserviant, cum distinctione inter illos, qui sciverunt & passi sunt, & ignaros, ideoque certa regula non cadit. *c*

27 Demum etiam in illis casibus, in quibus ex jure municipali scripto, vel non scripto, sive ex aliis circumstantiis, ut supra, fides libro, etiam favore scribentis præstetur; Adhuc tamen id procedit quando partitæ sint puræ, Secus autem si relativæ ad ordines, vel apocas, aliasve scri-

scripturas; cùm tunc interet regula generalis de scriptura referente, non attendenda sine relato. *d*

Et de aliis ad materiam, perquiri poterit apud tractantes, cum sat videatur ista pro aliqua notitia adnotasse, præsertim quia, ut præmissum est, revera non est materia capax regularum certarum, & generalium quibuscunque casibus applicabilium, cum totum pendeat a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis.

a *de his sacris edibus contradistinctis a banchis privatorum campsorum, tit. de credito, disc. 68. & seq.*
b *supra, disc. 21. n. 6. cum. de benef. disc. 93.*
d *tit. de feud. disc. 2. & in aliis, e in annot. ad Concil. Trid. disc. 26. & de quibus, tit. de matrim. pluries.*
g Rovit. *pragm. 1. de Notar.* Galeot. *libr. 2. controv. 66.* Capyc. Latr. *dec. 14.* Gregor. & add. *dec. 177.* Buratt. add. *dec. 95.*
h *De probatione ætatis ex libro baptismatum,* Rovit. *pragm. 1. de paroch.* Barbos. *de Episc. alleg. 32.* Duran. *dec. 18. dec. 138. par. 6. & decis. ult. p. 7. rec. decis. 279. part. 9. rec.* Cyriac. *contr. 252. i d. disc. 68. de credito.*
l Gait. *de credit. cap. 2. tit. 2. n. 66.* Capyc. Latr. *consult. 66. & 68.* Genua *de scriptura priv. tit. de lib. off. nu. 19. & 20. & n. 37. & seq.*
m Otthob. *dec. 170.* Bich. *decis. 495. & 503.*
n *dec. 314.* apud Post. *de manut.* Buratt. *dec. 274.* Royas *dec. 305. 311. & 330. & de omni scriptura, disc. praced.*
o *advertitur supra, n. 12. p infra, n. 21.*
q Greg. & add. *dec. 79.* Buratt. & add. *dec. 344. & 603. & passim.* s Burat. *dec. 167.*
ſ *apud allegatos supra, lit. Q decis. 225. p. 10. rec.* Buratt. & add. *dec. 869. dec. 222. part. 11. rec. & frequenter.*
s *apud proxime allegatos.*
u *decis. 1. part. 6. rec. dec. 111. par. 7. 251.* post Zacch. *de oblig. cam. & in aliis, de quibus supra.*
x *præsertim in relatione Curiæ, disc. 32. & supra, n. 15.*
y *dict. dec. 251.* post Zacch. *de obl. camer.* Burat. & add. *dec. 465.* Greg. add. *dec. 475. dec. 111. & 177. par. 7. rec. z tit. de credito, disc. 78.*
a Marant. *cons. 40.* Buratt. *dec. 870. dec. 12. & 234. part. 7. recent.*
b *tit. de camb. disc. 6. & in aliis,* Bich. *dec. 481. & 501.*
c Post *de manut. observ. 27.* Burat. & add. *dec. 317.* Rovit. *super pragm. in Rubr. de appretio.*
d *d. disc. 68. de credito & in aliis ibid.*

De Remissoriæ concessione, vel denegatione: Sive de admissione, vel rejectione articulorum, ad effectum prohibitionis per testes.

SUMMARIUM.

1 *De quæstionibus super oppositione adversus probationem faciendam per testes.*
2 *De stylo Auditoris Cameræ, & aliorum Tribunalium circa admissionem articulorum.*
3 *De ratione dicti styli, & de fine ob quem articuli dentur, & de appellatione ab admissione.*
4 *De diverso termino, quem habet Rota, & habeat alia Tribunalia.*
5 *De recursu qui haberi solet ad Signaturam, & de istius rescriptis.*
6 *Non laudatur stylus edendi desuper decisiones.*
7 *De diverso modo concipiendi dubium in his disputationibus in Rota.*
8 *De differentia inter examen in Curia, & remissoriam in partibus, & quare facilius admittatur examen in Curia.*
9 *Quod in Curia non de facili detur subornatio, vel falsitas testium.*
10 *De stylo adhibendi interpretes, qui laudatur.*
11 *De inconvenientibus, quos iste stylus producit.*
12 *Quod de facili admittitur examen in Curia.*
13 *Quando testes adducendi sint ad Curiam.*
14 *Ad quem finem soleat peti remissoria, etiam sine animo faciendi probationes.*
15 *Quales dicatur causæ spirituales ad hunc effectum.*
16 *Et quæ sint causæ prophanæ.*
17 *Quæ sint requisita remissoria in causis spiritualibus.*
18 *In prophanis non datur regula, & quare.*
19 *Improbatur stylus desuper allegandi auctoritates.*
20 *De requisito relevantiæ.*
21 *De calumnia, & quando includatur, vel excludatur.*
22 *An detur remissoria, quando probatio haberi potest per scripturas.*
23 *An & quando detur adversus propriam confessionem;*
24 *Vel adversus instrumenta, aliasque authenticas scripturas.*
25 *Sive adversus rem judicatam, vel transactionem.*
26 *De improbabilitate materiæ articulatæ.*
27 *De contrarietate probationibus jam factis.*
28 *De causis executivis, & privilegiatis, in quibus remissoria est deneganda, vel concedenda sine retardatione.*
29 *Etiam si concessa sit sine retardatione, probationes jam factæ re integra attenduntur.*
30 *De denegatione remissoriæ secundæ, sive post publicatas attestationes, & didicita testificata.*
31 *In dubio pro concessione remissoriæ.*
32 *De compulsoria speciali.*
33 *De articulis impertinentibus.*
34 *Denegatur in materia objectiva.*
35 *Denegatur excommunicatio, & attentanti, ac spoliatori.*
36 *Deneganda non est uni parti, si alteri data est, & quando secus.*
37 *De termino remissoriæ quando currit, & quod sit communis.*
38 *De regula generali in tota materia.*

DISC. XXXI.

UNa Partium volente ejus actionem, vel exceptio- 1
nem, seu replicationem, ex integro probare, sive probationem jam factam, si imperfecta reputetur, coadjuvare per testes, ac propterea exhibente in actis articulos, citando ad dicendum contra, & videndum admitti, &c. alteram Partem, quæ se opponat; Hinc manant quæstiones, quæ præsertim in Rota, nimium frequentes esse solent super remissoria, super cujus materia, tam magnam copiam decisionum habemus.

Quoties itaque per hoc disputari contingat in aliis Tri- 2
bunalibus extra Rotam, & præsertim in illo Auditoris Cameræ, in quo major cumulus dignoscitur causarum Urbis, & extra; Stylus est, desuper non interloquendi, quando pro denegatione respondendum videatur, sed implicite id agatur cum processu ad ulteriora. Quando vero videatur admittere, oppositio veso alterius partis aliquem habeat probabilem prætextum, ut præsertim sequi solet in judiciis summariis, & executivis, aut quod ex regulis juris, ob pubblicatas attestationes, vel didicita testificata, id denegari debere prætendatur, tunc fieri solet admissio, cum clausulis præservativis jurium alterius opponentis; Puta *sine præjudicio processus executivi, sive recipi, & poni ad partes,* ad effectum habendi eam rationem, quæ de jure habenda erit, *a* cum similibus. Idque ad tollendam occasionem appellandi ab admissione, vel non admissione articulorum, dum frequenter ad hunc effectum ista captiosa cautela adhiberi solet. Quando etenim, non quidem classici, & qualificati Curiales, sed illi, quibus Cabulatum forensium nomen potius congruit, agnoscunt se alio defensionis præsidio destitutos, vel quia revera illud desit, 3
ob claram justitiam alterius partis, vel quia illud ignorent: Ad probandam causæ terminationem, hujusmodi noves probationes confingere solent cum disseminate, quod, Aut Judex admittit, aut rejecit; Primo enim casu habetur dilationis intentum, potissime ubi supponatur, quod probationes faciendæ sint in partibus remotis; In altero autem, adhuc intentum habetur cum appellatione a denegatione admissionis articulorum; Ideoque ut his calumniis, vel subterfugiis occurratur, stylus est procedendi cum quibusdam mediis provisionibus, per quas petenti non detur occasio querelæ, atque alteri parti consultum remaneat.

Ubi vero facta admissione articulorum, concedendæ 4
sint literæ delegationis Judicis in partibus, coram quo testes examinandi sint; Extra Rotam, & præsertim in Tribunali Auditoris Cameræ, adhibetur terminus diversus, ab illo quem adhibet Rota, dum in ista adhibetur terminus remissoriæ, cujus termino utuntur quoque Tribunal Cameræ, ac etiam Sacra Congregatio 5
Rituum, in qua hujusmodi disputationes haberi solent in quæstionibus præcedentiarum, in quibus consuetudini præsertim immemorabili deferri solet in correctionem eorum, quæ alias de jure statuta sunt; In aliis vero Tribunalibus, & potissime in supradicto Auditoris Cameræ, adhibetur adversus terminus, literarum missivarum.

6 Non obstante autem decreto provisionali jurium utriusque partis præservativo, sive in casu simplicis admissionis, vel respective rejectionis implicitæ cum processu ad ulteriora. Una partium, cujus interest fieri, vel non fieri, adire solet Signaturam Justitiæ, quæ raro hanc appellationem admittit, adeout causa committatur alteri, ut de stricto jure faciendum est, etiam ubi agatur de interlocutoria gravante, a qua juste appelletur, quod scilicet appellatio devolvat totam causam, ut infra in appellationis Rubrica advertitur; Sed quando ei videatur, quod denegatio admissionis, juste facta sit, nihil rescribi solet; E converso autem, quando videatur locus esse admissioni, ista oretenus injungitur eidem Judici, cum opportunis clausulis præservativis jurium alterius Partis, prout causarum natura, aliæve facti circumstantiæ suadebunt; Istæque disputationes, extra Rotam, summarie ac breviter expediri solent, parvasque moras nectere; Moræ siquidem resultant in causis Rotalibus non tamen multum commendabiliter, unde propterea ille stylus disputandi formiter cum suo dubio, ac edendi decisiones, qui enunciatus habetur in ea *relationis Curiæ* rubrica, in qua de hoc Tribunali Rotæ agitur, ac commendabilis quidem est, ubi agitur de negotio principali, sed forte reformatione dignus, super his incidentibus, cum calumniarum fomentum potius esse videatur, aliaque exinde resultent inconvenientia in extensione decisionum, ut mox relato loco advertitur.

7 In causis, itaque Rotalibus; Aut agitur de examine faciendo in Curia, in qua testes reperiantur, vel quod ad eam per partem petentem adduci offerantur; Aut vero, extra Curiam in partibus, Primo enim casu disputari solet dubium, an articuli sint admittendi. In altero autem dubium, concipitur, an sit concedenda remissoria.

8 Notabilis autem est differentia inter unum casum, & alterum, quoniam, cum examen in Curia prompte ac celeriter explicari valeat, non cadit illa suspicio calumniæ, quæ intrat in alio casu, quod scilicet id affectetur potius ad dilationem quam ad probationem.

Ac etiam quia, vel omnino, vel longe magis, cessat suspicio subornationis, vel concussionis testium, dum in Curia, ob justitiam nimium bene administratam rigorose, ac celeriter, contra delinquentes, ubi præsertim agatur de isto crimine falsitatis, non ita de facili litigantes inducunt testes falsos, vel potentialiter eos cogunt ad deponendum falsum, Minusque habentur prompti testes, qui id agant, frequenter enim practicavi; (Ad aliorum tamen relationem, cum nunquam ex Dei gratia, id cum mea participatione nequidem cogitari casus dederit, quod pariter, ac melius de aliis classicis, & qualificatis Curialibus, saltem pro frequentiori stylo vere dicendum est;) Quod de facili inveniantur personæ illarum partium, vel regionum, in quibus id magis in usu sit, ut se promptas offerant ferre testimonium super iis, quæ nunquam viderunt, nec audierunt, dummodo bene instruantur; Aut ubi monentur de rigore, cum quo irremissibiliter in Urbe proceditur in severa punitione eorum, qui falsum testimonium ferant, tunc terrentur, & abstinent.

9 Ex alia quoque causa, regulariter, & pro frequentiori praxi provenit (dum nulla in hoc mundo datur regula sine limitatione,) quod in Curia non de facili practicetur testium subornatio, quod scilicet, non solum antequam deveniatur ad examen super articulis, præcedit examen super pluribus interrogatoriis, quæ diligenter, & cautelate concipi solent, ut ex eis testes de mendacio convincantur; Unde propterea, recepta est propositio quod testium dicta attenduntur potius super interrogatoria, quam super articulis, quodque testis qui non respondet super interrogatoriis, reddatur suspectus, ideoque fide indignus censeatur, *ut disc. seq.* advertitur, (dum ista cautela adhiberi potest, & solet etiam in examine faciendo in partibus transmittendo interrogatoria, quæ in Curia bene ordinata sint.)

10 Sed melius id provenit ex alio, nimium quidem commendabili stylo, ubique introducendo, interventus scilicet Interpretum utriusque partis, quorum quilibet respective, pro ejus munere, testem interrogat, adeout Notarius, aliud scribere non valeat, nisi id quod testis dicat per eadem verba præcisa; Cumque istud munus Interpretis fieri soleat per aliquos causidicos diligentes, atque in tali munere valde peritos; Hinc sequitur, ut nimium rari sint casus, in quibus illi testes, qui vere sint falsi, non convincantur, vel non detegantur tales.

11 Et quamvis ista bona cautela soleat quandoque, super examine faciendo, aliquas nectere moras; Vel super electione Interpretis, dum prohibitum est istud munus explicari per procuratorem, vel solicitatorem Partis; Vel ob discordias inter ipsosmet Interpretes, super modo interrogandi, vel super eorum congressu, dum aliqui malitiosi Interpretes, qui ad complacentiam ejus, qui eos conducit, indiscrete, ac impertinenter testes interrogare satagunt, ut ita examen impediatur, vel in longum protrahatur; Unde propterea coguntur Judices desuper providere. Vel deputando ex officio aliquem probatæ fidei Curialem in hoc munere versatum, qui id pro utraque Parte indifferenter agat, ad instar illius tertii periti, qui deputari solet in casu discordiæ eorum, qui hinc inde electi sint, ut infra in rubrica liquidationis habetur; Vel quandoque, pro causarum qualitate (licet raro,) solent Judices demandare, ut examen fiat coram ipsis; Adhoc tamen est minus malum, comparative ad bonum, quod exinde resultat, ita occurrendo seductionibus, & falsitatibus; Pro conditione etenim malitiæ, seu naturæ humanæ, non de facili provideri potest, ut detur bonum sine malo, sed expedit eligere illam viam, per quam bonum præponderet, seu minus malum resultet.

12 Hinc proinde sequitur, quod quando agitur de examine faciendo in Curia, longe facilius, ac pene semper, articuli admittuntur, dum Romanæ Curiæ stylus commendabilis est, non coangustandi, sed de facili ac omni tempore recipiendi probationes, ut rei veritas pateat; ideoque licet quandoque praxis doceat; ut etiam examen in Curia denegetur; *b* Attamen id valde rarum est, ac nonnisi ex magna causa sequi solet, dum ita cessant illæ rationes, ob quas, ubi agatur de remissoria, longe magis circumspecte procedi solet ut supra.

13 Quinimo praxis quandoque docet (quamvis raro) ut Rota, etiam ubi agatur de remotis partibus, concedere soleat examen in Curia, illud autem denegare in partibus, quod scilicet, ille qui intendit probationes facere, curet testes suo sumptu traducere ad Curiam, ut ibi examinentur; *c* Istamque cautelam frequenter nimium proficuam ego expertus sum; Quod scilicet, scribendo pro impediendo concessionem remissoriæ ob suspicionem, quam personarum, vel regionum qualitas induceret. Dicere consuevi, quod licet de stricto jure examen denegandum esset etiam in Curia, adhuc tamen libenter ad tollendam omnem occasionem querelæ, quod ejus probationes restringerentur, dabam manus, ut faceret examen in Curia, atque ita prætensio siluit.

14 Cum etenim in aliquibus regionibus, vel ditionibus, non de facili, Judicibus ecclesiasticis concedatur usus jurisdictionis temporalis, cum sæcularibus; Hinc sequi solet quod isti assecurati, quod per Judicem causæ, in persona criminaliter puniri non possunt, non adeo timent ferre falsum testimonium in causis, quæ vertantur in Curia, sicuti timere possunt ac debent, quando in eadem Curia id agant; Ac propterea, ex eadem ratione, quandoque adversus hujusmodi petitiones, super examine faciendo in partibus, adhibere consuevi cautelam, dandi manus petitioni, cum restrictione tamen ad examen personarum ecclesiasticarum, super quarum punitione Judex causæ in Curia liberum habeat exercitium etiam cum pœnis corporalibus, vel realibus, aut cum privatione beneficiorum, vel cum suspensione ab exercitio ordinum, unde resultet interesse bursale pro amissione emolumentorum, dum humana malitia adeo crevit, quod pœnæ spirituales censurarum parum timeri soleant, solumque timorem incutiant pœnæ corporales, vel bursales.

Quando itaque agitur de probatione facienda in partibus, atque ad hunc effectum petatur remissoria, cujus concessio de jure regulariter secum trahit dilationem, seu traditionem cursus causæ. Unde propterea sub termino dilationum id apud aliquos scribentes, theoricos, vel practicos, ac etiam apud sacros canones, explicari solet, adeout frequenter ista petitio calumniose ad hunc solum effectum dilationum, absque animo vere faciendi probationes, sequi soleat. Istæque dilationes sint magis præjudiciales in causis beneficialibus, in quibus, utpote redolentibus jus personale, seu vitalitium, exceptiones dilatoriæ, vim peremptoriarum habere videntur; Hinc proinde, in ista materia proceditur cum distinctione inter causas spirituales, & causas prophanas, ut in spiritualibus strictius procedatur.

Sub nomine autem, vel genere spiritualium, in hac subjecta materia remissoriæ, veniunt solum illæ causæ

quæ

quæ sint beneficiales, idest quod inter duos provisos con-
tendatur de titulo, seu pertinentia beneficii, adeout sit cau-
sa, quæ reddat beneficium litigiosum, unde propterea non
15 sufficit, quod lis sit in possessorio tantum, sive inter col-
latores, vel patronos respective, contendentes de jure
conferendi, vel præsentandi, quamvis ipsi provisi, vel
præsentati, accessorie pro eorum jure & interesse sint in
causa, quoniam attenditur id quod principaliter agitur,
ut in sua beneficiali materia advertitur. *c*

Generaliter autem, omnes aliæ causæ, quæ dici non va-
leant beneficiales, ut supra in hoc proposito dicuntur pro-
16 phanæ, quamvis de sui natura, & ad alios effectus, illum
præsertim fori, ac alterum transportationis actorum, ec-
clesiasticæ, vel spirituales dicendæ sint; Ut (ex. gr.) sunt
causæ matrimoniales, ac decimales, & similes, quoniam
ad alios quidem effectus dicuntur, seu censentur spiritua-
les, sed ad istum remissoriæ, de stylo Rotæ, & Curiæ, ve-
niunt sub genere prophanarum adeout non dicantur spiri-
tuales, nisi illæ quæ sint vere beneficiales ut supra.

In spiritualibus itaque; Illa in primis statuenda est regu-
la, quod in illis casibus, in quibus (ut infra) locus est de-
negationi remissoriæ in prophanis, clarius idem dicendum
17 est in spiritualibus, in quibus strictius proceditur, ex argu-
mento vulgaris textus *in Auth. multo magis, &c.* Sive ex di-
ctetio, *si hæc in viridi, quid in arido, &c.*

Ut ulterius in spiritualibus, ex superius assignata ra-
tione, plura dignoscuntur specialia, quæ in prophanis
non procedunt, Primo nempe, quod in prophanis neces-
sarium non est dare fumum materiæ articulatæ, sed solum
sufficit relevantia, præterquam ubi obstaret vehemens sus-
picio calumniæ, vel quod ageretur de processu executi-
vo ut infra; In spiritualibus autem, remissoria non da-
tur sine fumo.

Secundo, quod in prophanis remissoria conceditur in
quacunque instantia, quinimo facilius in prima, quam in
aliis; E converso autem in spiritualibus, non datur nisi in
tertia, seu ultima, vel in ea prima, quæ speciem ulti-
mæ habeat, quia nempe commissa sit causa, appellatio-
ne remota, adeout alia non supersit instantia; Et qua-
tenus de jure supersit, non datur remissoria, nisi petens
voluntarie ulteriorem instantiam, tollat, consentiendo
in unicam sententiam.

Et tertio, quod in prophanis, ubi remissoria petatur per
possessorem (ut frequentius contingit) non tenetur qui-
dem de jure pati sequestrum, sed vehemens suspicio calu-
mniæ causare solet denegationem remissoriæ, unde pro-
pterea ille, qui eam petit, ad hujusmodi suspicionem remo-
vendam ac remissoriam obtinendam, voluntarie offerat
sequestrum, vel aliam provisionem; In spiritualibus autem,
sive possideat, sive non, consentire debet sequestro. *d*

In prophanis vero; Quamvis hujusmodi quæstiones sint
quotidianæ, atque in Rota omnium forte frequentiores;
18 Attamen certa regula non habetur, cuicunque casui ap-
plicabilis, cum revera ista censenda sit materia arbitra-
ria, ejusque quæstiones sint facti potius quam juris, cujus
regulæ, seu propositiones generales, ac etiam respective
limitationes, sunt certæ, nullamque amplius hodie ad-
mittunt controversiam, adeout parum commendabilis,
(ne dicam contemptibilis,) pro meo sensu videtur stylus
Advocatorum, ac etiam ille decisionum, cumulandi au-
ctoritates super hujusmodi propositionibus, quæ tanquam
notoriæ, & incontroversibiles debent præsupponi, unde
propterea allegationes continent superfluam repletionem
chartarum. Atque mea dicendi consuetudo est (scribendo
19 in hujusmodi quæstionibus,) quod regulæ, seu conclusio-
nes generales juris, sunt sicut est versiculus *Gloria Patri,
& Filio &c.* quem omnes, etiam idiotæ, recitare, seu
canere sciunt; Siquidem tota vis est in applicatione, quæ
pendet a singulorum casuum particularibus circumstantiis;
Et super quibus, neque regula dari potest, quoniam fre-
quens praxis docet, quod eædem individuæ circumstantiæ,
in uno casu sufficiant, in altero vero non, quia sic exi-
gat unius, ac alterius diversa qualitas.

Præcipuum itaque, ac essentiale requisitum, super quo
fere omnes disputationes circumferri solent, est illud rele-
vantiæ, quoniam concedenda non est facultas faciendi il-
20 las probationes, quæ factæ non relevarent, dum ita id im-
portaret inanem circuitum in jure damnatum, atque clara
resultaret probatio calumniæ, quod scilicet ex sola ratione
dilationis hujusmodi petitio fieret. *e*

Verum, benigne in hoc procedi solet, ut scilicet dene-
gatio remissoriæ ex capite irrelevantiæ sequi non debeat,
nisi quoties illa sit clara, adeout sola possibilitas, vel dubie-
tas relevantiæ sufficere debeat, quamvis ea ex uno tantum
articulo resultaret, si ille articulus ad victoriam sufficiat
bene probatus; *f* Ex illa congrua quidem ratione, quod
non debent ita incidenter decidi causæ in meritis.

Hinc proinde sequitur, ut frequentius malum consilium
sit hujusmodi petitioni se opponere, istamque relevantiæ
disputationem assumere, sed potius expediat dare manus;
Aut ubi credatur, quod materia articulata non relevet,
eam dare pro probata, ut ita evitentur hujusmodi dilatio-
nes, & subterfugia; Intrat enim clarum dilemma; Aut
oppositor credit, quod futuræ probationes non relevent,
& tunc nil sua interest dare materiam pro probata. Aut
credit quod possint relevare, & tunc id sufficit pro remisso-
ria; Idque non solum, quia est terere tempus, & expensas
inutiliter, ex dicta ratione, quod sola dubietas, vel possi-
bilitas sufficit, unde propterea, pro frequentiori praxi, de
concessione responderi solet; Sed etiam quia est pandere
secreta causæ, atque aperire aditum patiendi notabilia præ-
judicia in meritis, ob stylum non quidem commendabilem
se diffundendi in eis in editione decisionum, super meritis,
ut agendo de Rotæ auditorio in *Relatione Curiæ*, adverti-
tur. *g*

Ex aliis quoque causis (ultra istam irrelevantiæ) oppo-
sitiones huic petitioni irremissoriæ fieri solent, & præser-
tim; Primo ratione calumniæ, circa quam regula est super 21
ejus exclusione, quod scilicet non præsumitur nisi probetur;
h Ideoque super ejus probationibus, vel argumentis cadunt
quæstiones, quæ pariter certam non habent regulam, sed
pro Judicis arbitrio, ex facti circumstantiis regulando, de-
cidendæ sunt.

Argumenta vero desuper considerari solita sunt; Vel
quod causa diu tractata fuerit, & nihilominus ista petitio
protracta ad ejus imminentem finem, vel expeditionem. Vel
quod diu in partibus, in quibus probatio facienda supponi-
tur, causa tractata fuerit, ubi commode probationes fieri
poterant, ac verisimiliter factæ essent, cum similibus cir-
cumstantiis, quæ affectationis argumentum redoleant,
ut scilicet petitio calumniosa sit pro dicto solo fine dilatio-
nis.

Et e converso, calumniæ suspicio removeri solet; Vel
quia detur materiæ articulatæ sufficiens fumus, qui ad hunc
effectum in prophanis desiderari solet, cum alias non requi-
ratur, ut supra; Vel quia ille, qui petit remissoriam, non
possideat, cum in possessore ista suspicio calumniæ regula-
riter, ac frequentius cadat. Vel quia petatur remissoria,
imminentibus vacationibus generalibus æstivis, intra quas
illa executioni demandari valeat, adeout alterius Partis
nil intersit, dum ita dilatio nullum ei causat præjudicium.
Vel quia justa detur excusationis causa, ob quam prius
remissoria petita non fuerit, sive cur factæ non fuerint
probationes in partibus, quia nempe illæ faciendæ sint
super novis juribus, vel novis motivis alterius Partis,
cum similibus circumstantiis, quæ prudenti arbitrio pen-
sandæ sunt.

Altera species oppositionis, vel denegationis est, quod
materia articulata justificari debeat, vel possit per scriptu-
ras, quæ habeantur per alteram Partem, vel de facili habe- 22
ri possint, unde propterea opus non sit recurrere ad proba-
tionem per testes; Et per consequens exinde desumi solet
argumentum calumniæ, quodque ad solum effectum dila-
tionis id fiat. Verum pariter id regulam non habet, ob limi-
tationem desuper tradi solitam, ubi scilicet probatio per te-
stes proficua esse valeat, ad scripturarum corroborationem,
vel declarationem, tollendaque illa dubia, quæ in dis-
putatione meritorum cadere possint cum solis scriptu-
ris. *i*

Denegationis etiam regulariter justa causa reputatur pro-
pria confessio, adversus quam danda non est facultas facien-
di probationes, dum illa quæ ex confessione resultat, dici-
tur probatio probata, omniumque probationum major; 23
Et tamen adhuc limitatio intrat, quando probatio per te-
stes relevare posset. Vel quia prætendatur probati error,
quo tamen casu, cum ille non præsumatur in facto pro-
prio, fumus desiderari solet; Vel quia probatio percu-
tiat ejusdem confessionis declarationem, vel dilucidatio-
nem æquivoci, cujus illa sit capax. Vel quod non sit con-
fessio propria, sed prædecessoris; Aut quod alias omnino
perfectam, & necessariam probationem non producat,
juxta declarationes, quæ in confessionis rubrica superius
recensentur. *l*

Ex eadem ratione, denegationis justa causa reputatur,
quando contrarium ejus quod articuletur, constet per pu- 24
blica instrumenta, vel per alia documenta, unde propterea
repu-

reputatur petitio calumniosa; Et nihilominus eædem intrant limitationes, pro declaratione scilicet scripturæ, vel pro justificatione ejus falsitatis vel doli, aut alterius qualitatis, quæ illi adimat fidem, vel efficaciam. *m*

Res judicata, vel transactio, quæ rei judicatæ speciem habeat, obstaculum petitioni remissoriæ quoque præbere
25 solet; Et tamen adhuc dubitationes intrant, vel quia adversus rem judicatam, commissa sit causa restitutionis in integrum; Nisi super ea disputatum sit, ac resolutum illi non esse locum. Vel quia petatur remissoria, ad effectum probandi nullitatem, vel injustitiam; Aut respectu transactionis, læsionem, seu dolum, & circumventionem, aut errorem, vel falsum præsuppositum, &c. *n*

Improbabilitas item materiæ articulatæ, in praxi esse solet magna causa denegationis remissoriæ. Puta quia sub-
26 jecta materia de sui natura non patiatur probationem per testes. Aut quod talis probatio sit impossibilis. Ut præsertim pro frequentiori praxi contingere solet, quando articuletur immemorabilis cujus præcipuum requisitum quadragenariæ pacificæ de visu post pubertatem, non sit verificabile, quia nempe subducto tempore litis, impossibile sit habere testes talis ætatis, cum similibus ponderationibus impossibilitatis pro facti qualitate, ex qua propterea totum pendet. *o*

Contrarietas quoque directa probationibus factis per al-
27 teram partem, reputari solet justa causa denegationis, ex juris regula, quæ prohibet articulos de directo contrarios, Et nihilominus quilibet possibilis intellectus conciliativus pro hujusmodi contrarietate evitanda admitti solet; Ideoque pariter omnino certa regula statui non potest. *p*

Qualitas item, seu natura privilegiata causæ, hanc de-
28 negationem suadere solet. Puta quia agatur de spolio, vel attentatis, Aut de processu executivo, in vim obligationis cameralis, vel alterius pacti executivi, sive litterarum Apostolicarum, aut de summarissimo privilegiato judicio manutentionis cum similibus, in quibus regula est, quod remissoria dari non debet, vel saltem dari debet sine retardatione judicii, vel processus executivi. Et tamen quando præsertim detur vehemens fumus, vel quod alia justa causa accedat, in his etiam casibus concedi quandoque solet, etiam cum retardatione, quæ tamen pure decerni non solet, sed reservatur arbitrio regulando ea modo exequendi eandem remissoriam, ut scilicet in casu diligentis ac celeris executionis expectentur probationes ad effectum videndi quantum relevent.

Quinimo, etiamsi remissoria concessa esset sine retardatione, adhuc tamen si ille, qui eam obtinuit, in ejus executione diligens fuit, adeout re adhuc integra processum
29 remissorialem in actis exhibuerit, commendabilis est stylus saltem gustandi de probationum relevantia, ac interim supersedendi.

Regula quoque juris prohibet concessionem secundæ remissoriæ, quoties prima habita, & effectuata fuerit, at-
30 que testificata, publicata, seu dicicta sit, ob præsumptionem, quod tunc litigans curaverit inducere testes meliores, unde propterea intret mala præsumptio, quod ita curet obtinere alteram, ad effectuus inducendi testes falsos, & subornatos. Et tamen frequens praxis docet hujus regulæ limitationem. Vel ob examinis nullitatem. Vel quia novi articuli concernant res diversas. Aut quod concernant easdem melius explicatas cum similibus. *r*

Quæstione cadente, quando testificata dici debeant didicita, seu publicata. Atque receptum est ea dici talia quando secuta communicatione depositionis, vel summarii Partibus, processum quoque fuit ad disputationem super relevantia depositionum, deducendo exceptiones in persona, vel in dicta, juxta ea quæ habentur, *disc. seq.*; Secus autem ubi solum secuta esset communicatio summarii Partium Advocatis, & Procuratoribus, absque aliqua discussione, cum tunc iste actus non tollat facultatem alterius probationis, ex recepto Curiæ stylo inducto; Tum ob probatam ejus Curialium fidem. Tum etiam quia stylus est dandi summarium sine nominibus testium. Et in summa est materia arbitraria, quæ certam non recepit regulam, sed tota pendet ex singulorum casuum qualitate & circumstantiis, spectato fine, seu ratione, ob quam lex ejus denegationem demandet. *f*

In dubio autem, pro concessione potius responderi solet; dum Curia sequitur canonicam æquitatem, quæ suadet, ut veritas naturalis attendi debeat, illaque semper admitti, negligendo quasdam juris civilis subtilitates, vel super-
31 stitiosas formalitates, *t* adeout quandoque etiam tertia remissoria concedi soleat, quando justa causa suadeat, *u*

Omnia vero præmissa circa remissoriam, pariformiter procedunt in compulsoria speciali, quæ eandem vim habet, sive eundem operatur effectum dilationis impeditivæ 32
ulterioris progressus causæ, cum eadem ratio pariformiter intret, ideoque adesse debet relevantia, & abesse calumnia, ac etiam, ut doceatur de existentia. *x*

Super articulorum impertinentia, & resecatione, eadere solent quæstiones, quæ tamen pariter certam non ad- 33
mittunt regulam, sed ex facti circumstantiis, fortius vero ex Tribunalium stylis, decisionem recipiunt; Atque praxis Curiæ est, ad evitandas hujusmodi discussiones, an, & qui sint impertinentes, illos admittere cum præservativa, sive præjudicio impertinentium, & non admittendorum. *y*

Denegari etiam regulariter debet in materia objectiva, & ad probandum delictum. Sed pariter id plures recipit limi-
tationes, ideoque non datur certa regula, ubi scilicet inci- 34
dentes ad alium finem; Licet ad effectum istius, vel similis limitationis desiderari soleat fumus. *z*

Excommunicato quoque negari solet; *a* Ac etiam atten-
tanti, vel spoliatori. Non tamen negatur ad excusandum 35
ab attentatis, vel a spolio. *b*

Quando vero data est uni parti, regulariter non debet 36
alteri denegari, quamvis & id certam non habeat regulam, sed pariter sit arbitrarium pro facti qualitate. *c*

Terminus remissoriæ currit a die qua consignatæ fuerant literæ petitorii, ille, qui datus uni est communis alteri parti ad reprobandum, ideoque ad hunc effectum regulariter non datur nova remissoria, nisi quando calumnia excludatur, & facti circumstantiæ ita suadeant. *d*

Alia plura habentur in hac materia, super quibus pene impossibile est regulam dare, cum tota sit materia facti, & arbitrii, cui totum remissum est; *e* Ac propterea a simili eorum quæ supra habentur, trahendæ sunt lineæ, seu facienda est applicatio, habendo, ut dictum est, præ oculis finem, seu rationem regularum, ac limitationum, non autem inhærendo generalitatibus, aut quid, in uno, vel in altero casu, decisum, seu practicatum fuerit, cum impossibile videatur, ut omnium casuum eædem circumstantiæ, ita adamussim individuent, ut quod in isto casu est decisum, in altero decidi pariformiter debeat; Ideoque est materia, quæ indiget judicibus probis, ac judiciosis magis, quam puris leguleiis.

a *de isto stylo mandari recipi, & poni ad partes, dec.334. circa fin. part. 4. rec. tom. 2. & in aliis.*

a 2. *in Relatione Curiæ, disc.* 32.

b Carill. *dec.*238. *infra dec.* 521. *n.*10. *& seqq. par.* 5. *rec. dec.* 21. *in princip. part.* 11. c Royas *dec.* 432.

d 2. *tit. de benef. disc.*92. *&* 99. d *de his omnibus, disc.*99. *de benef.* e Cæs. de Graff. *dec.* 1. *&* 2. *de dilat.* Burat. & add. *dec.*28. *cum al. collect.* per add. *ad dec.* 606. *par.* 5. *rec.* f *apud allegatos proxime supra, præsertim* add. *ad dec.* 606. *par.* 5. *rec. ubi concordates.*

g *in relatione Curiæ, dict. disc.*32.

h Burat. & add. *decis.*28. *&* 68. *cum al.* per add. *ad dictam dec.*606. *part.* 5. *recent. ubi etiam de infrascriptis respicientibus calumniæ inclusionem, vel exclusionem, & passim.* i Cavaler. *decis.*87. Dur. *decis.* 196. Burat. & add. *decis.* 180. *&* 587. add. *ad decis.* 606. *par.* 5. *rec.* Otthob. *decis.* 83.

l Roya *dec.* 466. Burat. *dec.* 369. Greg. *dec.* 523.

m Burat. *dec.*351. 597. *&* 864. Duran. *dec.* 131. *&* 196. add. *ad dec.*606. *par.* 5. *recent.*

n Burat. & add. *dec.* 357. *&* 555. Greg. & add. *dec.* 276. *dec.* 349. *par.* 12. *rec.* Otthob. *dec.* 136.

n Burat. *dec.*551. *&* 894. *dec.*344. *par.* 11. *rec.* Cels. *decis.* 104. *& sæpius* p

q Royas *dec.*96. *&* 466. *dec.* 276. *par.*6. *rec. dec.*101. *par.* 10. *dec.*585. *par.*5. add. ad Burat. *dec.* 211.

r Burat. & add. *decis.* 228. *& decis.* 824. *&* 816. *&* 180. *decis.* 333. *par.* 11. *recent. decis.* 235. *part.* 5. Carill. *decis.* 238.

f *dec.* 521. *part.* 5. *recent.* Carill. *dict. decis.* 238. *in fin.* Seraph. *decis.*688. Greg. *decis.* 497. Buratt. *decis.*597. *& sæpius.* t Buratt. & add. *decis.* 28. add. *ad dec.*606. *par.* 5. *rec. dec.* 101. *par.* 10.

u Buratt. *dec.*816. *& sæpius practicavi.*

x Vestr. *lib.*6. *cap.*1. Bich. *dec.* 475. 110. *par.* 10. *rec.* 156. *par.*11. Buratt. *dec.* 555. y Vestr. *in prax. lib.* 5. *capit.* 14. *&* 15. *dec.* 521. *n.* 11. *par.* 5. *rec.*

z Buran. & add. *decis.* 28. 357. 587. *&* 877. *dec.* 5. *part.* 10. *rec. Cremonen. Parochialis* 15. *Junii* 1646. *coram Cerro,* a Buratt. & add. *dec.*32.

b Royas *dec.* 228. *&* 433. Gregor. *dec.* 286.
c Royas *d. dec.* 228. *& in aliis, de quibus* add. *ad dict. dec.* 606. *par.* 5. *rec.* d Buratt. & add. *dec.* 501. *&* 587. *dec.* 327. *par.* 5. *rec.*
e *late*, add. *ad dict. dec.* 606. *par.* 5. *rec.*

De relevantia probationis jam factæ per testes, vel per attestationes; Et de exceptionibus, quæ testium fidem adimant, vel minuant.

S U M M A R I U M.

1 *DE duplici specie probationis per testes, solemni scilicet, informi.*
2 *Fides, vel attestationes extrajudiciales, & informes non faciunt probationem.*
3 *Fallit ubi agitur de attestationibus Magnatum.*
4 *Ac etiam fallit concurrentibus adminiculis.*
5 *Quomodo in prima limitatione procedendum sit.*
6 *Et quomodo in altera.*
7 *Distinguuntur diversa species informium attestationum, & quod differunt fides ab examine ad perpetuam rei memoriam.*
8 *Et majoris ponderis est examen judiciale, quod laboret aliquo defectu.*
9 *Quomodo in materia Judex procedere debeat.*
10 *Testes formiter examinati attenduntur, & probant.*
11 *Fallit ubi testes patiantur exceptiones.*
12 *Quod materia sit judici arbitraria.*
13 *De diversis speciebus exceptionum.*
14 *Testes debent examinari de mandato Judicis, coram quo causa pendet super aliis ab eodem Judice admissis.*
15 *Debent esse jurati, & coram quo juramentum præstari debeat.*
16 *Debet juramentum præstari in termino.*
17 *Debet citari pars ad videndum eos jurare, & quomodo debeat concipi citatio.*
18 *Debent examinari cum interrogatoriis.*
19 *Debet etiam intimari parti tempus examinis pro conducendo interpretem.*
20 *De citatione ipsorum testium.*
21 *Debet citari pars, quamvis in Curia contra ea procedatur per contradictas.*
22 *Quando partis citatio possit omitti.*
23 *Respiciendum est ad finem, vel rationem legis, non autem ad verba.*
24 *Defectus citationis sanatur per consensum, vel comparitionem partis.*
25 *De eodem, & quod non possit opponi defectus, quem ipse opponens patiatur.*
26 *Qualis stylus debeat adhiberi, an ille delegantis, vel delegati.*
27 *De cautela transmittendi instructionem, ut examen valide fiat in partibus.*
28 *Examen fieri debet in loco designato in remissoria.*
29 *Et coram Judice competente, ideoque in causa spirituali non fit coram laico.*
30 *Debet fieri coram Judice remissoriali, qui alium subdelegare non potest.*
31 *Ubi adsit aliquis defectus, quomodo testes examinati attendi debeant, & quando repetitio, seu novum examen sit necessarium, necne.*
32 *An, & quando mors vim habeat juramenti, ut testibus mortuis sit deferendum.*
33 *De eodem de quo, n. 9. &* 12. *quod non sit procedendum cum generalitatibus.*
34 *De agentibus de exceptionibus personalibus testium, & quomodo sit procedendum.*
35 *In iis quæ sunt de sui natura difficilis probationis, admittuntur etiam testes, qui patiantur exceptiones.*
36 *Præsertim in probatione matrimonii.*
37 *Et in probatione naufragii.*
38 *Numerum testium supplet defectus.*
39 *Adminicula operantur eandem suppletionem.*
40 *De famulis, vel familiaribus an & quando non sint idonei testes.*
41 *De Advocatis, Procuratoribus, & solicitatoribus.*
42 *De pluribus generibus personarum suspectarum.*
43 *Qualitas, vel gravitas causæ in hoc nimium attendi debet.*
44 *Non præsumitur falsitas pro modica utilitate.*
45 *In possessorio præsertim retinendæ non attenduntur exceptiones contra testes, & quando secus.*
46 *Testes de collegio, vel de universitate an sit attendendi.*
47 *De testibus impuberibus, vel deponentibus de rebus ante pubertatem.*
48 *De Vassallis, & subditis.*
49 *De mediatoribus, & proxenetis.*
50 *De regula, quæ in his exceptionibus teneri debet.*
51 *Variatio, vel contrarietas, aut mendacium quomodo, & quando attendatur.*
52 *Testi est deferendum potius in iis, quæ dicit super interrogatoriis, quam super articulis, & non defertur iis, qui non respondent interrogatoriis.*
53 *Unus testis potest ab alio melius deponente suppleri, vel declarari.*
54 *De testibus deponentibus de tempore, & an deponendo dubitative, vel de credulitate, probant.*
55 *Testes nimis contestes, & per eundem sermonem sunt suspecti.*
56 *An possit testis se corrigere, vel affirmare quod negaverat, & e contra.*
57 *An possit deponere relative ad fidem, vel ad primam depositionem, sive ad alios, vel ad aliquam scripturam.*
58 *De duplici diversa specie singularitatis.*
59 *Testi unico non creditur, atque dictum unius, dictum nullius, sed quando testi unico, vel singulari deferatur.*
60 *De distinctione inter singularitatem obstativam, & adminiculativam.*
61 *Quando sit singularitas excusabilis necne.*
62 *De regula quod falsus in uno, est falsus in omnibus.*
63 *De singularitate adminiculativa.*
64 *An & quando testis teneatur assignare causam seu rationem scientiæ.*
65 *De probatione negativa.*
66 *De testibus de auditu.*
67 *Quod hodie omnes quæstiones sint super applicatione juris ad factum.*
68 *Testis de tractatu, & non de conclusione nil probat.*
69 *De testis locatione indefinita quomodo debeat intelligi.*
70 *De deponente extra articulos.*
71 *De varia depositione, an debeat attendi prima, vel secunda.*
72 *Testi asserenti se falso deposuisse an credatur.*
73 *Testes in criminalibus non attenduntur in civilibus.*
74 *In conflictu testium, quibus magis debeat deferri.*
75 *An eis deferendum sit potius contra inducentem, quam contra alteram partem.*
76 *De testium tormentis.*
77 *De eorundem coactione.*
78 *An testes possint instrui, vel cum pecunia, & præmio allici.*
79 *De competentia quam Judex alias incompetens acquirat contra testes, qui falsum coram eo deponant.*

D I S C. XXXII.

1 PRobatio per testes, duplicem habet speciem; Unam scilicet solemnem, ac formiter judicialem, quæ de mandato Judicis, in termioo per eum statuto, cum juramento, ac parte citata, aliisque de jure, vel de stylo, servatis servandis, facta sit; Et alteram, quæ extrajudicialis, vel informis dicitur; Itaque posterior in tres alias species dividitur; Unam scilicet, per mere privatas attestationes in forma simplicis schedulæ, vel apocæ ab attestante scriptæ, vel subscriptæ; Alteram quæ dicitur per testes ad futuram rei memoriam, sive pro informatione coram Notario publico, vel apud acta alicujus judicii, etiam cum juramento examinatos, nemine tamen citato, atque in forma voluntariæ potius quam contentiosæ jurisdictionis; Et tertiam illorum testium, qui examinati quidem sint in judicii calore, atque in forma contentiosę, potius, quam voluntarię jurisdictionis, sed ob aliquam examinis nullitatem, informes dici mereantur.

2 Quatenus itaque pertinet ad secundam speciem, quę in dictas tres alias subalternas distinguitur; Regula est generalis negativa, quod scilicet perfectam, & concludentem probationem non faciunt, cum attestationes potius, quam testes dicantur, unde prodiit vulgate Practicorum dicterium, quod fides non facit fidem; Atque in jure dispositum est, quod testibus, non autem attestationibus est deferendum. a

3 Adhuc tamen limitationes patitur ista regula; Vel scilicet ex qualitate personarum, quę attestationes faciant, quia nempe agatur de Principibus, vel Magnatibus, aliisque conspicuis personis, ecclesiastici, vel secularis ordinis, quibus pro regionum moribus, incongruum, vel indeco-

deco-

decorum sit, ut formali examini judiciario, cum alterius
partis interrogatoriis, ac interventu Interpretum, aliis-
que formalitatibus se exponant, unde propterea eorum
consuetudo sit, veritatem attestari per literas, vel per pri-
vatas schedulas ab eis subscriptas; Quoties tamen proprium
in causa interesse non habeant. *b*

4 Vel quia agatur de attestationibus, quæ habeant suffi-
ciens fomentum adminiculorum, ex quorum conjunctio-
ne, ista imperfecta probatio perfecta fiat. *c*

5 Hujusmodi vero generalitatis tam circa regulam, quam
circa limitationes, ita in abstracto, veræ sunt, nullam-
que patiuntur controversiam; Verum ea frequenter cadit
in applicatione ad factum, cujus potius, quam juris, istæ
quæstiones esse videntur, an scilicet, & quandò personæ
attestantes dicantur de illo primario magnatum ordine,
ecclesiastico, vel sæculari, ut pro moribus regionis, ea-
rum privatæ attestationes fidem mereantur; Et quatenus
sint, an urgeant circumstantiæ, vel suspiciones, quæ hanc
fidem addimant, vel minuant. *d*

Sive, an & quæ dici valeant sufficientia adminicula,
quæ privatis attestationibus tale robur tribuant, ut perfe-
6 ctam probationem concludant; Super his autem, impos-
sibile est certam regulam statuere generalem, quibuscun-
que casibus applicabilem, cum revera totum pendeat ex
singulorum casuum particularibus circumstantiis, pruden-
ti Judicis arbitrio ponderandis; Inspectis scilicet diversis
moribus regionum, necnon, qualitate personarum atte-
stantium, alia qualitate personarum litigantium, ac et-
iam qualitate, vel quantitate, sive importantia ejus, quod
in lite sit cum aliis circumstantiis, quas subjecta materia se-
cum ferat, illa præsertim verisimilitudinis, vel inverisimi-
litudinis, quæ conjecturalibus, & adminiculativis prin-
cipatum habere videtur.

Nimium quoque ponderandæ videntur dictæ tres diver-
7 sæ species testium, ad effectum inspiciendi, an majora, vel
respective minora adminicula desideranda veniant; Ma-
gna siquidem differentia est, inter illas mere privatas, &
informes attestationes, per schedulas, quas fides dicimus;
Et examen cum juramento, coram publico Notario, vel
apud acta alicujus judicii, quamvis nemine citato, ac in
forma potius voluntariæ, quam contentiosæ jurisdictio-
nis, quoniam, ut frequens, ac notoria praxis docet, li-
benter ad preces, vel complacentiam aliquorum benevo-
lorum, & in fide requirentium, subscribuntur fides super
his, super quibus, juratum examen publicum, quamvis
informe non fieret, ut pluties expertus sum; Ideoque er-
roneum est, cum solis generalitatibus procedendo, hu-
jusmodi species pariformiter ponderare, quoniam prima,
utpote debilior, majori indigebit fomento adminiculo-
rum, quam altera. *e*

Idemque proportionabiliter quoad tertiam speciem, quæ
longe majoris ponderis censenda venit, cum, inspecta ve-
8 ritate naturali, & de facto, ita sint potius testes formi-
ter examinati calore judicii contentiosi sed eorum fides
cesset, vel minuatur, ea aliqua juris positivi, commu-
nis, vel municipalis, scrupulosa subtilitate, vel ex foren-
sium practicorum superstitionibus, ratione ordinis Judi-
ciarii non omnino bene servati, ideoque longe mino-
ra adminicula sufficere debebunt, cum debita propor-
tione inter istas tres species. *f*

Et de consequenti, frequenter repetendus, atque sem-
9 per inculcandus remanet pragmaticorum error, proce-
dendi cum solis generalitatibus, sive cum sola litera doctri-
narum, vel decisionum, non distinguendo singulorum
casuum species, vel circumstantias.

Quo vero ad aliam speciem testium, qui formiter, cita-
10 ta parte, aliisque servatis servandis, in judicio contentio-
so examinati sint; Regula generalis est in oppositum, ut
scilicet quilibet testis, semiplenam faciat probationem;
Unde propterea duo contestes, quando aliqua exceptio
eorum fidem non minuat, perfectam, & concludentem
constituunt probationem, non solum ea dispositione juris
positivi, sed etiam ex oraculo divino, ut in ore duo-
rum, vel trium stet omne verbum. *g*

Quemadmodum autem in dicta alia specie, in qua re-
gula est negativa, illa patitur limitationem ob qualitatem
11 personarum, vel ob adminicula, ut supra; Ita e converso
in hac specie, in qua regula est affirmativa, limitationem
patitur, ob exceptiones, quæ testium fidem tollant, vel
minuant; Ideoque pariter materia capax non est regulæ
certæ, & generalis cuicunque casui applicabilis, sed pru-
denti Judicis arbitrio remissa est pro singulorum casuum
qualitate, & circumstantiis; Ac propterea inculcari me-
retur idem error procedendi cum doctrinis, & auctorita-
tibus, in sola litera, non reflectendo ad qualitatem facti,
cujus revera potius, quam juris est quæstio. Unde Judicium 12
in ista materia magister Jurisconsultus *Callistratus*, refert
sententiam D. Adriani Judicem alloquentis, quod scilicet,
ipse scire potest, quanta fides testibus adhibenda sit. *h*

Tres autem sunt species exceptionum, quæ testibus ob- 13
jici solent pro eorum fide adimenda, vel minuenda; Una
scilicet, quæ respicit formam, vel solemnitatem examinis;
Altera, quæ respicit exceptionem personæ; Et altera,
quæ respicit exceptionem in dicto; Quare de his distincte
agendo, cum super eis pene universa testium materia cir-
cumferatur.

Quatenus pertinet ad primam exceptionem; Quoties
agitur de probatione facienda per testes in causis vere con- 14
tentiosis cum legitimo contradictore; Plura requiruntur,
ut testes dici valeant formiter examinati, ideoque plena
fide digni; Primo scilicet, ut examen fiat ex decreto Ju-
dicis competentis, coram quo causa pendet, & super ar-
ticulis per ipsum Judicem, citata parte admissis, & in ter-
mino per eundem ad id statuto, alias extra terminum exa-
minati non probant, nisi quoties in termino juramentum
præstitissent. *i*

Et secundo sequitur juramentum coram ipso Judice 15
causæ, vel coram Judice remissoriali in Partibus tanquam
delegato, sive ubi examen fiat in loco judicii penes Nota-
rium, qui ad id habeat commissionem specialem, vel etiam
generalem pro Tribunalium stylis. *l*

Item quod juramentum præstitum sit statuta die conten- 16
ta in citatione Partis; Vel ubi citatio sit indefinita ad vi-
dendum jurare testes. Quamvis aliqui credant, ut ea in-
valida sit? Verius tamen est,) quod sufficit, ut illud præ-
stetur infra terminum probatorium a Judice concessum,
pro quo citatio intelligenda est, cum alias citatio vaga, &
generalis insufficiens reputetur, quando nullus datus sit
terminus. *m*

Tertio requiritur citatio Partis ut supra, ad videndum 17
jurare testes, cum ista citatio sit principaliter necessaria;
Itaque debet esse specialis, & individua, & non sufficit
generalis; *n* Nisi stylus excuset, ut in aliquibus Hispania-
rum partibus viget. *o*

Quarto, quod altera Parte exhibente in actis interroga- 18
toria, super eis testes examinari debeant; priusquam super
articulis, nisi altera pars eos dare negligat; Adeout si hoc
examen negligatur, vel quod ipse testis negligat, vel re-
cuset respondere interrogatoriis, examen invalidum sit.
Nisi agatur de impertinentibus, vel de continentibus cri-
men, seu turpitudinem ipsius testis. *p*

Et quinto, ubi vigeat stylus (qualis nimium commen- 19
dabiliter viget in Curia, quod scilicet examen testium
fieri debeat cum interventu Interpretis per alteram Partem
conducendi, ut idem examen sequatur prævia intimatio-
ne pro die, hora, & loco certis, ut ita sciat altera Pars,
quando Interpretem mittere debeat. *q*

Hisque requisitis, (pro diversis Tribunalium stylis) ad- 20
ditur alterum citationis ipsorum testium, quod causative
potius, quam præcise necessarium reputari solet, ad tollen-
dam scilicet exceptionem, quæ testibus ultroneis objici va-
leat; Atque sine hujusmodi requisitorum concursu, examen
imperfectum, minusque legitimum reputatur.

Adeoque partis citatio ut supra, necessaria reputatur, 21
quod licet in Curia procedatur in causa in contumaciam,
seu per contradictas; Adhuc tamen Judex remissorialis te-
netur citare partem, quæ ibi existat, cum diversa sit ratio
procedendi. *r*

Verum respectu hujus requisiti citationis Partis, plures 22
traduntur limitationes, in quibus ea non obstante examen
sustinetur; Ut præsertim est in eo examine quod, fiat de
casu naufragii, quando illud, juxta formam Consolatus
maris, fiat in loco magis proximo, post passum infortu-
nium; Secus autem ubi fiat in loco, in quo adsint Partes
interessatæ, quæ commode citari valeant; *s* Aliæque plu-
res traduntur limitationes per DD. circa quas cuneo loco-
rum standum est defendum.

Hinc proinde ista materia regulanda est pro facti quali- 23
tate & circumstantiis, principaliter reflectendo ad toties
inculcatam propositionem, quod lex non est imposita ver-
bis, sed rebus, ideoque punctus non est in formalitate
verborum, sed in ratione legis, sive in effectu, vel fine
per eam habito.

Unde propterea, quemadmodum supra in citationis 24
rubrica generaliter advertitur, ejus defectus, sive sit in
substantia, sive in modo, sanatur per comparitionem
partis,

partis; cum ita impleatur finis, vel effectus, ad quem per legem est requisita; Ita in præsenti, si pars det ejus interrogatoria, vel pro locorum stylo, conducat Interpretem, seu alia faciat quæ servari solent, pro ejus indemnitate, tali casu, curandum non est de formalitate citationis, vel alterius solemnitatis, dum illæ non desiderantur pro forma præcisa, sed pro dicto fine, vel effectu, quem sufficit impleri. *u*

Ac generaliter receptum est, ut examinis nullitates sup-
25 pleantur per consensum partis, sive quod curari non debeant illæ formalitates, quæ de facto in loco, vel in opinione partis non sint in usu; Unde propterea habemus, quod si examen factum ab altera parte, laboret eisdem defectibus, ei non conceditur de istis objicere. *x*

Atque hinc manat, quod licet probabilius videatur, ut
26 in examine adhiberi debeat stylus Judicis delegantis; *y* Adhuc tamen excusetur ille, qui servavit stylum Judicis remissorialis, si altera pars quoque cum eo processit; Verum semper cautius est servare stylum delegantis; Unde propterea in casu hujusmodi examinum in partibus, monere consuevi causarum Patronos, ut transmittant claram, beneque distinctam instructionem; Verum adhuc eam pluries expertus sum inutilem, eo quia illi Notarii, vel Causidici, nolunt, vel nesciunt egredi propriæ regionis formalitates, cum in hac facultate fere totus Mundus
27 redactus videatur ad scientiam psytacorum, sive per traditiones, aliud non curando.

Item; ultra dicta requisita, plura alia desiderari solent;
28 Nempe ut examen fiat in loco designato in remissoria, nisi consensus partium aliter suadeat, sive alia justa causa, ob quam cesset finis, vel ratio requisiti. Aut quod illud impleri non valeat ob impedimentum testium, puta quia moniales, vel senes, aut infirmi, vel mulieres. *z*

Ac etiam ut examen fiat coram Judice competenti, id est capaci illius jurisdictionis, unde propterea quando-
29 que invalidum haberi consuevit examen factum in causa beneficiali, vel alia mere spirituali coram Judice laico; Ubi tamen sua auctoritate fiat, secus autem si ex delegatione Judicis competentis. *a*

Nec non ut fiat coram ipso Judice remissoriali, non autem coram solo Notario, vel alio subdelegato, nisi tenor
30 remissoriæ, vel stylus loci aliter suadeat, quoniam magna differentia est inter ipsum Judicem causæ delegantem, & hunc particularem delegatum, in cujus deputatione praxis est eam facere de consensu alterius partis, saltim subintellecto per contumaciam, sive ex officio prævia lista confidentium & diffidentium, ideoque regulariter non debet illa persona immutari, neque actus examinis fieri coram persona diversa, ignota, seu verisimiliter nolita; nisi respectu Notarii excuset stylus. *b*

Propterea, quando ista exceptio solum obstet, procedendum videtur cum illa epicheja, vel proportione, quæ
31 supra in prima testium specie considerata est; Non procedendi scilicet pariformiter in omni casu, cum eodem rigore, & cum eisdem generalitatibus, atque ita ob aliquam nullitatem provenientem a quodam stricto rigore leguleico, seu præcise non servata aliqua formalitate, ponere illud examen ad partes perinde ac si non adesset, nullamque hujusmodi probationum rationem habere; *c* Sive illum, qui eas fecit cogere cum superfluo sumptu ac temporis jactura, eandem probationem ex integro repetere, atq; ita calumnias, & subterfugia confovere, procedendo cum inepta aliquorum pragmaticorum propositione, quod qui cadit a syllaba, cadit a toto. Si quidem reflectendum est ad qualitatem nullitatis, an scilicet dici valeat malitiosa, vel culposa, seu quod alias percutiat substantiam juris, vel præjudicii alterius partis, cujus propterea intersit, repetitionem testium nulliter examinatorum ex integro fieri, eo quia adhibendo illas solemnitates, vel formulas, a lege, vel a stylo præscriptas, quæ neglectæ fuerunt, probabiliter sperari valeat, quod testes non sint ratificaturi id, quod in examine nullo, & invalido deposuisse constat, cum tunc repetitio percutiat substantiam rei; Ut præsertim contingit in ea repetitione, quæ in criminalibus facienda est de testibus examinatis in processu informativo, cum similibus. Sed si substantialia de facto servata sunt, adeout constet quod testes serio, & cum sufficienti causæ assignatione ita deposuerint, adeout verisimilitudo urgeat, ut idem omnino affirmaturi sint in repetitione, quæ propterea meram formalitatem redoleat; tunc iste inanis circuitus, in magnis præsertim Tribunalibus, non de facili admitti debet, ita confovendo calumniosas dilationes, & subterfugia, ob quasdam formalitates, & per quandam speciem judaismi.

Idem quoque dicendum venit, in illa tacita repetitio-
ne, quam lex subintelligit per testis mortem, quæ jura- 32
mentum, aliasque solemnitates supplere, videtur, ob leguleicam propositionem, quod nemo moriens præsumitur mendax, ac immemor æternæ salutis, *d* Quoniam (ut alibi quoque advertitur,) id procedit, quando illa depositio, serio, ac sincere, citra illam extorsionem, quæ fieri potest a moribundis, qui a morbo ac mortis cogitatione turbati, non reflectendo quid dicant, omnibus interrogatis annuere solent, juxta distinctionem, quam habemus in materia testamenti facti ad interrogationem; *e* Adeout ex facti circumstantiis constet, quod revera ille morti proximus, sciens, & volens pro recognitione veritatis, ac exoneratione conscientiæ ita deposuit, vel testatus est, cum tunc dicta propositio regulariter procedat, atque morti præfata operatio tribuenda sit.

Secus autem si agatur de informi depositione facta in statu valetudinis, ita & taliter quod nullitas examinis influat in substantiam ut supra, cum tunc non videatur subesse ratio, ob quam subsecutæ mortis, hæc operatio tribui debeat, dum attestatio facta est de tempore valetudinis absque aliqua mortis cogitatione; Solumque resultare videtur quoddam justum impedimentum, ob quod ille, qui probationem facere debet, aliqua excusatione, vel commiseratione dignus censendus venit, ne ita ob casum, ejus probatio omnino pereat; Et sic ut ista circumstantia habenda sit in aliqua consideratione, ut illi informi testimonio aliqua major fides adhibeatur, quam adhibenda esset, si repetitionis potentia duraret.

Pondetando etiam ac potissime, an ille, qui eam informem probationem fecit, vel attestationes procuravit, in bona, vel respective in mala fide versatus, ita agendo, quoniam alias malitiose extorqueri possent, cum malis artibus, alteratæ attestationes a senibus qui repuerescere soleot, vel a graviter infirmis, sub hac fiducia, quod re-
petitio malitiam detegere non potest, ob imminentem, 33
vel cito speratam mortem; Ideoque semper firmum remanet id, quod supra insinuatum est, quod scilicet manifestus error est procedere cum solis generalitatibus, cum revera ista materia probationum, sit potius facti & arbitrii quam juris, ideoque incapax regularum generalium, quibuscunque casibus applicabilium, cum totum pendeat ex particularibus circumstantiis ex prudenti bene tamen ac legaliter regulato arbitrio pensandis, quod integritatem quoque, rectamque intentionem, ac adæquatum judicium habeat comites.

Altera exceptio, quæ adversus testes objici solet, est 34
circa eorum personas, seu personales qualitates, ob quas fide indigni censendi sint, atque per legem reputandi minus idonei; Verum pariter super hoc regula dari non potest, quoniam licet in jure plures exprimantur casus, vel qualitates, ex quibus fides tollitur, vel minuitur, juxta ea, quæ nimium elaborate, sed commendabiliter ac more Doctoris potius quam simplicis collectoris observantur *per Farinac.* in ejus amplo volumine, quod in hac testium materia edidit; Adhuc tamen totum intelligendum est diversimode pro facti qualitate, & circumstantiis; Et præsertim juxta naturam negotiorum, sive juxta majorem, vel minorem concursum adminiculorum, aut juxta majorem, vel minorem numerum testium, sive juxta diversam speciem illius qualitatis, quæ exceptionem producit.

Unde propterea generalem regulam habemus, non ta- 35
men semper uniformiter practicandam, sed discrete, pro facti qualitate, quod in iis, quæ de sui natura sunt difficilis probationis, quia nempe occulto, vel intra domesticos parietes fieri solent, ideoque nonnisi conjunctis, vel famulis innotescunt, istæ qualitates non adeo minuunt de fide, sed admittuntur testes, quamvis alias inhabiles; 36
f Idque præsertim in probatione matrimonii ponderari solet. *g*

Sive ubi pro facti qualitate veritas aliter haberi non pos- 37
sit. Ut (ex. gr.) pro frequentiori contingentia, habemus in probatione naufragii, vel alterius similis casus, quoniam eam facere oportet cum illis, qui sint in navi, quamvis sit viles, vel famuli, cum similibus. *h*

Prout etiam habemus, quod numerus testium supplet 38
eorum defectum; Multo vero magis si cum numero concurrat mixtura eorum, qui integri sint, ac exceptiones non patiantur; *i* Vel quod hujusmodi testium exceptione elidibilium depositio bene adminiculata sit, quoniam ad- 39
minicula sanant, vel supplent defectus. *l*

Atque circa qualitates inducentes exceptionem, neque 40
pariformiter, seu generaliter est procedendum, sed juxta ca-

suum

suum particulares circumstantias, quoniam (ex. gr.) regula est, quod famulus repellitur a testificando pro domino, atque reputatur testis minus idoneus; Et tamen id non est generaliter, seu pariformiter intelligendum, sed pro diversa qualitate, quoniam aliud est agere de vilibus, ac infirmis famulis, qui a nutu domini pendent, atque non audent illi se opponere, sed dicunt totum id, quod ab eis injungitur; Aliud vero est agere de familiaribus Magnatum, vel nobilium, qui sint etiam viri nobiles, vel civiles, aut alias probi, & qualificati, *m* ideoque periculosa, vel erronea est generalitas.

41 Ut etiam habetur in Advocatis, & Procuratoribus, aut Solicitatoribus, quoniam isti pro regula generali, minus idonei testes reputantur; Adhuc tamen erroneum est cum hac generalitate procedere in omnibus locis, & in omnibus causis, & cum omnibus personis, quæ istas professiones exerceant, quoniam cum circumspectione pariter procedendum est, dum præsertim in Curia tales adsunt & quidem inter classicos, & probatos fere omnes summæ integritatis Advocati, & Procuratores, ut non solum, testificando in judicio cum juramento, veritatem non alterent in gratiam proprii clientis, & in præjudicium alterius, sed neque agendo idem munus in defensione causæ, id agant, vel cogitent; Et e converso etiam in eadem Curia, & alibi adsunt reprobi, sed facili cogniti sunt, ideoque uniformis regula statuenda non est. *n*

42 Eademque proportio generaliter procedit in quibuscunque aliis, qui regulariter minus idonei testes reputantur: Puta; Conjuncti; Affines carnales, vel spirituales; Creditores pro debitore; Inimici, vel e converso nimium amici, & domestici; Et generaliter criminosi, nempe; Homicidæ; Fures; Adulteri; Lenones; Perjuri; Ebrii; Hystriones, & similes diligenter collecti *per Farinac. ubi supra*, quoniam non omnium eadem est conditio.

43 Magnam item differentiam in hoc consistit qualitas causæ, quoniam illud est agere de causa criminali, & Aliud de civili, cum in prima facilius hujusmodi exceptiones attendantur, atque ista species exceptionis personalis, per Criminalistas magis tricari solet; Ac etiam, in uno, vel in altero causarum genere, alia adhibenda est distinctio, majoris, vel minoris gravitatis; Et præsertim in civilibus; Aliud est agere de materia gravi, & de sui natura suspecta, ut est illa ultimarum voluntatum, ea ea ratione quod per principalem jam defunctum veritas aperiri non potest; Et aliud in actibus inter vivos; Atque in uno ac altero actuum genere, materiam regulat major, vel minor importantia, dum non de facili intrant præsumptio
44 seductionis, ac falsitatis, & machinationis, ubi de modica utilitate agatur, inspiciendo etiam qualitatem principalium interessatorum. *o*

Prout etiam, inspiciendum est ad majus, vel minus
45 præjudicium, seu inspicienda est natura, seu qualitas judicii, quoniam (ex. gr.) Aliud est agere de probatione in petitorio pro determinatione negotii principalis; Et aliud in judicio summario, ad effectum alicujus incidentis, sive alicujus provisionis, quæ in progressu remaneat reparabilis; Ut præsertim habemus in judiciis possessorii, atque inter ista, facilius in magis summario, & privilegiato retinendæ, quod manutentionis dicitur, quoniam in isto regulariter non admittuntur exceptiones personales testium, & tamen adhuc id limitari solet, quando exceptiones sint claræ, atque incontinenti probatæ, adeout altiorem non requirant indaginem cum similibus.

46 Ita pariter in testibus de universitate, vel de collegio, quoniam juxta regulas generales, proceditur cum distinctione juris controversi, an tangat interesse singulorum, vel potius omnium in universum, ut primo casu repellantur a testimonio, non autem in altero; *q* Et tamen, etiam in uno, vel in altero casu respective, limitatio regulæ intrat, quia nempe in primo, interesse sit adeo exiguum, atque testes adeo qualificati, ut omnino improbabile sit, quod falsum dicere velint; Ut in praxi haberi solet in piis dispositionibus probandis per testes ejusdem Ecclesiæ, vel Religionis, in quibus aliquod interesse singulare, ob excrescentiam distributionum, vel aliorum emolumentorum considerari potest; Et e converso frequens praxis docet in controversiis jurisdictionalibus, vel præeminentialibus, & honorificis, magis vero in illis confinium, inter Civitates, & loca, quod licet nullum adsit interesse particulare singulorum, adhuc tamen illi de universitate, vel de corpore, in hujusmodi causis, majorem affectationem, majoremque rabiem habeant, quam in causis propriis, & particularibus, ideoque non omnium casuum eadem debet esse regula.

Et sic in similibus; Puta in testibus impuberibus, vel 47
deponentibus de actibus percutientibus tempus pupillaris ætatis, quoniam licet generalis regula, seu distinctio sit, an deponat adhuc pupillus, & tunc non sit idoneus; Aut jam pubes de iis, quæ concernunt tempus pupillaris ætatis, pubertati tamen proximum; Et tunc non repellatur a testimonio, secus autem circa tempus infantiæ; *r* Adhuc tamen pariter erroneum est cum hac generalitate in omni casu procedere, quoniam reflectendum est ad qualitatem ipsorum deponentium, dum inter pueros adsunt magis & minus sagaces, vel judiciosi; Ac etiam ad qualitatem actuum, dum in plerisque veritas magis candide ab istis desumi solet juxta dictum Psalmistæ, *Ex ore infantium, & lactentium, &c.* Et est recepta praxis Criminalistarum, quod scilicet ab examine puerorum in causis occultis, ac difficilis probationis veritas inquiri, magnumque lumen haberi solet.

In vassallis etiam, vel subditis, quæstiones haberi solent an sint idonei testes, pro domino, vel pro superiore, 48
& quandoque an contra eum, ob rabiem, vel indignationem, quam vassalli contra dominum, vel subditi contra superiorem habere solent; Et licet regulariter ista non reputetur exceptio omnino inhabilitativa, sed solum diminutiva fidei; Adhuc tamen, certa & generalis regula non intrat, cum ad qualitatem personarum ac respective causarum, nec non ad mixturam aliorum non subditorum, aliasque similes circumstantias, reflecti soleat & debeat, ex quibus respective major, vel minor fides pendet. *f*

Ut etiam habemus in generalitate adimente fidem proxenetis, & mediatoribus, qui in jure testes minus idonei reputantur; Et tamen in plerisque casibus, qualitas mediatoris potius auget fidem, ut quandoque etiam unicus sufficiat non interessatus, utpote melius deponens de facto proprio; Quinimo etiam in iis, qui ministerium proxenetæ ex professione exercent, in quibus proprie regula procedit, adhuc pro locorum usibus, vel negotiorum qualitate, major solet esse istorum fides, & præsertim circa eorum libros, vel scripturas, ut Notariorum speciem in genere negotiatorio, vel mercantili habeant. *s* 49

Cum similibus aliis exceptionibus, quæ a personali 50
qualitate, sive ab aliquo accidenti pendeant; Ideoque non ex eo quod in jure, vel apud DD. scriptum reperitur, quod certum genus personarum minus idoneum reputatur ad testimonium ferendum, exinde resultat quod clausis oculis in omni casu, sine exceptione personarum, vel casuum, pariformiter procedendum sit, & e converso. Sed (ut alias insinuatum est) regulæ generales attendendæ sunt tanquam lumen, ut videatur quæ sit via, per quam tamen viator, apertis, non autem clausis oculis incedere debet, quoniam etiam in eadem via, non omnes partes, vel passus sunt uniformes.

Eadem quoque regula tenenda videtur in tertia exce- 51
ptione, super qua magis quam super secunda inter Civilistas disputari solet, ubi scilicet agatur de dicto. Puta circa exceptionem mendacii, vel contrarietatis, quoniam regula generalis est, quod mendacium, seu varietas, aut contrarietas attenditur in substantialibus, non autem in accidentalibus. *t* Et tamen ubi aliæ suspiciones vigeant, etiam in accidentalibus, mendacia, seu variationes, aut contrarietates nimium attendi debent pro negotiorum ac personarum qualitate, ideoque cum generalitatibus procedendum non est, sed reflecti debet ad singulorum casuum circumstantias.

Ita pariter, circa regulam superius insinuatam, defe-
rendi potius depositionibus super interrogatoriis, quam super articulis. Sive non deferendi illis, qui alicui interrogatorio respondere noluerant, quoniam non implicat, ut respondendo dubie super interrogatorio ex defectu memoriæ, postea melius recordatus, clarius deponat super articulo. Vel quod sit testis integer, & tamen alicui objectivo, vel impertinenti interrogato respondere renuat, sive quod credat in præcedentibus respondisse. *x* 52

Sive circa testium dissonantiam, non implicat, quod 53
unus alium suppleat, vel utpote melius informatus, sive magis capax, & diligens, qui in eodem actu, ad plura adverterit, ad quæ aliqui contestes non adverterint, unde propterea non bene contestentur, ut in materia testamentaria frequenter habemus. *y*

Super dubietate, vel incertitudine disputari solet, an 54
& quando illa depositioni obstet, atque pariter ex qualitate casuum, sive ex fine, vel defectu decisio pendet.

Ubi

Ubi enim (ex. gr.) agitur de tempore, si vis in eo est, adeout in ejus puncto causa præcise consistat; Ut contingit in beneficialibus, ubi agatur de tempore præciso vacationis, ex quo pendeat inspectio, an intret, necne reservatio; Sive ubi contentio sit de anterioritate inter creditores, vel inter possessores cum similibus; Et tunc illud præcise est concludendum; Secus autem ubi vis præcisa non sit in tempore, quoniam tunc dubitativa depositio, seu aliqua variatio inter testes, pariformiter tamen dubitative loquentes, potius auget fidem; Ubi præsertim agatur de facto antiquo, quod non de facili memoria retineri solet, dum tunc depositio præcisa, potius suspicionem affectationis auget, ac fidem minuit, ratione inverisimilitudinis, ut tempus præcisum facti alieni ita diligenter memoria retentum sit *z*, Quod a pari generaliter in aliis minutiis, vel circumstantiis procedit: Quoties aliqua non urgeat ratio congrua, ob quam illud tempus præcisum memoriæ retineatur; Puta quia fuerit in ea die ingressus alicujus Magni Principis, vel aliqua magna solemnitas, vel factum notabile mortis, vel creationis, aut coronationis Pontificis, cum similibus, *a*

Ipsorum testium contextualitas regulariter in jure de-
55 sideratur ad concludendam probationem; Et tamen quandoque illa solet esse præjudicialis, ac diminuere de fide, cum suspecti potius reputentur testes deponentes per eundem præmeditatum sermonem, Et sic etiam respectu aliarum circumstantiarum, & præsertim correctionis, quam de se ipso, seu de ejus dicto testis faciat *c*; Sive ubi
56 affirmet id quod prius negaverat, vel neget quod prius affirmaverat, cum regulariter id minuat de fide, sed quandoque, ejusque majorem integritatem probet.

Super modo idem deponendi, quæstiones cadunt, & præsertim super depositione relativa alicui attestationi, vel depositioni prius factæ, vel alicui scripturæ, vel ar-
57 ticulis, quoniam non de facili illa attendenda venit, nisi præcedat diligens lectura *d*; Et tamen neque ad istam deveniendum est (quando altera pars ita instet), nisi præcedat responsio super interrogatoriis, cum magis suspecti sint isti testes, qui prius attestationes, vel informes depositiones fecerunt; Ideoque majores diligentiæ cum eis adhibentur, atque propterea proficuus detegitur stylus adhibendi Interpretes.

Super testium item singularitate frequenter disputari so-
58 let; Istaque est de duplici specie; Alia enim est singularitas, quæ consideratur ratione unicitatis testis, qui sit singularis, idest unicus; Et alia est singularitas, quæ dignoscitur inter plures, qui non sint contestes, unde propterea in eorum dicto dicuntur singulares.

59 In prima etenim specie; Regula est, quod testis singularis probationem non concludit, ea vulgari assumpto, quod dictum unius, dictum nullius; Et tamen in aliquibus casibus, etiam unicus testis sufficiens reputari solet ad probationem plenam, sive ad plusquam semiplenam adeout aliquod fomentum adminiculorum idem suppleat: Puta quia agatur de teste multum qualificato; Sive de mediatore deponente de facto proprio, nullum penitus habente in negotio interesse bursale, vel existimationis, aut affectionis, ut superius advertitur; Vel quod agatur de possessorio, aut de alio puncto non magni præjudicii; Aut quod non agatur de probatione ex integro, sed de declaratione, vel interpretatione alicujus rei ambiguæ, in ultimis præsertim voluntatibus, ac etiam quandoque in actibus inter vivos. *e*

At quod aliam speciem singularitatis, quæ dignoscatur inter plures, inter quos tollatur contextualitas; Pro regu-
60 la habetur distinctio vulgaris, inter singularitatem obstativam, & adminiculativam, ut scilicet obstativa, sit illa, quæ complicet falsitatem, seu inconciliabilem contradictionem inter unum testem & alterum, quia nempe super eodem actu individuo, seu contemporaneo, diversimode deponant, juxta testimonium duorum Senium accusatorum Susannæ, relatum in sacra pagina, quo Criminalistæ præsertim passim utuntur; Ista etenim singularitas dicitur penitus destructiva utriusque dicti, adeout neutri deferri debeat, dum (ut præmissum est) complicat falsitatem.

Procedit autem id, ubi hæc obstativa singularitas ha-
61 beat actum positivum in utroque teste, quia nempe unus dicat factum secutum esse sub ficu & alter sub platano, juxta præfatum exemplum Susannæ; Secus autem ubi consistat in actu affirmativo ex parte unius, & negativo ex parte alterius; Puta quia testis deponens de aliqua re, alleget in contestem alterum, qui id neget, sive ignorare dicat; Si enim negatio est omnimoda, quia scilicet ille, qui vocatus est in contestem, dicat nullatenus ibi fuisse, neque id scire potuisse; Sive quod aliunde convincatur illud mendacium; Et tunc pariter intrat singularitas obstativa, quæ mendacium positivum, ac falsitatem complicat, unde propterea ille testis redditur falsus, omni fide indignus, etiam in aliis; *f* Atque intrat propositio, quod falsus in uno, reputandus est falsus in omnibus; Quoties mendacium percutiat substantialia; Si vero levia, & accidentalia, tunc quamvis id non omnino inficiat dictum in aliis, attamen illud debilitat, ipseque testis redditur suspectus; Potissime vero ubi alia suspicionis argumenta concurrant, cum tunc mendacia, seu variationes etiam in accidentalibus in consideratione haberi debeant, ut superius quoque advertitur.

Sed si alter vocatus in contestem, non neget illam præ- 62
sentiam materialem, seu potentiam scientiæ, quæ præsupposita est per testem deponentem de actu, eumque vocantem in contestem, sed solum neget scientiam actus; Et tunc non dicitur singularitas vere obstativa, & criminosa, eo quia potuit alter testis juste opinari, quod ipse tanquam præsens in loco sciret id, de quo agitur, ille autem potuerit non advertere ad id, ad quod alter advertit; *g* Sive quod memoria non retineat; Aut quod dicere nolit, ut frequens praxis docet; Ideoque alter testis remanet singularis, idest unicus juxta dictam primam speciem singularitatis, non indignus illa fide, quæ unico testi in jure pro casuum diversa qualitate ut supra datur; Adhuc tamen istud mendacium, quamvis sit excusabile a falsitate, minuit aliqualiter de fide, magis & minus, juxta facti circumstantias, quæ prudenti judicis arbitrio pensandæ sunt, adeout melius fuisset, quod nullum vocasset in contestem.

Adminiculativa vero singularitas est illa, quæ nullum 63
redolet mendacium, nullamque contrarietatem, quia nempe, plures singulariter deponant de eadem re reiterabili, seu reiterata, & sic quod unde unus deponat de uno actu in uno loco, vel tempore; Alter autem de altero in diverso loco, vel tempore compatibiliter, adeout uterque absque repugnantia dicere possit verum, quia scilicet, ut habetur de confessione extrajudiciali, *h* deponant super eadem confessione, quæ facta sit cum diversis personis, in diversis locis, ac temporibus; sive de pluribus actibus possessoriis, cum similibus, quoniam ita quilibet testis erit singularis in suo dicto, adeout cesset illa contextualitas, quæ desideratur in duobus concorditer de eadem re, vel de eodem actu deponentibus, unde hujusmodi testium conjunctio, quandoque pro causarum natura, seu qualitate admittenda venit, juxta illam plurium imperfectarum probationum unionem, quæ quandoque in jure datur ad unam perfectam constituendam ex deductis, *disc. seq.*

Super assignatione rationis sui dicti, vel sufficientis causæ scientiæ, disputari solet in testibus, pro eorum fide adimenda, vel minuenda; Atque ubi desuper accedat positiva
interrogatio alterius Partis, cui respondere nolit, vel ne- 64
sciat. Vel clarius, si positive eam neget, sive illam falsam aut ineptam alleget; Et tunc planum est, ut id fidem ipsi omnino adimat, unde propterea nullam faciat probationem; Ubi vero ista interrogatio non accedat, adeout quæstio cadat, an testis, etiam non interrogatus, concludentem, vel sufficientem scientiæ causam reddere teneatur; Et tunc recepta distinctio est, quod; Aut agitur de iis, quæ sensibus corporeis tantum, absque alia intellectus, vel judicii operatione bene percipiuntur, ut præsertim sunt ea, quæ percipiantur cum sensu visivo, sive cum oculis corporeis absque operatione oculorum mentis, & tunc tale dictum attendatur, Secus autem ubi agatur de iis, quæ intellectus operationem exigant, cum tunc etiam testis non interrogatus teneatur sufficienter causam scientiæ allegare. *i*

Idque præsertim dicendum est in testibus deponentibus
de dominio; *l* Vel etiam ubi prætendatur probari posses- 65
sio ex actu æquivoco referibili etiam ad titulum familiaritatis, vel administrationis, aut alterius detentionis, jure ac nomine alieno, quoties probari prætendatur, quod jure ac nomine proprio illi actus possessorii facti sint, cum ad hunc effectum requiratur operatio intellectus, sive ubi de valore, *m* cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

Et præsertim id necessarium reputatur in testibus deponentibus de negativa; ob necessitatem coarctationis, concludentem assignando rationem exclusivam affirmativæ, cum non accedente ista coarctatione, quæ affirmativæ possibilitatem omnino excludat, dici non valeat probata negativa, atque ad hunc effectum sine dubio necessarium est ratiocinium, seu discursus intellectus; Nisi adeo be-

ne in-

ne informatum se ostendat, ut hæc expressio necessaria non sit, quia nempe adsit implicite. *n*

66 Si vero scientia assignetur ex solo corporeo sensu auditur; Et tunc non videtur, quod iste sensus illam habeat prærogativam, quam habet visus, quamvis actur sub sensu cadat, quoniam; Aut agitur de auditu ab ipsorum principali, ut in probatione confessionis extrajudicialis disputari solet; Et tunc requiri quoque videtur aliqua operatio mentis, seu intellectus, ut distingui valeat occasio, seu modus, cum quo illa assertio facta sit, eum ex joco, seu alias ita fieri potuerit, ut nil concludat; Et sic agitur de auditu ab aliis, adhuc eadem operatio mentis intrat, ut distinguatur, a quibus, & quomodo, dum auditur sequi potuit a Parte interessata, sive ab ejus ministris, vel dependentibus, qui affectate id afferant, sive ab aliis loquentibus pariter de auditu vago, aut a pueris, vel ab amentibus, &c. Et per consequens solus sensus corporis non sufficit; *o* Ideoque materia est incapax regulæ certæ, & generalis, quæ omnibus casibus applicari valeat, cum totum pendeat a facti qualitate, & circumstantiis super applicatione dictæ distinctionis, quæ theorice, sive in astracto est vera & recepta, sed difficultas est in applicatione, an in una, vel in altera distinctionis parte versemur,

67 Idque generaliter hodie in universa forensi materia procedere videtur, quoniam, ut alibi pluries advertitur, hodie explanatæ, atque jam decisæ videntur fere omnes quæstiones in puncto juris, seu in abstracto, quas nostri majores adeo acriter disputarunt, cum una opinio recepta sit pro regula, altera vero pro limitatione, juxta diversas facti circumstantias, ideoque totus punctus est in applicatione, quæ non habet regulam certam; Multo vero magis in ista materia testium, quæ (ut præmissum est,) tota est facti, & arbitrii, pro diversa casuum qualitate, diversisque circumstantiis.

Super testium dicto quoque frequentes cadunt disputa-
68 tiones, puta si illud percutiat solum tractatum, non autem conclusionem, sine qua ejus depositio in nulla consideratione habenda est. *g*

Sive ubi ejus locutio indefinita sit, super interpretatio-
69 ne, an intelligi debeat de toto: *q* Aut ubi depositio sit extra articulos, an attendenda veniat, super quo procedi solet cum distinctione, an juramentum limitate præstitum sit super articulis, vel potius super tota causa. *r*

Vel in concursu primi & secundi dicti, cui potius defer-
70 ri debeat: Et super quo regula generalis est, ut dictum juratum ac judiciale prævalere debeat alteri non jurato,
71 vel extrajudiciali: Et quatenus utrumque sit uniforme, ejusdemque naturæ, ut primum prævalere debeat secundo, eo quia non debet esse in ejus libito tollere jus partis, ac destruere probationem jam factam; *f* Idque adeo verum, ut quamvis dicat se deposuisse falsum, adhuc tamen, nisi id aliunde justificetur, saltem adminiculative, ista assertio alteri præjudicialis, ac destructiva juris tertii, non attenditur. *t*

72 Bene verum, quod hujusmodi, vel similes varietates, vel retractationes, minuunt fidem illius testis; Verum in his omnibus ac similibus, impossibile est certam regulam statuere; Ac propterea manifestus detegitur, idem supra pluries inculcatus error procedendi cum generalitatibus, & cum doctrinis in sola litera, non distinguendo casum a casu, cum revera totum pendeat ex facto.

73 Prout pro regula receptum est, quod testes examinati in judicio criminali, attendi debent, atque probationem faciunt in civili, si eadem est causa, & inter easdem partes, ac repetiti sunt; *u* Adhuc tamen pro diversa facti qualitate, majus, vel minus faciunt adminiculum, & sic pariter regula omnino firma non datur.

74 In conflictu vero testium hinc inde inductorum, frequentius disputari solet, quibus magis deferendum sit; Atque licet desuper habeamus regulas, vel traditiones generales, non tamen in eis totum fundamentum constitui potest, ut cuicumque casui indefinite applicari valeant, seu debeant; Generalitates autem sunt quod potius deferendum est affirmantibus, quam negantibus; Sive potius illis, qui juris assistentiam, vel præsumptionem habeant, quam aliis; Sive potius illis qui deponant magis verisimilia, quam aliis, quibus inverisimilitudo obstet; *x* Et quatenus in his partibus non sint inæquales, inspici debet illa inæqualitas, quæ resultat ex solo numero, sive ex majori qualitate, aut ex melioribus causis, & rationibus scientiæ, quia sint melius informati cum similibus considerationibus. Verum, ut dictum est, istæ generalitates serviunt quidem pro quodam lumine generali, ad effectum bene regulandi arbitrium, non autem ut cum eis clausis oculis in omni casu procedendum sit, ut quandoque procedi cum considerabili nausea praxis docet.

Disputari quoque solet, an inter inducentem, & alteram 75
Partem, aliqua inæqualitas dignoscatur, ut scilicet testes magis contra unum, quam contra alterum probare debeant; Et regula est negativa, quoties ultra inductionem, non accedat etiam usus per productionem, *y* quod pariter certam non habet regulam, sed pro facti qualitate intelligendum est.

De plerisque aliis peneque infinitis quæstionibus in hac 76
testium materia, Scribentes disputant, magis vero Criminalistæ, & præsertim circa ipsorum testium tormenta, quando intrent, necne, etiam in illis casibus, in quibus non intrent contra Reum principalem; *z* Sive super te-
stium coactione, quam etiam in civilibus frequens praxis 77
experitur, eo quia plures veritatis conscii, ex respectibus qui habeantur erga alteram Partem, nonnisi coacti de illa deponere volunt; Ac etiam, an testes possint instrui per Partem, atque probata instructio adimat, vel minuat,
necne fidem; Sive an liceat etiam cum præmio allicere te- 78
stes, ut eam dicant veritatem, quam alias dicere renuant, cum revera hæc omnia & similia incapacia sint regulæ certæ, & generalis; Ideoque in hujusmodi quæstionibus, litigantes Deum rogare debent, ut eis det Judicem rectum,
ac judiciosum. 79

Jurisdictionis quoque, vel competentiæ fori quæstiones cadere solent super punitione testium, qui falsum dixerint coram Judice alias incompetente, ut ita ob ejus offensas aures competens efficiatur, quoties omnimoda, & habitualis incompetentia non obstet; Verum & super hoc pariter certa regula statui non potest, quoniam licet ea sit pro inductione competentiæ; *a* Attamen in aliquibus ditionibus non de facili ejus praxis admitti solet, ideoque locorum stylis nimium deferendum videtur; Et reliqua studiosus perquirat apud practicos, sive apud eos qui hanc materiam ex professo tractarunt.

a Gregor. & add. *dec.* 214. Buratt. *& add. dec.* 113. *dec.* 67. *n.* 8. *par.* 10. *rec. & passim.*

b Merlin. *dec.* 714. *n.* 16. *repetit. dec.* 594. *par.* 5. *rec. dec.* 281. post Zacch. *de oblig.* Bich. *dec.* 316. *& examinatur in tit. de emphyt. in supplem. in Asculana.*

c *add.* ad Gregor. *dict. dec.* 214. *add. ad* Burat. *dict. dec.* 113. Merlin. *dicta dec.* 714. *n.* 18.

d *locis prox. supr.* e *dec.* 283. *n.* 9. *par.* 10. *rec. & sæpius*

f *advertitur, tit. de decim. disc.* 1. *& alibi pluries* Mantic *dec.* 95. Burat. *dec.* 364. *&* 376. *& sæpius.*

g *tit. de testam. disc.* 6. *& seq. & disc.* 26. *& seqq.*

h *l.* 3. *ff. de testibus.* i Rovit. *pragm.* 7. *de ordin. judic.* Greg. *dec.* 429. Burat. *dec.* 726. Mantic. *dec.* 352. 277. *par.* 6. *rec.* l *Add. ad Vest. lib.* 6. *cap* 2. Rovit. *pragm.* 2. *&* 9. *de ordin. judic.* Burat. *& add. dec.* 146. *&* 878. *dec.* 393. *par.* 1. *rec.* m Greg. *dec.* 71. 424. *&* 466. Burat. *decis.* 690. *dec.* 277. *par.* 6. *rec.*

n Gregor. *& add. decis* 268. Cavaler. *decis.* 275. Rovit. *pragm.* 9. *de ord. judic. Veste. & add. lib.* 6. *cap.* 2. o Burat. *dec.* 304. *&* 328. p Othob. *dec.* 146. Greg. *& add. dec.* 351. Burat. *& add. dec.* 100. Millin. *dec.* 444. Dunoz. *dec.* 886. q *Post. de manut. obs.* 91. Rovit. *pragm.* 9. *de ord. jud. dec.* 180. *par.* 10. *rec.* r *supra disc.* 9. f Mantic. *dec.* 297. *cum aliis in tit. de credito, disc.* 111. Capyc. Latr. *dec.* 60. Coccin. *dec.* 66.

t *add. ad Vest. lib.* 6. *cap.* 2. *add. ad* Buratt. *dec.* 118. Rovit. *pragm.* 9. *de ord. jud.* u Cavaler. *dec.* 322. Buratt. *& add. dec.* 118. *&* 506. *dec.* 187. *n.* 31. *& seqq. par.* 11. *rec.*

x Bich. *dec.* 347. *n.* 7. *dec.* 393. *n.* 7. *par.* 1. *rec.*

y Rovit. *pragm.* 7. *de dilat. & habetur infra in disc.* 35. *&* 40. *agendo de legibus, & stylis per Judicem servandis*

z Mantic. *dec.* 9. *dec.* 352. Caval. *dec.* 254. Rovit. *pragm.* 7. *de jud.* a *dec.* 260. *n.* 5. *par.* 1. *rec.* Bich. *dec.* 341. *nu. fin.*

b *supra lit. L.* c *ut in casu, de quo sub titul. de decim. disc.* 1. *& alibi pluries.* d Cavaler. *decis.* 322. Burat. *dec.* 844. Surd. *dec.* 103. e *tit. de test. disc.* 39.

f Fatin. *q.* 62. Burat. *dec.* 79. *&* 143. 294. 665. *&* 775. *dec.* 181. *par.* 6. *rec.* g Mantic. *dec.* 372. Burat. *decis.* 530. *dec.* 713. *&* 893. *tit. de matr. disc.* 2.

h *tit. de credito, disc.* 11. *& apud supra allegatos.*

i *dec.* 53. *par.* 13. *rec.* Otthob. *decis.* 200. Buratt. *dec.* 143. 249. *&* 725. l *proxime supra, & præsertim dict. disc.* 53. *par.* 13. *rec.* m Gregor. *dec.* 351. Burat. *dec.* 143. *&* 775. Dunoz. *decis.* 993.

n Franc. *& add. dec.* 222. Greg. *& add. dec.* 178. *dec.* 62. *par.* 3. *rec.* 334. *par.* 4. *rec. tom.* 2.

o *tit. de test. disc.* 6. *&* 39.

p Greg.

p Greg. & add. *dec.* 449. Buratt. & add. *dec.* 306. Cavaler. *dec.* 629. *dec.* 38. *p.* 9. *rec.* & *in Amalphitana, de qua tit. de jurisd. disc.* 21.
q Affl. & add. *dec.* 400. Capyc. Latr. *consult.* 87. Caval. *dec.* 142. Greg. *dec.* 340. Buratt. & add. *decis.* 314. & 553. *dec.* 353. *post* 2. *vol. cons.* Farinac.
r *dec.* 75. *p.* 10. Farin. *q.* 58. *n.* 53. & *seq.* s *tit. de jurepatr. disc.* 3. & 58. & *d. dec.* 53. *p.* 13. *rec.*
t *tit. de dot. disc.* 27. u Capyc. Latr. *consult.* 4. Mant. *dec.* 9. Greg. *dec.* 194. add. ad Burat. *dec.* 42. 53. *p.* 13. *rec.*
x *est dictum supra.*
y *d. disc.* 27. *de dote, d. dec.* 53. *p.* 13. *rec.*
z Capyc. Latr. *consult.* 4. Burat. *dec.* 144. & 599. & 446. Mantic. *dec.* 6. 193. & 372. Greg. *decis.* 390. Dunoz. *dec.* 829. *dec.* 67. *p.* 10. *rec.* & *tit. de benef. pluries.*
a *ibidem proxime.* b *ubi supra lit. Z.*
c Capyc. Latr. *consult.* 4. Mantic. *dec.* 372. Greg. *decis.* 194. & 230. Rovit. *pragm.* 4. *de fals.* d *dec.* 720. *p.* 2. *rec.* Buratt. *dec.* 726. & 572. Rovit. *pragm.* 9. *de ord. judic.*
e *de teste singulari probante in dictis casibus,* Cavalet. *dec.* 161. Buratt. *dec.* 219. 168. & 616. & 640. Greg. *dec.* 414. *pluries tit. de testam.* & *tit. de fideicommiss.* & *alibi,* f Merlin. *dec.* 835. *in fin.* Grammat. *consil. crim.* 26. & 38. Capyc. Latr. *cons.* 4.
g *pluries sub tit. de testam.*
h *supra disc.* 23. Royas *dec.* 353. & *passim.*
i *de premissis circa allegationem causa, vel rationis scientia,* Farin. *q.* 70. Greg. *dec.* 17. Mantic. *dec.* 199. Buratt. & add. *dec.* 538.
l Buratt. & add. *dec.* 191. & 768. Dunoz. *dec.* 841.
m Buratt. *dec.* 857. *tit. de benefic. disc.* 90.
n Greg. *dec.* 42. & 105. 325. & 510. add. ad Burat. *dec.* 41. & 43. & 704. Bich. *dec.* 522. o Barat. & add. *dec.* 111. & 492. & 844. add. ad Greg. *decis.* 572. Mant. *dec.* 39. p add. ad Greg. *dec.* 168. q Greg. *dec.* 194. Burat. & add. *dec.* 175. & 560. *dec.* 68. *post* Merlin. *pign.*
r Vestr. & *add. lib.* 6. *cap.* 2. Mantic. *decis.* 252. Rovit. *pragm.* 1. *de testium refranat. dec.* 202. *p.* 11. *rec.*
s Burat. & add. *dec.* 176. & 543. *dec.* 66. *p.* 6. *rec.* & 89. *p.* 7.
t Laurent. *decis.* Aven. 43. Capyc. *decis.* 61. *ubi* Masull. Rov. *prag.* 4. *de fals. dec.* 420. *p.* 5. *rec.*
u Burat. & add. *dec.* 118. & 416. *dec.* 352. *p.* 5. *rec.* Bich. *dec.* 243. Dunoz. *dec.* 826. & 591.
x *d. dec.* 53. *p.* 13. *dec. ubi concordantes.* Mant. *dec.* 366. Buratt. & add. *dec.* 43. & 903.
y Greg. & add. *dec.* 215. Burat. & add. *dec.* 198. & 367.
z Sanfel. *dec.* 24. Farin. *q.* 36. *ex n.* 116. *q.* 73. *n.* 20. *q.* 79. *numer.* 63.
a Rovit. *dec.* 20. & *prag.* 1. *de sindic.* & *pragm.* 4. *de fals.*

De aliis variis speciebus probationis puta; per famam; Per historias, per inscriptiones; Ac per præsumptiones, & adminicula.
An etiam per judicium peritorum; Et de liquidatione.

S U M M A R I U M.

1 *DE probatione per famam in civilibus.*
2 *In criminalibus remissive.*
3 *De fama ad effectum præscriptionis.*
4 *De eadem ad effectum probationis dominii in materia feudali, vel emphyteutica.*
5 *Ad effectum nobilitatis.*
6 *Quæ regula desuper cadat.*
7 *Quod pro hac specie Civilitatis congruat studium Criminalistarum.*
8 *De probatione per historias, vel chronicas.*
9 *De illa per inscriptiones in lapide, vel in pariete.*
10 *De probatione per texoram.*
11 *De probatione præscriptiva, seu adminiculativa, & de regula in ea tenenda.*
12 *Plures imperfectæ in civilibus conjunguntur ad unam perfectam efformandam.*
13 *Declaratur, dummodo sint perfectæ in genere suo.*
14 *De prohibito cumulo præsumptionum, quod declaratur.*
15 *Probatio præsumpta non admittitur in iis, quæ sunt fundamentum intentionis.*
16 *Non dicitur perfecta illa probatio, quæ habet contrariam possibilitatem.*
17 *Declaratur, & quando probatio præsumptionis sit perfecta probatio.*

Card. de Luca, Lib. XV.

18 *Quare desiderandus veniat Judex doctus, & judiciosus, & quomodo verificetur adagium super causarum facto, & syderibus.*
19 *De probatione ex judicio peritorum.*
20 *De diversis speciebus peritorum, & qui sint periti testes & periti arbitri.*
21 *De regula juris quod judicio peritorum est deferendum.*
22 *Quomodo regulandi sint periti inducti tanquam testes.*
23 *De illis, qui deponunt tanquam periti assumpti a Judice, vel a partibus, & de utraque forma deputationis.*
24 *De differentia inter istas species peritorum, & præsertim circa recusationem ex capite suspicionis, & de praxi.*
25 *Deferendum est tertio perito electo in casu discordiæ, neque deveniri debet ad ulteriorem electionem, & quando secus.*
26 *An dictus tertius peritus teneatur adhærere uni ex duobus discordantibus?*
27 *An in relationibus peritorum necessaria sit partium citatio?*
28 *Unde proveniat, quod istæ relationes peritorum magnas moras causis pareant.*
29 *De stylo, vel praxi eligendi peritos extrajudicialiter ad solam informationem, vel instructionem animi judicis.*
30 *Damnatur stylus eligendi duos peritos a partibus nominandos, ut deinde eligatur tertius, sed quod judex debeat eum ab initio deputare.*
31 *Peritis se ingerentibus in iis, quæ non pertinent ad eorum peritiam, sed ad Judicem, non est deferendum.*
32 *Quod debeat peritis præscribi forma referendi, vel exercendi eorum peritiam.*
33 *De errore peritorum in æstimatione bonorum, & quomodo ista fieri debeat.*
34 *Qualis æstimatio sit difficilis, & quod periti æstimatores debeant assignare rationes.*
35 *An peritus debeat referre distincte pretium singulorum membrorum?*
36 *An possint æstimari a peritis bona consumpta, vel alias non existentia.*
37 *Ad electionem peritorum deveniendum est in subsidium.*
38 *An liquidatio precedere debeat sententiam; quæ alias sit nulla ex hoc defectu.*
39 *Executio pro re illiquida fieri non potest, sed bene condemnatio.*
40 *De distinctione diversorum peritorum.*
41 *De valore mere civili, & quod non dicitur illiquidum id, quod potest liquidari cum sola calculatione arithmetica.*
42 *Quando proprie dicatur creditum illiquidum, & non exequibile.*
43 *De eodem, ac declaratur.*
44 *An & quando detur appellatio a liquidatione remissive.*
45 *Liquidum non est retardandum ob illiquidum.*
46 *De liquidatione pretii naturalis bonorum stabilium, & aliquorum mobilium, puta gemmarum, & tabularum pictarum.*
47 *De æstimatione stabilium ex fructu ad rationem quinque pro centenario.*
48 *Quid de feudalibus, vel jurisdictionalibus.*
49 *Quomodo dicta conclusio procedat circa æstimationem regulandam ex fructibus.*
50 *De eodem, & de circumstantiis, vel accidentibus, quæ valorem alterant.*
51 *De pretio victualium, & mercium usualium.*
52 *De distinctione pretii maximi, medii, & infimi.*
53 *De pretio locorum montium, & censuum, & aliorum hujusmodi intrinseco, & extrinseco.*
54 *De pactis minuentibus valorem, & præsertim de pacto de retrovendendo.*
55 *Solutio prompta, vel dilata alterat de valore.*
56 *Item modus venditionis magnæ, vel diminutæ.*
57 *De liquidatione fructuum.*
58 *De liquidatione mercium assecuratorum.*
59 *De liquidatione conventionali lucrorum in negotiis liberis,*
60 *In majori summa inest minor, ideoque in minori periti dicuntur concordes, & in eo sit condemnatio.*

DISC. XXXIII.

1 Illa incapacitas regulæ certæ, & generalis, quæ dignosci-
tur in supra trecessis speciebus probationum, & præser-
tim in illa per testes, de qua actum est *disc. proxime præce-
denti*; Magis dignosci videtur in his aliis extraordinariis,
ac minoris efficaciæ speciebus; Siquidem, quatenus perti-
net ad famam publicam, ista sine dubio insufficiens est ad
perfectam, & concludentem probationem. Producit vero
aliquod adminiculum, sive aliquam probationem imperfe-
ctam, cum aliis imperfectis conjungendam; Sed qualis
ponderis illa sit, regula non datur, cum pendeat ab ejus
magis, vel minus qualificata, vel bene facta probatione;
Et præsertim in civilibus ea distinctione facti antiqui, vel
recentis, cum in antiquis major ejus operatio sit. *a*

De ista vero specie probationis, magis in criminalibus,
quam in civilibus agi solet; Siquidem Criminalistæ fisca-
2 les, ex publica fama, inditium contra diffamatum concipe-
re solent patrati criminis, cumulando etiam aliam malam
famam, circa vitam, & mores ejusdem; E converso autem
Criminalistæ defensores præcipuum facere solent studium
in probatione bonæ vocis, & famæ inquisiri, circa vitam;
& mores, & e converso malæ famæ testium examinatorum
pro accusatore, nec non elidere malam famam patrati cri-
minis, utpote ortam post inquisitionem, vel querelam,
aut carcerationem; Sive ortam a vocibus partis offensæ,
ejusque sequacium, cum similibus, de quibus (ex jam pro-
testatis, *b*) meæ non sunt partes agendi.

In civilibus autem, sive de prophanis, sive de spirituali-
bus agatur, de hac specie probationis, potius incidenter agi
3 solet; Puta in ea psobatione famæ, quæ recensetur inter re-
quisita præscriptionis immemorabilis; Aut de illa fama pri-
vilegii, ob quam in plerisque magnum robur tribuitur qua-
dragenariæ præscriptioni. *c* Sive in beneficialibus, circa il-
lam diffamationem criminum, quæ sufficiens reputari solet
in concursu ad postponendum aliquem alias magis dignum
in ejus prælectione *d*. Aut circa diminutionem fidei te-
stium de subornatione, vel falsitate aliorumve diffamato-
rum, cum similibus.

Aut circa concernentia merita negotii principalis, & a-
ctionis, vel intentionis probationem, tanquam unum ex
adminiculis, fama considerari solet in adminiculativa pro-
4 batione directi dominii, seu feudalis vel emphyteuticæ qua-
litatis, & præsertim in antiquis; Ubi tamen de dominio
agatur incidenter ad effectum scilicet solutionis canonum,
vel affixionis lapidum, non autem ubi principaliter ad ef-
fectum devolutionis cum similibus. *e*

5 Pro frequentiori autem praxi, magis principaliter, de fa-
mæ, seu publicæ reputationis probatione agi solet, ubi aga-
tur de justificatione nobilitatis, ad effectum obtinendi ha-
bitum militarem justitiæ in aliqua Religione, & præsertim
in illa Sancti Joannis Hierosolymitani, cujus occasione
frequentius in Curia de hac specie probationis agi solet,
cum similibus. *f*

6 Verum (ut præmissum est,) id regulam non recipit, cum
totum pendeat a qualitate probationis, ac etiam a qualitate
causæ, sive ab effectu, ad quem ista probatio fiat, an scilicet
principaliter, vel incidenter, nec non ab aliarum probatio-
num, vel adminiculorum concursu, ut præsertim in pro-
batione jurispatronatus, *g* vel jurisdictionis, & confinium
praxis docet; Ac propterea dicenda est materia posita in Ju-
dicis arbitrio, regulanda ex singulorum casuum circum-
stantiis; Atque ad hunc effectum, Civilistæ criminalista-
7 rum studio incumbunt pro illuminatione intellectus, ut
congrue applicare valeant activa passivis.

Super altera specie probationis per chronicas, seu histo-
8 rias, frequenter quoque disputari solet, quem scilicet gra-
dum constituat; Atque in hoc non modica inter scribentes
varietas dignoscitur, prout diversa scribendi occasio, vel
requirentis opportunitas exegerit, ut præsertim contingit in
venalibus scriptis Consulentium; Quamvis enim generalis
adhibeatur regula, seu distinctio, an agatur de chronistis an-
tiquis & probatis, in quibus nulla affectationis suspicio vi-
geat, vel e converso de modernis, aut alias parum probatis,
vel suspectis *g 2*. Attamen hujusmodi generalitates parum
concludunt, cum totum pendeat a qualitate causarum, sive
effectuum, ad quos probatio deducatur, an sint graves vel le-
ves; Sive an principaliter, vel incidenter; Potissime vero, &
super omnia, a concursu aliorum adminiculorum, sine qui-
bus non de facili datur casus ut hæc sola probatio sufficiat.

9 Idemque circa illam speciem probationis, quæ deduci so-
let ab inscriptionibus in marmore, vel in columna, sive
etiam in pariete; quoniam proceditur cum eisdem generali-
tatibus, & præsertim circa antiquitatem & fortius circa oc-
casionem illam faciendi, an habeat, necne affectationis
suspicionem, aliorumque adminiculorum fomentum.

Super textis, quæ inter rusticos, vel artifices, aut super 10
victualium, aliarumque rerum manualium contractione
adhiberi solent, quæstiones cadunt quam fidem mereantur;
Et pariter certa non cadit regula, cum totum pendeat a sty-
lo regionis, & a facti qualitate. *i*

Generaliter idem fortius dicendum est in præsumptis, vel 11
adminiculativa probatione, quæ ex pluribus conjecturis, vel
adminiculis & præsumptionibus simul junctis, cum regula
ut singula, quæ non prosunt, &c. deduci prætendatur; Id et-
enim longe minus recipit regulam, cum totum pendeat a
singulorum casuum circumstantiis, ex quibus in uno casu
aliqua adminicula sufficientia reputentur; In altero autem
eadem, ac alia majora simul juncta, insufficientia sint; Un-
de propterea frequens & quotidiana praxis docet, earundem
conjecturarum, vel eorundem adminiculorum approbatio-
nem, & reprobationem respective; Ut frequenter, circa
istam conjecturalem, vel adminiculativam speciem proba-
tionis, in omni pene materia advertitur, præsertim vero in
illa ultimarum voluntatum, Considerando potissime effe-
ctum, ad quem probatio fiat, an scilicet principaliter, vel
incidenter, & an ad graves, vel ad leves effectus; Ideoque
nimium evidens, atque irrisione dignus est Pragmaticorum
ineptus & erroneus usus, in his materiis, vel probationibus
conjecturalibus, vel præsumptivis, procedere cum genera-
litatibus, vel cum lite doctrinarum, & decisionum, quæ
diversorum casuum occasione prodierint, cum totum pen-
deat a singulorum qualitate, & circumstantiis.

Generalis itaque, ac vera est Juris regula, quod præser- 12
tim in civilibus, probatio præsumpta, sive adminiculati-
va, ad gradum perfectæ & concludentis devenire potest,
adeout quandoque liquidissima quoque illa dicatur, ob
conjunctionem plurium imperfectarum probationum quæ
in civilibus datur ad unam perfectam constituendam *l*; Ve-
rum punctus est in applicatione, pro qua utique certa non
adest regula.

Ad illud autem potissimum reflectendum est, ut omnes 13
speciem perfectæ tales sint, ut dici mereantur perfectæ in
genere suo, cum alias, data singulorum imperfectione, di-
cta conjunctio non intret *m*; Siquidem ut alibi advertitur,
meaque frequens est dicendi consuetudo, quod etiam subtil-
limi fili, qui per se ipsos nimium fragiles sint, & non apti
ad ligandum, quoties in suo genere sint boni, si simul jun-
gantur, efformant magnam funem, sed si omnes sint corru-
pti, ac in suo genere invalidi, quamvis eorum conjunctio
fiat, tunc sufficiens funis exinde efformari non potest, quo-
niam centum nihil, valent quantum unum nihil.

Reflectendum quoque est ad qualitatem præsumptionum, 14
ut oriantur ex vero, non autem ex ficto, vel præsumpto, cum
lex abhorreat fictum ex ficto, sive præsumptionum cumu-
lum in idem; Nisi agatur de illa præsumptione dependenti
& consecutiva, quæ nascatur tanquam effectus alterius.

Et quamvis, juxta probabiliorem opinionem, quam 15
præsertim Romana Curia retinet, præsumpta probatio,
non admittatur in iis, quæ sunt fundamentum intentionis
agentis, vel recipientis *n*; Ex ea congrua ratione, quod num-
quam perfecta, & concludens dici potest illa probatio, quæ
contrariam habeat possibilitatem *o*; Attamen id non impe- 16
dit supradictæ regulæ veritatem, quoniam aliud est proba-
tio præsumpta; Aliud autem probatio vera, quæ resultet ex
præsumptionibus simul junctis, ut superius agendo de pro-
bationibus in genere advertitur *p*; Ideoque magis in hac
specie, quam in altera scripturarum, ac librorum, vel te- 17
stium, intret id quod *disc. præc.* advertitur, quod scilicet
litigantes rogare debeat Deum, ut prudentem & adæquati
judicii ac integritatis Judicem eis tribuat.

Istoque præsertim respectu, verificari videtur adagium, 18
quod *habent suas sydera lites*, sive quod detur causarum fa-
tum; Non quod a fato justitia pendeat; Sed quis magis, vel
minus prudens, ac adæquatum judicium, quod est hujus-
modi probationum libra, longe diversa constituit ponde-
ra, atque ad hunc præsertim effectum in Judice perfecto desi-
derandus est ille dotium & qualitatum cumulus, qui alibi
insinuatus *q*; Ac propterea magnam diversæ electionis ra-
tionem, Deo reddituri sunt Principes, & alii, ad quos per-
tinent, quando aliter agant, cogitando providere personas,
non autem munera; Sive reflectendo ad interesse privatum,
non autem ad bonum publicum.

Datur item frequenter in praxi illa species probatio- 19
nis, quæ fiat cum judicio peritorum; Qaamvis etenim ista,
pro frequentiori contingentia, accidentia potius, quam
sub-

substantiam percutere soleat, puta æstimationem, seu liquidationem valoris, vel alterius qualitatis, vel quantitatis, & sic declarationem, vel detectionem ejus quod jam inest; sed nobis, pro nostri humani intellectus imbecilitate, ignotum est, certificari autem potest, mediantibus regulis alicujus artis, vel scientiæ, unde propterea ad peritos in ea recurrere oporteat.

20 Duplicis autem generis, hujusmodi periti reputantur, sive duplici modo adhiberi solent; Primo nempe, tanquam testes periti in arte, qui per Partes includantur ad probandum id, quod ab eorum peritia pendeat, eo modo quo generaliter induci solent testes ad probandum id quod consistat in facto eis noto, & sic quod illi sint testes facti, utpote principaliter deponentes per sensum corporis, quamvis pro rei qualitate intellectus, seu ingenii mixtura quoque adesse debeat, juxta ea quæ *disc. prae.* insinuantur, agendo de causa, vel ratione scientiæ per testes assignanda; Isti vero sint testes, juris potius, quam facti, idest quod eorum testimonium principaliter pendeat potius a judicio intellectus, quam a sensibus corporeis, quamvis istorum mixtura quoque pro rerum qualitate accedere debeat.

Et altera est species illorum peritorum, qui potius ad judicandum, quam ad testificandum, assumi, vel adhiberi soleant per Judicem ex officio potius, quam per partes; Atque perito juxta hanc speciem, Arbitri, vel Assessoris, seu Consiliarii terminus potius quam ille testis congruit.

Quemadmodum etenim Judici legum imperito, Assessor, vel Consiliarius, in eisdem legibus peritus datur, juxta ea quæ supra in Assessoris rubrica insinuantur *r*; Ita ad instar, Judici quantumvis alias docto & literato in legibus, imperito tamen in ea arte, seu ministerio, quo mediante ignotæ ac obscuræ veritatis lumen, seu notitia habeatur, incumbit assumere peritum in eo munere, tanquam suum in ea parte Assessorem, & Consiliarium.

21 Magna vero, ac notabilis est differentia inter unam & alteram speciem, ideoque pariter manifestus est error illorum, qui cum generalitate propositionum, vel cum sola litera, & superficie doctrinarum ambulando, ad hanc distinctionem non reflectunt, sed pariformiter in omni casu procedunt cum ea vera juris regula, quod judicio peritorum in arte est deferendum, & potissimum ubi agatur de tertio electo in discordia, quoniam reflectendum est, an de peritis unius, vel alterius speciei agatur, *f* quoniam regula est generaliter & in abstracto vera, sed punctus est in applicatione.

22 Ubi etenim agitur de illis primi generis, qui scilicet tanquam testes inducti sint per unam Partium, tunc non intrant solemnitates quæ adhibendæ sint in eorum deputatione, vel in relatione per eos facienda, sive in informatione, quam a Partibus ad id monitis exquirere debeant, juxta ea, quæ inferius agendo de altero genere habentur, quoniam in hac specie peritorum, qui deponant tanquam testes, procedunt eædem regulæ generales, quæ *prac. discursu* habentur super testium examine, ac super eorundem fide, & exceptionibus, cum in effectu sint testes, qui ab aliis non differunt, nisi quod (ut supra) alii testes sunt periti facti, cum principali operatione sensus corporei; Isti vero sunt periti juris, cum principali operatione ingenii, sive intellectus in ea materia, vel professione.

23 In altero autem genere, quod non tanquam testes inducantur, sed potius tanquam consiliarii & assessores, ut supra, tunc alia intrat distinctio inter illos peritos, qui per Partes Judicii nominentur, & illos, qui per ipsum Judicem ex officio assumantur; Atque in primo casu dupliciter quoque, seu diversimode deputatio fieri solet; Quandoque etenim utraque Pars in unius periti deputatione concordat, atque æqualiter in eo confidit, consensum præstando, ut Judex cum ejus judicio, vel relatione procedat; Et tunc huic perito, arbitri potius nomen, vel terminus congruit; Quandoque vero quælibet Partium pro ejus libito, sibi gratum, ac benevolum peritum nominat, vel deputat; Et tunc istis peritis non congruit dictus terminus arbitrorum, nisi quoties in utrumque ambarum partium consensus simultaneus concurrat; Minusque congruit terminus Assessoris, vel Consiliarii, neque alter testis, sed potius terminus sapientis, tanquam per speciem Advocatorum, vel Procuratorum, quos quælibet Partium deputat ad informandum Judicem de suis juribus; Advocati enim, & Procuratores assumuntur tanquam sapientes, & periti in legibus; Isti vero tanquam sapientes, & periti in illa arte, vel professione; Unde propterea in istorum relatione solemnitates non desiderantur, sicut desiderantur in eo, cui arbitri titulus ut supra congruat; Vel in altero deputato per Judicem ex officio, cui convenit dictus alter titulus Assessoris, vel Consiliarii; Minusque congruit dicta regula, quod peritorum judicio est deferendum, dum ea solum congruit, quando arbitri, vel assessoris respective partes gerat.

24 Ea vero differentia dignoscitur inter casum, in quo peritus tanquam arbiter a partibus sit electus; Et alterum in quo sit assumptus per Judicem tanquam Assessor, vel Consiliarius, quod in primo casu non intrat recusatio ex causa suspicionis, ut sine dubio intrat in altero, cum recusari non valeat ille qui concorditer est electus. *t*

Quare ad tollendos circuitus, qui ex hujusmodi recusationibus manant, evitandaque subterfugia, servat praxis, idem quod in deputatione Judicis vel consultoris supra insinuatum est, citandi scilicet Partes ad dandum listam confidentium & diffidentium, ut ita valeat Judex eligere unum ex iis, qui per utramque Partem inter confidentes ab eis positus sit, sive alterum, qui non legatur inter diffidentes ab utraque Parte datos in lista.

Frequentior tamen Curiæ praxis est ut quælibet Partium nominet suum peritum benevolum; Atque ex hoc manat illud inconveniens, quod pene semper inter eos dignoscitur notabilis discordantia, quoniam isto casu periti, non gerunt partes arbitrorum, vel assessorum, sed alias partes procuratorum, vel defensorum respective quod scilicet quilibet est defensor & patrocinator illius Partis, quæ ipsum elegit, ac propterea devenire oportet ad deputationem tertii faciendam per Judicem, atque in hac deputatione adhibetur dicta cautela, vel praxis citandi ad dandam listam, ut ita occurratur dilationibus, quas recusationes producunt.

Huic autem tertio deferendum esse receptum est pro regula, cum denegatione alterius deputatione, ne detur processus in infinitum. *u*

25 Verum, quando de istius aliquibus erroribus doceatur, vel aliqua suspicio habeatur, adhuc ista regula limitari solet, atque devenitur ad deputationem quarti peritioris; Ideoque super hoc certa regula statui non potest, cuicumque casui applicabilis, cum sit materia arbitraria, quæ ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulanda est, in ratione limitationis contra regulam.

26 Super isto autem tertio perito, cadit quæstio, an teneatur adhærere uni ex duobus, ad effectum, ut ita concludat majorem partem, vel potius, discordando ab utroque, ejus judicium quamvis singulare, attendendum veniat; Et quamvis non desint plures tenentes primam partem, attamen hæc posterior in praxi magis recepta est. *x*

Et merito quidem, quoniam primis duobus, ut supra congruit, potius nomen, vel terminus partialium defensorum, Huic autem tertio convenit alter terminus, assessoris, vel instructoris Judicis, ideoque sicut ille assessor, qui tanquam peritus in legibus assumitur *y*, non tenetur adhærere uni ex Advocatis Partium, sed potest ab utroque discordare, aliquam mediam viam eligendo, sive excitare nova motiva, & fundamenta, quæ ab ipsis Advocatis, & defensoribus deducta non sint, ut frequenter praxis docet *z*; Ita in præsenti.

27 Item super relatione periti, sive sit unicus, sive tertius; qui per Judicem ex officio deputatus fuerit, adeout gerat dictas partes assessoris, vel consultorias, quæstio cadit, an in relatione danda, necessaria sit Partium citatio præcisa, & judicialis eo modo quo in sententia, vel in decreto, aut in testium examine, aliisve actibus judicialibus requiri, in præcedentibus advertitur; Et quamvis pro consueto stylo Juristatum non desint opiniones hinc inde; Probabilior tamen videtur opinio negativa; Quoties non obstet stylus Tribunalis, cui deferendum veniret *a*; Siquidem peritus, quando suam relationem complevit, illam dare solet Judici, vel eam ponere in actis, ut plurimum, clausam, & sigillatam; Quare illa Pars, cujus interest illam aperiri, atque ad ejus formam, ad sententiam vel ad alium actum procedi, citat ad id alteram Partem, itaque citatio necessaria est, ad effectum ut altera pars, habita relationis notitia, illam inspicere valeat, atque docere de erroribus, ut propterea Judex non debeat eam sequi, sed peritiorem deputare; Bene tamen præcedere debent aliquæ monitiones Partium ad informandum ipsum peritum, ut auditis prætensionibus hinc inde, possit fundare suum proferre judicium, quando sponte id partes non egerint, ut frequentior praxis docet *b*; Verum istæ monitiones non sunt actus judiciales, sed extrajudiciales; Prudenter tamen servari debent, ne facilis detur causa impugnandi relationem utpote factam per non informatum.

28 Atque hinc sequitur, quod causæ, in quibus peritorum judicium requiritur, magnam pati solent protractionem, non solum ob recusationem, seu dilationes in concor-

dando de non suspectu, & ob imaginationem relationis tertii, seu etiam quia illa Pars, cujus interest causam in longum protrahi (ut in Reis & possessoribus contingit,) studere solet, ut ejus peritus nimium tardus existat, adeout quandoque, factis monitionibus, vel præfixis terminis, pro diversa Tribunalium praxi, procedere oporteat ad expeditionem causæ cum sola relatione unius periti, idque deservire solet ad majorem protractionem, & turbiditatem in gradu appellationis, quoniam cum (sine tamen præjudicio proborum,) magis commune hujusmodi peritorum, qui ab ipsis Partibus eligantur, vitium sit gerere partes, non quidem arbitri, vel assessoris, sed illas defensoris more Advocati, vel Procuratoris, hinc sequitur, quod ut plurimum relationes peritorum electorum per Partes continent exorbitantias, atque vitiosæ sint in utroque extremo; Unde propterea sententiæ, vel decreta in conformitatem unius relationis, non possunt sustineri, & sic est inutiliter terere tempus & pecuniam; Verum ista sunt mala humanæ conditioni connaturalia, quibus impossibile videtur occurrere; Siquidem, ut docent historiæ potentissimæ, & prudentissimæ Romanæ Republicæ per continuatum spatium decem sæculorum, & ultra, cordi fuit leges ordinare ut his malis occurreretur, & tamen non fuit possibile, ut etiam in omnibus Principatibus quotidiana praxis docet, quoniam oporteret invenire medicinam eradicativam causæ productivæ hujus mali, idest humanæ malitiæ.

29 Quando autem causæ qualitas sit talis, ut exigat quidem aliquod judicium peritorum, pro meliori instructione animi Judicis, ejusque minori incommodo, adeout illud non sit præcise necessarium, ipseque Judex volens posset ex se illius rei notitiam obtinere; Ut (exempli gratia) pro frequentiori praxi contingit in recognitione librorum mercatorum, an sint bene & legaliter tenti; Sive in recognitione, vel dispositione partitarum & calculorum, aut in recognitione spacciorum, seu litterarum pro justificatione cambiorum, cum similibus; Et sic, quod agatur de illis rebus, quæ consistant in judicio intellectus, potiusquam in eo opere mechanico, quod explicari non potest per Judicem, sed per necesse explicandum est per peritum in arte, vel ministerio; Et tunc extrajudicialiter, imo clam a Partibus, deputari solet aliquis notæ, ac probatæ fidei mercator, vel ratiocinator, qui recognoscat, ac referat ad aures, seu in forma extrajudiciali pro sola instructione animi *e*; Idque etiam quandoque fieri solet, adhibendo peritos scriptores, ad effectum se melius certificandi de recognitione scripturæ, quæ facta sit per testes habentes notam manum, vel comparationem.

30 Id autem præsertim practicari solet per Rotam, & quandoque etiam per Cameram. Et sic per magna & collegiata Tribunalia, quæ hujusmodi licentias libentius sibi assumunt, quam faciant unici Judices inferiores, in quibus etiam commendabilior videtur alter stylus, quem pluries consului practicandum, quod scilicet, resecatis totis circuitibus & delationibus resultantibus a peritis eligendis per partes, illico, atque ab initio, prævia dicta monitione ad dandum listam confidentium, & diffidentium (ut ita evitetur ille circuitus qui resultare solet a recusationibus,) deputetur ille, qui post temporis & pecuniæ inutilem, & calumniosam consumptionem, deputari solet tanquam tertius, ita quo magis fieri potest occurrendo calumniis litigantium, dum experientia docet quod (ut supra advertitur) fere unquam periti hinc inde per Partes electi, vel nominati, bene faciant suum officium, sed assumant partes procuratoris, vel defensoris; Unde propterea remanet circuitus mere inanis ac evitandus, ita docente experientia rerum magistra.

31 Aliud quoque hujusmodi peritorum commune vitium esse solet, se non continendi intra cancellos propriæ artis, vel peritiæ, sed assumendi partes Judicis, atque judicandi de iis, quæ sunt de jure; Id autem peritis est prohibitum, ideoque in his non est eis deferendum *e*; Atque id pariter dilationes, & circuitus parere solet; Adeout quandoque Rota, aliique Judices, cogantur eis præscribere modum
32 præcisum, ad recognoscendum scilicet, hoc, & hoc, atque ad referendum sic, & sic; Idque forsan expediret, semper, & in omni deputatione servare; Et tamen quandoque neque id sufficit, quoniam, hoc non obstante, assumere volunt partes Judicum, seu Jurisconsultorum, ut pluries expertus sum.

33 Item etiam circa propriam artem, vel peritiam, frequenter neque suum officium bene exercent. Ut præsertim contingit in peritis æstimatoribus, quoniam æstimando aliquam domum, vel aliquod ædificium, ad effectum inspiciendi, an adsit læsio. Sive ad effectum adjudicandi rem creditori, cum similibus; Mensurant muros, & singula cæmenta, ea æstimando per partes, perinde ac si æstimari deberent operæ fabrorum, qui ædificia construxerunt, non reflectendo quod ad hujusmodi effectus attendi debet ille valor, pro quo ea res, ex eo communi judicio vendi posset, vel quod communiter æstimetur, habendo rationem nobilium, vel ignobilium cæmentorum; Potissime vero ac principaliter ratione novitatis, seu vetustatis ædificii, vel arborum seu vitium, &c. quoniam stat bene simul, ut in ædificio (ex. gr.) urbano, vel suburbano facta sit magna impensa, & tamen quod nullam, vel modicam afferat utilitatem in fructu, adeout non inveniat emptorem pro decima parte ejus quod erogatum sit; Sive quod ædificium sit fructiferum, quodque pro ejus structura, & commoditatibus, de præsenti reddat quidem eundem fructum, quem de præterito reddere consuevit; non per hoc tamen eam mereatur æstimationem, quam meruisset annis decursis, ob ejus vetustatem, ob quam oporteat magnum facere sumptum pro ejus remotione; Idque frequenter etiam verificatur in prædiis rusticis, nempe in vineis, vel in arboretis, quoniam ob novitatem possunt esse de præsenti modici fructus, tractu vero temporis etiam brevi fieri majores; Et e converso, ob vetustatem, possunt esse de præsenti magni fructus, sed cum imminenti infructuositate, cum similibus; Ideoque media via pro facti qualitate teneri debet.

Hinc itaque manat, quod nimium difficilia sint judicia rescissionis, vel annullationis contractuum ex capite læsionis, quoties agatur de prædiis rusticis, vel urbanis, aliisque similibus bonis, quæ habeant pretium naturale omnino incertum ob difficultatem faciendi hanc perfectam, & concludentem probationem justi valoris, ut ad hunc effectum requiritur; Ac propterea debent periti in æstimatione assignare concludentes causas, vel rationes. *g* 34

Atque in facti contingentia in nostra ætate, gravis habita fuit disputatio in Rota, an peritus, qui tanquam arbiter de concordi consensu deputatus esset per emptorem, & venditorem, ad æstimandum castra & bona jurisdictionalia, quæ vendi solent, ad rationem fructus, ut in feudali materia advertitur, teneatur sigillatim distinguere singula corpora, vel membra, eorumque redditum; Atque pro distinctione prodierunt resolutiones, ad effectum se regulandi, pro evictione, vel pro suppletione. *h* 35

Apud nostros majores (& forsan etiam nostra ætate,) impossibilis reputabatur æstimatio bonorum consumptorum, sinque amplius non extent in loco, adeout oculis peritorum subjici non possint. Verum apud modernos, ista impossibilitas cessavit, cum recte judicium peritorum efformari valeat, præsertim in bonis mobilibus ex eorum descriptione. *i* 36

Procedunt omnia præmissa, & similia in iis, in quibus peritorum judicium sit omnino necessarium, adeout alias rei veritas haberi non valeat, quoniam in jure statutum est, ut eorum electio, vel deputatio, subsidiaria censenda sit, neque ad eam deveniendum, nisi ubi alias rei veritas haberi non valeat. *l* 37

Sub genere, vel Inspectione probationum, cadere quoque solet materia liquidationis; Eaque duplicem habet inspectionem, Primo scilicet super ejus necessitate in genere, & quando præcedere debeat, adeout sententia, vel decretum, illa non præcedente, nullitatis vitio subjaceat; Et altera super modo illam faciendi.

Quatenus itaque ad primam pertinet; Distinctio est, an de liquidatione fuerit oppositum ante sententiam, necne? Primo enim casu oppositionis, verius est, magisque receptum, ut liquidatio præcedere debeat, atque alias ejus defectus causet nullitatem; Secus autem in altero, quoniam illa quoque subsequi potest. *m* 38

Ejus etenim præcisa necessitas consistit in executione, non autem in condemnatione, ut scilicet de re illiquida, executio fieri non valeat *n*; Et per consequens cessante oppositione post condemnationem fieri potest; Atque pro frequentiori praxi fit post condemnationem, sed ante executionem; Puta condemnando ad solvendam certam quantitatem frumenti, vini, vel olei, &c. sive ad refectionem damni illati, vel ad pretium rei, quæ amplius non extet juxta liquidationem faciendam, quam inde Judex sibi reservet. 39

Quo vero ad alteram inspectionem, super modo illam faciendi, sive fiat antea, sive postea; Distinctio est inter pretii, seu valoris species diversas. Una enim est illa,

quæ

quæ dicitur pretii mere civilis. Altera mere naturalis. Et altera mixti, utpote participantis de utraque specie, saltem improprie, quia nempe revera sit naturale, per accidens autem, sive pro communi usu participet de civili. Et e converso quia vere sit civile, sed per accidens participet de naturali.

41 De prima specie mere civili, & certa, utpote invariabili. Vere, & proprie est creditum pecuniarium, sive unicum, seu annuum, & reiterabile, ut sunt (ex. gr.) fructus annuorum censuum, & creditorum, aliarumque præstationum; Et tunc, licet considerari soleat illiquiditas, ob incertitudinem, quæ ita incontinenti habeatur, quid & quantum debitum sit; Attamen quia summa, vel quantitas liquidari, seu certificari potest, cum solis calculis arithmeticis, adeout necessaria non sit alia extrinseca probatio, vel æstimatio, sed cum regulis summandi, & subtrahendi, incontinenti certificatio sequi potest; Et tunc vere & proprie non est liquidatio, quoniam ista est quid diversum a calculis, qui incontinenti, atque ictu oculi fieri possunt. Et consequenter id redolet speciem exceptionis, quæ consistat in jure, non autem in facto, justa distinctionem, de qua infra in rubrica exceptionem, quæ aptæ sint executionem impedire. *o*

Et quamvis deputari quoque soleant periti calculatores, ad effectum faciendi liquidationem summæ, quæ vere debita sit, attamen ista est impropria locutio, dum periti deputantur ad majorem Judicis commoditatem, atque pro ejus adjutorio, dum volens potest id explere per se ipsum, eo modo quo Judex Jurispatronatus, ac professor, qui licet ubi velit, vel sit minus occupatus, valeat videre ea, quæ juris sunt per se ipsum, adhibet tamen aliquem adjutorem, vel professorem voluntarium, non autem necessarium juxta distinctionem, de qua supra in Rubrica Assessoris. *p*

42 Tunc autem creditum pecuniarium dicitur illiquidum, quando creditor in ejus causa recipit bona, quarum valor, seu pretium sit naturale, & incertum, ideoque indiget extrinseca liquidatione; Ut (ex. gr.) si in computum crediti habuerit creditor frumentum, aut vinum, vel oleum, seu merces, vel animalia, & similia bona, juxta frequentem praxim, nullo statuto pretio, quoniam tunc illiquiditas non provenit ab intrinseca natura ipsius crediti, sed a deductione, quæ ab eo facienda est, valoris bonorum, quæ in ejus causam data sunt. Ut præsertim pro frequentiori praxi contingit in illis creditoribus pecuniariis, qui fructus ex pignore prætorio, vel conventionali perceperint, cum similibus, dum ita incertum est, quid & quantum remaneat debendum, & per consequens liquidatio necessaria est saltem ante executionem, ex ea ratione, quod potest in nihilo creditor remanere, quinimo debitor; *q* Ad instar administratoris, qui non potest dici, neque debitor, neque creditor ante redditas rationes, ut alibi in sua materia advertitur. *r*

43 Adhuc tamen (ut pluries expertus sum) clarum in hoc detegi solet æquivocum, pro consuetis pragmaticorum erroribus, procedendi cum solis generalitatibus, vel in sola litera doctrinarum, quasi quod creditor magnæ quantitatis cum obligatione camerali, vel cum alio pacto executivo, impeditus esse debeat consequi totum creditum, ob aliqua modica bona debitoris, quæ ad ejus manus pervenerint, priusquam fiat istorum liquidatio, quæ frequenter longum processum exigere solet, atque de jure est appellabilis etiam pluries, & in Curia semel, ut infra in appellationia rubrica advertitur; *f* Et consequenter, ita creditor pro-
44 hiberetur, ad computum crediti, recipere a debitore merces vel fructus, in quibus, ut plurimum præsertim ab iis, qui arti agrariæ, vel rei rusticæ vacant, & a quibus ita pro frequentiori praxi, vel usu solutionem recipere oportet, quo nil absurdius; Ideoque ista propositio, quæ de jure est vera, capienda non est in solo sensu verbali, more judaico, sed in sensu rationabili, ideo inspecta ratione, cui innixa est; Et per consequens, quando relinquatur in suspenso illa summa, quam ad majorem rigo-
45 rem, sive (ut dicitur) ad rationem quanti plurimi, illi fructus, vel illa bona importare possunt, non videtur quid prohibeat capturi reliquatum tanquam liquidum; Et regula quod pars certa, & liquida retardari non debet per partem incertam, & illiquidam. *s*

46 Quo vero ad aliam oppositam speciem valoris, vel pretii mere naturalis; Illud ut plurimum verificatur in rebus stabilibus, soli, nempe in prædiis rusticis, vel urbanis, quorum valor omnino incertus est, utpote regulandus, partim a quantitate fructuum, quos producit, & partim a qualitatibus majoribus, vel minoribus, situationis, & cæmentorum, ac etiam juventutis, vel senescentiæ &c. sive boni, vel mali status juxta ponderationes, de quibus supra; Atque in hoc pretio præcise necessaria est vera & formalis liquidatio.

Idque est etiam verificabile in aliquibus bonis mobilibus, quæ habent pretium opinionis, vel affectionis, unde propterea, eadem, ac major dignoscitur incertitudo, ac varietas opinionum, etiam inter ipsos peritos, Ut (ex. gr.) contingit in gemmis, magis vero in tabulis pictis, vel in statuis cum similibus, dum frequens praxis docet, quod eadem tabula, vel eadem gemma ab uno æstimetur mille, & ab altero vix æstimetur centum.

Et quamvis in rebus vere stabilibus soli, ut sunt prædia 47
rustica, & urbana, habeantur quædam propositiones generales circa regulationem valoris in sorte ex fructibus, quasi quod juxta sensum cujusdam celebris, ac receptæ *glossæ*, res valeat quantum importent ejus fructus spatio annorum viginti, & sic ad rationem quinque pro centenario, quoties agatur de bonis privatis, ac indifferentibus; *u* Ubi vero de conspicuis, & qualificatis, quæ jurisdictionem, aliasque præeminentias annexas habeant, ut tunc pretium
excedat in duplo, ac propterea æstimatio sit ad rationem 48
duorum cum dimidio; *x* Unde propterea, cum risus & quandoque cum magnæ bilis provocatione in praxi experimur illos Judices, qui innixi aliquibus decisionibus, ita simpliciter, ac indefinite hanc propositionem firmantibus, credunt quod istud sit Evangelium S. Joannis, seu quod sint verba inalterabilia formæ sacramenti, quodque distinctiones, quæ desuper cadunt, proveniant ex Advocatorum acumine, & ratiociniis.

Manifestus autem error est cum hujusmodi generalitati- 49
bus procedere, cum revera id certam regulam non habeat, cuicunque casui applicabilem, sed totum proveniat ex singulorum casuum particulari qualitate, & circumstantiis, pro diversa scilicet qualitate locorum, vel regionum, quia nempe in una provincia, vel regione, utpote magis mercantili, major habeatur copia pecuniæ numeratæ, vel respective major populus, atque minor amplitudo territorii; Sive in eadem regione, vel provincia, eadem differentia dignoscatur inter Regiam, seu metropoliticam Civitatem, & alias inferiores; Et comparative ad istas, & ad villas, aliaque loca parva, aut pro qualitate situationum, magna dignoscitur inæqualitas, quod scilicet in uno loco bona stabilia via invenient emptorem ad septem, & octo pro centenario. Et in alio vix inveniatur venditor ad tria & minus.

Ac etiam in eadem Civitate, vel in eodem territorio, magna dignoscitur differentia valoris inter unam speciem, seu qualitatem bonorum, & alteram, dum scilicet. Aliud est pretium casalium, & tenutarum, & aliud vinearum. Sive aliud est pretium domuncularum, & aliud palatiorum. Quinimo in eodem genere bonorum, puta casalium, & tenutarum, notabilis est differentia inter casalia magna, & conspicua, vel respective in bono situ Urbi, vel mari proximo, seu alias deliciosa, vel magis commoda, & parvas pedicas, vel casalia in situ magis remoto, vel incommodo, cum similibus.

Eademque proportio in omnibus intrat in bonis jurisdictionalibus, quoniam licet jurisdictio, & baronalis, seu dominicalis præeminentia notabiliter augeat de valore, non tamen eadem est regula Civitatum, & Oppidorum qualificatorum, seu alias in bono situ existentium, ac parvorum, & infelicium castrorum, seu pagorum in Montaneis.

Quinimo etiam ipsorum individuorum bonorum indi- 50
vidualium ejusdem loci valor solet esse varius juxta temporum contingentias; Dum alius est valor temporis pacifici & tranquilli, alius vero temporis calamitosi ob bellum divinum, vel humanum, sive ob penuriam, aliaque accidentia; Imo fortius, etiam sine accidentibus, perseverante eadem temporum tranquillitate, dignoscatur notabilis variatio ex contingentiis; quia nempe in uno tempore aderit magna copia pecuniarum, & emptorum, & penuria venditorum, seu occasionum investiendi. Et in alio tempore e converso aderit magna copia venditorum, & occasionum, & penuria emptorum. Igitur prorsus fabulosum est, claramque ineptiam redolet cum generalitatibus procedere.

Dantur præterea accidentia, quæ ejusdem rei individuum valorem notabiliter alterant. Et per consequens major detegitur dicta ineptia, quoniam major, vel minor securitas emptoris, vel evictionis, pretium notabiliter auget,

vel respectivè minuit; *y* Sive ejusdem rei qualitas, vel vinculum, quoniam alius est valor bonorum liberorum. Et alius est vinculatorum, vel subjectorum alicui devolutioni, vel prohibitioni. *z* Unde propterea ejusdem Civitatis, vel Castri longe diversum est pretium, quando habeat naturam allodii, & quando habeat illam feudi; Ac etiam in eadem natura feudi, variatur valor a magis stricta, vel larga specie investituræ, vel ipsa feudali servitute pro legibus & motibus regionum, cum similibus accidentalibus, quæ ejusdem rei substantiam alterant, ut majorem, vel minorem habeat. *a*

Quo vero ad tertiam speciem mixtam; Illa (ut præmissum est) subdistinguitur in duas; Alia etenim sunt bona, vel jura, quæ vere & proprie habent pretium naturale variabile, sed pro eorum qualitate participant de pretio civili certo; Et alia e converso sunt illa, quæ proprie habent pretium civile & certum, sed per accidens participare dicuntur de pretio naturali, & incerto variabili.

51 De prima specie videntur ea, quæ sunt in communi, & usuali commercio, a quo, sive a publico negotiantium foro, pro temporum qualitate, quandam speciem pretii civilis, & certi, habere dicuntur; Ut (exempli gratia) sunt, frumentum, vinum, oleum, blades, aliaque victualia; Sive merces lanæ, vel serici & similia bona usualia, quæ juxta diversas eorum quasdam qualitates, sive juxta temporum contingentias, quoddam pretium commune, & quodammodo certum, ac uniforme, habere solent, aptum tamen, juxta temporum contingentias, valde notabilem ac maximam recipere alterationem, unde propterea in odium morosi intrat in eis obligatio ad pretium quanti plurimi intra illud tempus, in quo conservari potuerint *b*, dum in istis non cadit illa ratio affectionis, vel alia, quæ cadit in stabilibus, vel in gemmis, & tabulis pictis, sed habere dicuntur quoddam pretium commune, & quoddamodo uniforme seu civile, a publico foro, seu a communi commercio in tempora taxatum.

52 Adhuc tamen in isto pretio intrat distinctio trium specierum, nempe, maximi, medii, & infimi. Atque intra istas species, pretium est regulandum ex prudenti arbitrio pro facti circumstantiis; Ideoque certa regula desuper statui non potest. *c*

53 Alia vero e converso sunt bona, vel jura, quæ vere, & proprie habent pretium certum, & civile invariabile, Verum pro eorum accidentali qualitate, participant etiam ex altera specie pretii naturalis incerti, & variabilis. Ut ex. gr.) sunt loca montium, & census, ac etiam nomina debitorum, & similia. Siquidem pretium locorum montium intrinsecum, est civile, ac invariabile, juxta legem suæ erectionis, puta ad rationem scutorum centum pro quolibet; Et tamen, juxta quotidianam praxim, habent aliud pretium incertum, & variabile, quod extrinsecum vocatur, utpote dependens ab eorundem bona opinione, ac difficultate illa emendi cum pretio intrinseco. Sive e converso ob eorum malam opinionem modicæ securitatis dotis, vel ob difficilem exactionem fructuum, idem pretium civile intrinsecum, notabilem recipere solet diminutionem; absque eo quod regula desuper statui valeat, cum totum pendeat a temporum contingentia; *d* Bene verum, quod ista accidentalis variatio pretii extrinseci sapere videtur de eadem natura mercium, ac victualium ut supra, quod scilicet a commercio, seu a foro quandam taxam uniformem recipere videtur in modico variabilem; Illaque est variatio omnino incerta, quæ speciem pretii naturalis redolet, quando pendeat a vinculis accidentalibus, adeout emptor, per quandam speciem emptionis incertæ aleæ, aliquibus periculis se exponat, ut in eorumdem locorum montium materia latius explicatur. *e*

Idemque, ex eisdem rationibus proportionabiliter procedit in nominibus debitorum, ac etiam in censibus, aliisque similibus juribus, quoniam licet præsertim census ad formam Bullæ Pianæ habeant pretium omnino certum, in quo cum forma pecuniæ numeratæ creari debent, & cum eodem debent redimi. Attamen jam creati, & existentes esse possunt in commercio inter tertios, tanquam species, pro majori, vel minori pretio juxta eorum bonam, vel malam qualitatem. Et sic cum dicta mixtura pretii intrinseci, & extrinseci, seu civilis certi, & accidentalis incerti. *f*

54 Quinimo (quod est magis) idem verificatur in ipsamet pecunia numerata, quæ omnium clarius habet pretium civile, ac certum, & non recusabile, utpote publica auctoritate determinatum. Et tamen in voluntario commercio dignoscitur eadem notabilis differentia ratione materiæ, seu qualitatis monetæ. Siquidem (ex. gr.) aliquando juxta praxim Italiæ, sive moneta sit aurea stamparum, quæ dicuntur novæ, vel stamparum veterum, sive sit argentea, vel ænea, aut mixta, suum habet pretium civile uniforme, adeout tanta sint mille scuta de una, quanta sine de altera specie monetæ; Et tamen scuti auri stamparum novarum currentium habent quoddam augmentum extrinsecum duorum, vel trium pro centenario, plus, vel minus, quod non habent scuti auri stamparum veterum; Et quoad alias monetas inferioris materiæ, seu ligæ, illæ recipiunt notabilem diminutionem, adeout pro locorum, ac temporum contingentiis, eadem scuta centum, non valeant nonanginta, & minus, cum similibus.

55 Datur item casus, quod eædem res individuales, in eodem loco, atque inter easdem personas recipiant notabilem differentiam, vel alterationem pretii, ob pacta alterativa, quæ minuunt, vel respective augent de valore; Ut præsertim pro frequentiori praxi habemus in pacto de retrovendendo, quod notabiliter minuit pretium; Nimium de more variantibus Doctoribus, an sit in sexta, vel in quinta, aut in quarta parte &c. Verius autem est, ut id certam non habeat regulam, sed sit arbitrarium pro singulorum casuum circumstantiis. *h*

56 Verum etiam eandem notabilem alterationem causat modus emptionis, & venditionis, quia nempe; Aliud sit pretium in pecunia numerata; Et aliud in pecunia credita, seu habita ejus fide, juxta majorem, vel minorem dilationem; Unde propterea Canonistæ & Morales tot desuper retexunt quæstiones in materia usurarias; Aut circa alium modum, quod e converso pretium detur prompte, bona vero danda sint ad aliquod tempus, super quo eædem usurariæ quæstiones haberi solent.

57 Sive quod agatur de venditionibus magnis, ut vulgo dicitur *all' ingrosso*, vel e converso parvis, ut vulgo dicitur, *a minuto*, cum pro longe minori pretio fiant primæ, quam aliæ; Considerando etiam, an venditio admiatum habeat jus privativum favore emptoris, necne *m*, cum similibus circumstantiis, ex quibus majus, vel minus pretium est regulandum; Et consequenter clarus error est, ac manifesta ineptia, cum generalitatibus, vel cum aliquibus doctrinis indefinite procedere.

58 Præterea dari solet duplex illiquiditas, seu incertitudo, quæ liquidatione, seu certificatione indigeat; Una scilicet quoad substantiam; Et altera quoad pretium; Ut præsertim pro frequentiori praxi contingit in liquidatione fructuum perceptorum ex aliquibus bonis, quoniam adest prima incertitudo super eorum qualitate, & quantitate; Hisque firmatis, adest altera super pretio, quod in dies & tempora ut supra notabiliter variari solet; Hinc proinde hæc materia liquidationis fructuum, reputatur difficilis probationis, & per consequens etiam leviores, ac præsumptæ probationes admittuntur, recurrendo ad instrumenta locationum, vel ad libros gabellarum, sive ad id quod fructaverint prædia adjacentia, cum similibus argumentis, cum quibus procedi solet. *n*

59 Hujus etiam incertitudinis, seu illiquiditatis, majores quæstiones haberi solent in materia assecurationum, tam super valore mercium, quam etiam super qualitate loci, qui attendi debeat pro earum æstimatione, an scilicet ille, a quo, vel ille ad quem; vel medium, ut in sua sede advertitur, ideoque laudatur conventionalis taxa ab initio ad hujusmodi inextricabiles quæstiones dirimendas apposita. *o*

60 Idemque in societatibus, seu negotiis socialibus super liquidatione lucrorum, unde propterea verisimiles Partium conventiones, vel taxæ ab initio laudantur, ut in usurarum ac societatum sedibus advertitur cum similibus. *p*

In casu demum discordiæ peritorum, procedi etiam solet cum regula, quæ habetur in testibus, quod scilicet in majori summa inest minor, in qua dicuntur concordes; Unde propterea, (ex. gr.) unus peritus æstimat, seu liquidat in decem, & alter in quindecim, tunc in minori summa decem dicuntur concordes, ideoque in ea sequi potest condemnatio, cum non debeat illud plus, quod est illiquidum, impedire partem liquidam, in qua verificatur concorde judicium.

a Mascard. *de prob. concl.* 735. Royas *dec.* 96. *dec.* 424. *p.* 5. *rec.* Greg. & add. *dec.* 387. b *de his in criminalibus agunt relati per* Farinac. *q.* 47. *& alibi*.

c *supra. disc.* 21. d *de benef. disc.* 70. *&* 71. e *tit. de emphyteus. disc.* 37. f *tit. de præmin. disc.* 32. *& seqq.*

g *tit. de jurepatr. disc.* 57. g 2. *tit. de præeminent. disc.* 2. *& seqq. &* 29. *cum aliis relatis per add. ad dec.* 529. *p.* 4. *rec. tom.* 3.

h di-

h *dicto disc. 2. & seqq. de preeminent.*
i Giurb. *obser. 31. dec. 39. p. 7. rec. tit. de cred. disc. 73.* Antonil. *in comment. ad Bullam pistorum.*
l Gabr. *de probat. concl. 1.* Burat. *dec. 519. & sapius.*
m *dec. 103. p. 5. rec. & frequenter.*
n add. ad Greg. *dec. 153. dec. 202. n. 4. p. 5. rec. tit. de cred. disc. 105. & pluries.* o *dicto tit. de cred. disc. 45. & frequenter.* p *supra disc. 22.*
q *disc. 29. 30. & 35. hoc tit. & in relatione Curia, discurs. 32.* r *supra disc. 4.*
s Sperell. *dec. 54.* Bich. *dec. 291. & 564.* Buratt. & add. *dec. 56.* Greg. *dec. 261. 177. p. 10. rec. & sapius.*
t Cavaler. *dec. 178.*
u Bich. *dicta dec. 564.* Buratt. & add. *dec. 70.*
x Buratt. & add. *dec. 56. dec. 111. p. 7. rec.* Bich. *decis. 291.* y *supra disc. 4.*
z *juxta casum prasertim, de quo sub tit. de success. ab intest. disc. 3.* a Buratt. & add. *dec. 56. & 70.*
b Burat. & add. *d. dec. 56. & 70.*
c *practicatum in casu, de quo tit. de cambiis, disc. 1.*
d *dec. 336. p. 13. rec. & habetur supra disc. 29.*
e Greg. *dec. 244.* Otthubon. *dec. 205.* Dunozett. *decis. 816. in fine.*
f Dunoz. *dec. 686.* Bich. *dec. 564. & 609.* Cavaler. *dec. 358.* Buratt. & add. *dec. 538. tit. de empt. disc. 24.*
g Burat. & add. *d. dec. 538. cum aliis dicto disc. 24. tit. de empt. & vend. tit. de feud. disc. 108.*
h *tit. de feud. disc. 65.* Dunoz. *dec. 921. & 944.*
i *apud Cels. dec. 356. & in aliis, de quibus in casu de quo sub tit. de Regal. disc. 1.*
l *dec. 52. p. 7. rec. dec. 32. p. 10.*
m Greg. *dec. 220. & 224.* Otthob. *dec. 7. & 174. in fin.* Burat. & add. *dec. 417. & dec. 653. & 800. dec. 228. & 262.* post Zacch. *de oblig. camer.*
n *proxime supra de distinctione.* o Otthob. *dec. 201. dec. 608. p. 3. rec. 576. p. 5.* Cavalec. *dec. 323.* p *supra, disc. 4.*
q *dec. 163. & 306. p. 7. rec.* Cels. *dec. 124. dec. 122.* post Merlin. *de pignor. & sapius tit. de credit.*
r *tit. de tutor. & administrat. disc. 6. & 17. & pluries sub tit. de credito.* s *infra disc. 37.*
t Greg. *dec. 220.* Otthob. *dec. 32. dec. 74. p. 10. rec.*
u Cels. *dec. 253.* Dunoz. *dec. 672.* Burat. *dec. 112.*
x *tit. de feud. disc. 419. & 124. & alibi pluries.*
y Surd. *dec. 30.* Burat. & add. *dec. 675. & 761. & in locis proxime infra.* z *tit. de regal. disc. 30. cum duob. seqq. & alibi pluries.* a *d. disc. 19. & 24. de feud.*
b *tit. de empt. & vend. disc. 14.*
c Capyc. Latr. *dec. 42. tit. de regal. disc. 117. & alibi.*
d *dicto disc. 30. seqq. tit. de Regal.*
e *locis proxime citatis.*
f Salgad. *in labyr. p. 1. c. 27.* Olea *de cess. jur. tit. 6. q. 10.* Duran. *decis. 235. dicto tit. de Regal. disc. 30. & seq. & alibi pluries.* g *tit. de credito, disc. 140. & tit. de feud. disc. 99. & alibi pluries.*
h Franch. & add. *dec. 27. & 95.* Burat. & add. *& decis. 62.* Dunoz. *dec. 801. dec. 17. p. 6. rec.*
i *tit. de usur.* l *tit. de Regal. disc. 117.* m *ibidem.*
n Burat. & add. *dec. 173.* Otthob. *dec. 166.* Dunoz. *dec. 672.* Bich. *dec. 495. & 503. dec. 201. p. 10. rec.*
o *tit. de credit. disc. 106. cum plur. seqq.*
p *tit. de usur. & tit. de societ. offic. pluries.*
q Merlin. *dec. 246.* add. ad Greg. *dec. 558.* Cyriac. *contr. 159. qui varias refert opiniones, & est materia arbitraria pro stylis, vel facti circumstantiis.*

De aliis actis inter probationes, & sententiam, vel decretum, pro compilatione processus.

SUMMARIUM.

1 *NOn datur terminus particularis ad reprobandum testes, dum continetur in remissoria, cujus terminus est communis utrique parti.*
2 *De publicatione post factas probationes, & an sit de substantia judicii?*
3 *Post publicationem non admittuntur nova probationes per testes.*
4 *De primo, & secundo beneficio concedi solito ad hunc effectum.*
5 *De conclusione in causa.*
6 *Quod non sint in usu in Curia isti formales actus publicationis, & conclusionis.*
7 *De foro Capitolino.*
8 *De eodem de quo n. 6. circa non usum publicationis.*
9 *Et de non usu conclusionis ut scriptura semper, & quandocunque produci valeant.*
10 *De compulsoria.*
11 *De modo recipiendi scripturas productas post causam instructam.*
12 *Monentur Episcopi, aliique Judices fori ecclesiastici quomodo procedere debeant.*
13 *De terminis substantialibus sine quibus sententia est nulla.*
14 *De illorum sanatione, quando intret.*
15 *De materia declarationis circa usum.*
16 *Quare in Curia ea sit rara, & qualis sit ejus praxis.*
17 *Damnatur usus respondendi positionibus, & quando, & quomodo servari deberet.*
18 *De citatione ad sententiam, sine qua ea est nulla.*
19 *Quomodo concipi debeat.*
20 *De stylo Hispaniarum, an conclusio in causa stet loco hujus citationis.*
21 *Quare in causis de partibus sententia soleant esse nulla.*
22 *De circumductione citationis, & de differentia in Curia, & extra.*
23 *Quare etiam extra Curiam ista nullitas non de facili convincatur, & de praxi producendi scripturas extra Curiam.*
24 *De citatione ad sententiam ad primam cum continuatione, quantum se extendat.*
25 *Quod in Curia non admittatur stylus Tribunalium secularium circa dictam continuationem.*
26 *De stylo Curia circa terminum pro servato, & in quo differat a dicto alio stylo.*
27 *De eodem, de quo n. 25.*
28 *Citatio ad sententiam non requiritur parte prasente, quod declaratur.*
29 *An substineatur citatio pro eadem die.*
30 *De pluribus casibus, in quibus citatio predicta non requiritur.*
31 *Quid in Congregatione Baronum.*
32 *Quando constet de negativa citationis.*

DISC. XXXIV.

FActis hinc inde probationibus, tam super iis, quæ con- 1
cernunt merita causæ; quam super discussione proba-
tionum, quæ per unam Partium factæ sint, quarum ex-
clusioni, vel reprobationi altera Pars incumbat cum te-
stium præsertim exceptionibus, vel repulsa, & super qua
Curiæ stylus est, non dandi terminum, vel remissoriam di-
stinctam, sed quod terminus; vel respective remissoria sit
utrique Parti comunis, ad probandum, ac ad reprobanan-
dum respective, ut ita quo magis fieri potest, litigantium
calumniis, ac inanibus dilationibus occurratur. *a*
Juxta juris communis ordinem judiciarium servandum 2
in causis ordinariis, (de quibus huc usque est sermo,) deve-
nitur ad publicationem, quæ prævia citatione alterius Par-
tis regulariter necessaria est, quando stylus illius necessita-
tem non tollat; Eaque ad instantiam ejus, cujus interest
processum compleri, atque causam expediri, fit cum de-
creto Judicis; Quamvis enim non sit de substantia judicii;
Attamen servari solet. *b*
Ea vero secuta, præclusa est via ulterioris probationis per 3
testes; nisi beneficium restitutionis in integrum, in perso-
nis, vel in causis privilegiatis id concedat; Atque in utrius-
que Siciliæ Regnis, per aliquas illorum leges particulares,
super ea provisum est, concedendo primum ac etiam secun-
dum beneficium, & super quibus non defuerunt scriptores,
qui particulares tractatus ediderunt; *c* Idque præsertim in
nostro citerioris Siciliæ Regno, magnas moras parere so- 4
let, atque calumniarum, & subterfugiorum esse fomentum;
Unde propterea, pro recordatione meæ adolescentiæ, in
qua aliquam illorum Tribunalium praxim gustare licuit,
continuæ videntur quæstiones, super hujusmodi primi, &
secundi beneficii concessionibus adeout frequentiores, ac
majores ibi audiantur quæstiones beneficiorum, quam in
Dataria Apostolica, quæ magnam partem beneficiorum ec-
clesiasticorum Orbis catholici providet; Atque praxis quan-
doque docet, quod aliqui exteri, qui illis judicaturis præ-
ponuntur, utpote in regione non versati, neque hujusmo-
di terminorum notitiam habentes, putare solent, quod eis
concessum sit, Datarii, vel Episcopi munus exercere, &
ecclesiastica beneficia concedere, istaque simplicitas, pro
loco, per illorum Practicorum ora, volitare solet.

5 Secuta vero publicatione, pariformiter cum decreto Judicis, prævia citatione Partis, devenitur ad conclusionem; Istoque intermedio tempore, fieri, seu parari solent illæ probationes, quæ resultant ex scripturis, quarum productio in hoc tempore conceditur, denegatur autem post conclusum in causa; Unde propterea pro diversis Tribunalium stylis, magnæ haberi solent quæstiones, quæ notabiles pariant moras, super eadem specie restitutionis in integrum, vel super aliqua justa causa, ob quam scripturæ recipi debeant, vel super modo receptionis. *d*

6 Istas autem formalitates (commendabiliter quidem,) Curia Romana rejecit, præsertim vero in Tribunalibus Rotæ, Cameræ, Auditoris Cameræ, Thesaurarii, & Vicarii, in quibus causæ Curiales proprie aguntur; Dum forus Capitolinus, qui aliquas antiquas juris civilis formalitates, vel superstitiones circa ordinem judiciarium adhuc retinet, dici non meretur Tribunal Curiæ Romanæ, idest Papæ, sed potius Tribunal particulare Romanæ Civitatis, ejusque civium, & incolarum, quorum etiam
7 respectu, & causas inferiores, vel inter populares, pro frequentiori praxi restrictum videtur, ut in *relatione Curia* in ejus rubrica advertitur. *e*

8 Siquidem, quoad probationem faciendam per testes, ut supra in ejus rubrica advertitur, *f* difficultas non consistit in hac formalitate publicationis verbalis, cujus praxis non habetur, sed in publicatione reali & de facto, quia nempe formiter didicita sint testificata, eaque ita discussa, ut in ea Parte, quæ post hujusmodi discussionem, ad novos testes inducendos recurrere satagat, probabilia urgeat suspicio subornationis, ex ibi deductis, & sic spectato effectu legis, non autem formalitates, vel solemnitates actorum.

9 Ita pariter, circa aliam speciem probationis per scripturas, quoniam eas quandocunque producere licet, quoties causa, seu instantia adhuc duret, quia nempe ad sententiæ diffinitivæ formalem publicationem, adhuc deventum non sit; Et sic pariter spectato effectu, non curatis hujusmodi formalitatibus, quoniam ubi scripturæ habeantur in promptu, atque exhibeantur, adeout Judex prompte de illarum relevantia recognoscere valeat, nunquam per actorum formalitates, quotiea causa sit adhuc integra, quod scilicet dici non valeat, quod Judex ejus officio jam functus esset, via veritati panditur.

Unde propterea, frequens, & quotidiana praxis docet, quod ubi causa jam instructa, & sufficienter discussa, Judex determinatus subscribat cedulam sententiæ, illamque tradat Notario publicandam; Adhuc tamen si casus præbeat, quod res sit integra, quia nempe Notarius; Vel ex mandato ejusdem Judicis; Vel ex alio accidenti, ad publicationis perfectionem non devenerit, adeout res integra dici valeat; Tunc præsertim in Tribunali Auditoris Cameræ, Judex adhuc apertas retinet aures, & oculos, ut audiat nova motiva, sive ut videatur relevantia scripturarum, quæ de novo exhibeantur, atque cognita relevantia, parvipendi, seu lacerari solet illa cedula jam subscripta, sed potius sententiari, vel decerni ad favorem alterius Partis.

10 Solumque iste status causæ jam instructæ, in nimia consideratione haberi solet, ac debet, in casu quo scripturæ non habeantur promptæ, sed petatur compulsoria specialis pro illarum extractione, quæ ad instar remissoriæ, secum trahit dilationem, quod scilicet ob suspicionem calumniæ, quæ præsumitur, quando in hoc causæ statu ita petitio fiat, quandoque id denegari solet, & quandoque concedi, pro Judicis arbitrio, juxta singulorum casuum circumstantias, ex quibus illud regulandum est; Præsertim ex qualitate fumi veritatis, & an accedat causa, quæ juste illam moram excuset, quia nempe essent jura, quorum notitia de novo vere supervenerit; Et in summa juxta illas regulas, & considerationes, quæ habentur superius insinuata in materia remissoriæ, cum isti termini parificentur, atque cum eisdem regulis metiantur. *g*

11 Prout etiam, in scripturis, & juribus, quæ absque necessitate compulsoriæ, hoc statu ita sero exhibeantur, caute, & circumspecte proceditur super illorum admissione, ita & taliter, quod per eam sequi non dicatur circumscriptio alicujus decreti, jam facti, sive citationis ad sententiam, cujus terminus pro servato habitus adhuc duret, juxta ea quæ infra in hoc eodem discursu, super ista circumscriptione habeantur, ut ita scilicet integrum sit Judici inspicere de relevantia hujusmodi scripturarum, eaque cognita, supersedere in expeditione causæ, atque partes denuo audire, sin minus, ad expeditionem devenire.

De ista vero praxi Curiæ moniti esse debent Episcopi, 12
& Vicarii generales, aliique Judices fori ecclesiastici, utpote procedere debentes cum praxi, & stylis eorum Curiæ Metropoliticæ, ad quam, in gradu appellationis, causæ devolvendæ sunt, non autem cum stylis Tribunalium secularium regionis, ita se involvendo in hujusmodi inutilibus formalitatibus, quæ pro frequentiori praxi non deserviunt, nisi pro calumniarum fomento.

Et quamvis eadem Curia, adhuc hujusmodi formalita- 13
tum, vel Judaismorum aliquas retineat reliquias, super necessitate scilicet in causis ordinariis, servationis terminorum substantialium, qui immutato verborum cortice, complicant easdem juris solemnitates libellandi, articulandi, publicandi & concludendi, &c. adeout sententia lata in judicio ordinario istis terminis non servatis, nulla reputetur. *h*

Attamen (spectato effectu,) id nullas præstat moras, 14
minusque producit illa præjudicia, quæ ex dictis formalitatibus resultare solent, dum per illam Apostolicam Constitutionem, quæ *Innocentiana* dicitur, principaliter edita pro tribunali Rotæ extensa quoque ad alterum Auditoris Cameræ, conceditur illorum sanatio in eadem citatione ad sententiam. Quoties tamen isti de facto servati sint, sed male, adeout fere unquam, vel nimium raro iste defectus obstet.

Cum duplici tamen declaratione, ista sanatio procedit; Primo nempe quod iidem termini jam servati sint, juxta formulas, quæ pro tyronum instructione, per Modernos Practicos registrantur, adeout sanatio suffragetur ad tollendos defectus, qui in eorum mala servatione adsint, ut ita tollatur occasio redarguendi sententias & processus de nullitate; Non autem ubi eorum substantia omnino deficiat, quia nempe nullatenus servati sint, cum sanatio præsupponat existentiam corporis, quamvis infirmi.

Et secundo, ut eadem sanatio eatenus intret, quatenus inter primam petitionem, quæ per monitorium, vel per commissionem facta sit (adeout causæ introductio secuta dici valeat) & istam ultimam citationem sanatoriam, tantum effluxerit spatii, ut termini servari potuerint; Ex ea clara ratione, quod fictio non datur ubi potest adesse veritas. *i*

Cumque illa Pars, cujus interest causam expediri, 15
concipere soleat citationem ad sententiam, in cujus termino illa proferri valeat; Hinc altera Pars, quæ pro consueto more Reorum, & possessorum, timendo condemnationem, subterfugiis, ac dilationibus studeat, confugere soleat ad quasdam cautelas, illam præsertim, quæ pro aliquorum Tribunalium stylis, parum commendabilibus, magnas moras nectere solet, atque calumniarum esse magnum fomentum, petendi scilicet ab altera Parte declarationem circa usum testium, & scripturarum, an habere velit pro bonis, & veris, ac legalibus ad effectum illa redarguendi de falso.

Captiosa etenim, atque calumniarum nutritiva, ut plurimum esse solet ista cautela; Vel quia scilicet aliquæ compositæ, & timoratæ conscientiæ personæ, ab aliorum casuum experientia, vel contingentia edoctæ quandoque potius causæ, suorumque jurium prosecutionem deserere eligunt, quam se exponere querelis criminalibus, ac molestiis calumniantium ex capite falsitatis, ob quas longas lites, & molestias pati oportet pro remissione causæ ad Judicem civilem, quodque iste inhibeat criminali, ut exitum causæ civilis expectet, ut in materia fori competentis advertitur, *l* Vel quia super modo faciendi hujusmodi declarationem, magis longarum disputationum apparatus assumi soleant; Tum super modo, cum quo facienda sit petitio hujusmodi declarationis, quod scilicet dicatur illam peti, eo quia intendat redarguere de falso scripturas, vel testes, aliave jura, super quibus declaratio petatur; Tum etiam super modo faciendi declarationem, an scilicet ea fieri debeat omnino pure, & præcise, vel fieri possit sub aliqua conditione, vel præservativa; Atque super hoc, non modica opinionum varietas dignoscitur, nimiumque scribentes se diffundunt. *m*

Prout etiam circa scripturas, super quibus hujusmodi declaratio facienda sit, necne; An scilicet teneatur quis eam facere super ejus propriis libris, vel memorialibus privatis ac domesticis, ad quotum confectionem, & exhibitionem ratione officii non teneatur; Et quo casu regula videtur negativa, pro facti qualitate, & circumstantiis tamen, pro Judicis arbitrio limitari solita, juxta varios Tribunalium stylos, quibus est deferendum.

Nimium autem raræ in Curia sunt hujusmodi disputa- 16
tio-

tiones; Tum ob Curialium integritatem, & præsertim in Rota, ac in aliis majoribus Tribunalibus, quod scilicet abhorreri solent pro regula (quæ tamen ab aliqua limitatione non est immunis,) ista calumniosa subterfugia; Tum etiam quia pro ejusdem Curiæ stylo, nimium exosum, ac opprobriosum est, in ore qualificatorum Curialium, ipsum nomen criminalitatis in genere.

Magis vero quia Rotæ præsertim stylus est, cum quo, juxta casuum circumstantias alia Tribunalia procedere solent, pro ejus arbitrio rejiciendi hujusmodi instantias, quoties non accedat magnus fumus suspicatæ falsitatis, quo cessante reputari solet calumniosa; *n* Itaque admissa, adhuc admittitur in respondente, vel in declarante facultas dicendi, se velle uti, donec de contrario doceatur, sive vehementes suspiciones indicentur *o*, atque ita hujusmodi litigantium cautela quodammodo ab aula recessisse videtur (Res quidem multum commendabilis.)

17 Nimium quoque commendabilis esset altera praxis, abolendi alterum usum, respondendi positionibus, quoniam ut advertitur supra in rubrica confessionis *p*, in qua de hujusmodi dispositionibus, ac responsionibus ad eas agitur, praxis docet, quod ad aliud non deservit usus positionum, nisi ad fomentum calumniarum, ac dilationum; cum inani temporis, & sumptuum jactura in disputationibus super illarum resecatione, tam circa numerum excussivum, in quo artificiose dari solent, quam circa impertinentiam, ac etiam super responsione, an & quando sit sufficiens, sive an debeat esse magis præcisa, & cum illis Practicorum formalitatibus, quæ revera, inutilis judaismi speciem sine aliquo proficuo effectu, saltim pro frequentiori praxi redolere videntur.

Tunc autem ista praxis admittenda videretur, quando ageretur de facto, quod de sui natura esset difficilis probationis; Puta de mutuo, vel de alia conventione fiduciaria, quæ sine interventu scripturæ, vel testium facta sit, unde propterea, pro facti qualitate, probabilis adesse videretur spes, quod ipse principalis, ab altera parte interrogatus, non esset negaturus; Atque tali casu, spectato principaliter fine, vel effectu, ob quem lex id introduxit, ista interrogatio, ac respective responsio sequi deberet coram Judice, per ipsosmet principales, sine assistentia Causidicorum, qui captiosas suggerant responsiones, & juxta speciem illius interrogationis, quæ prudenter (simulata persona) facta fuit in pleno Concilio imprudenti muliierculæ, quæ accusaverat S. Athanasium, cum similibus; Siquidem, ubi secutum sit mutuum, vel respective restitutio pecuniarum, vel aliarum rerum fiducialiter, atque (ut vulgo dicitur) *a quattr' occhi*, tunc si ipse, qui dedit, vel restituit, de facie ad faciem interroget alterum, quod cum juramento dicat, an receperit, necne, non de facili ille negare audebit; Dummodo (ut dictum est) non habeat assistentiam captiosi causidici, sine qua, ubi etiam præcedenter ab eo fuerit instructus, adhuc solent principales se involvere, quando ita veritas se haberet, juxta id, quod frequenter praxis docet in constitutis criminalibus, ad quorum instar quandoque, pro facti qualitate, ex qua prudens Judicis arbitrium regulari deberet, id in civilibus practicandum esset, abolendo in reliquis illas formalitates, quas praxis servat, cum aliud non importent nisi fomentum calumniarum, & occasionem perjuriorum, quæ (ut alibi advertitur) in quandam consuetudinem, ita abusæ videntur, ut etiam nimium scrupulosi, qui de non exacta observantia consiliorum, vel devotionum, nimium dolere solent, atque graviter in confessione sacramentali se inculpare; Hujusmodi tamen, ac similia negligunt perjuria, de quibus pro frequentiori moderno usu, neque inquirere solent Confessarii, qui forte ista graviora negligere videntur; Atque ex hac ratione resultare videtur Ritus M. C. V. ut liquidatio instrumenti jurati fieri deberet de facie ad faciem. *q*

18 Ultimus actus perficiens processum, seu ordinem judicii, priusquam Judex ejus officio fungatur, ipsumque judicium in ea instantia terminet cum sententia diffinitiva, consistit in citatione Partis ad ipsam sententiam audiendam, & proferendam; Est etenim ista citatio præcise necessaria; adeo ut ipsa deficiente, sententia corruat, istaque reputatur nullitas substantialis, utpote de majoribus ex causa citationis. *r*

19 Non sufficit autem citatio vaga, vel generalis ad informandum Judicem, sive ad videndum mandari expediri causam, quoniam debet esse præcisa ad sententiam, *f* Nisi tamen constet de contrario stylo, ob quem alter actus judicialis stet loco hujus citationis, eique æquipolleat; Ut (ex. gr.) habetur in aliquibus locis, vel diœcesibus Hispaniarum, quod conclusio in causa, quæ solemniter cum citatione Partis per Judicis decretum fieri solet, stet loco 20 hujus citationis; Unde propterea in causa jam conclusa, liberum Judici remanet sine alia citatione sententiam proferre. *s*

Cessante autem hoc stylo, quem in Italia non habemus 21 (saltim juxta praxim Curiæ,) hinc sequitur, ut in causis de partibus, quæ per appellationem ad eam devolutæ sint, frequenter de hoc defectu disputari soleat, ex duplici motivo; Vel scilicet illo circumductionis citationis prædictæ secutæ ex admissione jurium, quæ producta sint in ejus termino; Vel quia sententia lata non sit in termino, in quo citatio cadebat, sed post eum jam expiratum.

Quatenus itaque pertinet ad primam speciem circumdu- 22 ctionis; Regula est, quod illa resultet ex admissione jurium, quæ de novo producta sint; Quoties ea pure, & absque illa protestatione facta sit. *u*

Verum ista nullitas de facili convinci solet in processibus de partibus, nimium autem raro in causis, quæ aguntur in Curia, quoniam practici Judices, & Notarii hanc admissionem, quæ in hoc statu fiat, non faciunt simpliciter, sed cum clausulis præservativis, ita ut circumductio non sequatur; Prudenter tamen, & commendabiliter recipiuntur nova jura, ut Judex durante termino habito pro servato, inspicere valeat de eorum relevantia, quoniam si dignoscet ea irrelevantia esse, illa negligendo procedit ad publicationem sententiæ; Et e converso abstinet a prolatione sententiæ, ut supra advertitur.

Bene verum, quod etiam in causis de partibus, pro fre- 23 quentiori praxi, ista nullitas, quæ resultat a circumductione citationis, non de facili datur, quamvis in ejus termino nova jura producta sint in actis, quoniam non habetur praxis faciendi productiones, Parte citata ad dicendum contra, & videndum admitti &c. Sed sine alia citatione, vel Judicis admissione præsentantur; atque Notarius adnotat solum *præsentatam*, ex qua non resultat circumductio, cum ea pendeat a decreto admissionis factæ per Judicem, non autem a sola productione *x*; Ideoque ista species nullitatis rara est.

Frequenter autem, peneque quotidiana est altera, quod 24 sententia prolata sit extra terminum cadentis citationis, ut præsertim praxis frequentior docet in sententiis Tribunalium ecclesiasticorum existentium in Regno Neapolitano; Cum etenim stylus sit illorum Tribunalium sæcularium, concipiendi hujusmodi citationes ad sententiam ad primam diem juridicam, & deinde in antea cum continuatione &c. Itaque clausula *cum continuatione &c.* operetur quod terminus, pro frequentiori stylo, duret per alios decem dies, quamvis in aliquibus Curiis, & Tribunalibus soleat esse major; Idcirco Judices ecclesiastici, juxta superius insinuatum errorem, qui forte oriri solet a Notariis, vel a Causidicis, qui aliam nesciunt praxim, vel theoricam, quam illam propriæ regionis, eundem adhibent stylum; Unde propterea in Curia, pro mea praxi, infinitus numerus sententiarum, ita annullatus fuit, nullatenus curando supradictum declamatum stylum; Vel quia formiter, ac bene justificatus non esset, quod agere expediens reputare non consuevi, dum major temporis, 25 ac sumptuum jactura in hoc fieret, quam admissa nullitate, in causæ expeditione ex integro, ut infra in nullitatum rubrica advertitur. *y*

Iste siquidem stylus improbari consuevit, utpote contra juris dispositionem, ut sententia extra diem, vel terminum cadentis citationis proferatur, non attendendo dictam clausulam *cum continuatione &c.* eo quia videtur species citationis nimium vagæ, quæ afficere non debeat, quoniam obligari non debet citatus ad hanc servitutem, ut plurium dierum spatio teneatur singulis horis, & momentis esse in judicio, incertus quando sententia proferenda sit; Solumque id admittitur, quando Pars, ad cujus instantiam citatio concepta est, & quæ sententiam favorabilem obtinuit, accusaverit in termino cadentis citationis contumaciam citati; Tunc sustentabilis sit stylus, ut infra brevem terminum, unius, vel duorum, sive ad summum trium dierum, sententia valide proferri valeat, sed non ultra. *y 2.*

Cumque replicare consueverim de consimili stylo Curiæ 26 habendi terminum citationis pro servato, unde propterea duret per idem spatium decem dierum, in aliis Tribunalibus, & in illo Rotæ per quindecim; Quinimo in ultima Rota, in qua indicuntur vacationes generales æstivæ per longius, usque scilicet ad Congregationem generalem ex-

expeditionom cum quibusdam majoribus exorbitantiis, quæ iosinuantur *in relatione Curiæ*, agendo de Rotæ Auditorio. *z*

Negari tamen consuevit styli conformitas, qooniam licet io Curia naturaliter, & de facto, sententiæ pro frequentiori praxi, proferantur in decima die, atque bene io ultima hora labentir hujus termioi habiti pro servato; Attamen per quaodam retrotractionem, adjicitur illa prima dies juridica, in qua ciatio cadebat, adeout ea tune sententiatum dicatur eum tali rigore, quod ex illa die currat terminus decem dierum a jure datus ad appellandum, unde propterea contingit illa exorbitantia, quæ in præfata rubrica Auditorii Rotæ insiouata est, qood scilicet prius sequitur res judicata, quam sequatur sententia; E converso autem, juxta dictum alterum stylum, publicatio, seu lectura seotentiæ, non habet hane retrotractionem, sed adnotatur io ipsa die, in qua revera actus fiat, & consequenter eatra terminum ca dentis citatioois.

Quamvis autem, juxta condiciooem advocatorum, substinendi modo unam opinionem, & modo alteram, juxta caufarum diversas contingentias; Ego obtinuerim pluries, ac pluries hujusmodi nullitatis canonizationem, stantibus Rotæ decisionibos, quæ id explicite firmant, adeout quando e converso occasio dedit substinendi contrarium quod libentius, & cum majori sensu veritatis agebam utpote præfati styli conscius, noo de facili id substineri fuit concessum, ob auctoritatem decisionum Rotalium, qoæ contrarium firmantur supra.

27 Attameo iotellectus, hujusmodi resolutionibus nonqoam acquievit, cum spectato effectu, stylus videator uniformis illi, quem servat Curia ot supra; Neque desideranda videtur illius formalis justificatio (ut quandoque Rota respoodere coosuevit) *a*, cum ille videator nororius, atque de eo tanquam tali, & indubitato passim loquantur illius regionis DD. Et coosequenter videtur quidam irrationabilis rigor, qui judaismi speciem redoleat.

29 Neque considerabilis videtur dicta ratio differentiæ, utpote redolens quandam meram formalitatem, non autem effectum, vel substantiam veritatis, quæ revera est eadem; Quinimo magis exorbitans a jure videtur iste stylus Curiæ, quam ille, cum ista complicet quandam speciem simulationis, vel fictionis; Ideoque incongruum videtur, ut melior, magisque commeodabilis, ac juri conformis dici mereatur ille stylus, qui mendacium, atque fictionem continet quam ille, qui magis sincere procedit cum naturali veritate.

29 Non requiritur autem hæc citatio, ubi agatur de sententia prolata Parte præsente, cum tune habeatur finis, ob quem citatio concipienda est, dummodo tamen præsentia accedat in ipso actu prolationis; Secus autem si enuocietur præscoris in aliquo contradittorio, vel congressu, qui præcesserit, cum ille dicatur actus potius extrajudicialis, & præparatorius.

Non est opus autem, ut expectetur lapsus integræ diei, in qua terminos cadat, sed sufficit quod actus sequatur in hora consueta aodientiæ, atque aliquando sententia proferri valet ipsamet die, in qua citatio concepta, & executa est, quoties contra præsentem personaliter facta sit expresse ad hodie, in tali tamen hora, quod eongrue comparere potuit coram Judice ad ipsam seotentiam audiendam.

30 Plures item dari solent a DD. limitationes super hujus citationis cessante necessitate, quando scilicet agatur de notorio omnino certo, & indubitato; *c* Vel quando certum sit quod citato nulla competat defensio *d* (Quod tamen nimium rarum est, ut ad praxim reducatur); Sive ubi agatur de sententia supremi Principis, vel supremi Magistratus; *e* Aut ubi de sententia arbitramentali ob facultates, quæ per Partes arbitris datæ sint; *f* Sive ubi agatur de contumace, *g* cum similibus; Attamen hujusmodi limitationes, præsertim in Curia, forte nullam, vel oimium raram habent praxim, neque de facili certam recipiunt regulam, cum totum pendeat a Tribonalium stylis, vel a causarum qualitate, & circumstantiis; Solomque in Congregatione

31 Baronum (quatenus ad Curiæ praxim pertinet) iste defectus quandoque negligi consuevit; *h* Non agitur autem de Sac. Congregaoionibus Cardinalium, cum illæ non constituant formalia Tribunalia contentiosa cum ordine judicii, ut de illis agendo *in relatione Curiæ* advertitur.

Super negaoiva hujus citationis disputari quandoque solet, idque pendat ab integritate actorum, an scilicet adsiot, necne integre illa acta, ex quibus de affirmaoiva con-

32 stare debet, quoniam integritate non accedente convinci non potest negativa, quam excludit contraria possibilitas, dum in dubio præsumptio est pro validitate in exclusionem nullitatis. *i*

a *supra disc.* 31. *& seq.* b Farioac. *de test. q.* 75. Rovit. *pragm.* 11. *de ordin. judic. & prag.* 77. *de off. S. Conc.*
c *Imbrian. de primo & secundo beneficio*, Muscatel. *in prax. & alii Practici passim*. d *de conclusion.* Capyc. & adden. *dec.* 1. Rovit. *prag.* 13. *&* 14. *de ordin. judic. & prag.* 77. *de off. S. Consil.* Add. ad Vestr. *lib.* 7. *cap.* 1. Muscatell. *in prax.* Gregor. & add. *dec.* 140.
e *in relatione Curiæ disc.* 47. f *supra disc.* 31. *& seq.*
g *supra disc.* 28. *&* 31. h Mantich. *dec.* 254. *n.* 1. add. ad Buratt. *dec.* 337. *& supponitur apud allegatos pro infra.*
i *de his* Seraphio. *dec.* 515. *&* 1352. Burat. & add. *dec.* 126. *&* 483. add. ad Greg. *dec.* 156. Royas *dec.* 482. Cels. *dec.* 76. *& frequenter.* l *tit. de jurisd. disc.* 77. *&* 79. *supra disc.* 3. m *de ista materia declarationis circa usum* Farin. *q.* 159. Rovit. *pragm.* 1. *de fals. late* [add. ad *dec.* 1. *post primum, vol. cons.* Farioac.
n *dec.* 236. *n.* 17. *p.* 13. o *dec.* 783. *p.* 4. *divers. dec.* 364. *post* 2. *vol. consil.* Farin. Buratt. *dec.* 532. add. ad *d. dec.* 1. *post primum vol. cons.* Farinac.
p *supra disc.* 23. q *de hoc ritu, titul. de credito, disc.* 116. *& infra in disc. judicii executivi.*
r Vestr. & add. *lib.* 3. *cap.* 2. *& lib.* 7. *cap. ult.* Affl. *dec.* 283. *&* 346. Capyc. & add. *dec.* 1. de Marin. *res.* 45. *lib.* 1. *cum aliis, de quibus infra.*
s Greg. & add. *dec.* 209. Buratt. & add. *dec.* 18. *&* 619. *dec.* 288. *n.* 3. *p.* 11. *rec. & sæpissime.*
t Gregor. & add. *dec.* 140. u Gregor. & add. *dec.* 140. *&* 457. Burat. *dec.* 727. *& sæpius.*
x *Loco prax. supra, & dec.* 427. *p.* 9 *rec.* y *Infra disc.* 38.
y 2. Burat. *dec.* 727. *n.* 3. *dec.* 131. *n.* 2. *& seqq.* post Vivian. *de jure patr.* Carill. *dec.* 272. add. ad Greg. *dec.* 71. Bich. *dec.* 501. *in princ.* z *in relatione Curiæ, disc.* 32.
a Othob. *decis.* 176. *num.* 3. *Jamen. separationis tori* 24. *April.* 1654. *cor. Meltio, & in aliis.*
b Seraphio. *dec.* 1115. *in d. Jamen. separationis tori* 27. *Novemb.* 1652. *&* 24. *Aprilis* 1654. *cor. Meltio dec.* 233. *n.* 10. *p.* 7. *rec.* c Gabr. *de citat. concl.* 1. *n.* 5.
d add. ad Buratt. *dec.* 116. *dec.* 191. *n.* 5. *p.* 10. *rec.* Bich. *dec.* 589. *n.* 13. e Bich. *d. disc.* 580. f *supra disc.* 11.
g *supra disc.* 9. h *tit. de feud. disc.* 95. *& in relatione Curiæ disc.* 28. Bich. *d. dec.* 489.
i Martio. Andr. *dec.* 9. *&* 19. Cavaler. *dec.* 35. *&* 535. Buratt. & add. 264. Bich. *d. dec.* 589. add. ad Gregor. *dec.* 416. *& infra disc.* 37. *&* 38. *agendo de transportatione actorum, & de nullitate.*

De legibus, & auctoritatibus, cum quibus in ordinatoriis, vel decisoriis, judicaodum, vel procedendum est.

S U M M A R I U M.

1 *INstructa causa, super ejus determinatione assumuntur quæstiones.*
2 *Quod hodie legalis facultas, vel ars judicandi, & consulendi sit longe difficilior quam de tempore Romanæ Reipublicæ, & de ratione.*
3 *Recensentur omnes materiæ legales forenses, quæ hodie in jure habentur, & quæ antiquo juri civili ignota, vel respective cognita sint.*
4 *Quare hodie procedatur per inquisitionem in criminalibus.*
5 *Antiqui Jurisconsulti hodie in foro practico essent imperiti.*
6 *De difficultate resultante ex contrarietate Doctorum antiquorum Jurisconsultorum, & de differentia inter tempora antiqua, & moderna.*
7 *Damnatur usus consiliorum.*
8 *De eodem de quo n.* 2.
9 *Quod hodie requiratur majus tempus in studio theorica.*
10 *Quare in Curia Romana munus judicis, vel Advocati sit difficilius quam alibi.*
11 *Quale jus in judicando tenendum sit.*
12 *Distinguuntur plures species legum, seu Juris.*
23 *De distinctione juris divini ejusque diversis speciebus.*
14 *De jure naturali, & de illo gentium.*
15 *De jure Civili communi.*
16 *De jure Canonico communi quale sit.*
17 *De decreto* Gratiani *an contineat jus Canonicum.*
18 *De jure feudali communi.*

19 *De*

19 *De jure peculiari, vel particulari, ejusque diversis speciebus.*

20 *Quod leges totius Principatoc, vel ditionis diti non debeant municipales, sed potius jus commune, & quomodo observentur leges civilus Romanorum.*

21 *Et quid in foro Ecclesiastico.*

22 *De distinctione Civitatum subditarum, & non subditarum quoad earum statoca, & leges.*

23 *De eodem, & de aliqnibus Civitatibus subditis qua fecerint leges in statu libertatis.*

24 *De duplici jure Canonico, communi, & particulari, & de pluribus ejus speciebus, & de illo jure Canonico quod habeatur tanquam jus temporale status Ecclesiastisi.*

25 *De jure consoctudinario.*

26 *Jus divinum ante omnia est attendendum, neque illi lex positiva derogat, sed bene Papa, vel jus Canonicum illud declarant. Dantur exempla.*

27 *Quando legi laicali tribuatur statuere super iis qua pendent a jure divino.*

28 *Qualem declarationem, vel legem judex in hoc sequi debeat.*

29 *Unde proveniant abusus, & inconvenientia.*

30 *De jure divino veteris Testamenti.*

31 *De jure natura, vel gentium, quod explicatur quale sit, & an eis derogetur, & de diversis speciebus juris gentium.*

32 *De jure positivo ejusqoc distinctione inter Canonicum, & civile, sive prophanum & temporale.*

33 *In quibus causis semper in omni fore, & inter quascunque causas servari debeat jus Canonicum, seu Ecclesiasticum.*

34 *In materia prascriptionis servandum est jus Canonicum in omni foro.*

35 *Juramentum etiam in causis prophanis operatur, ut attendi debeas jus Canonicum etiam in foro laicali.*

36 *Idem in causis prophanis, qua pendeant ab articulo Ecclesiastico, puta usurarum vel matrimonii, & quando in his judex laicus se ingerat.*

37 *In foro laicali cum laicis in causis indifferentibus est servandum jus civile, seu laicale.*

38 *Recensentur casus, in quibus Clericus litigat in foro laicali.*

39 *Quale jus isto casu debeat servari, dantur distinctiones.*

40 *In causis feudi procedendum est cum legibus laicalibus feudi, & in foro laitali etiam cum personis Ecclesiasticis.*

41 *In foro Ecclesiastico regulariter procedi debet cum jure Canonico.*

42 *Quando etiam in hoc fore, & cum personis Ecclesiasticis procedi debeat cum jure civili.*

43 *De eodem super actibus gestis in statu laicali.*

44 *Statutum alicujus Universitatis subalterna est primo loco attendendum, & quando.*

45 *Statutum loci particularis pravaloc statuto Civitatis dominantis,*

46 *De eodem de quo supra, n. 20. oc jus Principatus dicatur ibi commune.*

47 *Deficientibus juribus particularibus, attenditur joc commune civile in foro saculari, & in ejus defectum jus Canonicum.*

48 *His omnibus deficientibus recurrendum est ad joc Provinciarum, vel Civitatum adjacentium.*

49 *De jure Canonico, seu Ecclesiastice, tam particulari, quam communi, & de ordine inter ipsa.*

50 *Deficiente Canonico, an debeat recurri ad jus civile, vel potius ad traditiones Sanctorum Patrum.*

51 *De Judais, qui vivunt inter Christianos prasertim in Italia.*

52 *Quale jus cum Judais, vel inter eos debeat servari.*

53 *Ubi statutum locale disponat, quod in ejus defectum attendatur jus commune, quale sit istud jus, an commune omnibus, vel illud Principatus, vel Civitatis dominantis.*

54 *Consoctudines loci subditi etiam contra jus attenduntur, quare, & quando.*

55 *Quid de jure scripto, particulari, & prasertim de Constitutionibus synodalibus.*

56 *De non usu Concilii Tridentini in aliquibus locis.*

57 *Leges laicales, qua requisita desiderant, oc obligent.*

58 *Quid de legibus Papalibus, an in eis detur de non usu.*

59 *An leges de novo addita in Codicibus modernis, habeant vim legum.*

60 *Quid de legiboc qua sint universales in toto Principatu, & quid requiratur, ut valeant, & sint obligatoria.*

61 *Civitates subdita non possunt ordinare statuta prasertim contra jus sine licentia, vel approbatione Principis, & de duplici specie confirmationis.*

62 *De effectu, vel operatione in forma specifica, vel in forma communi.*

63 *Quomodo cognoscatur, an sit in forma specifica, vel communi, & quid in confirmatione prasumpta.*

64 *De statutis Capitulorum, & Collegiorum.*

65 *Jus dubium magnam recipit interpretationem ab observantia, cum declarationibus.*

66 *De differentia inter jus commune, & statutarium; seu municipale, quodque istud stricte, & rigorose intelligi debeat, prohibita extensione, quod declaratur.*

67 *Ubi jus commune, vel particulare sit dubium, recurrendum est ad interpretationes DD. vel ad decisiones Tribunalium.*

68 *Quod hodie cum interprecationibus, vel opinionibus DD. vel cum decisionibus Tribunalium procedatur, & de ratione.*

69 *Quare usus textuum hodie non habeatur ut antiquitus in judicando, & consulendo.*

70 *Quod primo loco attendi debeat stylus judicandi Tribunalis, in quo causa pendeat.*

71 *Qualis proprie dicatur styloc Tribunalis, dantur aliqua exempla.*

72 *De differentia inter stylum in decisoriis, & in ordinatoriis.*

73 *Quod deficiente stylo, primum locum occupent decisiones Tribunalium cum distinctione.*

74 *De aliis decisionibus, & de differentia inter diversas species decisionum.*

75 *Quod in hoc adaptentur termini fidei, qua testibus prabenda est.*

76 *De aliis auctoritatibus DD. eorumque gradibus, & de modo eas attendendi.*

77 *Quid principaliter in doctrinis, ac decisioniboc attendi debeat.*

78 *An sit potius deferendum auctoritatibus, quam rationibus, vel e contra.*

79 *Quare hodie non intrent labores, qui habebantur apud antiquiores super cumulo auctoritatum, & allegationum.*

80 *Quale judicium desuper dari valeat, quomodo Judex se gerere debeat.*

81 *Quales partes concurrere debeant in judicibus, & quibus assimilentur.*

82 *De quastione an lex sit effectus voluntatis, vel effectus rationis, & ad quid deserviat.*

83 *De propositione, quod doctrina punctualis attendi debet pro casu legis.*

84 *De aliis regulis tenendis in auctoritatibus Doctorum;*

85 *Quare necessaria sit scientia theorica, seu scholastica, & n. 90.*

86 *Sunt distingoendi etiam casus, eorumque diverse circumstantia.*

87 *De legibus novis, quando trahantur ad praterita.*

88 *De stylis, eorumque diversitate, & quid attendi debeat per delegatum, vel per executorem.*

89 *De legibus & statutis laicalibus cum Clericis, & exemptis.*

90 *De eodem, de quo n. 85.*

91 *De aliis ad materiam.*

D I S C. XXXV.

Absoluto processu, & juxta ordinem superius recensitum, adeout causa instructa sit, atque posita sub Judice in limine expeditionis, In hoc statu cadunt quæstiones juris super modo illam determinandi, utraque Partium contendente, ut sibi potius juris dispositio assistat, tam super negotii principalis determinatione, quam circa intentatæ actionis, vel judicii competentiam, sive processus bene, vel male servatum ordinem; Cum etenim Reorum sit fugere, eorumque victoria consistat in non jure Actoris, Sive illud ratione justitiæ, sive ratione ordinis, vel incompetentiæ actionis proveniat, unde propterea quando absolutoriam reportare non valeant in meritis super 1

suarum

sitatum exceptionum canonizatione, illam reportare studeant ab illius judicii observatione, sive quod illius processus ædificium corruat, atque cogatur Actor ex integro alium inchoare; *a* Hinc propterea, tam in decisoriis, quam in ordinatoriis, ista juris inspectio cadit.

Nostris autem temporibus, longe majoris Judicum, ac defensorum labores, & difficultates desuper dignoscuntur,
2 ideoque longe major doctrina, & peritia necessaria est, quam in adeo celebratis antiquæ Romanæ Reipublicæ, vel Imperii, Jurisconsultis & Senatoribus dignosceretur, quoniam tunc in universo Imperio, quod totum fere Orbem complectebatur, tanquam in unica ditione; unoque Imperio, unica lex habebatur ab eodem legislatore edita, ideoque non habebatur magna legum, ac Principum diversitas, qualis hodie habetur.

Ac etiam, quia major pars juridicarum quæstionum forensium, quas hodie habemus, ex ejusdem Imperii scissura, totque nationum, & dominiorum diversitate, illis ignota erat, adeout ad pauca eorum eruditio restringi videretur, laicalem forum, prophanasque, vel temporales materias tantum concernentia; Hodie vero, ultra adeo notabilem generalem diversitatem inter jus canonicum, & civile, sive inter forum ecclesiasticum, & temporalem, ipsasque materias spirituales, & prophanas; Adhuc in singulis causarum generibus, vel materiis, magna legum, vel quæstionum diversitas dignoscitur, atque major pars illarum materiarum, quæ hodie habemus, antiquis Romanis ignota erat, ut legum civilium tenor comprobat.

Retentio siquidem hujus Theatri ordine, ignota erat illa feudali materia, de qua *in primo libro* agitur, dum, sive a Longobardis, sive a Normandis, sive a Germanis feudorum usus derivaverit, hoc unum est, quod, ut earundem legum civilium tenor ostendit, hæc materia tunc ignota erat. *b*

Quamvis item aliqua modica pars illorum jurium regalium, de quibus *in secundo libro* agitur, eidem juri innotesceret, adhuc tamen major pars ignota erat, dum pleraque bona & jura, quæ tunc nullius erant, adeout primo occupantis fierent, sive etiam juris privati, nunc Principis, vel Reipublicæ effecta sunt, atque tractari solent sub Regalium termino, seu vocabulo, quod eisdem legibus est ignotum. *c*

Aliquam modicam partem eorum, quæ *in tertio* Jurisdictionis, ac præeminentiarum *libro* continentur, antiquiores agnoverunt, circa scilicet majorem, vel minorem competentiam Judicum, & Magistratuum ejusdem fori laicalis; Vel circa aliquas jurisdictiones, vel præeminentias Civitatum. Ignota vero erat major, ac notabilior pars jurisdictionalium quæstionum inter utrumque forum, ecclesiasticum, & laicalem; Ac etiam in quolibet eorum genere, inter plures Principes; sive inter diversos hierarchicos ordines ecclesiasticos *d*; Ut etiam in præeminentiarum materia dignoscitur, *e* dum aliquod parvum lumen earum, quæ ad ecclesiasticas dignitates, seu præeminentias pertinent, aliquæ novissimæ Græcorum leges, post Imperii translationem præbent.

Servitutum, & emphyteusis, ac locationis & conductionis materiæ, quæ *in quarto libro* continentur, Romanis notæ quidem erant; Adhuc tamen materia retractuum, quam hodie ex municipalibus legibus habemus, pene ignota erat. *f*

Latius vero tunc patebat, atque frequentius forum occupabat illa, quæ hodie nimium rara, peneque nobis ignota est materia servitutum personalium, quæ secum trahebat quæstiones peculiorum, ac manumissionum, nec non status, vel jurispatronatus prophani; sive quæstiones *L. Aquiliæ* & similes, quæ nobis in foro pene ignotæ sunt, adeout scholasticorum pabulum remanere videantur; Id autem provenit ex probatione, quam lex christiana induxit, ut christianus christianum servum non faciat, unde propterea adeo frequentium *postliminii*, *ac legis Corneliæ* quæstionum, hodie quasdam modicas reliquias, sive raram imaginem in foro habemus. *g*

Omnino autem ignotæ erant, usurarum, & cambiorum, ac censuum materiæ, quæ *in quinto libro* continentur; *h* illi siquidem census, de quibus leges civiles agunt, diversam habent speciem eorum, quos reservativos dicimus; Illa vero hodie frequentior species eorum, quos dicimus consignativos, ignota erat; Quinimo antiquis etiam canonibus ignota, cum ab aliarum regionum, Germaniæ præsertim, & Hispaniæ usu, iste contractus derivaverit, non ante Martini quinti tempora, inter Apostolicas Constitutiones, vel alias leges notus. *i*

Idemque in cambiis literariis secutum esse, ob Romani Imperii scissuram, totque dominiorum inductam diversitatem, magis communis scribentium schola docet. *l* Et quamvis de usuris leges civiles agant, eas tamen lex canonica, pro divinæ legis observantia, in utroque foro apud catholicos damnavit, ac abolevit, unde propterea longe diversa est earum hodierna tractatio, quam antiqua.

Societates vero officiorum, de quibus *in eodem libro* agitur, nedum antiquis, sed etiam modernis ignotæ sunt, extra Curiam Romanam, cujus peculiaris & singularis iste contractus videtur. *m*

Dotalis materia, quæ *in sexto libro* continetur, multum quidem apud antiquos tractata est; Adhuc tamen super lucris dotalibus nimium apud modernos alterata, cum illæ donationes propter nuptias, de quibus antiquæ leges agunt, rem diversam ab his lucris contineant, unde propterea eas ab aula recessisse, communis est traditio, ut e converso, de consequenti probabilius est, quod ab aula recesserit antiqua prohibitio, ne dotium fidejussores dentur, multæque aliæ dignoscuntur differentiæ. *n*

Donationes quoque ac etiam emptiones, & venditiones, aliæque alienationes, vel prohibiti contractus, de quibus *in septimo libro* agitur, quamvis antiquis innotescerent, nimiumque frequenter apud eos agerentur; Adhuc tamen hodie circa hujusmodi materias quamplura habentur eis ignota, sive notabiliter alterata, Ut (ex. gr.) sunt donationes contemplatione matrimonii, de quibus in ea forma, quam hodie in usu habemus, leges civiles non agunt; Ac etiam sunt illæ ab eis prohibitæ donationes, aliique contractus inter conjuges, vel inter patrem & filium respective probibiti, ratione juramenti ex canonica lege revalidati, sive sint alienationes bonorum Ecclesiæ, ac etiam illæ alienationes, quæ in alienationibus, & contractibus minorum, & mulierum super quibusdam majoribus solemnitatibus per adeo frequentes præsertim Italiæ legem municipales introductæ sunt, adeout notabiles dignoscantur differentiæ. *o*

Ut etiam dignosci videntur in debiti, & decreti, & currentis commercii quæstionibus, de quibus *in octavo libro* agitur, vel circa assecurationes, vel circa literas cambii, aliaque multa in eodem libro contenta, quæ a moderno usu, atque a legibus municipalibus potius irrepsisse constat, eisdem antiquis legibus ignota. *p*

Testamentorum ac hæreditatum, nec non legitimæ & trebellianicæ, aliarumque detractionum materiæ, quæ *in nono libro* continentur, antiquis quidem, cum majori rigore longeque majori scrupulositate innotescebant, unde propterea majores oriebantur quæstiones ob eas formalitates, quas ipsæmet leges civiles Græcorum in parte temperarunt, circa hæredis institutionem, in parte vero auxerunt, circa privilegia legitimæ, ac circa testamentorum solemnitates; Adhuc tamen notabiliter diversus est hodiernus usus, præsertim in materia testamentaria, dum antiquis ignota erat, apud modernos frequentior illa testandi forma mixta, quæ de utraque, solemnis, & nuncupativi specie resultat, quam sub nuncupationis implicitæ vocabulo explicamus; Proot etiam in prophanis, ac non privilegiatis ultimis voluntatibus, quæ ab eisdem legibus civilibus normam recipiunt, ignotus forte antiquis erat modernus, adeo frequens, ac pene generalis usus redigendi testamenta, aliasque ultimas voluntates ab initio, in ipsomet actu testandi, eodemque testatore vivente, ad formam publicam, unde propterea pene abolitæ sunt illæ scrupulosæ solemnitates, quæ in recognitione & in apertura, vel respective in publicatione requirebantur, ut etiam hodie requirerentur, quando in antiqua forma privata id sequeretur.

Ignotaque erat etiam ea testandi forma, quam in terris Ecclesiæ etiam in prophanis coram Parocho & duobus testibus, ex juris canonici dispositione habemus; Ac aliæ vuæ species, quæ nullius juris positivi subjacent solemnitatibus, sed sola probatione naturali contentæ sunt; ut contingit in ultimis voluntatibus ad pias causas, ac in illis, quæ ex Principum indultis, præsertim vero Summi Pontificis ita fiant; Quamvis istæ duæ species normam accepisse videantur ab ipsarum legum dispositione in testamentis, quæ inter liberos fiant; Neque desunt regiones, in quibus ex particularibus legibus scriptis, vel non scriptis, longe diversam formam testamenta habeant. *q*

Prout etiam legitimæ privilegium super plenaria libertate, ac exemptione ab omni onere, moderna DD. cautela pene abolevit; Quinimo in plerisque partibus leges municipales illius substantiam destruxerunt, atque recepta modernorum traditio illas detractionum prohibitiones recepit, quas antiquæ leges damnant, præsertim circa detractionem trebellianicæ, quæ filiis primi gradus competat. *r*

Illa-

Illaque libertas, quæ beneficiato hæredi per novissimas leges civiles conceditur, tute ac impune solvendi creditoribus, vel legatariis primo venientibus, per modernorum judiciosam, ac rationabilem praxim, nimium restricta est; Aliæque plures circa hæreditates, vel hæredes introductæ sunt alterationes antiquis ignotæ.

Fideicommissa, de quibus *in decimo libro* agitur, apud antiquos quidem frequentius ac forte magis, quam apud modernos in usu erant; Adhoc tamen notabilem receperunt alterationem circa multas quæstiones excitatas per ipsarum legum Interpretes post earum inventionem, sive restitutionem ab illis tenebris, sub quibus sex sæculorum spatio & ultra steterunt; Tum etiam ab majoratuum & primogeniorum introductiones hodie adeo frequentes, quorum usum apud antiquos non fuisse, ipsarum legum tenor ostendit. Adeout hodierna fideicommissaria materia longe magis pateat, multisque scateat novis terminis & quæstionibus, quæ in antiquis legibus non habentur. *t*

In legatis, de quibus *in undecimo libro* agitur; Ubi de prophanis agatur, modica dignosci videtur differentia inter antiquos, & modernos, dum cum ipsarum legum civilium regulis proceditur; Adhuc tamen aliquæ habentur diversitates, seu alterationes; Vel circa moderationem antiqui rigoris *Liboniani Senatus consulti*; Vel circa falcidiæ prohibitionem, quæ resultet a clausulis saluratibus, ex quibus legata, eam recipiunt firmitatem, quam ex dictarum legum rigore non haberent; Generaliter vero in iis, quæ ad pias causas facta sint, eadem inolevit diversitas, vel alteratio, quæ in testamentis insinuata est, super exemptione a quibusvis juris positivi solemnitatibus. *u*

Et quamvis etiam hodie in materia intestatæ successionis, de qua eodem *undecimo libro* agitur cum ipsarum legum civilium dispositione & ordine, in ipsomet foro ecclesiastico procedatur, dum lex canonica nil desuper innovasse videtur, Adhuc tamen, & quidem magna dignoscitur differentia, seu alteratio, quæ a statutariis, vel particularibus legibus derivat; Ac etiam aliqua ab ipso jure canonico moderante illas secundo nubentium pœnas, quæ non concernant favorem liberorum primi matrimonii. *x*

Pene autem ignotam esse antiquis materiam renunciationum *in eodem libro undecimo* contentam, juxta illum usum, quem moderni habent, ipsarum legum tenor probare videtur; Quinimo & ipsam ignotam esse ipsis primis ac antiquioribus Interpretibus post inventionem, quibus, comparatione antiquorum Jurisconsultorum Romanæ Reipublicæ, modernorum vocabulum congruere solet. *y*

Item plerique legum civilium rigores, qui prius vigebant, circa conventiones, & pacta, quæ viventium hæreditates, & successiones concernunt; Sive ratione juramenti; Sive ex illa consuetudinis; Aut ex non scripta rationabili æquitate, magnam pariter alterationem receperunt. *z*

Omnino autem ignotæ antiquis erant quamplures, atque in Romana præsertim Curia, adeo frequentes ecclesiasticæ, vel spirituales quæstiones Ecclesiasticorum beneficiorum, & canonicatuum, ac parochialium, nec non electionis, & ecclesiastici jurispatronatus, & ecclesiasticarum pensionum, ac decimarum; Ac etiam sæcularium & regularium Clericorum, nec non Episcoporum, aliorumque Prælatorum, vel censurarum, ac sacramentorum aliorumque divinorum, de quibus *in duodecimo, decimotertio, & decimoquarto libro* agitur. *a*

Et quamvis nuptialis, seu matrimonialis materia, in eodem *decimo quarto libro* peracta, antiquis nota sit, atque in civilibus legibus rettacta habeatur; Attamen longe diversus est hujus materiæ præsens status ab antiquo; Tum ratione formæ nuper inductæ a Concilio Tridentino; Tum etiam ratione libertatis, quæ per sacros Canones demandata est; Clarius vero per idem Concilium, abolendo illas districtiones, quas a consensu parentum, & ab aliis in jure civili dispositis, illud patiebatur, cum plerisque diversis dispositionibus, unde propterea in eo dignoscitur omnimoda diversitas. *b*

Eademque, ac major differentia dignoscitur inter illud juspatronatus libertorum, vel sepulchrorum, de quo leges civiles agunt, ab illo patronatu ecclesiastico, de quo hodie in foro agi contingit; Ut etiam in decimis, ac aliis hujusmodi, in quibus vocabula, utramque speciem, prophanam scilicet, & ecclesiasticam complectuntur. *c*

4 Judiciorum demum pariter, nimium diversus est status, Siquidem in criminalibus jus civile distinguit publica a privatis, ad denotandum in quibusnam cuilibet accusandi libertas daretur, & in quibus id nonnisi in iis, qui injuriam passi sunt id competeret, raros dando casus inquisitionis ex officio; Hodie vero, quamvis neque regula generalis quibuscunque locis, & casibus applicabilis desuper statui valeat, ob tot principatuum, vel tribunalium diversos stylos, & leges; Pro frequentiori tamen praxi, pene ubique recepta, quasi in omnibus, inquisitio intrat, atque ex officio proceditur; Ex ea differentiæ ratione, quod apud Romanos cum prudentissimis politicis regulis usus inolevit, ut sine aliquo dedecore, etiam extraneis, qui nullum interesse haberent, vel injuriam passi essent, pro Reipublicæ quiete, & tranquillitate, licitum esset, accusatoris, vel instigatoris partes assumere, quinimo ad meritum, & laudem id potius referebatur, juxta ea, quæ de Censorii Catonibus & de aliis aelantibus patritiis, vel civibus apud antiquos chronistas habentur; Hodie vero in ipsismet offensis, vel injuriam passis, nedum nobilibus, sed etiam mediocris civilitatis, indecorum, ac verecundum reputatur in judicio accusare, quasi quod cum privata vindicta injuriam propulsare congruat, ideoque ad inquisitionem ex officio procedendum est; Prout etiam jure civili attento, publicatio bonorum, nonnisi pro utriusque divinæ & humanæ majestatis læsione intrabat, juxta diversorum principatuum stylos, quinimo juxta ejusdem principatus diversas provincias diversissima est praxis.

5 Hic proinde si resurgerent illi peritissimi practici antiquæ Curiæ Romanæ, vel antiqui Capitolii, nunc prorsus idiotæ censendi venirent, dum non solum inter diversos principatus, vel ejusdem diversas provincias, sed inter ejusdem Civitatis, vel loci Judices, & Tribunalia, longe diversa est praxis, nedum ubi fori diversitas accedat, quæ id rationabiliter causat, ut contingit inter forum ecclesiasticum, & laicalem, sed etiam inter plura Tribunalia ejusdem fori; Ut præsertim in Urbe praxis docet, quod diversissima est praxis fori Capitolini ab illa aliorum Tribunalium; Quinimo, & inter eadem dum in plerisque diversi sunt styli Rotæ ab illis Cameræ, vel Auditoris Cameræ, & Vicarii, & sic pariter inter alia.

6 Major item difficultas apud modernos, oritur ob adeo magnum cumulum scriptorum, ex quibus de consequenti, tam magna irrepsit opinionum diversitas, quæ inter Tribunalia quoque dignoscitur, etiam ejusdem principatus, vel Civitatis; Multo magis ubi diversitas principatus quoque accedat.

Ob istud autem inconveniens, quantum ex chronicis, vel ex libris, qui fortunam habuerunt exemptionis a sepultura oblivionis, atque apud nos remanserunt; Habebatur quidem magna copia voluminum continentium responsa prudentum ac Principum Constitutiones usque ad bis mille volumina, & ultra ea quibus corpus civile Pandectarum, & Codicis desumptum est, cum magna contrarietate, vel superfluitate, & inter ipsamet responsa, quæ in plerisque etiam deficiebant, unde propterea, juxta dictum Poetæ Hetrusci, Justinianus superflua sustulit, atque vana implevit; Attamen hujusmodi voluminibus, exæquanda videntur nostra volumina decisionum Tribunalium, ut præsertim docet praxis Principatus Magni Ducis Hetruriæ, quod per officiales ad id particulariter deputatos, tanquam per speciem arebivil conservantur illorum Tribunalium, seu Rotarum decisiones, quæ ibi motiva appellantur; Ut etiam in Curia (ex privatis tamen diligentiis professorum) in Rotæ decisionibus praxis docet; Verum non habebatur tam magna copia Interpretum, & Glossatorum, seu Repetentium, vel tractatus, & quæstiones ex privato labore peragentium.

7 Et quod pejus, ac intolerabilius est, tam magna copia consiliorum, quibus indebite responsorum nomen, seu terminus adhibetur, cum sint orationes, vel informationes venales ad pecuniam, vel ad opportunitatem editæ; Non quidem ad veritatem eruendam, seu elucidandam cum recta intentione respondendi in ea controversia prout de jure, sed potius cum fallacibus, & apparentibus argumentis, & captiosa consarcinatione conclusionum, ad ipsam veritatem velandam, & offuscandam; Ideoque certum est, quod longe difficilior dicenda est legalis forensis facultas de præsenti, quam temporibus antiqui Romani imperii, quando solam legum civilium peritiam habere sufficiebat, 8 ut pene ubique terrarum tanquam in unico principatu, qui cum eisdem legibus, ac stylis viveret, quis sapiens, ac peritus esset; Hodie vero tanta est diversitas, quod non solum peritissimi ac primarii professores unius Civitatis, vel principatus, quodammodo irrisione digni sunt,

sunt, apud professores alterius; Sed quod magis est, in una, eademque Civitate, illi professores, qui in aliquibus Tribunalibus versantur, peritissimi quidem sunt in illis materiis, quæ in iis Tribunalibus aguntur, prorsus autem inexperti in aliis.

9 Atque hinc sequitur, quod si Justinianus, attento eo tempore, in quo una lex civilis tantum habebatur in universo Orbe uniformis, atque per ipsum ad illum ordinem, ac aliqua brevia volumina redacta, congruum & necessarium reputavit quinquennale scholasticum studium, priusquam judicandi, vel respondendi de jure, munus assumatur; Quid igitur dicendum erit hodie, quod, nedum legum civilium, sed Canonum, Conciliorum, Apostolicarum Constitutionum, legum feudalium, & tot legum municipalium, ac etiam aliquam dogmaticæ, & moralis theologiæ peritiam habere oportet? Omniumque istorum jurium peritia non sufficit, nisi major ac difficilior interpretum & scriptorum peritia habeatur, ut veræ magisque receptæ opiniones a minus veris, minusque communibus, sive limitatione a regulis distingui valeant; Et tamen non unus quidem annus in scholastico, & theorico studio adhiberi solet.

10 Magis autem, quam alibi, in Romana Curia, in Judicibus & defensoribus, seu de jure respondentibus, ista magna difficultas dignoscitur; dum ob utriusque, Pontificii, & temporalis principatus unionem in uno Principe; Et consequenter, ob utriusque fori competentiam, ac unionem in uno Tribunali, in omnibus præmissis, ac aliis adeo inter se diversis materiis, ad utrumque forum respective pertinentibus, & quæ cum adeo diversis legibus; Civilibus; Canonicis; Theologicis; Feudalibus; Et municipalibus regulandæ sunt; Adeout frequenter, in una, eademque hora, de jure respondere oporteat super omnibus adeo diversis juribus, vel materiis, dum alibi (ut præmissum est), ad eas tantum materias, Judicum, & Advocatorum peritia restringitur, quas agunt illa Tribunalia, in quibus, tanquam Judices, vel tanquam Advocati versentur.

Præsupposita itaque ista peritia in ipsis Judicibus, vel in eorum Assessoribus & Consiliariis; Ac etiam, stante tam magna legum, & opinionum diversitate; Quatenus ad rem nostram pertinet, cum quibus scilicet legibus, vel stylis, in causarum decisionibus, vel ordinationibus procedendum sit.

11 Reflectendum in primis est ad ipsarum legum diversitatem ac naturam, seu qualitatem causarum, ut in singulis, cum illis respective legibus diversis procedi debeat, quas subjecta materia patiatur; Dum in aliquibus causis cum jure civili; In aliis cum canonico; In aliis cum feudali; In aliis cum municipali, vel consuetudinario jure est judicandum. Et in aliquibus, cum regulis theologicis.

12 Quare pro ista congrua applicatione, distinguendo diversas legum seu juris species; Aliud (juxta nostrorum majorum divisiones), est jus Divinum. Aliud naturale. Aliud gentium. Aliud civile commune. Aliud canonicum commune. Aliud civile particulare, seu municipale. Et aliud canonicum particulare.

13 Divinum subdistinguitur, in illud veteris & novi Testamenti. Atque istud posterius subdistinguitur, in expressum, ac directum, quod in Evangelio habetur, sive illud quod Ecclesia tanquam tale recipit ex traditionibus Apostolorum, qui ab ore Christi audierint. Et illud divinum, quod magis remote proveniat ab Ecclesiæ, ac Sanctorum Patrum magis receptis propositionibus, in quibus theologia præsertim dogmatica consistit, & quæ distinguit catholicos, qui has propositiones amplectuntur, ab hæreticis, & schismaticis, qui eas respuunt, seu amplecti nolunt.

Primum vero veteris Testamenti, quod continetur in Sacra Biblia, quæ per Ecclesiam catholicam probata, & authenticata sit, & non alias, pariter subdistinguitur in tres species, quoniam. Aliud est criminale, seu misticum. Aliud judiciale. Et aliud morale.

14 Naturale vero jus, subdistinguitur in primævum & secundarium; Ut primævum sit illud, quod a solo naturæ instinctu proveniens, tam hominibus, quam brutis, & animalibus commune sit; Secundarium vero illud, quod omnibus hominibus, pro sola humana conditione, absque regionum, vel nationum, ac morum diversitate, est omnibus commune, & uniforme. Illudque ab aliis, jus gentium primævum appellatur. Aliud vero jus gentium, quod secundarium dicitur, est illud, quod non proveniat a scripto jure civili Romanorum, & ex ejus nova dispositione, sed sit circa ea, quæ prius plerisque aliis gentibus & nationibus, communia, seu in usu erant.

Jus civile, in ejus lata significatione, omnes subsequentes species legum complectitur, quasi quod sit idem, ac illud genus, seu vocabulum generale quod (excepto jure divino & naturali) omnes leges humanas sub se complectitur, & quod humanum, seu positivum dicitur. Verum in stricta significatione, juxta loquendi usum legistarum; Jus civile. Jus commune, est proprie illud, quod ex auctoritate Romanæ Reipublicæ, seu Romani Imperii, conditum est, atque est registratum, juxta compilationem Justiniani in quinquaginta libris Digestorum, seu Pandectarum, qui tria constituant volumina; Digesti scilicet Veteris; Infortiati; Et Digesti novi. Ac etiam in eo volumine, cui Justinianei novi Codicis nomen tribuitur. Et in quinto quod dicitur Authenticorum, atque sub se continet plures Imperiales novellas Constitutiones, ac etiam quatuor libros Institutionum Imperialium. Unde propterea, ille Codex, qui Theodosianus dicitur, sive alii Codices, qui alterius quam Justiniani auctoritate compositi sint, juris communis nomen, ac auctoritatem non merentur, nec habent. 15

Jus canonicum commune est illud, quod continetur in quinque libris Decretalium juxta compilationem Gregorii IX. & in altero, qui Sixtus dicitur juxta compilationem Bonifacii VIII. ac etiam in Clementinis, & Extravagantibus, quæ post eundem Sixtum ex Apostolicæ Sedis auctoritate registratæ sunt. Ac etiam in Conciliis generalibus a Sede Apostolica approbatis. Et in illis Apostolicis Constitutionibus, quæ per viam legis universalis per Papam uti Papam pro Ecclesia universali editæ sint. 16

Quamvis etenim corpus canonicum ex alio quoque majori volumine constitui videatur, quod Decretum Gratiani dicitur: Revera tamen istud non habet legis, vel canonum auctoritatem, cum privati Doctoris collectionem contineat. Atque eatenus aliqui Canones in eo registrati, legis necessariam habent auctoritatem, quatenus ex se ipsis, eam secum ferant, quia nempe sint aliquorum Conciliorum generalium decreta ibi registrata, vel tales Sanctorum Patrum sententiæ, quod eas tanquam canonicas, Ecclesia Catholica receperit. *d* 17

Jus feudale, quod pariter commune dicitur, ad differentiam illarum particularium legum, & Constitutionum, quæ super singulorum principatuum feudis editæ sint. Sunt illæ consuetudines, quæ prius non scriptæ, in Lombardia, cum introductione feudorum, ex quodam tacito infeudantium, & infeudatorum consensu, ac usu servari cœperunt, illæque in scripturam privata auctoritate redactæ fuerunt in eam, quam hodie habemus formam, per Obertum scilicet, & Gerardum. Attamen quia in Italiæ, & Germaniæ provinciis, in quibus magis feudorum usus invaluit, communiter receptæ sunt; Idcirco authenticarum legum vim obtinuerunt, atque juri communi feudalis nomen, seu vocabulum sortitæ sunt. *e* 18

Jus particulare, seu municipale civile, idest prophanum, vel temporale, ab aliquibus explicatur, ut sit omne illud particulare jus, quod cum sæculi potestate, in prophanis materiis, conditum sit, ita confundendo Constitutiones, & Pragmaticas, quas Principes supremi ordinant pro universo principatu, vel ditione, cum Statutis particularibus, quæ fiunt per Civitates, vel per singula loca intra eorum territorium, ita generaliter istud appellando jus statutarium, vel municipale, atque cum eisdem regulis, ac propositionibus tractando. Verum clarum est æquivocum, quoniam sub nomine juris statutarii, vel municipalis in temporalibus, proprie veniunt illa Statuta, vel ordinationes, quæ fiant per Civitates subditas, aliave inferiora loca, justa frequentem Italiæ praxim, Sive per Barones, & domicellos pariter subditos, adeout non habeant facultatem derogandi juri communi, sub quo etiam inviti vivere debeant. Secus autem, ubi de legibus, & ordinationibus, quæ fiant per Principem supremum, & absolutum, sive per feudatarium dignitatis, qui habeat jus principatus, & regalia majora, & præsertim istud derogandi, vel dispensandi legibus, easque denuo condendi. Aut de illis Civitatibus, quæ libertatem sibi vindicaverint, a quocunque Principe, vel dominante, adeout se gerant pro Republica, cum eodem jure principatus, & regalium, quamvis sub alicujus adjacentis Principis protectione vivant. 19

His etenim casibus, erroneum est, hujusmodi leges appellare statutarias, vel municipales, ab alia lege communi exorbitantes, quoniam vere, ac proprie sunt leges communes, & primariæ principatus, & quæ prævalere debent 20

prædi-

prædictia legibus civilibus Romanorum, quibus juris communis civilis, ex communi usu nomen tribuitur; Siquidem juxta legalem historiam alibi insinuatam; *f* istæ leges Romanorum in singulis respective principatibus, vel dominiis independentibus habent vim legum, non ea auctoritate earum legislatoris, sed potius ex illa ipsius Principis, vel Domini localis, vel ea illa ipsius Reipublicæ, quatenus illas servare placeat, neque in contrarium statuatur, ut habemus in Civitate Venetiarum. Ideoque est potius jus subsidiarium, juxta illam comparationem, quam habemus in foro ecclesiastico, sive in terris Ecclesiæ, inter jus canonicum, & istud civile, quod scilicet civile attendendum est in subsidium in illis casibus, in quibus per Canones non fuerit aliter provisum, ob eorundem Canonum ordinationem. *g* At propterea istud particulare jus principatus, vere & proprie in eo est commune. *h*

21 Dicitur autem particulare, adeout judicetur minoris auctoritatis, quam dictum jus commune civile Romanorum, eo quia non est commune pluribus aliis principatibus. Atque in eodem quoque principatu est inferius, ex eo quod in foro ecclesiastico non habeat illam majorem vim obligatoriam, quam habet alterum jus commune Romanorum; Non quidem ex se ipso, & ex propria virtute, seu operatione, sed quia Canones istam vim huic juri communi Romanorum, ita recepto, non autem legibus particularibus principatus tribuerint.

22 Hinc proinde frequens detegitur æquivocum modernorum Pragmaticorum, pro consueta simplicitate procedentium in sola litera doctrinarum, super intelligentia, vel applicatione aliquorum antiquorum Interpretum, seu Consulentium, qui loquantur de legibus conditis per aliquas Civitates dominantes, ita confundendo alias Civitates subditas, quibus respectu pagorum, seu castrorum, & locorum existentium in ejus territorio, vel districtu, ad quosdam effectus, congruit iste terminus dominantis, cum illis Civitatibus, quæ justa illorum temporum conditionem præsertim in Italia, sive de jure, sive de facto, libertatem sibi vindicaverant, atque pro Republica independenti cum jure principatus se gerebant. Et de qua specie Civitatum, ut plurimum illorum temporum scriptores loquuntur. Quoniam leges in eo statu per ipsas ordinatæ sunt potius leges Principis, vel principatus, quam leges municipales Civitatis subditæ, quæ sub proprii Principis legibus viveret.

Magna etenim, valdeque notabilis est differentia inter unam & alteram speciem legum, circa earum observantiam, ac interpretationem; Quoniam ubi agitur de legibus ordinaris per Civitates subditas, quæ vivere coguntur cum legibus principatus, sub quarum genere veniunt etiam dictæ leges civiles Romanorum, ut supra, adeout eis derogandi facultas non competat, nisi quatenus ipse Princeps concedat, vel approbet; Et tunc vere & proprie dicitur jus statutarium, vel municipale exorbitans a jure communi, ejusque correctorium, & consequenter odiosum, quod stricte intelligendum est, juxta illos rigores leguleicos, quos desuper habemus, cum subordinatione, vel passiva interpretatione ab ipso jure communi. Secus autem in altera specie, in qua potius procedunt ea, quæ de ipso jure communi habemus. *i*

23 Quare pro meo judicio, quando agitur de interpretatione Statutorum aliquarum Civitatum Italiæ, quæ nunc subditæ sint, & alicui principatui incorporatæ, vel restitutæ; Ut præsertim sunt multæ Civitates Lombardiæ, & Hetruriæ, ac etiam Status Ecclesiastici, ut apud etiam infra mediocriter versatos in historiis a duobus, vel tribus sæculis citra, est notorium; Reflectendum videtur ad tempus, vel statum, in quo ea Civitas hujusmodi leges sibi ordinaverit, an scilicet esset in statu servitutis, & subjectionis, vel potius in statu libertatis, & Reipublicæ, cum juribus, & possessione principatus, ac regalium majorum, quoniam licet postmodum effecta sit subdita; Vel quia se commendaverit protectioni alicujus Principis, qui ejus potentia crescente, de facto commendationis leges violando, eam tanquam subditam tractet; Vel quia ab ejus civibus potentibus, vel aliis tyrannis occupata, ut a tyrannide se eximeret, alteri Principi se dederit. Aut quod alias vi bellica in istius dominationem devenerit, ita tamen, quod novus Dominus proprias leges jam ordinatas non abrogaverit, sed eas potius approbaverit, atque continuare passus sit, ac patiatur. Et tunc erroneum videtur istas leges tractare, vel interpretari cum eisdem regulis & propositionibus, cum quibus tractantur leges municipales, ordinatæ per Civitates subditas, quæ sub alio jure vivere tenentur, cum maximam differentiam adsit inter unam, & alteram speciem, quodque alia est illa dominatio impropria potius œconomica, vel civilis, quam politica, & jure veræ dominationis quam habeant subditæ Civitates, quæ sunt membra alicujus principatus in castris, & locis existentibus in proprio territorio, vel districtu, ex regula quod districtuales dicuntur etiam cives, perinde, ac si in ipsa Civitate viverent. Et alia est illa dominatio vera, & major, quæ consideratur in hujusmodi Civitatibus non subditis, & independentibus, se gerentibus pro Republica in aliqua sibi subjecta ditione, adeout non sint membrum alicujus principatus, vel ditionis, sed potius sint caput principatus proprii, quamvis iste postea regiminis formam mutaverit, quia nempe ex Aristocratico, vel Democratico, sive utroque simul Monarchicum evaserit, cum id non tollat habituale jus Reipublicæ.

Illud autem jus canonicum, vel spirituale, quod non commune, sed particulare dicitur, triplicem quoque habet speciem; unum si quidem est illud jus canonicum, quod ordinatum est a Papa tanquam Papa, & Episcopo Ecclesiæ universalis, non tamen per viam legis perpetuæ, sed per viam aliquarum ordinationum ad ejus arbitrium, quod cum vita terminet; Ut (ex. gr.) sunt regulæ Cancellariæ, quæ propterea considerantur tanquam jus particulare contradistinctum a jure communi; Ideoque apud Beneficialistas constituitur differentia inter reservationes clausas in corpore juris, vel illas, quæ continentur in dictis regulis Cancellariæ. *l* 24

Alterum est jus canonicum, etiam registratum in Decretalibus, vel in Bullario, quod conditum sit a Papa tanquam Principe temporali Status Ecclesiastici; Ut (exempli gratia,) præ cæteris est illud circa formam testandi etiam in prophanis coram parocho, & duobus testibus; Sive est constitutio Ægidiana cum similibus; Et tunc istud dicitur jus canonicum, idest pontificium, eo quia Pontifex illud ordinaverit, sed non est jus canonicum commune pro toto Orbe, & Ecclesia universali, ut est alterum factum a Papa tanquam Papa; Et sic comparative dicitur potius jus particulare hujus principatus; Sed non per hoc dicendum erit jus municipale, vel statutarium exorbitans a jure communi, adeout eum regulis Statutorum particularium metiri debeat. Ac propterea error esset manifestus, ita regulare Bullas & Constitutiones, ac ordinationes Apostolicas editas pro temporali regimine Status ecclesiastici immediati, eo modo quo regulantur Statuta particularia singularum Civitatum, quamvis ejus Pontificis confirmationem habeant; Ut pariter error est, ita regulare Statuta particularia, vel consuetudines aliquarum Civitatum subditarum Regni Neapolitani vel magni Ducatus Hetruriæ, eo modo quo Pragmaticas, & Constitutiones ipsius Regis, vel Magni Ducis pro universo Regno, vel Ducatu respective, cum similibus.

Aliud vero est jus canonicum, vel spirituale magis particulare, quod comparandum videtur juri particulari, vel municipali prophano ordinato per Civitates subditas, vel per Barones, & domicellos subditos ut supra; Et istud consistit in Constitutionibus Synodalibus, quas faciunt Episcopi in eorum diœcesi, vel Archiepiscopi in eorum provincia, sive quandoque, juxta majores, vel minores facultates, quas faciunt Legati in eorum legatione.

Adest demum quoddam jus particulare magis subordinatum, ac restrictum, sive sit spirituale, sive temporale, quod sibi faciunt castra, & loca subdita alicui Civitati, cum sola auctoritate ejusdem Civitatis, vel propria. Sive aliqua Collegia, puta Doctorum, vel Mercatorum; Aut aliquæ Universitates artium, sive Capitula Cathedralium, vel Collegiatarum; Aut aliquæ Academiæ, seu Universitates studiorum, cum similibus.

Omnes istæ superius recensitæ species legum cadunt sub genere juris scripti, & ultra istud adest aliud genus juris non scripti, cui ad differentiam, non legum, sed consuetudinum nomen, seu vocabulum tribuitur, illudque adamussim continet sub se easdem species supra consideratas in jure particulari, contradistincto a jure communi civili, vel canonico. Quod scilicet alia est consuetudo totius principatus, Et alia est consuetudo magis particularis alicujus Civitatis, vel loci subditi & membri particularis ejusdem principatus. 25

His itaque ita prænotatis; Quatenus pertinet ad prædictarum legum ordinem tenendum in judicando, super earum observantia, vel auctoritate; Primum locum occupat lex divina, quæ alterius legis concursum prælativum 26

vel

vel correctivum non admittit, cum nulla detur potestas, quæ illi valeat licite derogare, vel generaliter dispensare, etiam illa Summi Pontificis, cui solum, ac privative ad quoscunque, tanquam Dei Vicario in terris, conceditur facultas idem jus interpretandi, sive in aliquibus casibus particularibus ex justa causa, quæ eidem legi virtualiter inest, declarandi, quod non obliget, vel non obstet. Ut puta, Juris divini est ex magis communi, & recepta Canonistarum, & Theologorum sententia, immunitas ecclesiastica localis, personalis, vel realis, ac etiam est usura, cum similibus, adeout non possit Summus Pontifex generaliter, ac indefinite immunitati derogare, vel usuras canonizare. Et tamen in casibus particularibus, ex aliqua causa, licitum est declarare, seu decernere, quod immunitas non intret, vel non competat; Puta declarando, quod aliqui criminosi ecclesiasticæ immunitatis localis præsidio indigni sint. Vel quod Clerici ob aliqua enormia scelera, sive ob aliqua requisita non servata, personali immunitate fori non potiantur. Aut quo iidem subjacere debeant aliquibus gabellis & oneribus ratione mercaturæ, vel ratione oneris infixi illis bonis, quæ ad eos transierint: Sive quia Princeps laicus hujusmodi onerum proventus iis applicet usibus, vel operibus, in quibus etiam Clerici contribuere debeant.

Prout in materia usuraria, quamvis jus pontificium usuras in genere canonizare non valeat, quoniam esset derogare, vel dispensare juri Divino. Adhuc tamen in plerisque casibus, generalibus, vel particularibus declarat, an usuraria infectio adsit, necne.

Ut etiam habemus in homicidio sine dubio de jure divino prohibito. Et tamen lex positiva canonica in plerisque casibus illud licitum, seu non criminosum declarat. Puta in ministro Justitiæ, qui condemnatos ad mortem occidit; Sive in illo homicidio, quod patratur in bello publico, & justo; Aut in eo quod sequatur ad propriam defensionem, vim vi repellendo, quoties adsit moderamen inculpatæ tutelæ, neque alias opportune consuli valeat, ita declarando, quando illud moderamen adesse dicatur, necne. Vel in homicidio casuali, cum suis declarationibus, an aliqua præcedat culpa, sive an licitæ, vel illicitæ rei opera daretur.

Ita quoque jurisjurandi religio, sive observantia sine dubio est juris divini, adeout jus humanum etiam pontificium in genere decernere non valeat, quod juramentum non sit obligatorium, sed tamen in aliquibus casibus particularibus, vel in aliquibus generibus personarum, & contractuum ex aliqua justa causa doli, vel metus saltim præsumpti, & ratione boni publici declarat illud non esse obligatorium, cum plerisque similibus.

27 Non autem omni humanæ legi, vel potestati id conceditur, sed pontificiæ tantum in iis, quæ juris sunt, laicali vero legi, vel potestati decernere conceditur super iis, quæ sunt facti, ex quo de consequenti oriatur jus, tanquam certum; Ut puta, non potest laicalis potestas declarare, quales contractus dicendi sint usurarii, & quales non; Sive quando juramentum sit obligatorium, necne; Aut quando dicta triplex immunitas, localis, personalis, & realis de jure competat, vel non competat; Sive an matrimonium sit validum, vel invalidum ratione non liberi consensus, vel clandestinitatis, aut raptus, &c. Bene tamen potest, non pro eo quod respiciat finem supernaturalem, sed pro eo, quod respiciat Reipublicæ tranquillitatem, & administrationem, decernere, seu statuere super iis, quæ facti sunt, puta præsumendo in contractu jurato vim, & metum, vel dolum, ut propterea de consequenti juramentum corruat, & non sit obligatorium; Sive demandando etiam sub pœnis observantiam eorum, quæ a jure divino demandata sunt absque violatione ecclesiasticæ jurisdictionis, sed potius pro ejus executione, puta in punitione raptoris, vel adhibentis dolum, vim, & metum in matrimonio, sive occurendo ne idem metus, vis, aut dolus adhibeatur, ita providendo circa temporalitatem, ac ea quæ facti sint.

28 Quando itaque lex laicalis, præter potestatem sibi concessam, statueret super iis quæ juris sunt, diversimode ab eo quod disponat lex ecclesiastica super observantia eorum, quæ a jure Divino manant; Et tunc Judex debet sequi interpretationem, seu legem ecclesiasticam, non autem laicalem, dum alias dicitur lædi jus divinum, quod alium non habet Interpretem, nisi eum, qui Dei Vicarius est in terris; Secus autem ubi figendo penes super illa declaratione, vel præsumptione facti, quam lex laicalis induxit, illatio, seu consequentia juris clara & certa sit ex ipsiusmet juris ecclesiastici, vel pontificii certa dispositione.

Verum quotidiani abusus, ut contingit pene in omnibus materiis forensibus, illis præsertim, quæ vertunt inter utramque potestatem, consistunt in mala applicatione, vel sinistra praxi hujus theoricæ, quam generaliter ac in verbis omnes admittunt, factis autem vere negant, ac non servant, ita capiendo quid pro quo, seu confundendo unum casum cum altero. 29

Distingui item solet, ut supra, hoc jus divinum, inter illud veteris & novi Testamenti; Ut istud posterius indefinite obliget; Alterum vero juxta superius insinuatam distinctionem inter moralem, mysticum, seu cærimoniale & judiciale; Ut prima specie indefinite obliget; Aliæ vero duæ in aliquibus tantum partibus influant ad observantiam novæ legis post Christi Incarnationem & Passionem, per quam multa præsertim mystica evacuata sunt, atque cessarunt; Verum de his in praxi forensi, seu in externo judicio, de qua agitur, non est inspiciendum, cum potius ad interni fori professores id pertineat. 30

Post legem divinam, secundus & tertius locus tribuitur dictis legibus naturæ & gentium, cum eadem prærogativa, ut eis lex positiva, sive potestas humana derogare, vel dispensare non valeat. 31

Quamvis autem ista propositio, omnium frequentius volitet non solum per ora Professorum utriusque fori, sed etiam per illa omnium aliorum literatorum, illorum præsertim, qui politicæ peritos, ac professores se credunt, (Et in qua nullus forte reperitur idiota, qui se peritissimum esse non præsumat); Attamen quoad ea, quæ externum forum, vel judicium concernunt, non videtur quomodo istorum jurium observantia in praxi verificabilis dici valeat, cum nullibi unum, vel alterum jus habeatur scriptum, illo excepto jure naturali, quod in præceptis decalogi, sive in generico axiomate, ut *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, scriptum reperitur in sacra pagina veteris, & novi Testamenti, unde propterea, pro synonymis haberi solent, jus divinum, & naturale, adeout istud secundum jus primo insit.

Quo vero ad jus gentium, quod etiam per quandam impropriam locutionem a Juristis, naturale dici solet; Illud plerasque habet species, unde propterea erroneum est generaliter, seu pariformiter de illo agere, ejusque terminos adhibere; Unum siquidem est illud jus gentium, quod ex quodam humano rationabili instinctu, ac perpetuo usu apud omnes Nationes servari consuevit, adeout ejus violatio, naturam quodammodo, seu humanum commercium offendere dicatur; quamvis inter inimicos, vel hostes agatur; Ut sunt paces, vel fœdera; Aut armorum suspensiones, vel Oratorum immunitates, sive illæ assecurationes, quæ sub salvi conductus vel passaportus vocabulo vulgo explicari solent cum similibus, & super quibus barbara potius, quam humana reputari solet illa violatio, quæ in aliquo barbaro, & infideli Principatu, potius quam inter fideles praxis quandoque docet; Et de hoc jure agere non pertinet ad professores fori externi pro judicio contentioso, cum potius id pertineat ad illam legem, quæ politica dicitur, atque hujusmodi violationis Judex, vel ultor sit potius eventus belli, sive ea major vis bellica, quæ dicitur ultima ratio rerum; Et nihilominus etiam istud jus cadit sub dicto primo genere juris divini, per quod demandatur istius publicæ fidei observantia. m

Altera est juris naturæ, vel gentium violatio, quæ inter privatos resultet, ex illicita oppressione, vel injuria, cum homicidio, furto, rapina, adulterio, & similibus quæ ipsam naturam vel humanam societatem lædunt; Et pariter istud jus cadit sub dicto primo genere juris divini, per quod omnia hæc prohibentur.

Tertia demum est species illius juris naturalis, vel gentium, quod in legibus civilibus Romanorum ita explicatur, ad exprimendum ea, quæ ex quodam instinctu naturæ, seu ex omnibus nationibus communi ratione humanæ societatis, vel humani commercii vigebant priusquam ipsum jus civile a Romanis ordinaretur; Ut puta dici solent contractus permutationis, & similes contradistincti ab illis contractibus, qui proveniunt ex ipsius juris civilis invento; Sive sunt testamenta, & ultimæ voluntates; Aut jus alimentorum, quorum loco subrogata est legitima in descendentibus, & ascendentibus; Sive est usus venationis, vel piscationis, aut navigationis, & similia, quæ in præfatis legibus, vel apud eorum Interpretes juris naturæ, vel gentium dicuntur; Et istius juris species ita improprie dicitur; ad differentiam scilicet eorum, quæ

de no-

de novo per ipsorum Romanorum leges civiles disposita sint; Revera tamen cadit sub genere juris humani, vel positivi, unde propterea, per humanam potestatem ei derogari, vel dispensari potest, ut alibi occasione agendi de ultimis voluntatibus, vel de legitima, seu de prohibitione venationis, & piscationis, & similibus latius advertitur, & consequenter non venit sub dicta regula juris divini directi primis generis, vel sub altera illius juris naturæ, vel gentium, quod etiam divinum ut supra dicendum est. *n*

32 Quatenus itaque pertinet ad jus humanum, quod in ejus generali vocabulo, positivum, seu civile dicitur, complexivum omnium supra distinctarum specierum; illam in primis recipit genericam distinctionem, inter canonicum, & civile, idest, ecclesiasticum, & prophanum, seu temporale, quia nempe primum, ab ecclesiastica, vel spirituali potestate manet; Alterum vero a prophana, seu laicali, quæ temporalis quoque dicitur, sive de jure communi, sive de particulari, vel municipali agatur; Unde propterea quæstio frequens cadit, quale jus in judicando servandum, vel adhibendum sit, an scilicet ecclesiasticum, quod canonicum dicitur, vel laicale, seu temporale, quod ad differentiam dicitur civile.

In hoc autem, causarum, vel respective personarum,
33 aut Tribunalium qualitas decidit quæstionem; Ubi etenim agitur de iis, quæ concernant materiam peccati, seu finem supernaturalem animæ, ac æternæ salutis; Et tunc de quocunque personarum, vel casuum, seu judicum genere agatur, Jus ecclesiasticum, seu canonicum, etiam in foro laicali, & inter laicos attendi debet, quamvis de materiis, vel causis mere temporalibus, & prophanis agatur, Ut (ex. gr.) habemus in materia præscriptionis, quod per jus canonicum correcta est dispositio juris civilis, in iis casibus, in quibus admittat præscriptionem, etiam absque requisito bonæ fidei, sine qua jus canonicum illam prohibet, quocunque temporis lapsu non obstante ratione peccati, in quo versari dicitur ille, qui sciens rem non esse suam, sed alterius, illam detinet; Sive sciens se esse
34 debitorem, solvere negligit, atque cum præsidio negligentiæ creditoris a debito liberari, atque de alieno locupletari studet, ideoque ista juris canonici dispositio, etiam in foro laicali inter personas sæculares, & in causis temporalibus, vel prophanis attendenda est. *o*

35 Ita pariter concurrentibus omnibus extremis temporalibus ratione scilicet fori, causæ, & personarum; Adhuc tamen ubi admista sit jurisjurandi religio, ex regula quod Juramentum legitime præstitum, adeout non patiatur defectum naturalem consensus, ex vi, dolo, vel metu, aut errore, expresso, vel præsumpto, servari debeat, quoties absque interitu æternæ salutis, & absque præjudicio morum, vel boni publici principaliter servari potest, cujoscunque legis positivæ prohibitione non obstante; Ut (ex. gr.) contingit in ea revalidatione, quam juramentum operatur in actu minoris, vel mulieris, aut filiifamilias, sive inter patrem, & filium, aut virum, & uxorem, juris civilis prohibitione non obstante, cum similibus, quoniam etiam in foro laicali, & inter laicos in causis prophanis, cum jure canonico potius quam cum civili procedendum est, ratione religionis.

Fortius vero ubi ipsa causa sit ecclesiastica, vel spiritualis, a qua aliquod incidens, vel emergens temporale resultet, de quo in foro laicali, & inter laicos agi contingat; Puta in materia matrimoniali, sive in materia usuraria, cum similibus, quoniam in jure canonico corrigente, non autem cum civili correcto procedendum est.

Et quamvis, in materia præsertim usuraria, praxi do-
36 ceat, quod pleraque Tribunalia sæcularia, diversas teneant, ac sequantur opiniones ab iis quas tenent, ac servant Curia Romana, & Tribunalia ecclesiastica; Puta decernendo interesse, etiam sine explicita justificatione requisitorum, quæ vulgo dicuntur *Pauli de Castro*, sive dando interesse fructuum cum similibus; Attamen id non provenit ex eo quod, neglecto jure canonico corrigente, servetur jus civile correctum, sed provenit ex qualitate facti, quod scilicet in ea regione, ob ejus mores habeantur pro notoriis, ac probatis illa requisita, quorum in Curia pro quadam formalitate specialis justificatio desideratur, & sic diversitas non est circa jus, sed circa factum, ex quo jus oritur; *p* Ad instar illius indirectæ enervationis juramenti, quæ potestati, seu legi sæculari conceditur, præsumendo absque alterius probationis necessitate, vim, vel metum, vel dolum, seu errorem, &c. *q*

37 Ubi vero præmissa, vel similia, quæ spiritualitatem, &

Card. de Luca, Lib. XV.

consequenter forum animæ, seu finem supernaturalem concernant, cessant, adeout agatur de causis mere indifferentibus, & prophanis inter personas sæculares; Et tunc planum est, ut in foro laicali, sive (ut nostri dicunt) in terris Imperii, cum jure civili, seu temporali judicandum sit, quamvis contrarium expresse disponatur in jure canonico, quod ita potius remanere videtur jus civile, seu temporale Pontificis, tanquam Regis, seu Principis temporalis ejus temporalis Ditionis, juxta superius insinuatum exemplum circa formam testandi in prophanis coram parocho, & duobus testibus, cum similibus.

Majores autem quæstiones desuper cadere solent, ubi 38
agatur quidem de causis prophanis indifferentibus in foro laicali, sed cum mistura personarum ecclesiasticarum, quæ in eo foro litigent cum laicis, ut contingit in Clerico Actore, qui contra laicum Reum in istius foro judicium instituerit; Sive in illis causis, In quibus idem Clericus Actor, per viam reconventionis fit etiam Reus; Aut ubi a laico sit provocatus ex remedio diffamationum; Vel quod sit evocatus tanquam Actor voluntarius, quatenus sua putaverit interesse; Aut ratione bonorum debitorum ab ipsomet Judice sæculari; Sive ratione continuationis judicii cœpti in statu habiti, non obstante superventa ejusdem status mutatione, cum aliis similibus casibus, in quibus contingit, ut Clericus, vel alia persona ecclesiastica judicetur a foro laicali, quamvis ab eo exempta.

In istis itaque, vel similibus casibus, intrare solet quæstio, 39
quale jus debeat servari, an canonicum, vel civile; Atque super hoc non modica dignoscitur pugna inter scribentes; Aliquibus juxta consuetum vitium, factionario more adulantibus propriæ potestati; Ecclesiasticis scilicet pro jure ecclesiastico; Et laicis pro laicali, vel civili, ideoque sustinentibus extrema vitiosa; Et aliquibus, mediam viam eligendo; distinguentibus inter ordinatoria, & decisoria, ut in prima specie servari debeat jus civile, seu stylus illius Judicis Tribunalis sæcularis, coram quo causa pendet; In altera vero debeat servari jus canonicum. *f*

Verum istæ, vel similes generalitates non videantur tutæ; potissime, quia contrarium in plerisque Tribunalibus praxis docet; Ideoque verius videtur, ut ista non sit materia capax regulæ certæ, & generalis, quæ cuicunque casu sit applicabilis, sed quod decisio pendeat ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis; Attendendo præsertim, an Clericus sit Actor, vel Reus, dum in casu, in quo est vere Actor, etiam in decisoriis proceditur cum jure civili, seu prophano, attenta qualitate illius qui sit Reus, ex regula quod ecclesiasticus Actor sequi debeat forum laici, qui sit Reus; Et quando Clericus sit reus, inspiciendum est principium, seu origo introductionis causæ, vel contractus, de cujus observantia, vel executione agatur, an scilicet id secutum sit in statu sæculari, qui postea sit immutatus, cum aliis similibus considerationibus pro facti qualitate, magis vero pro Tribunalium stylis; quibus, sive de jure, sive de facto deferendum venit.

Cadit autem ista quæstio in illis causis indifferentibus, in 40
quibus si Clericus litigaret, in suo foro ecclesiastico judicari deberet juxta dispositionem juris canonici: Secus autem ubi agatur de tali causa, ut de sui natura, non curata qualitate personæ, judicanda veniat juxta legem laicalem, quæ sit ejus propria, seu peculiaris; Puta in causis feudalibus, quoniam ex eorundem Canonum dispositione Ecclesia, vel Clericus qui possideat feudum ex concessione Domini laici, in iis quæ concernant ipsum feudum, istius foro subjacet, ideoque indistincte judicandus est juxta leges feudales communes, vel illius principatus; Quinimo leges, vel consuetudines feudales communes, etiam in foro ecclesiastico in iis, quæ feudum concernant, atque expresse non adversentur ecclesiasticæ immunitati, seu libertati, servari debent, juxta opinionem magis communiter receptam, quamvis non desint contradicentes, ut in sua peculiari materia latius advertitur. *r*

E converso autem, ubi causa tractetur in foro ecclesiasti- 41
co; Et tunc, Aut nulla adest mixtura laicorum, adeout judicium agatur inter personas æque ecclesiasticas, sive illi foro æque subjectas; Et planum est, ut cum jure canonico procedi debeat, quoties illud habeantur, subsidiare autem cum civili; dum ita iidem Canones disponunt, ut supra.

Adhuc tamen aliqui dantur casus, in quibus etsi expressa 42
differentia vigeat inter utrumque jus; nihilominus civile potius, quam canonicum servari debeat, ratione diversitatis finis, vel respectus; Ut puta, est modus computandi gradus consanguinitatis, vel proximitatis, quoniam

diversus est ille, qui statuitur per jus civile, ab illo, qui præscribitur per canonicum, dum de jure civile qualibet persona facit gradum; De canonico autem quilibet gradus a duabus personis constituitur; Sed quoniam jus canonicum hunc ordinem præscripsit ad unum effectum, illum scilicet impedimenti matrimonii; Jus autem civile, ad alterum diversum, intestatæ, vel fideicommissariæ successionis, idcirco ea probabiliori sententia, etiam in foro canonico, & inter personas ecclesiasticas, in materia successionis proceditur juxta computationem juris civilis, dum ista non est contrarietas, sed diversitas pro diversitate respectuum. *u*

43 Considerandum est præterea initium, sive origo actus, ex quo illud judicium proveniat, quoniam si (ex. gr.) ille, qui nunc est Clericus, & convenitur in suo foro ecclesiastico ratione clericatus postea superventi, in statu sæculari fecerit contractum, vel alium actum, præter formam præscriptam a lege civili, seu laicali, communi, vel particulari, adeout non sit validus, neque obligatorius; Esset tamen validus, & obligatorius de jure canonico, si fuisset Clericus; Et tunc judicandum videtur cum ea lege laicali, quæ tunc servari debebat, attento scilicet tempore, in quo actus initus est, dum mutatio status personæ, immutare non debet naturam, seu qualitatem actus, qui tunc bene, vel respective male initus fuerit, cum ista accidentalis mutatio causet solum aliam accidentalem mutationem facti, non autem substantiam rei. *x*

Hinc proinde, in facti contingentia, pluries dicere consuevi, quod etiam circa quædam ordinatoria, seu circa formam judicii, spectata ista origine, servari debet illud jus, quod alias in eo foro servandum esset; Ut puta; Romana Curia non admittit, quod in foro ecclesiastico, & cum Clericis, pro debito pecuniario, servetur forma judicii criminalis, quæ juxta ritum M. Curiæ Vicariæ Neapolis servatur, super incusatione, instrumentorum; Et e converso, illa Tribunalia laicalia, non admittunt, ut in foro sæculari, contra laicos practicetur forma judicii executivi obligationis cameralis, quamvis debitor, juxta unam, vel respective alteram formam expresse se obligasset, quoties id gestum sit tempore, quo persona erat respective in eo statu; Sed si aliquis dum erat sæcularis, juxta consuetam aliorum sæcularium regionis formam, se obligaverit ad formam dicti ritus, vel alterius consimilis legis laicalis: Aut dum esset Clericus, se obligaverit juxta dictam formam Cameræ, sive juxta aliam formam, cum qua ecclesiastici se obligant: Tunc nulla videtur subesse ratio, cur subsequens accidentalis mutatio status debeat facere cessare istam obligationem, atque tollere jus alteri, cujus favore facta est obligatio; Ideoque illa forma adhuc servari, seu practicari debet; Non quidem in vim illius legis, vel styli, ea quo ea proveniat; Minusque in illa forma præcisa, & pœnali, ut præsertim est illa præfati ritus, sed tanquam ex pacto executivo, ob quod processus executivus, & summarius adhiberi debeat. *y*

Posito itaque, quod unum, vel respective alterum, ecclesiasticum, seu canonicum, vel e converso laicale, seu civile jus in genere debeat servari, ac attendi; Intret autem quæstio inter plures ejusdem generis species; Et tunc, unum ab altero distinguendo; Quatenus pertinet ad laicale, seu civile, quod in forensi praxi est frequentius, cum illud sit complexivum plurium specierum, quæ superius distinctæ sunt, præsupposita diversarum legum ejusdem generis validitate, cum suis requisitis, de quibus infra.

44 Primum locum in judicando occupat illud jus, quod supra ultimo loco est recensitum; nempe particulare, seu municipale, quod habeat aliqua universitas subalterna, & quæ comparative ad universitatem totius loci, singularem personam formalem repræsentet, inter ejusdem tamen universitatis, vel corporis personas, seu membra subordinata, cum declarationibus, de quibus infra, circa majorem, vel minorem hujusmodi jurium particularium operationem, quæ pendet a majori, vel minori auctoritate, ex qua robur accipit, ea regula quod jus proprium, & particulare prævalet juri magis generali, ut proxime infra.

45 Isto autem jure deficiente; Secundum locum occupat jus statutarium, vel municipale ipsius loci, in quo fit controversia, vel de quo sint contendentes, quamvis ageretur de loco subdito alicui Civitati etiam subditæ, utpote, de comitatu, vel districtu, quoniam istud Statutum magis particulare, prævalet alteri statuto magis generali Civitatis dominantis, quod omnibus comitatensibus, vel districtualibus est commune in defectum proprii Statuti particularis; Vel quia nullatenus extet, Vel quia casus controversiæ in eo sit omissus; *z* Et successive tertium locum occupat dictum Statutum Civitatis dominantis, quod prævalet infrascriptis aliis juribus magis communibus.

46 Quartum occupat illud jus, quod est generale totius principatus, in quo, ut superius insinuatum est, dicendum venit, potius jus commune, quam municipale, habens juris particularis nuncupationem, per quendam modum loquendi, comparative ad jus, quod est magis commune pluribus, ac diversis principatibus, & quod consistit in ipsis legibus Romanorum.

47 Et demum, ultimum occupat locum, in defectum omnium præcedentium, jus commune civile Romanorum: Et quando etiam istud in casu controversiæ desit, ut frequenter contingit, quoniam plura sunt negotia, quam sint leges, unde propterea in dies contingunt casus novi, tunc subintrat jus canonicum, *a* Idque præsertim dicendum est in Italia, tanquam lex notabilis principatus adjacentis facta per illum Principem, qui quandam habitualem, ac respective actualem potestatem habet in toto Mundo, ut alibi advertitur. *b*

48 Quando vero contingat, quod nempe jus canonicum provideat, super casu controversiæ, quodque apud DD. ex principiis, vel ex mente unius, vel alterius juris, ille non reperitur decisus; Tunc recurrendum est ad leges aliorum Regnorum, vel principatuum adjacentium; Præsertim vero, ubi de legum civilium interpretatione agatur, est recurrendum ad leges Partitarum Hispaniæ, utpote desumptas pro majori parte ab eisdem legibus civilibus post earum inventionem, ac etiam ad alias leges ejusdem Hispaniæ, quæ dicuntur *fori*, utpote in notabili parte derivatæ quoque a dictis legibus, & ea Codice, qui per Reges Gothorum ad æmulationem Codicis Justinianei, compositus fuit. *c*

49 In altero autem genere Juris ecclesiastici, seu Canonici; Retinetur idem ordo comparative, quod scilicet, prius attenditur jus magis particulare, quod consistit in legibus, vel Statutis alicujus Capituli, vel Collegii, aut alterius ecclesiasticæ Universitatis in iis, quæ se ipsam, ejusque membra concernunt: Postea vero attenduntur Constitutiones Synodales diœcesis; Et in istarum defectum, successive, & gradatim Constitutiones Synodales Provinciæ: Et demum jus canonicum, seu Pontificium generale, sive sit illud, quod continetur in libris Decretalium, Clementinarum, & Extravagantium, sive in Conciliis generalibus, vel in iis Apostolicis Constitutionibus, quæ per viam legis per Papam uti Papam, pro Ecclesia universali conditæ sint.

50 Isto autem jure quoque deficiente, Quamvis iidem canones disponant, ut ad leges civiles recurri debeat, unde propterea Doctores generaliter hanc firment propositionem; Attamen ea intelligenda venit pro subjectæ materiæ exigentia, quoniam si agitur de re prophana, seu temporali, id recte procedit, atque deficientibus dictis legibus civilibus, subintrant aliæ leges laicales particulares ut supra: Sed si agitur de materia ecclesiastica, vel spirituali, tunc recurrendum potius venit ad Sanctorum Patrum sententias, ac traditiones, vel ad regulas, seu propositiones theologicas.

51 Procedunt hæc omnia respective; in professoribus ejusdem christianæ Religionis, qui sub unius Fidei vexillo, in eadem humana societate vivant; Cadit autem difficultas respectu infidelium, in quibus, quoad praxim forensem, ista dubitandi ratio cadit solum pro judæis, seu hæbreis, qui mosaicam legem adhuc retinent, dum istorum incolatus inter Christianos cum libero, & pacifico commercio pro ditionum diversitate permittitur, juxta præsertim pene generalem usum principatuum Italiæ, illis exceptis, qui per Regem Catholicum possidentur. *d*

52 In istis itaque intrat quæstio, an cessante mixtura Christianorum, adeout agatur de casibus, qui inter eos contingant, tamen in ordinariis, quam in decisoriis, in judicando, procedi debeat cum lege Mosaica, ejusque Interpretibus, vel potius cum eisdem legibus, cum quibus ordinatim ut supra, ejusdem loci populus christianus regitur; Atque in hoc, magna dignoscitur scribentium lucta; Multis unam; Multisque alteram opinionem tenentibus: Adeout eadem Rota Romana, desuper variaverit, in secunda tamen opinione, maturius persistendo, ut dicto jure Mosaico jam evacuato, in rebus præsertim indifferentibus, eodem jure quo alii vivunt, ipsi vivere debeant, juxta declarationes, de quibus in suis respective sedibus. *e*

Ubi

Ubi vero de iis controversiis agatur, quę Christianis quoque communes sint, adeout eorum mixtura accedat, extra minorem controversiam est receptum, ut jure aliorum civium habeantur, non solum super Statutorum, aliorumque jurium usu arctativo, & odioso, sed etiam super eodem favorabili in præjudicium Christianorum, & quamvis favor cuidam æquitati innixus sit, adeout generaliter in omnibus tam favorabilibus, quam odiosis, jure aliorum civium, & incolarum habeantur: Exceptis iis, quæ finem supernaturalem, ac merita, & viam christianæ fidei concernunt, quorum ipsi sunt incapaces. *f*

53 Quia vero aliquando, in Statutis localibus dispositum est, ut in eorum defectum, ad jus commune recurri debeat; Hinc ista dispositione accedente, intrat quæstio quæ inter scribentes, non parum controversa est, quale jus veniat, an scilicet illud particulare Civitatis dominantis, vel potius alterum, quod vulgo commune dicitur, constitutum ex legibus civilibus Romanorum, ut supra; Magis autem communiter recepta videtur opinio, juxta hanc secundam partem, ut scilicet jus commune Romanorum potius attendi debeat.

Ad illum autem casum mistum DD. descendere non videntur, in quo scilicet, duplicis Juris communis species, in eodem principatu, vel ditione habeatur, quia nempe unum sit prædictum, & alterum constitutum ex legibus generalibus conditis per Principem supremum, quæ universo principatui sint communes, juxta superius recensita exempla; Istoque casu, facti potius ac voluntatis, quam juris ista quæstio videtur, de quo scilicet jure statuentes intelligere voluerint; Ideoque ante omnia ad facti circumstantias, pro hujusmodi voluntatis indagatione, vel interpretatione recurrendum videtur, adeout ex eis, etiam in casu dictæ quæstionis cum Statuto particulari Civitatis dominantis, altera minus recepta opinio sequenda sit; Ad instar eorum, quæ in materia ultimarum voluntatum habemus; Sed quando factum non adsistat, adeout cum sola dispositione, vel præsumptione juris procedendum sit; tunc pro meo sensu, probabilius videtur, ut jus generale Regni, vel principatus (quod commune quoque dicitur) attendi debeat, dum magna differentia est inter istud, & alterum pariter municipale Civitatis etiam subditæ, cui dominantis titulus improprie tribuitur ratione magis conspicui, seu quodammodo metropolitici loci inter plura, quæ in eodem territorio, vel districto sint, dum huic juri non congruit terminus juris communis, ut congruit alteri; Ac etiam quia frequentior praxis docet, ut inter incolas Civitatis, & illos districtus, vel comitatos, quædam dignosci videatur ęmulatio, quodque Comitantes, quodammodo superioritatem ęque subditæ Civitatis abhorreant; Ac propterea verisimile est quod in casibus, in quibus eorum lex particularis non provideat, potius recurrere voluerint ad illud jus, quod sit aliis commune; Sed hæc ratio non congruit legi universali principatus, ut supra.

54 Super prædictarum autem legum respective auctoritate, vel efficacia, quæstiones cadunt, & præsertim ubi agitur de localibus, seu municipalibus, quarum respectu notabilis est differentia inter jus scriptum, quod statutarium dicitur, & non scriptum, quod dicitur consuetudinarium; Quando etenim de hoc secundo agitur, atque in eo verificentur requisita, quę in jure desiderantur in consuetudine contra jus, quia scilicet, cum actuum frequentia, & populi consensu, accedat pacifica, & non interrupta unica observantia quadragenaria; Et tunc, etiamsi de Civitatibus, & locis subditis, quinimo inferioribus, & districtualibus agatur, illa attenditur, ac prævalet juri communi, sive universali, quamvis agatur de consuetudine contra jus, quoties ea non sit super iis, in quibus expresse reprobata sit, adeout corruptelæ nomen mereatur. *h*

55 Ubi vero agimus de jure particulari scripto, tunc distinguendo jus ecclesiasticum a temporali; Quatenus pertinet ad ecclesiasticum, quod conditum sit per eum, qui superiorem recognoscat; Ut (ex. gr.) sunt Constitutiones synodales diœcesanæ, vel provinciales, vel Statuta Capitularia, & similia; Et tunc attenduntur in iis, quæ sint juxta, vel præter jus commune, non autem contra, cum subdito non detur facultas corrigendi leges superioris, cum quibus ipsa, licet invitus, vivere tenetur; Nisi adaptetur ratio specialis confirmationis, de qua habetur infra agendo de legibus laicalibus. *i*

56 Quo vero ad jus ecclesiasticum commune, idest pontificium; Respectu illius, quod in corpore juris canonici registratum est, sive in Conciliis generalibus: Super ejus efficacia, nulla cadit quæstio, illis locis exceptis, in quibus post ultimum Concilium Tridentinum, per Ecclesiam toleratur non acceptatio, vel non usus. *l*

Difficultates vero cadunt super novis legibus particularibus, quæ Apostolicæ Constitutiones, vel Bullæ dicuntur, an scilicet indigeant illis requisitis, quæ desiderantur in legibus laicalibus, publicationis scilicet cum certo termino taciti consensus populorum per usum, vel per non contradictionem intra dictum terminum. *m* 57

Verum pro regula est receptum, ut hæc requisita desideranda non sint, ob eam differentiæ rationem, inter leges Pontificis, & aliorum Principum secularium, quod isti eorum potestatem metiuntur a populo, ille autem independenter a populo, eam immediate metitur a Deo, ideoque efficacia legis pendere non debet a populorum usu, vel consensu; Potissime quia, leges Pontificiæ continere solent decretum irritans, & clausulam *sublata &c.* ex quibus inficitur quicunque contrarius usus, imo impeditur ne nascatur. *n* 58

Adhuc tamen, his non obstantibus, quandoque verificatur, Papalium legum, tacita, sive implicita abolitio, quæ resultet ex non usu, vel usu contrario, quando ille sit talis, ut redoleat Papæ, ejusque officialium verisimilem scientiam, & tolerantiam, ex quibus resultet ejus virtualis, vel implicitus consensus, ex quo potius quam ex facto populi, & subditorum, dicta abolitio resultare dicitur. *o*

Quo vero ad leges prophanas, seu laicales; Respectu illarum, quæ insertæ sunt in corpore Juris civilis, juxta compilationem Justiniani, nulla cadit quæstio, super earum efficacia, illis particularibus exceptis, quas usus non recepit; Ut exempli gratia est illa lex, quæ abolita dicitur in materia dotali per illam consuetudinem, quæ *Martini* dicitur, cum similibus. 59

Quia vero aliqui moderni Professores, græcarum literarum aliquam habentes peritiam, in Codicibus moderno tempore impressis, aliquas inseruerunt, ex eorum privata auctoritate, leges, quæ ex græcis Imperialibus Constitutionibus depromptæ sunt; Hinc oriri solet quæstio, an istæ vim legum habeant? probabilior autem est negativa opinio, ex rationibus alibi insinuatis, occasione agendi de hujusmodi legum dispositione. *p*

Ubi autem agatur de altera specie mista, illius scilicet juris, quod dicitur commune, vel universale in ipso Regno, vel principatu, comparative autem dicitur particulare; Ut (ex. gr.) sunt Constitutiones, Pragmaticæ, & Capitula Regni Neapolitani, & Constitutiones, & Decreta Sabaudiæ, & Mediolani, ac similes leges; Et tunc, aut agitur de illis legibus, quæ jam in voluminibus insertæ sunt, atque usu receptæ, & nulla pariter cadit ratio dubitandi, quoties non doceatur legitime de non usu præscriptivo, qui in dubio non præsumitur, sed per allegantem est probandus. *q* 60

Aut vero de legibus, & Constitutionibus, quæ de novo fiant: Et tunc juxta regulas generales juris communis, adhuc, ut obligent, requirunt acceptationem populorum, saltem implicitam per non contradictionem post publicationem infra certum terminum; *r* Adhuc tamen in hoc singulorum principatuum stylis deferendum est, qui varii esse solent, nimiumque rari sunt casus in praxi, in quibus legum proprii Principis contraventio ex isto capite excusetur.

Quo vero ad tertiam speciem illius juris, quod vere, & proprie, & particulare, seu municipale, aut statutarium dicitur, quod scilicet ordinatum sit per Civitatem, vel locum, aut respective per Baronem, seu Domicellum subditum, adeout desit jus regale faciendi, ac destruendi leges positivas; Et tunc, regulariter istis prohibitum est Statuta, & leges concedere sine licentia propriis Principis; Potissime vero in Statu ecclesiastico, ubi ultra generalem prohibitionem juris communis, habetur altera, quæ resultat ex Constitutione Ægidiana, *s* ac propterea ut legis vim habeant, necessaria est Principis confirmatio, quæ duplex esse solet; Una scilicet espressa; Altera vero tacita, seu præsumpta, quæ resultat ex longissimi temporis observantia, per quam generaliter extrinsecæ solemnitates præsumuntur. 61

Prima species confirmationis expressæ, subdistinguitur in duas alias species, quarum una dicitur in forma specifica; Altera vero in forma communi. Cum ea notabili differentia inter unam, & alteram, quod quando est in forma specifica, tunc hujusmodi leges, vel statuta attenduntur, etiam in iis, quę sint contraria juri communi, ejusque correctoria, 62

quoties confirmatio concessa sit per Principem supremum, cui competat potestas. Ubi vero sit in forma communi, tunc attendenda sunt, & valeant solum in iis quæ sint juxta, vel præter dispositionem juris communis, non autem contra, *s* Præterquam ubi statutum sit contra unum jus novum, sed juxta alterum jus antiquum ad quod fiat reversio ex aliqua justa causa; Ut (ex. gr.) contingit in statutis excludentibus fœminas, vel cognatos propter masculos, vel propter agnatos, similibus. *u*

62 Quare frequenter in praxi disputari solet, de ista qualitate, seu natura confirmationis, an sit juxta unam, vel juxta alteram speciem pro dictis effectibus exinde resultantibus, atque ubi non constet de confirmatione expressa, adeout de tacita, seu præsumpta agatur, tunc regula est, ut censenda veniat in forma communi; *x* Nisi bene justificetur observantia immemorabilis, vel centenaria, cujus vigore, juxta unius, vel alterius consuetam operationem, allegare liceat quemcunque titulum de mundo meliorem, sive, nisi justa considerationem, de qua supra, agatur de legibus, vel Statutis illius Civitatis, quæ hodie sit subdita, de tempore autem quo ea condidit, esset in statu libertatis, atque se gereret pro Republica cum possessione omnium regalium, ac juris principatus, dum tali casu, subsecuta observantia inducit præsumptiones, quod novus Dominus, cujus subdita effecta est, durationi, & continuationi legum, quas jam habebat, atque de tempore habili ordinaverat, præbuerit assensum, de facili præsumendum eo ipso quod non constat de revocatione, sed potius de aliqua observantia, quæ isto casu dicenda veniat potius interpretativa, quam præscriptiva; Ideoque ad tempus ordinationis nimium reflectendum est.

Accedente autem confirmatione expressa, cujus existentia cessare facit omnem præsumptionem (dum hæc non intrat in claris, & expressis;) Et tunc confirmatio in forma specificata, ea est, quæ fiat inserto tenore rei confirmatæ, alias dicitur in forma communi. *y*

Adhuc tamen datur casus, ut absque tenoris insertione, dicenda veniat in forma specifica, ubi scilicet, juxta commendabilem Curiæ stylum, commissa fuerit revisio, & discussio Statutorum, seu Constitutionum alicui Congregationi, vel Magistratui, ad cujus relationem, causa cognita, postmodum confirmatio concessa sit, sive quod alias ex facto vere, non autem ex sola clausula apponi solita, constet de scientia omnium, quæ continentur in legibus confirmatis, spectata principaliter ratione, cui ista distinctio innixa est; Quod scilicet, sciens Princeps, legem esse juris communis correctoriam, adhuc eam confirmaverit, atque observari voluerit, cum tunc juris communis correctio non proveniat a statuente, seu a legislatore, qui talem non habet potestatem, sed potius a confirmante, si tamen ipse illam habeat. *z*

64 Istæ autem distinctiones pariformiter procedunt in omnibus aliis legibus magis particularibus, quæ ordinantur per inferiores, vel subalternas Universitates, superius quoque insinuatas; Puta per Capitula Cathedralium, & Collegiatarum, sive per Collegia, vel Universitates artium, vel professionum; Aut per Confraternitates &c. dum istis conceditur solum facultas ordinandi leges, & Statuta in iis quæ concernunt eorum regimen œconomicum, vel etiam civile honestum, & juri non contrarium, neque tertio præjudiciale; Ad instar illarum legum, & ordinationum, quas quilibet privatus paterfamilias in ejus domo cum ejus familia faciat; In aliis vero requiritur confirmatio juxta supradictas distinctiones. *a*

65 Procedunt hæc in ordine ad vim, vel necessariam observantiam juris scripti, vel non scripti, quod legitimum, & obligatorium dici valeat; Ubi vero, posita ista qualitate, de ejusdem juris ambigui interpretatione agatur; Et tunc observantia in primis attendi debet, dummodo tamen ea univoca sit, & uniformis, per aliquod tempus considerabile, & cum considerabili frequentia actuum, justa subjectam materiam, aliasque facti circumstantias; Nimium etenim observantiæ deferendum venit, ex vulgari atque in praxi frequenti propositione, quod observantia dicitur optima Interpres, & interpretationum regina, adeout verborum etiam proprietati, vel grammaticali significationi prævaleat; Quoties tamen agatur de lege dubia, cui congruat terminus observantiæ interpretativæ, qui non datur in lege clara, & expressa, sed requiritur diversa observantia præscriptiva, cum rigorosis requisitis præscriptionis, vel consuetudinis contra jus. *b*

66 Cessante autem isto modo interpretandi, adeout agatur de interpretatione facienda per Judicem; Tunc communis distinctio adhiberi solet generaliter, inter Jus commune, & Jus statutarium, seu municipale. Ut scilicet primi tanquam favorabilis, lata, & benigna interpretatio fieri debeat, ac tenendo rationem, ob cujus identitatem extensio ad casus omissos admittatur, ut etiam admittuntur illationes, vel inductiones, sive argumenta a contrario sensu; Ista vero omnia denegantur dicto alteri Juri particulari, seu municipali, quod odiosum, ac exorbitans reputatur, ideoque strictam, ac rigorosam recipit interpretationem, ut quominus fieri potest, corrigat Jus commune, vel ab eo deviet, ac propterea ad illud in casu omisso, vel dubio est recurrendum. Stricte, nimiumque rigorose per quandam speciem Judaismi, prohibita extensione, quamvis identitas, vel majoritas rationis, eam suadeat, quasi quod non nisi ad præcisos limites verborum attendi debeat, ut latius advertitur in materia intestatæ successionis, ubi peculiaris hujusmodi legum sedes esse videtur. *c*

Verum ut supra advertitur, parum probabilis est hæc generalis distinctio duorum tantum generum, juris communis scilicet, & particularis, cum reflectendum sit ad dictum alterum genus mistum illius juris, quod conditum sit a proprio Principe, sive a Civitate habente jura Principis, quod dicitur particulare, comparative ad alias Mundi partes, sed in proprio principatu, est commune, ideoque sub prima dictæ distinctionis parte potius cadere debet, quam sub altera.

Quinimo etiam respectu alterius Juris vere municipalis, quod cadit sub dicta secunda parte distinctionis; Adhuc pro meo judicio parum probabile videtur, atque species est judaismi, cum dicta generalitate procedere in omni casu, cum potius subjecta materia id regulare debeat, ut latius in dicta successionum sede, ac alibi advertitur. *d*

Ubi autem agatur de interpretatione Juris communis Civilis, vel Canonici, quod ambiguum sit, seu varios recipere valeat intellectus; Aut quod casus controversiæ non sit expresse ab uno, vel ab altero jure decisus; Et tunc recurrendum est ad interpretationes Doctorum, vel ad decisiones Tribunalium. 67

Ad id autem hodie frequentius restringi videtur judicis partes; Nimium enim rari sunt casus, in quibus leges adeo claræ habeantur, ut ad DD. auctoritates recurrere non oporteat; Ubi etenim casus expresse, & clare decisus est a lege, quæ necessariam facit auctoritatem, tunc non de facili contentiosum judicium, ille deducitur. 68

Id autem provenit; Vel ob immutatos mores; Vel ob immutatum usum linguæ latinæ in eo adeo longo intervallo plurium sæculorum, inter legum ordinationem, & inventionem, seu restitutionem, unde propterea leges a primis Interpretibus varios receperunt intellectus; Sive quod illos, quos dicti primi dederunt, Moderniores in lingua latina magis eruditi, erroneos convincere voluerint; Vel (& frequentius) quod mixtura, sive alteratio circumstantiarum, omnes pene casus, ita mixtos, vel alteratos reddat, ut non de facili legum literæ, eis adaptetur; Prout etiam pleræque quæstiones ex Interpretum potius subtilitatibus, vel considerationibus ortæ sunt, utpote non decisæ per leges, quæ per diversarum opinionum sequaces, quamvis diversi, pariformiter adaptentur.

Atque hinc prodiit, quod ista facultas ad propositiones, seu conclusiones redacta sit, cum quibus procedi videtur, pene neglecto legum, vel textuum studio; Non quod legum auctoritas, etiam hodie, omnium melior ac necessaria non reputetur; Sed quia, easdem leges, earum Interpretes diversimode intellexerunt, vel applicarunt; Unde propterea obscurum remanet quid vere lex disponat; Idque non de facili percipiunt ii, qui in sola rerum superficie discurrentes, omnia scire prætendant, cum nihil sciant, ac propterea redarguere solent modernorum legistarum usum; quod in judicando, vel consulendo, cum textibus non procedant, Siquidem in hoc est punctus quæstionis, quid scilicet textus velint, ac decidant, sive ob aliquam eorundem contrarietatem, quam Juristæ *antinomiam* appellant. 69

Fortius vero quia mixtura tot jurium nempe Civilis, Canonici, Feudalis; Et duplicis particularis ut supra; Ac etiam mixtura quarundam consuetudinum generalium, quas ex traditionibus antiquorum *DD.* receptas habemus; Et alia mixtura cujusdam non scriptæ canonicæ æquitatis, produxit in ista facultate quoddam mixtum, quod ad omnibus participat, adeout (ex alias insinuatis) si *Papiani*,

& Vul-

& Vulpiani, aliisque illorum temporum Jurisconsulti, quorum Responsa tanquam leges hodie veneramur, resurgerent (quidquid sit in scholis, & academiis,) in foro tamen practico, inter idiotas connummerari mererentur, atque de facili a quolibet novitio Solicitatore, (ut vulgo dicitur,) ponerentur in sacco; Idemque forte, *Aristoteli*, *Et Platoni*; *Hypocrati*; *Et Celso*, aliisque antiquis aliarum facultatum professoribus, quos tanquam magistros veneramur, contingeret: Quinimo in hac facultate, etiam in ipsismet modernioribus magistris: *Accursio*, *Azone*; *Cyno*; *Bartholo*; *Baldo*; *Innocentio*, *Jo: Andrea*, & similibus: Talis est temporum, ac mundi rerum vicissitudo: Omnes etenim Scriptores inter se varii, vel contrarii, leges, & textus adducunt, imo quandoque eosdem, eo quia qualiber partium proprio sensui adaptare velit, ideoque impossibile est cum illis tantum procedere: Non per hoc tamen eis omnino neglectis in sola traditione DD. absque aliquo examine legum procedendum est, ideoque vitium est in utroque extremo.

70 In hoc igitur conflictu, seu ambiguitate: Primum locum occupare debebit, judicandi receptus stylus in eo Tribunali, in quo controversia pendeat; Sive in eo Tribunali majori, a quo necessariam dependentiam habeant alia, in quibus causæ pendeant. *e*

71 Verum advertendum est (ne incidatur in æquivoca) quod alius est judicandi stylus: Et alia est auctoritas aliquarum decisionum, quæ a Tribunalibus prodierint: in hoc etenim versari solet æquivocum aliquorum, qui istos terminos confundunt; Siquidem judicandi stylus proprie est ille, qui juxta unam opinionem, ad minus per duas judicaturas, juxta vero alteram, per plures ita inductus sit, in aliquo articulo dubio, quia generaliter, ac in abstracto pro quibuscumque casibus illud Tribunal, sive illius Civitatis, vel Ditionis Tribunalia, eam, & non alteram sequantur opinionem in articulo ambiguo, qui habeat opiniones, ac rationes hinc inde; *f* Ut puta (ex. gr.) in materia interesse lucri cessantis, vel damni emergentis: Curia Romana generaliter tenet opinionem, ut justificari debeant requisita in quolibet casu præciso; Alia vero Tribunalia, & præsertim laicalia, forte pro majori parte tenent, ut sufficiat justificatio generica, sive illa, quæ notoria reputatur. *g* Sive in quæstione, an filii in conditione positi censeantur vocati, multa Tribunalia, & forsan pro majori parte tenent negativam: Alia vero, & præsertim in Dominio Veneto, sequuntur affirmativam, cum similibus. *h*

72 Quinimo ista diversitas dignoscitur etiam inter Tribunalia ejusdem Civitatis; Puta in quæstione, an pro legato competat via executiva; Rota tenet opinionem negativam *Alexandri*; Et tamen Auditor Cameræ, & Signatura, aliaque Tribunalia, sequuntur opinionem *Angeli*; *i* Sive in materia *Cap. Odoardus*. Tribunalia Auditoris Cameræ, & Rotæ habent unum stylum magis rigorosum, illud non admittendi, quando adsit obligatio cameralis, Vel quod debitum sit culposum, Tribunal autem Vicarii illud facilius admittit, *l* cum similibus.

Item alii dicuntur styli in judicando, qui respiciunt decisoria: Et alii dicuntur styli in procedendo, qui respiciunt ordinatoria; Atque inter eos ea præsertim notabilis dignoscitur differentia circa modum probationis, quod scilicet illi, qui respiciunt ordinatoria, facilius probantur per attestationes Curialium, seu Causidicorum, & Notariorum, *m* illi vero qui respiciunt decisoria, indigent formali, & exacta justificatione, & potissime cum frequentia rerum judicatarum, sive quod stylus sit notorius ex aliquo decreto generali, vel reiterato testimonio ejusdem Tribunalis in ejus decisionibus; Ut præsertim (ex. gr.) habemus in ea quæstione, an obligatio de proprio, facta per hæredem, tollat beneficium inventarii, quoniam varii varia tenent, sed Sac. Consilium Neapolitanum, cum quodam decreto generali quod dicitur *quatuor aularum* se declaravit sequi, & canonizare opinionem negativam; *n* Id etenim non continet legem (ut pragmaticorum ignarum vulgus credit, quoniam Judices non sunt legislatores,) sed continet firmam declarationem styli judicandi, cui inferiora, & subordinata Tribunalia se conformare debeant.

73 Secundum locum, præcedenti valde proprium, ob rationis identitatem, vel proximitatem, occupant decisiones, quæ occasione consimilium controversiarum, prodierint in eodem Tribunali, in quo causa vertitur; Sive in altero majori, cui illud, in quo causa pendet, subordinatum esse debeat, quoniam licet exemplis non sit judicandum, neque par in parem habeat imperium, unde propterea judicium sedentium uno tempore, vel in una aula, ligare non debet eos qui diverso tempore, vel in diversa aula, seu turno in eodem Tribunali sedeant; Adhuc tamen ista dicitur doctrina majoris ponderis, majorisque auctoritatis, quasi per quandam styli indicationem, aut initium. *o*

Tertium locum occupare debebunt eædem aliorum magnorum Tribunalium Collegiatorum decisiones, quamvis Judex, vel Tribunal, in quo causa pendet, nullam ab eis habeat dependentiam, quoniam in concursu auctoritatum singulorum, seu privatorum D.D. longe magis, & absque dubio æstimandum est illud plurium insimul congregatorum judicium, quod prævia disputationis trutina, prævioque illo lumine, quod ab Advocatis, & defensoribus, hinc inde scribentibus habitum est, cum solis sensibus veritatis, & justitiæ prodierint, ut in dubio est præsumendum.

Quartum locum, ob aliquam rationis paritatem, occu- 74
pare debebunt illa vota, quæ per singulos Judices, ad instar, decisionum, quas edunt Tribunalia collegiata, edita sint, dum pariter, cum eodem sensu veritatis, & justitiæ, qui in dubio præsumendus est, atque prævio dicto lumine, quod ab Advocatorum, & defensorum certamine recipitur, prodierunt; Et quibus votis; Aliqui (licet vel temere vel imprudenter,) decisionum titulum, vel nuncupationem tribuerunt; Magis vero temere, vel imprudenter illi, si qui sint, hunc titulum tribuant privatis adnotationibus, absque dicta qualitate judicaturæ.

Minor tamen erit hujusmodi votorum, vel singularium 75
decisionum auctoritas, quam sit illa Tribunalium collegiatorum, ob eam rationem, ob quam fides præstanda est pluribus testibus contestibus, quam unico: Prout etiam inter ipsasmet decisiones Tribunalium collegiatorum, dignoscitur eadem differentia majoris, vel minoris auctoritatis, quæ habetur inter ipsosmet testes, tam ratione numeri, quam ratione qualitatis personalis; Sive ob majorem, vel minorem causæ scientiam quam assignant. *p*

Quintum locum, consecutive, & ea quadam paritate 76
rationis, occupare debent Responsa decisiva, seu pro veritate; Sextum traditiones DD. in lecturis, vel in tractatibus utpote ad solam veritatem; Septimum (cum modica tamen, & tali quali fide) Consulentes ad causarum, & requirentium opportunitatem, cum ista dicatur doctrina suspecta, & venalis ideoque justitiæ ac Reipublicæ præjudiciale; Ideoque pro meo judicio perniciosum reputatur, ut publicæ luci sub nomine responsorum, seu consiliorum, aut forensium controversiarum, seu disceptationum, edantur illæ informationes, quas Advocati conducti ad causarum defensionem, & opportunitatem coram Judicibus fecerunt, Ultimum locum cum pene nulla auctoritate tribuendum esse videtur simplicibus Collectoribus, vel Repertoriantibus qui absque aliquo discursu, vel proprio judicio, transcribunt, vel referunt dicta aliorum.

Et quoniam in plerisque articulis, vel quæstionibus adeo Scribentes in copioso numero per classes divisi sunt, ut via dignosci valeat, quænam sit communis, vel magis communis, adeout aliqui laborem assumpserint, conficiendi volumina super communi contra communem; Atque alii in hoc proposito statuant terminos grammaticales, positivi, comparativi, & superlativi; Nempe communis, magis communis, & communissimæ; Hinc proinde, solent moderni professores cum magno improbo, & nauseativo, (ut dici solet) numerorum labore, absque aliqua ingenii operatione, vel parte, facere collectanea Doctorum per quandam speciem cathalogi, seu litaniæ ad effectum ostendendi quod major numerus eis assistat, non distinguendo species, vel qualitates Doctorum, vel dicta, an scilicet sint de illis, qui fundate, & per rationes in forma discursiva id afferant, vel potius collectores, aut simplices relatores, vel loquentes obiter, & ad alium effectum, sive in consiliis venalibus, cum similibus ponderationibus, quæ haberi debent, *p. 2.*

Minusque ponderando id quod principaliter, ac omni- 77
no ponderandum est etiam super decisionibus, & auctoritatibus classicis, multo vero magis ubi agatur de consiliis suspectis, ut scilicet fiat combinatio circumstantiarum casus, de quo decisiones, vel auctoritates agunt, an sint eædem, adeout congruant casui controversiæ, sive an id quod continetur in decisione, vel in alia auctoritate, sit principaliter firmatum in eo, quod erat in quæstione, vel potius obiter, & ad ornatum, cum in his non

dicantur decisiones, quæ solum esse dicuntur in eo de quo est principaliter disputatum. q

78 E converso autem, alii videntes sibi obstare majorem numerum auctoritatum, quodque eis magis assistunt rationes, assumunt disputationem quæstionis, an auctoritatibus potius, vel rationibus deferri debeat, & e contra; Atque in magnis Tribunalibus, præsertim vero in Rota, magis recepta est secunda pars, ut scilicet potius rationibus deferendum sit. r

79 Istæ autem, vel similes quæstiones, quæ retroacto sæculo, vel etiam initio currentis, frequenter haberi consueverunt, hodie e foro quodammodo exulasse videntur, ac propterea (ut agendo de Advocatis, & de consulentibus, vel de modo scribendi, advertitur,) inanis, ac improbus, ineptusque labor est, inanisque repletio chartarum cumulare auctoritates, quoniam ex Tribunalium determinationibus, vel ex magis recepto Modernorum sensu, pene omnes illæ quæstiones, quæ prius adeo erant involutæ, ita ut aliqui cum consueta leguleica simplicitate dixerint, eas Cæsarea decisione indigere, vel cum singulari certamine decidi debere, sunt jam sopitæ; Dum una opinio, quæ tanquam probabilior magis communiter moderno tempore recepta sit, statuta videtur pro regula; Altera vero pro limitatione, quæ ex diversa voluntate, vel ex aliis particularibus circumstantiis derivet, ut in omnibus materiis advertitur; præsertim vero frequentius in illa ultimarum voluntatum plene generaliter experimur; Ideoque tota vis, vel perita Judicis consistit in bene applicando activa passivis, combinando facti circumstantias, ex quibus judicium efformandum est, an potius cum regula, quam cum limitatione sit procedendum.

80 Et quod magis est, neque in hujus judicii formatione, super circumstantiis, certa regula statui potest cuicunque casui applicabilis, quoniam pro diversitate locorum, temporum, personarum, & aliorum accidentium, stant bene simul, ut in uno casu, uno modo bene judicatum sit, & tamen in altero, qui identificus videatur, diversimode judicari debeat; Sive quod juris regulæ, vel conclusiones in una decisione, vel Responso contentæ, ibi bene congruant, & tamen incongruant alteri casui, de quo agatur, & super quo allegantur; Multoties enim præbet casus, atque frequens praxis docet, ut verificetur medicorum propositio, quod pulsus sit bonus, urina bona, aliaque signa sint bona, & tamen æger tendat ad mortem; Sive quod ea, quæ prodesse solent, & debent, non prosint, imo noceant, Siquidem sæpius praxis docet, quod causa consistat in aliquibus conclusionibus, vel regulis, quæ omnes assistant uni Partium, illæque veræ, & receptæ sint; Et tamen quod illa facies causæ, quæ resultet ex tota facti massa, simul considerata, suadeat contrarium, juxta plures casus particulares, quos in singulis materiis recensere occasio præbuit.

81 Atque hinc sequitur, quod in Judice, unitæ desiderantur tot partes, quæ alibi recensitæ sunt occasione agendi de boni Judicis idea; Nempe, integritas, doctrina, judicium, sagacitas, prudentia, & experientia. f

Ideoque (ut alibi quoque advertitur), t Judices, vel Consulentes pro veritate, dicendi veniunt pictores operis musivi, qui componunt imagines ex multis parvis lapidibus, qui disjuncti habent suos bonos colores; suamque perfectionem in genere suo, sed nihil ostendunt, cum eorum conjunctio requiratur, istaque non semper eandem habent aptitudinem ad efformandam effigiem Angeli, ac illam diaboli, sive illam hominis, ac illam asini, vel bovis; Quinimo ubi etiam Pictor illos componat pro certi hominis effigie efformanda; Adhuc tamen, nisi sit bene peritus in arte, stant bene simul, ut efforment effigiem hominis, cum omnibus membris humanis, bene, & symetrice dispositis, & tamen quod non repræsentet illum, de cujus effigie efformanda agitur, quia desit similitudo, sive aptitudo, aut ut vulgo dicimus, aer illius vultus, quod est quid intellectuale, & non actum, ut describatur, idque resultat ex illa universa massa, seu compositione; Ita pariter in causis, quoniam regulæ juris, & doctrinæ, sive probationes, & circumstantiæ facti, sunt lapides, ex quibus figura componenda est, omnesque constituunt, beneque in idem tendunt; Et tamen, quædam non scripta æquitas naturalis, sive quædam repugnantia humanæ rationi, seu verisimilitudini, frequenter cogunt ad sentiendum contrarium, quodque revera in contrarium sit veritas; Ideoque ars judicandi, super omnes alias, dicenda est ars artium, & scientia scientiarum, cum sola doctrina, sive aliæ animi dotes disjunctæ nihil prosint,

Item licet in foro externo practico, seu forensi idea- 82
lis esse videatur quæstio, adeo apud Theologos morales disputata pro foro interno, an scilicet lex dicatur effectus voluntatis, & potestatis tantum legislatoris; Vel potius effectus justitiæ, & rationis, contra quam proferre non liceat, unde propterea de consequenti manat decisio quæstionis, an subditi possint impune spernere legem proprii Principis, vel superioris eique contravenire; Dum in casu legis claræ, atque in Tribunalibus dependentibus ab eodem legislatore, in foro externo, istius quæstionis disputatio non admittitur ex forensium assumpto quod ideo dicitur lex, quia licet dura servanda est; Adhuc tamen dicta quæstio considerabilis est, ad effectum congruæ interpretationis, vel applicationis ejusdem legis pro casu particulari, de quo agitur, ut ex ratione fieri debeat.

Multo vero magis ubi non agatur de lege, quæ aucto- 83
ritas necessaria dicitur, sed de doctrina punctuali, quæ ut Practici dicunt, in casibus in jure non provisis haberi debet in judicando pro casu legis; u Quoniam procedendum non est cum cæca fide generaliter super applicatione hujus propositionis cuicumque casui, vel respective id attendendo in quacunque doctrina, sed diligenter inquirendum est, an ea sit bene fundata in principiis generalibus juris, a quibus non deviet, sive cum quibus præsuppositis, vel qua occasione, aut ad quem effectum ille Doctor, vel illa decisio loquatur, & an bene applicetur.

Pariter in metienda auctoritate Doctorum, qui in ma- 84
gno numero super quæstione, quæ adhuc pendeat indecisa, deduci solent, procedendum non est cum eorum sola numeratione arithmetica, ut ineptum, ac plebeum pragmaticorum vulgus facere solet: Sed distinguendæ sunt eorundem qualitates, seu classes ut supra; Atque in singulis classibus, reflectendum est ad personales qualitates singulorum Doctorum, quorum vitæ historica descriptio apud posteritatem, ad hunc effectum nimium proficua est; Siquidem juxta dictas regulas, quas habemus super fide testibus danda, non est pariformiter æstimandum testimonium viri nimium qualificati, nimiumque periti in ea re, de qua deponit, & qui bonas, atque concludentes scientiæ causas adducat, sicut testimonium alicujus pueri, vel stolidi, aut inexperti, sive loquentis de auditu, aut ex propria erronea credulitate, sive suspecti de affectione; Ideoque ponendi non sunt in calculo illi DD. exteri, qui loquantur juxta leges, vel stylos, aut opiniones receptas in illis regionibus, & Tribunalibus, in quibus ipsi versati sunt, si in loco controversiæ vivatur cum diversis legibus, vel stylis, aut cum diversis opinionibus; Sed inspiciendi sunt DD. qui loquantur, præsuppositis, vel retentis illis terminis, cum quibus decidendus est casus controversiæ, cum similibus considerationibus, eo modo quo fit in testibus.

Prout etiam inquirenda est origo alicujus propositionis, quam plures DD. firment, cum sæpius id provenire soleat, ex vitio, quod avibus, vel ovibus est commune, quod scilicet unam alteram insequatur, dum frequenter principium est vitiosum, vel quia ille primus, a quo traditio derivet, & cui per Juristas *Antesignani* vocabulum tribui solet; in effectu aliud dicere voluerit, vel quia constet, quod ille inconsiderate id dixerit contra juris principia; Unde propterea adaptetur idem simile, quod habemus de testibus de auditu, quod scilicet si sint centum, vel mille deponentes de voce originata ab uno, non valent, nisi pro uno; Atque si convincantur, quod ille primus non dixerit, vel quod ad alium finem; sive quod male dixerit, tunc omnes alii corruunt, atque habentur, ac si non essent; Et hic est casus.

Hinc proinde in ista facultate, præcise necessaria 85
est peritia theoricæ per sua scholastica principia, eo modo quo Justinianus præcepit; Non quidem, ut cum scholasticis subtilitatibus, vel stylis, in judicando procedi debeat, cum hic magnus error esset, atque ut plurimum subtilibus scholasticis omnino incongruus sit forus practicus, Sed ut bene callentes regulas, ac principia juris, dignoscere valeant, an ille Auctor bene, ac fundate loquatur, necne, ut existimari, vel parvipendi mereatur, cum quælibet scientia habeat sua principia, a quibus per professores deviari non potest; Si etenim detur philosophus Auctor, qui asserat, quod ignis sit frigidus, & humidus, & quod aqua sit sicca, & calida, tunc ille, qui non habebit

princi-

principia scientiæ, sed clausis oculis procedere cogitur cum sola fide ejus quod invenit scriptum, id credet, atque cum hoc præsupposito pertransibit; Verum talem auctoritatem irridebit ille, qui sit scientificus philosophus, dum agnoscet, quod id repugnat principiis, cum similibus; Ideoque mea est consuetudo dicendi, quod nunquam dici meretur Doctor, vel Juris Professor ille, qui legendo Auctorem aliquid expresse firmantem, non cognoscat ea sola lectura, an bene, vel male loquatur, idque sine scientia principiorum sequi non potest.

Potissimum vero reflectendum est ad distinctionem plu-
86 rium, ac diversorum casuum, qui sub unico generico articulo, vel sub una quæstione cadere possunt, quoniam frequens praxis docet, quod ex centum auctoritatibus, quæ super aliqua propositione cumulari solent, bene distinguendo casus, eorumque circumstantias, vix reperietur una, quæ bene concludat; Quinimo plures retorqueri possunt.

Demum circa leges novas; & particulares; Reflecten-
87 dum est, an lex adaptetur casui de quo agitur, quia forte trahat causam a præterito, ex regulari natura novæ legis trahatur ad futura, non autem respiciat præterita; Nisi ea prodierit per viam declarationis casus dubii, cum tunc etiam præterita percutiat; x Sive an sit lex revocata, vel moderata, cum ista quoque aliquando attendi soleat, vel tanquam doctrina magistralis, aut pro declaratione, vel interpretatione legis novæ.

88 Atque circa stylos Tribunalium, diversæ inspectiones cadunt, ut supra quoque insinuatur; An scilicet respiciant ordinatoria tantum, vel etiam decisoria, tam ad effectum facilioris, vel difficilioris probationis ut supra, quam ad alteram, an practicari debeant cum non subditis illius fori, eo modo quo superius de legibus dictum est; Sive ad effectum alterius quæstionis, de quo particulariter infra, agendo de executione, & executore, an scilicet iste in executionis consummatione, vel in alterius delegationis executione, servare debeat stylum proprium, vel potius illum Judicis causæ principalis, seu delegantis, cum similibus. a

89 Mixtura quoque subditorum, & exemptorum in eodem judicio, in legum præsertim municipalium praxi, juxta magnas quæstiones parere solet, de quo in suis respective sedibus agitur; An scilicet, & quando exemptus a foro, ac potestate legislatoris, subjaceat ejus legibus, ad quarum observantiam teneri debeat, saltem in vi directiva, si non coactiva, ob fomentum legis naturalis, sive ratione publicæ necessitatis, vel utilitatis, Sive, quando usus legis principaliter habeatur cum proprio subdito, quamvis accessorie vel consecutive influat in non subditum, cum similibus; Super his autem pene impossibile est certas statuere regulas generales, quibuscunque casibus, & quibuscunque locis indefinite applicabiles, non solum quia singulorum casuum diversæ circumstantiæ, etiam in eodem loco, in quo cum eisdem legibus, & stylis vivatur, magnam judicii diversitatem causare solent; Sed fortius quia, ob adeo magnam, & multiplicem dominiorum, & principatuum diversitatem, quæ inter Christianos viget, (& quæ etiam in politicis, Christiano nomini, & Fidei adeo præjudicialis est, tantumque licentiam tribuit ejusdem Fidei hosti; cujus Imperium est unicum,) adeoque magnam legum, & stylorum diversitatem induxit, ac etiam inter dominia adjacentia; quinimo (quod magis est) inter ejusdem Principis, vel principatus provincias, vel membra adeo magna dignoscatur differentia, ideoque pro singulorum locorum moribus, & legibus, vel respective pro singulorum casuum circumstantiis judicium efformandum erit. z

90 Hinc proinde, ad istum effectum, semper inculcanda est necessitas partis scientificæ in Judice, habendi scilicet hujus facultatis peritiam theoricæ, & per sua principia, ad effectum, ut illis deservientibus pro lumine navigantium, ab istis pro qualitate locorum, & navium, ac temporum, bona navigatio applicationis fieri valeat; Et e converso, perpetuo damnandus, ac declamandus est modernus pragmaticus stylus, constituendi scientiam cum solo lumine repertoriorum, in solis doctrinis, vel decisionibus, vel notitia conclusionum per solas traditionea, atque procedendo cum earum generalitate, sive cum doctrinarum sola litera, dum exinde tot resultant æquivoca, justitiæ, ac veritati præjudicialia, frequenter capiendo quid pro quo.

91 Super præmissis autem, ac super aliis, quæ in ista materia cadunt, impossibile est certam normam, seu regulam dare, nisi in Judice omnium prædictarum partium bona unio ac,

cedat, quæ sine magna experientia non de facili haberi potest. Ac propterea lex damnat eorum promotiones per saltum; Minusque possibile, vel de facili practicabile videtur, ita incidenter ad aliquam Judicis instructionem, reliqua omnia recensere, quæ circa præmissa, vel similia cadunt, cum vix in magnis voluminibus, ille qui in aliis occupatus non esset, id explere posset; Ideoque ista ita solum indicasse sufficiat; Alia vero habentur in aliis locis, & sedibus supra insinuatis; Et si ibi quoque desint, laborent, ac perquirant qui cupiunt, vel suppleant illi, qui melius fieri debere credant.

a supra disc. 2. b tit. de feud. disc. 2. & 8. & per tot. lib. 1.
c dicto disc. 2. de feud. & tit. de Regal. lib. 2.
d lib. 3. tit. de jurisd. & foro compet.
e eod. lib. 3. tit. de preeminent.
f lib. 4. de servit. ad materiam retractuum.
g sub tit. de feud. disc. 58. tit. de benef. disc. 16.
h lib. 5. tit. de usur. tit. de camb. & tit. de censib.
i tit. de censib. in supplemento in Romana reductionis censuum. l dicto tit. de cambiis, disc. 1. & seqq.
m eod. lib. 5. tit. de societ. offic. n lib. 6. tit. de dote.
o lib. 7. tit. de donat. tit. de emption. & vend. & tit. de alienat. & contractib. prohib. p lib. 8. tit. de cred. & debito. q lib. 9. tit. de testam. r eodem lib. 9. de legit. & de tract. s eod. lib. 9. titul. de her. t lib. 10. tit. de fideicom.
u lib. 11. tit. de legat. x eod. lib. 11. de success. ab intest.
y eod. lib. 11. de renunc. z eod. tit. de renunc. lib. 11. & lib. 10. tit. de fideicom. disc. 141.
a lib. 12. tit. de beneficiis, Canonicis, & Parochis, & lib. 13. de jurepatronat. & de pensionib. & lib. 14. in tit. de Regularibus, & in Miscellan. Ecclesiastico, & in aliis. b eod. lib. 19. tit. de matrim.
c dicto lib. 13. de jurepatron.
d Penia dec. 480. & advertitur in pluribus materiis, præsertim lib. 4. in annot. ad Conc. Trid. disc. 28.
e tit. de feud. disc. 54. & alibi pluries. eodem tit.
f tit. de serv. disc. 1. g dicto disc. 1. de servit.
h Franch. dec. 148. n. 5. Rovit. dec. 78. n. 5. tit. de legitim. & detract. disc. 10. n. 24. & alibi.
i dicto disc. 10. tit. de legitim. & detract. & alibi.
l tit. de beneficiis pluries.
m de his aliqua in relatione Curiæ in disc. in qua agitur de Oratoribus Principum.
n de his tit. de legitim. & detract. disc 10. tit. de fideicom. disc. 141. tit. de feud. ad bullam Baronum, disc. 73. cum plur. seqq. Et in titul. Miscellan. Eccl. disc. 41. o supra disc. 21.
p tit. de usur. pluries. q tit. de dote, disc. 143. & tit. de alienat. & contract. prob. pluries.
r de his agitur tit. de jurisd. disc. 58. & seqq. & 94.
s Sperell. dec. 10. Rovit. super pragm. 2. de Cler. solut. nu. 16 t dicto disc. 54. tit. de feud. & in aliis ibidem.
u tit. de success. ab intestat. disc. 17.
x tit. de dote, disc. 143. tit. de credito, disc. 116. in Miscellan. Eccl. disc. 8. & alibi y dicto, disc. 116. de cred.
z tit. de dote, disc. 34. tit. de success. disc. 41. tit. de alienat. & contract. disc. 39. & sæpius. a tit. de servit. disc. 1. b in relatione Curiæ, disc. 2.
c dicto tit. de servit. disc. & tit. de Regal. ad disc. 160. in supplementa, & tit. de success. disc. 41. n. 192. remissive.
d fit præsertim mentio tit. de usur. disc. 6. & tit. de Reg. disc. 100. & seqq & alibi infra.
e Rot. decis. 316. post 2. vol. consil. Farinac. Cyriac. dec. 576. repet. dec. 414. par. 1. rec. Agitur tit. de dote, disc. 232. & tit. de matrimonio, disc. 15. ibique allegantur concordantes, & præsertim Cyriac. contr. 240., & seq. & Farinac. in fragm. verbo Judæi. f locis citatis & tit. de servitut. disc. 70. & tit. de dote, disc. 132. g tit. de success. disc. 41. n. 187. remiss.
h in adnot. ad Concil. Trid. disc. 20. & alibi.
i de Constitutionibus Synodalibus ut non attendantur contra jus annot. ad Concil. Trid. disc. 30. & infra, disc. 37. l in eisdem adnotationibus ad Concil. Trid. & tit. de matrim. pluries.
m Farinac. in pragm. verbo lex, Sperell. decis. 15. Pratus observ. 13. & 14.
n tit. de alienat. & contract. disc. 35. alibi pluries.
o decis. 194. part. 4. recent. tom. 2. & advertitur pluries alibi.
p tit. de servit. disc. 1. q tit. de success. ab intest. disc. 26.
r apud allegatos supra lit. M.
s tit. de success. disc. 26. & tit. de testam. disc. 30.

t dicto disc. 25. de success. & tit. de Testam. disc. 30.
u dicto tit. de success. dict. disc. 25. & d. disc. 30. de Test.
x Burat. dec. 6. decis. 438. par. 4. rec. tom. 3. tit. de servit. disc. 71. & de dote, disc. 143.
y Coccin. dec. 1573. & 1763. decis. 222. par. 7. rec. & in aliis proxime infra z dec. 192. & 210. par. 1. dec. 166. p. 5. dict. dec. 222. p. 7. Spad. cons. 38. lib. 2.
a Burat. & add. dec. 758. dec. 537 p. 5. 115. p. 6. 32. & 107. par. 7. dec. 317. par. 10. add. ad dec. 20. par. 3. rec. in quibus de materia statutorum Capitularium.
b tit. de dote, disc. 143. tit. de alienat. & contract. disc. 1. dec. 59. par. 10. tit. de success. ab intest. disc. 15. & sæpius.
c tit. de success. ab intest. d. disc. 15. & in aliis.
d dicto tit. de success. ab intest. disc. 1. & 15. & in alii.
e De stylo judicandi, Rovit. cons. 18. lib. 1. Franc. dec. 91. 238. & 22.
f proxime supra. g tit. de usuris pluries.
h tit. de fideicom. disc. 73. i tit. de legatis, disc. 6.
l tit. de credito, disc. 119. m Burat. & add. dec. 124. & 735. dec. 427. par. 9. rec.
n de hoc agitur tit. de dote, disc. 28. & tit. de heredo, disc. 8.
o de auctoritate decisionum Tribunalium, Affl. dec. 96. & 190. Capyc. Latr. consult. 6. Scaccia de sent. & re jud. gl. 4. q. 24. Niger de laudem. tom. 1. q. 45. p supra disc. 32. p. 2. advertitur in relatione Curiæ agendo de Advocatis, Procuratoribus, & de modo scribendi, disc. 46.
q Seraph. dec. 299. dec. 17. par. 7. rec. 235. par. 9. Bich. dec. 480. r Franc. & add. dec. 39. dec. 163. part. 7. rec. cum aliis per add. ad dec. 460. par. 4. rec. tom. 2. ex n. 18.
s in relatione Curiæ, disc. 32. t tit. fideicom. disc. 25.
u ti. de fideicom. disc. 74. & 108. x dec. 9. par. 11. rec. late Farinac. in fragm. verbo lex, ex n. 51.
y infra disc. 40. z de his tit. de dote, disc. 734. & tit. de success. disc. 6. & tit. de alienat. & contract. pluries, ac etiam in Miscell. Eccles. disc. 41.

De sententia diffinitiva, vel inter locutoria. Et de utriusque diversa forma, & effectibus, ac de sententiæ justificatione ex actis.

S U M M A R I U M.

1 De generali significatione hujus vocabuli sententiæ.
2 Judicialiter quid in praxi significet.
3 Per sententiam diffinitivam Judex dicitur functus officio suo, ejusque jurisdictio expirat si sit valida, seu sit nulla, eam retractat.
4 Etiam sit nullitas, quæ resultet ab injustitia notoria.
5 Id autem non conceditur Judici delegato, sed solum ordinario.
6 Idem in executore literarum Apostolicarum, ut jure delegati habeatur.
7 Scriptura an sit precise necessaria in sententia?
8 Non sufficit scriptura sine lectura ab ipsomet Judice.
9 An de lectura, seu promulgatio fieri sedendo, & de die, & an proferri possit de nocte?
10 Sententia non lecta, & non publicata, est nulla.
11 Quomodo fieri debeat ista lectura, & an alteri committi valeat?
12 De stylo, vel praxi Curiæ Romanæ circa modum sententiandi.
13 An imperfecta sit de ea sententia, quæ per Judicem determinate tradita fuit Notario, ut faceret actum publicationis, quam iste neglexit.
14 Quomodo in Curia concipiantur decreta inter locutoria, & distinguantur a sententia diffinitiva.
15 De diversis speciebus decretorum inter locutorium.
16 De decretis voluntariæ jurisdictionis in contractibus per speciem solemnitatis.
17 Per decretum inter locutorium non finitur jurisdictio, sed Judex potest reponere.
18 Exinde manat, ut possessoria sint executiva, quando procedatur per decretum inter locutorium, non autem per sententiam.
19 De stylo de partibus concipiendi decreta inter locutoria.
20 De stylo Signaturæ non curandi formalitates, atque rejiciendi appellationem in parte, illamque concedendi in alia parte, & dantur exempla.
21 Sententia in parte appellabilis, fit appellabilis in totum.
22 An stylus, de quo num. 20. practicari possit, & debeat per Judicem appellationis?
23 De stylo Auditoris Cameræ, aliorumque Tribunalium curandi excessum, & sustinendi condemnationem vel mandatum pro summa debita.
24 Quid ubi res non sit integra, sed processum sit ad executionem.
25 De aliis ad materiam.
26 Judex debet procedere cum actis, non autem per notitias extrajudiciales.
27 Sententia quæ non justificatur ex actis, est nulla, & injusta, sed distinguendi sunt plures casus pro istius conclusionis intelligentia.
28 De casu in quo generalis habeatur relatio ad acta, puta visis, actis &c., an sit necessaria precisa justificatio ex eisdem, & quando?
29 Quomodo Judices in Curia videant processus, & quid ubi deficiat potentia eos videndi.
30 De sententia, quæ habeat certam, ac specialem relationem ad certa acta.
31 De decretis voluntariæ jurisdictionis in contractibus ex falsa causa.
32 Sententia antiqua non indiget justificatione ex actis, dummodo accedat etiam observantia.
33 Etiam non antiqua probat sine actis, excipienda.
34 Item incidenter, & ad quosdam effectus incidenter, qui exemplificantur.
35 Vel ubi ob casum, vel justum impedimentum acta haberi non possint, vel sint ammissa.
36 Sive ob impedimentum Partis adversæ.
37 Aut quia subjecta materia, seu qualitas causæ ita exigat, quod exemplificatur.
38 Quomodo materia sit arbitraria, & quomodo desideranda.
39 Quid de justificatione ex novis, ubi aliqua adsit justificatio ex eisdem distinguuntur casus.
40 Non datur ista justificatio ad sustinendam executionem jam factam, vel alium actum executionis consecutivum.
41 Neque datur ad substinendas censuras.
42 Nova possunt deduci ad elisionem eorum, quæ de novo deducantur ob impugnationem antiquorum.
43 In executivis justificatio est facienda ex eisdem, quod declaratur.
44 Admittuntur nova ad impediendam executionem sententiæ.
45 Deducuntur etiam nova pro confirmatione judicati.
46 De aliquibus effectibus sententiæ remissivæ.
47 Quando sententia implicite condemnare, vel absolvere dicatur, licet explicite non dicat.
48 De eodem, & datur casus præcisus.
49 De sententia lata cum uno an præjudicet tertio, & præsertim in causa status?
50 De aliis ad materiam sententiæ secundæ instantiæ.
51 De tribus conformibus, vel duabus ex statuto.
52 In specie de statuto Urbis, in quibus causis procedat.
53 Quando dicantur conformes.
54 Quod duæ conformes soleant expectare tertiam, vel tres quartam, & quare.
55 Quid si conformitas sit in parte.
56 Sententia contraria intermedia non tollunt conformitatem.
57 De aliis ad materiam.
58 Quare hodie in Curia res judicata, vel tres conformes liti finem non imponant.

D I S C. XXXVI.

NEglectis pluribus significationibus, quas in actibus extra judicium, istud sententiæ vocabulum, ex regulis grammaticorum, sive ex quodam communi usu loquendi recipit (cum de iis nil referat inspicere); Quatenus ad judicialia pertinet; Istud vocabulum cuicumque Judicis determinationi, vel decreto, quamvis interlocutorio, vel provisionali congruit. Quinimo etiam judicio, vel determinationi Arbitri, vel Arbitratoris, quod laudem frequentius dicitur, quoniam sententiæ arbitramentalis nomen quoque sortitur. 1

Quidquid autem sit de hujusmodi nominis, seu vocabuli quæstionibus, dum pro foro practico illæ inutiles esse videtur; Atque agendo de praxi Curiæ Romanæ, ejusque judiciali loquendi usus; Istud vocabulum convenit solum sententiæ diffinitivæ, per quam Judex, ejus officio fungi dicitur pro causæ diffinitione, unde propterea illa instantia finitur, ipseque Judex amplius in ea causa se ingerere non potest, præterquam illis, quæ concernant 2 ejusdem

ejusdem sententiæ executionem, vel ea quæ in eadem sententia reservata sint.

Iste vero præ cæteris, dicitur unus ex sententiæ diffinitivæ effectibus. Quoties tamen ea valida sit, quoniam ubi aliquem defectum nullitatis pateretur, ex illis speciebus, 3 quæ hodie in Curia attenduntur juxta ea quæ infra in nullitatum rubrica habentur, tunc Judici ordinario facultas competit (propria sententia neglecta) causæ cognitionem reassumere, novamque proferre sententiam, vel priori conformem, vel etiam oppositam, ut in Tribunali præsertim auditoris Cameræ frequens praxis docet, quoniam nullum & nihil patificaotur, ideoque sententia nulla habenda est, ac si non esset, adeo ut neque illius nomen mereatur.

Nullitas vero, quæ ad istum effectum sufficiat, ad so- 4 lum defectum ordinis judicii male servati, restricta non est, sed ex meritis causæ quandoque manat; Quoniam ubi detegatur injustitia notoria, ista quoque nullitatem redolere dicitur, non solum ad istum effectum impediendi consumptionem instantiæ, ac expirationem jurisdictionis in Judice, ut ejus officio functus dici valeat, necne; Sed etiam, ut executione non obstante, priori possessori, qui eam passus sit, coram eodem, vel altero diversæ instantiæ Judice, extraordinarium remedium possessorium reintegrandæ, quinimo alterum magis summarium, ac privilegiatum retinendæ, ex ratione solius civilis possessionis animo retentæ, competat, ut etiam infra in rubrica judicii possessorii advertitur. *b*

Denegatur autem id Judici delegato, cujus jurisdictio 5 per sententiam diffinitivam, illico consumitur, & expirat, sive bene, sive male, ad eam deventum sit, adeout spectetur solum factum; *c* Idque etiam ad illas sententias extenditur, quæ in forma extrajudiciali potius, quam judiciali proferri dicuntur. Ut præsertim frequens praxis docet in illis sententiis, quæ proferantur per executores Apostolicos, deputatos in beneplacito concesso super alienationibus bonorum Ecclesiæ, cum clausula *si in evidentem*, sine oppositore, seu contradictore; quoniam si executor male ejus officium impartitus est, sibi non conceditur errorem emendare, atque denuo valde exequi, dum ejus potestas jam consumpta est, *d* cum similibus, 6 quibus eadem congruat ratio; Puta in executoribus literarum Apostolicarum, quæ in beneficialibus, vel super aliis materiis expediantur, ut infra magis distincte advertitur in Rubrica judicii executivi in beneficialibus. *e*

Ex juris communia dispositione, sententia diffinitiva 7 eam habet formam, ut pernecesse scripturam exigat, atque in scriptis proferatur, aliquibus casibus exceptis, in quibus scriptura necessaria non est. Ut puta in sententia interlocutoria, Aut in causis omnino summariis, & executivis. Vel ubi de re omnino notoria agatur; Aut ubi ita exigat imminens necessitas; tanquam per speciem defensionis, ut in illis censuris habemus, quæ potius in forma extrajudiciali proferantur, tanquam arma, cum quibus Prælatus se defendat cum similibus. *f*

Non sufficit autem scriptura, nisi quoque Judex, seden- 8 do pro Tribunali, atque in forma judicii, eam ore proprio legat, & proferat, cum alias scriptura, futuræ sententiæ præparationem, continere valeat. Ideoque actus dicatur esse potius in via, quam in termino; Ad instar eorum, quæ in testamentis habemus. Illum etenim Notarii interventum, quem hodie praxis pene ubique docet, Jus commune non cognovit, sive præcise necessarium esse non statuit. *g*

Quæstione cadente inter scribentes, cum consueta opinionum varietate; an id fieri debeat sedendo pro Tribuna- 9 li, tanquam pro forma præcisa. Vel potius sufficiat, ut id sequatur, stando, vel ambulando, Sive an de die, vel fieri possit de nocte. Verum super hoc Tribunalium, seu locorum stylis deferendum videtur. Atque in Curia proferuntur etiam de nocte. *h*

Atque hinc manat vera, & recepta conclusio, quod 10 sententia non lecta, neque publicata, imperfecta est, neque illius nomen, vel essentiam sortitur, cum illa scriptura, quamvis manu Judicis scripta, vel subscripta sit, præparatio, ut supra, potius dici valeat, dum perfectio ab illa lectura pendet, quæ non præsumitur. *i*

Quamvis autem, de stricta juris censura, per ipsum Ju- 11 dicem ore proprio sententia ferri debeat. An tamen, sive ob Judicis conspicuam qualitatem, vel decorem & majestatem, Vel ex altero justo motivo, istam functionem alteri delegari, vel committi posse, ipso tamen Judice præsente, & approbante, apud DD. est magis communiter receptum *l*. Atque pro frequentiori usu, ipso Judice sedente pro Tribunali, ad omnem ambiguitatem tollendam, pene generalis inolevit stylus, ut hæc lectura, seu publicatio fiat per illum Notarium vel Scribam, seu Actuarium, qui pro diversis locorum stylis, aut nuncupationibus alia confecit acta ordinatoria, in præcedentibus recensita.

Quidquid itaque sit de diversorum Principatuum, vel Tribunalium stylis, vel legibus, quibus est deferendum, unde propterea materia censenda venit incapax regulæ generalis, quæ quibuscunque locis & casibus applicari valeat. Et per consequens, manifestus detegitur error eorum, qui super sententiæ forma, vel lectura, cum generalitatibus procedunt, sive aliquas DD. traditiones attendunt in sola litera, quales quales illæ sint, non reflectendo, an sint antiqui, vel moderni. Sive, an propriæ, vel diversæ regionis. Aut, an practici forenses, bene versati in foro, vel potius collectores, vel transcriptores, qui nullam fori notitiam, vel praxim habeant. Ut præsertim in Juristis scholasticis, vel in iis Moralibus, qui in legalibus, & forensibus se ingerere volunt, frequenter experimur, quoniam totum pendet a singulorum Principatuum, vel Tribunalium, particularibus legibus, vel stylis.

Quatenus tamen pertinet ad Curiam Romanam, & præsertim ad illa ejus Tribunalis ecclesiastica, quæ universo 12 Orbi catholico sunt communia, atque in forma judicii procedunt, Ut sunt illa Rotæ, & Cameræ, & Auditoria Cameræ, & Thesaurarii, quæ universæ temporali ditioni Ecclesiæ quoque communia sunt, dum Sac. Congregationibus forensium Tribunalium terminus non congruit, eo quia telam, vel ordinem judiciarium non attendunt, ut in *relatione Curiæ* de illis agendo, non advertitur.

Receptus stylus est, quod sententiæ diffinitivæ proferuntur per quandam scripturam, ab aliis actis distinctam, quæ cedula nuncupatur, eaque ab invocatione nominis Christi initium habet, ideoque apud Practicos, quando sententia diffinitiva describitur, illa discrete a decreto interlocutorio, dicitur *per Cedulam Christi nomine*.

Ista vero cedula, pro magis communi, & frequenti praxi conficitur, seu ordinatur per ipsammet Partem, cujus favore proferenda sit, ut contingit præsertim in Rota, & in Camera, dum prius cum decisionibus, vel resolutionibus respective, votum per aliquod considerabile tempus propalatur, ut in eadem *relatione Curiæ* agendo de istis Tribunalibus advertitur *m*; In aliis vero, & præsertim in illo Auditoris Cameræ postquam compilatus est processus, causaque instructa, atque in contradictoriis etiam discussa; Judex injungere solet Partibus, ut dent eorum cedulas hinc inde, causæ Notario, vel ipsimet Judici, una cum informationibus, aut ex ipsarum, vel unius earum diligentia, isto ordine non expectato, id sequitur; Quare Judex, postquam determinavit ad sententiam devenire illam cedulam, quando ita sibi videatur, in aliquibus partibus, cum superadditionibus, vel cancellationibus reformat. Et postquam eam subscripserit, tradit Notario causæ, qui ex commissione sibi oretenus fieri solita, illam in proprio officio, sive alibi, publicat coram testibus, extra præsentiam Judicis.

Priusquam autem iste publicationis actus sequatur, subscriptione & consignatione non obstante, illa esse dicitur potius in via, quam in termino, adeout eidem judici integrum sit, eam reassumere, ac lacerare, atque in contrarium sententiare, juxta frequentem praxim, alibi quoque supra insinuatam. *n*

In facti vero contingentia, disputare occasio dedit de casu forte singulari, An scilicet Judice subscribente cedulam, juxta sibi visam formam, eamque tradente Notario, 13 ut juxta stylum eam publicaret; adeout, quoad eum, actus haberetur pro jam absoluto, si Notarius publicationem negligat, dicatur tamen consumpta illa instantia, ipsiusque Judicis jurisdictio expirata, necne. Et an idem Judex, vel alter ejus loco subrogatus, neglecta dicta cedula, ulteriorem causæ cognitionem reassumere valeat. Atque scribendo pro instantiæ terminatione, ut propterea ex causa aliam non haberet cognitionem, nisi illam in ulteriori diversa instantia, appellationis, vel recursus, aut restitutionis in integrum; Dicebam, quod ex præmissis, Jus civile, vel canonicum non cognovit hanc Notarii necessitatem, quodque propria sententia per ipsum Judicem proferri debet, cum ipse sit ille, qui revera actum perficiat, totumque pendeat

ab ejus

ab ejus voluntate; qua accedente, non videtur de alio quærendum, neque Notarii negligentia in non pubblicando, veritatis, seu voluntatis Judicis substantiam mutare potest.

E converso autem (reflectendo ad veritatem) ponderabam ea, quæ habentur in materia testamentorum, aliarumque ultimarum voluntatum, quamvis de illis agatur, quæ solemnitatibus juris positivi non subjacent, sed solum exigunt perfectionem voluntatis naturalis, quoniam si ille testatur, qui poterat tunc coram duobus testibus, vel per schedulam per se ipsum perfecte testari. Attamen id commiserit Notario, vel alteri, ad effectum desuper conficiendi aliquem actum, qui deinde non sequatur, tunc subsecuta morte, vel alio impedimento testatoris, actus, ex magis communiter recepta sententia, dicitur imperfectus etiam ex imperfectione voluntatis, dum ille testator, qui tunc poterat per se ipsum actum perficere, ad alium futurum actum eum protraxit, ut exinde perfectionem reciperet; o Ita a pari stante præsertim stylo, ob quem Partes, donec dictum actum publicationis in actis videant, juste credunt rem esse adhuc integram atque in statu imperfectionis; Isteque erat quoque sensus Rotæ, in qua, occasione causæ extra Rotam, uni ex Auditoribus commissæ, de hoc disputatum solum fuit per memoriale, non autem per dubium, unde propterea desuper non prodiit decisio.

Ubi vero agitur de decretis interlocutoriis; Tunc Cu-
14 riæ stylus est, quod non scribuntur, neque subscribuntur per Judicem, neque in eis adhibetur superius recensita solemnitas publicationis, sed fiunt oretenus, eaque adnotantur in calce citationis per Notarium causæ, cujus fidei in hac parte defertur, ac propterea, ita ex hoc diverso modo concipiendi, distinguuntur sententiæ a decretis.

Tres autem sunt hujusmodi decretorum species; Una scilicet eorum, quæ concernant ordinem judicii; Puta super admissione jurium, vel articulorum, sive positionum, earumque responsionum, vel super concessione remissoriæ, seu compulsoriæ, & in aliis hujusmodi, quæ dictum or-
15 dinem, seu compilationem processus respiciunt; Altera est super provisionibus, quæ causa pendente, capiantur; Puta supra sequestro provisionali, vel super alimentis, & sumptibus litis, aut super decretatione alicujus summæ in causam declarandam, & aliis continentibus quid mixtum, quod scilicet non concernant mere ordinatoria judicii, minusque decisoria causæ principalis, sed incidentia; Et tertia est illa, quæ continere videtur decisoria, in judiciis summariis, & executivis, ex eorumdem judiciorum natura, & privilegio, absque eo quod resultet præjudicium totale in negotio principali, super quo consultum esse possit alteri Parti, contra quam fiat decretum, in judicio ordinario petitorii; Ut (ex. gr.) sunt decreta relaxationis mandati executivi contra debitorem pro executione obligationis cameralis, vel alterius pacti executivi, sive in vim Statuti, vel quod etiam de jure communi materia sit executiva; Puta super revocatione, seu purgatione attentatorum; Ac etiam sunt decreta, quæ interponuntur in summario, & executivo judicio retinendæ, quod vulgo manutentionis dicimus; Aut in alio pariter executivo associationis, cum similibus, in quibus proceditur per decretum interlocutorium, non autem per sententiam diffinitivam.

Datur etiam quarta species decretorum, quæ in simili
16 forma fiant, oretenus scilicet, cum solo rogitu Notarii, cui creditur absque necessitate subscriptionis Judicis, & publicationis; In illis scilicet decretis voluntariæ jurisdictionis, quæ ex dispositione Juris communis, vel municipalis, pro una ex solemnitatibus statutariis, interponuntur in contractibus minorum, ac mulierum, aliarumque similium personarum, in quibus ita cautum sit; Verum ista species decreti, quæ de diffinitivo potius, quam de interlocutorio sapere videtur, non cadit sub hac inspectione judiciorum, cum actus judicialis seu contentiosus non sit, sed potius sub diversa materia alienationum & contractuum prohibitorum cadat. p

Quatenus itaque pertinet ad præfatas species decretorum interlocutoriorum judicialium, quæ fiant in Curia, juxta dictum stylum, vel etiam extra in illis Curiis, & Tri-
17 bunalibus, in quibus, ad instar, idem servetur stylus; Ex ista specie decretorum, non resultant illi effectus de quibus supra est actum, in ordine ad sententiam diffinitivam, quod scilicet operetur terminationem illius instantiæ, & consumptionem officii, vel jurisdictionis Judicis qui propterea dicatur functus ejus officio, neque possit amplius in causa se ingerere, revocando, vel moderando id, quod judicavit, præterquam in casu nullitatis, respectu Judicis ordinarii, non autem delegati ut supra; Quoniam in decretis interlocutoriis, a quibus re integra, (idest usquequo eorum executio consummata non fuit) facultas est reponendi, ac etiam impediendi ulteriorem consummationem, etiam cœptæ executionis, concedendo supersessoriam, & quandoque etiam revocando; Ac propterea reputantur hujusmodi decreta modici præjudicii, ad effectum præsertim appellationis suspensivæ, dum integrum est Judici reponere, idque pro commendabili stylo de facili sequitur, atque ita in dies practicatur.

Atque hinc emanat, quod in aliquibus judiciis, non ad- 18
mittatur appellatio suspensiva, quoties concedatur per decretum; Intret autem quando procedatur per sententiam, ex dicta ratione, ut advertitur *disc. seq.* agendo de appellatione, ac etiam infra in rubrica, seu *discursu*, in quo de possessoriis judiciis agitur.

Procedunt hæc in Curia, ac etiam in aliis Tribunalibus, 19
In quibus idem servetur stylus; Ut in plerisque Curiis & Tribunalibus tam ecclesiasticis, quam prophanis Status Ecclesiastici solet. Cadunt autem quæstiones in causis, quæ de partibus per appellationem ad Curiam devolvantur quoniam in partibus ista distinctio non adeo bene practicari solet, quia nempe omnes sententiæ, sive sint diffinitivæ, sive interlocutoriæ, juxta dictas tres diversas species, subscribuntur per Judicem, neque haberi solet dicta diversa forma, adeout frequenter, attenta forma verbali, seu extrinseca, ita confundantur, ut vix distingui valeat una species ab altera, præsertim in supradicta specie interlocutorii, quod tangat negotium principale in judicio summario, vel executivo, cum in decretis adhiberi solent illa formalis condemnatio, quæ non nisi per sententiam fieri debet; Et e converso, sententiæ diffinitivæ concipiuntur in ea forma, in qua concipiuntur decreta; Ac propterea stylus est præsertim Signaturæ justitiæ, in qua frequentius de his disputari solet, ad effectum inspiciendi de moderatione inhibitionis, & an appellatio admitti debeat, necne ad effectum suspensivum, ut scilicet attendatur potius rei, seu veritatis substantia, quam formalites verborum, inspiciendo, an vere adsit formalis mixtura petitorii.

Et nihilominus (ut in relatione Curiæ, agendo de hoc
Tribunali Signaturæ advertitur,) pro commendabili qui- 20
dem stylo, commiserando litigantes, & ne ob Judicum, vel Notariorum, aut Causidicorum imperitiam, Partes patiantur illa præjudicia, quæ ex natura judicii, vel actionis pati non debent, attenditur substantia veritatis, atque negliguntur, vel resecantur quædam rigorosæ formalitates; Puta (juxta ibi insinuatum exemplum ratione majoris frequentiæ) favore creditoris censuarii, contra debitorem morosum in solutione plurium terminorum fructuum, in vim pacti rescissorii, per quandam speciem sententiæ diffinitivæ, decerni solent mandata executiva, vel de associando, tam pro sorte, quam pro fructibus, cum clara mixtura petitorii, super rescissione contractus; Verum hoc non obstante, Signatura committit dictam causam appellationis, in ea parte, quæ concernat dictam mixturam, sed quia fructus censuum solvi debent, prompte, & executive, idcirco, cum consueta clausula *sine præjudicio*, demandatur executio quoad fructus, cum similibus, in quibus eadem interest ratio.

Sed quoniam id non est de jure, cujus regulis rigorosæ 21
attentis, contrarium est dicendum, cum una, & eadem sententia, vel unum, & idem decretum, unica verborum structura conceptum, tanquam individuum, non possit pro parte valere, & pro parte non, ideoque vitium in parte influit in totum, tam quoad nullitatem, quam quoad appellabilitatem; r Hinc sequitur, quod istud, commendabile quidem arbitrium, moderativum rigoris legalis, interponi non potest a Judicibus ordinariis appellationis, sed solum ab hoc Tribunali, quod Principis partes ita explicare videtur, ejusque vice, ac nomine rescribit, ut in dicta ejus rubrica advertitur. f

Nisi dicatur, quod cum id transierit in stylum, ab hoc Tribunali jam firmatum, ita commendandus potius videatur ille Judex appellationis, quia ad resecandos inanes
circuitus inanesque expensas facit idem, quod Signatura 22
factura esset, concedendo scilicet moderationem suæ inhibitionis quoad fructus.

Eo modo, quo introductum est, ex originario stylo Tribunalis Auditoris Cameræ, qui ad alia Tribunalia Curiæ extensus est, quinimo per Signaturam practicatur etiam in causis de partibus, occasione earum introductionis per appellationem, quod scilicet, quamvis excessus vitiet

sente-

sententiam, vel decretum in totum, quamvis esset in modico, ea eadem superius insinuata ratione individuitatis, adeout para appellabilis, secum trahat aliam partem non appellabilem; Attamen isti legales rigores, qui in substantia continent quasdam formalitates, ad aliud non servientes, 23 nisi ad circuitus inanes, atque ad fomentum calumniarum, cum æternatione litium, merito resecantur, ac propterea demandatur executio pro summa vere debita, pro qua decretum, seu mandatum sustinetur; *s* quoniam si (ex. gr.) ille qui condemnatus est in mille, prætendat se gravatum in quingentum, quorum respectu tantum habere prætendat aliquas exceptiones, quas nullatenus habeat in reliquis quingentum, quæ liquido ac indubitanter debeantur, tunc non videtur, cur ob hujusmodi formalitates, retardari debeat executio summæ certæ, & liquidæ, in materia de sui natura dividua, in qua eadem sit 24 ratio totius quoad totum ac partis quoad partem.

Quinimo, ut in prædicta Tribunalis Signaturæ rubrica advertitur; Quamvis iste stylus substinendi mandatum excessivum pro summa debita, vere procedat re integra, & priusquam illud executioni demandatum sit, adeout executio excessiva in parte, vitiet in totum *u*, Adhuc tamen, ab aliquo moderno tempore, (& quidem etiam valde commendabiliter) eadem admittitur æquitas; Quoties eadem intret ratio commodæ divisionis, quod scilicet executio facta sit talis, quod excessus non producat in debitore notabile præjudicium; Ubi etenim (ex. gr.) pro mandato relato in scutis mille, fiat executio, & subhastatio alicujus prædii notabilis; Tunc si adsit excessus in quingentum; recte intrat irritatio in totum, quoniam 25 si mandatum juste relaxatum fuisset in sola summa debita, potuisset debitor commodius aliunde consulere; Sive quod executio facta fuisset in rebus minoris valoris, & magis proportionatis; Sed si executio facta sit super mercibus, vel super animalibus, aut aliis bonis mobilibus, sive super locis montium, aut nominibus debitorum, & similibus juribus, de sui natura dividuis, in quibus intret dicta ratio, quod scilicet tanta sit utilitas totius quoad totum, quanta partis quoad partem; Tunc eadem intrat æquitas, vel ratio, ob quam hujusmodi circuitus evitandi, vel resecandi sunt.

Sub hac autem materia sententiæ multa cadunt, quæ respiciunt vel ejus appellabilitatem etiam ad effectum suspensivum, vel ejus transitum in rem judicatam, sive restitutionem in integrum, quæ adversus eandem rem judicatam competat ratione injustitiæ, aut nullitatis, quæ impedit ne in judicatum transeat, & executionem mereatur; Sed quoniam hæc omnia suas habent distinctas & particulares rubricas, de quibus proxime infra, idcirco in eis videndum est. *x*

Prout etiam multa cadunt, quæ respiciunt effectus, qui resultant a sententia, quod pariter non percutit ipsius sententiæ formam, vel essentiam, sed alia quæ pertinent ad executionem, aliosque effectus, de quibus infra in inspectionem effectuum.

Majores autem, ac frequentiores quæstiones cadere solent circa sententiæ justificationem ex actis, stante regula in præcedentibus pluries enunciata, quod *Judex* 26 tenetur sententiare ex actis, & probatis, atque non sufficit ejus extrajudicialis scientia, vel informatio *y*; Et consequenter intrat vulgaris, & recepta conclusio, quod sententia, quæ non justificatur ex actis, vel est nulla, vel habenda non est in consideratione pro effectibus ex ea resultantibus. *z*

Verum quia ista generalis propositio, nimium vaga est ob varias limitationes, vel declarationes, quas ea recipit, 27 unde propterea frequens praxis docet æquivocorum incursum; Idcirco pro ejus congrua applicatione, adhibenda est ea casuum distinctio, quæ ex adeo frequenter insinuatis pro meo judicio pene in omnibus forensibus, vel practicis quæstionibus pro eadem congrua applicatione videtur necessaria.

Primus itaque est casus, in quo sententia expressam habeat relationem ad acta; Et tunc intrat distinctio, quod; 28 Aut agitur de illa relatione generica, quæ pro communi stylo, in sententiis adjici solet; Puta *visis actis*, &c. *aliisq; visis videndis*, &c. Et tunc id non alteret regulas generales, ut infra circa facultatem justificandi ex novis, quoniam dicitur expressio ejus quod inest, dum etiamsi non exprimatur, de jure id est subintelligendum, quod Judex non po- 29 test, nec debet sententiare nisi visis actis, visoque processu, saltim cum oculis intellectus; Eo modo quo docet praxis Curiæ, quod scilicet Judices, prout etiam Advocati, non subjacent improbo, & mechanico labori videndi oculariter processus per se ipsos cum oculis corporeis, sed vident cum oculis mentis, vel intellectus, cum informationibus & summariis, quæ dantur per Partium defensores, vel eum relatione Notarii; Bene verum, quod quandoque oculati, & zelantes Judices, quando ob unius Partis contumaciam, vel quia debilem habeat defensorem, tenentur practicare rubricam, ut quæ desunt Advocatis, Judex suppleat; Ideoque solent, ac debent videre processus in aliquibus partibus substantialibus, in quibus consistat causæ pondus, ideoque sufficit possibilitas, quod scilicet uno, vel altero modo potuerit videre; Ac propterea quando ista possibilitas desit, quia nempe ex facti circumstantiis constet quod ista visio, vel notitia adesse non potuerit, tunc sententia dicitur invalida, sive contineat dictam genericam relationem sive non. *a*

Aut vero relatio est specifica & præcisa ad certa jura, seu certa acta; Et tunc si constet, quod ista non adessent, 30 vel quod si existunt, diversa sint ab eo, quod in sententia præsupponitur. Et tunc sententia corruit, tanquam lata ea falsa causa, vel ex falso præsupposito. *b*

31 Ut etiam frequens, peneque quotidianum habemus in illis Judicum decretis, quæ in forma extrajudiciali, & voluntariæ jurisdictionis ad satisfaciendum Statutis interponuntur in contractibus minorum, & mulierum, ac similium personarum, quæ libere ac sine certis solemnitatibus prohibitæ sint contrahere, quoniam si contractus certam habeat causam, quæ in toto, vel in parte sit falsa, quoties ea sit principalis, vel coæqualis, tunc decretum corruit, atque habetur pro non extante ex hoc defectu falsi præsuppositi, ut in sua peculiari sede alienationum, & contractuum prohibitorum advertitur. *c*

Alter casus est, ubi dicta relatio non accedat, sed 32 objiciatur ex dispositione juris, de non justificatione sententiæ ex actis, quorum existentia dubia, sive incerta sit; Et tunc; Aut agitur de sententia antiqua, qualis dicitur illa, quæ excedit metam longissimi temporis annorum triginta, dummodo conjunctim accedat etiam observantia, & non alias, & necessaria non est hæc justificatio, quoniam præsumitur; *d* Eodem modo quo ex hoc lapsu temporis longissimi, juncto eum observantia, resultet præsumpta justificatio gratiæ, vel cujuslibet alterius extrinsecæ solemnitatis, quoties ista præsumptio non excludatur per contrariam probationem, juxta ea quæ generaliter in hac materia justificationis præsumptæ, in suis sedibus habentur.

Aut cessat hæc antiquitas; Et tunc intret dicta regula generalis super necessitate justificationis sententiæ ex 33 actis; Adhuc tamen ea plures recipit limitationes, vel declarationes.

Primo nempe, ubi deducatur solum excipiendo, ita tamen quod exceptio non sit talis, ut implicitam præsefe- 34 rat illius executionem, sed sit ad alium effectum. *f*

Secundo, ubi ea deducatur incidenter, ad effectum illius probationis, quæ pariter executionem implicitam non redoleat, sed pro alio minori effectu. Puta pro præsumptione boni juris ad effectum obtinendi alimenta, & sumptus litis. Sive ut alia intret æquitas temperativa alicujus rigoris legalis. Sive ubi deducatur tanquam unum ex adminiculis, conjungendum cum aliis, juxta præsertim ea, quæ habemus in probatione Jurispatronatus, cum similibus. *g*

Et tertio, ubi accedat justum, & non affectatum im- 35 pedimentum, ob quod sine facto, vel culpa ejus, qui sententiam obtinet, ista justificatio sequi non valeat, Puta quia doceatur de aliquo incendio, vel alio excidio processuum, & scripturarum existentium in aliquo officio, vel archivio, sive quod bene probetur præcedens existentia, cum mere casuali amissione particulari illius processus, vel actorum, adeout absit omnis suspicio affectationis. *h*

Aut quod acta haberi non possint ob impedimenta, quæ ab altera Parte præstentur, cum tunc in odium 36 impedientis habenda sint pro extantibus, ut in deterius in ejus præjudicium, atque in melius ad favorem impediti. *i*

Vel demum, quod subjecta materia secum trahat impossibilitatem obtinendi acta, etiam sine aliqua culpa alterius Partis. Puta quia agatur de actibus, ac processibus confectis in causa utriusque læsæ majestatis divinæ, vel huma-

humanæ, quæ ex notorio communi stylo dari non so-
lent. *l*

37 Bene verum quod hæc ultima declaratio, seu limitatio
circumspecte intelligenda est, spectato scilicet effectu, ad
quem sententia deducatur, ubi enim deducitur incidenter,
vel coadjuvative, recte procedat, secus autem si princi-
paliter, atque pro principali fundamento actionis, ex iia
quæ magis distincte occasione, præsertim probationis de-
licti ad effectum confiscationis bonorum, deducuntur in
sua sede, quoniam nimia digressio esset in hac generali
inspectione, id formiter examinare. *m*

Hinc proinde sequitur, ut materia dici non valeat ca-
pax regulæ certæ, & generalis, cuicunque casui applica-
bilis, dum revera totum pendet, Vel ex effectibus ad quos
sententia deducatur; Vel ex singulorum casuum circum-
stantiis, ex quibus pendet determinatio, an inter regola,
vel potius aliqua ex limitationibus.

Procedunt hæc, quæ ita generaliter adnotata sunt,
38 quando sola sententia deducatur sine actis, vel sine aliqua
justificatione in genere. Verum alter subintrat casus,
quando aliqua adsint acta, quæ tamen concludentem, vel
sufficientem non præbeant justificationem. Sive quod ista
adsit quidem, sed resultet ea novis juribus postea exhibitis,
quæ de tempore emanatæ sententiæ, non erant in actis,
an scilicet admittenda sit, necne justificatio ex novis; Su-
per hoc autem potissimum, ob opinionum, vel decisio-
num varietatem, aliqua dignosci videtur involutio, æqui-
vocorum productiva, sed pariter cum distinctionibus pro-
cedendum est; Et consequenter erroneum remanet, pro-
cedere cum regulis, vel doctrinis generalibus.

Primus enim casus est, quando agatur de sententia,
39 vel de decreto jam executioni demandato, adeout exe-
cutio consummata sit, atque ille, qui eam passus est,
istam nullitatem, ex defectu justificationis actorum alle-
get, ad effectum manutentionis, aut reintegrationis in
possessione illorum bonorum, vel jurium; quibus per hu-
jusmodi executionem se spoliatum dicat; Sive ad effe-
ctum nullitatis illius obligationis, vel alterius contractus
præjudicialis, quem fecerit in carceribus, in quibus vigo-
re talia sententiæ, vel decreti intrusus fuerit, cum simili-
bus; Et tunc rigorose intrat regula prædicta, ut sententia
justificanda sit ex eisdem actis, quæ de per se sufficientia
sint, atque non admittatur justificatio ex novis. *n*

40 Quod etiam a paritate, imo a majoritate rationis, pro-
cedit in censuris ecclesiasticis, cum istæ majorem, magis-
que præjudicialem executionem importare dicantur, ideo-
que rigorose necessaria est sufficiens justificatio ex eisdem,
atque non admittitur illa ex novis. *o*

Nisi ex eisdem pateat quidem de justificatione sufficien-
41 ti, sed insufficiens reddatur ex novis juribus, quæ impu-
gnative per alteram Partem postea deducantur, quoniam
tunc per viam replicationis licitum est victori, qui sen-
tentiam ejusque executionem obtinuit, deducere nova
jura, cum ista deduci non dicantur ad justificationem sen-
tentiæ, vel executionis, sed ad elisionem novæ impu-
gnationis, ideoque licitum esse debet repellere nova cum
42 novis, cum sufficiat Judici, & victori, quod tunc, eo-
que statu attento, bene processum fuerit cum sufficienti
justificatione; *p* Ac etiam inferius agendo de consumma-
tione executionis, & de remedio manutentionis, vel
reintegrationis, quod adversus factum Judicia tanquam
nullum, vel notorie intentari solet, advertitur.

Alter casus est, ubi res adhuc integra sit, quia nempe
sententia, vel decretum adhuc suam non habuerit execu-
tionem, quæ per victorem petatur, per victum autem
43 prætendatur denegari debere, ea insufficienti justificatio-
ne, quia nempe agatur de processu summario, & execu-
tivo; Et tunc pariter regula est, ut justificatio fieri debeat
ex eisdem, & non admittantur nova. *r*

Quoties tamen ista deducantur ad omnimodam justifi-
cationem ex integro; Secus autem ubi adsit quidem justifi-
catio, sed prætendatur quod ea non sit omnino perfecta &
sufficiens, idque aliquam habeat dubietatem, ad quam
elidendam victor, in corroborationem justificationis,
quæ jam existat in actis, alia nova jura deducat, cum
isto casu admittenda veniant.

Tertius casus est ubi adsit quidem sufficiens justificatio
44 ex parte victoris, sed victus, re adhuc integra, ad impe-
diendam executionem, saltem ex beneficio restitutionis
in integrum, deducat nova jura, cum quibus fundet ejus
exceptionem, sive elidat illam probationem, cui senten-
tia exequenda innixa est; Et tunc, licet ex quodam ri-
gore juris civilis, illa jura, quæ post conclusum in causa,
fortius vero post judicatum exhibeantur, admitti non de-
beant, neque ex novis retractari debeat id, quod jam ju-
dicatum est; Attamen (ut alibi quoque supra advertitur *s*)
Romana Curia, quæ cum canonica æquitate, veritatem
semper recipit, ac attendit, diversam habet praxim, quo-
niam saltem ex beneficio restitutionis in integrum, ad-
mittuntur nova jura, ex quibus detegatur injustitia sen-
tentiæ, aut ejus executio concedi non debet. *t*

Quartus est casus, ubi agatur de sententiæ confirmatio- 45
ne, vel infirmatione in alia instantia in gradu appellatio-
nis, vel in eadem, quia nempe agatur de sententia in-
terlocutoria, a qua licitum sit reponere, juxta supra in-
sinuatum stylum Curiæ Romanæ; Et tunc planum est,
ut, tam ad unum, quam ad alterum effectum, licitum
sit deducere novas justificationes, ex generali assumpto,
quod non deducta deducam, & non probata probabo;
Ideoque cum his distinctionibus in ista materia justificatio-
nis sententiæ ex actis procedendum videtur. *a*

Ultra vero ea quæ infra in Rubrica nullitatis, & resti-
tutionis in integrum habentur, circa validitatem, vel in-
validitatem sententiæ, quæ fecerit transitum in judica-
tum; Ac etiam ea quæ habentur in proxime sequenti Ru-
brica appellationis, circa sententiæ suspensionem, ac alia;
Frequenter dubitari contingit de effectibus, qui ex senten-
tia resultant, quamvis per appellationem, vel per resti-
tutionem in integrum ea suspensa sit.

Quamvis etiam appellatio in iis casibus, in quibus 46
intrat, ita suspendat sententiam, ut habenda sit perinde,
ac si lata non esset, *ut disc. seq. advertitur*: Adhuc tamen
nonnulli ex illa resultant effectus victori proficui: Ut puta
est ille sequestri quod apponitur in vim Clementinæ in be-
neficialibus; Vel alter circa præsumptionem boni juris su-
pra insinuatam pro suppeditatione alimentorum, & sum-
ptuum litis; Aut pro rejectione, vel suspensione atten-
tatorum cum similibus, quæ tamen sub hac rubrica non
cadunt, cum ea principaliter respiciant ordinem judicii,
ad effectum conjiciendi, quando terminet processus, seu
instantia, necne; Prout etiam infra *in eo discursu*, in quo
agitur de judicio executivo in actione personali, habe-
tur de alio effectu vulnerationis processus executivi, qui
resultat a sententia absolutoria.

Cadit autem sub hac inspectione materia interpretatio- 47
nis, seu comprehensionis, ad effectum inspiciendi, quan-
do etiam sententia aliquid in verbis non contineat, adhuc
tamen virtualiter, vel implicite id continere videatur,
tam condemnando, quam absolvendo; Idque nimium
referre solet ad plures effectus, illum præsertim rei judica-
tæ, vel trium conformium; Receptum vero est, quod
sola implicita seu virtualis comprehensio sufficiat; Ut
puta, Titius petit a Sempronio mille ex causa mutui,
vel ex alio contractu; Sempronius autem reus conven-
tus, opponit de aliqua exceptione, puta solutionis, vel
compensationis, aut simulationis, vel doli &c. Si Judex
pronunciet super rejectione exceptionis, declarando il-
lam non subsistere, vel non competere; Quoties non
constet id provenire a sola ratione ordinis judiciarii,
tunc ita implicite facta dicitur condemnatio ad solven-
dum. *x*

Et e converso, Titius petit a Sempronio mille, in vim
alicujus contractus, vel scripturæ, Judex autem pronun-
ciet, contractum, vel scripturam non sustineri, vel non
mereri executionem; Quoties pariter non constet id pro-
venire a præfata ratione ordinis processus, adeout redo-
leat absolutionem ab observatione judicii, tunc ita dici-
tur adesse implicita absolutoria, *y* cum similibus, in qui-
bus intret eadem ratio necessarii consequentis, quod re-
sultat ab antecedenti, super quo pronunciatum est, ut
etiam advertitur infra in proposito trium conformium, ad
effectum, ut sententia, vel decretum super executione
faciat numerum.

Quinimo aliquando, in facti contingentia, ista impli- 48
cita pronunciatio, sine consequenti necessitate, admissa
fuit, etiam ad effectum rei judicatæ, quod tamen aspe-
rum visum est; Siquidem ex canonizatione antiqui status
cathedratici alicujus Ecclesiæ, dictum fuit quod resulta-
ret canonizatio continuationis status præsentis, quamvis
de illo nunquam disputatum, neque actum esset, ut in
sua sede advertitur, *z* Unde propterea decisiones in eo
casu editæ, magnum fomentum esse potuerunt in futu-
rum hujusmodi comprehensionis, vel implicitæ pronun-
ciationis; Verum pro meo judicio male, quoties conse-
quen-

quanda non sit necessaria, sed potius inter compatibilitas. *a*

49 Super præjudicialiter quoque cadere solent quæstiones circa sententiam, an scilicet lata cum uno, præjudicet alteri, Puta successori independenti in beneficio, vel in feudo, sive in fideicommisso, &c. Sive in causa status, an scilicet & quando lata cum uno faciat statum cum altero, Sed pariter id non congruit huic Rubricæ, cum percutiat effectus, qui ex ea proveniunt ut supra, & de quibus in suis respective sedibus agitur.

50 Et de sententia ulterioris instantiæ, quomodo proferri debeat, ubi præsertim sit contra alteram sententiam, sive ubi actorum transportatio facta non sit, cum similibus, habetur infra, *in duobus*, *disc. seq.* Ubi etiam quando dicatur lata, prout in prima instantia ex integro, vel potius in secunda, & de aliis pertinentibus ad Judicem appellationis.

Demum super plurium sententiarum conformitate, frequenter disputari solet, tam in terminis generalibus Juris
51 communis prohibentis tertio provocare, unde propterea tres conformes liti finem imponunt, quoties nullitas non prosit victo, vel beneficium restitutionis in integrum, ut infra, *disc.* 38. agendo de nullitatibus, & de restitutione in integrum habetur.

Magis vero de hoc disputari solet, stantibus aliquibus Statutis, quæ in plerisque Italiæ Civitatibus habentur, istum numerum abbreviantibus, ut propterea duæ
52 conformes habeant vim trium; Et sic quod non liceat, nisi semel appellare; Ut præsertim viget in Urbe, ubi habetur hoc Statutum de duabus conformibus habentibus vim trium; Ac etiam viget in plerisque aliis locis Status Ecclesiastici. *a 2.*

Illud vero Urbis, ob ejus amplitudinem dicitur generale, inter omnes cives, & incolas Urbis, districtus, adeout, etiam Clerici, aliæque personæ ecclesiasticæ,
53 & Ecclesiæ sub eo comprehendantur, atque in omnibus Tribunalibus servetur; Non tamen cum forensibus *b*; Quæstione cadente, quid dicendum sit in illis causis, quæ occasione appellationis ad Curiam Papæ a sententiis Ordinariorum, in ea peractæ sint; Sive in iis, quæ in prima instantia ob apprehensionem in Curia, sive ratione rei sitæ, vel ex consensu Partium aut alias agantur, quoties personæ non sint cives, vel incolæ, aut districtuales; Atque probabilior videtur negativa, cum requiratur qualitas civica, vel domiciliaria hinc inde, adeout non sufficiat, quod hæres, vel successor sit civis, vel incola, si principalis erat exterus. *c*

Ad effectum autem conformitatis; Generaliter, tam de Jure communi, quam statutario, ista desideranda non est in cortice, seu in figura verborum, sed sufficit in substantia veritatis; Unde propterea secunda sententia, quæ
54 mandet exequi primam, seu quod alias virtualiter, & implicite id contineat, dicitur conformis, atque facit numerum, quamvis expresse id non dicatur: Præterquam ubi secunda lata esset in diverso judicio, seu in diversa actione, aut exprimeret causam omnino novam, & diversam, quamvis quoad condemnationem, vel effectum, conformis esset, cum super illa nova causa, vel actione, revera dicatur prima, non autem secunda *d*; Et in summa vis est in ratione, sive in fine, vel effectu, ut ubi binum adsit conforme judicium super eodem aliud exquirere non oporteat.

Bene verum, quod in causis præsertim gravibus, de facto, in casu hujusmodi Statutorum de duabus, numerus trium verificatur, atque in casu trium ad terminos juris communis solent esse quatuor, stante frequentiori stylo Signaturæ rescribendi de clausula *constito quod sit locus statuto*, sive *constito de duabus vel tribus*, dum ita in effectu,
55 occasione disputandi super verificatione istius clausulæ *constito*, alia formalis habetur instantia, in qua, pro Curiæ stylo, & præsertim Rotæ, admittuntur nova jura, & quandoque etiam novæ probationes pro causarum qualitate, juxta ea quæ in præcedentibus insinuata sunt, ideoque disputatur de meritis, perinde ac si causa esset nova, & integra.

Si autem conformitas sit in parte; Et tunc in ea parte attenduntur; Sive in secunda sententia novam adjiciat causam, ut supra, quæ percutiat unam partem, & non alteram; Et tunc pariter idem dicendum, & sic generaliter in similibus, spectato, ut dictum est, fine, seu effectu, vel attenta ratione, cui hæc prohibitio innixa est, adeo ut immorandum non sit in formalitate verborum, sed in substantia rei, & veritatis.

Eandem conformitatem non tollunt contrariæ sententiæ intermediæ, cum detur earum conjunctio hujusmodi mediis non obstantibus *e*, istaque opinio in praxi est magis recepta in Curia.

Quando autem conformitas revera adesse dicatur, nec- 56
ne certa, & generalis regula cuicunque casui applicabilis statui non potest, cum revera dicenda veniat quæstio potius facti, quam juris, decidenda ex facti qualitate, & ex singulorum casuum circumstantiis.

Prout facti potius, quam juris est altera quæstio, de qua in hoc proposito agi solet, quando scilicet quis dicatur civis, vel incola, ad effectum comprehensionis sub hujus- 57
modi Statuto, sive an superveniens diversa qualitas hæredis immutet causæ naturam, seu qualitatem, circa subjectionem, vel exemptionem respective, cum similibus.

Verum, ut pluries alibi advertitur, tam hujusmodi Statuta, quam præfata dispositio Juris communis, circa hoc 58
privilegium duarum, vel trium conformium, sive privilegium rei judicatæ ob non interpositam appellationem, vel ob ejus desertionem, in Curia quodammodo cæremonialia videntur, quoniam ex recepta propositione, quod ea quæ disposita sunt de duabus, vel tribus conformibus, vel de re judicata, intelligenda sunt de validis & justis, quodque ad hunc effectum necessaria non est injustitia notoria, sed sufficit simplex, cum notoria desideretur pro extraordinario remedio possessorio manutentionis, non autem pro illo restitutionis in integrum, uti infra in ejus Rubrica quoque advertitur; Hinc manat, ut etiam post tres conformes, vel post rem judicatam, jam diu servatam, in disputationibus super disputatione in integrum, concedenda, vel deneganda, agatur de meritis per apices juris, perinde ac si causa esset nova, & integra uti infra agendo de restitutione in integrum advertitur. *f*

a Vanat. *de nullit. c.* 3. Scaccia *de appell. qu.* 19. *remed.* 1. *concl.* 5. *ex n.* 73. Merlin. *dec.* 134. *dec.* 631. *&* 678. *p.* 2. *rec.* b *infra*, *disc.* 44.

c *apud eosdem*, *de quibus supra lit. A. & tit. de alien. & contract. disc.* 1. d *dict. tit. de alienat. & contract. prohib. disc.* 1. *& in aliis*.

e *infra*, *disc.* 3. f Marant. *in prax. verbo*, *& demum fertur sententia*, Scacc. *de sentent. gl.* 22. *n.* 1. *& seq. & per tot. & tit. de jurisd. disc.* 47. *&* 48.

g apud Scacciam, & Marant. *& alios proxime supra*.

h Scacc. & Marant. *locis citat. & de sententia de nocte*, add. ad Vestr. *lib.* 6. *cap.* 2. Greg. & add. *decis.* 131. Polydor. Rip. *de noctur. tempore*, *cap.* 134. i Otthob. *dec.* 163. *n.* 7. *& seqq.* Scacc. & Marant. *ubi supra*.

l Marant. & Scacc. *ubi supra*. m *in relatione Curiæ*, *disc.* 32. *&* 33. n *supra*, *disc.* 34. o *tit. de testam. disc.* 13.

p *tit. de alien. & contract. prohib. pluries*.

q Salust. Tib. *in prax. lib.* 1. *cap.* 53. Burat. *dec.* 329. *nu.* 5.

r Burat. & add. 177. 337. 368. Bich. *dec.* 274. Giurb. *dec.* 101. *& passim*. s *dicto disc.* 31. *in relatione Curiæ*.

t Burat. *dec.* 91. Birb. *dec.* 574. *n.* 22. Royas, *dec.* 540. *in fin.* u Buratt. & add. *dec.* 91. Greg. & add. *dec.* 198. Royas *dec.* 284. x *disc. seq.*

y *supra*, *disc.* 3. *& alibi*. z Greg. & add. *decis.* 290. *dec.* 197. *part.* 9. *rec. dec.* 336. *post* 2. *vol. consil.* Farinac. *cum aliis de quibus*, *infra*.

a Burat. *dec.* 251. *dec.* 170. *p.* 5. *rec.* b Buratt. & add. *dict. dec.* 251. 139. *&* 165. Capyc. Latr. *consult.* 6.

c *tit. de alien. & contract. prohib. pluries*.

d Cavaler. *decis.* 2. *&* 203. Mant. *dec.* 296. add. ad Burat. *dec.* 76. e *tit. de alien. & contract. disc.* 1. *&* 3. *& in aliis*, *& tit. de dote*, *disc.* 143.

f Royas *decis.* 454. *cum aliis per* add. ad Buratt. *dec.* 636. *&* 76. *dec.* 501. *p.* 4. *rec. tom.* 2.

g *tit. de jurepatr. disc.* 57. *&* 58.

h *tit. de herede in supplemento in Arianen. & alibi*.

i Burat. & add. *dec.* 335. 405. 415. *dec.* 18. *p.* 5. *rec. dec.* 75. *p.* 6. *& sæpius*.

l *de hoc particulariter agitur in Romana confiscationis*, *titul. de regal. in supplem. in loco prox. citat. & infra*, *disc. seq. occasione transportationis actorum*.

m Grat. *discept.* 734. *dec.* 73. *p.* 10. *& in alia præcedenti ibi relata*, *& infra*, *disc.* 40. *dec.* 306. *p.* 7. *rec.*

n Seraph. *dec.* 701. Burat. & add. *dec.* 251. 600. *&* 760. *& in aliis*. p Cels. *dec.* 92. *& in aliis*.

q *infra disc.* 34. *agendo de judiciis possessoriis*. r Duran. *dec.* 172. *&* 230. *dec.* 336. *p.* 5. *rec. dec.* 36. *in fin p.* 10. *rec.*

s *supra*,

t *supra, disc.* 34. t *Infr. disc.* 38. u Buratt. *decis.* 584. & 630. & *apud supra allegatas, & passim.*

x Galeot. *lib.* 2. *contr.* 34. & 35. Rovit. *dec.* 60. & 57. *ubi distinguitur dec.* 32. *p.* 6. *rec. ubi etiam distinguitur cum aliis inf. lit. Z. y apud proxime allegatas.*

z *tit. de praemin. disc.* 3. & *seq.* & *in decision. in ea causa editis ibid. relatis praesertim dec.* 349. *par.* 12. *rec.* a *ut beat declarando*, Rovit. *ubi supra*, Caesar. de Affict. *contr.* 5n. & *in addit.*

a 2. *de materia hujusmodi Statutorum de duabus conformibus, & praesertim Urbis* Fenzon. *ad statut.* 180. Cels. *dec.* 264. Burat. *dec.* 197. 253. & 167. Dunoz. *decis.* 980. & *generaliter Rubeus to.* 2. *singular. ad dict. statut.* Rovit. *pragm.* 5. & 61. *de off. S. R. Concil.*

b *apud allegatos.* c Millin. *dec.* 25. *dec.* 324. *part.* 10. *rec.* *Rubeus ubi supra.* d *apud supra allegatos.*

e Franch. *dec.* 135. Rovit. *dict. pragm.* 5. & 61. *de offic. S. R. Consil.* f *infra, disc.* 38.

De appellatione, an, & quando Intret, & ad quos effectus? Et de ejus interpositione, vel prosecutione, necnon de transportatione actorum; Et de aliis concernentibus Judicem, & judicium secundae instantiae.

S U M M A R I U M.

1 *De quaestionibus, vel inspectionibus, quae cadunt in materia.*
2 *Regulariter licitum est appellare in omni causa non limitata.*
3 *De duplici specie limitationis, vel prohibitionis, & de effectibus.*
4 *Appellatio non datur ab interlocutoria, & interposita non retardat processum.*
5 *Fallit accedente inhibitione, & si decretum gravat, devolvitur tota causa principalis.*
6 *Non datur appellatio a sententiis, vel decretis provisionalibus.*
7 *Quando, & quomodo debeant concedi inhibitiones, & de regulis quas tenere debent Metropolitani, aliique Judices appellationis.*
8 *De causis in quibus appellatio rejicitur in totum etiam ad devolutivum.*
9 *De illis in quibus datur appellatio ad devolutivum, sed non ad suspensivum remissive.*
10 *Appellatio coram quo facienda sit, vel fieri possit.*
11 *Per quas personas interponi possit appellatio.*
12 *Quomodo debeat constare de mandato procura.*
13 *Quod procurator non appellando, seu alias comittendo praejudicet principali, non autem ommittendo, sed datur restitutio in integrum.*
14 *Quomodo interponi debeat appellatio, an praecise in scriptis, & quomodo soleat interponi.*
15 *De termino intra quem appellatio interponi debet.*
16 *Quando incipiat currere iste terminus, & de casu quod labatur ante sententiae prolationem.*
17 *An contumax appellet, & quem terminum habeat ad appellandum?*
18 *Declaratur conclusio, quod contumax fictus appellet etiam post terminum, quomodo intelligi debeat.*
19 *De tempore prosecutionis, & de diversis stylis.*
20 *An terminus prosequendi appellationem possit restringi?*
21 *In beneficialibus an detur?*
22 *Quando detur in aliis causis.*
23 *De termino prosecutionis ex dispositione juris Canonici in causis extra Curiam.*
24 *Quid in appellationibus interpositis in Curia, ad quid appellans teneatur, praesertim circa reditum pro Apostolis, & incapsationem commissionis.*
25 *De fatalibus in causis curialibus, & de rationibus differentiae inter causas curiales, & illas de partibus.*
26 *Appellatio non prosecuta intra fatalia remanet deserta, & sententia transit in judicatum perinde, ac si nunquam esset interposita.*
27 *An ad hunc effectum requiratur declaratio, & a quo fieri debeat?*
28 *Qualis sit praxis Curiae in hoc proposito desertionis, & quomodo deberet occurri malitiis litigantium.*
29 *Infirmitas probet justum impedimentum, & an gravis aetas.*
30 *Item paupertas, quod declaratur.*
31 *De pluribus aliis impedimentis.*
32 *In dubio an sit judicandum pro desertione, vel contra eam?*
33 *An dicta impedimenta causent, ut non currat tempus, vel potius praebeant causam restitutioni in integrum, & quid referat?*
34 *Judex appellationis non procedit, non transportatis actis, alias nulliter.*
35 *An oporteat transportare omnia acta etiam irrelevantia, vel sufficiant relevantia? distinguitur.*
36 *Quando integritas requiratur, etiam in iis casibus, in quibus alias non esset necessaria.*
37 *Sufficit pro attentatis, vel similibus incidentibus transportare illa acta, ex quibus de illis pateat.*
38 *Non sunt transportanda acta causa diversa.*
39 *Quando causa dicatur eadem, vel diversa.*
40 *Non sunt transportanda jura verbaliter tantum producta.*
41 *In odium impedientis habentur pro trasportatis.*
42 *De aliis limitationibus, & quid ubi impedimentum proveniat a casu.*
43 *Non sunt transportanda illa, quae jam habentur per Judicem appellationis.*
44 *An sit necessaria transportatio, quando Judex procedat tanquam in prima?*
45 *An integritas in dubio praesumatur, & quomodo praesumatur?*
46 *Appellatio suspendit sententiam, ac si lata non esset, & quando causet attentata.*
47 *De eadem conclusione, de qua supra n. 4. ut non detur appellatio a decretis interlocutoriis in genere.*
48 *Idem de causis commissis appellatione remota, vel de sententiis provisionalibus.*
49 *Omnia ea quae desiderant celeritatem, adeo ut mora causet praejudicium irreparabile, non admittunt appellationem suspensivam.*
50 *Quid sit in causa dotis, an sit executiva, ut dictam appellationem excludat.*
51 *Quid in alimentis, vel in legitima.*
52 *An in materia locationis, & conductionis detur appellatio suspensiva, & quando?*
53 *Quid in electionibus, vel provisionibus Parochialium.*
54 *De decretis factis in visitatione.*
55 *An pro legatis competat via executiva, & quando?*
56 *Quid in possessoriis adipiscendae, & retinendae, distinguitur.*
57 *In specie de associatione, & quomodo ista debeat concedi.*
58 *Et de manutentione.*
59 *Quare hodie sit in usu istud remedium, & non alterum reintegrationis.*
60 *De Constitutione Aegidiana ubi vigeat, & in quibus causis, vel personis procedat.*
61 *De legibus, & statutis particularibus tollentibus appellationem suspensivam.*
62 *De denegatione appellationis ex potestate Principis, vel ex obligatione camerali, aut alio pacto executivo.*
63 *De via executiva in literis cambii, & in aliis similibus.*
64 *De facultatibus Auditoris Camerae procedendi executive.*
65 *De aliis causis executivis.*
66 *In omnibus causis executivis intrat appellatio, ratione nullitatis, vel injustitiae.*
67 *An a Judice, a quo admittente appellationem, causa fiat appellabilis?*
68 *Quomodo Judex ad quem in gradu appellationis debeat procedere.*
69 *In quo consistant partes judicis in sententiando, confirmando, vel infirmando judicatum.*
70 *Sententia lata contra sententiam, ea non revocata, est nulla.*
71 *De adhaesione appellati, & an Judex appellationis condemnet in omissis?*
72 *An possit unico contextu confirmare sententiam nullam, sed justam?*
73 *De obligatione appellantis in ulteriori prosecutione appellationis.*
74 *An a voto Assessoris detur appellatio?*

D I S C. XXXVII.

Lata sententia diffinitiva, vel interlocutoria, seu provisionali; Si illa Pars, quae condemnationem passa sit, sive quod alias credat talem sententiam esse sibi praejudicialem, aut quod praejudicialitatem affectet, pro eolure, seu prae-

prætextu avocandi causam ab eo Judice, quem credat in ulteriori progressu parum sibi gratum futurum esse, appellationem interponat; Tunc pluribus quæstionibus hæc appellatio causam præbere solet, tam circa ipsius appellationis substantiam, seu genus, quam circa modum; Primo scilicet, an, & quando illa intret, necne, vel potius tanquam injusta, & frivola, vel calumniosa rejici debeat; Secundo super modo cum quo interponi debeat; Tertio super tempore, in quo interponenda est; Quarto super tempore prosecutionis, sive super cursu fatalium; Quinto super modo prosequendi, & præsertim super transportatione actorum; Sexto super effectibus, qui ex appellatione resultant; Et septimo super modo, cum quo Judex appellationis, procedere, ac sententiare debet; Quare de singulis agendo.

Quatenus pertinet ad primum; Juris regula generalis est
2 affirmativa, ut scilicet appellare liceat a quacunque sententia, vel alia Judicis provisione, per quam sentiat quis se gravatum, quoties per alteram Partem, quæ prætendat contrarium, non doceatur de limitatione, quæ in dubio non præsumitur, sed probanda est per allegantem. *a*

Limitationum autem duæ sunt species; Una scilicet, quæ percutit omnimodam prohibitionem appellandi, ad
3 utrumque effectum, tam suspensivum, quam devolutivum; Et altera, quæ percutit effectum suspensivum tantum, non autem devolutivum; Atque super hac secunda specie, majores, & frequentiores in Curia sunt quæstiones; & præsertim in Signatura Justitiæ, super modo signandi commissiones appellationis, vel super moderatione inhibitionum; Et in Camera super modo inhibendi; Ac etiam in Tribunalibus Rotæ, & Auditoris Cameræ, ac in aliis, super gestis post interpositam appellationem, sive pendente termino ad eam interponendam, an laborent, necne vitio attentatorum, cum id pendeat ab ista qualitate, seu natura causæ, ut superius in attentatorum rubrica advertitur. De prima vero specie agi quidem aliquando solet in Signatura Justitiæ, frequentius autem in illa Gratiæ, de quarum utroque Tribunali habetur in *relatione Curiæ*. *b*

De prima itaque specie, ut neque ad unum; neque ad
4 alterum effectum, appellationis regula in regulariter intret, nisi per appellantem doceatur de gravamine, quod regulariter non præsumitur, nisi probetur, tanquam per speciem limitationis; Sunt decreta interlocutoria, quæ concernunt ordinatoria judicii, unde propterea donec superveniat impedimentum inhibitionis Judicis ad quem, vel alterum supersessoriæ, quæ concedatur per Præfectum Signaturæ Justitiæ, cujus vice, id explicare solet ejus Auditor; Vel per Auditorem Papæ in causis pertinentibus ad Signaturam Gratiæ, sive per Decanum Cameræ in causis cameralibus; Judex hujusmodi appellationes negligit, atque licite ad ulteriora procedit. *c*

Superveniente autem impedimento, ut supra, abstinere debet, ex regula quod inhibitio, sive justa, sive injusta est timenda, quoties non intret aliqua ex limitationi-
5 bus hujus regulæ, quæ in prædicta attentatorum rubrica insinuatæ sunt; Unde propterea, vel coram eodem Judice appellationis, qui inhibitionem dedit, vel in una, seu altera Signatura, aut pro locorum stylis, coram illo Magistratu, ad quem pertinet, disputatur de moderatione, cujus concessio, vel denegatio pendet a gravamine, quod ubi existat, illum operatur effectum, ut totam devolvat causam, etiam in negotio principali; Ex ea congrua ratione, deducta ex regula *semel malus &c.* ut cogi non debeat ille, qui appellavit, litem sustinere coram eo Judice, qui jam eum gravavit, cum ita juste redditus sit suspectus. *d*

Idem generaliter, eo modo quo in interlocutoriis, procedit in provisionalibus, in quibus regula pariter est nega-
6 tiva, quoties vere provisionales sint, cum aliquando, sub verbali pallio provisionis, diffinitive decerni soleat. *e*

Super concessione vero hujusmodi inhibitionum, circumspecte procedi solet, ac debet; Ideoque respectu Metropolitanorum, Sacra Congregatio Concilii, tam sub
7 Clemente VIII. quam postea sub Urbano VIII. quædam edidit decreta generalia præscribentia, quomodo, & quando, appellationes recipi, atque inhibitiones concedi debeant. *f*

In Curia vero per Apostolicas Constitutiones, quæ super reformatione Tribunalium prodierunt, præscribitur Auditori Cameræ, ejusque Locumtenentibus, ac Notariis, idem modus ad occurrendum fraudibus, & impedimentis, quæ cum hujusmodi inhibitionibus præparari solent, cum notabili præjudicio alterius Partis saltem circa jacturam temporis, & expensarum pro moderatione obtinenda. *g*

Et respectu illarum appellationum, super quibus procedendum est per commissionem, sine qua inhibitio concedi non potest, ut contingit in causis Rotalibus, ac etiam in Prælatitiis, utpote per viam delegationis; Præfectus Signaturæ Justitiæ, diligentem, atque in materia practicum habet ministrum, qui Revisor commissionum appellatur, ad quem pertinet rejicere illas appellationes, quibus obstet regula, unde propterea appellatores adeunt Præfectum, vel Signaturam plenam, quæ gustare solet de prætenso gravamine, priusquam decernat, quod commissio signanda sit. *h*

Ubi vero agatur de sententia diffinitiva, vel de decreto, quod habeat vim diffinitivæ, quia nempe decisoria concernat; Tunc vere, & proprie intrat dicta regula generalis affirmativa; Verum illa quoque plures patitur limitationes; Pota, ubi agatur de sententia Judicis procedentis appellatione remota; Sive ubi de sententia Principis, vel supremi Magistratus; Ut (ex. gr.) in Curia sunt, Sacræ Congregationes Cardinalium, ac etiam aliquæ Congregationes Prælatitiæ, puta Montium & Baronum; Et alibi est Præfectus Prætorii, sive illud Tribunal, quod ejus vice subrogatum supponatur, Unde propterea intrant termini supplicationis, non autem illi appellationis.

Et generaliter reputari solent causæ breviores, quæ cer-
tam summam non excedant, pro Ditionum, vel Tribuna- 8
lium stylus; Ut in Curia reputantur causæ, quæ sint infra summam scut. quinquaginta; Vel quod ex facti circumstantiis pateat evidenter, ac certum sit, quod appellatio sit notorie frivola & calumniosa, cum tunc, hujusmodi inanes circuitus, qui calumniarum fomentum dicuntur, admittendi non sint; Unde propterea frequenter Signatura, in totum rejicere solet commissiones, cum rescripto *Nihil*, sive mandare earum laceratione, aut demandare moderationem inhibitionis simpliciter, & ad utramque.

Denegatur item appellatio simpliciter, ac omnino, juxta hanc primam speciem, ubi adsit res judicata, sive ubi agatur de tribus conformibus, aut de illis duabus, quæ ex Statuto, seu privilegio vim trium habeant, ut *disc. præc.* advertitur; In his etenim casibus, superest aliud remedium restitutionis in integrum, de quo agitur, *disc. seq.*

In altera vero specie sententiarum, quæ admittunt quidem appellationem, sed ad effectum devolutivum tantum, non autem ad suspensivum, unde propterea appellatio non impediat executionem, nisi quando accedat inhibitio Ju-
dicis ad quem; Certa regula statui non potest, cum pen- 9
deat a singularum causarum, seu judiciorum natura, & qualitate; Ipsaque pro locorum legibus, vel stylis varia est, unde propterea magna digressio esset, velle recensere causas, quæ istud habeant privilegium, dum neque volumen sufficeret: Potissime vero dum infra, expleto processu judicii ordinarii, quod per sententiam diffinitivam terminandum est, & per consequens de sui natura admittit simpliciter appellationem, agitur de judiciis executivis, ac summariis, & privilegiatis, ideoque in eorum singulis insinuatur, an, & quando, privilegio, vel judicii natura non obstante, intret appellatio etiam suspensiva; Quare in suis respective rubricis, inspici potest: Ac etiam aliqua generalis insinuatio habetur *in relatione Curiæ*, occasione agendi de utraque Signatura Gratiæ, & Justitiæ; Et infra in sexta inspectione, agendo de effectibus appellationis.

Circa secundam superius distinctam inspectionem, super 10
modo interponendi appellationem, ut ea legitime interposita dici valeat; Regula est, ut per ipsum appellantem, vel per ejus legitimum procuratorem appellatio interponatur, in eisdem actis causæ ac Judicis, qui sententiam protulit, ut ita, tam ipse Judex, quam victor, scire valeant, quod appellatio interposita sit tempore debito, & per consequens abstinere valeant, ac debeant ab executione, vel alio ulteriori processu; Ideoque clandestina appellatio extrajudicialis, sive etiam facta in diversis actis, non attenditur, neque prodest; Præterquam ubi, ob Judicis, seu victoris potentiam, vel impedimentum, aut justum timorem, appellans excusabilis dici valeat; Istoque casu admittitur, atque legitima reputatur appellatio extrajudicialiter facta coram honestis viris, sive apud acta diversi Judicis; Ideoque super hoc statui non potest certa regula generalis, cum totum pendeat a facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, quando scilicet istud impedimentum, vel justa causa adesse dicatur, necne. *i*

Non tamen præcise necessarium est, ut appellatio coram Judice a quo & apud acta illius judicii interponi debeat, cum sufficiat quoque illam interponere coram judice appella-

pellationis, vel coram Principe, aut coram illo superiori Magistratu, ad quem pertineat appellationem admittere, ejusdem causam committere; Unde propterea in praxi receptum est in Curia, quod ipsa inhibitio obtenta ab Auditorio Cameræ, vel ab alio Judice appellationis, recte deservit loco appellationis, quamvis ista in actis Judicis a quo facta non sit, quoties eadem inhibitio obtenta fuerit in termino, qui ad hunc effectum per legem statutus est; Idemque ubi porrigatur commissio signanda per Præfectum Signaturæ Justitiæ, quoniam quemadmodum in prima instantia, commissio succedit loco libelli, ita fortius est loco appellationis. *l*

11 Interponi autem debet per ipsum principalem, vel per ejus legitimum procuratorem; Nisi de illis agatur causis, quæ populares dicuntur, quia nempe cuilibet ad defensionem personæ, cujus interest appellationem interponi, agere, vel excipere liceat, dum multo magis licet interponere appellationem, quæ species defensionis dicitur; Ut (ex. gr.) sunt, Ecclesia; Pupillus; Amens; Et aliæ similes personæ privilegiatæ, quæ sub legis defensione, vel protectione vivant. *m*

In non privilegiatis autem, necessarium non est man-
12 datum speciale, cum sufficiat illud generale, quod pro causæ defensione datum est, etiam tacitum, seu præsumptum, quoniam illi, qui deputatus est procurator ad causæ defensionem, fortius data censetur ista facultas appellandi, quæ connaturalis, imo necessaria dicitur; Adeout adversus procuratorem non appellantem, concedatur actio ad interesse, quam tamen nunquam vidi practicari. *n*

Bene verum quod, licet ista negligentia procuratoris,
13 præjudicet principali, ex regula alibi quoque insinuata, quod in iis quæ consistunt in omittendo, sive in negligendo, procurator præjudicat principali, quamvis secus sit in iis, quæ consistunt in committendo, sine mandato speciali, quoties ex qualitate actus non urgeat ejus præsumptio, ut in recursuum & attentatorum sedibus habetur; Adhuc tamen ista reputatur justa causa restitutionis in integrum, ut infra, *disc. seq.* occasione agendi de hac restitutione advertitur.

Quando autem, coram ipso Judice a quo, appellatio interponitur; Tunc certa forma in jure præscripta non est;
14 Quæstione cadente, an præcise necessaria sit scriptura, vel sufficiat, ut ea oretenus interponatur; Illa tamen coram Judice fieri debet, & non sufficit coram Notario, nisi stylus aliter suadeat, vel Judicis præsentia non habeatur. *o*

Nimium tamen rari sunt casus, in quibus ita interponatur appellatio, dum præsertim, ex Curiæ praxi illa interponi solet in scriptis, atque (ut vulgo dicitur,) per cedulam in actis exhibitam; Quoties celeris commissio ut supra, non eximat ab istius cautelæ necessitate; Stante siquidem stylo superius insinuato, habendi terminum citationis ad sententiam pro servato, atque sententiandi in illius fine, in quo expirat etiam terminus ad appellandum; Imo in Rota prius iste, quam ille terminus expirat, incertæ autem sint Partes, & quomodo pronunciandum sit; Idcirco, absque necessitate faciendi inanem sumptum super commissione, interponi solet appellatio per cedulam in actis cum clausula *quatenus constet & in parte & partibus, &c.*

Tertia est supradistincta inspectio super tempore, intra
15 quod appellatio interponi debet, ut legitime interposita dicatur, suosque operetur effectus; Atque regula est, ut interponi debeat infra decem dies; Isteque terminus præfinitus a jure civili immutatus non est a jure canonico, atque in hac parte totius pene illius Orbis, qui cum legibus scriptis communibus vivit, praxis videtur uniformis. *p*

Difformitas autem esse solet in initio, seu cursu dicti termini, an scilicet illico, ab ipsa die latæ sententiæ, vel potius a die ejus intimationis, per quam certa scientia inducatur, dum in aliquibus partibus ista intimatio est in usu.

Curiæ vero praxis est quod terminus currit illico a die latæ sententiæ, atque (ut aliqui dicunt) de momento ad momentum; Quinimo (quod magis est) ubi etiam sententia,
16 vere, & realiter, inspecta naturali veritate, non proferatur in ipsa die, seu termino cadentis citationis, sed juxta stylum superius insinuatum, habeatur terminus pro servato, adeout integrum sit pronunciare intra decem dies, & in Rota infra quindecim, atque in eo pro servato qui habetur in ultima Rota, in qua inducuntur vacationes generales pene per mensem, nempe usque ad Congregationem generalem expeditionum, dantur reis judicata illius sententiæ, quæ adhuc nata non est, stante retrotractione ad ipsam diem cadentis citationis; Res quidem exorbitans. *q*

Ea tamen adhibetur distinctio; quod, aut neglecta dicta fictione, sententia profertur in ipso die, seu termino, Parte, vel Procuratore præsente, adeout scientia sit certa, & inexcusabilis: Et tunc terminus currat illico, atque sine dubio resultet res judicata perfecta, adeout aliud non supersit remedium, nisi illud nullitatis, vel alterum restitutionis in integrum, de quibus *disc. seq.*

Aut Pars citata non comparet in termino, unde propterea, juxta frequentiorem praxim, sententia profertur in contumaciam; Et tunc distinguitur inter contumacem verum & fictum; Verus enim dicitur ille, qui ad sententiam, personaliter citatus est, ipsemet, vel ejus procurator, juxta praxim Rotæ, & aliorum Judicum commissariorum, in illis causis, in quibus Pars comparuerit, adeo- 17
ut non sit processus per contradictas; Fictus autem est ille, qui citatus est domi, juxta stylum Tribunalis A.C. aliorumque Tribunalium ordinariorum; Sive quod ob non comparitionem in prima citatione generali, totus processus sit in contumaciam, unde propterea fiat ista citatio ad sententiam per contradictas; In casu etenim contumaciæ fictæ, ex quadam æquitate, de stylo recepta, admittitur semper appellatio infra decem dies, a die scientiæ, quæ vere habita sit, ita rationabiliter commiserando Partes litigantes, quibus ex negligentia, seu ex collusione procuratoris, istud notabile parari solet præjudicium, non appellando infra legitima tempora. *r*

Bene verum, quod ista æquitas, intelligenda venit pro sola habilitatione contumacis ad appellandum, etiam post terminum, & ne sibi obstare valeat rigor regulæ, quod contumax non appellat, quoties res sit integra, quia nempe ad executionem deventum non sit; Secus autem si res integra non sit, adeout prætendatur retractatio executionis ex vitio attentatorum, quoniam victori sufficit exspectasse lapsum termini juris: Atque ad id advertendum 18
erit, quoniam non semel in hoc multum laborare oportuit, ut id suaderetur aliquibus ex illis Judicibus, qui nihil scientes per causam, seu per rationes, sed solum per traditiones, habendo in materia aliquas propositiones generales, ex illis, quæ in suis casibus veræ sunt, deducunt falsas consequentias. Puta ad rem, Ita argui solet; Certa est regula, ut totum id, quod fiat super executione sententiæ appellabilis, pendente termino ad appellandum, dicitur attentatum. Sed in contumace terminus ad appellandum est totum tempus, in quo scientia certa non habeatur; Ergo totum id quod in hoc tempore gestum sit, dicendum est attentatum.

Verum error consistit in non advertendo, fallaciam minoris, quod scilicet iste non dicitur terminus, qui de jure competat, ideoque impediat, ne sententia transeat in judicatum, sed est quædam habilitatio ex æquitate inducta a stylo, ut fieri possit extra terminum id, quod de stricto rigore fieri non posset.

Quarta est inspectio circa prosecutionem appellationis jam interpositæ. Atque in hac parte magna dignoscitur varietas circa praxim Tribunalium, vel dispositionem Jurium, Si quidem de jure civili, terminus prosecutionis, est quadraginta dierum ad comparendum coram Judice appellationis, & obtinendum inhibitionem. Hisque secutis ad ulteriorem progressum causæ, intrat ille terminus, qui producit peremptionem instantiæ; Dictusque terminus quadraginta dierum in Curiis, vel Tribunalibus laicalibus Regni Neapolitani per illius leges particulares, ampliatus est ad alios decem dies, & sic est dierum quinquaginta; De stylo tamen (quantum suppetat memoria, pro ætate adolescentiæ,) admittitur in Judice a quo facultas abbreviandi istum terminum, juxta majorem, vel minorem distantiam loci, in quo degat Judex appellationis. Ut præsertim habetur in Curiis baronalibus, stante frequentiori usu, quod Baronea habent etiam secundas; Et aliqui magis privilegiati habent quoque tertias instantias; Unde propterea deputare solent in Judices hujusmodi instantiarum aliquos Jurisperitos locorum adjacentium, & sic Judex a quo, de hoc recte conscius, abbreviando dictum terminum, qui alias competit, alium præfigit, qui congruus videatur. *f*

Quidque autem sit de praxi in dictis Tribunalibus, ac in aliis diversorum principatuum, seu locorum (cum pro meo judicio erroneum videatur agere de stylis, & praxi, in quibus non sit quis versatus;) Quatenus pertinet ad praxim Curiæ, Quamvis de jure regula videatur, ut terminus datus ad prosequendum, possit restringi, quoties tamen restrictio sit quoad ipsum appellantem, circa ea

quæ

quæ pendent ab ejus facto, & diligentiis, ut scilicet Judicem appellationis adire debeat, atque coram eo causam introducere, servando quæ ad hunc effectum servanda sunt, non autem ad terminandam causam, sive ad faciendum ea quæ pendent potius a facto Judicis, quam a facto Partis, quoniam ita esset superiori legem imponere, quod non licet inferiori; *t* Adhuc tamen ista præfinitio non videtur esse in usu in appellationibus, quæ in ipsa Curia interponantur, ob diversam praxim magis rigorosam super commissione causæ, ut infra; Solumque de hoc disputari aliquando contingit in causis de partibus, quod scilicet Judex a quo, terminum juris abbreviaverit, ut præsertim contingit in Curiis Episcopalibus, vel Metropolitanis præfati Regni, aliarumque ditionum, vel principatuum, ex consueto errore procedendi cum stylis, & cum praxi Tribunalium, seu Curiarum sæcularium, non advertendo, quod ipsi regunt forum ecclesiasticum, ideoque procedere non debent cum jure civili, seu laicali communi, vel particulari, sed cum jure canonico, atque quantum fieri potest se conformare cum praxi Curiæ Romanæ, utpote eorum metropolita, & in qua in gradu appellationis agendum est de confirmatione, vel infirmatione eorum, quo ab ipsis gesta sint.

21 Siquidem, ubi agitur de causis beneficialibus, ista restrictio indefinite non admittitur, nisi de Partium consensu; *u* In aliis vero causis prophanis, seu indifferentibus, non admittitur dicta abbreviatio, nisi accedat admissio appellationis; secus autem si Judex illam non admiserit, adeout dederit refutatorios, quoniam tunc concedenda non est facultas abbreviandi prosecutionem illius appellationis, quam ipse respuit. *x*

22 Et nihilominus, etiam quod ista admissio sequatur, adhuc tamen pro meæ diuturnæ forensis vitæ notitia (quamvis in Advocatis Curiæ, pene nulla, vel nimium modica esse soleat notitia eorum, quæ in praxi consistunt, cum in eis non se ingerant) ista præfinitio, seu abbreviatio in consideratione haberi non consuevit; Vel quia, inhærendo ut supra; stylo, vel praxi Curiarum sæcularium, statui solet terminus nimium brevis, & indiscretus; Vel quia in hac materia rei judicatæ, Curia nimium benigne procedit, atque semper audit appellantem, ut occasione agendi de restitutione in integrum *disc. sequenti* advertitur.

23 In causis itaque extra Curiam, a sententiis Ordinariorum, seu Metropolitanorum, aut Legatorum, & Nunciorum, aliorumque Judicum, proceditur cum dispositione juris canonici, qua attenta, terminus ad prosecutionem appellationis est anni, & ex causa est biennii.

Quamvis enim circa secundum annum, non modica sit quæstio inter scribentes, cum consueta opinionum varietate, an oporteat, ut ex parte appellantis doceatur de justa causa, adeout alias solus lapsus anni sufficiat ad appellationis desertionem; Attamen de stylo receptum est, ut indefinite biennium concedatur. *y*

Quare ab aliquo moderno tempore (me id insinuante Magistro meo Andosillæ prius ingeniosissimo ac magno Advocato, Signaturæ Justitiæ Decano,) inolevit praxis, quod elapso anno, præfigitur appellanti terminus competens, puta unius mensis ad transportandum acta, & prosequendum appellationem; Sin minus, ut Judex a quo ad executionem ejus rei judicatæ procedere valeat.

24 Quo vero ad causas Curiales, quod scilicet agatur de appellatione interposita a sententia lata in Curia; Appellans premitur quibusdam rigorosis obligationibus, quod scilicet tenetur infra triginta dies post interpositam appellationem redire pro apostolis, atque alias censetur appellationi renunciasse, nisi prius curaverit causam committi, vel quod diligentias ex ejus parte adhibuerit pro commissione, cum tunc iste actus non requiratur; Verum id parum in praxi auditur, stante stylo, quod in ipsa cedula appellationis, cum clausulis pro consueto formulario adjici solitis instari soleat de apostolorum responsione, seu concessione, atque diligenter dari commissio; Et per consequens, raro forsan ex isto capite desertio inducitur.

Magis autem frequenter disputari solet de alio rigore, quo appellans premitur redimendi commissionem a banco cursorum, sive procurandi incapsationem, quod sonat in idem, infra alios decem dies post interpositam appellationem, sin minus censeatur quoque huic renunciatum, adeout habeatur pro non interposita, nisi factæ sint diligentiæ ex parte appellantis, per quem non steterit; *a* Istumque rigorem quandoque vidi practicari in dicto casu exorbitanti, illius scilicet spatii, quod decurrit infra ultimam Rotam memorialium vacationum generalium æstivarum, & congregationem generalem expeditionum circa Kalendas Augusti, quod scilicet, cum infra decem dies termini habiti pro servato, adhibita fuisset cautela dandi cedulam appellationis, cum clausula *quatenus contra*, neglectum fuit incapsari comissionem in alio termino, eo quia adhuc edita non esset decisio, atque incertum esset, an post illius editionem Rota concessura esset novam audientiam, vel demandare deberet expeditionem in ipsa congregatione generali, cum id pendere soleat a fundamentis decisionis, & an petendo novam audientiam, aliqua deducantur facti, vel juris motiva relevantia ejus fundamenta; Idcirco nimium asperum ac exorbitans videbatur, ut de adeo præjudiciali negligentia imputari deberet ille, qui adhuc incertus erat, an demandanda esset expeditio in vim illius decisionis, quæ adhuc edita non erat. *b* Solet autem iste rigor (qui vere de judaismo sapere videtur) de facili temperari, quoties constet, quod aliquæ diligentiæ ex parte appellantis fuerint adhibitæ.

Quatenus vero secuta in tempore incapsatione commissionis) pertinet ad fatalia pro actorum transportatione, & pro causæ prosecutione; Differentia quoque dignoscitur inter causas Curiales, & exteras, quoniam in prima specie non viget illa ratio majoris dilationis, quæ viget in secunda, ob diversam rationem distantiæ, & incommoditatis itineris, ac majoris sumptus in transportatione; vel transmissione actorum. Ac etiam quia (ut valde frequens praxis docet,) Ordinarii, seu Metropolitani, vel Legati, aliique Superiores; vel Judices ecclesiastici de partibus, ut plurimum ægre ferre solent appellationes ab eorum sententiis, quodque in Curia illæ revideri debeant, experti forte, quod ut plurimum ob male servatum ordinem judiciarium eo quia sequentes stylum Curiarum laicalium, reflectere nolunt ad dispositionem juris canonici, vel ad imitandum eam praxim quam imitari deberent, revocationem pati solent ex capite nullitatis, adeout in Curia per ora practicorum volitet dicterium, *processus de partibus, ergo nullus*, & sic impedimenta, & difficultates non modicæ haberi solent, unde propterea sæpius oportet illa ab initio obtinere per viam compulsoriæ. Ac etiam quia Notarii, sive Actuarii exorbitans petere solent salarium, pro copia, seu transumpto processus, quæ omnia cessant in Curia, ubi prompte, etiam in una hebdomada transportatio fieri potest ab uno Judice ad alium; Et per consequens solum spatium unius anni reputatur sufficiens, quinimo excessivum in Curia, ubi saltem ad aliquos actus deventum non sit; *c* Hæredi vero datur aliquis major terminus quatuor mensium. *d*

Quare (juxta proportionem,) quemadmodum, ubi 26
juxta opinionem, quam praxis recepit, in causis exteris, fatalia durant ad biennium; Et tamen Signatura, elapso anno, præfigit terminum; Ita in causis Curialibus, primum spatium, seu fatale unius anni dimidiari deberet, atque elapsis sex mensibus, procedi ad præfixionem termini; Imo, pro causarum, & Partium qualitate, etiam quandoque intra breviorem terminum, cum istæ moræ necti soleant affectate ad defatigandum victorem, seu appellatum, qui propterea, pro frequenti contingentia, ad obtinendum finem liti pati cogitur illum sumptum, quem facere deberet appellans in transportatione actorum, quam ipse faciat, cum incerta spe recuperandi expensas in fine litis; Ideoque erroneum videtur generaliter procedere cum hujusmodi formalitatibus in omnibus causis, non distinguendo singulorum casuum circumstantias.

Elapso igitur uno, vel altero spatio, quod sub fatalis, seu fatalium vocabulo explicari solet; Appellatio remanet deserta, perinde ac si nunquam interposita esset, & per quandam speciem implicitæ renunciationis, ideoque sententia transit in judicatum, atque cessato impedimento, quod appellatio præstat Judici a quo, iste suam reassumit jurisdictionem, suamque sententiam citra vitium attentatorum executioni demandare potest. *d. a.*

Adhuc tamen intrat quæstio, quæ consuetam habet opinionum scissuram, seu varietatem, ac scilicet ista desertio, vel res judicata resultet ipso jure, vel potius requiratur 27

sententia declaratoria; Probabilior tamen, magisque in praxi recepta videtur opinio, ut declaratoria requiratur Judicis ad quem, quando istius inhibitio adsit explicita, vel etiam implicita, cum citatione ad dicendum contra commissionem, cum tunc non liceat Judici a quo, tanquam inferiori, sibi ipsi dicere, suaque auctoritate tollere impedimentum, quod superior sibi intulit; Sed solum id ei conceditur, quando impedimentum proveniat a lege, ob appellationis interpositionem infra legitima tempora; Potissime quia adesse potest justa causa, quæ, ut infra, hujusmodi lapsum fatalium excusare solet, *e*

28 Curiæ vero praxis est, non procedendi ad hanc explicitam declarationem, sed eam faciendi implicite, quoniam ubi hominis inhibitio accedat, per appellatum peti solet moderatio inhibitionis, seu remissio causæ Judici a quo ab eodem Judice ad quem, vel a Signatura.

Quando vero adest sola inhibitio legis, tunc citatur appellans cum præfinitione aliquotum terminorum, juxta formulas, quas nudi *Practici* registrant, ad docendum de appellatione, ejusque legitima prosecutione, sin minus videndum mandari procedi ad ulteriora in executione; Itaque præfinitio termini ad transportandum acta, fieri quoque soles per Judicem ad quem, vel per Signaturam, priusquam moderatio inhibitionis concedatur, adeout si infra hunc terminum acta trasportentur, inhibitio reintegretur, sive denegetur decretum moderationis; Quinimo etiamsi isto novo termino elapso, re integra, sequatur transportatio actorum, adhuc impeditur expeditio moderationis, sive conceditur reintegratio.

Ista vero benignitas, quæ originata est ex illa canonica æquitate, quam Romana Curia ecclesiastica sequi profitetur, & quæ occasione probationum, vel productionis jurium, pluties in præcedentibus insinuata est, ne scilicet ob hujusmodi legales rigores, vel formalitates, veritas, & justitia suffocatæ remaneant; Ex humanæ malitiæ inevitabili conditione, ob quam omne bonum suam patitur corruptionem, vel fraudem, fomentum præbere videtur calumniis appellantium, qui ita curant defatigare victores, atque causas in longum protrahendo, vincere per alterius Partis defatigationem, vel deficientiam, quæ interim sequatur, dum ita resultat, quod absque novis citationibus, ac terminorum præfinitionibus durat inhibitio, atque executionem pati non possunt, atque obdormiunt in prosecutione.

Imo etiam post hanc præfinitionem, aliquam faciunt transportationem mancam, & imperfectam, ita affectando dilationes cum disputationibus super integritate, vel non integritate actorum, sive super obligatione transportandi relevantia tantum, non autem irrelevantia, juxta ea quæ habentur infra in sequenti inspectione; Ideoque ista benignitas non uniformiter adhibenda videretur, sed quando vere facti circumstantiæ eam suadeant, adhibendo aliquem majorem rigorem pro causarum, ac personarum qualitate; Atque hinc manat frequentior praxis supra insinuata, quod scilicet prosecutio appellationis fiat potius per appellatum, quam per appellantem, quando iste sit idoneus; Sed malum consistere solet in eo, quod frequenter est pauper, sive alias ad id impotens, unde propterea ob ejus impotentiam, a malitia appellantis suffocationem patitur.

Et consequenter, quemadmodum etiam in prima instantia, pauperi collitiganti decerni solent alimenta, & sumptus litis; Ita fortius, & a majoritate rationis, eo ipso quod appellatus comparet coram Judice ad quem, ac dicit se velle prosequi appellationem, & accelerata transportationem actorum, sed quod non habet præ manibus expensas necessarias, deberet esse locus provisioni pro celeri coactione appellantis ad subministrandum has expensas, absque tamen illis formalibus dispositionibus, quæ haberi solent super dictis alimentis, sumptibus litis, & præsertim circa justificationem paupertatis, juxta ea, quæ superius in sua rubrica insinuata sunt, ob magnam differentiæ rationem inter unum casum, & alterum; In illo etenim adesset exorbitantia a jure, ut quis suum æmulum alere cogatur, eique arma contra seipsum subministrare, contra ipsum naturalem sensum, ideoque concedendum non est, nisi ubi magna suppetat æquitas, ne pauperis justitia suffocata remaneat, ac propterea constare debet de tali paupertate, quæ est fundamentum, vel causa hujusmodi exorbitantiæ; In præsenti autem, petitio non continet exorbitantiam, sed potius justitiam, & æquitatem, ut occurratur malitiis, & calumniis appellantis, eum cogendo ad id, ad quod de jure tenetur; Et sic sufficere deberet talis qualis etiam extrajudicialis informatio alicujus incommoditatis, quam appellatus patiatur potius moraliter quam physice, cum magna dignoscatur differentia inter unum casum, & alterum.

29 Impedimenta vero, sive justæ causæ excusantes a lapsu fatalium, certam non recipiunt regulam generalem, cum pendeant ex facti circumstantiis, juxta singulorum casuum qualitates; Pro frequentiori autem contingentia aliquæ recenseri solent; Puta, Infirmitas appellantis; *f* Atque pro infirmitate attendi solet decrepita ætas; *g* Verum pro meo judicio erroneum videtur, ita generaliter, ac indefinite id attendere; quoniam si (ex. gr.) agatur de viro nobili, vel divite, qui alias, etiam in statu valetudinis, vel juventutis acta judicialia peragere solet per ejus procuratores, & ministros, neque infirmitas ob extraordinarias expensas, quas parere solet, in eo causet impotentiam, vel alterationem status, tunc non videtur quare infirmitas, vel gravis ætas, hoc impedimentum præstare debeat.

30 Altera reputatur justa causa paupertatis; Verum pariter discrete, & pro facti qualitate intelligenda venit. *h*

31 Mora item, vel absentia Procuratoris justam excusationem præbet; *i* Sive absentia, vel carentia Judicis; *l* Aut tempus vacationis Sedis Papalis in Curia, vel aliud tempus accidentale, belli humani, vel divini, præsertim istius posterioris, ut nostra ætate practicari vidimus, quod judicia omnino siluerunt; *m* Sive quod ex parte appellati aliquod impedimentum præstitum sit; *n* Vel quod fuerint discussæ nullitates, *o* cum similibus; Super quibus (ut præmissum est) regula certa, & generalis non cadit, cum totum pendeat a facti qualitate, & circumstantiis prudentis Judicis arbitrio pensandis.

32 Ita vero pro meo sensu regulanda videretur quæstio, an in dubio pro cursu, vel non cursu fatalium judicandum sit; Siquidem licet regula sit in dubio favore appellantis; *p* Attamen discrete pro facti qualitate intelligi deberet.

33 Cadit item quæstio, an hujusmodi causæ, vel similes, impediant ipso jure lapsum temporis, adeout tempus accidentale debeat subduci, perinde ac si non decurrisset; Vel potius currat quidem tempus, sed id præbeat justam causam restitutionis in integrum, juxta illam distinctionem, quam (ex. gr.) habemus in materia præscriptionis, inter tempus pupillaris, ac alterum minoris ætatis, cum similibus.

Hujus autem quæstionis effectus est notabilis, quoniam, si tempus currit, adeout ob desertionem appellationis, sententia transeat in judicatum, unde propterea non competat remedium ordinarium appellationis, sed solum extraordinarium restitutionis in integrum; Tunc appellans duplici subjacet præjudicio; Primo nempe, quod premitur onere docendi de justitia impedimenti cum talibus circumstantiis, quæ impellant Judicem ad interponendum suum arbitrium, quod pro facti qualitate potest denegari; Et secundo quia si Judex hoc beneficium denegat, unde propterea declaret rem judicatam, præclusa est illa ulterior instantia, quæ in casu cessantis rei judicatæ competere posset, cum facultate denuo appellandi ab hoc secundo Judice, quod nimium refert.

Ista vero quæstio decidenda videtur pro diversa qualitate impedimenti; Aut enim de illo agitur, quod generale, ac notorium, a jure indefinite probatum sit, ut est illud belli divini, vel humani, seu vacationis Sedis Papalis; Et tunc tempus non currat, sed ipso jure subducendum sit, conjungendo extrema habilia, tempora scilicet non impedita; *q* Ut etiam de termino conventionali alibi advertitur. *r*

Aut vero agitur de impedimento singulari, & privato, cujus justificatio pendeat a particularibus facti circumstantiis, ut est illud infirmitatis, vel paupertatis, seu carcerationis, vel inimicitiarum, aut mortis, sive absentiæ Procuratoris, vel etiam calumniæ, seu malitiæ istius, aut justæ ignorantiæ, ut contingit in hærede, cum similibus; Et tunc, currat quidem tempus, sed subveniendum sit cum dicto extraordinario remedio restitutionis in integrum, super cujus justa causa disputari solet, & quandoque concedi, quandoque autem denegari pro facti qualitate. *s*

Quo vero ad quintam inspectionem, super modo prosequen-

sequendi appellationem, & præsertim circa transportationem actorum; Regula est, quod Judex appellationis procedere non potest in causa confirmando, vel infirmando ea, quæ per Judicem prioris instantiæ gesta sint, non trasportatis integris actis illius instantiæ, ex quibus inspicere debet, an prior Judex bene, vel male processerit, atque alias nulliter procedit.

35 Intrat autem quæstio super ipsorum actorum qualitate, sive integritate, an scilicet omnia acta, tam relevantia, quam irrelevantia qualiacunque sint, transportari debeant, vel potius sufficiat transportare relevantia tantum; Atque in hoc dignoscitur quoque consueta opinionum scissura, seu varietas; Ea vero in praxi recepta videtur distinctio inter causas ecclesiasticas, & temporales, seu prophanas, ut scilicet in ecclesiasticis, & spiritualibus necessaria sit omnimoda integritas, tam relevantium, quam irrelevantium, tanquam per speciem formæ præcisæ inductæ a Concilio Tridentino; Atque ad hunc effectum causæ spirituales dicuntur omnes illæ, quæ sint ecclesiasticæ, ideoque non capitur iste terminus pro beneficialibus tantum, ut in materia remissoriæ contingit.

36 Ubi vero agitur de causis prophanis, in quibus Concilium nil disposuit, ideoque proceditur cum dispositione juris communis; Quamvis pariter non desit varietas opinionum; Probabilius tamen magisque receptum videtur, ut sufficiat transportatio relevantium; *u* Quoties appellans non intendat impugnare sententiam ob alium defectum negativum, puta citationis, vel alterius actus, qui fieri debeat, cum tunc oporteat transportare omnia acta, dum altera Pars dicere potest, quod in illis actis, quæ desunt, id contineatur; Nisi agatur de tali actu, qui de sui natura pernecesse contineri debeat in illis actis, quæ transportata sunt. *x*

Quare in hoc proposito integritatis actorum, distinctio relevantium, & irrelevantium prodesse solet ad effectum sustinendi sententiam, vel aliam provisionem Judicis ad quem, quo scilicet altera Pars dicat de illius nullitate ex isto defectu transportationis actorum, qui regulariter talem nullitatem producit, cum tunc ad eam evitandam, ac sustinendum actum, de hoc quæri soleat; Sed ubi adhuc res sit in fieri, quia nempe, appellante instante coram Judice ad quem ut procedatur ad infirmationem sententiæ, vel alterius provisionis Judicis a quo, cum actis jam transportatis; Appellatus objiciat de non integritate, cum tunc si ista desit, illa demandari soleat, atque interim supersederi: cum magna differentia sit inter unum defectum, & alterum, atque aliqua resultare videtur suspicio, ex eo quod appellans alia acta transportare neglexerit.

37 Adhuc tamen, isto secundo casu, in quo res sit in fieri, recte proceditur cum aliqua parte actorum tantum, quamvis modica, quoties ex illis, bene, & concludenter convincatur id, quod per appellantem prætenditur; Puta quia agatur de gravamine, quod resultet ex aliquo incidenti, & sic alias, quam ad effectum infirmandi sententiam latam in negotio principali, de cujus affirmativæ, vel negativæ justificatione, constare debet ex toto processu; Ut (ex. gr.) pro frequentiori contingentia habemus in materia attentatorum, de quorum revocatione, vel purgatione agatur, quoniam si prætendatur attentata ob executionem factam intra tempus post interpositam appellationem, vel durante illius termino; Tunc eo ipso quod exhibentur coram Judice ad quem illa acta, ex quibus de hoc appareat, nempe sententia, ex cujus tenore pateat de ejus data, ac de appellabilitate, & de executionis actu, ex cujus tenore pateat de tempore, unde convincantur attentata, expectanda non est transportatio aliorum actorum, cum ita habeatur intentum, sive dicatur adimpletus ille finis, ob quem transportatio facienda est, cum similibus, quibus eadem congruat ratio. *y*

38 Idque etiam in causis spiritualibus, vel ecclesiasticis, in quibus integra transportatio etiam irrelevantium requiritur pro forma, ut supra, quoniam id intelligitur in negotio principali, & ad effectum confirmationis, vel infirmationis sententiæ, non autem super incidentibus, & præsertim super prædicto attentatorum.

Intelligenda tamen venit dicta regula, super necessitate transportationis omnium actorum, de illis, quæ sint ipsius causæ, non autem de aliis gestis in causa diversa, quoniam si altera Pars prætendit, quod illa relevent ad effectum, qui per ipsam prætendatur, debet esse de eis solicita, illa

deducendo, potius tanquam jura, quam tanquam acta. *z*

Hinc disputari solet, an, & quando causæ dicendæ sint diversæ, vel potius earum identitas accedat; Idque pendet a verificatione triplicis identitatis, quæ copulative requiritur, personarum scilicet, rei, & actionis, adeout una diversitas ad hunc effectum sufficiat, quæ oriatur ex dispositione juris, quamvis appareret, & de facto iis videatur esse super unica re; Ut puta (ex. gr.) si contendatur de duobus beneficiis, quæ non sint invicem perpetuo unita, sed tamen ex Apostolica dispensatione soleant concedi uni Personæ; Puta, juxta frequentiorem praxim Hispaniæ, de dignitate, & de canonicatu ejusdem Ecclesiæ, quoniam si super illis viget lis inter duos provisos, seu alias de eorum pertinentia contendentes; Adhuc tamen ratione diversitatis beneficiorum dicuntur duæ causæ diversæ, nisi identitas provisionis, vel alia circumstantia, omnimodam identitatem suadeat. *a* 39

Prout etiam, opus non est transportare illa jura, quæ verbaliter tantum producta fuerint, adeout non adsit illa formalis productio, per quam illa jura dici valeant effecta de actis, cum tunc dicantur potius jura, quam acta, ideoque illa Pars, quæ prætendit quod faciant ad causam, potest illa transportare, si vult. *b* 40

Dari solent quoque a Scribentibus aliæ limitationes insinuatæ *disc. prec.* Super conclusione justificationis, quæ ex actis facienda est; Et inter quas, illa præsertim ad rem bene adaptatur, quando scilicet transportatio fieri non valeat, ob impedimenta præstita per alteram Partem, sive ob aliud ejus factum culposum, ex regula quod in odium impedientis, actus habendus est pro facto, ut in rubrica citationis, & alibi quoque advertitur. *c* 41

Quo vero ad alias limitationis, eodem *disc. prec.* insinuatas, circumspecte procedendum est, neque de facili eadem verificatio est practicabilis, quoniam; Aliud est agere de justificatione sententiæ, ad effectum sustinendi ejus validitatem, vel executionem, quæ ejus vigore facta sit, sive ad effectum videndi, an probet, vel non probet id, quod in ea continetur pro alio incidenti, sive pro aliqua consequentia, quæ exinde resultet; Aliud vero ubi principaliter in gradu appellationis agatur de infirmatione prætensa per appellantem, quoniam tunc, si ex facto tertii, vel ex alio casu acta haberi non valeant, sibi, vel fortunæ appellans imputet, cum in dubio præsumptio assistat justitiæ, ac validitati sententiæ, donec doceatur de injustitia, vel nullitate, per illum, qui unam, vel alteram allegat; Et consequenter magna differentia est inter unum effectum, & alterum, dum in eo, impedimenta etiam non culposa prosunt; In isto autem nocent. 42

Si vero casus præbeat, quod aliqua acta, alia forsan occasione, jam existant penes Judicem ad quem, tunc opus non est, ut eadem denuo transportari debeant, quamvis agatur de causis ecclesiasticis, in quibus integritas ut supra requiritur pro forma, cum esset implementum mere inane, ac superfluum, ideoque sufficit ut transportentur illa quæ desunt. 43

Et quoniam frequenter Judex appellationis procedere solet tanquam in prima; Vel vigore clausulæ *quam & quas &c.* Vel quia per Signaturam causa commissa sit tanquam in prima; *d* Hinc disputari solet, an actorum transportatio necessaria sit; Atque pariter, eo modo, quo in omnibus (adeout nil in jure pacificum adesse videatur) non modica opinionum diversitas dignoscitur; Ea tamen videtur probabilior, magisque recepta distinctio, quod; Aut de causa, quæ coram Judice secundæ, vel ulterioris instantiæ, vere, & de facto introducta sit per medium appellationis a sententia, vel ab alia provisione alterius Judicis a quo; Pro meliori autem directione, sive ob manifestam infectionem ejus quod alter Judex gessit, tanquam per speciem circumscriptionis, procedatur tanquam in prima, adeout id proveniat ex quadam fictione juris; Attenta vero naturali veritate, ille sit Judex appellationis, per cujus medium, causa coram eo introducta sit; Et tunc indefinite actorum transportatio requiratur; Secus autem si agatur de causa diversa, de qua ex aliquo accidenti, tanquam in prima agatur coram eo, qui sit potius Judex secundæ, quam primæ instantiæ. *e* 44

Integritas in dubio præsumitur, quoties ex actorum facie de contrario non appareat; Clarius autem illa probata dicitur, quando Notarius actuarius judicis a quo de illa testatur; Quamvis cautius sit, & commendabilius, ut hanc attestationem explicite faciat, asserendo scilicet, quod illa est copia omnium, & singulorum actorum, ut ita tollatur omne dubium, vel occasio tergi- 45

versationis; Non tamen præcise, ac de forma ista expressio necessaria est, ut a nudis practicis prætendi solet, quoniam eo ipso quod Notarius actuarius, ad quem pertinet conservatio, & custodia actorum originalium, testatur quod illa est copia actorum illius causæ, quamvis non dicat omnium, singulorum adhuc integritas potius est præsumenda, cum in dubio præsumendum sit quod sit totius valide, ac eo modo quo iniri debet, quoties hæc præsumptio per contrariam probationem, vel fortiores præsumptiones non elidatur. *f*

Sesta est inspectio super effectibus, qui ex appellatione resultant; Inter quos est ille præcipuus, ut suspendat senten-
46 tiam, adeout habenda sit perinde, ac si non esset lata; *g* Ideoque tollit, vel impedit jurisdictionem Judicis, qui eam protulit, ut tanquam functus officio suo, non possit amplius in ea causa, vel in ejusdem sententiæ executione se ingerere, citra vitium attentatorum, super quorum incursu de isto effectu frequentius agi solet; Cum etenim, ut supra in attentatorum rubrica advertitur, catenus attentata intreot, quatenus agatur de causa, vel de sententia, quæ sit de sui natura appellabilis, & non alias, cum in causis executivis, vel quæ alias non admittant appellationem suspensivam, iste effectus suspensionis non intret; Hinc proinde quæstiones cadunt, super natura, seu qualitate causæ, vel sententiæ, an scilicet, & quando hanc appellationem suspensivam admittat, necne.

Hujusmodi vero quæstiones apud antiquiores disputatæ fuerunt, potius de jure, at in abstracto; Apud Moderniores vero pro forensi praxi præsertim Curiæ Romanæ (ut pene generaliter in omnibus aliis materiis,) revera sunt potius facti & applicationis, quam juris, & sic potius in concreto, quam juris, & in abstracto, cum pene omnes juris quæstiones, quæ apud nostros majores adeo ambiguæ fuerunt cum tanta opinionum scissura, hodie sopitæ sint, dum per decisiones Tribunalium, una opinio recepta est pro regula, altera vero retinetur, ac servit pro limitatione; Ideoque omnes disputationes pertinent applicationem, ea singulorum casuum circumstantiis regulandam, ut alibi pluries advertitur (semper tamen opportune,) cum istud principium præ omnibus aliis, ante Judicum, & consulentium oculos haberi debeat.

Statuta igitur, vel præsupposita superius insinuata regula generali, quod omnes causæ, vel sententiæ sint appellabiles ad utrumque effectum, præter illos casus, qui in jure exceptuati reperiuntur; Quatenus ad executiones, seu limitationes pertinet, illæ ex triplici fonte manant; Primo nempe, ex dispositione juris civilis, vel canonici; Secundo, ex scripto, vel non scripto jure particulari, seu municipali, ac etiam in aliquibus casibus ex quodam jure non scripto universali; Et tertio, ex Partium conventionibus, sive ex Principis concessione, vel derogatione, sive alterius Magistratus, qui ad id potestatem habeat.

Sub prima specie exceptionum resultantium a jure communi, ad hunc effectum, non denegandi scilicet substantiam appellationis in genere, sed solum distinguendi unum effectum devolutivum ab altero suspensivo; non veniunt decreta interlocutoria emanata super iis, quæ ordinem judicii, vel compilationem processus respiciunt, ut supra advertitur; Ista etenim participant de utroque extremo;
47 Aut enim gravatoria non sunt, & non admittunt appellationem, etiam in devolutivo; Aut sunt gravatoria, & illam admittunt simpliciter, ad utrumque effectum, ac etiam ad alterum majorem, ut appellatio trahat totam causam, ut supra insinuatur.

Idem quoque, ubi de re judicata agatur, sive de tribus
48 conformibus, aut de causa per Principem commissa appellatione remota, quoniam regulariter non admittunt appellationem in genere.

Ac etiam dici potest de sententiis, vel decretis provisionalibus, cum in eis eadem intrare videantur, quæ in interlocutoriis dicta sunt, cum eodem dilemmate, quod, aut gravant, aut non gravant, ut supra. *g*

Quatenus itaque pertinet ad illas causas, quæ recipiant
49 quidem appellationem devolutivam, excludant autem suspensivam, adeout Judici a quo præservata sit jurisdictio, atque ligatæ non fiant manus procedendi ad executionem, appellatione non obstante; Illa in primis habetur regula generalis, (quæ tamen generalem applicationem apta non est recipere, cum ea facti qualitate ejus applicatio pendeat,) ut scilicet generaliter appellatio suspensiva non intret in iis, quæ celeritatem desiderant, adeout periculum sit in mora, quæ irreparabile præjudicium causet. *h*

Ex hac autem generalitate provenit determinatio nonnullarum quæstionum, super quibus inutiliter aliqui antiquiores multum certarunt in abstracto; Puta in causa dotis constituendæ, vel restituendæ, an censenda sit, necne executiva, adeout suspensivam appel- 50
lationem rejiciat; Quamvis enim non desit consueta opinionum scissura; Attamen regula est pro appellatione ad utrumque; Limitatio autem resultat ex dicta exceptione generali, quando scilicet res desideret celeritatem, adeout dilationes, quas appellatio producit, irreparabile causent præjudicium; Puta quia puella, cui dos constituenda est, seu vidua, cui est restituenda, cum qua virum habere valeat, vel respective congruam obtinere provisionem, honestatis periculo subjaceat, sive quod ejus ætatem, viduitatem pati cogretur. *i*

Ita pariter in materia alimentorum, cum quorum 51
termino regulari videtur legitima, utpote eorum loco subrogata, (quidquid nostri varient,) cum eadem distinctione procedendum est, quod scilicet, ubi agatur de præsentibus, vel de futuris, quæ Judicis officio, vel gratia commiserationis debita sint illi, qui non sit aliunde provisus, & tunc eadem ratione celeritatis, denegetur appellatio suspensiva, ex vulgati dicterio quod venter non patitur dilationem; Secus autem ubi de præteritis agatur, vel etiam de futuris, quæ jure actionis, vel conditionis, debeantur personæ diviti, seu aliunde provisæ; *l* Eademque distinctio intrat in legitima. *m*

Ita quoque in materia locationis, vel conductionis, quoniam licet lex eam appellet materiam summariam;
Attamen, ex probabiliori, magisque recepta senten- 52
tia, quoties agatur de expellendo conductorem, ac de restitutione rei faciendo locatori, vel conductori, regulariter intrat appellatio suspensiva; *n* Cum moderatione tamen resultante a dicta limitatione generali celeritatis, quam ratio commercii pro facti qualitate inducat; Puta ubi agatur de domibus habitationi destinatis, in illis præsertim regionibus, in quibus usus habeatur, illas locandi, & conducendi ad annum, sive in quibusdam statutis temporibus, extra quæ non de facili domus ad habitandum reperiatur, quoniam tunc dicitur materia, quæ desiderat celeritatem, dum alias ipse locator, qui propriam domum habitare velit, vel novus conductor, cogeretur stare sine habitatione, ita magnum ac irreparabile patiendo præjudicium; Quod etiam adaptabile est aliquibus prædiis rusticis, vel etiam urbanis, quibus eadem congruat ratio, puta pratis, seu alias destinatis ad pascua animalium statuto tempore, vel horreis destinatis conservationi frugum, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, ex qua manat conclusio, quæ ex sola traditione, ignorando causam quare manat per ora Pragmaticorum, quod a decreto, seu mandato de evacuando, atque (ut vulgo dicitur) de estractando, non detur appellatio suspensiva, quoniam vis non est in verbis, sive in decreti, vel mandati formalitate, sed in dicta ratione, qua non intrante, nil refert quod Judex istum evacuationis, vel estractationis terminum adhibeat, cum similibus, quibus ista ratio adaptetur; Illud præ oculis habendo assumptum, quod lex non est imposita verbis, sed rebus, ideoque non in verbis, sed in ratione legis immorandum est.

Ex ista quoque ratione manat decisio quæstionis agitatæ per Canonistas, in materia electionis ad prælaturas, vel ad alia munera, an scilicet quando appellatio- 53
nem suspensivam admittere debeat necne; *o* Eademque ratio impulit Sac. Concilium Trid. ad providendum, ut illa appellatio quæ in concursibus ad parochiales conceditur, ab irrationabili judicio Episcopi, non debeat interim retardare executionem prælectionis, ob præjudicium scilicet, quod resultaret curæ animarum, quodque oves remanerent sine pastore. *p*

Ac etiam quod ab eodem Concilio disponitur, super 54
decretis, quæ per Episcopum fiant in visitatione; Super iis tamen quæ concernant correctionem morum, vel alia, quibus eadem congruat ratio, quæ istum effectum producit, non autem ipse actus, vel ipsum tempus visitationis, ut vulgus magis communiter opinatur, cum similibus. *q*

Ex juris communis, non quidem expressa dispositione, sed ratione, vel intentione manat magis communis, magisque recepta opinio, quæ vulgo refertur *Angelo*, contra

opi-

opinionem *Alexandri*, quam Rota singulariter (nescio quare) retinere profitetur, ut pro legatis competat via executiva, cum denegatione appellationis suspensivæ, Non quidem ex aliquo privilegio, quod legatis in genere lex tribuitur, cum id nullibi cautum reperiatur, sed potius
55 ex ea congrua ratione, quod cum hæres scriptus in testamento, in quo legata continentur, ex illa scriptura suum jus metiatur, eaque quoad eum, sit probatio probata, & veritas irrefragabilis, suique auctoria judicium, quoad eum sit lex præcisa, vel species rei judicatæ; Hinc proinde calumniosa remanet appellatio, quam ipse interponat; Quare ubi ista ratio non intret, tunc intrare non debet conclusio, quæ ab ea manat, puta si legatorum quæstio sit cum intestato hærede, qui post inofficiosi quærelam, sive ex defectu solemnitatum, aut alias testamentariam dispositionem impugnando ex legis beneficio hæreditatem obtinuerit, urgeatur tamen ad legata, quæ etiam ab intestato quandoque debentur, cum non intret dicta ratio, ideoque intrare non debet iste effectus.

Sive ubi etiam cum ipsomet testamento, qui tamen compatibiliter, & citra impugnationem judicii proprii auctoris, probabilem habeat causam se opponendi; Vel quia scilicet agatur de legatis contentis in codicillis, vel in alia dispositione diversa ab ea, ex qua ipse suum titulum hæreditarium metitur; unde propterea non intret inconveniens, quod idem actus accepetur, & impugnetur; Aut quod sit quæstio super interpretatione, an debeatur majus, vel minus; Vel super aliquorum bonorum comprehensione; Aut super insufficientia hæreditatis, vel super competentia detractionum, seu legatariorum contributio, cum similibus exceptionibus quæ sint potius modificative quam impugnative; Atque ita generaliter in omnibus aliis casibus, in quibus respective ratio exigat appellationis suspensivæ admissionem, vel exclusionem. *r*

56 Ex juris civilis expressa dispositione manat quoque rejectio suspensivæ appellationis in omnibus causis, vel interdictis possessoriis; Adipiscendæ; Reintegrandæ; Et retinendæ possessionis cum gravamen reparabile remaneat in petitorio. *f*

Diversa est autem dispositio Juris Canonici, quod scilicet etiam hæc judicia possessoria, appellationem ad utrumque effectum admittunt, adeout possessorium, & petitorium in hac parte non videantur differre. *t* Duobus tamen casibus exceptis; Primo nempe circa illud possessorium adipiscendæ, quod practice associationis dicitur, super illa scilicet associatione familiæ, quæ per Judicem tribuitur illi, qui vigore clausulæ constituti, vel pacti habeat facultatem capiendi possessionem propria auctoritate; *u* Et secundo in illo summarissimo possessorio retinendæ, quod Hispani vocant interim, in Curia vero dicitur manutentionis, quoniam licet non desint contradicentes; Attamen in praxi in utroque remedio extra controversiam id receptum est. *x*

Cum ea tamen moderatione, utrumque remedium concedatur in forma summaria, & per decretum interlocutorium, secus autem ubi servaretur forma judicii ordinarii atque procederetur per sententiam diffinitivam, juxta pariter receptam distinctionem, cum qua hodie in praxi proceditur. *y*

Id autem congruam habet rationem, quoniam; Quatenus pertinet ad primum remedium associationis; Eatenus illud dicitur executivum, adeout plerique crediderint, ut
57 neque citatio Partis requiratur ut infra, in rubrica hujusmodi judiciorum advertitur, quatenus adeatur in forma extrajudiciali, & ex quadam urbanitate Judex, pro concessione ejus familiæ, per quam occurratur resistentiis, & inconvenientibus; Secus autem, ubi in forma judiciali; Adeout aliquorum sensus fuerit, quod citare Partem interessatam, esset malum consilium, atque præjudicaret, sed quoniam probabilius apud moderniores, citatio partis, non solum commendatur, sed reputatur omnino necessaria; Itaque opinio servatur in praxi, adeout etiam in hoc judicio de facto habeantur illæ formales disputationes, quæ in aliis judiciis habentur; Hinc proinde, dicta distinctio actus judicialis, vel extrajudicialis dignoscitur a dicta forma, seu modo procedendi, ac determinandi.

Et quoad alterum interdictum retinendæ, Nostri majores illud distinguunt in plenarium, & summarium, ut huic
58 posteriori, quod summarissimum multi dicunt, istud privilegium competat; Verum in Curia præsertim ista distinctio ab aula recessisse videtur, quod scilicet in praxi non audiuntur alii termini, nisi petitorii, & possessorii, illud vero posterius generaliter explicatur cum termino manutentionis, & propterea prædicta distinctio implicite pendet ex hoc modo procedendi, quasi quod, procedendo per sententiam diffinitivam, quæ præsupponit ordinem judicii ordinarii, cum servatione terminorum substantialium, dicatur possessorium plenarium, contradistinctum a summario, in quo procedatur in forma judicii executivi.

Alia item ratio, utriusque adaptibilis desuper considerari solet, quod scilicet, quando proceditur per sententiam diffinitivam, Judex functus est officio suo, neque amplius in ejus potestate est illam retractare, atque contrarium decernere; Ubi vero per decretum interlocutorium, potest quandocunque reponere, dando etiam manutentionem alteri parti; Unde propterea inter practicos volitat vulgare dicterium, *hodie mihi, cras tibi*; Sive *hodie uni, & cras alteri*: Et per consequens non videtur adeo præjudiciale.

Atque hinc secutum est, (ut etiam infra in dicta rubrica 59
Interdictorum advertitur) quod hodie in praxi moderna, ab aula recessisse videtur remedium reintegratorium, quod est adeo frequens apud antiquiores, quibus istud manutentionis videtur pene ignotum, ob præfatam differentiam, quod illud de jure canonico est appellabile, istud vero non.

Quamvis autem in Urbe & in Statu Ecclesiastico imme-
diato, etiam in foro laicali, jus canonicum civili prævaleat, 60
præterquam in Urbe, quoad cives & incolas, ac districtuales laicos, qui sint subditi ejus Statuto disponendi, ut vivi debeat cum jure civili; Attamen in hujusmodi interdictis possessoriis, etiam in illo adipiscendæ, quod generaliter sub termino, seu vocabulo immissionis, a Practicia explicatur; Sive sit illud quod resultat ex interdicto Salviani; Sive alterum ex remedio, *legis finalis, C. de edict. div. Adrian. tollend.* quod conceditur hæredi universali testamentario immediato, vel mediato; Et quod ad instar conceditur feudatario, vel emphyteutæ in vim investituræ; At ex interdicto quorum bonorum, quod conceditur universali successori ab intestato, reintegrata est dispositio juris civilis, per quandam Constitutionem, quæ Ægidiana dicitur, ordinatam scilicet per Cardinalem *Ægidium* in provincia Marchiæ, juxta unam opinionem, sive juxta alteram probabiliorem, in universa Italica ditione temporali Legatum Sedis Apostolicæ tunc residentis in Civitate Avenionensi, dum Summi Pontifices, Sixtus IV. & Paulus III. illam confirmarunt, atque servari voluerunt in Urbe, & in universo Statu Ecclesiastico, unde adhuc habentur quæstiones, an capiat illum Statum, qui est extra Italiam, Avenionensem scilicet & Venaissinum; Et an Beneventanam Civitatem; Sive an illas regiones, quæ dicuntur de statu mediato, ut sunt Regnum Neapolitanum, atque Ducatus Parmæ, & Placentiæ & prius erant Status, seu Ducatus Ferrariæ, & Urbani in quibus etiam hodie post devolutionem, quæstiones cadere solent an ista Ægidiana Constitutio, tam ad hunc effectum appellationis, quam ad alterum solemnitatum in contractibus minorum, ac alia per eam disposita locum habeat. *z*

Sed quoniam ista Constitutio edita fuit ab *Ægidio* tanquam Legato, & Gubernatore temporali; Atque juris regula est, quod confirmatio, vel etiam localis extensio, non alterat naturam rei confirmatæ; Hinc proinde consuetus Leguleicus indiscretus rigor introduxit in Curia, & in universo eodem Statu, propositionem, cum qua hucusque in praxi vivitur, ut ista dicenda sit lex laicalis facta per Papam tanquam Principem temporalem; Et per consequens, ut locum non habeat in illis causis, in quibus adsit mixtura Clericorum, vel aliorum personarum ecclesiasticarum, sive a foro laicali exemptarum, dum subjectio legum regulatur a foro, ex propositione, quod paria sunt forum sortiri, & legibus ligari: Sive personæ ecclesiasticæ sint rei, & victi, sive sint Actores, & victores, ob æqualitatem in judicio servandam; *a* Quinimo etiamsi inter laicos, atque de bonis laicalibus quæstio sit, ubi causa agatur in foro ecclesiastico: Et quod magis est, majoremque comprobat hujus leguleici rigoris exorbitantiam, quamvis causa agatur in foro laicali, & inter laicos de bonis temporalibus ac indifferentibus, quæ tamen sit de directo dominio Ecclesiarum, vel locorum ecclesiasticorum, ut in bonis emphyteuticis, vel feudalibus, aut livellariis contingit, quamvis ipse dominus directus non sit in causa, nullumque habeat interesse, vel timeat præjudicium: *b* Res quidem apud aliquos sensatos irrisione potius digna.

Ista vero restrictio magnas producit lites, ac involvit quæstiones attentatorum, adeout videatur calumniatorum pabulum, & fomentum (nescitur ex quo spiritu, vel ratione;) Unde frequenter contingit, quod Ecclesia

& Clerici, ut plurium Actores, & Victores, ita remanent deterioris conditionis, quam sint laici; ideoque initum est quod ad hæc inconvenientia non resecatur abolendi scilicet hujusmodi cabalas, & calumniarum fomenta.

Super secunda vero specie illarum causarum, quę prçter dispositionem juris communis, canonici, vel civilis, effectæ sint executivæ, ex jure particulari, seu munici-
61 pali; Certa regula generalis statui non potest, cum pendeat a facti circumstantiis, idest ab ipsarum legum existentia, & tenore; Et super quibus etiam intrat dicta inspectio potestatis, quando scilicet leges laicales respectu personarum, vel causarum, aut bonorum habentium ecclesiasticam qualitatem attendi debeant.

Ac etiam, quoad ipsasmet leges ecclesiasticas, in his specialibus terminis appellationis, intrat quæstio, quæ generaliter supra in rubrica juris, seu legum insinuata est, circa Constitutiones synodales, vel provinciales, an appellationis suspensivæ beneficium tollere possint; Et quamvis consueta opinionum varietas dignoscatur, magis tamen recepta videtur negativa. *c*

De hujus autem appellationis denegatione, quę resultat ab auctoritate Principis ob causæ commissionem, ap-
62 pellatione remota, agitur *in relatione curiæ*, occasione agendi de Tribunali Signaturæ gratiæ, ideoque ibi videri potest, ne idem pluries repetatur. *d*

Et de altera denegatione, quæ resultat a Partium con-
63 ventione, nempe de obligatione camerali, vel a guarantigia, aliisque pactis executivis, agitur infra in rubrica judicii executivi in actione personali. *e*

In plerisque item casibus, quædam universalis consuetudo, ab humani commercii ratione inducta, istum quoque produxit effectum, denegationis appellationis suspensivę; Puta in literis cambii, ac etiam in cedulis bancariis, & in illis parvis schedulis, quæ loco pecuniæ numeratæ currunt inter mercatores, & negotiantes vulgo nuncupatæ *pagherò* cum similibus. *e a.*

Atque in Curia, Tribonal Auditoris Cameræ, in vim ejus facultatum, executive procedit inter mercatores, &
64 negotiantes hinc inde, non autem ubi unus sit mercator, alter vero sit privatus *f*, Ac etiam in omnibus illis casibus, in quibus ex localibus Statutis, vel legibus inter illas personas executive procedi potest. *g*

Multi alii præterea dantur casus, in quibus, cum eodem processu executivo proceditur, denegata appellatione sus-
65 pensiva; Et præsertim in materia decimarum; Sive gabellarum; Ac etiam pensionum ecclesiasticarum; Et generaliter ubi agatur de literis Apostolicis, ut infra in earum rubrica advertitur.

Verum quia in omnibus præmissis, aliisque similibus casibus, in quibus de judiciorum, vel causarum natura
66 intret processus executivus, atque rejici debeat appellatio suspensiva; Adhuc tamen illa intrare debet ratione nullitatis, vel injustitiæ; Ex vera, & recepta juris propositione, quod sententia nulla, vel injusta non debet executionem mereri, quamvis etiam agatur de vera re judicata, vel de tribus conformibus, cum semper id intelligatur cum præsupposito validitatis, vel justitiæ; Hinc proinde in Curia frequentissimæ habentur, atque quotidianæ sunt disputationes, in una, vel in altera Signatura Gratiæ, & Justitiæ, super modo signandi commissiones appellationum in isto causarum genere; quoniam illæ commissiones, quæ concernunt causas de sui natura appellabiles, non cadunt sub hujusmodi disputationibus, dum citra controversiam signantur per Præfectum Signaturæ Justitiæ, ut vulgo dicitur sub banca; Sed quoniam de isto modo rescribendi, quodque Signaturæ judicio in hoc deferendum sit, agitur infra in relatione Curiæ, occasione agendi de utraque Signatura Gratiæ, & Justitiæ; idcirco ad evitandam quo magis fieri potest superfluam earundem rerum repetitionem, ibi videri poterit. *h*

Solet tamen de his quoque disputari in Rota, aliisque Tribunalibus, occasione agendi de attentatibus, dum istorum inclusio, vel exclusio, quando de iis agatur, quę resultare prætendatur a gestis post interpositam appellationem, vel pendente termino ad appellandum ab hoc pendet; Sive ubi contentio sit de judicio possessorio manutentionis super valida, vel invalida executione, quę possessionem ab uno abdicaverit, atque in alium transtulerit, necne cum similibus; Aut an rescriptum Signaturæ declaret causam appellabilem cum effectu retroactivo, juxta ea, quæ habentur in dictis discursibus, in quibus de his Tribunalibus utriusque Signaturæ agitur.

Item in proposito appellationis denegandę post tres conformes, illud in Tribunalibus sæcularibus Regni Neapolitani considerabile videtur, quod si agatur de tribus con-
formibus Judicum, seu Curiarum illorum Baronum, qui 67
ex privilegio habeant cognitionem trium instantiarum, sive, ut ibi dicitur, habeant primas, secundas, & tertias causas: Adhuc tamen istæ tres sententiæ conformes, pro una tantum habendæ sunt, ad effectum facultatis appellandi ad Regia Tribunalia. *i*

Disputari etiam solet, an admissio appellationis, quam faciat Judex a quo, reddant causam appellabilem, quamvis alias de sui natura non esset talis; Et pariter non deest solita opinionum varietas; Probabilior autem, magisque recepta distinctio ea est, quod aut datio est conditionalis, puta cum clausula *si & in quantum &c.* Et tunc non alterat naturam sententiæ; Aut vero est pura, & tunc operetur quidem dictum effectum alternativum quoad ipsum Judicem, ut sibi ipsi ita manus ligasse censeatur, dum agnovit, atque declaravit causam esse appellabilem, ideoque quidquid cum ejus auctoritate gestum est, reputandum videtur attentatum; Verum id non præjudicat victori, quin coram Judice ad quem, sive in Signatura petere valeat moderationem inhibitionis, vel quod commissio signari debeat cum clausula præservativa executionis, denegando effectum suspensivum, cum esse non debeat in facultate Judicis hujusmodi admissione, quæ ex ignorantia, & quandoque ex malitia fiat, tollere jus Patris, atque declarare appellabilem illam causam, quæ vere non sit talis.

Demum quoad septimam, & ultimam supradistinctam inspectionem, quomodo scilicet Judex ad quem, sive appellationis, se regulare, vel se continere debeat in sententiando, sive in procedendo; Quatenus pertinet ad ordi- 68
nem judicii, pro sententiæ, aliorumque actorum validitate, generaliter procedunt eadem, quæ in Judice primę instantiæ habentur, cum hoc respectu ipse in sua instantia easdem faciat partes, vel figuram, quas in sua facit primus, & sic respective in eo qui sit tertius.

Quoties tamen agatur de causa ordinaria & appellabili, cujus cognitio simpliciter sibi commissa fuerit, pro determinatione negotii principalis; Secus autem ubi de causa summaria, & executiva, in qua Signaturæ visum fuerit respondere de clausula translativa; Puta *si quid exequendum*. Vel *constito quod sit locus ægydianæ*: *Sive constito de tribus*, cum similibus rescriptis suspensivis recensitis in dicta rubrica Signaturę Justitiæ; Cum tunc in ista parte verificationis clausulæ, procedendum non sit cum eodem processu, quem Judex primæ instantiæ servavit, vel quem servare deberet ipse Judex secundæ in determinatione negotii principalis, aut super confirmatione, vel infirmatione ejus, quod alter Judex sententiavit, vel decrevit, dum in hac parte, munus, vel figuram executoris juris gerere videtur, ideoque summaria cognitio sufficit.

Præsupposita itaque legitima transportatione actorum, atque servatione illorum terminorum, qui pro natura, seu
qualitate causæ servari debent; Quatenus pertinet ad mo- 69
dum sententiandi; Vere, propriæ partes Judicis appellationis, vel ulterioris instantiæ, sunt confirmandi, vel infirmandi id quod alter Judex fecit *l*: Quoties non contingat, quod in negotio principali gerat potius partes Judicis primæ instantiæ, ut sequitur in casu, in quo causa ad eum devoluta sit per appellationem legitime interpositam ab aliquo decreto interlocutoria gravante, ut supra.

Quare regula est, quod sententia lata contra aliam sententiam, continere debet istius revocationem, sin minus,
invalida reputatur; Nisi prioris nullitas adeo clara, & cer- 70
ta sit, per implicitam circumscriptionem, tanquam in prima pronunciatum fuerit. *m*

Clarius vero, ubi ex Signaturæ judicio id proveniat unde propterea causa commissa sit cum tali clausula, quę explicite, vel virtualiter id importet, quoties agatur de sententia infirmante, vel revocante id quod per Judicem prioris instantiæ gestum sit.

Ubi vero agatur de approbatione, vel confirmatione tunc duplex intrat inspectio; Primo nempe, an confirmare possit in pluri; Puta quia actore petente centum, & Judice decernente quinquaginta, possit alter Judex appellationis decernere integra centum; Et secundo posito quod prior sententia sit justa, sed aliquo laboret vitio nullitatis circa ordinaria, vel etiam sit injusta, quia excessiva

in

in parte, an teneatur præcise Judex appellationis illam infirmare ob dictum assumptum, quod ejus partes sunt in confirmando, vel infirmando; Vel possit reformare; sive procedere tanquam in prima, valide decernendo idem, quod alter Judex invalide, licet juste decreverat.

Quatenus pertinet ad primum punctum; Regula est affirmativa, ratione adhæsionis, quæ appellato conceditur, quod scilicet quamvis ipse non appellaverit, attamen pos-
71 sit adhærere appellationi interpositæ per alteram Partem, quæ impedit ne sententia transeat in judicatum, ideoque sicuti appellanti liberum est petere infirmationem, ita appellato petere suppletionem.

Et quamvis DD. pro consuetis legalibus subtilitatibus, vel superstitionibus id restringere soleant, quatenus nempe adhæsio infra tempus ad appellandum facta sit, ut ita speciem appellationis redoleat; Ac etiam quatenus appellatio simpliciter interposita esset; Secus autem sit in parte, & partibus odiosis, acceptando partes favorabiles; Attamen Curia Romana non de facili immoratur in his rigoribus, sed commendabiliter justitiæ, ac veritatis substantiam attendit; Ideoque ubi de justitia videatur, quod suppletionis locus esse debeat; tunc recte Judex appellationis id faciet. n

Quo vero ad alterum punctum, proceditur cum distin-
72 ctione, quod, Aut nullitas est clara, & certa; atque de ea expresse oppositum est in actis in principio causæ cum protestatione, ut ante omnia procedi debeat ad infirmationem, & ne altera Pars audiri valeat, nisi renunciet illis actis nulliter gestis, atque expensas reficiat; Et tunc Judex appellationis teneatur annuere petitis, neque possit alias agere: Aut vero nullitas est probabiliter dubia: Sive de illa non est oppositum, nisi in fine post causam instructam, & discussam coram Judice ad quem; & tunc licitum sit unico contextu, atque in eadem sententia, infirmare primam tanquam nullam, sed juxta ejus conformitatem sententiare, tanquam in prima, sive illam reformare; Itaque est frequentior praxis, (& laudabiliter quidem) cum abhorreri debent hujusmodi inanes circuitus, neque de facili admittendi sint legales rigores, vel formalitates utpote quandam speciem superstitionis redolentes pro calumniarum fomento.

Obligant item aliqui appellantem infra superius enunciata tempora, quæ fatalia nuncupantur, non solum ad
73 transportandum acta, sed etiam ad ulteriorem prosecutionem usque ad sententiam, adeout sit sollicitus de causæ terminatione. Verum in Curia, in qua non admittitur dispositio juris civilis super peremptione instantiæ, sed proceditur cum jure canonico, quo attento instantia est perpetua; Vel nunquam; Vel nimium raro datur casus rei judicatæ, ob hujusmodi desertionem, cum sufficiant tales quales diligentiæ, neque ex facto Judicis, qui causam non expediat, appellans tenetur; ut alibi advertitur.

Et quoniam quandoque Judici ordinario, vel delegato
74 injungi solet, ut cum voto alterius Judicis, vel Tribunalis procedere debeat, ut frequens praxis docet in Tribunali A. C. vel in illo Vicarii, ac etiam quandoque in Camera, vel in foro Capitolino, quod mandatur procedi cum voto, vel de voto Rotæ; Cadere solet quæstio, an ab hoc voto, quod per Rotam datur publice, prævia unius, vel plurium decisionum editione, licitum sit appellare; Probabilior autem, magisque in praxi recepta est opinio negativa; Et rationabiliter quidem, quoniam esset dare processum in infinitum, ac propterea sufficere debet succumbenti facultas appellandi a sententia, quæ ad formam voti proferenda est. p

a Scacc. de appell. qu. 17. n. 1. & seqq. Bich. dec. 94. n. 3.
b in relatione Curiæ, disc. 30. & 31.
c cap. non solum, de appell. in 6. Caputaqu. dec. 34. part. 1. Rovit. super pragm. in Rubr. de appell. n. 12. & seqq. Scacc. de appell. quæst. 17. lim. 47.
d cap. ut debitus honor, de appell. Scacc. dicta quæst. 17. limit. 47. memb. 3. Rovit. pragm. 18. de offic. S. Regii Cons. n. 2. & 3. e Scacc. dicta qu. 17. limit. 7.
f tit. de jurisd. disc. 49. Miscell. dist. 1. n. 74. & in Collectan. ad Concil. Trid. disc. 33.
g Constit. 74. Paul. V. super reform. Trib.
h dicto disc. 31. in relatione Curiæ.
i Scacc. de appell. q. 6. dec. 356. part. 10. Buratt. dec. 202. & 771. l Seraph. dec. 972. n. 15.
m Scacc. de appell. q. 15. ex n. 43. & seqq.
n Scacc. dicta q. 5. ex n. 21. Burat. & add. dec. 585.
o Burat. & add. dec. 202. Cels. dec. 218. n. 4.
p decis. 201. part. 15.

q ead. dec. 21. part. 13. rec. r supra, disc. 10.
s Vestr. & add. lib. 7. cap. ultim. Rovit. super pragmat. in Rubr. de appell. in princip. Cyriac. contr. 33. Muscat. in prax. t Burat. dec. 17. n. 21. & seqq.
u add. ad Vestr. dicto cap. ult. n. 24. x Burat. dec. 170. nu. 26. y dec. 82. part. 19. rec.
x Gregor. & add. dec. 573. Burat. & add. dec. 556. & 743. dec. 228. part. 12. rec. 345. part. 10. in quibus habentur declarationes.
a Merlin. decis. 56. Burat. & add. decis. 564. dec. 275. & 433. p. 9. rec. recpet. dec. 59. & 84. post Merl. de pignor. dec. 236. ead. p. 9. & sæpius, cum totum pendeat ex circumstantiis facti, ideoque non datur certa regula.
b in casu de quo in Romana fideicommissi de Fabiis, tit. de fideicommiss. in supplemento, dec. 201. p. 13. rec.
c Bich. dec. 448. n. 2. Romana pecuniaria 12. Junii 1671. 11. Januarii, & 22. Junii 1672. coram Rondinino.
d dicta dec. 82. part. 10. rec. d 2. Burat. dec. 885. dec. 233. p. 7. dec. 177. & 143. p. 10. & sæpissime.
e Cavalcr. dec. 318. & 333. dec. 226. p. 10. rec. & in aliis.
f dec. 82. n. 7. p. 10. rec. Scacc. de appel. q. 15. n. 145.
g ead. dec. 82. part. 19. nu. 8.
h late hinc inde, Scacc. dicta qu. 15. n. 46. & seqq. add. ad Vestr. lib. 4. cap. 4. n. 27. dec. 8. n. 3. part. 10. rec.
i dicta dec. 82. p. 10. n. 10. Bich. dec. 430. n. 5.
l Thomat. dec. 232. num. 9. & 10.
m Seraph. dec. 362. & plene habetur in decisionibus supra allegatis, lit. C. num. 25.
n Scacc. dicta quæst. 15. n. 61. & seq. & generaliter supra, disc. 9. ubi de impediente.
o Scacc. d. q. 15. n. 88. & seqq. Burat. dec. 170. n. 19.
p Cavaler. dec. 495. Merlin. dec. 56. Burat. & add. decis. 26. dec. 75. post Merlin. de pign.
q supra lit. M. Et conferunt deducta in materia præscriptionis supra, disc. 21. Scacc. dicta qu. 15. n. 44. & seqq.
r tit. de feud. disc. 57. n. fin. s Scacc. dicta qu. 15. n. 44. & seqq. dec. 8. p. 10. rec. Bich. dec. 665.
t Mantic. dec. 170. & 197. Burat. & add. decis. 313. & 405. dec. 35. p. 10. rec. & sæpius.
u eadem dec. 35. p. 10. rec. & in aliis supra allegatis.
x Coccin. decis. 2343. Burat. & add. dec. 264. decis. 147. part. 11. rec.
y dec. 311. p. 5. rec. tom. 2. dec. 76. 251. & 246. p. 11. rec.
z Greg. & add. dec. 95. & 300. dec. 24. par. 10. Arguell. dec. 140. Bich. dec. 290. & 468.
a Cels. dec. 82. & supra, disc. 18.
b add. ad Greg. dec. 59. Royat dec. 293. dec. 147. part. 6. rec. Bich. decis. 466. c Burat. & add. dec. 335. & 405. dec. 18. p. 5. rec. dec. 75. p. 6. dec. 35. p. 10.
d in relatione Curiæ, disc. 31.
e Greg. & add. dec. 320. add. ad Burat. dec. 405. decis. 35. part. 10. rec. Penia dec. 1273.
f Greg. & add. dec. 59. dec. 147. par. 6. rec. dec. 204. par. 7. add. ad Buratt. dec. 313.
g Caval. dec. 242. Burat. & add. dec. 426. & passim.
h Scacc. de appell. qu. 17. limit. 7. 19. & 38. Surd. de aliment. tit. 7. privil. 60. add. ad Magon. dec. Lucen. 15.
i tit. de dote, disc. 59.
l Surd. de alim. tit. 8. privil. 90. Buratt. dec. 208.
m tit. de feud. disc. 19. & tit. de legitim. disc. 19.
n tit. de locat. disc. 19.
o annot. ad Conc. Trid. disc. 32. tit. de Paroch. disc. 6. & seqq. Passerin. de elect. cap. 32. p locis supra citatis.
q tit. de Regular. disc. 22. annot. ad Conc. Trid. disc. 5. & in Miscell. Eccl. disc. 1. n. 73.
r tit. de legat. disc. 6. & in aliis.
s Scacc. de appell. q. 17. limit. 6. dec. 51. part. 5. & 30. 6. rec. Franch. dec. 288.
t dec. 131. par. 10. rec. Dun. dec. 774. Otthob. 236. tr. 4. divers.
u Menoch. de adipiscen. remed. 5. dec. 8. natura Justitia, atque ita passim & in dies prædicta adeout sit punctus jam sopitus
x Royas decis. 302. Bich. dec. 25. dec. 29. p. 10. rec. & sæpius, cum pariter sit hodie absolutum.
y dicta dec. 20. p. 10. rec. infra, disc. 44. & est distincta in praxi recepta.
x Cels. dec. 129. dec. 52. & 117. part. 5. rec.
a Burat. & add. dec. 16. dec. 20. par. 10. dec. 251. part. 11. add. ad Greg. dec. 581.
b Bich. dec. 136. & 274. Otthob. dec. 170. dec. 89. p. 10. rec. & sæpius.
c pro affirmativa, ut possit tolli, Lancell. Garz. Gonzal. & alii

& alii relati per add. ad Buratt. *decis.* 139. Sperell. *dec.* 75. *in principio: Contrarium pro negativa*, Gregor. *decis.* 139. Royas *dec.* 138. *& cum hac opinione procedi videtur in praxi, & supra, disc.* 35.

d *in relatione Curiæ, disc.* 30. e *infra, disc.* 42.
e 2. *eodem, disc.* 42. f *in relatione Curiæ, disc.* 34.
g *ibidem.* h *in relatione Curiæ, disc.* 30. *&* 31.
i *Fab. de Ann. cons.* 70. *& de quo Apont. de potest. Proreg. tit. de divers. provis. §. de donis.*
l *Scacc. de appel. q.* 10. *n.* 17. *& seq. cum aliis de quibus infr.*
m Cavalet. *decis.* 31. Buratt. *dec.* 59. *dec.* 188. *p.* 5. *rec. dec.* 305. *p.* 6. *rec.* 26. *&* 303. *p.* 7. Bich. *d.* 370. *&* 468. *cum aliis, de quibus infra, & in his habentur declarationes.*
n Surd. *dec.* 143. Greg. & add. *dec.* 223. Rovit. *pragm.* 1. *de appell.* Scacc. *qu.* 17. *limit.* 2.
o Coccin. *dec.* 206. add. ad Greg. *dec.* 176. Seraph. *decis.* 857. *&* 878. Bich. *d.* 468. 511. *&* 552. *decis.* 380. *p.* 9. *rec. & in aliis.*
p Sassinaten. *feudi* 3. *Julii* 1641. *coram Pirovano, talisque est Curiæ praxis.*

De restitutione in integrum adversus rem judicatam, Ac etiam de remedio nullitatum.

S U M M A R I U M.

1 D*E remediis nullitatis, & rei judicatæ, ubi cesset illud appellationis.*
2 *Non competit illud restitutionis ubi competere potest alterum nullitatis, quia non datur remedium extraordinarium, ubi suppetit ordinarium.*
3 *De nullitate agendo, potest opponi intra triginta annos, sed excipiendo perpetuo.*
4 *In Urbe solum per annum ex statuto.*
5 *Quod in Curia non soleat disputari principaliter de remedio nullitatis & quare.*
6 *Sed adhibetur remedium manutentionis, & de ratione.*
7 *De frequentibus disputationibus nullitatum in S. Consilio Neapolitano, & de ratione, & de illis legibus, & pragmaticis desuper editis.*
8 *De remedio restitutionis in integrum, & distinguitur casus executionis factæ, vel faciendæ, & de casu in quo non sit facta, sed res & integra.*
9 *De casu in quo sit facta, & prætendatur injusta notoria quomodo sit consultum.*
10 *Qualis injustitia requiratur, vel sufficiat ad effectum restitutionis.*
11 *Quare res judicata in Curia modicum producat effectum.*
12 *Et de eodem circa tres conformes.*
13 *Restitutio in integrum suspendit sententiam eo modo, quo facit appellatio, & de effectibus exinde resultantibus.*
14 *Intelligitur re integra, non autem ubi cœpta sit executio.*
15 *Et quando dicatur cœpta ex ministerio legis.*
16 *De eodem ubi executio exigit factum hominis.*
17 *In actum impedientis habetur pro cœpta, sive ex alio impedimento.*
18 *Quando Signatura soleat rescribere de restitutione, etiam cœpta executione.*
19 *De differentia inter restitutionem in integrum adversus simplicem rem judicatam ob defectum appellationis, & ob tres conformes, & quando isto casu nil rescribendum sit.*
20 *De eodem, & de casibus, in quibus simpliciter rescribendum est affirmative, vel negative.*
21 *An restitutio in integrum admittatur ex novis.*
22 *In Curia non admittuntur nullitates, nisi tres substantiales jurisdictionis, citationis, & mandati.*
23 *[illegible] eodem, & quando ista adesse dicantur per aqui[illegible]*
24 *De def[illegible] contra [illegible] mandati, vel quod sententia lata sit [illegible]*
25 *An ob defect[illegible] citationis, vel ob aliam nullitatem cum uno, [illegible] totum judicium etiam cum consortibus citati[illegible]*
26 *De eodem, an scilicet [illegible] fectus citationis habentis interesse consecutivum, [illegible] set nullitatem.*
27 *De distinctione quod alter est [illegible] fectus ad effectum nullitatis actus, alter ad effectu[illegible] prajudicii.*

D I S C. XXXVIII.

1 P*Ostquam, ob non interpositam appellationem, infra legitima tempora, vel ob eam non prosecutam, ac desertam, sententia fecit transitum in Judicatum, sive quod* tres conformes, vel qualitas commissionis, appellatione remota, aut aliæ circumstantiæ, prohibeant ordinarium remedium appellationis: Adhuc tamen duo alia competunt remedia; Unum scilicet, etiam ordinarium, nullitatis; Et alterum extraordinarium, restitutioni in integrum.

2 Istud vero posterius, subsidiarium in jure dicitur, illudque non intrat, quando suppetat primum, ex generali propositione, quod non intrant remedia extraordinaria, quando ordinaria habentur *a*: Itaque propositio generalis insinuata est, agendo de Tribunali Signaturæ Gratiæ; quoniam, ubi a Papa tanquam a supremo Principe petatur aliquod remedium exorbitans, sive extraordinarium; dignoscatur autem, ut cum ordinario remedio consultum remanere valeat, tunc petitis annui non solet, quia non debet.

3 Super hujus ordinarii remedii nullitatis competentia de jure, Agendo, terminus triginta annorum præfinitus est; Excipiendo autem, est perpetuum, ex regula, quod ea quæ agendo sunt temporalia, excipiendo sunt perpetua. *b*

4 In Urbe vero, & districtu, quoad Tribunalia, & personas, cum quibus ejus Statuta servanda sint, terminus annorum triginta, ad annum tantum redactus est; nisi nullitas habeat spolium admixtum. *c*

5 Verum in Tribunalibus, Rotæ, & Auditoris Cameræ, ac aliis, quæ Tribunalia universalia Curiæ potius, quam particularia Civitatis dicenda sunt, hujus remedii exercitium principaliter ab aula recessisse videtur. Quamvia enim in commissionibus, pro stylo, seu formulario omnia remedia complicentur; Appellationis scilicet; Nullitatis, Et restitutionis in integrum; Attamen quando prætendatur, quod obstent res judicata, vel tres conformes, adeout primum remedium cesset, de tertio principaliter disputari solet, de intermedio autem potius incidenter; Adeout sæpissime, peneque millies in Rota disputaverim super consueto dubio, an constet de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, nunquam vero disputaverim, neque disputatum viderim principaliter super hoc dubio, an constet de nullitatibus, Siquidem quando sententia prætenditur nulla, tunc parte ita instante, concedi solet dubium, quod antiquiori tempore erat in usu, ab eo autem regulariter recessum est; An scilicet sententia sit confirmanda, vel infirmanda, ita petendo infirmationem ex capite nullitatis; Ut etiam sine concessione dubii disputatur in Tribunali Auditoris Cameræ, sed cum eodem stylo dubii in Tribunali Cameræ, ut agendo de his Tribunalibus advertitur.

6 Siquidem; Aut sententia est execota; Aut non: Si non est executa, adeout victor, agendo petat illius executionem contra victum, qui Rei, & possessoris partes gerat, & tunc excipiendo objici solet de nullitate, ac etiam de injustitia, cum generico dubio executionis concedendæ, vel denegandæ; Si vero est executa, adeout victor, mediante executione suum obtinuerit intentum, unde propterea victus agat pro reintegratione ejus, quod ob talem executionem amisit; Et tunc melius, magisque in usu est praxis adhibendi extraordinarium, magisque summarium, ac privilegiatum remedium possessorium manutentionis, quod ex pluries obiter insinuatis, & particulariter actis infra, agendo de interdictis possessoriis, competit etiam adversus factum judicis nullum, vel notorie injustum, Ac propterea ita incidenter ad effectum hujus remedii agitur de nullitate, cujus remedium principaliter intentare, malum consilium esset, quoniam super ejus canonizatione oporteret formiter pronunciare, atque ab ista pronunciatione daretur appellatio suspensiva, ideoque opus esset expectare tres conformes, quinimo, juxta frequentiorem stylum, etiam quartam executorialem, dum e converso habetur dictum alium remedium summarium, & executivum, quod regulariter non admittit appellationem suspensivam, quando obtineatur juxta eam formam, quæ *discursu præcedenti* insinuatur.

7 Hinc proinde sequitur, quod non audiantur in Curia, super nullitatibus, illæ adeo frequentes disputationes, quæ audiuntur in quibusdam aliorum principalium Tribunalibus, & præsertim in Sacro Consilio Neapolitano; Ob eam rationem, quod cum sententiæ ab eo Tribunali proferantur nomine Regio, idcirco tanquam sententiæ Principis, vel ejus Præfecti prætorio, excludant remedium appellationis, solumque supersint illud supplicationis, vel istud nullitatum; sed quoniam non expedit ad illud recurrere ob formam, quæ per Jus civile in eo præscripta est *d*; Idcirco pro frequentiori praxi super isto insisti solet, magnæque ac diuturnæ desuper habentur

tur disputationes, etiam affectatæ, & forsan calumniosæ, ad moras parandas. Unde propterea, ut his occurratur, plures leges edere oportuit, prudentes quidem, ac justas, beneque ordinatur *e*; Verum experientia docet eas parum proficere, atque sufficientem medicinam malo non omnino præbere; Quod scilicet admitti non debeant, nisi illæ nullitates magis substantiales, quæ proveniant ex eo, quod sententia esset contra expressum casum legis, vel contra authenticam scripturam publicam, quæ in actis existat, quod revera fere unquam in praxi est verificabile; Et tamen in dies de alio non disputatur, atque longissimæ desuper parantur moræ, adeout victori sæpius victoria non proficiat ob hujusmodi dilationes.

Provisum quoque est per easdem leges, cum mulctis ac pœnis, adversus Advocatos, qui irrelevantes proponant nullitates, demandando eorum subscriptionem, ac etiam depositum mulctæ, seu pœnæ pecuniariæ, sed neque sufficit, quoniam in causis præsertim gravibus expedit succumbentibus tale depositum facere, quamvis de illius amissione sint certi, ita emendo dilationes, earumque pretium solvendo.

Non audiuntur autem in Curia hujusmodi circuitus, quoniam juxta ea, quæ enarrantur *in ejus relatione*, agendo de Tribunalibus utriusque Signaturæ Gratiæ & Justitiæ *f*; Quando agitur de sententiis vel decreti de sui natura executivis, atque non admittentibus appellationem suspensivam, juxta casus *disc. præcedenti* insinuatos, prætendatur autem executionis retardatio ex capite nullitatis, vel injustitiæ, tunc id cum brevi, & summaria, extrajudiciali potius, quam judiciali disputatione terminatur, juxta ibi enarratam praxim.

8 Quo vero ad alterum remedium restitutionis in integrum, quod in Curia frequentius auditur, pro impedienda executione, vel effectu rei judicatæ, vel trium conformium: Intrat eadem distinctio super insinuata, inter sententiam executam, & exequendam; ubi enim de exequenda agitur, ad id impediendum, obtineri solent commissiones restitutionis in integrum, super quarum concessione, vel denegatione, sive super modo rescribendi, disputationes summariæ, ac potius extrajudiciales habentur in una, vel in altera Signatura, juxta diversam causarum qualitatem, ut ita in causis alias executivia ligentur manus Judicis a quo; Istoque casu formiter disputatur in forma contradictoria, an commissio petitæ restitutionis signari debeat, necne. Atque Signatura gustat de causis hujusmodi restitutionis, Sed quoniam in causis præsertim ordinariis, & de sui natura appellabilibus, Parte non citata, & absque forma contradictoria in plena Signatura, sed (ut vulgo dicitur) sub banca, per solum Præfectum Signaturæ Justitiæ, signantur commissionis appellationis, in quibus, etiam pro communi formulario; cumulantur alia remedia, nullitatis, & restitutionis in integrum; Hinc, Appellante prosequi volente appellatione, Appellatore autem objiciente de re judicata, assumi solet ista disputatio, an constet, necne, de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, ita excipiendo, sive incidenter.

9 Quando vero agitur de re judicata jam executioni demandata, tunc modus disputandi pendet a qualitate injustitiæ, quæ prætendatur. Ubi etenim illa sit adeo certa, & clara, ut notoriæ nomen mereatur. Et tunc imprudens consilium est recurrere ad hoc remedium, cujus canonizatio principaliter facta, remanet appellabilis, dum suppetit alterum pinguius magisque promptum, & executivum remedium extraordinarium manutentionis, eo modo quo supra de casu nullitatis est dictum, quoniam injustitia notoria nullitati æquiparatur, ejusque speciem redolet, etiam ad hunc effectum, aliosque similes. *g*

Si vero injustitia non sit adeo clara, ut notoria dici valeat, & quam practici ad differentiam, appellant simplicem, sive ordinariam; Et tunc ad istud remedium principaliter intentatum recurrere oportet.

10 Quamvis etenim recepta sit propositio, quotidie decantari solita, quod restitutio in integrum non datur etiam minoribus, ac personis privilegiatis sine læsione, quæ resultat ab injustitia, sine qua nulla læsio adesse dicitur. Injustitia vero non præsumatur, sed per allegantem probari debeat; Attamen pariter est receptum, ut non oporteat, quod injustitia sit clara, & notoria; sed quod sufficiat etiam simplex & ordinaria; ita distinguendo dictam alterum pinguius magisque privilegiatum remedium extraordinarium possessorii ab isto restitutionis in integrum, sive agendo, sive excipiendo ut supra deducatur *h*; Quinimo ad hunc effectum etiam nova jura admittunt. *i*

11 Atque hinc manat id quod plures alibi insinuatum est, quod scilicet res judicata ob non interpositam, vel desertam appellationem, in Curia quodammodo cærimonialis videtur, atque nunquam victorem tutum reddet, ut judicato acquiescat, dum etiam post longissimi, ac pene integri sæculi recursum, cum nimia facultate respondetur de causis restitutionis in integrum ex capite injustitiæ, quæ resultare videatur etiam in articulatis dubiis, eo quia illis, de præsenti sedent in Tribunali, magis una quam altera opinio placeat, juxta consuetam ingeniorum varietatem, disputando de meritis causæ per apices, perinde ac si ea esset nova & integra. *l*

12 Idque etiam praxis docet in fortiori casu trium conformium, quarum etiam executio secuta sit, quod scilicet ex isto capite retractantur, cum motivis, quæ considerabilia forsan esse possent in causa nova pro ea ex integro decidenda, non autem ad hunc effectum, cum ita inanis, ac elusoria remaneat legis dispositio, ut per rem judicatam, vel per tres conformes, lites finem habere debeant, quoties injustitia plusquam clara, & certa, vel nullitas contrarium non suadeat *m*; Et tamen praxis docet contrarium; Ideoque commendando in multis, (ut decet,) Curiæ stylum, qui commendatione quidem est dignus, In hac tamen parte, nunquam illam commendare posui.

13 Quatenus itaque pertinet ad effectus hujus remedii restitutionis in integrum, super quo commissio signata sit; Regula est, quod illa operatur eosdem effectus, quos operatur appellatio circa suspensionem sententiæ, ut interim citra vitium attentatorum, ad ejus executionem procedi non valeat *n*; Ac etiam ut integrum sit succumbenti, qui esset in possessione, suspendere petitorium, atque priusquam disputetur, & decidatur, an locus sit restitutioni necne, petere manutentionem in sua possessione, vel quasi; Ubi præsertim agatur de illa exigendo aliquam præstationem, ut frequentius in pensionibus ecclesiasticis, ac etiam in censibus aliisque similibus, praxis docet; Eodem modo quo, suspensa una, vel etiam pluribus sententiis per appellationem id conceditur, cum hoc remedium in quacunque instantia intentari possit *o*; Cum aliis effectibus qui resultant ex appellatione, cui hoc remedium restitutionis in integrum exæquatur.

14 Procedunt autem hæc, re integra, & quatenus secuta non esset, imo neque cœpta executio, isto enim casu hujus remedii intentatio, vel commissio fustigari quidem potest in devolutivo, sed non suspendit, neque impedit jam cœptam executionem, perinde ac si commissio signata esset cum clausula *sine prejudicio legitimæ executionis*, cum isto casu lex eam subintelligat. *p*

15 Quæstiones autem cadere solent, super hujus limitationis verificatione, seu applicatione in concreto ad casum, dum de illius veritate in abstracto non dubitatur; Quando scilicet executio cœpta dicatur, si ea naturaliter, ac de facto adhuc effectuata non sit, sed prætendatur intellectualiter, ex sola fictione, seu dispositione legis; Ubi enim adest naturaliter, & de facto, tunc nulla cadit ratio dubitandi.

In hoc autem, pro scribentium consuetudine, dignoscitur opinionum scissura; quæ concilianda venit cum distinctione, inter illas res judicatas, quæ secum trahunt executionem ministerio legis absque alio facto hominis, & illas, quæ isto facto indigent; In prima enim specie, dicitur non solum cœpta; sed etiam perfecta executio, dum lex illam perficit, eo ipso quod res judicata sequitur; Ut, juxta unam opinionem, quæ probabilis videtur, verificatur in sententia absolutoria possessoris bonorum, quæ sunt in lite, sive illius, qui alicujus oneris, vel servitutis debitor esset, quoniam sibi imputari non potest, cur negligens fuerit in executionis, saltim initio; per quod huic impedimento occurrere poterit. *q*

16 Ubi vero agitur de altera specie rei judicatæ, cujus executio indigeat facto hominis, ut contingit in illis sententiis, quæ prodeunt favore creditorum, vel aliorum Actorum, qui ab alio petunt id, quod non habent in manibus; Et tunc certa regula desuper statui non potest, cum totum pendeat a Tribunalium stylis; In aliquibus enim tribunalibus, attenditur veritas naturalis, ut scilicet executio vere, ac de facto cœpta sit, ideoque requiritur actus realis executionis; In aliis autem, cœpta dicitur per solam ejus petitionem, sive per relaxationem executorialium, ut est stylus Rotæ; Aut per mandatum de parendo ut est stylus S. Consilii Neapolitani, *r* cum similibus, pro locorum, seu Tribunalium usu, cui in hoc deferendum videtur, quatenus de illo bene con-

ftet: Sin minus, in dubio procedendum videtur cum regula generali, desidetante veritatem naturalem, de facto. Quoties tamen ejusdem facti circumstantiæ non exigant, ut actus habendus sit pro cœpto, ac secuto, quia nempe officii non valeat victori cur negligens, seu magis solicitus non fuerit, sed potius provenerit ab impedimento, quod vere, vel præsumptive constet præstitum esse ab eo, contra quem executio facienda erat, juxta praxim frequentem illius impedimenti, quod haberi solet a recursibus ad laicos, ea pluries insinuata vera propositione, quod in odium impedientis, actus habendus est pro jam facto. f

17 Quinimo in facti contingentia dicebam, ut idem dicendum esset, quando non adsint quidem impedimenta positiva particularia, quæ crimen alterius Partis expressum, vel præsumptum redoleant, ut in recursibus contingit. Sed sit illud impedimentum generale, quod licet sine facto culposo alterius Partis, pro locorum legibus, vel moribus sequatur, adhuc tamen in puncto juris indebitum dici valeat, ita & taliter quod juste excusatum reddat victorem a negligentia; Ut exemplificari potest in eo casu, quod victor a Tribunali Auditoris Cameræ, vel ab alio Judice in Curia, obtinuerit (servatis servandis) mandatum executivum, quod ex dispositione juris esset prompte exequibile, sed ab eo actu abstinere congruit, ad evitandas molestias, quæ a sæcularibus Magistratibus inferri soleant, etiam ex officio, & altera Parte non instante, quando mandata, aliæque expeditiones Curiæ executioni demandentur sine ipsorum assensu, vel sine concessione brachii, aut sine executoriatione, quæ aliquando longas moras parere solet; Siquidem, ubi etiam altera pars victa esset excusabilis a quocunque delicto, vel culpa; Adhuc tamen excusanda est Pars victrix, ad istum effectum, quoniam; Aliud est agere de recursibus prohibitis, ac pœnalibus, ad effectum pœnarum illarum contra recurrentes; Et aliud est agere de excusatione victoris, ratione impedimenti, quod ita patitur; Potissime, dum moræ, aliquando (& forte frequentius) provenire solent ab altera Parte, indirecte, seu mediate, cum occultis diligentiis; Ideoque si istud impedimentum dicendum non est, quod redoleat speciem recursus; Adhuc tamen ex quadam paritate rationis, illi tribuendus videtur iste effectus, ut ita victus, sciens quod istud impedimentum sibi profuturum non sit, ad istam cautelam non cogitet, neque recurrat.

Præmissæ autem disputationes cadunt, quando agatur de commissionibus restitutionis in integrum, quæ in forma non contradictoria, signatæ fuerint per Præfectum Signaturæ Justitiæ; vulgo dicitur sub banca, ideoque agatur de effectibus, qui ex dispositione juris ex hujusmodi commissione resultent; ea regula quod hujus Tribunalis commissiones & rescripta intelligenda veniunt prout de jure, cujus dispositioni dispensandi potestatem non habet, ut dici potest de Signatura Gratiæ, juxta distinctionem alibi datam, agendo de uno, ac altero Tribunali.

18 Quandoque vero, imo frequenter, victor, qui rem judicatam, vel tres conformes pro se habet, se opponit concessioni hujusmodi commissionis; Sive quod ex officio illam respuat Revisor, aut signare velit commissionem cum clausula præservativa executionis rei judicatæ, vel trium conformium, idque victus abhorreat, ideoque negotium remittatur ad plenam Signaturam, in qua formalis contradictoria disputatio assumatur super modo rescribendi; Et tunc, cum per victorem, qui se opponat commissioni, deducatur status, in quo casu reperiatur, & an dici valeat, necne cœpta executio, quæ dictum effectum impediat; Hinc sequitur, quod si hoc non obstante, Signatura rescribit de commissione simpliciter, vel cum causa translativa, juxta plures rescribendi species recensitas, agendo de hoc Tribunali, negligendi formulam consuetam rescripti præservativi executionis; Et tunc deferendum est judicio Signaturæ, quæ declaret causam, dignam restitutione, vel discussione an ea concedenda sit cum effectu interim suspensivo, ideoque supradictæ quæstiones non intrant; Ut e converso cessans, quando rescribat cum clausula præservativa, quoniam etiam post cœptam, sed adhuc non consummatam executionem, rescribi solet de clausula translativa, vel suspensiva; Puta, *Alteri qui ad legitimam*, Vel, *Alteri qui ad ulteriorem*, cum similibus; Atque ad hunc effectum in isto Tribunali disputari solet de justitia, & de meritis negotii principalis summarie, ac in forma extrajudiciali, perinde ac si esset Judex, quamvis non judicet, pro gustu scilicet justitiæ, vel injustitiæ, quæ prætenditur, ad effectum regulandi formam rescribendi, quæ ab hoc pendet,

Magna vero constituenda venit differentia inter illam 19
restitutionem in integrum, quæ petatur adversus rem judicatam resultantem solum a non interposita appellatione in tempore, sive ab ejus desertione, & sic ex causa solius negligentiæ, qua non accedente, integra remaneat, una, vel plures instantiæ, in quibus etiam ea simplici, & ordinaria injustitia, quæ resultet a majori, vel minori probabilitate in quæstione dubia, sperari debuisset infirmatio sententiæ Judicis a quo; Et alterum casum, in quo restitutio petatur adversus tres conformes; Siquidem, ut in facti contingentia pluries advertere consuevi, clarum videtur æquivocum, istos casus parificare, atque cum illis traditionibus, vel propositionibus, quas habemus, in primo casu, pariformiter, atque cum solita cæca fide procedere in altero: Ea ea differentiæ ratione, quod in primo casu agitur de restitutione adversus dictam negligentiam, quæ ut plurimum est potius Causidici defensoris, quam ipsius principalis, quodque ista restitutio est cognita a jure communi, atque ab eodem permissa; In altero autem est incognita, imo prohibita, dum lex civilis, a qua non discordat canonica, disponit, ut tres conformes omnimodum finem litibus imponant.

Rescribere autem adversus eas de restitutione in integrum, provenit potius de stylo Curiæ, fundato in quadam æquitate, quatenus tales accedant circumstantiæ, ut illa probabiliter intret, quia nempe, ob instrumenta, vel alia jura denuo reperta, causa mutet faciem, sive quod per meliores defensores, ad nova facti, vel juris advertatur motiva, quæ constet non fuisse deducta, nec discussa; Vel quod sint tres conformes latæ in contumaciam; Aut cum tali Procuratore, quem constet, quod non bene ejus partes expleverit, juxta frequentem contingentiam, cum similibus circumstantiis, ex quibus resultat quædam probabilis æquitas, cui iste stylus innititur; Unde propterea quando nihil deducatur de novo, atque constet quod ea, ex quibus injustitia desumitur, fuerint jam deducta, & discussa, quamvis talia essent, ut causam ita dubiam reddat, quod forte si res esset integra, probabilius pro ista potius, quam pro altera parte judicandum esset; non tamen id sufficiens reputari debet pro hujusmodi concessione restitutionis in integrum; Siquidem in hoc proprie consistit effectus, vel operatio trium conformium, quod ob unionem tot judiciorum in idem, ita in casu ambiguo quædam statuitur veritas, nisi de magna hujusmodi judiciorum irrationabilitate constet; Et consequenter, ut non solum rescribi debeat de clausula præservativa executionis, denegando effectum suspensivum, sed etiam, at cum omnimoda denegatione, nihil rescribendum sit, ut pluries obtinui. a

20 Potissime vero, ubi agatur de illis causis, in quibus mora irreparabile causet præjudicium, atque incongruat temperamentum, per quod utrique Parti consuli solet, rescribendi ad solum devolutivum, non autem ad suspensivum, ut ita victori non denegetur executio, victo autem supersit spes ejus retractationis; Puta in causis matrimonialibus, in quibus agatur de fœdere matrimonii, ejusque validitate, vel nullitate; Sive in aliis causis pariter matrimonii spiritualis, nempe nullitatis professionis, quoniam ille vir, vel mulier quæ prætendat nullitatem matrimonii carnalis, vel spiritualis ad effectum se liberandi ab isto vinculo, & acquirendi libertatem contrahendi aliud matrimonium, irreparabile patitur præjudicium ex dictis moribus, cum ita labatur ætas, matrimonio, ac filiorum procreationi apta; Neque congruit præservare executionem, reliquendo causam adhuc vivam, quoniam permittendum non est, ut illa mulier, quæ ita licite cum alio viro se copulavit, in progressu causæ, ex hoc remedio declarari valeat uxor alterius x; Sive quod ille religiosus, qui in vim dictæ clausulæ præservativæ executionis, licite regressus est ad sæculum, atque uxorem duxit, ac filios procreavit, declarari possit religiosus, & bene professus, cum obligatione redeundi ad claustra, declarando illam mulierem concubinam ac filios sacrilegos, & incestuosos, cum similibus.

Ideoque rescriptum participare debet de utroque extremo, vel scilicet de nihilo, vel de toto; Sed quia unum, vel alterum producit dictum præjudicium irreparabile, idcirco nimium circumspecte procedendum est; Et per consequens, clarus error videtur, generaliter, ac indefinite attendere propositionem supra insinuatam, quod scilicet, ad effectum restitutionis in integrum, necessaria non sit injustitia clara, & notoria, sed quod sufficiat simplex, & ordinaria; quoniam id recte procedit in primo casu simplicis rei judicatæ, quæ resultat a neglecta appellatione, vel ejus prosecutione; Sive ubi de illa re judicata, quæ resul-

resultet a rescripto Principis, vel a conventione Partium adimente facultatem appellandi, non autem in alio casu trium conformium; Et tamen pluries in facti contingentia oportuit multum laborare, atque, ut vulgo dici solet, pati sudorem sanguinis, ut caperetur ista distinctio, quæ (pro meo saturnali sydere) ratiociniis, & acumini referri solebat, eo quia non haberetur doctrinella alicujus contemptibilis Doctoris, qui hanc distinctionem traderet; Talis est hujus facultatis miserrima conditio.

21 Disputari etiam solet in hac materia restitutionis in integrum, an pro ea sufficiant nova jura, ex quibus justitia rei judicatæ resultet; Atque aliquando per Rotam firmatum fuit, ut etiam ex novis huic remedio locus fiat *y*; Atque ita cum consueto deplorabili inepto stylo, generaliter processum sæpius vidi; Verum id recipiendum venit, quando re integra agatur ad effectum impediendi executionem; Et in his terminis, atque ad hunc effectum loquuntur decisiones, & auctoritates, a quibus ista propositio derivat; Secus autem ubi ad effectum retractandi executionem jam consummatam in præjudicium tertii, vel etiam ejusdem collitigantis, qui tertii figuram faciat. Ex ea clara ratione, quod sufficit recte processum esse, juxta ea, quæ erant in actis, neque Judici, vel victori imputandum est, multo minus tertio, cui ita gestum sit, sed potius imputandum est eidem victo, cur magis diligens non fuerit; Adeout detecto postmodum indebito, dabitur quidem ei, qui executionem passus est, actio contra creditorem ad reintegrationem pretii, vel ejus quod interest, non autem contra tertium pro vendicatione rei subhastatæ, vel retractatione ejus, quod gestum est, cum sufficiat, ut tunc bene, ac legitime gestum sit *z*; Quoniam ubi etiam desuper non haberemus auctoritates, vel rationes legales, id doceret ad clarum seorsum ipse naturalis discursus.

22 Quatenus vero pertinet ad aliud remedium nullitatum; Per Apostolicas Constitutiones super Tribunalium reformatione editas (nimium quidem commendabiliter) resecatæ sunt omnes illæ scrupulosæ nullitates, quæ ex legum subtilitate, vel rigorosis practicorum superstitionibus, ac formalitatibus proveniunt: Ideoque in Curia non attenduntur, nisi tres resultantes a tribus defectibus substantialibus, nempe, Jurisdictionis, Citationis, & Mandati. *a*

Non tamen opus est, ut clare, ac directe iste defectus verificetur; Quoniam ubi etiam, a paritate rationis, vel per illationem, ab eorum aliquo desumi valeat, quod nullitas sit substantialis, ac notabilis, adeout non intret ratio, cui dictæ Constitutiones innixæ sunt, resecandi scilicet nullitates leves, ac resultantes a legum subtilitate, vel rigorosa formalitate, adhuc attendi debent. *b*

Super eis autem certa, & generalis regula statui non potest, cum totum pendeat ex singulorum casuum circumstantiis; Puta (quod defectum jurisdictionis) an, & qualis sit Judicis incompetentia, de qua oppositum fuerit, vel opponi oportuerit: Sive super ejus jurisdictionis expiratione; Aut super ea carentia, quam lex inducit, in modo, seu ordine procedendi, prius scilicet Parte instante in possessorio, quam in petitorio; Sive prius in purgatione attentatorum, quam in cognitione negotii principalis; Aut ob clausulas præjudiciales; Sive ob non adimpletam prius conditionem, sub qua per ablativum absolutum jurisdictio concessa sit, cum similibus.

Et quoad secundum defectum mandati; Pendet pariter ex facto, an ille procurator, cum quo judicium initum est, sit verus, vel sufficienter præsumptus, aut e converso falsus, vel revocatus, & an revocatio fieri potuerit, necne, vel male constitutus, vel an mandati leges servaverit, cum similibus.

Et quoad tertium defectum citationis; Non solum pendet a facto, an illa adsit, necne, sed etiam a jure, an ea quæ existat, sit legitima, & talis, ut sufficiat; Puta in loco domicilii, vel in aliis locis consuetis contra eum, qui tunc mortuus esset, quod pendet ab inspectione an mortis scientia adesset in Judice, vel in Parte; Sive ubi de citatione pariter defuncti cum procuratore domino litis effecto *c*; Aut cum citatione minoris, vel alterius, cui eadem congruat ratio absque legitima deputatione curatoris, qui curam suscipiat, ac etiam causam bene defendat, cum primum sine altero non sufficiat *d*, cum similibus, de quibus supra in suis respective sedibus, vel rubricis.

Quinimo sæpius contingit, ut unus ex his defectibus, qui vigeat respectu unius, influat in totam causam, atque producat nullitatem, etiam respectu consortis, cum quo talis defectus non vigeat; Puta, (pro frequentiori contingentia) quod ex omissione citationis, vel ob alium defectum, respectu unius, totum corruat judicium, etiam respectu ejus, qui legitime citatus fuerit; Idque pendet a natura, sive a qualitate causæ, vel sententiæ, an ita connexa, vel individua sit, ut vitium in parte influat in totum, ideoque utile per inutile vitietur, vel potius dividuitas contrarium suadeat. *e*

Et e converso, etiam frequenter disputatur, an hujusmodi defectus respective negligi mereantur, adeout res judicata, quæ cum uno legitime prodierit, afficiat alium, quamvis non citatum, sive illi Judici non subjectum, juxta distinctiones alibi insinuatas, quia nempe lata sit cum legitimo contradictore, cujus proxima, & immediata sit causa defensionis, ideoque afficiat de consequenti alios, quorum jus, vel interesse non sit immediatum & coæquale, sed mediatum, vel consecutivum; Puta in successore in feudo vel in fideicommisso, sive in Prælatura, vel in beneficio aut officio, vel in subditis, & dependentibus, juxta alibi insinuata exempla. *f*

Item quoad hujusmodi defectus, illos præsertim citationis, vel competentiæ Judicis, reflectendum est, quod; Alter est defectus ad effectum nullitatis judicii; Alter vero ad effectum cessantis præjudicii; Siquidem stant simul, quod res judicata sit valida, & firma cum eo, cum quo secuta est, suumque sortitur effectum, seu mereatur executionem; Et tamen quod non præjudicet alteri; Puta habenti coæquale, ac præsentaneum interesse; cujus jura integra, & salva remaneant; Sive quoad illum, qui habeat interesse mediatum; Qualis (ex. gr.) est defensor necessarius ad evictionem obligatus, quoniam stant simul, ut res judicata obtenta contra possessorem immediatum subsistat, suamque faciat operationem; Et tamen illi, qui eam passus est, denegetur actio evictionis contra suum auctorem, ex defectu denunciationis, quoties clara, & evidens justitia evictionis, illius necessitatem non tollat, seu defectum non suppleat, cum similibus, de quibus in suis respective sedibus; Ac propterea (ut præmissum est) non de facili certa regula generalis desuper statui potest, cum ex facti circumstantiis totum pendeat, ac etiam ex Tribunalium stylis.

a *in relatione Curiæ, disc.* 30. Merl. *dec.* 1 *n.* 3. *ubi quod non intrat restitutionis remedium, ubi adest istud nullitatis.*

b Capyc. Latr. *cons.* 6. Cavaler. *dec.* 279. Buratt. *dec.* 130. *&* 823. *dec.* 240. *par.* 5. *rec. cum aliis, de quibus infra.*

c Cavaler. *dec.* 524. Buratt. & add. *dec.* 200. *dec.* 172. *par.* 5. *&* 130. *par.* 7. *rec.* Royas *dec.* 168.

d *Auth. quæ supplicatio, C. de prec. Imper. offer.* Franch. & Add. *dec.* 138. Ann. & add. *singul.* 46. *& alleg.* 63.

e *prag. de off. Sac. Reg. Consil.* f *In relatione Curiæ, disc.* 30. *&* 31. g *habetur infra in disc.* 44.

h Seraphin. *dec.* 251. Cavaler. *dec.* 164. Buratt. & add. *dec.* 32. 130. *&* 323.

i *dec.* 154. *p.* 5. *rec. dec.* 169. *par.* 9. *rec. supra, disc.* 36.

l *patet ex multis casibus in omni materia, & præsertim tit. de fideicom. disc.* 179. *& tit. de Benef. in supplemento in Nolana, & in aliis in locis citatis.*

n Royas *dec.* 325. Coccin. *dec.* 178. Burat. & add. *dec.* 504. *&* 604. o Burat. & add. *dec.* 604. *&* 823. Peuting. *dec.* 277. *&* 329. *& sæpius.*

p Mantic. *dec.* 219. Cavaler. *dec.* 153. *&* 281. Buratt. & add. *dec.* 268. 597. 868. *&* 945. Bich. *dec.* 344. Rovit. *decis.* 91. *& communiter.*

q *late apud* Peutinger. *dicta dec.* 329. *ubi concordantes.*

r *locis proxime citatis, lit. P.*

s *supra, disc.* 9. t *supra, dicto disc.* 30. *&* 31.

u *præsertim in casu, de quo tit. de matr. disc.* 5. *& in aliis.*

x *juxta dictum casum, de quo, disc.* 5. *de matrimonio.*

y Duran. *dec.* 137. *dec.* 169. *&* 483. *par.* 9. *rec.* Coccin. *dec.* 59. Royas *dec.* 372. *& infra, disc.* 40.

z Franch *dec.* 120. Royas *dec.* 236.

a Buratt. & add. *dec.* 337. *& expresse disponitur in Const. Pauli V. super reformatione Tribunalium, ideoque apud Practicos est notorium.* b Burat. & add. *dicta dec.* 337.

c *supra, disc.* 6. *&* 9. d *ibidem.*

e *supra, disc.* 9. *&* 16. f *dicto disc.* 9. *&* 36. *&* 40.

De condemnatione, ac restitutione, vel refectione fructuum, & expensarum, seu damnorum, & interesse &c. Et de sportulis, vel propinis.

S U M M A R I U M.

1 *APpellatio a condemnatione, vel liquidatione fructuum, vel expensarum, suscitare solet causas jam finitas*

finitas in negotio principali per rem judicatam, vel per tres conformes, dum in his licet appellare, quamvis non esset licitum in negotio principali.
2 *Quod a liquidatione datur appellatio, & quomodo restricta in Curia.*
3 *De inspectionibus quæ cadunt in materia.*
4 *Prohibita appellatione a negotio principali, non est prohibita ab expensis, vel fructibus, & hæc non veniunt sub clausula* parito.
5 *Fructus post malam fidem, & expensæ debita in ratione damnorum, & interesse, debentur, quamvis Judex non condemnaverit.*
6 *Qualis effectus resultet a facta, vel respective omissa condemnatione.*
7 *Ab expensis judicialibus justa causa litigandi excusat.*
8 *Ab omissa condemnatione istarum expensarum non datur appellatio.*
9 *An valeat absolutio conditionalis, quatenus victus acquiescat?*
10 *In Curia de stylo fit condemnatio semper ad expensas, & non practicatur conclusio, de qua n. 7. ac etiam fructuum a die mota litis.*
11 *Quod iste stylus circa expensas non videatur probabilis.*
12 *Quando deferri debeat stylis, necne.*
13 *Condemnatio fructuum a quo tempore fieri debeat, referuntur plures opiniones, & quæ placeat.*
14 *Quæ bona fides excuset a fructibus.*
15 *De fructibus ad quos fieri debeat condemnatio etiam ante motam litem.*
16 *Declaratur quomodo practicari debeat regula, de qua n. 10. ut in condemnatione fructus veniant a die mota litis.*
17 *De expensis judicialibus, quæ veniunt in condemnatione, quæ sint.*
18 *De stylo Rotæ non concedendi refectionem propinarum.*
19 *An refici debeant illæ propinæ, & expensæ, quas non oportebat facere, vel oportebat etiam sine oppositione collitigantis?*
20 *Sive an illa, quæ necessaria sint pro legitimatione, vel qualificatione personæ?*
21 *An pro expensis, quas creditor anterior faciat, habeat eandem anterioritatem?*
22 *An reficiantur illæ expensæ, quæ debuissent fieri, sed victor vere non fecit?*
23 *An prætendi valeant sportulæ, si post causam instructam, causa concordetur, vel renuncietur liti?*
24 *De advocato, vel procuratore obtinente salarium consuetum, si causa concordetur.*
25 *De contributione habentium interesse in causa.*
26 *An Civis, vel Canonicus contribuat in expensis litis, quam habeat Civitas, vel Capitulum cum se ipso.*
27 *De expensis extrajudicialibus, vel moratis quando refici debeant.*
28 *Ille qui negligit opponere fori declinatoriam, tenetur ad expensas, & quando secus.*
29 *An teneatur quis ad fructus etiam antequam constitueretur in mala fide, eo quia postea litem substinuit?*
30 *De restitutione fructuum percipiendorum, quos victor potuisset percipere, licet victus non perceperit.*
31 *De alio casu refectionis omnium expensarum facienda mandatario, vel administratori, aut negotiorum gestori.*
32 *De usu propinarum qui condemnatur, & de inconvenientibus, quæ exinde resultant.*
33 *De summa propinarum.*
34 *Quod Papa super omnes alios principes habeat bonos, & gratuitos ministros.*
35 *Improbantur etiam participationes pœnarum, & incamerationum.*
36 *De liquidatione fructuum, & expensarum.*

D I S C. XXXIX.

1 CUM posita re judicata exequibili, adeout nullum ex
præmissis, ordinariis, vel extraordinariis remediis,
amplius supperat, circa ipsam rem principalem in judicio
deductam, remaneant judicii appendiția, circa fructus
interim lite pendente decursos, ac etiam circa ejusdem
litis expensas, aliave damna, & interesse; Hinc proinde,
post jam finitam litem in negotio principali, super hujusmodi
appendiția, vel consecutivis, non solum cadunt
quæstiones, sed adhuc durant lites; Idque aliquando, ob
varietatem ingeniorum, a quo procedunt omnia litium
mala, & inconvenientia (quibus impossibile est occurrere,
cum sit defectus naturæ) secuta interim mutatione
eorum, ex quorum judicio prodiit judicatum, ita istud,
etiam post executionem retractari solet; Sæpius enim,
atque in dies contingit, ut denegata appellatione, ac etiam
restitutione in integrum, a re judicata, sive a tribus conformibus,
vel a quarta executoriali; Adhuc tamen su- 2
persit, & committatur appellatio a condemnatione fructuum,
vel expensarum, quæ in una, & non in altera sententia
contineatur, unde propterea non verificentur in
hac parte tres conformes, sicuti verificantur in negotio
principali, & per consequens intrat apellatio *a*; Sive
quod appellatio interponatur ab excessiva taxatione, vel
liquidatione, tam fructuum, quam expensarum, unde propterea
signari solent commissiones, cum rescripto *ab excessiva tantum &c.* Istaque occasione, reviviscere solent causæ
pene mortuæ, dum etiam a liquidatione datur appellatio,
quæ tamen in Curia per Constitutiones Apostolicas
est restricta, ut liceat semel tantum. *b*

Quatenus itaque ad hujusmodi incidentia, seu consecutiva
pertinet; Duæ cadere solent inspectiones, quæ
forensibus quæstionibus ansam præbent. Primo nempe, 3
an fructus, & expensæ respective refici debeant, quamvis
in sententia, quæ in judicatum transiit, explicita non
contineatur condemnatio, quæ resultare dicatur ex dispositione
legis; Et secundo, posita condemnatione, sive illa
sit legis, sive sit hominis, quid sub ea veniat, & sic quæ
species expensarum refici debeat, vel qui fructus restitui;
aut damna, & interesse præstare, ideoque non sit quæstio
super substantia, sed super qualitate; Istaque etiam posita,
adhuc quæstio cadit super qualitate, vel super modo,
& sic super liquidatione, super qua consistere potest gravamen,
quamvis illud non adesset, tam super substantia,
quam super qualitate.

Atque hinc sequitur, quod commissa causa, appellatione
remota, id non capit expensas, quæ non veniunt sub clau- 4
sula *constite*, vel sub clausulis. *c*

Agendo itaque de prima inspectione, an scilicet, & quando
adhuc debeantur fructus, & expensæ, quamvis Judex 5
neglexerit ad istam condemnationem procedere adeout
victor, hoc non obstante, ex dispositione, vel ratione
legis id prætendere valeat; Distinguendum est, inter
fructus, & expensas mere judiciales; Et alias expensas
sive judiciales, sive extrajudiciales, quæ veniunt sub nomine
damnorum, & interesse, ex aliqua extraordinaria
ratione, ut infra.

In prima enim, ac tertia specie, Verius est, ut adhue
debeantur, quamvis condemnatio omissa sit, quoniam re- 6
positum esse non debet in arbitrio Judicis tollere istud jus
Partis omittendo illius condemnationem; Ista vero omissio
illum causat effectum præjudicialem victori, quod cogitur
in novo judicio, novaque actione istud jus experiri,
cum ei suffragari non valeat res judicata jam obtenta, ut
suffragaretur, si condemnatione facta esset.

In dicta vero alia specie expensarum judicialium, qua- 7
rum refectio debita est, tanquam per speciem pœnæ injunctæ
temere litigantibus, adeout ex dispositione Juris, probabilis
causa litigandi, quæ excludat temeritatem, debeat
ab eis excusare; Secus dicendum est, quoniam Judex, qui
causam examinavit, ejusque dubia vidit, recte dignoscere
potest, an adsit hæc temeritas, necne; Ideoque cum
debitæ sint judicis officio mercenario, si earum condemnatio
in sententia non fiat, non debentur, quamvis alias
de ea fieri soleat condemnatio.

Atque hinc sequitur, ut sit magis communiter receptum, 8
quod ab omissa condemnatione expensarum non datur appellatio,
quamvis non desint contradicentes. *f*

Quandoque item Judices istam condemnationem non
faciunt, sub certa conditione, qua non impleta, illam
faciunt; Puta victum ab expensis absolvendo, quatenus 9
sententiæ acquiescat, sin minus ad eas condemnatus censeatur,
quod non videtur de jure prohibitum, ex bono animo
dando finem litibus.

Rarum vero est de his agere in Curia præsertim in Rota,
g dum de stylo in quacunque causa, quantumvis du- 10
bia, adeout victus justissimam habuerit litigandi causam,
fit condemnatio in expensis; *h* Minusque omitti solet condemnatio
ad restitutionem fructuum a die motæ litis.

Mihi vero nunquam placuit iste stylus, circa expensas,
quoniam cum revera ista sit species pœnæ; Hinc itatio-

nabde

11 nabile videtur, ut ei subjacere debeat ille, qui nullatenus deliquens, vel criminosus dici potest. Quodque æqualis debeat esse conditio injuste, ac temere litigantis, & ejus qui ex justa causa, agendo, vel excipiendo, ejus jura tueri curavit.

Neque in hoc, aliisque similibus, meus intellectus acquievit responsioni, ut id sequatur ex stylo; Id etenim pro
12 meo sensu continere videtur unam ex ineptiis legistarum forensium; Siquidem, ubi agitur de puncto ambiguo, in quo urgeant rationes, argumenta hinc inde, adeout incertum sit, an veritas, uni, vel alteri parti assistat; Tunc admitto quod deferendum est stylo Tribunalis, ut frequenter advertitur; l Sed quando agitur de puncto, qui pendeat a facti circumstantiis, ex quibus in uno casu res potest esse alba, & in altero nigra; Tunc nimium irrationabile videtur, ut utramque rem albam, & nigram pariformiter judicare debeamus; Ideoq; judaismi speciem redolet, ut neglectis istis reflexionibus, ita clausis oculis, in omni casu procedi debeat cum stylo, etiam in casu, in quo ex ejus circumstantiis ille irrationabilis remaneat; Omnia etenim, pro meo sensu (qui adeo frequenter inculcatur, nunquam tamen satis,) regulari debent a ratione, quæ dicitur anima legis, sive a fine, vel ab effectu, ob quem aliquid, per legem scriptam, vel non scriptam est introductum, dum in jure habemus quod consuetudines irrationabiles dicuntur potius corruptelæ, quam consuetudines.

Quo vero ad secundam inspectionem; Posita scilicet condemnatione, quid sub ea veniat; Retenta pariter dicta trium specierum distinctione, fructuum scilicet, expensarum mere judicialium, ac damnorum & interesse; Quatenus pertinet ad primam speciem fructuum, ex quo tempore eorum restitutio demandanda sit; Tres habemus opiniones; Unam scilicet magis rigorosam, ut illos a die
13 motæ litis, adeout nulla admittatur excusatio, ex causis de quibus infra; Istamque opinionem, ex eodem stylo, de quo supra, indistincte sequi videtur Rota & Curia; Sed pro meo judicio parum probabiliter. m

Adeoque tenaciter, ac rigorose, illius sequaces eam tenent, quod in locis, in quibus, juxta dispositionem Juris Civilis, interet peremptio instantiæ, quæ deinde restituatur ex suprema Principis, vel ejus Magistratus potestate, per quandam insufflationem spiritus vitæ, adhuc veniunt fructus ab initio, absque eo quod ista peremptio excuset n. Idemque a pari in Curia, si adeo diuturnum accedat silentium petitoris, ut probabiliter altera Pars opinari valeat illam desertionem litis, quæ datur, etiam attenta dispositione Juris Canonici, ob quam non datur peremptio instantiæ, sed desertio, quod raro ad praxim reducitur, ob tot requisita quæ alibi recensentur. o

Sive quod possessor reportaverit unam, vel plures sententias favorabiles, per quas juste credere potuerit, bonum jus fovere in ejus possessione; Quoniam si in gradu appellationis, quinimo (quod magis) in gradu restitutionis in integrum adversus rem judicatam, vel adversus tres conformes, illæ revocentur, adhuc eadem tenetur opinio, ut fructus veniant a die motæ litis.

Altera est opinio de directa contraria, ut scilicet illi non veniant, nisi a die sententiæ condemnatoriæ, per quam, Reus & possessor, agnoscat se non dominum, cum prius lite pendente, spem, vel opinionem habuerit, obtinendi sententiam favorabilem sui boni juris canonizatoriam, cum pene omnes litigantes eorum justitiam credere soleant notoriam, ideoque interim dicendum non est, quod fuerit in mala fide, vera & positiva, quæ ad hunc effectum requiritur q; Ex ea propositione, quæ in Curia est recepta, atque quotidie volitat per ora Practicorum, quod scilicet
14 quælibet bona fides, vel causa talis qualis, excusat a restitutione fructuum non extantium, & consumptorum; Adeout sufficiat etiam illa fides media, quæ datur in dubitante, cum requiratur mala fides vera, & positiva, qua non existente, nil refert quod non adsit bona positiva; Et per consequens, ante Judicis declarationem, ista mala fides positiva non videtur verificabilis, ex supradicta ratione. r

Tertia vero est opinio media distinguens, & quæ semper mihi placuit, atque omnino probabilis visa est, ac videtur; Ut scilicet, ista censenda non veniat quæstio juris, sed facti, proindeque non recipiat certam regulam generalem, seu uniformem quibuscunque casibus indefinite applicabilem quodque prorsus erroneum sit, cum judaico stylo, in solis generalitatibus, sive in conclusionum litera immorari, cum verius decisio reputari debeat ea singulorum casuum circumstantiis, ea quibus desumendum est, an possessor dici valeat constitutus, necne in mala fide, adeout agnoverit, vel agnoscere debuerit se non esse dominum; Ideoque neglectis formalitatibus illorum actorum, ex quibus lis mota, sive facta dicatur ejus contestatio (cujus tempus aliqui in hoc proposito attendi debere putant;) Neglectisque aliis formalitatibus, quæ resultant ex subtilitate legis, an lis bene, vel male introducta, & agitata fuerit, ut contingere solet in illis causis, & litibus, quæ moveantur, ac tractentur coram Judice incompetente, unde propterea contingat illorum actorum annullatio, cum similibus formalitatibus.

Probabilius videtur, ut attendi debeat substantia veritatis, procedendo scilicet principaliter cum ratione, non autem cum litera legis, ubi supra; Attendendo scilicet illud tempus, per quod, ex productione jurium, sive ex aliis probationibus factis per petitorem, possessor agnoscere potuerit, vel debuerit, se non esse dominum, vel justum possessorem, quodque propterea sibi non liceret percipere, & consumere, suosque facere fructus illius rei, quam ita scivit, vel juste dubitare potuit ac debuit, non esse suam.

Et quatenus aliquas ex dictis circumstantiis excusantibus accedat, illius silentii scilicet, vel desertionis litis, quæ de Jure Civili peremptionem instantiæ producat, vel de Jure Canonico desertionem; Tunc respicienda est causa, ex qua istud silentium provenerit, cum sæpius provenire valeat ab indirectis impedimentis, vel a subterfugiis, & calumniis alterius Partis, sive a morte petitoria, una cum ignorantia, vel minori ætate successoris, a paupertate, aliove impedimento, adeout ex juribus, ac probationibus factis, vel ea aliis circumstantiis, jam sit consummatus dictus effectus malæ fidei in possessore.

Idemque, ubi ex facti circumstantiis constet, quod una, vel plures sententiæ absolutoriæ, ita evidenter injustæ sint, atque cum non bonis artibus exortæ, ut malam fidem potius augeant, quam minuant, cum similibus considerationibus, quibus eadem congruat ratio.

Secus autem si e converso, petitoris silentium, vel sententiæ favorabiles, aliæve circumstantiæ, justam excusationem præbeant, atque possessoris opinionem, seu credulitatem, quod illa res esset sua, vel ad se spectaret, potius confoveant; Nimis enim durum, ac irrationabile videtur, ut ille, qui aliquam rem possidere credit tanquam suam, per solam petitionem, nulla, vel non sufficienti justificatione munitam, deindeque derelictam, sive declaratam injustam per sententiam absolutoriam, unde propterea credidit possessor, jus suum bene subsistere, justeque in priori credulitate continuavit, percipiendo, & consummando in dies & tempora illos fructus, quos forte alias non consumpsisset, vivendo cum eo minus; Ob contrarium judicium, quod ex mutatione ingeniorum sequatur, retractando illas sententias, vel resolutiones, cum quibus ille in optima fide vixit, pati debeat istam retrotractionem, redolentem magnum cumulum in sorte illorum fructuum, quos minutatim in bona fide consumpsit; Et in illa præsertim fide, quam in eo juste induxerint sententiæ, vel resolutiones Rotæ, cum ita deceptus, seu illusus remaneret a publica fide ejusdem, vel alterius magni Tribunalis, vel talis Judicis, ut ei credere debuerit; Atque cum hujusmodi considerationibus, juxta dictam mediam, seu conciliativam opinionem, procedi debere visum est, ut etiam alibi advertitur. t

E converso, dari quandoque potest, ac debet condemnatio fructuum, etiam ante motam litem; Vel quia agatur de illis fructibus, qui non veniant solum officio Judicis 15
tanquam mere accessorii ad rem petitam, atque in judicio deductam; Sed principaliter, tanquam per speciem debiti, quod habeat naturam sortis; Ut (ex. gr.) contingit in fructibus censuum; Vel in decimis; Aut in pensionibus ecclesiasticis, aliisque similibus præstationibus u; Vel quia ex facti circumstantiis, constet de præcedenti vera mala fide, quæ in prædone; Vel in spoliatore; Aut in doloso contrahente, Sive in attentante; & similibus consideratur; Vel quod de natura rei, fructus veniant ab initio, ut contingit in fructibus, qui veniunt favore cohæredis in judicio petitionis hæreditatis, pro quibus sufficiat condemnario, eo ipso quod cohæres, vel hæres putativus non docet de bona fide, vel de causa excusante. x

Igitur, illa regula generalis, quæ per ora Practicorum volitat, quod scilicet fructuum condemnatio facienda est a die motæ litis; Accipienda quidem est pro regula, ut in 16
dubio tenenda sit, sive pro frequentiori contingentia, pro

qua

qua petitores, moraliter, illico, ac diligenter curant possessorem de eorum jure instruere cum productionibus scripturarum; Sive quod possessori sufficiat illa sola scientia, quam peritio inducat; Non tamen, ut adeo tenaciter, atque ad literam, cum tali generalitate, in omni casu procedi debeat, ut omnino negligendæ sint circumstantiæ excusantes, vel aggravantes, ob quas cessare debeat restitutio fructuum, etiam post litem; Vel e converso, illa fieri etiam pro tempore antecedenti.

Quo vero ad alteram speciem expensarum mere judicialium; Et quæ in Curia, ad differentiam aliarum, quæ ut infra, veniunt sub nomine, vel genere damnorum & interesse, atque appellantur expensæ vivæ, factæ scilicet pro actis judicialibus tantum; Istæ solum veniunt in hujusmodi condemnatione; Ut sunt expensæ actorum, ac etiam sportulæ, seu propinæ, non autem aliæ longe majores, quas litigantes pati oportet in Advocatis, Pro-
17 curatoribus, Solicitatoribus, Agentibus, Copistis, Viaticis, Muneribus etiam licitis & solitis, ac similibus; Atque respectu Advocatorum, & Procuratorum & Copistarum, in Rota solum habeatur stylus decernendi quandam modicam summam scutorum decem pro qualibet instantia. y

18 Verum Rota habet quendam stylum singularem, deviantem a stylo communi, & generali omnium aliorum Tribunalium, non demandandi refectionem sportularum quæ in Curia propinæ appellantur, quas ipsamet recepit; Isteque stylus non videtur quale juris fomentum habeat, dum ista est expensa necessaria.

19 Solumque in proposito hujus expensæ, Et præsertim propinarum aliarum, quas facere non oporteat, nisi in expeditione causæ, quando obtinetur sententia, vel ejus executio; In facti contingentia dicere consuevi, ut refici non debeant illæ expensæ, quas collitigans præter necessitatem facere voluit, pro ejus exuberanti cautela, vel majori satisfactione, Ut contingit quando altera Pars cedat liti, sed cessione non obstante, velit reportare sententiam; Sive quod sibi incumbat necessitas reportandi sententiam, vel faciendi alia acta, quamvis altera Pars se non opposuisset; Puta si quis impugnaret professionem in Religione, vel in Monasterio emissam ex aliquo defectu, illi vero se opponat aliquis conjunctus ob interesse successionis, vel renunciationis, &c. adhuc tamen obtineat sententiam favorabilem, oppositione non obstante; His enim casibus, non videtur, quod sportulas, aliasque expensas hujus judicii ab oppositore tanquam victo prætendere valeat, quodque condemnatio collitigantis ad expensas, istas capere debeat, sed solum illas majores, quas ratione oppositionis facere oportuit, alias non facturus, dum istæ faciendæ erant, etiam nullo existente oppositore. z

20 Idem quoque ubi agatur de illis expensis, quæ fiant pro legitimatione personæ Actoris, sive pro acquirendo illam qualitatem, sine qua in judicio esse non posset, neque litem initiare, nempe super re diversa, tanquam super necessaria præparatione, quæ ex ejus parte facienda sit, quamvis ille, cui post firmatum statum, diversa lis movenda erat, se opponat per viam diversionis, vel per viam præservativæ potius quam curativæ medicinæ suorum jurium; Juxta practicum exemplum quod in facti contingentia dabam de illo, qui aliquod jus haberet sedendi in convivio nuptiali, quatenus tamen vestem nuptialem haberet, atque ita ejus sessio excluderet illum, qui alias, eo non interveniente, sessurus fuisset, quoniam, si postquam acquisivit qualitatem necessariam, sine qua sibi patere non posset ingressus, æmulus se opponat, eumque impediat, unde propterea expensas pro hujusmodi impedimento removendo facere oporteat, alias non facturus, si oppositorem non habuisset; Et tunc prætendere poterit hujusmodi expensarum repetitionem in pœnam injusti impedimenti; Sed non exinde prætendere poterit refectionem illius impensæ, quam fecerit pro acquisitione vestis nuptialis, dum ista est qualitas, cujus acquisitio sibi incumbebat, non ratione oppositionis, sed ratione suæ qualificationis, sine qua, etiam absque contradictore, locum convivii ingredi non potuisset; a Adhuc tamen in quadam facti contingentia, hæc circa necessitatem solvendi propinas, aliasque expensas, etiamsi oppositor non fuisset in causa, pro consueto meo fato reputata fuerunt ratiocinia & subtilitates; b stante stylo condemnandi ad expensas, quo nil ineptius audiri potest.

21 Atque hinc, in facti contingentia resultare dicebam decisionem quæstionis, de qua in materia crediti & debiti actum habetur, An scilicet eadem anterioritas, vel potioritas, quæ competit pro credito, competat etiam pro expensis, quas pro crediti prosecutione facere oportuit, ut in dicta sede particulariter actum habetur. c

Super hujusmodi autem expensis judicialibus, quæ regulariter sub condemnatione veniunt, plures disputantur quæstiones; Illa præsertim, an refici debeant expensæ, quæ vere factæ non sint, sed fieri debuissent, nisi aliquod accidens ab eis exemisset; Puta quod victor conjunctum, vel amicum habuerit Advocatum gratuitum; Sive quod Judex, ex benevolentia personali, condonaverit sportulas, cum similibus, super quibus consueta opinionum scissura dignoscitur; d Verum in praxi Curiæ videntur 22
istæ quæstiones ideales, cum pro meæ forensis vitæ longo cursu, nunquam eas disputaverim, vel ab aliis disputari audierim, quoniam præsertim propinæ publice deponuntur penes Notarium, qui eas tradit judici: Isteque si vult, eam pecuniam tanquam jam effectam suam, donat victori, atque expensæ Advocatorum, qui solent esse gratuiti, non reficiuntur, ut supra.

Idemque respectu Tribunalium Rotæ ac Auditoris Ca- 23
meræ, sive etiam Arbitrorum & aliorum Judicum dici potest circa aliam supra insinuatam quæstionem, an scilicet, secuta renunciatione liti, seu Partibus ad transactionem devenientibus, in limine expeditionis, post causam jam instructam & discussam, atque respectu Tribunalis Rotæ, post jam editas decisiones, ac demandatam expeditionem, per Judicem prætendi valeant sportulæ; Quamvis enim de stricto jure probabilis videatur affirmativa, talisque sit sensus forte magis communis scribentium; e Attamen Curia Romana, non de facili audit istas mecanicas, & sordidas quæstiones, quoniam libentissime Judices, præsertim illi magnorum, & nobilium Tribunalium, labores, ac diligentias adhibent; Imo si opus esset, adhiberent quoque aliquem sumptum de proprio (ut revera quandoque aliquem indirecte adhibitum esse expertus sum) ut Partes concordarent; Solumque in Tribunali Cameræ; Non quidem in casu benevolæ concordiæ, cum huic nunquam fiat oppositio, sed in casu renunciationis liti, quam una Pars facit in limine expeditionis, ad solum finem evitandi refectionem sportularum, per quandam speciem fraudis; Dictum quandoque fuit, ut id fieri non posset; Idque, pro causarum qualitate, non improbabiliter, ob illius Tribunalis stylum, quod hujusmodi sportulæ non pertinent ad ipsos Clericos, qui sunt Judices, sed ad eorum Auditores, tanquam præmium laboris, quem jam passi sunt; Et ad instar eorum, quæ habentur de salario Advocati, vel Procuratoris pro toto causæ cursu, ut debeatur si per transactionem finem habeat, sive per voluntariam renunciationem. f

Verum, & hoc respectu dicti salarii Advocati, vel 24
curatoris, pro meo judicio discrete intelligendum est, ut scilicet iste rigor non excludat Judicis officium pro moderatione, quam æquitas, vel aliqua probabilis ratio, pro facti qualitate exigat, ut alibi in proposito hujus salarii advertitur; g Sed pariter istæ quæstiones in Curia non audiuntur, & præsertim in Advocatis, qui nonnisi a sponte dantibus honoraria recipere solent, ut in eorum rubrica in *relatione Curiæ* habetur.

Super contributione autem inter ipsas Partes, quæ coæ- 25
quale jus, vel interesse in causa habeant, merito audiuntur quæstiones, quæ jam non respiciunt istam materiam condemnationis pro necessaria refectione expensarum judicialium, ad quam una Pars alteri teneatur, sed rem diversam inter illos, qui eamdem repræsentant Partem, pro refectione omnium expensarum etiam extrajudicialium. h

Quandoque tamen datur casus, quod ista quæstio cadit 26
inter eos, qui sint æmuli, & collitigantes uno respectu, sed altero, unam, eandemque partem, seu personam ejusdem collitigantis pariformiter constituunt; Puta si Canonicus, vel Collegialis, aut civis litem habeat cum Capitulo, vel cum Collegio, seu cum Communitate, an scilicet ipse quoque, tanquam unus de illo corpore, vel de illa universitate, subjacere debeat collectæ, vel contributioni, quæ fiat pro illa lite substinenda contra se ipsum: Et regula est affirmativa, quoties facti circumstantiæ non suadeant limitationem, quod nempe æquitas, vel altera congrua ratio id non patiatur. i

Tertia demum inspectio est, super illis expensis, quæ ac- 27
cidentales, vel mortuæ dicuntur; Istæque regulariter non

cadunt

cadant sub hujusmodi condemnatione expensarum judicialium, juxta species supra exemplificatas defensorum, aliorumque operariorum, in ea ratione, ob quam lex victum victori ad id obligat, in pœnam, scilicet temere litigantis; Bene tamen quando ita exigat ratio delicti, ob quod ista refectio intrat, ex diversa tamen ratione damnorum & interesse. Ut contingit in refectione, ad quam teneatur attentatot, seu violentus spoliator; Aut qui alias cum recursibus ad sæculares Magistratus, vel similia injusta impedimenta præstet, cum tunc istæ expensæ quæ mortuæ in Curia dicuntur, refici quoque debeant. *l*

Ut generaliter in quocunque alio facto culposo ex ratio-
28 nis identitate intrare debent; Ut (ex. gr.) habemus in Clerico, vel alio privilegiato, qui exemptus ab eo foro, coram quo, citra culpam, vel malitiam, ex justa credulitate, conveniatur, negligat opponere fori declinatoriam, quam in progressu causæ opponat, quoniam reficere debet alteri Parti expensas, quas in judicio passus est collitigans, alias non passurus, si ab initio opposuisset.

Nisi tamen subsequens eventus inducat præsumptionem depravati animi alterius Partis, sive cessare faciat illam æquitatem, quæ id suadeat; Puta quia postquam opposita est declinatoria, eaque bene justificata, adhuc perservare voluerit coram eodem Judice incompetente, quasi quod exinde resultet argumentum, vel præsumptio, quod etiamsi ab initio oppositum fuisset, non per hoc fuisset destitotus, sed adhuc expensas facturus fuisset. *m*

Ex hac autem ratione in facti contingentia, (me tamen in causa non scribente Rota idem admisit circa restitutionem fructuum, quod scilicet si possessor, postquam ex juribus, & probationibus petitoris, sufficienter instrui potuit, vel debuisset de ejus non jure, adhuc in sustentatione litis continuavit, teneri debet ad fructus, etiam temporis præcedentis, in quo adhuc secuta non esset instructio, atque in bona fide persistere potuit, juxta distinctionem, de
29 qua supra; Verum id parum probabile, atque æquivoco labore visum est, ob claram rationis diversitatem; Ubi etenim agitur de primo casu expensarum, illarum refectio conceditur collitiganti contra negligentem, tanquam per speciem pœnæ ejus negligentiæ, quæ illarum causa fuit, & ex quadam non scripta æquitate quam cessare facit dicta altera circumstantia, ex qua mala præsumptio resultat; Secus autem in isto casu, qui est in oppositum, ideoque illi eadem non congruit ratio, dum effectus perceptionis, & consecutionis fructuum est jam perfectus, & consummatus de tempore habili in statu bonæ fidei; Et consequenter ista retroactio non invenit extrema habilia, neque aliquod habet probabilis rationis fundamentum.

Item sub hac tertia inspectione refectionis; in ratione
30 damnorum, & interesse, veniunt fructus percipiendi, qui in prima inspectione condemnationis judicialis non veniunt, quod scilicet collitigans illos non habuerit, & tamen restituere, vel reficere teneatur, non solum ubi nulli fructus ab eo percepti sint, ob illud justum collitigantis impedimentum, quod crimen redoleat, ratione attentatorum, vel recursuum, seu spolii, aut alterius omnino injustæ oppositionis; Sed etiamsi eosdem fructus, vel emolumenta alter perceperit, contra quem nulla detur repetitio, puta (pro frequentiori praxi) si quis injuste impediat, ne provisus de beneficio, illius possessionem obtineat, vel retineat, quoniam tenebitur non solum ad restitutionem illorum fructuum, quos ipse perceperit, sed etiam ad restitutionem distributionum quotidianarum, quæ perceptæ non fuerunt per oppositorem, qui impedimentum præstitit, sed acreverunt aliis inservientibus, cum similibus.

Datur item alia refectio integra omnium expensarum,
31 quales quales illæ sint, sive in judicio, sive extra, imo quorumcumque damnorum, & quanti interest, favore scilicet mandatarii, vel negotiorum gestoris, quamvis causæ eventus malus fuerit; Verum id sub diversa cadit inspectione.

Cum autem inter expensas litis, sint super enunciatæ spor-
32 tulæ, seu propinæ; Hinc sub silentio involvere non possum proprium sensum, quem habui ab ipso initio, quod Curiam ingressus fui, eamque practicare cœpi; In multis etenim ejus stylus placuit, nimiumque commendabilis visus est, adeout aliis Curiis, ac Tribunalibus, exemplar, & norma, merito esse debere videatur; Non tamen placuit in hac parte; Et potissimum, ubi non agitur de magnis, & collegiatis Tribunalibus, in quibus (licet neque id sit omnino commendabile) videtur magis tolerabile.

Semper enim congrua videtur mixtura pecuniæ cum administratione justitiæ, pro qua Princeps tenetur, salaria, & stipendia suppeditare ex redditibus principatus, cum id reputandum veniat inter onera hujus politici matrimonii, pro quorum supportatione, Respublica ipsi Principi, tamquam ejus marito, concedit emolumenta vectigalium, aliorumque jurium regalium, tamquam dotem, cum qua hæc onera supportare debet; In collegiatis vero Tribunalibus dici potest tollerabile, dum improbabile est, ut ob singulorum interesse in sportulis, alteretur id quod de jure est faciendum, ubi præsertim sit numerus notabilis judicum; Ut (exempli gratia) in Curia sunt Tribunalia Rotæ, & Cameræ; Sed ubi agitur de Judicibus unicis vel singularibus, tunc iste censendus est magis abusus, omnino damnandus, ob multa inconvenientia, quæ in dies exinde oriri praxis docet; Siquidem, cum propina solvatur solum in expeditione causæ principalis per sententiam diffinitivam, non autem, ubi per decretum interlocutorium in judicio executivo, vel summario; Hinc unum de duobus sequi quandoque solet; Vel scilicet, ut aliqui opinantes, quod in judicando cadat arbitrium regulatum a voluntate (quod omnino falsum est) libentius concedant absolutoria debitori, quam relaxent mandatum executivum favore creditoris, eo quia primo casu datur propina, in altero autem, non; Sive quod, ubi agatur (ex. gr.) de judicio summarissimo manutentionis, vel simili, quod est decet nondum per decretum interlocutorium, pro quo propria non debetur, illud nunquam conceditur, nisi etiam compleatur processus in judicio ordinario, ad hoc ut eodem tempore sequatur sententia diffinitiva in negotio principali, ad effectum obtinendi propinam, ita concipiendo duas citationes; Unam pro decreto interlocutorio in judicio summario ad primam; Et alteram pro sententia diffinitiva in negotio principali ad secundam, ut stante stylo habendi terminum pro servato, eodem tempore, seu momento, sequatur utrumque.

Hinc etenim duo resultant inconvenientia; Primo, quod ille, cujus favore concedendum est mandatum de manutenendo, vel de associando, vel executivum, illud obtinere non potest, si non habeat pecuniam promptam, ad effectum solvendi propinam, aliasque expensas pro regestro, & nota sententiæ; Et secundo, quod ita fieri dicitur quædam cumulatio petitorii cum possessorio, de jure prohibita, & præjudicialis eidem victori, dum id frequenter ansam præbet commissioni appellationis, etiam ad effectum suspensivum, a decreto lato in judicio summario, vel executivo.

Et quod magis curiosum est, atque aliquando vidi pra- 33
cticari; Stante diversa taxa propinarum, quod scilicet infra summam scutorum mille, est scutorum decem auri, vel minus quando summa sit exigua; Usque ad bis mille, vigintiquinque; A bis mille ad quatuor mille, quinquaginta; Et abinde citra usque ad quamcunque summam, centum, Judex decernat plusquam actor petat ac velit, ut ita includat eam summam, pro qua major propina debita sit, unde propterea, ratione excessus, locus esse solet appellationi, etiam ad effectum devolutivum, quæ alias ex natura judicii non intraret, cum similibus quampluribus inconvenientibus; Et præsertim in Tribunali Thesaurariis, seu ejus Auditoris, quandoque juxta diversam majorem, vel minorem vigilantiam Thesaurarii pro tempore, magna sequuntur inconvenientia circa facilem exvinculationem locorum montium, cum magnis, ac irreparabilibus præjudiciis, quod non sequeretur, si iste usus propinarum non adesset.

Nullum siquidem ex his inconvenientibus auditur in Tribunali Auditoris Cameræ, coram ipsomet, vel ejus Locumtenentibus, aut coram Prælatis, quando procedunt tanquam ab eo deputati, eo quia nullæ solvuntur propinæ; Et tamen audiuntur coram eisdem in causis commissariis, in quibus solvuntur, ideoque, ad evidentiam liquet de productione inconvenientium; Ac propterea in ingressu, totoque progressu Curiæ, non modicam concepi admirationem, cur desuper non provideretur, tam in Curia, quam per universum Statum ecclesiasticum, abolendo hunc usum, quem, saltem respectu Judicum singularium, revera esse magnum abusum, praxis docet.

Non percipio etenim, quæ ratio differentiæ urgeat, cur Auditor Cameræ tenere debeat Auditorem de proprio stipendiatum, cum adeo magno, peneque intolerabili labore,

bore, sine uso propinarum; Ac etiam ejus Locumtenentes, aliunde stipendium habentes, ex emolumentis scilicet actorum, seu Notariorum; Et non debet idem practicari in Tribunalibus, Vicarii, Cameracii, Thesaurarii, Ædium, & similibus: Et quare Prælati absque aliquo præmio libenter acceptent, imo ambiant causas, ex deputatione Auditoris Cameræ eosdemque adhibeant labores, quos in causis commissariis; Et tamen, quod in istis sequi debeant hæc inconvenientia.

34 Inter omnes Principes, nullus promptius, ac melius, a ministris, & operariis, in iis præsertim, quæ concernunt regimen civile pacificum, obtinet, ac obtinere potest servitium, quam Papa (cujus tamen e converso deterior esse videtur conditio in belligeris) ob magnam copiam Prælatorum, qui divites beneque provisi de proprio, cupiunt, atque ambiunt occasiones inserviendi, non solum gratis, sed etiam cum notabili sumptu de proprio, ut quotidiana praxis docet in aliquibus Nuntiaturis & Vicelegationibus, aliisque guberniis; Ac etiam in Curia in iis Prælatis, qui sunt Votantes Signaturæ Justitiæ, nec non interveniunt in aliquibus Congregationibus, & præsertim in illa Consultæ; Magis vero decuit praxis (alibi quoque insinuata) occasione pestis; Quod scilicet Prælati deputati, ultra magnos labores personales, peneque continuas vigilias, cum evidenti periculo vitæ, notabiles quoque de proprio erogarunt summas in eleemosynis, & subventionibus infirmorum, & suspectorum; Et tamen illi, qui deputati non fuerant, ægre ferebant, atque aliquam deputationem affectabant; Igitur non videtur, quæ ratio, vel necessitas exigat hujus abusus tolerantiam.

Quinimo etiam respectu Tribunalium collegialium Rotæ, & Cameræ, certum est, quod si aboleretur usus propinarum in Camera, adhuc Clericatus, quando vacant, cum eodem ardore, magnoque concursu ambirentur; Et si abolerentur in Rota, adhuc ob quædam alia emolumenta, aliasque consequentias, idem munus in magna existimatione esset, atque pariformiter Tribunal regeretur, eo modo quo nunc regitur, dum cernimus, quod aliqui Prælati, & præsertim Votantes Signaturæ, qui etiam interveniunt in Consulta, majores supportant labores gratuitos; Sive absque aliquo incommodo prompte occurri posset, mediante unione aliquorum beneficiorum, eo modo quo uniuntur collegiis puerorum, & locis piis, cum ista videretur pietas major pro beneficio Reipublicæ, ac servitio justitiæ, ex cujus zelo, bonoque animo hujusmodi desiderium insinuatur, abolendo scilicet in totum hujusmodi usum, ut ita tolleretur illa, quamvis indebita, & maligna occasio obloquendi de propriis, & expensis, in quibusdam aliis gravioribus negotiis non contentiosis; Cum etenim ex dicto *Apostoli* sapientibus, & insipientibus debitores simus, atque Romana Curia, non solum ab apertis inimicis, ratione hæresis, vel schismatis, sed etiam ab æmulis, intra ipsamet catholicæ Religionis viscera, undique circumdata sit; Hinc proinde, etiam a licitis, & a legibus, quæ ignaro vulgo oblocutionis, vel sinistræ interpretationis occasionem dare possunt, abstineri congrueret.

Multi enim actus bona, & commendabilia habent principia, bonisque rationibus introductione innixi sunt, qui tamen ex mutatione temporum, vel ex aliis accidentibus diversam sortiuntur speciem, unde propterea aboleri, vel reformari debent; ut in ipsismet legibus habemus; Ac etiam in praxi forensi in illis contractibus, qui, attenta eorum intrinseca natura, aliquando prius sunt liciti, & justi, & tamen tractu temporis efficiuntur læsivi, imo iniqui, unde propterea eos abolere, vel reformare, atque ad justitiam reducere oportet, cum similibus.

Longe vero major videtur alter abusus alicujus partici-
35 pationis in quarta, vel in decima, vel in alia quota, confiscationum, ac pœnarum, aliorumque emolumentorum cameralium utriusque Cameræ Pontificiæ, & temporalis, juxta nonnullos casus in suis respective sedibus insinuatus; Id enim citra disputationem aliquam, vel problematicum discursum, omnino damnabile apud omnes concorditer reputatur; Si enim dantur casus a lege considerati, in quibus aliqui Judices, ac Magistratus excæcati ab avaritia, illicitas committunt sordes clandestinas, sub tot periculis amissionis officii, aliarumque pœnarum, ac diffamationis, ultra positivum, & inexcusabile peccatum, cum illaqueatione conscientiæ; Quanto facilius id facere poterunt hujusmodi Judices, eumdem avaritiæ stimulum habentes, qui etiam sine mere voluntaria prævaricatione intellectum fascinare possunt, atque sibi adulando, opinari quod justitia diversa sit, ut ita licite, ac publicé, & palam, imo potius merendo, quam demerendo, magna reportare valeant emolumenta; Idque usque a primis negotiis, quæ in Curia, circa professionis initia, tractare occasio dedit, redarguere, imo declamare consuevi, quoniam pro meo sensu vel genio, nimis incongrua est mixtura pecuniæ cum administratione justitiæ; Stant etenim bene simul, quod retroactis temporibus, ita eorum conditione exigente, pro criminum punitione, ad alliciendos Judices, ac ministros, congruum, ac rationabile fuerit, hujusmodi præmia introducere, & tamen quod nunc id omnino incongruum, ac irrationabile, dum tot haberi possunt idonei, & integerrimi ministri, qui libentissime pro sola acquisitione meriti ad honores, & dignitates, jam divites, ac bene visi de proprio, idem præstet gratuitum servitium; Hæc autem omnia (ut præmissum est,) ex solo zelo, bonoque animo administrationis Justitiæ, ac existimationis Curiæ insinuata sint, sub censura tamen, ac saniori judicio eorum ad quos pertinet, quibus deferre, eorumque judicio meum subjicere profiteor.

Super liquidatione item, vel taxatione expensarum, ac 36
respective fructuum, quando super substantia refectionis in genere nulla supersit quæstio, cadere solent disputationes, in quibus non de facili certa statui potest regula, cum totum pendeat a Tribunalium stylis; Illæ vero in materia fructuum habentur regulæ generales, ut etiam faciliores, ac leviores sufficiant probationes, quæ a consuetis præsertim, vel a prædiis adjacentibus, & quandoque a taxa legali desumi solent, juxta singulorum casuum particulares circumstantias, ex quibus Judicis arbitrium regulandum videtur.

a Gregor. *dec.* 232. *dec.* 379. *par.* 9. *rec.*
b *ut præsertim in casu, de quo tit. de fideic. disc.* 179.
c Barbos. *Clauf.* 98. *n.* 18. *& seq. conferunt deducta* apud Gregor. & add. *dec.* 37.
d Bich. *dec.* 73. Rovit. *pragm.* 1. *de expens.* Grat. *discept.* 725. Merl. *dec.* 843. *in fin.* add. ad Burat. *dec.* 921.
e *dec.* 218. post Zacch. *de obligat. ubi concordantes.*
f *Canonista in c. significaverunt de appell.* Rovit. *pragm.* 1. *de expens.* Scacc. *de appell. qu.* 17. *limit.* 21.
g *in relatione Curiæ, disc.* 32. *cum aliis infra.*
h Bicch. *dicta dec.* 73. Burat. & add. *dec.* 921. *& passim.*
i *infra, lit. M.* l *præsertim supra, disc.* 35.
m *tit. de fideicom. disc.* 185. *&* 186. *ubi concordantes.*
n *ibidem.* o *supra, disc.* 7.
p *d. disc.* 185. *&* 186. *tit. de fideic.* q *ibidem ubi supra.*
r *ead. tit. de fideic. disc.* 184. 185. *&* 188. *tit. de herede, disc.* 9. *& sæpius.* s *ibid. ubi supra.* t *ibid. ubi supra.*
u Cels. *dec.* 61. Merlin. *dec.* 663. *repetit. dec.* 3. *par.* 7. *rec.*
x *d. disc.* 9. *de herede.*
y Bich. *dec.* 73. *dec.* 61. post Zuff. *de legitim. process. & sæpius.* z Bellam. *dec.* 3. Lancellot. *de attent. lite pend. in præfat. c.* 4. *n.* 300. add. *ad dec.* 3. *de remunt. in nov.* Merlin. *dec.* 262. *dec.* 55. *in fin. par.* 12. *rec.* Bich. *dec.* 534. *in fin.* a *sub tit. de credito, disc.* 147.
b *in casu de quo sub tit. de Regular. disc.* 46. *&* 47.
c *d. disc.* 147. *de credito.* d Andreol. *cont.* 263. *num.* 14. *dec.* 45. *n.* 4. *par.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 2. *n.* 58. *par.* 11.
e Gratian. *discept.* 561. *n.* 24. *& seqq.* Cappuc. *in praxi p.* 1. *c.* 8. *n.* 325. f *late* Zacchias *de salar. q.* 51. *n.* 43. *& seqq.* g *tit. de tutor. & administr. disc.* 18.
h *plene* Larrea *dec.* 88. Rovit. *pragm.* 64. *de off. Sac. Reg. Consil.* Cavaler. *dec.* 402.
i Cavaler. *dicta dec.* 402. *dec.* 61. post Zuff. *de legitim. process.* Rovit. *pragm.* 5. *de administr. univers.* Greg. *dec.* 263. Manuc. *dec.* 262. l Rojas *dec.* 348. Dunozett. *dec.* 825. Cels. *dec.* 80. *&* 133. *dec.* 744. *p.* 5. *rec. t.* 3. *in dec. de qua tit. de tutor. & administrator. disc.* 16.
m Grass. *de effect. Cler. primo, n.* 880. *& seqq.* Beller. *disc. quæst. Cler. tit. de favor. Cler. person.* §. 2. *n.* 14. *& seqq.* Gratian. *discept.* 100. *num.* 18. Surd. *cons.* 396. Farinc. *quæst.* 8. n Royas *dec.* 173.
o *d. tit. de tutor. & administrator. disc.* 16. *dec.* 454. *p.* 9. *rec. n.* 5. *& seqq.* p *supra, disc.* 33.

S U M M A R I U M.

1 *De abusu circa sportulas, & propinas, & de opportunis provisionibus in Congregatione Reformationis.*
2 *Quænam quantitas a judicibus sit exigenda.*
3 *In executivis non solvitur propina pro sententia absolutoria ab exceptionibus debitoris.*
4 *Idem pro sententia absolutoria debitoris ab impetitis, & de ratione.*

5 *Idem*

5 *Idem in judiciis possessoris.*
6 *Damnatur stylus de citatione ad manutentionem, & ad sententiam, & de pluribus inconvenientibus, quæ exinde resultant.*
7 *A manutentione non datur appellatio, quando est per decretum; secus si per sententiam.*
8 *Quare fuerit inventus stylus, de quo supra, n. 50. Et de cautela illum extirpandi.*
9 *Judex Commissarius, qui procedere debet de voto Rotæ, quam propinam exigat.*
10 *Pro una causa, unica tantum propina exigenda.*
11 *In Tribunali Rotæ quanta sit propinarum taxa tam in prophanis, quam in beneficialibus:*
12 *De expeditione retardata ob non factum depositum propinæ, quod ibi rejicitur præsertim in causis ultra montes, & de ratione.*
13 *Notarii non debent retardare instrumenta, extractus &c. ob non soluta emolumenta, & quod ipsis provideatur.*

ANNOT. AD DISC. XXXIX.

1 INter Curiæ abusus connumerari meretur iste circa sportulas, vulgo propinas; de quibus in hoc discursu agitur. Quid itaque sit circa istum usum in genere, quem omnino abolere forte sanctius esset pro recta administratione justitiæ, cum qua nunquam congruit mixtura pecuniæ, ac interesse proprii in judice, ubi præsertim iste unicus est, adeout de collegiato tribunali non agatur, quo casus res est magis tolerabilis; Quando etiam non sit abolendus, sed ejus continuationem permittere videatur; Adhuc tamen in Congregatione reformationis proposui examinandam istam materiam ad effectum capiendi opportunas provisiones, quas secuturas spero super pluribus punctis, adhuc tamen, dum hæc scribo, non discussis, nec resolutis.

2 Primo nempe renovando, ac præcise demandando observantiam reformationis Pauli V. ut per judices ordinarios nullæ accipi debeant sportulæ, ubi vero agatur de judicibus commissariis in causis infra summam scut. 25. nihil exigatur, a 25. ad 100. scuta tria, a 100. ad 200. scut. sex, a 200. ad quamcunque summam solum scut. decem, & non ultra, quinimo prætendi posset quod sub nomine scutorum veniant solum illi monetæ, non autem auri, sed quoniam verbum est capax utriusque qualitatis, idcirco videtur deferendum esse observantiæ tanquam interpreti, nullatenus vero permittendum ut major quantitas exigatur.

3 Secundo, quod in judiciis executivis quando contingat decerni mandatum ad favorem creditoris nullo pacto fiat locus illi propinæ, cujus introductio, a moderno tempore inter multos alios abusus, qui irrepserant cum quadam turpi mercatura secuta est sub eo specioso palliato prætextu proferendi eodem tempore sententiam diffinitivam per cedulam, absolvendo ipsum creditorem ab exceptionibus debitoris, ac declarando illas non obstare, ipsumque creditum canonizando, quo nil turpius.

4 Quinimo meus sensus esset quod etiam quando in hujusmodi judiciis executivis videatur per sententiam absolvere debitorem ab impetitis, quia creditum non sit bene probatum, aut quod constet de solutione; Sive quia sit exceptione elidibile, adhuc pro ista sententia non debeat accipi propina, quoniam semper cadere potest suspicio quod animus, vel intellectus aliquam patiatur allucinationem ob interesse proprium, cujus ratione meliora videantur motiva illius partis, quæ solvere debet propinam, quam alterius, quæ non solveret.

5 Tertio, quod idem respective ex eadem ratione servari debeat in judiciis possessoriis, & præsertim in summario retinendæ, seu manutentionis, quod hodie in praxi est frequentius ex rationibus, de quibus *d. disc. 46. hoc eodem titul.* Turpis etenim, an scandalosa videtur illa passim usu recepta praxis, quod judices quamvis agnoscant decretum super manutentione, vel associatione, seu executivum petenti debitum esse, attamen recusent dare nisi expediatur etiam causa in petitorio, seu bono jure per sententiam, practicando illud inconveniens mendaciorum, ac fictio-
6 num productivum, quod resultat a stylo habendi terminum pro servato, quoniam citari solet ad videndum manuteneri ad primam, & ad secundam sententiam, atque in utraque citatione habendo terminum pro servato, inspecta naturali veritate instantanee, eodemque momento fit utraque expeditio decreti, & sententiæ; Iste autem stylus, vel potius abusus non solum producit dictum absurdum mendaciorum, quæ etiam in privatis, & in actibus extrajudicialibus continet damnabile malum, multo magis in Judicibus, & magistratibus, & in actibus judicialibus, in quibus veritas, & bona fides longe magis exuberare debet, sed pleraque alia mala, & inconvenientia producit.

Primo, quia ille qui petit manutentionem, & aliud simile provisionale, ac promptum, & executivum remedium, vel decretum interlocutorium, ita cogitur facere id quod non vult nec petit, atque pati illas expensas, quas facturus non esset cum præjudicio etiam alterius partis ad earum refectionem obligatæ. Secundo, quia ita ille, qui indiget manutentione, vel alio prompto, & celeri remedio cogitur longas moras pati, ac diuturnam, & dispendiosam substinere litem tam pro servatione terminorum substantialium per compilationem aliorum actorum, quæ necessaria sunt in judicio petitorii, quam etiam pro maturiori discussione, & examine causæ. Tertio, quia cum hac discussione subjacet periculo, & incommodo, ut ejus possessio, quæ sufficit de facto, non curata justitia, vel injustitia, cujus examen remittitur ad petitorium, efficitur turbida; unde sequitur quod denegari soleat illa manutentio, quam alias prompte, ac sine difficultate in solo summariissimo possessorio debuisset obtinere; Et quarto ultra pleraque alia inconvenientia, & præjudicia, quæ considerari possunt, 7
est illud amissionis majoris privilegii, quod huic, vel simili remedio possessorio, vel executivo conceditur non admittendi appellationem suspensivam, quando sit per decretum interlocutorium, admittendi vero quando sit per sententiam definitivam, non solum ob petitorii mixturam, quæ ita quodammodo adesse dicitur, ob quam locus est appellationi suspensivæ, sed etiam quia ut advertitur *d. disc. 44. hoc eod. tit.* & alibi, ideo quando proceditur per decretum interlocutorium, non intret appellatio suspensiva, quia non dicitur adesse gravamen considerabile, dum ob Curiæ stylum decretis interlocutoriis idem Judex potest quandocunque reponere, idcirco illud gravamen non adest, ut est quando per sententiam, in qua intrat dispositio *textus in l. posteaquam, de judic.* & per consequens cum ita cesset ratio, cui hoc privilegium innixum est, illud quoque cessare debere congruit.

Et quoniam iste abusus originatus fuit ex timore amittendi totam causam per commissionem appellationis etiamsi in solo devolutivo a decreto manutenendi, vel alio simili, dum ita devolvitur tota causa, ideirco opportunum videtur providere, seu verius declarare id quod est de jure, quod scilicet appellatio, quæ interponitur ab hujusmodi decretis, non deberet dictum effectum operari nisi quoties clare de gravamine constaret, juxta ea, quæ generaliter in jure disposita sunt super appellatione a decretis interlocutoriis, quoniam ita tolleretur occasio istius abusus, tot malorum, totque inconvenientium productivi. 8

Quarto, cum Auditor Cameræ, vel alter Judex ordinarius nullas percipere possit propinas ut supra; quando autem fiat Judex commissarius, non percipiat nisi usque ad summam scutorum decem, & non ultra, inolevit quidam usus nulli innixus fundamento, quod quando per Papæ rescriptum, vel commissionem sibi injungitur ut procedat de voto Rotæ, quæ ex eadem reformatione diversam habet propinarum taxam juxta majorem, vel minorem causarum valorem, cujus ratione ascendere valeat usque ad centum scutos, eandem regulam tenet ipse Judex, quod non videtur cui fundamento innixum sit. 9

Quinto super omnia providendum, quod idem Judex in eadem causa ex quocunque colore, vel prætextu nullo pacto obtinere valeat nisi unicam propinam in totum, dum non infrequenter praxis docet, ut illi Judices, qui turpium, & venalium mercatorum potius, quam judicum partes ac personam gerunt, ab utraque parte duplicatas satagunt exigere propinas, & quandoque etiam ab eadem ob diversas sententias, vel decreta, quæ super diversis punctis proferre, vel interponere affectant, quo nil turpius, nil ve detestabilius, ideoque omnino prohibendum. 10

Et sexto, cum in Tribunali Rotæ propinarum taxæ ex eadem Reformatione Pauli V. varia sit, quia regulatur a valore, seu æstimatione bonorum, vel jurium, quæ sunt in lite, nempe usque ad summam scut. 1000. sit decem scut. ab ista ad illam scutorum 10. m. sit scutor. 25. ab ista ad illam 20. m. scut. 50. & ab ista ad quamcunque, scut. 100. & non ultra, aliaque sit pariter varia taxa in causis beneficialibus, nempe quod in beneficiis quæ non excedant 100. ducatos sit scutorum decem, a 100. ad mille sit 25. a 1000. ad 3000. sit 50. abinde vero supra sit centum, in causis autem quæ non recipiant facilem æstimationem, ut exempli gratia sunt causæ jurisdictionales, vel præemi- 11

nentiales, de quibus *sub tit. de jurisdict. & sub altere de præminent*, & alibi, tunc recipiantur sportulæ moderatæ, ac proportionatæ, a pauperibus autem generaliter non recipiantur, hinc frequenter audiri solent Partium conquæstiones adversus taxam, quam faciat ille causarum patronus, quem Rota deputare solet depositarium, ac taxatorem propinarum, vel quia prætendatur quod valor bonorum, ac respective beneficiorum non sit tantus, quantus a dicto taxatore prætenditur, vel & frequentius circa taxam illorum jurium, quæ certam non recipiunt æstimationem, ac etiam circa paupertatem, quando ejus probatio sufficiens adesse dicatur, necne, atque in hoc etiam opportunam crederem aliquam provisionem, ut aliqui, unus, vel plures deputarentur, ad quos haberi possit recursus, ne ita interponi dicatur judicium in puncto in quo habeatur proprium interesse, ob probabilem suspicionem, ad instar eorum quæ habentur de Episcopo alias de jure competente in causis ejus mensæ, sed recusabili ob suspicionem a proprio interesse resultantem, cum similibus.

12 Occasione autem cujusdam causæ spiritualis ultra montes quæ præsupponebatur de majoribus, cum illa pars, cui denegabatur expeditio ob non factum depositum propinæ scutorum centum auri, non admissa excusatione paupertatis, vel impotentiæ, ea eo quod rigorose non adesset perfecta, & concludens ejus probatio, recursum habuisset ad Papam, ob munus Secretarii memorialium potius quam Auditoris, occasione referendi supplicem libellum desuper datum, consului, atque Papæ placuit consilium, quod demanderetur expeditio ne in remotis regionibus ultra montes magnam habentibus mixturam hæreticorum, & schysmaticorum, ac etiam vicinitatem infidelium, scandalum conciperetur de tota Curia Romana, quod denegaretur administratio justitiæ, vel ejus executio impediretur ob defectum pecuniæ, ad quam pars declarabat se impotentem, quod magnam habebat verisimilitudinem providendo quod scriberetur Nuntio Apostolico in illa regione residenti, quod de allegata paupertate se informaret, & quatenus ea non adesset, attamen adesset impotentia pecuniæ numeratæ manualis, cum possint hæc bene simul stare, non adesse scilicet paupertatem, sed adesse dictam impotentiam, tunc curaret ex primis effectibus illorum bonorum, quæ erant in lite ista, expensas detrahi.

Idque generaliter, ac frequenter practicare consuevi
13 cum Notariis pro expensis instrumentorum, registri, & extractus, & similibus, mandando quod darentur etiam non solutis emolumentis debitis, ne alias ex ista causa retardaretur justitiæ cursus, providendo, quod ex primis effectibus recuperandis, istæ detraherentur expensæ, ita utriusque partis indemnitati consulendo.

Adest etiam quædam alia species propinarum enunciata *disc. 18. In relatione Curiæ* quam forte opportunum, seu congruum, & honestum esset abolere, & forte providebitur per Congregationem particularem enunciatam in annot. *ad dictum disc. 18.*

De executione rei judicatæ, ejusque consummatione, tam personali, quam reali, ac etiam spirituali, cum censuris & declaratoriis: Et de subhastationibus, & adjudicationibus: Ac etiam de executoribus, &c. Et de executione contra tertium, in quem facta sit alienatio lite pendente: Et de cautela *Angeli*, ac aliis de materia executionis, ejusque consummationis.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata firmat statum, ac facit ens de non ente.*
2 *Sed non sufficit ad abdicationem, vel translationem dominii, & possessionis sine actuali executione hominis.*
3 *Fallit in sententia absolutoria, quæ secum trahit executionem ipso jure.*
4 *De diversis vocabulis, cum quibus mandata executiva appellantur.*
5 *Mandatum executivum obtentum contra unam personam non potest exequi contra aliam, nisi renovetur, vel concedatur* exequatur.
6 *Distinguuntur plures species personarum diversarum, cum quibus id agendum est.*
7 *De eodem, de quo n. 6.*
8 *Quid ubi heres est diversi fori quam esset principalis defunctus de jure communi.*
9 *Quid ex stylis locorum.*
10 *Quod possit quis esse eodem tempore heres & tertius.*
11 *Heres tenetur habere ratum factum auctoris etiam in juribus propriis.*
12 *Declaratur quando id procedat.*
13 *De differentia inter exceptionem jure dominii & jure crediti.*
14 *Creditor anterior non impedit posteriori executionem.*
15 *De differentia inter executionem in bonis hæreditariis, & illa in persona, & bonis propriis.*
16 *Quando contra hæredem competat idem processus executivus, qui competit contra defunctum.*
17 *De casu in quo agatur de tertio successore jure proprio, quare facilius successoris oppositio admittatur.*
18 *Res judicata obtenta contra prædecessorem quod afficiat successorem, etiam independentem, & quando secus.*
19 *De materia cautelæ* Angeli, *& de pluribus distinctionibus.*
20 *De alienatione lite pendente, & de materia litigiosi, & quando intret necne, cum declarationibus, vel limitationibus.*
21 *De alienatione in fraudem executionis, & quando sit talis.*
22 *Sola actio personalis non producit vitium litigiosi.*
23 *Laudatur sequestrum & quando illud concedi debeat.*
24 *An & quando dominus vendicet bona sua a tertio, in quem alienata sunt?*
25 *Quando dicatur alienatio facta in fraudem, & de effectu exinde resultante.*
26 *In prohibitis sola confessio non probat causam onerosam.*
27 *Cum eo qui fovet causam lucrativam, intrat edictum* de his quæ in fraudem.
28 *Hoc edictum quando sit subsidiarium, & exigat excussionem.*
29 *De subrogatione pretii loco rei vel e contra, & de personis in hoc privilegiatis.*
30 *An & quando possit agi recta via contra eum, in quem facta est alienatio, vel potius necessaria sit resistentia præsertim cum Clerica.*
31 *Etiam in casu in quo non intrat vitium litigiosi, illud datur in possessione.*
32 *Cessat ubi alienatio fiat perempta instantia, & quid ea reintegrata.*
33 *De renunciatione executorialium favore hæredis, vel successoris victoris, an & quando victus ei se opponat?*
34 *Denegatur renovatio executorialium ob lapsum longissimi temporis, ob quem sunt præscripta.*
35 *De stylo Rotæ circa executoriales, post lapsum longi temporis.*
36 *De distinctione inter executorem juris independentem.*
37 *An executor teneatur servare stylum judicis principalis, vel suum.*
38 *Executor juris, & independens potest agnoscere de justitia, seu validitate, & quid agere possit, & præsertim de Congregatione Baronum.*
39 *De stylo Rotæ aliorumque Tribunalium non exequendi sententias aliorum, non cognito summarie de justificatione.*
40 *Quando executio exigat factum hominis, vel sequatur juris ministerio.*
41 *De pluribus speciebus executionis.*
42 *Quando ob reverentiam, vel aliquod privilegium non sit locus executioni personali per carcerationem.*
43 *De alimentis debitis carcerato.*
44 *De electione, vel arbitrio creditoris, variandi in modo exequendi.*
45 *De executione reali restricta ad certam rem.*
46 *De mandato ad factum per capturam pignorum, vel per gravatoriam.*
47 *An pro una re fieri possit executio in altera, & quando.*
48 *De arbitrio creditoris exequendi ea bona, quæ sibi placeant.*
49 *Declaratur quando istud arbitrium moderari debeat.*
50 *Quando non sint exequenda bona feudalia, si adsunt allodialia.*
51 *De stylo Congregationis Bonorum.*
52 *Quomodo dictum arbitrium sit regulandum.*
53 *An creditor anterior privilegiatus cogi possit experiri* suum

suum jus super bonis differentibus, ut relinquat posterioribus alia bona.

54 *An creditor teneatur accipere bona debitoris in solutum ad materiam Authentica* hoc nisi.

55 *Quando creditor anterior impediat posterioribus ne bona exequi & subhastare valeant.*

56 *De suspensione termini, cum qua impeditur executio.*

57 *An ad validitatem subhastationis requiratur, ut præcedat actus positivus executionis?*

58 *Quod in hac materia subhastationis, & deliberationis deferendum sit Tribunalium stylis.*

59 *De stylo decernendi quod bona stare dicatur sub executione.*

60 *Necessarium est decretum de subhastando prævia citatione, & ratione.*

61 *An debeat præcedere æstimatio, & quomodo?*

62 *Non reperto justo oblatore bona adjudicantur creditori.*

63 *In quibus casibus subhastationis forma requiratur etiamsi de alienatione voluntaria.*

64 *An requiratur præcise, & de forma, oblatio trina?*

65 *An subhastatio probet justum valorem?*

66 *Quæ læsio attendatur in venditione sub hasta.*

67 *Judex vendit nomine debitoris, quem obligat ad evictionem.*

68 *Subhastatio fieri debet præsenti pecunia, & quando secus.*

69 *Deliberatio fieri debet majori oblatori, & quando secus.*

70 *Subhastatio excessiva est nulla in totum.*

71 *Qualis debeat esse excessus, & quando adsit.*

72 *Quando injustitia detegitur ex novis, non per hoc retractatur subhastatio in præjudicium tertii; secus autem ipsius creditoris.*

73 *Excessus attenditur in mandato, non autem in executione, & quando etiam in executione, quia bona excessive executa sint.*

74 *Subhastatio, non servata forma decreti, vel mandati, est nulla.*

75 *An & quando creditores teneantur præstare cautionem, vel recipere pretium vinculatum?*

76 *Creditores non tenentur de evictione.*

77 *Deficiens cautela evictionis nimium diminuit valorem.*

78 *Emptor sub hasta non liberatur in electis, jus habentium in rebus emptis, & quando obtineat securitatem.*

79 *Ipse creditor potest liciturі tanquam tertius.*

80 *An & quando competat jus offerendi contra emptorem sub hasta, & præsertim contra ipsummet creditorem?*

81 *Non potest fieri deliberatio majori oblatori, nisi cum præfixione termini.*

82 *An durante isto termino, vel eo elapso possint recipi novæ oblationes?*

83 *De adjudicatione facienda ipsi creditori, quando & quomodo.*

84 *Et quando sit locus deductioni alicujus quotæ ab æstimatione.*

85 *Solum decretum de adjudicando non sufficit sine actuali adjudicatione.*

86 *Excessiva adjudicatio est nulla.*

87 *Adjudicatio est subsidiaria, & post subhastationes, & quando secus.*

88 *In quo judicio, vel cum quo remedio deliberationes, vel adjudicationes retractentur.*

89 *An data retractatione veniat restitutio fructuum, necne?*

90 *Quod nullitates provenire soleant a malitia alterius partis, vel a negligentia seu alio casu sine culpa principali, & de modo æstimandi in Curia.*

91 *De declaratoria, & de differentia censurarum singularum personarum, & corporum universalium.*

92 *Quare pro debitis pecuniariis, vel aliis profanis adhibeantur censuræ, & quomodo.*

93 *Pro declaratoria requiritur citatio personalis cum contumacia vera.*

94 *Servantur etiam quatuor termini.*

95 *Quando necessaria non sit citatio personalis.*

96 *De distinctione super dicta, cessante necessitate citationis personalis.*

97 *Transactio etiam nulla post monitionem parendi excusat a contumacia.*

98 *Quando sit necessaria liquidatio.*

99 *Et quando non oporteat servare quatuor terminos.*

100 *Etiam contra personas, & universitates ecclesiasticas dantur declaratoriæ cum distinctione, de qua sup. n. 92.*

101 *Etiam pro inobedientia ministrorum, & dependentium.*

102 *Declaratoria decreti non potest per executorem in partibus.*

103 *Quando paritio dicatur sufficienter facta, & de pluribus modis, vel speciebus paritionis, & in quibus ea consistat.*

104 *Cui incumbat onus probandi paritionem, vel non paritionem.*

105 *De aggravatoria, aliisque remediis, si declaratoria non sufficiat.*

DISC. XL.

CEssantibus itaque, supra insinuatis, ordinarii, vel 1
extraordinarii, Appellationis, Nullitatis, Et restitutionis in integrum remediis adversus rem judicatam, superest ejus executio, sine qua ejusque consummatione, illa inanis remaneret, quoniam licet sententia, sive unica, sive trina, quæ in judicatum transitum fecerit, pro lege habenda sit, neque ulteriorem admittat impugnationem, adeoque (ut nostri dicunt) faciat, de albo nigrum, seu ens de non ente, atque firmet statum *a*; Adhuc tamen sine executione, non abdicat a succumbente dominium, nec possessionem bonorum, vel jurium, super quorum pertinentia lis habita sit, ita per rem judicatam decisa; neque aliquid transfert in victorem, cum ad hunc effectum requiratur factum positivum hominis, mediante executione, legitime facta, & consummata: *b* Solumque sententiæ absoluto- 2
riæ possessoris, suique juris, ac possessionis canonizatoriæ
tribuitur, ut legis ministerio executionem secum trahat, 3
neque alio facto hominis indigeat. *c*

Pro hujusmodi executione facienda, & consummanda 4
mandatum Judicis, ad quem pertinet, in primis expediendum est, quod juxta diversos Tribunalium stylos, diversas habet nuncupationes, seu vocabula; In Rota etenim explicatur sub nomine executorialium, in Tribunalibus vero Auditoris Cameræ, Camerarii, Vicarii, Thesaurarii; Et in aliis, sub nomine mandati executivi. Quod etiam in aliis ditionibus & principatibus sequitur, eademque diversitas dignoscitur. Puta (ex. gr.) in pluries ennunciato Regno Neapolitano, quod Magna Curia Vicariæ, omnesque aliæ inferiores Curiæ, Regiæ, & Baronales, quinimo etiam illæ fori ecclesiastici Episcoporum, & Metropolitanorum adhibent terminum literarum executorialium: Tribunal vero sacri Consilii utitur diverso termino mandati de parendo, cum similibus.

Ut autem istius mandati vigore, legitima executio fieri, ac perfici valeat, exigitur quoque, ut illud adhuc per- 5
severet in statu exequibilitatis, adeout non indigeat renovatione, quæ frequenter necessaria est, atque alias ejus vigore, executio legitime sequi non dicitur. Quia nempe immutata sit persona, contra quam executoriales relaxatæ sint, seu relaxandæ erant, unde jam relaxatæ, exequi, vel denuo relaxari debeant, contra personam diversam. Tunc etenim, etiam quoad jam relaxatas, oportet, ut contra istam novam personam, quæ citari debet, renovantur, seu, ut practici dicunt, concedatur exequatur. *d*

Ista vero diversitas, vel immutatio, diversas sub se habet inspectiones, pro diversa qualitate istius novæ personæ,
contra quam exequendum est illud mandatum, quod fuit 6
decretum contra principalem, cum quo lis acta fuit, ac obtentum judicatum; Primo nempe ubi agatur de successore a titulo hæreditario principalis, qui interim defunctus esset, adeout nova persona nullum habeat jus proprium, sed ejusdem principalis personam repræsentet, atque ex ea omne suum jus metiatur; Secundo ubi agatur, pariter de successore universali, seu alias jure successorio, sed independenter ex persona, & jure proprio, (ut exempli gratia), contingit in successione jure fideicommissi, vel jure investituræ pacti, & providentiæ in bonis feudalibus, vel emphyteuticis: Aut in successore in beneficio, vel

in prælatura, cum similibus: Tertio in eo, qui se asserat, ac protestetur tertium possessorem jure singulari proprio, independenter a principali, quamvis ille vivat, prætendendo scilicet, quod illa bona, vel jura spectent ad ipsum, non autem ad eum, cum quo lis acta est, ita intimando, seu excipiendo de illa cautela, quam in Curia vulgo dicitur *Angeli*, Et quarto ubi agatur pariter de tertio possessore titulo singulari obtento, tamen a principali, cum quo lis acta est, qui ea pendente, bona in alium, titulo venditionis, aut alterius alienationis, transtulerit.

7 Primo itaque casu, quod scilicet agatur de successore, jure mere hæreditario collitigantis? Quamvis verum sit, ut mandatum executivum, relaxatum contra defunctum, debeat renovari cum hærede, qui ad id citandus est, ne inauditus de facto patiatur executionem, in bonis, vel in juribus per eum possessis, adeout alias executio invalida sit; cum omnibus inde secutis; Quinimo ubi etiam nullus adsit hæres, adeout dicatur hæreditas jacens, adhuc id sequi debet cum curatore, qui servatis servandis, hæreditati jacenti fuerit deputatus, *e*

8 Attamen, quando hæres sit ejusdem fori, tunc de plano id conceditur, cum dicatur in omnibus esse eadem persona defuncti. Difficultas vero cadit, quando hæres sit fori diversi, quia nempe defuncti laici sit hæres Clericus; Vel e converso, defuncti Clerici sit hæres laicus, an scilicet idem Judex, qui mandatum executivum relaxavit, sive ad quem pertinet illud relaxare, possit directe hæredem diversi fori citare, atque contra eum concedere renovationem, seu exequatur, necnon ad executionem procedere, illamque consummare; In hoc autem, loquendo generaliter per regulas juris, atque præscindendo a stylis particularibus; Notabilis differentia dignoscitur, inter casum, in quo agatur de laico successore Clerici, & e converso de Clerico successore laici; Primo enim casu potest Judex ecclesiasticus, ad quem pertinet exequi judicatum, contra Clericum defunctum, directe procedere ad ulteriora: Secus autem e converso, in quo licet idem Judex laicus renovationem concedere valeat contra hæredem, illum considerando in abstracto; In concreto tamen ad executionem contra Clericum devenire non valeat, sed illa fieri debeat cum auctoritate Judicis ecclesiastici competentis; Ex ea differentiæ ratione, quod in primo casu, incompetentia non est simpliciter, & absoluta, sed secundum quid, cum ecclesiasticus habeat etiam cum laico quandam jurisdictionem habitualem prorogabilem; E converso autem, laicus cum Clerico habeat omnimodam incompetentiam habitualem, adeout ejus jurisdictio neque sit prorogabilis, ideoque requiratur auctoritas Judicis ecclesiastici; Non quidem tanquam Judicis, atque cum nova cognitione causæ, sed tanquam executoris. *f*

9 Verum, extra Statum ecclesiasticum, in aliorum Principum ditionibus, certa, & generalis regula statui non potest ob diversitatem legum, vel stylorum, qui in eorum singulis vigent, cum quibus, sive de jure, sive de facto, procedere oportet; Siquidem in aliquibus partibus, quoties non agatur de executione facienda, in persona, vel in bonis propriis Clerici successoris, sed in bonis possessis a laico defuncto, tunc prætenditur, ut procedi possit ad executionem, directe auctoritate sua, absque aliqua auctoritate, vel impartitione brachii Judicis ecclesiastici, tanquam ad bona jam præventa, atque sub ejus auctoritate posita; Et e converso, si bona transierint a Clerico defuncto in laicum, prætenditur, quod Judex ecclesiasticus, cum ejus sola auctoritate, executionem consummare non valeat, nisi prævia impartitione brachii Judicis sæcularis; Potissime vero, ubi agatur de mandatis relaxatis per Judices Romanæ Curiæ, *g* Ita sequendo de directo oppositum ejus, quod de jure dispositum est; Atque hinc sequitur, quod (ut dictum est), materia remaneat incapax regulæ generalis, cum procedere oporteat cum singulorum locorum praxi.

10 In hærede quoque verificabiles esse solent alii supradistincti casus, & præsertim secundus, & tertius; Quoniam, stante beneficio inventarii, sine quo rari sunt casus, quod aliqua hæreditas adeatur; Verificabilis remanet vera & effectiva diversitas plurium personarum formalium, in una materiali, quod scilicet, etiam ille, qui habeat qualitatem hæreditariam defuncti, ita repræsentando unam personam hæredis, præsentare quoque potest alteram personam propriam diversam, & omnino independentem, atque se dicere tertium, juxta alios casus supradictos, quamvis adhuc non docuerit de legitimo inventario, neque rationes reddiderit, ostendendo nihil habere in manibus.

Quamvis enim, ex veriori, hodieque passim recepta 11
sententia, hæres teneatur servare factum sui auctoris, illudque impugnare prohibeatur, etiam in bonis, ac juribus propriis (quando aliquæ particulares circumstantiæ hujus regulæ limitationem non suadeant,) adeout non suffragetur beneficium inventarii, nisi eo longissime justificato, sequatur redditio rationum bonorum hæreditariorum, cum reliquatus restitutione, ita exuendo personam hæredis; dum alias hæreditas in dubio præsumitur opulenta; Et quatenus ejus vires supperant, patia sint, inventarium adesse, vel non adesse. *h*

Attamen id procedit, quatenus agatur de hærede acto- 12
re, qui veniat infringendo factum sui auctoris, ut vendicet bona propria, quæ per illum distracta sint, juxta quotidianam praxim, in vendicatione bonorum pertinentium ad fideicommissum, vel majoratum majorum, quæ successor ex hoc jure vendicare velit a tertio, in quem distraxit prædecessor, cujus ipse successor, hæreditariam qualitatem quoque habeat atque in his terminis recte procedit dicta conclusio; Quoties specialis, ac expressa prohibitio testatoris cum clausula annullativa, sive dispositio legis communis, vel particularis, ob naturam, seu qualitatem bonorum, talem non inducat infectionem actus, ut etiam ab ipsomet alienante, vel hærede, sit impugnabilis.

Secus autem, ubi hæres diversum jus proprium alleget in illis bonis, ideoque personam tertii assumat, excipiendo ad effectum retinendi, atque impediendi executionem; non autem agendi, & impugnandi, quoniam tunc, ubi jus suum sit clarum, atque incontinenti probatum, recte operativum est, absque dicta necessitate præcedentis redditionis rationum, & exuendi personam hæredis.

Ex ea probabili, & convincenti ratione, quod ita esset pati molestias pro debitis defuncti, in persona & bonis propriis, præter formam privilegii, quod lex hæredi beneficiato concessit, nisi prius, juxta receptam praxim, hæres legitime moneatur ad docendum de inventario, ac reddendum rationes, atque in his fuerit contumax, seu clare convictus, quod dicto beneficio sit destitutus, ut alibi advertitur. *i*

Isto itaque casu, resolutio pendet a qualitate probatio- 13
nis juris proprii, quod hæres prætendat independenter a defuncto, quoniam si est clarum, atque incontinenti probatum, jure dominii, in ipsis bonis, ut pro frequentiori praxi contingit in casu, in quo agatur de jure fideicommissi vel investituræ; Et tunc admittitur exceptio, eodem modo quo habetur infra in tertio casu ejus, qui sit omnino tertius, nullam habens qualitatem hæreditariam; Secus autem ubi prætensum jus sit turbidum, & altioris indaginis. *l*

Ubi vero prætensum jus proprium, non sit in ratione dominii, ac juris realis, sed in ratione crediti quantitatis, & ex jure hypothecæ, ut pro frequentiori praxi contingit in filiis, qui cum sint patris hæredes, ad impediendum mandata executiva relaxata contra defunctum, vel contra ejus bona hæreditaria, excipere solent de retentione, ratione dotium maternarum, seu alterius crediti pro reintegratione fideicommissi, cum similibus; Et tali casu ista oppositio retardare non debet nec solet concessionem exequatur, ipsamque executionem; Tum quia obstat dicta præsumptio, quod hæreditas præsumitur opulenta, quodque creditum proprium hæredis, quatenus etiam ex beneficio inventarii præservatum remaneat a confusione actionum, quæ alias dicto beneficio secluso resultat, ubi creditor succedat debito; Attamen obstat saltem præsumptive imaginata solutio, donec ista præsumptio tollatur per contrariam probationem resultantem a dicta justificatione inventarii, & a redditione rationum.

Ac etiam ex altera juris regula, de qua etiam infra in ter- 14
tio casu, quod scilicet creditor, quamvis anterior, jure crediti, seu pignoris bona debitoris possideat, non impedit aliis creditoribus, quamvis posterioribus, executionem, ejusque consummationem, ad effectum, ut de pretio, juxta eorum ordinem satisfiat, dum ita possessor, qui se anteriorem prætendit, suam satisfactionem obtinere poterit, quam in pecunia, non autem in specie obtinere debet, ideoque impedire non potest illum actum, per quem ad id deveniatur, nisi æquitas prohibeat, quia valor bonorum non excedat creditum; *m* Et sic magna differentia est inter oppositionem juris proprii, quæ fiat in ratione dominii; Et alteram quæ fiat in ratione crediti.

Item magna differentia est inter casum, in quo agatur 15
contra hæredem de executione facienda in bonis hæreditariis; Et alterum, in quo agatur contra eundem, de executione facienda in persona, & bonis propriis;

Pri-

Primo etenim casu, juxta commendabilem, beneque fundatum Signaturæ stylum; Quoties jus proprium in ratione dominii, non sit omnino certum & clarum, rescribi solet de clausula *sine præjudicio*, præservativa executionis; In altero autem rescribi solet de clausula translativa *si quid exequendum*, & quandoque etiam de appellatione simpliciter, atque in utroque casu iste stylus probabilem habet rationem; In primo scilicet quia, nec justum, nec rationabile est, ut debeat quis cum titulo hæreditario se intrudere in possessionem bonorum defuncti, deindeque, revolvendo chartas veteres, cum turbidis, ac illiquidis prætensionibus impedire creditores, vel alios habentes creditum, vel jus clarum & liquidum; In altero autem, eo quia, quoties non sit omnino certum, & indubitatum, quod hæres sit destitutus beneficio inventarii, pati non debet processum executivum, competentem contra defectum in persona & bonis propriis, quamvis prætendatur, quod inventarium sit defectivum, ideoque non debeat suffragari, sive prætendatur, quod non bene reddiderit rationem de bonis inventariatis, de quibus habeat in manibus, quoniam isti dicuntur puncti petitorii, decidendi in judicio ordinario per tres conformes, vel per rem judicatam, ea eoquod illam justificationem, quam non fecerit in prima instantia, facere poterit in altera; *e* Et hæc quoad primum casum, in quo agatur de executione facienda contra diversam personam hæredis.

17 Alter supra distinctus casus est, quando agatur de successore jure proprio, puta ratione fideicommissi, vel investituræ, aut ratione provisionis obtentæ a Papa, vel ab Ordinario, de beneficio, vel Prælatura; Sive a Principe, vel alio, ad quem pertinet in officio, vel administratione, aliove jure independenter a defuncto, cum quo lis acta est, adeout eum non agnoscat in auctorem, rem, ejusque hæreditariam qualitatem non habeat; Et tunc in primis intrat eadem distinctio, de qua supra, an scilicet proprium jus oppositoris in ratione dominii, ut clarum, quia nempe non dubitetur, quod illa bona, vel jura, de quorum executione agitur, pertineant ad fideicommissum, vel feudum, seu prælaturam, cujus jure ille possederit prædecessor, cum quo lis acta est, ac obtentum mandatum in executionem rei judicatæ.

Ista etenim præsupposito retento, in concessione hujus renovationis, vel exequatur, cum aliqua majori maturitate, ac circumspectione proceditur, quam procedatur in casu præcedenti cum hærede; Ideoque, ubi præsertim agatur de executorialibus Rotalibus, vel de illis Tribunalis Cameræ, stante istorum Tribunalium stylo, nihil decernendi absque prævia dubii disputatione, huic formali disputationi locus esse debet; Ex ea differentiæ ratione, quod hæres, qui in omnibus repræsentat personam defuncti, allegare non potest collusionem vel fraudem, quodque ille non bene se defenderit, dum alias deducere non potest exceptiones, nisi illas, quas deducere non posset ipsemet principalis, si viveret; Secus autem est in casu istius successoris independentis, atque venientis jure proprio.

18 Licet enim de jure, res judicata obtenta contra prædecessorem legitimum prædecessorem, afficiat successorem, atque contra eum executioni demandanda sit, quoniam sufficit, quod causa sit acta cum possessore, ac legitimo contradictore, ad quem tunc defensio pertinebat, non curato præjudicio consecutivo alterius, quamvis iste veniat independenter ab eo, dum difficultas cadit solum, quando alter interessatus haberet jus coæquale de præsenti, secus autem si de futuro, ac jure successorio, sive etiam de præsenti, sed accessorie, & consecutive; *p* Attamen iste successor allegare potest id quod non potest hæres, juxta casum præcedentem, nempe collusionem, vel negligentiam, in non bene defendendo causam; Ac propterea, non quidem ex integro, & in novo judicio, sed in quadam summaria cognitione audiri debet in eo, quod prætendat potuisse deduci, atque a prædecessore fuisse neglectum, & an in bona, vel mala fide sit versatus, juxta eandem distinctionem, quam habemus in materia transactionis, quæ cum rei judicata fraternizat; *q* Ideoque notabilis differentia est inter istum casum, & præcedentem.

19 Tertius casus est, quando bona, vel jura, super quibus rei judicatæ, vel mandati relaxati executio facienda est, possideantur per tertium, qui prætendat ad se pertinere jure proprio, quod competere etiam de tempore, quo lis acta est, & priusquam res judicata emanaret, alias quam per alienationem, quæ a collitigante in eum, lite pendente, facta esset; Sive etiam non possidendo, opponat de ejus jure, protestando quod bona pertineant ad ipsum, non autem ad eum, contra quem obtentum fuit judicatum; Et quæ protestatio in Curia vulgo appellatur *cautela Angeli*, utpote ab isto Actore melius quam ab antiquis, & primis Magistris explicata, & a quo antiqui Practici eam desumpserunt, nihilque forte in Curia est frequentius; *r* Et tunc duo casus subdistinguendi sunt; Unus scilicet, quando iste tertius oppositor actualiter non possideat, adeout naturalis possessio, vel actualis detentio sit penes eum, cum quo lis acta est, atque obtenta res judicata; Et alter, ubi naturaliter possideat, sive actualem detentionem habeant.

Cumque præfati Auctoris hæc sint verba præcisa: *Et ideoque quotidie practicatur, quod tertius post latam sententiam contra alium, venit & protestatur, ut in talibus bonis non procedatur ad ejus executionem, quia sunt sua, vel a se possessa &c. & justa est petitio, & debet super ea procedi summarie*; Hinc oritur quæstio ob illa verba alternata, *quia sunt sua, vel a se possessa*, an scilicet solum dominium sine possessione sufficiat.

Regula itaque juris est, quæ etiam superius insinuata fuit, agendo de tertio veniente ad causam, ut tertius qui non possideat, executionem non impediat, ea ibi relatis; *s* Ac propterea huic cautelæ eatenus locus esse poterit, ac debebit, quatenus jus oppositoris sit omnino certum, atque incontinenti probatum, adeout nullam exigat judicialem indaginem; Puta quia, ex causa commodati, vel depositi, seu precarii, aut administrationis, sive etiam ex causa illicita furti, vel alterius indebitæ occupationis de facto, in sola detentatione reperirentur penes eum, contra quem sit judicatum, atque decretæ, vel relaxatæ sint executoriales; Secus autem, ubi dominium non sit omnino certum, & clarum, sed sit in sola prætensione; Atque cum hac distinctione pluries in Tribunalibus Auditoris Cameræ, & Signaturæ Justitiæ, in quibus de ista cautela nimium frequenter disputari contingit, procedi debere dixi, & obtinui, quoniam alias ille collitigans, qui rem judicatam passus est, atque post subterfugia extraordinariorum remediorum, de quibus supra, aliasque consuetas succumbentium calumnias, ad istam quoque de facili posset recurrere, collusive supponendo tertium, qui hanc promoveat prætensionem; Ut præsertim facere solent illi, qui possidentes bona gravata fideicommisso ad favorem filiorum, curant, ut isti compareant, prætendendo, quod ob aliquam contraventionem, sive ob dissipationes, malamve administrationem, etiam in vita patris, factus sit casus fideicommissi ad eorum favorem, ne creditoribus facultas detur executionem faciendi super eis, saltem pro fructibus, vel pro commoditate, durante vita debitoris, ut sine dubio fieri potest cum similibus. *t*

Ubi vero iste tertius oppositor possideat; Et tunc praxis est, ut interim abstinendum sit ab executione, donec prius citetur ad justificandum intra terminum sibi præfixum, illam cautelam; Cognitoque per Judicem, quod oppositio indebita sit, quodque justificatio non concludat, sive quod ea nullatenus fiat, tunc demandatur procedi ad ulteriora executione, atque si alias fiat, executio male facta reputatur contra tertium, utpote in bonis alterius quam debitoris.

In ista itaque justificatione inspicitur in primis modus, vel causa possessionis, an sit per viam intrusionis lite pendente, sive ex titulo dependente a principali collitigante, juxta ponderationes, de quibus supra in primo casu ejus, qui adipiscendo possessionem titulo hæreditario, postea mutata causa possidendi, assumat personam tertii.

Ac etiam attenditur eadem distinctio in dicto primo casu insinuata, quod scilicet, tam jus, quam detentio sint jure dominii, vel jure crediti; Ut primo quidem causa cautela suffragetur, quatenus possessio sit sincere de tempore habili, absque suspicione collusionis, vel affectationis, aut fraudis; Secus autem in altero, cum creditor, neque dominium, neque possessionem habere dicatur, sed utrumque sit penes principalem debitorem; Solumque uxori, quæ retinere declaret bona viri pro securitate suæ dotis, ita se muniendo cum frequenter collusiva inhibitione, seu charta dotali, ea concedi solet indulgentia, seu habilitas, quod demandavit procedi ad ulteriora in executione, & subhastatione cum clausula *non amoto a possessione*, donec satisfiat ex pretio obla-

to per majorem bonorum exequendorum, & subbastandorum oblatorem, & dummodo oblationes excedant, ne interim carendo re, & pretio, in statu indotatæ remaneat; Quoties certa sit anterioritas ejus crediti dotalis, sive potioritas in illis casibus, in quibus illa intrat. *x*

Atque hinc resultat, ut ista materia censenda sit incapax regulæ certæ, & generalis cuicunque casu applicabilis, dum a singulorum casuum circumstantiis, atque a Tribunalium stylis totum pendet.

20 Quartus demum est casus, quod scilicet bona reperiantur penes tertium titulo singulari, translativo dominii, habito lite pendente ab ipso collitigante, unde propterea intret materia alienationis rei litigiosæ, quæ in jure expresse prohibita est; Sive inspectio alterius alienationis, quæ facta prætendatur in fraudem paratæ executionis; Cumque ipsa lex, quæ hanc alienationem damnat, aliquos excipiat casus; Puta dotis, vel transactionis; *y* Doctores autem, ad instar, atque ex rationis identitate, ad alios similes extendant; Puta ad illum dationis in solutum, quæ facta sit vero creditori anteriori, vel potiori; *z* Sive ad alterum retractus legalis, vel conventionalis; *a* Et generaliter ad quemcunque alium actum, cui non congruat ratio fraudis, ac supplantationis, cui legis prohibitio innixa est. *b*

Ac etiam ex ejusdem legis prohibentis litera, vel sensu, ponderent, an, & quando rei alienatio fiat, affecta dici valeat, necne vero vitio litigiosi; Ut scilicet tunc, ex magis communiter recepto sensu contrahi dicatur, quando agatur de actione vere reali, quæ concernat ipsius rei dominium, ac pertinentiam, ideoque ejus substantiam percutiat; Secus autem ubi in actione personali, vel etiam in ea mixta, quæ principaliter personalis, accessorie autem realis, vel rei persecutoria dicatur; Puta in actione hypothecaria; Sive alia persona in rem scripta; *c* Ad instar eorum, quæ habemus in materia beneficii litigiosi, ut tale non dicatur ad plures effectus exinde resultantes, nisi quando agatur de lite, quæ principaliter percutiat beneficii titulum, vel substantiam inter plures provisos, qui principaliter contendat de illius pertinentia, ut in rerum beneficialium sede advertitur.

Hinc proinde sequitur, ut pro consueta ineptia Pragmaticorum, vel Collectorum, qui doctrinas attendendo in sola litera, omnia involvunt, atque casus inter se diversos de facili confundunt; Ista materia etiam apud modernos, cum solita, & connaturali scissura, videatur involuta, cum vere non sit; Illam præsertim aceiter assumendo quæstionem, tanquam involutam, circa privilegium dotis, quam ejusdem legis litera excipit, an scilicet, tam in constituenda, quam in restituenda dote (in quarum utraque magis receptum est illud privilegium locum habere), intelligendum veniat solum in subsidium, vel indefinite; Et super quo opinionum varietas dignoscitur etiam inter modernos, ut aliquæ Rotæ nostræ decisiones ostenduot. *e*

Ad istas ergo involutiones, & æquivoca tollendum eo modo, quo, pro meo sensu, pene in universali ista legali practica, seu forensi facultate, omnibusque ejus quæstionibus, quæ involutæ videantur, faciendum esse videmr, cum plurium diversorum casuum, vel effectuum distinctione procedendum venit.

Primus itaque casus est, quando agatur ad effectum pœnarum, quæ per legem prohibentem, tanquam pro actu criminoso, alienanti inflictæ sunt; Sive ad alium effectum omnimodæ irritationis actus, etiam inter eos, inter quos contractus alienationis initus est, secluso interesse, vel præjudicio collitigantis pro executione judicati; Et tunc recte procedat rigorosa inspectio vitii litigiosi, ut scilicet non detur, nisi per litem in actione vere reali ad ipsius rei dominium, adeout vitium litigiosi, in vera & propria rigorosa significatione capi debeat; Ac etiam de facili admittenda veniat excusatio, tam ex causis in ipsa lege expressis, transactionis scilicet, vel dotis, etiam non verificato casu subsidii, quam generaliter ex omni alia justa, vel probabili causa, quæ excuset actum a fraude positiva, ex vulgati assumpto, quod per ora forensium Practicorum volitare solet, quod scilicet a delictis, & pœnis, quælibet causa, talis qualis excusat; Unde propterea, per meæ diuturnæ forensis vitæ praxi, nunquam vidi quod hujusmodi pœnis locus factus esset. *f*

Alter casus, vel effectus est, ubi agatur de præjudicio collitigantis, vel alterius, qui jus habeat cum eo, qui alienationem fecit, ita tamen, ut præjudicium sit omnimodum, ideoque percutiat potius decisoria, quam ordinatoria; Quia nempe agatur de creditore in sola actione personali, qui proinde non habeat hypothecam experibilem contra quemcunque tertium possessorem bonorum, in quem alienatio facta sit, unde propterea sua principaliter intersit etiam in meritis negotii principalis, ut alienatio haberi debeat pro infecta, cum alias ei præclusa esset via experiendi sua jura super illis bonis, ut experiri posset, si alienata non essent;

Quod etiam verificabile est in creditore hypothecario, quando agatur de bonis mobilibus, vel de semoventibus, ob illam receptam æquitatem rationi libertati commercii innixam, ut ista bona manualia, quoties non contineant universitatem, libera transeant in tertium emptorem, neque super eis contra istum sit experibilis illa hypotheca, quæ de stricta juris censura experibilis esset, ut in sua crediti materia advertitur. *g*

In his itaque casibus, sive ad istum effectum magis præjudicialem, deberet magis circumspecte procedi, ut huic præjudicio occurratur, quodque de facili talis alienatio irrita censenda sit, dum actus non respicit solum præjudicium ordinis, ac majoris dilationis, sed respiciat etiam totalem substantiam.

Adhuc tamen, quoties facti circumstantiæ locum non 21 faciant edicto *de his quæ in fraudem &c.* adeout ratione fraudis intret rescissio, vel irritatio, difficile est ad praxim id redigere, quoniam aut agimus de primo casu creditorum habentium solam actionem personalem, quam de tempore alienationis jam interessent, adeout lis desuper penderet; Et tunc certum est, quod nullum vitium litigiosi, neque in dominio, neque in possessione considera- 22 ri potest, dum agitur de sola actione personali, quæ extra omnem quæstionem hunc effectum non producit; *h* Aut vero agitur de creditore hypothecario, & hic non indigeret hujusmodi remediis magis difficilibus, ac extraordinariis, dum de jure habet suum remedium magis ordinatum, & planum hypothecæ, quæ persequitur rem contra quemcunque tertium illius possessorem; Sed punctus difficultatis est in dicta recepta conclusione æquitativa, derivata ex favore libertatis commercii in bonis manualibus, in quibus emptores tuti redduntur, quoniam esset dare inconveniens, quod ille, qui aliquas lites haberet cum prætensis creditoribus, vel cum aliis, qui prætendant aliquod jus cum eo habere, prohibitus esset contrahere, atque commercium habere in hujusmodi mercantilibus, & manualibus bonis.

Hinc proinde, sive uno, sive altero casu respective; 23 quando dignoscatur, quod istud periculum subesse valeat, quodque ita debitor, vel Reus creditorem, vel Actorem eludere posset, tunc debet iste esse magis vigilans, ac diligens, adhibendo remedia assecurativa, per illam speciem sequestri provisionalis, quæ ex justa causa non videntur prohibita, ex quodam Judicis officio, vel arbitrio, ita interponendo, ex iis quæ supra in materia sequestri habentur. *i*

Quinimo, ubi etiam lis non esset in ratione crediti, sed in ratione dominii, & vindicationis, (& quo casu intrant termini litigiosi ut supra); Quoties tamen agatur de mercibus, vel de animalibus, aliisque rebus manualibus, in quibus prædicta juris non scripti conclusio intret, adhuc dictum remedium, nedum opportunum, sed etiam necessarium videtur.

Quamvis enim, de stricta juris censura, domino concedatur facultas vindicandi rem suam a quocunque, penes 24 quem illa inveniat, nullo restituto pretio, quamvis bonæ fidei emptor sit, cum solum bona fides causet excusationem a delicto, & pœna, non autem jus petendi restitutionem pretii soluti; *l* Quoties ex facti circumstantiis non intret actio, vel exceptio utilis negotiorum gestorum; *m* Sive non intret privilegium particulare Principis, ut in Urbe habemus in pignoribus Montis Pietatis, & in bancheriis hebræis; *n* Idque eadem juris stricta censura retenta, DD. ampliant, quamvis bona, in nundinis, & in mercatis, vel in portubus, aliisque publicis emporiis, cum bona fide empta essent; Attamen periculosum est ad id se restringere, cum in plerisque locis mercantilibus (rationabiliter quidem) id in praxi non recipiatur, ut alibi advertitur. *o*

Quare inspectio remanet, an ex facti circumstantiis dici valeat, ut locus fiat præfato edicto *de his quæ in fraudem &c.* Sive, juxta practicum loquendi usum Curiæ, ut dici posset alienatio facta in fraudem paratæ executionis; Hoc enim posito, plana resultat juris consequentia, super

per insectione actus; quodque etiam contra tertium, prævia ejus citatione, in processu summario, & executivo, ut infra in sequenti casu, procedi valeat. p

25 Difficultas autem versari solet in facto potius, quam in jure; In justificatione scilicet hujus fraudis, quoties agatur de alienatione ex causa onerosa, & vere correspectiva, quo casu, si in illo, in quem facta est alienatio non probatur fraudis participatio, vel saltem mala fides a lege præsumpta, eo quia scientiam haberet imminentis executionis, tunc istud edictum non intrat. q

26 Dummodo tamen, de causa onerosa & correspectiva vere constet, alias quam per ipsorum contrahentium confessionem, quæ generaliter in prohibitis, vel in iis, quæ tertio præjudicialia sint, veritatem non probat, r atque in his specialibus terminis DD. advertunt. s

27 Secus autem, ubi alienatio esset ex causa lucrativa, quoniam tunc indefinite dicitur alienatio facta in fraudem, atque edictum intrat, quamvis revera constaret, quod tertius, in quem alienatio facta est, in optima fide versatus esset, quinimo quod ipsemet alienans citra animum fraudandi, bonaque fide id dederit, quoniam in actibus tertio præjudicialibus, quoties alter tertius lucrativam foveat causam, non attenditur fraus consilii, sed sufficiat illa præjudicii, ut præsertim in materia feudali, ac alibi advertitur. t

28 Istoque præsupposito retento, ad facilius, vel difficilius admittendum hoc edictum, intrat inspectio bonæ, vel malæ fidei, dum illud est subsidiarium, ac exigit excussionem aliorum bonorum cum tertio bonæ fidei; Secus autem cum illo malæ; u Ac etiam intrant ea, super quibus adeo Scribentes se involvunt, circa subrogationem scilicet pretii loco rei, vel rei loco pe-
29 cuniæ, aut unius rei loco alterius; Nec non super privilegiis, quæ in jure conceduntur pupillis, aliisque personis sub legali administratione existentibus, vel mulieribus in dote &c. cum revera percutiat aliquam majorem habilitatem, seu prærogativam circa exemptionem in probatione fraudis, vel a necessitate excussionis, ac verificatione casus subsidii, x Quamvis (ut præmissum est) plurium Scribentium accedant æquivoca, resultantia ex consueto vitio transcribendi doctrinas ad literam, non applicando ad sensum illatum, sive non bene distinguendo casus, vel effectus, sed eos confundendo, ac propterea materia involuta videtur, cum non sit.

30 Alter dominum casus, vel effectus est ille, in quo agatur de hoc vitio litigiosi, circa ordinem judicii tantum, quod scilicet concedatur quidem colligitanti jus prosequendi bona, vel jura, quæ erant in lite, etiam contra tertium, in quem alienatio lite pendente facta sit, sed cadat quæstio super modo, vel super ordine, an scilicet victor possit prosequi directe suam executionem, etiam contra tertium, eo modo quo posset contra colligitantem, si alienationem non fecisset; Vel potius cogeretur novum judicium rescissorium ex integro instituere.

In hoc autem scribentes magis se involvere videntur cum consueta opinionum varietate, quoniam aliqui ad istum quoque effectum rigorose considerant, ut verum vitium litigiosi necessarium sit, quod non contrahitur nisi eo modo quo supra; Alii vero considerant limitationes, quæ pariter supra recensitæ sunt, resultantes ex litera legis, vel ex communi & recepto sensu DD. Et alii distinguunt qualitatem personarum, in quas alienatio facta sit, sive diversitatem fori, quoniam, ubi præsertim per laicum collitigantem in foro sæculari, facta esset alienatio in Clericum, vel in aliam personam ecclesiasticam diversi fori; Tunc ad remedium rescissorium ex integro volunt confugiendum esse. y

Omnia vero hæc, consuetas irrationabiles legulejcas formalitates continere videntur, ad aliud non deservientes, nisi ad calumniarum fomentum, ac litium æternationem cum inanibus circuitibus; Ideoque magis probabilis, ut omnino recipiendus videtur sensus, cum quo magis judiciose aliqui Moderni procedunt, ut omnia præmissa respective, consideratione quidem digna sint ad primum effectum supra recensitum, pœnarum scilicet, vel irritationis actus, etiam inter ipsos qui illum faciunt, sive favore alterius non collitigantis, cujus intersit actum haberi pro infecto; Secus autem ad istum effectum ordinis, vel formæ judicii, super necessitate instituendi ex integro judicium ordinarium rescissorium, quod exigat alium longum dispendiosum processum trium conformium; Id etenim ab omni humana ratione aceriam in verisimili sensu legis, cujus anima est ipsa ratio, alienum videtur.

Hinc proinde verius censendum est, ut diversitas fori, seu privilegium clericale operetur quidem, ut ad executionem procedi non valeat directe, ac immediate cum illo mandato Judicis diversi fori, quod contra principalem alienantem esset exequibile, sed quod coram Judice competente debeat, prævia citatione, ac etiam aliqua summaria cognitione, decerni executio, quæ propterea fiat cum auctoritate Judicis Ecclesiastici, ne detur inconveniens, quod Judex laicus cum Clerico jurisdictionem exerceat, adeout Judex ecclesiasticus executoris potius quam Judicis partes assumat; Non autem ut partes novas Judici ex integro gerere debeat, cum ita sufficienter possessori consultum remaneat, dum citatus, in ea summaria cognitione, suas exceptiones, vel defensiones deducere potest; Et quando videantur relevantes, proprius Judex competens abstinebit a concessione executionis, Ob eam differentiam, quæ dignoscitur inter executorem juris & executorem facti, & per consequens occasionem non habet conquerendi; Et e converso consulitur victori, ne jam defatigatus a lite substentata cum alienante, novam litem cum tertio, in quem facta est alienatio, suscipere cogatur. z

Idemque ubi agatur de casibus limitatis ex causa dotis vel transactionis, sive dationis in solutum & simili, quoniam procedendum quidem non est recta via ad executionem mandati relaxati contra priorem possessorem, qui alienationem lite pendente fecit, aut contra novum possessorem non citatum, sed est citandus, atque comparendo audiendus in suis exceptionibus, quæ esse possunt relevantes; Puta crediti, vel jurium anteriorum, adeout executio redoleret inanem circuitum, a quo esset abstinendum; Non autem ut urgere debeat necessitas novi judicii ordinarii rescissorii, cum revera ista videatur irrationabilis formalitas, cui omnis ratio & æquitas repugnant. a

Atque ad hunc affectum bene intrat consideratio, 31
quæ ab aliquibus judiciose fieri solet; Quod scilicet ubi agatur de lite in judicio possessorio, vel in alio remedio rei persecutorio, etiam ex ratione hypothecæ, tunc si non intrat verum vitium litigiosi in ipsa re, quæ dici valeat effecta litigiosa, intrabit in ipsa possessione, quæ dici valeat litigiosa. b

In eo autem casu, non improbabiliter novus possessor,
in quem alienatio facta sit, ad istum legalem rigorem con- 32
fugere poterit, ubi scilicet vigeat dispositio juris civilis, circa peremptionem instantiæ, per quam lis extincta, vel sublata remanet, quoniam tunc alienatio circa aliquod vitium facta dicitur; Ideoque si postea eadem lis instauretur tanquam per insufflationem spiritus vitæ ab eo, qui desuper potestatem habeat, tunc id poterit quidem ex legis fictione operari retrotractionem, vel continuationem, & conjunctionem extremorum, quoad effectus præjudiciales ipsi collitiganti, non autem tertio, cui interim jus valide quæsitum sit in tempore habili, cum ejus respectu extrema non sint habilia. c

Isti autem pro meo judicio videntur termini, cum quibus hæc litigiosi materia distinguenda, & regulanda videtur, negligendo, (quo magis fieri potest,) antiquas legales formalitates, quæ ad aliud, ut dictum est, non deserviunt, nisi ad confovendas calumnias, atque inanes circuitus.

Contingit item in eodem proposito mutationis perso- 33
narum quandoque casus conversus, quod scilicet pro executione facienda, executorialium, seu mandati executivi renovatio necessaria sit, eo quia mutetur persona victoris, cujus favore judicatum prodiit, atque executoriales decretæ, vel relaxatæ sunt, ut propterea, ipso defecto, ejus hæres, vel successor, executionem petat, atque ad hunc effectum citandus est victus, contra quem executio fieri debet, ut sciat, & agnoscat ejus creditorem, sive illum cui debitum solvere, vel bona restituere, aut aliud adimplementum facere debet, ut in Rubrica legitimationis personæ quoque advertitur. d

In hoc autem pluries disputata occasio dedit, an sit opus, ut priusquam executio peti valeat, præcedere debeat sententia canonizatoria tituli hæreditarii, vel successorii, necne; Variis varia de more sententibus, ut in omnibus.

Ea vero videtur vera distinctio, juxta quam pluries obtinui, quod scilicet; Aut debitor, vel victus, contra quem executio petitur, nullum jus habeat in hæreditate,

vel successione victoris, vel creditoris, adeout perseverat in eadem unica persona, vel figura debitoris, vel collitigantis victi, qui sive ab una, sive ab altera persona, quæ victorem repræsentet, executionem pati debeat; Et tunc non requiritur formale judicium, sive sententia super canonizatione status hæreditarii, vel successorii, sed sufficiat illa virtualis, & implicita hujus status, vel juris canonizatio, quam Judex faciat, decernendo mandatum, vel ejus renovationem, & executionem, cum debitor, vel victus aliud non habeat interesse, nisi circa illud illegitimationis personæ; e Et quando ipse ad effugiendam, vel differendam executionem, juxta consuetudinem Reorum succumbentium, opponat de jure tertii, quod scilicet, non ad petitorem, sed ad alterum illa successio pertineat; Tunc, licet ista dicatur exceptio juris tertii; Attamen exaudiri meretur, dum principaliter deducitur pro jure, & interesse proprio, ut scilicet solvatur legitimæ personæ, quodque alias cogi non debeat ad iteratam solutionem vero creditori postea venienti, ut quandoque praxis docet; f Verum per cautionis remedium huic oppositioni consultum est, g sive per aliud æquipollens, pro facti qualitate, non immutata natura, seu qualitate processus summarii, & executivi, super hujus renovationis concessione, cum implicita tantum canonizatione personæ, absque eo quod collitigans victus, dici valeat legitimus contradictor,

Aut vero ipsemet supervenientiam prætendit novi Juris, vel tituli, per quem victoris personam quoque inducere prætendat, unde propterea jure confusionis actionum, vel imaginariæ solutionis, dicat quod executio jam consummata sit, quodque ipsa res judicata suum effectum sortita fuerit, adeout principalis quæstio, inter ipsum, & alterum petitorem esset super hujus juris pertinentia, vel personæ repræsentatione, istaque prætensio non sit notorie chymerica, & idealis, sed aliquam probabilem habeat dubietatem; Et tunc requiritur formalis, & expressa canonizatio tituli hæreditarii, vel successorii, causa cognita in judicio ordinario, quod terminandum est per rem judicatam, vel per tres conformes, juxta terminos legitimi contradictoris; h Atque recte intrat regula, seu propositio, quod judicium universale quiescere facit particulare, illique est præjudiciale; i cum aliud esset supponere pro conclusione id, quod est in quæstione; Sive, quod esset prius exequi, & postea judicare; Ut præsertim in facti contingentia practicavi in casu, in quo patruus erat debitor in processu executivo nepotis; isto enim defuncto ab intestato, in ejus successione, ipse se potiorem esse prætendebat, in exclusionem ejusdem defuncti germanæ sororis, ex Statuto, super cujus interpretatione quæstio cadebat, cum aliqua opinionum varietate, ac loquendo de fratre, & de nepote ex fratre, suffragetur etiam patruo; l Quoniam, cum potissimum ipse, vivendo pro communi cum defuncto, hæreditatis possessorem se diceret, urgeri non poterat per sororem, tanquam prætensam hæredem in processu summario, & executivo ad solutionem debiti, dum oportebat prius firmare statum, super titulo successorio, vel hæreditario, ideoque credo quod prodierit sententia absolutoria ab observatione judicii (& merito quidem) cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

Dantur etiam casus, in quibus inter ipsosmet principales collitigantes, intret hujusmodi quæstio renovationis, vel exequatur coram eodem Judice, qui mandatum, vel executoriales concessit, quodque oppositio legitima sit, suumque operetur effectum, sive quod saltim digna sit nova formali disputatione, perinde ac si de executorialium concessione ex integro ageretur; Puta quod renovatio petatur post jam præscriptum Judicis officium, seu viam executivam, ut de jure, etiam in re judicata, vel in executorialibus, quæ ejus vigore relaxatæ sint, sequitur ob
34 præscriptionem triennalem, quæ non obstante impedimento malæ fidei, verificatur quoque in ipso principali, dum aliud est præscriptio debiti, vel juris substantiæ, aliud vero præscriptio ordinis, vel processus, ut supra in rubrica præscriptionis advertitur; m Sive quod agatur de executorialibus Rotalibus, quarum renovatio petatur post decennium, cum tunc ex stylo Tribunalis id non concedatur, nisi prævia formali disputatione dubii in negotio
35 principali, ut alibi pluries advertitur. n

Prout etiam datur frequens casus formalis disputationis meritorum negotii principalis, occasione hujusmodi exequatur, coram scilicet executore independente, non autem ex dependente, quem idem Judex deputaverit, ad solum effectum exequendi ejus vice ac no- 36
mine; Iste siquidem dicitur potius executor nudi facti, nudusque minister, vel mandatarius Judicis exequentis, unde propterea solum in eo cadit quæstio circa modum
procedendi, an scilicet servare debeat in consummatio- 37
ne executionis stylum proprium, ut una opinio credit, vel potius illum delegantis, seu mandatis, ut credit altera forte probabilior. o

Sed agatur de executore independente, qui Juris di-
citur, & cui facultas de jure competit, recognoscendi 38
justitiam, ac validitatem mandati, cujus executio petatur, si non ad effectum infirmandi, vel revocandi, cum id ad ipsum non pertineat, saltim ad effectum abstinendi, ac denegandi executionem, vel impartitionem brachii; Puta (pro frequenti Curiæ praxi,) ut creditor, obtento ab Auditore Cameræ, vel alio Judice ordinario competenti mandato executivo, illud præsentet Congregationi Baronum, ut juxta ejus facultatem illud exequatur, fideicommissis, aliisque vinculis non obstantibus, quoniam ad oppositionem ejus contra quem executio facienda est, vel alterius interessati, puta creditoris posterioris, seu illius, qui jus, vel spem habens in successione fideicommissi, vel in investitura, opponat de mandati injustitia, vel nullitate; Sive posita etiam justitia & validitate opponatur de alia exceptione relevanti, ob quam petita executio denegari debeat, assumuntur desuper formales disputationes, etiam cum frequenti oppositionis canonizatione. p

Sive ubi agatur de executione facienda in alieno territorio, a cujus Judice, vel Magistratu impartitionem brachii jurisdictionalis, vel exequatur, obtinere oporteat, cum pene communis invaluisse videatur stylus, & præsertim magnorum Tribunalium, non concedendi hujusmodi executiones, nisi prævia aliqua summa-
ria cognitione justificationis; Ut præsertim est stylus 39
Rotæ non exequendi sententias aliorum Judicum & Tribunalium, sine ista cognitione; q Idque aliis magnis præsertim Tribunalibus pene ubique invaluisse videtur. r

His omnibus itaque, vel similibus cessantibus; Atque præsupposito mandato in libero statu exequibilitatis, unde propterea aliud non supersit, nisi actus facti super executione, quæ exigat factum hominis, ut contingit in ea re judicata, quæ sequatur favore creditoris,
vel petitoris, adeout non intret illa executio, quæ se- 40
qui dicitur juris ministerio, absque alio facto hominis, ut est illa, quæ favore Rei & possessoris resultat ex sententia absolutoria; Et tunc triplex habetur species executionis, nempe; Personalis; Realis; Et spiritualis; Personalis enim sequitur per capturam personæ (agendo in civilibus,) adeout non intret illa species magis rigorosæ executionis, quæ intrat in criminalibus, per mortem, & scissuram in frusta, vel per detrusionem in triremibus, vel in carceribus, sive per fustigationem &c.
Realis per subhastationem, & deliberationem, vel adju- 41
dicationem bonorum, seu aliam eorum translationem, aut captionem; Et spiritualis per censuras, quæ in Curia sub nomine declaratoriarum explicantur; Quare de singulis hujusmodi speciebus agendo,

Quatenus pertinet ad primam, circa executionem
personalem, per carcerationem, super ejus faciendæ im- 42
pedimento, vel jam facta retractatione, cadere solent quæstiones, quæ resultant a privilegio, vel a qualitate personæ, quæ ratione ordinis, vel dignitatis, aut ratione sanguinis, vel alterius causæ reverentiæ, sive ex qualitate causæ debendi, teneri non debeat ultra quam, &c. Vel quod aliàs ab ista magis molesta & incommoda executione sit exempta, an scilicet istud privilegium intret, necne, juxta ea, quæ in clericis, & in militibus, vel in conjunctis, seu in benefactoribus, aliisque in hoc privilegiatis, habentur in materia debiti & crediti, ubi videndum est. s

Sive ubi ita exigat necessaria provisio alimentorum, 43
quam creditor debitori carcerato deneget, vel quod alias, supremi Magistratus auctoritas hunc rigorem relaxet, ut agendo de visitatione carcerum insinuatur. t

De hujus executionis etiam impedimento disputari solet, quando ita suggerat æquitas, ob quam Judicis officium intret; Licet etenim de juris stricta censura in arbitrio creditoris repositum sit, utramque execu-
tionis speciem practicare, seu etiam variare de una 44
ad alteram, vel in eadem specie reali variare de re ad rem, ut ita debitor magis tædio, vel molestius affectus,
im-

impleat id, ad quod tenetur; *u* Adhuc tamen, omnino refrænatum non est Judicis officium, ex non scripta æquitate, quam facti circumstantiæ suadeant, hunc rigorem relaxare, si ex jam facta executione reali, vel quæ commodius, ac promptius fieri potest, credituri, vel petiuti consultum sit, ita refrænando indiscretum victoris arbitrium, quod æmulationis, vel malignitatis, aut injuriæ speciem pro facti qualitate redolere videatur; Ideoque desuper certa & generalis regula statui non potest, cum ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis totum pendeat, atque arbitraria materia sit; *x* Ab aula etenim omnino recesserunt, atque per canonicam æquitatem damnati sunt illi antiqui rigores, per quos debitores creditorum servi efficiebantur; Sive adeo sub eorum potestate cadebant, ut etiam vitæ, ac necis, vel dilaniationis, alteriusque corporalis afflictionis jus competeret.

Quo vero ad alteram speciem executionis realis, illa diversimoda est juxta rei judicatæ qualitatem; Ubi etenim
45 res judicata sit mere realis, super ipsius scilicet rei vendicatione, in ratione dominii, ac pertinentiæ, non autem in sola ratione crediti quantitatis, pro istius assecutione; Et tunc ad illam rem tantum executio restricta est, illam scilicet abdicando a victo priori possessore, eamque transferendo in victorem, cui res judicata illam decernat, quando subjecta materia patiatur hujus executionis praxim; Puta quia agatur de bonis stabilibus, vel etiam de mobilibus extantibus, quæ sint sub potestate Judicis exequentis, adeout de facto nullum obstet impedimentum; Istoque casu prætendi non potest executio, in persona, vel in aliis bonis, cum desuper nulla facultas competat.

Ubi vero impedimentum præstetur, tunc locus fieri potest alteri executioni personali, quæ dicitur ad factum, ut ita scilicet tædio affectus, impedimentum illud removeat,
45 vel ab ejus præstatione abstineat; Sive per mulctam pecuniariam, quæ babeat tractum successivum singulis diebus, ac temporibus, donec idem effectus sequatur, quod sub nomine gravatoriæ ad factum, apud Practicos in Curia explicatur.

Vel per quandam speciem represaliæ, adjudicando, vel saltim dando in tenutam, unam rem pro altera; Ut puta, si ratione competentiæ fori, quæ resultat ab origine, vel a domicilio, vel ab apprehensione in Curia, sive ea alio re-
47 spectu introducta sit causa super pertinentia alicujus castri, vel prædii, quod sit extra Statum ecclesiasticum in diverso principatu, atque ea facti circumstantiis resultet, quod res judicata effectum sortiri non valeat, neque executioni demandari super illo castro, vel prædio, ob impedimenta, quæ ab illius principatus, vel ditionis Magistratibus sæcularibus præstentur; Tunc si victus in Urbe, vel in Statu ecclesiastico possideat alia bona, super istis in æquivalentia demandari solet executio, tanquam per speciem refectionis damnorum, & interesse, sive per quandam speciem mulctæ, & captionis pignorum, seu mandati ad factum, donec removeantur impedimenta, quæ provenire præsumitur ab ipso victo interessato, juxta ea, quæ supra de recursibus babentur, sive donec præstetur illud factum, quod præstandum est, restituendo eam rem illi, quem res judicata dominum declaravit. *y*

Ubi vero agatur de executione reali pro credito quantitatis, pro cujus assecutione deveniendum sit ad bonorum subbastationem, ut ea pretio dissolvatur quantitas,
48 quæ ad formam executorialium victori solvenda est; Regula generalis de stricta juris censura disponit, ut in creditoris arbitrio repositum sit, quænam bona exequi velit, nullaque sibi incumbat necessitas exequendi ea minoris valoris, quæ debito magis proportionata sint, quibus extantibus non possit fieri executio cum majori debitoris incommodo, vel detrimento in bonis magis qualificatis, & conspicuis; Sive quod teneatur prius exequi mobilia, & postea immobilia; Sibi enim imputet debitor, cur non impleat id, quod impleturus est, atque creditori danda est facultas illum molestandi, quo magis fieri potest, ut ita promptius solvat *z*; Adeout detur etiam cumulativa utriusque executionis, realis, & personalis ut supra.

Quamvis autem de stricto jure id recte procedat; Non tamen refrænatum est judicis arbitrium, vel officium ex
49 quadam non scripta æquitate, moderandi hunc rigorem, atque non permittendi executionem, & subbastationem bonorum qualificatorum, & magni valoris, ubi commode, ac prompte, cum mobilibus, vel etiam cum stabilibus minoris valoris, atque debito magis proportionatis consultum esse potest. *a*

Fortius vero ubi hoc Judicis officium, vel arbitrium interponi petatur, non per ipsum debitorem, sed per tertium, puta per alios creditores, vel interessatos, quorum ita intersit; Verum nulla desuper statui potest regula certa, & generalis cuicunque casui applicabilis, cum agatur de æquitativo arbitrio, quod ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulandum erit; Magis vero, ex regionum, vel Tribunalium stylis, qui in hoc totum facere videntur; Ut puta, est stylus Tribunalium Regni Neapolitani, non permittendi executionem, & subha- 50
stationem bonorum feudalium, ubi consultum esse possit cum allodialibus; Atque in ipsismet feudalibus, servandi eundem ordinem inter titulata, & non titulata, seu magis, vel minus conspicua; Idque commendabile potius videtur ex regula, seu axiomate, ut quod uni non nocet & alteri prodest &c. *b* Potissime vero, ubi id respiciat interesse, vel indemnitatem tertii, qui dici non valeat culposus, & commiseratione parum dignus, sicuti dicendus est principalis debitor morosus.

Hinc proinde non videtur commendabilis rigorosa in- 51
terpretatio, quæ in præjudicium successoris independentis a debitore ex fideicommisso, vel investitura, per Congregationem Baronum, data fuit Bullæ Clementinæ, quæ parites Baronum dicitur; Ut scilicet sit in arbitrio creditorum, exequi, & subhastari facere bona fideicommissaria, vel alia, quæ revera non sint de libero patrimonio, vel hæreditate debitoris, etiam jurisdictionalia, & conspicua, quamvis adsint bona libera, quæ ad præscriptum ejusdem Bullæ assignari debent fideicommisso pro ejus reintegratione; *c* Nulla etenim congrua ratio istum circuitum suadere videtur, quoties facti circumstantiæ non suadeant etiam æquitatis assistentiam favore creditorum, quoniam in concursu æquitatis hinc inde, tunc sequenda potius est 52
illa, quæ stat pro creditoribus foventibus causam onerosam, juxta illas considerationes, quæ habentur in materia ejusdem Bullæ ad illam salvandam, ab exorbitantia; *d* Sed ubi creditorum nil intersit, atque possit eis esse æque bene consultum per executionem bonorum liberorum, tunc dicta rigorosa interpretatio nullatenus admittenda videtur.

Hinc proinde ista materia judicanda est ex illis, in quibus erroneum est procedere cum solis generalitatibus, atque conclusiones vel doctrinas in sola litera intelligere, illas indefinite cuicunque casui applicando, cum verius totum pendere debeat ex singulorum casuum circumstantiis, ex quibus regulandum est Judicis arbitrium, quod tamen admistam habeat legalem prudentiam, ac etiam integritatem, vere gerendo partes boni viri, quas ipse gerere tenetur, non autem ad complacentiam.

Atque ita dicenda videtur illa quæstio apud Modernos excitata, antiquioribus ignota, an scilicet creditor anterior privilegiatus, qui ejus jura experiri potest in bonis dif- 53
ferentibus, ad quæ alii jus non competat, teneri debeat illa experiri, atque relinquere bona libera, & indifferentia, ad commodum posteriorum, ut ita omnibus consultum remaneat, ex eadem regula seu axiomate, ut quod tibi non nocet, & alteri prodest &c. Quamvis enim de stricto jure verior sit opinio, quam sequitur Curia, ut creditor anterior privilegiatus ad id non sit cogendus, sed pro ejus arbitrio bona libera exequi, & subhastare possit, ex regula, quod quando quis exercet suum jus principaliter, ut sibi prosit, curandum non est accessorium, vel consecutivum præjudicium, quod alteri resultet; Ad instar ædificantis in suo, qui præjudicet luminibus, vel aeris amænitati, seu aspectui, vel prospectui vicini, cum similibus; *e* Adhuc tamen ex eadem ratione, ob quam in ipsismet bonis liberis debitoris lex aliquando permittit refrænationem liberi arbitrii creditoris, videtur idem in præsenti dicendum, Ponderando an adsit aliqua probabilis ratio, ob quam ille creditor privilegiatus nolit uti privilegio; Vel potius e converso, nulla subsit ratio, adeo ut id redoleat quandam speciem æmulationis, vel malignitatis; Ut puta (ex. gr.) Mulier pro dotis restitutione, ejus jura commode experiri potest in bonis fideicommissariis, atque ita consultum remaneret creditoribus posterioribus viri in bonis liberis (quod tamen eas patitur difficultates, quæ in dotali materia insinuatæ sunt pro subintratione fideicommissi in ejus juribus pro reintegratione); *f* Et tunc, si fideicommissum pertineat ad ejusdem viri debitoris, ipsiusque mulieris communes filios; recte ipsa dicere poterit, nolle suum jus, vel privilegium exercere in bonis fideicommissariis, ut relinquat bona libera creditoribus posterioribus, quoniam ita esset eam cogere ad damnifi-

mnificandum proprios filios, ut notam gereret extraneis creditoribus, cum similibus, quibus eadem ratio adaptetur; Sed si fideicommissum transitum facere debet ad remotos, vel ad extraneos; E converso autem creditores sint tales, ut erga eos, etiam ipsamet mulier aliquam, saltem congruentiæ, & honestatis obligationem habeat, quia nempe sit creditores ex causa sustentationis domus, ac victus, & vestitus, vel alia simili, sive ex causa liberationis viri ab incommodis, vel calamitatibus, adeout, licet ipsa pro talibus debitis obligata non sit de rigore juris, obligata tamen videatur ex quadam ratione honestatis, & congruentiæ; Et tunc saltem hæc obligatio considerabilis videtur, ad hujus arbitrii moderationem; Multo vero magis, quando naturaliter, ac de facto, accederet etiam ejusdem mulieris obligatio, adeout creditores ejus fidem quoque secuti essent, ipsa vero obligatio inefficax remaneret ex legalibus rigoribus, vel superstitionibus, ob non servatas solemnitates statutarias, vel quia indotata remaneret, sive ex insufficientia causæ, &c. quoniam id saltem hunc effectum operari debebit, cum similibus.

54 Ad impediendum item executionem, quæ pro creditoris arbitrio consummanda sit per subhastationem, & sic dum res adhuc est in fieri, oblatio per debitorem; vel ejus hæredem sive per creditores posteriores pro eorum indemnitate fieri solet, assignationis, vel dationis in solutum tot bonorum, unde propterea cadit quæstio, an creditor hanc oblationem recipere teneatur; Atque pariter non potest desuper certa statui regula generalis, cum regionum, vel Tribunalium stylis, qui diversi sunt, deferendum veniat; In hoc autem rigorosas est Curia contra debitores, benigna vero erga creditores, ut ad id cogi non debeant, nisi multa verificentur requisita, quæ in aliquibus Rotæ decisionibus recensita sunt, eaque nimium difficile, ac rarum est ad praxim deducere; Adhuc tamen dicendum est id, quod supra, ut scilicet id pendeat ex Judicis prudenti, beneque regulato arbitrio, ex facti circumstantiis metiendo. g

55 Item quamvis in puncto juris vera sit superius insinuata regula, quod creditor anterior, qui bona debitoris jure pignoris possideat, vel detineat, impedire non possit, quin posteriores, illa exequi, ac subhastare valeant, ad effectum, ut ex pretio, juxta eorum ordinem eis satisfiat, Adhuc tamen eidem arbitrio locus esse debet, quoties ex bonorum qualitate incontinenti constet, quod iste sit circuitus inanis productivus expensarum executionis, & subhastationis, absque ipsorum creditorum utilitate, quia nempe nihil verisimiliter pro eis supersit, ex quo creditum anterius totum valorem absorbeat; Ideoque praxis est, quod demandari solet, ut bona, quæ possidentur per anteriorem, ponantur sub hasta, quatenus oblationes excedant &c. h

56 Aliud quoque impedimentum idem debitor executioni præstat per susceptionem termini triginta dierum, qui de stylo Tribunalis Auditoris Cameræ cuilibet petenti conceditur, ad solutionem faciendam, vel ad aliud implementum præstandum, cum per hanc termini susceptionem se debitorem fateri dicatur, atque cuicunque exceptioni renunciare; i Sed quia debitores, contra quos mandata decreta sint, adire solent Signaturæ Justitiæ Præfectum, atque supersessorias obtinere, ut adeant plenam Signaturam, ita obtinendo hanc dilationem sub spe, ut in casu rejectionis consequi quoque liceat ad aliam dicti termini: Idcirco laudabilis inolevit stylus decernendi, ut supersessoria computetur in termino, ejusque loco cedat.

57 Respicitur hæc, & similia executionis ingressum, vel progressum, ne ad illius consummationem procedatur; Quatenus vero, his cessantibus, ad consummationem, cum subhastatione, ac deliberatione deveniatur; Tunc plures desuper cadere solent quæstiones, super ejusdem subhastationis, vel deliberationis forma servanda, & per consequens, ob eam non servatam, super invaliditate, vel rescissione, aliave retractatione; Et præsertim priusquam deveniatur ad actum subhastationis, an præcedere debeat bonorum, quæ ponenda sunt sub hasta, executio, quæ sit de forma, adeout alias subhastatio invalida sit, ut scilicet prius bona efficiantur pignus prætorium; Atque in hoc, licet pro generali consuetudine scribentium, non desit opinionum diversitas; Attamen ea videtur probabilis, magisque recepta distinctio, an bona, de quibus agitur, dici valeant jam effecta pignus ad favorem ejus, qui subhastationem petat, quia nempe sint eidem hypothecata, & tunc iste actus executionis non sit præcise necessarius, cum ita jam adesse dicatur qualitas pignoris; Secus autem si istud pignus conventionale non adsit, cum tunc requiratur alterum prætorium.

Bene verum quod certa & generalis regula desuper sta- 58
tui non potest, cum in hac materia subhastationis, ac deliberationis, tam respectu istius requisiti, quam aliorum, de quibus infra, totum facere videantur Tribunalium stylis qui non solum ob diversitatem principatuum varii sunt, sed etiam inter plura Tribunalia ejusdem principatus, imo ejusdem Civitatis; Ut in Curia præsertim edocemur; quod alia est praxis Auditoris Cameræ; Et alia Rotæ; Et altera Vicarii; Magis vero diversa ab omnibus, est illa fori Capitolini.

Ab aliquo vero moderno tempore, inolevit praxis (for- 59
san originata a Congregatione Baronum); ut iste actus executionis sequi dicatur ex verbo Judicis, qui mandet stari sub executione; Idque præsertim congruit juribus incorporalibus, in quibus non est verificabilis actus facti positivi executoris; Puta quando agatur de censibus, vel de locis montium, aut de nominibus debitorum, aliisque similibus juribus; Et neque incongruit bonis stabilibus; Vel etiam illis mobilibus, quorum qualitas non permittat actualem asportationem ad depositariam, idest ad illum locum, in quo fiunt subhastationes.

Decretum vero de subhastando, prævia citatione Par- 60
tis, ejusque subsecuta intimatione, necessarium merito dicendum est; m Ea ea congrua ratione, ut ita debitor sciat se passurum esse subhastationem suorum bonorum, ad effectum, ut rebus suis consulat, magisque sit sollicitus illam evitare, cum solutione, vel cum alio implemento, ad quod tenetur; Sive quia multa deducere potest ad illam impediendam, vel saltem modificandam, seu qualificandam, ex supra deductis.

Super requisito æstimationis, consueta opinionum di- 61
versitas habetur; Aliis eam desiderantibus; Aliis vero non; Ideoque deferendum est illius Tribunalis stylo, qui in Curia est varius, quoniam in foro Capitolino est in usu, non autem in Tribunali A. C. n; Illam tamen habet in usu Congregatio Baronum. o

Eam vero in puncto juris videri probabiliorem distinctionem, cum quis in omni Tribunali, etiam illo Auditoris Cameræ procedi debeat, pluries in facti contingentia dicere consuevi, quod scilicet; Aut loquimur de illa solemni, ac formali æstimatione facienda a peritis ab utraque parte eligendis, & cum aliis actis ordinatoriis, quæ sequi solent in iis, quæ pendent a judicio peritorum; Et tunc, ista species æstimationis, non solum reputari non debeat necessaria, sed potius abhorreri, atque expresse damnari, cum ita esset consovere calumnias, atque executiones in longissimum protrahere, ut praxis quotidiana docet in hujusmodi peritorum relationibus ac judiciis, ut in eorum particulari Rubrica advertitur; p Aut vero de illa æstimatione summaria, quæ sufficiat ad informandum Judicem, ejusque animum instruendum, ut ita sciat circumcirca, quæ illius rei valor importare valeat; Quoties qualitas bonorum, vel jurium non sit talis, ut pretium civile, quasi notorium habeat; Et tunc adhærendum sit opinioni eam desideranti, ut ita Judex sciat; an major, seu melior oblatio sit talis, quod acceptari mereatur.

Cum etenim in jure statutum habeamus, ac etiam 62
pene ubique in praxi receptum, quod non reperto justo oblatore, bona executa adjudicari debent ipsi creditori, prævia æstimatione, quæ ad hunc effectum adjudicationis necessaria reputatur, p 2. Practicari tamen solet deductio alicujus quotæ puta sextæ, vel tertiæ &c. juxta varios Tribunalium stylos, quibus in hoc est deferendum; Utique præsupponenda est in Judice, quando sit subhastatio, scientia justi valoris ad effectum dignoscendi, an reperiatur necne justus oblator, vel potius ad adjudicationem procedere debeat.

Et quamvis aliqui credant, quod huic inconvenienti 63
consultum remaneat cum publicis incantibus, vel edictis, sub bannimentis, quasi quod its publicus forus æstimationem faciat, dum præsumendum est, quod unus non patiatur, ut alter oblator pro vili pretio, cum magno lucro illam rem obtineat, ideoque infra limites justi valoris, unus oblator alterum superare studeat, atque multoties ob æmulationes, quæ in eo subhastationis calore oriuntur, sequi solent oblationes ipsum valorem excedentes; Unde propterea antiquæ leges, & cum earum sensu antiqui Interpretes, in venditione bonorum illarum personarum, quæ sub legali administratione vivunt; Puta, Ecclesiæ, vel Communitatis, aut pupilli &c. vel fisci, istam subhastatio-

stationis formam desiderant, quod tamen ab aula recessisse videtur, *q*

64 Fortius vero ob aliud requisitum, quod a plerisque necessarium reputatur, trium oblationum, sine quarum interventu, subbastationem non perfici pletique opinantur; Alii vero e converso, credunt eas requiri ad bene esse, non autem quod praecise necessariæ sint ad actus perfectionem, ac validitatem. *r*

Attamen omnia hæc, & similia redolere videntur consuetas formalitates, seu leguleicas simplicitates; Tum quia istud requisitum trium oblationum, nimium de facili est elidibile, ut quotidiana praxis docet, quod scilicet ille idem, qui pro vili pretio bona licitari decrevit, supponit alios duos oblatores ejus famulos, vel benevolos, qui infimas, ac tenuissimas faciant oblationes, quarum comparatione, sua sit major, longeque excessiva, quamvis in substantia sit nimium vilis & injusta; Tum etiam, quia hæc hasta publica, ad quasdam formalitates redacta videtur, quod scilicet reveta, quando non agatur de bonis valde conspicuis, quorum qualitas speciem notorietatis inducat, id innotescere non solet, nisi illis, qui ex industria, in depositaria, vel in alio loco consueto, versari solent, tanquam piscatores, seu venatores, aliena bona pro vili pretio captantes.

Ac etiam quia ob timorem non habendi bonas cautelas evictionis in bonis illius, qui diffamatus de non idoneitate supponitur, eo ipso quod ad hunc actum deveniri petitur, hine non de facili inveniuntur emptores pro justo pretio; Sive quia (ut nimium frequens praxis docet etiam in Urbe, in qua ob nimiam vigilantiam Pontificis, ejusque Magistratuum non datur potentialis concussio, multo igitur magis, ubi ea sit in usu) ubi quis alicujus potentiæ, vel existimationis, pro vilissimo pretio illa bona acquirere velit, atque desuper compateat, nemo audet se opponere, majoresve facere oblationes; Idque præsertim frequentius practicare solent, vel iidem creditores, ad quorum instantiam fiat subhastatio, vel iidem debitores, ac domini bonorum, quæ subhastantur; Sive illi, qui sint debitores census, vel alterius nominis subhastati, ut ita pro modica summa liberationem a debito reportent.

65 Hinc irrisione digni videntur illi Auctores, qui insipidorum collectorum, vel transcriptorum nomine potius, quam illo Doctorum digni sunt, dum cum ista simplicitate procedentes affirmant, quod venditio sub basta, ratione publicitatis, ac multiplicitatis oblatorum, saltem trium, probet justum valorem, cum revera id prorsus erroneum sit ex præmissis rationibus. *f*

66 Prout etiam commendabilis videtur stylus aliquorum Tribunalium, & præsertim illorum Regni Neapolitani, non regulandi istas venditiones, cum ea læsione, quæ datur in venditione conventionali, quæ fiat inter majores, qui liberam suorum bonorum administrationem habeant, inter quos de jure licita est circumventio intra dimidiam justi pretii, sed quod sufficere debeat læsio ultra sextam; Ac propterea aliquam admirationem mihi semper intulit, stylus Rotæ, & Curiæ Romanæ, ut istam speciem venditionis judicialis regulet cum dictis terminis venditionis conventionalis; Adeout quodam docto Auditore in una decisione id motivante, cum ea forte intentione, ut paulatim id introduceretur, *t* expresse in aliis id reprobatum fuerit, *u* Incertum tamen est, quo spiritu id sequatur, cum nimiam probabilitatem hæc differentia redoleat; Ex ea ratione quod quando bona alicujus ponuntur sub hasta, tunc poni dicuntur sub legali administratione Judicis, qui propterea assumere debet partes boni viri, ac diligentis patrisfamilias, bonique administratoris, cui non competit illa licentia faciendi implicitam donationem, quam facere potest, ac videtur ille, qui voluntarie pro viliori pretio distrahit ejus bona, quorum liberam habet administrationem, ideoque longa differentia dignoscitur, inter unam, & alteram speciem venditionis.

67 Atque si Judex vendere dicitur vice, ac nomine debitoris, cujus mandatarii, vel administratoris partes gerit, unde propterea volitat per ora Practicorum in hoc proposito illud dictum, quod factum Judicis reputatur factum Partis, quam ipsemet Judex, vel ejus vice, juxta varios stylos, cursor, vel præco, seu tubicina, qui venditionem facit, obligat ad evictionem favore licitatoris; *x* Hinc sequitur, quod iste mandatarius, vel administrator bonam fidem servare debet, vendendo pro justo pretio, quatenus emptores reperiantur, sin minus adjudicando ipsimet creditori; Et per consequens duo exinde resultant; Primo nempe, ut Judex informatus esse debeat de vero, & justo valore, cum sine ista informatione has partes bene explicare non valeat; Et secundo, quod ipse non habeat dictam licentiam remittendi, seu condonandi, ut habet dominus in voluntaria distractione; Ideoque sicuti dicta minor læsio sufficit in illis venditionibus, quæ fiant per dictos alios legales administratores, ita nulla videtur subesse ratio, cur idem in isto casu dicendum non sit.

68 Illud quoque requisitum necessarium reputetur, ut subhastatio, præsente, & numerata pecunia fieri debeat, non autem habita fide de pretio, etiam in parte quamvis modica, cujus defectus de stricta juris censura vitiat actum in totum; *y* Id autem intelligendum veniat ad limites rationis, cui istud requisitum innixum est, ne scilicet debitor, qui subhastationem patitur, utique damno, vel periculo adhuc subjectus remaneat, amittendi bona ob insufficientiam licitatoris, & non obtinendi liberationem a debitis pro quibus subhastatio fiat; Unde propterea, si hæc oblatio, pecunia credita acceptetur a creditoribus, qui licitatoris fidem sequi velint, eumque in debitorem habere, ita liberando debitorem, qui subhastationem patitur, tunc nil id prohibet; Sive quando talis accedat cautela pretii oblati, ut pecuniæ numeratæ æquipolleat, puta cum cedula idonei campsoria, juxta ea quæ habentur in materia Bullæ Baronum, *z* cum vis non consistat in formalitate præcisa, sed in effectu prædicto ideoque admittitur æquipollens; Quinimo etiam cum ordine directo banco, si tunc ibi adsit pecunia prompte solvibilis. *z a.*

69 Majori vero oblatori deliberatio facienda est, atque in eo subhastatio perfici dicitur, adeout si, neglecta majori oblatione, deliberatio fiat illi, qui minorem fecerit, actus dicitur invalidus; *a* Quoties tamen major oblatio non contineat tales conditiones, vel alias habeat circumstantias, ex quibus rejici mereatur, adeout licet apparenter, & in quantitate numerica videatur major, attamen spectato effectu, vel rei substantia deterior potius censenda sit, unde per Judicem rejiciatur, cum tunc penultima remaneat ultima; Ut præsertim contingere solet, quando oblatio pretii non sit in pecunia numerata, sed cum modo incerto, vel minus tuto solutionis, aut ad effectum retinendi, seu excomputandi cum se ipso, & quod alias juxta stylum Tribunalis, aut juxta Constitutiones Tribunalium reformatorias recipi non debeat; *b* Super hoc autem certa regula generalis statui non potest, cum totum pendeat a singulorum casuum particularibus circumstantiis.

70 Illud item requisitum in hac materia præbere solet ansam disputandi, super hujus subhastationis, ac deliberationis validitate, quod scilicet non adsit excessus, qui in hac materia etiam modicus, de jure vitiat totam executionem jam consummatam; *c* Ubi præsertim agatur de subhastatione bonorum stabilium, adeout non agatur de materia dividua, & quantitativa, in qua exerceri valeat illud commendabile arbitrium, quod ab aliquo moderno tempore Signatura adhibere consuevit, ut supra in Rubrica appellationis, ac alibi insinuatum est.

71 Dupliciter autem excessus cadere solet; Vel scilicet in mandato, cujus vigore fiat executio; Vel in ipsa executione ejusque modo; In mandato scilicet, quia sit ultra summam debitam; Quoties tamen excessus sit clarus, de quo constet ex eisdem actis, secus autem si sit illiquidus, & incertus, sive altioris indaginis; *d* Fortius vero ubi deducatur ex novis, quæ in hoc proposito non attenduntur, ut supra in Rubrica sententiæ justificandæ ex actis advertitur. *e*

72 Adeo enim nova non attenduntur, quod si ex eisdem subhastatio valida, & justa censenda sit, ex novis autem injusta detegatur, quia nempe doceatur de satisfactione, vel incompetentia crediti, pro quo executio facta est, non exinde sequitur retractatio actus in ipsa re, in præjudicium tertii deliberatarii, sed actio remanet ei, qui subhastationem passus est, contra creditorem, qui pro indebito eam fieri curavit, ad repetitionem pretii accepti, ac etiam pro facti qualitate, ad damna, & interesse; *f*

Bene verum, quod venit etiam retractatio actus, atque ipsius rei subhastatæ restitutio, saltem in ratione damnorum, & interesse, quando sit in ejus facultate, quia nempe ipsemet creditor tanquam tertius oblator, fuerit deliberatarius. Vel quod a tertio deliberatario res deliberata sibi cessa fuerit, adeout non intret illa æquitas, vel ratio,

quæ

quæ assistit tertio, ne a fide hastæ publicæ elusus remaneat, atque in hoc differt ipse creditor a tertio, quamvis idem tanquam tertius licitari possit. *g*

In executione autem, non attenditur ille excessus, qui fiat ex parte executoris, quoties non adsit in mandato, *h* cum in hoc proposito attendatur factum Judicis & Partis, non autem illud executoris nudi facti; Ac propterea consideratur excessus in consummatione, quæ excessive, ac indebite fiat, in bonis materialiter divisis, seu alias de sui natura dividuis, ultra id quod sit debito proportionatum, Ut puta; Pro credito scutorum mille fit executio super pluribus prædiis inter se distinctis, & separatis, adeout non adsit illa materialis, vel intellectualis connexio, quæ unicitatem inducat per veritatem naturalem, vel per fictionem legalem; Constet autem, quod habita proportione pretii oblati, illud unius tantum prædii adæquat, ac superat debitum; Tunc enim excessiva dicitur executio, ac subhastatio aliorum; *i* Quod pariter in locis montium, vel in censibus, aut in nominibus debitorum, facilius procedit, cum sint bona, vel jura de sui natura dividua.

Secus autem si agatur de unica re, vel de unico prædio, quod sit longe majoris valoris, quoniam (ut supra agendo de executione advertitur) non tenetur creditor servare illum ordinem, quem lex in tutore, vel prælato, sive in hærede gravato, aut in alio legali administratore præscripsit, sed eligere potest aliquam rem ex ejus arbitrio, quamvis longe majoris valoris, cum sufficiat ad validitatem actus, ut non adsit excessus in mandato, quodque summa in eo contenta deliberetur creditori, reliquum vero deponatur in sacra æde, vel in alio loco destinato, seu consueto depositorum judicialium ad commodum debitoris, qui subhastationem passus est; *l* Licet enim ex quadam non scripta æquitate, iste rigor moderationem recipiat a Judicis officio, vel arbitrio, ut supra; Attamen, id causare potest impedimentum executionis faciendæ, vel consummandæ; non autem annullationem, vel retractationem jam consummatæ.

74 Leges item, vel conditiones, quæ a Judice præscriptæ sint in mandato executivo, sive in decreto de subhastando, vel in altero de deliberando, servari debent pro forma, qua non servata actus corruit, *m* Ut præsertim (pro frequentiori praxi) contingere solet in deposito, vel in modo servandi pretium cum debitis, & consuetis cautelis, quibus mediantibus, consultum remaneat aliis creditoribus anterioribus, vel potioribus, seu aliis jus habentibus.

75 Quamvis enim apud nostros majores, sub dubio fuerit, an creditores quantitatis, ad quorum instantiam executiones, ac subhastationes fiant bonorum debitoris, teneantur recipere pecunias cum vinculis, quæ per Judicem ex officio, vel licitatores, pro eorum cautela, & indemnitate adjiciantur, super cautione scilicet ab eis præstanda, de restituendo primario emptori in casu evictionis, & molestiarum, & secundario anterioribus, vel potioribus, & de contribuendo cum aliquibus, & ad omne mandatum &c.

Dubitationi ansam præbente regula, quod creditor, qui pecuniam liberam dedit, liberam quoque recipere debet, ideoque non tenetur eam recipere vinculatam; Attamen, ut in sua materia crediti, & debiti advertitur, *n* id recte procedit in ea solutione, quæ facienda sit a principali debitore, vel a tertio, ex beneficio juris offerendis, non autem in hac specie pecuniæ obventæ ex alienatione pignoris prætorii; Ex ea ratione, quod licet Jus commune non cognoverit hujusmodi cautiones, recte tamen cognovit, ac providit, ut creditor teneatur se probare omnibus anteriorem; Cumque id videatur impossibilis justificationis, vel saltem nimium difficilis; Hinc merito prodiit ista cautela, vel praxis, quæ evitari non potest pro creditoribus, qui hanc viam eligant; Sibi remanente actione, vel regressu contra ipsum debitorem, ad quanti interest, pecuniam non esse liberam, ut latius in dicta sua sede crediti, & debiti, ac in altera bulla Baronum habetur. *o*

76 Eisdem enim creditoribus expedit, hujusmodi praxim introductam esse, ut facilius, ac promptius inveniantur emptores, qui alias non invenirentur, ob deficientem cautelam evictionis, quam de jure præstare non tenentur creditores, ad quorum instantiam venditio fiat; *p*

77 Vel si invenirentur, id tenderet in notabilem diminutionem patrimonii debitoris, cum eorum præjudicio, dum iste defectus cautelæ evictionis, notabilem diminutionem pretii producit in compensationem periculi, cui licitator se exponit, *q* Quoties per legem particularem; (Ut est in Curia Bulla Baronum,) vel per leges pariter particulares, aut stylos Tribunalium (ut est in aliquibus partibus Hispaniæ & in aliis;) Aut per specialem provisionem Principis (ut quandoque in Curia contingit ob chirographa pontificia,) emptor non reddatur tutus cum liberatione ipsius rei ab omnibus vinculis, quæ transferantur in 78
pretium, dum ista circumstantia non accedente, hasta publica non eximit bona ab hypothecis anterioribus, aliisque vinculis. *r*

Et nihilominus, ubi etiam dicta exemptio accedat, adhuc eadem praxis servanda est, ut nos docet in Curia dicta observantia Congregationis Baronum, ac etiam quando accedant dicta chyrographa; Tum ob indemnitatem aliorum creditorum, vel jus habentium, qui tunc incerti sint, magis vero si sint certi, & se opponant, sed in liberatione pretii non audiantur, puta quia eorum credita, vel gradus sufficientem liquidationem adhuc non habeant; Tum etiam ob indemnitatem ejusdem emptoris, ob plures casus, qui contingere possunt, quo dicta exemptio eis non suffragetur; Vel scilicet ex vitio subreptionis, vel obreptionis, aut defectus intentionis, aut non bene servatæ formæ gratiæ specialis, vel legis, quæ hanc exemptionem concedat; Aut ex eo quod molestias, vel evictionem pati valeat ab iis, qui veniant jure dominii diverso ab illo debitoris, & ordinatoris fideicommissi, dum tali respectu ea exemptio præferom, quæ provenit a Bulla Baronum, non suffragatur, ut in ejus sede advertitur; *f* Ideoque ista est bona cautela ad tollendos illos prætextus, sub quibus hujusmodi licitatores pro vilissimo pretio bona subhastata licitari studebant, impune a rescissione, vel annullatione actus ex capite læsionis, dum ita dicere possent emisse incertam aleam, in qua propterea nimium difficile est læsionem convincere, ut in proposito sponsionum, sive emptionis jurium ad vitam, aut bonorum & locorum montium vinculatorum in suis respective sedibus habetur; *t* Ita enim sublatus est iste prætextus, dum remanet consultum cum cautione idonea, qua non præstita, tam in Curia, quam alibi prudenter moderno tempore adinventum est aliud remedium investiendi pecuniam in loca montium, vel in alia jura cum Principe, vel cum Republica, cum hoc vinculo, ut stent loco cautionis.

Adhuc tamen, non est medicina omnino sufficiens pro totali curatione hujus morbi, eaque non obstante, non improbabiliter aliqua justi pretii diminutio sequi solet; Idque considerandum est in proposito regulandi læsionem, quoniam per istam cautelam consultum est assecurationi pretii soluti tantum, pro cujus restitutione præstatur cautio, non autem super aliis quæ veniunt sub evictione, nempe totum id quod interest; Et præsertim ob augmentum intrinsecum, quod medio tempore sequatur; Magis vero ob melioramenta, quæ fiant, dum non reficiuntur a tertio vendicante, qui non tenetur nisi ad id, in quo res de tempore suæ vendicationis meliorata sit, ad tollendum lucrum de alieno, non autem ad quantum sit impensum, ideoque adhuc subest ratio deficientis cautelæ evictionis, quæ aliquam inducit diminutionem pretii regulanda pro Judicis arbitrio, ex singulorum casuum circumstantiis; Unde propterea evidens videtur error illorum, qui regulas generales ac uniformes in certa quota desuper tradunt, cum non omnium rerum, vel casuum eadem sit conditio, idemque periculum.

Super persona item licitatoris, a Doctoribus disputari 79
solet, ut scilicet esse debeat tertius, non autem ipsemet creditor, ad cujus instantiam subhastatio fiat, quasi quod lex id prohibeat, Verum improbabilis est hæc dubitatio, probabilius autem in praxi receptum est, ut ipse creditor non prohibeatur, publice, palam, ac bona fide licitari tanquam quilibet tertius, cum ejus conditio non debeat esse deterior illa cujuscumque extranei. *u*

Idque adeo verum, ut etiam illud beneficium, quod lex concedit hujusmodi licitatoribus ad hastam publicam, ne subjaceant juri offerendi, quod alias competit, ipsi debitori, vel secundis creditoribus; Quoties nullitas subhastationis istud beneficium cessare non faciat; Sive illud non tollat alterum beneficium restitutionis in integrum, quod ex capite minoris ætatis, vel ex alio privilegio, seu justa causa concedatur, competat quoque eidem creditori ita licitanti. *x*

Et

Et quamvis, etiam apud Modernos distinctio sit, an sincero & publice per se ipsum hunc licitationis actum faciat, vel potius sub nomine alterius, qui deinde ipsum creditorem nominet, vel ei sua jura cedat; Attamen, ut alibi advertitur, y id probabile fundamentum habere non videtur; Tunc enim, sub nomine, vel imagine alterius, actus fieri non potest, quando neque per se ipsum fieri valet, ne fraus fiat prohibitioni legis, quodque indirecte sequetur id, quod est directe prohibitum; Secus autem ubi hæc prohibitio cessat, quam lex induxit, eo retento præsupposito quod ageretur de venditione pignoris conventionalis, quæ in vim sibi attributæ facultatis, directe, ac immediate facienda est, per ipsummet creditorem, qui mandatarii, vel administratoris partes, ita gerere dicitur, ideoque justum non est, ut faciat illas emptoria, sive mediate, sive immediate; Secus autem, ubi agatur de venditione pignoris prætorii, in qua creditor nullam habet administrationem, sed illa est Judicis.

81 Perfecta itaque subhastatione, servatisque iis, quæ de jure, vel de stylo Tribunalis, aut ad formam decreti Judicis servari debent; Non per hoc locus est deliberationi ad favorem majoris oblatoris, ut illico sortiatur effectum; Sed tam de recepto Curiæ stylo, quam etiam ex Statuto, fit decretum cum termino unius mensis, infra quem debitor solvendo debitum vel præstando implementum eam impedire potest; z Cadente quæstione an novæ oblationes post istum terminum elapsum recipi valeant, vel debeant absque novo decreto, prævia nova citatione, atque verior videtur negativa, cum durante termino recipi valeant,

82 licet in his, ac similibus non de facili certa regula statui valeat, cum totum pendeat ex stylis, qui varii sunt, & quandoque etiam in eodem Tribunali mutantur; Verius autem videtur, quod non ad formalitates, sed ad rei substantiam reflecti debeat, an scilicet novæ oblationes damnum & præjudicium contineant, tam debitoris, quam creditoris, vel e converso eis prosint, ideoque patrimonii debitoris, & consequenter etiam creditorum utilitatem concernant; Ideoque iste finis, vel effectus principaliter attendendus est.

83 Quatenus autem justus oblator non reperiatur, tunc locus sit adjudicationi eidem creditori; Atque ad hunc effectum receptum est, ut præcedere debeat æstimatio, sine qua Judex nescire potest pro qua summa eam facere debeat, nisi agatur de bonis habentibus pretium certum, quod civile dicitur; Ea tamen facta deductione, quæ de Tribunalium stylo recepta sit, dum alicubi deducitur sexta, & alibi tertia, vel alia quota. *b*

84 Istam vero deductionem faciendam esse, in facti contingentia dicebam, quando agatur de illis bonis, quæ pretium vere naturale habeant, ideoque non obstante æstimatione, adhuc incertum sit; Secus autem de iis bonis, vel juribus, quæ habeant pretium civile vel quasi, cum tunc non intret illa ratio, quæ in dicta alia bonorum specie cadit.

85 Non sufficit autem decretum, vel mandatum de adjudicando, nisi accedat etiam ipsa adjudicatio, seu executio, ob quam abdicatur ab uno dominium bonorum, illudque transfertur in alterum.

86 Prout etiam in adjudicatione procedunt eadem, quæ supra de excessu dicta sunt, ut excessiva annulletur in totum. *c*

87 Practicatur autem istud remedium subsidiarium, post scilicet adhibitam alteram viam subhastationum, in quibus justus oblator repertus non sit, alias enim invalida reputetur; *d* Nisi facti circumstantiæ aliter suadeant, quod scilicet in concursu universali alicujus patrimonii decocti, universitas creditorum, ad evitandos sumptus, qui in subhastationibus fiunt, magis vero ad evitanda præjudicia, quæ ex illis resultant, ut supra (quod scilicet bona civili pretio vendi solent) magis expediens reputaret, ea assignare ipsismet creditoribus, atque inter ipsos, pro eorum ratis, ut vulgo dicitur, bona repartire, ut pluries practicatum vidi.

88 Postquam vero, unus, vel alter deliberationis vel adjudicationis actus jam consummatus est, atque effectum sortitus, adeout bona de facto abdicata sint a debitore, qui erat eorum possessor, & translata in deliberatarium, vel adjudicatarium; Prior autem possessor prætendat actus nullitatem, vel rescissionem, ob non bene servatam formam, sive ratione læsionis, aut ex capite restitutionis in integrum, &c. Et tunc quæstiones cadere solent, super ordine judicii, seu competentia actionis, an scilicet cum ordinario remedio in judicio rescissorio procedendum sit, appellabili, ac terminando per rem judicatam, vel per tres conformes; Vel potius competere valeat etiam summarium, ac extraordinarium remedium possessorium, reintegrandæ, vel retinendæ; Id autem pendeat a qualitate nullitatis, vel injustitiæ, an scilicet, sit clara, & notoria, vel potius turbida & altioris indaginis, dum primo casu extraordinarium ac summarium remedium competit; In altero autem secus, sed procedendum est in judicio ordinario; Interim vero extraordinarium remedium possessorium manutentionis, deliberatario, vel adjudicatario, sive ab eo causam habenti competit, ob præsumptionem, quæ assistit justitiæ, ac validitati actus, ob auctoritatem Judicis, donec de contrario doceatur.

Ex eadem distinctione manat decisio alterius quæstionis, super fructibus bonorum subhastatorum, vel adjudicatorum medio tempore, in qua deliberatarius, vel adjudicatarius fuerit pacificus possessor; an scilicet, secuta retractatione actus, respectu ipsorum bonorum, veniat quoque fructuum restitutio, vel potius possessor interim suos fecerit; Siquidem regula assistit possessori, nisi dolus a lege præsumptus, qui resultat ab enormissima, & excessiva læsione; Sive clara & notoria nullitas, adeo malam fidem inducat, ut restitutionem quoque fructuum operetur. *f* 89

Ad hunc autem effectum, pluries in facti contingentia dicere consuevi (licet quandoque inutiliter, eo quia non haberentur desuper doctrinellæ, unde propterea distinctio, pro meo solito fato, grato tamen referebatur acumini seu ratiocinio) quod scilicet, erroneum sit, cum generalitate dictæ distinctionis, inter nullitatem claram, vel turbidam procedere, sed quod principaliter reflectendum sit ad qualitatem nullitatis, an scilicet illa proveniat ex ipso facto, in quo possessor quantumvis idiota non sit excusabilis, sed potius præsumendus veniat dolosus, vel culposus; Puta ratione excessus, petendo ultra id quod consequi debeat, idque recte sciat, adeout justa ignorantia illum non excuset; Sive ratione illius enormissimæ læsionis, quæ pariter in ipso principali doli præsumptionem inducit; Hisque & similibus casibus intret mala fides vera, quæ producat restitutionem fructuum, quamvis non extantium, sed consumptorum; Secus autem ubi nullitas quidem clara sit, atque incontinenti probata, adeout apta reputetur, etiam ad extraordinarium remedium summariissimum manutentionis, juxta distinctionem de qua infra, agendo de Judiciis possessoriis, *g* Sed ea proveniat ex subtilitatibus Juris, & ex erroribus Causidicorum, quia nempe deficiant aliquæ citationes, vel deficiat servatio alicujus formæ, vel solemnitatis, adeout verisimiliter id non innotescat ipsi principali deliberatario, vel adjudicatario, qui in bona fide versatus fuerit, opinando quod ejus defensor omnia bene gesserit, unde propterea interim, de facto, bonæ fidei possessor fuerit; Quamvis etiam regulas generales habeamus, quod paria sunt scire, & scire debere, quodque culpa Procuratoris, ubi præsertim consistat in omittendo, præjudicat principali, qui sibi imputet, cur minus idoneum, minusque diligentem, vel minus fidelem Procuratorem deputaverit; Attamen, isti dicuntur legales rigores, sive legales formalitates, ac superstitiones, aptæ quidem ad annullationem actus, ne in futurum sortiatur effectum, non autem ad producendum hunc effectum de facto in animo possessoris, qui revera in bona fide interim versatus fuerit, atque fructus ex bonis, tanquam propriis perceperit, & consumpserit.

Potissime vero, quia frequenter contingere solet, quod nullitas proveniat a fraude, vel a malitia alterius Partis, per subreptionem scilicet, sive occultationem alicujus citationis, vel alterius actus substantialis, quod est facile, præsertim in Curia, ob illum stylum, qui mihi nunquam placuit, sed omnino damnabilis semper visus est, non ordinandi scilicet processus in voluminibus bene ordinatis, & chartulatis, atque ita consutis vel compaginatis per speciem protocolli, ut ejus oculari inspectione, illico dignosci valeat alteratio, seu malitiosa subtractio alicujus citationis, vel decreti, dum citationes retinentur in filzis, in illismet parvis pagellis, in quibus Procuratores eas faciunt, atque in earum calce, vel dorso, adnotantur, tam executio, quam decretum, quod desuper fiat; Unde propterea, cum omnibus hujusmodi filzas perquirere volentibus publice pateant, ita nimium de facili practicabilis est ista fraus; Ac etiam quia, ubi nolimus præsumere delictum, adhuc id sequi solet a casu, cum hujusmodi parvi 90

sche-

schedulæ de facili perire, vel cum aliis confundi soleant;
Sive quod Notariorum Substituti, qui aliquando inexper-
ti, vel negligentes juvenes esse solent, negligant extende-
re decretum, quod desuper necessarium esset; Quamvis
enim provideatur omnibus hujusmodi inconvenientibus,
ac aliis per Apostolicas Constitutiones, illam præsertim
Pauli V. super reformatione Tribunalium, cum qua tan-
quam ultima proceditur, ac etiam per decreta, seu provi-
siones Congregationis super eadem Tribunalium reforma-
tione, cujus mentio in *Relatione Curiæ* habita est, deman-
dando registra citationum, & actorum, ut ita in codices,
seu protocollos redigantur. Et quando id exacte, ac dili-
genter servaretur, esset optima, & sufficiens provisio; At-
tamen punctus est, quod non semper id servatur, imo fre-
quenter negligitur. Ideoque ubi etiam hujusmodi conside-
rationes sufficientes reputandæ non sint, ad evitandos le-
gales rigores circa invaliditatem actus, ejusque retracta-
tionem, super qua etiam discrete, & cum eisdem considera-
tionibus procedi deberet, non autem pragmatico ac insi-
pido more, sive judaice generaliter, ac mordicus proce-
dendo cum generalitatibus, non distinguendo casum a ca-
su. Adhuc tamen, id nullatenus recipiendum videtur ad
hunc effectum obligandi ad restitutionem fructuum inte-
rim perceptorum, & consumptorum, dum ex alibi pluries
insinuatis, & præsertim *discursu præcedenti* ad hunc effe-
ctum, necessaria non est bona fides positiva, sed sufficit
media, quod scilicet absit mala positiva.

Demum quoad tertiam supradivinctam speciem execu-
tionis, cum gladio spirituali potius, quam temporali,
quod scilicet, ob impracticabilitatem aliarum specierum,
de quibus supra, executionis scilicet personalis, & rea-
lis, ad istam spiritualem convolare oporteat per censu-
ras. (Et quæ species executionis, pro usu loquendi Cu-
riæ declaratoria dicitur;) contumaces, & nolentes pare-
re rei judicatæ, ejusque executionem pati, coguntur per
censuras. Cum ea distinctione alibi insinuata, quod scili-
cet, ubi agitur de Capitulis, vel Collegiis, sive Commu-
nitatibus, aliisque corporibus universalibus, cum quibus
non est practicabilis censura personalis excommunicatio-
nis, adhibentur aliæ duæ species, suspensionis, & inter-
dicti. Altera vero personalis excommunicationis, quæ
est omnium gravior, atque animam quoque afficit, non
datur nisi contra personas singulares, tam in causis parti-
cularibus, quam etiam in communitativis, seu universa-
libus, respectu illorum capitulatium, vel collegialium,
qui convincantur contumaces, ac rebelles, atque sint
causa quod corpus collegiativum, vel capitulare non pa-
reat. *h*

Quando itaque agitur de causis prophanis. Puta, pro
credito pecuniario, seu pro alio mere temporali implemen-
to, tunc ignarum præsertim exterum vulgus, quod igno-
92 rando stylos, obloquitur sine fundamento, scandalum
concipere solet, quod ob non solutionem debiti pecunia-
rii, vel ob aliud simile non implementum prophanum,
adhibeantur hæc arma, seu remedia spiritualia, illud præ-
sertim gravis excommunicationis, quod animam quoque
afficit. Unde propterea aliqui exteri satyrici scriptores, qui
ex malignitate, frequentius autem ex ignorantia, ac vere
nesciendo quid dicant, redarguere satagunt hujusmodi sty-
lum, magnum habent plausum apud ignarum vulgus, quod
satyram nimium gustare solet. Attamen revera est claræ
ignorantiæ effectus, quoniam, ut alibi advertitur, ad
sensum Canonum, quorum dispositio clarius innovata est
per Concilium Tridentinum, ad hoc remedium non de-
venitur nisi in subsidium, quando alia duo practicabilia
non sunt. Ut præsertim contingit cum sæcularibus extra
temporalem ditionem Ecclesiæ, vel etiam cum ecclesiasti-
cis ultra montes, vel etiam intra, quando ob directos,
vel indirectos recursus ad Magistratus sæculares, sive ra-
tione potentiæ propriæ, aut alienæ protectionis, aliis spe-
ciebus executionem de facto præstatur impedimentum.
Id enim redolet contumaciam, ac rebellionem cum pec-
cato, ideoque spirituale remedium adhibendum est, cum
aliud non supersit, tanquam per speciem defensionis pro-
priæ jurisdictionis, & potestatis, adeout quandoque, etiam
in forma summaria, & extrajudicialiter, nullo juris ordine
servato, ad hujusmodi impedimenta compescenda illud ad-
hiberi valeat. Ejusque potissima causa est ipsa peccamino-
sa rebellio & inobedientia. Ac propterea intrat dilemma,
quod, Aut ille qui solvere, vel aliud implementum præ-
stare tenetur in executionem judicati, perseverando in
contumacia non compareт, suasque excusationes non de-
ducit. Et tunc clarum remanet crimen contumaciæ, ac re-
bellionis, quod punitione dignum est cum hujusmodi sub-
sidiariis pœnis spiritualibus. Aut comparet, justasque de-
ducit causas excusationis non implementi ratione pauper-
tatis, vel impedimenti non affectati, quod citra ejus cul-
pam ab alio recipiat, adeout ipse purget propriam contu-
maciam, ejusque crimen excuset, & tunc istud remedium
non adhibetur, ideoque est solum effectum criminosæ, &
peccaminosæ contumaciæ ac rebellionis. *i*

Ad hoc autem, ut ad istud remedium deveniri possit, re-
quiritur contumacia vera, & non sufficit ficta, ideoque 93
executoriales, seu mandatum de parendo, notificari de-
bent personaliter, ut ita certa, & inexcusabilis sit noti-
tia; *l* Cum enim agatur de pœna in spiritualibus gravissi-
ma & ordinaria, utque præsertim censura major excom-
municationis afficiat animam vulnere lethali. Hinc pro-
inde dandum est peccatum tale, quod tanquam grave de-
lictum, istam gravem pœnam mereatur.

Atque, ut contumacia sit magis vera, & inexcusabilis,
servantur etiam quatuor termini, quorum formulæ per 94
Practicos dantur, quibus servatis, & non alias, ad decla-
ratorias devenitur, cum aliquo justo spatio inter unum,
& alium terminum. *m*

Adhuc tamen, quandoque etiam sine hujusmodi cita-
tione personali sed prædicta ad istud remedium deveniri so-
let. Quando scilicet, ex vero, vel præsumpto impedi- 95
mento ejus, qui citandus est, sequi non potest citatio per-
sonalis. Vel scilicet ob latitationem. Vel quia ad eum tu-
tus non pateat accessus; Sive quod a Magistratibus sæcula-
ribus, vel ab alia potentiali manu impedimenta præstan-
tur, ne citationis personalis executio sequatur, cum tunc
habenda sit pro jam secuta, ut etiam supra in rubrica cita-
tionis, & in altera recursuum, ac alibi advertitur. *n*

Potissime vero, ubi non agitur de censuris, ad quas de-
veniatur pro non solutione debiti contracti in Urbe, vel
pro non solutione pensionis statuto tempore, dum isto ca-
su debitor potuit oblivisci suæ obligationis, sive credere,
vel sperare patientiam, vel benevolentiam creditoris, aut
aliquod justum impedimentum habere, unde propterea,
quando non verificetur effectatum, & culposum impedi-
mentum, tunc asperum videtur, ut ad censuras, præser-
tim ad excommunicationem, sine alia monitione, vel ci- 96
tatione personali deveniatur, ut practicari solet pro debi-
tis contractis in Urbe, cum sola citatione in eadem Urbe
per diligentias, juxta stylum, qui aliis speciebus executio-
nis a probabili ratione alienus non est, sed pro ista specie
deberet magis circumspecte practicari. Sed agatur de de-
claratoria pro executione, ac observantia rei judicatæ, de
qua proprie in præsenti agitur, quoniam ob diuturnam li-
tem a victo sustentatam, frequentius per tres conformes,
& quandoque etiam per quartam, & quintam instantiam,
jam recte conscius est cum scientia inexcusabili, illius im-
plementi, quod præstare tenetur, ideoque non præstan-
do, dicitur esse jam in culpa & delicto.

Nisi aliqua accedat justa excusatio, vel exceptio modi- 97
ficativa, & apta impedire quoque executionem rei judica-
tæ, juxta illas exceptiones modificativas, de quibus agi-
tur *disc. sequenti*. Et præsertim (pro frequentiori praxi)
quando post rem judicatam, deveniatur ad aliquam trans-
actionem, quæ tamen præter consuetum ejus effectum
non inducat extinctionem litis, ac jurium, & actorum ob
ejus nullitatem, vel resolutionem, adeout ea non obstan-
te, integrum sit victori petere rei judicatæ executionem;
quoniam non per hoc deveniri potest pro paritione execu-
torialium antea relaxatarum, & notificatarum, ad decla-
ratorias, ratione contumaciæ, ac inobedientiæ, cum ab
his excuset transactio, quamvis invalida, vel imperfecta.
Ideoque nova monitio requiritur ad contumaciam con-
trahendam. *o*

Desideratur etiam liquidatio ejus quod adimplendum
est, cum in liquidis non detur mora, sine qua non verifica- 98
tur contumacia, vel inobedientia. *p* Quoties tamen aga-
tur de implemento, quod consistat in quantitate, sive in
talibus speciebus, ut in eis quoque liquidatio desideretur;
Secus autem ubi agatur de præstatione facti; Ut puta (exem-
plificando in iis, quæ contingunt frequentius in praxi) in
causis scilicet beneficialibus, si non paritio consistat in non
admittendo provisum de beneficio ad formam executoria-
lium, seu mandati de immittendo; Tunc etenim nulla li-
quidatio desideranda est, cum agatur de præstatione facti
per solam patientiam, atque abstinendo ab impedimentis.
Si vero secuta paritione super ipso beneficio, agatur de

restitutione fructuum lite pendente, sive de alia refectione damnorum, & interesse, tunc requiritur liquidatio. Quoties tamen ista ex facti circumstantiis haberi non debeat pro facti in odium impedientis, sive quod apud illum, qui adimplere tenetur, supponenda sit tanquam certa & notoria, adeout desiderare liquidationem, sit solum color quæsitus, pro fomento calumniarum, & protractionum. Puta (ex. gr.) Capitulum se opposuit proviso de canonicatu, vel alio beneficio capitulari, sub prætextu alicujus defectus qualitatum, ad formam ejus Statutorum, vel privilegiorum, Sive sub prætextu, quod, non ad Papam, sed ad ipsum Capitulum, provisio pertineret, unde propterea succumbendo tenetur proviso præstare omnes fructus, ac distributiones, quas ille provisus percepisset, si impedimentum sibi præstitum non fuisset, etiam distributiones vere quotidianas ratione servitii, in ratione damnorum, & interesse; q Isto etenim casu, opus non est expectare liquidationem aliunde, dum ipsum Capitulum jam illam habet apud se notoriam; Tum in libris capitularibus singulorum annorum, vel mensium; Tum etiam, quia apud singulos capitulares, id notorium est, dum singuli sciunt quantum ipsi perceperunt, & consequenter est affectata oppositio.

Item istud requisitum liquidationis desideratur, vel reputatur sufficiens, ad impediendam declaratoriam, quando ille qui parere tenetur comparet, atque de illa opponit, se promptum exhibendo paritioni, atque ad eam se obligando. Secus autem si sit contumax, quoniam tunc decerni potest declaratoria, tanquam pro non paritione circa ipsam non præstationem in genere. ſ

Prout etiam, servatio quatuor terminorum procedit, quando paritio consistat in omittendo. Atque tunc isti ter-
99 mini servari debent cum moderato spatio inter unum & alterum juxta stylum jam notorium apud Notarios; Secus autem ubi non paritio consistat in committendo, adeout contumacia resultet potius ex factis, quam ex negligentia, continuando scilicet in iis actibus, quos victus facere non potest; t Sive quod expresse, postquam monitus est, se declaraverit nolle parere, cum tunc sit ulterius expectandus.

Dantur autem declaratoriæ, non solum contra personas, vel contra universitates sæculares, sed etiam contra
100 personas, & universitates ecclesiasticas, cum quibus frequentius id practicari solet; nempe cum Capitulis Cathedralium, vel Collegiatarum, vel Monasterialium ultra montes, eo quia ibi practicabiles de facto non sunt aliæ duæ species executionis; Quinimo facilius cum personis vel universitatibus ecclesiasticis, cum distinctione de qua supra; u Atque non solum ob inobedientiam ipsorum, sed etiam eorum ministrorum, vel dependentium. x Quo
101 enim magis sunt ecclesiastici, eo magis criminosa, & scandalosa est inobedientia.

Non potest tamen ad declaratoriam deveniri per Judices
102 executores de partibus, qui in literis executorialibus deputati sunt, quoniam istorum jurisdictio consistit in iis, quæ nudi facti sunt, circa consummationem aliarum specierum executionis, non autem circa istam, dum ejus partes solum sunt in executione citationis, ejusque notificatione; y Quare manifestus est error, punitione quoque dignus, illorum executorum de partibus, non solum specialium, sed etiam illorum, qui sub genere personarum in ecclesiastica dignitate existentium; deputantur, dum assumendo munus Delegati Apostolici, ad censuras procedunt. Et quod pejus est, non solum id agunt quando agatur de formalibus executorialibus, sed etiam ubi de simplicibus monitoriis Auditoris Cameræ, vel de inhibitionibus Rotalibus, ac de illis expeditionibus, quæ in substantia aliud non important, nisi simplicem citationem. z

Et quoniam illi, qui factis non parere satagunt, verbis autem id agere curant, ad evitandam contumaciam, atque ut ita in longum protrahant, ac impediant, ne ad istam
103 speciem executionis deveniatur, comparendo, aliquos verbales obedientiæ actus faciunt; Hinc proinde quæstiones frequenter intrant, an & quando dicatur sufficienter paritum, necne? Vel scilicet quia agatur de obedientia successiva, unde propterea non sufficiat semel paruisse. a Vel quia paritum sit circa ipsam rem principalem, puta admittendo provisum ad possessionem beneficii, sive patiendo, ut victor obtineat rem quæ erat in controversia, sed non pareatur circa fructus, vel circa expensas, si executoriales id quoque contineant, b cum similibus.

Majores autem quæstiones cadunt super modo paritionis, an scilicet, & quando sufficiat verbalis, quæ regulariter sufficit in incorporalibus, ac jurisdictionalibus, vel requiratur etiam realis, ut requiritur in corporalibus; c Sive an ille, qui fecit declarationem verbalem parendi, habeat, necne, mandatum sufficiens, quod debet esse speciale, d Vel an verbalis declaratio super paritione sit pura & sincera, vel potius æquivoca & captiosa, cum ista contumacia potius augeat, & comprobet, e cum similibus, super quibus non de facili statui potest regula certa & generalis, cum totum pendeat ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis.

Disputari quoque solet super onere probandi paritionis affirmativam, vel negativam, cui scilicet incumbat. At- 104
que intrat distinctio, inter actus positivos, & negativos; f Sed pariter juxta diversas facti circumstantias id intelligendum est; Spectato principaliter fine, vel effectu, sive rei substantia potius, quam verborum formalitate.

Adhibito demum isto remedio, eoque non proficiente, adeout inobedientes, censuras substineant, eisque 105
non obstantibus, in contumacia, vel inobedientia perseverent. Tunc devenitur ad aggravatoriam. g Eaque etiam non proficiente, implorari solet brachium sæculare, h vel adhiberi illud Sacræ Inquisitionis, ob suspicionem, quod male sentiatur de fide, ob longam insordescentiam in censuris, earumque contemptu. Verum & id pariter certam non habet regulam, sed in singulis casibus ea pendet ex eorum circumstantiis, ob quas aliquando congruit adhibere leges prudentiales, ad majora inconvenientia evitanda.

a Otthob. *dec.* 98. Greg. *dec.* 492. *tit. de credit. disc.* 92.
b *tit. de usur. disc.* 24. *n.* 6. *&* 7.
c *ibid.* & apud Pettinger. *dec.* 329.
d Ridolphin. *in prax. p.* 1. *cap* 8. *n.* 12.
e Ridolphin. *p.* 1. *cap.* 5. *n.* 46. *& seqq.*
f *tit. de jur. disc.* 58. *&* 94. *& infra occasione rei litigiosæ.*
g *in relatione Curiæ, disc.* 2. *& alibi.*
h *tit. de credito, disc.* 37. *tit. de fideic. disc.* 145. *&* 161. *& alibi pluries.* i *tit. de hæred. disc.* 21. *&* 22.
l *infra agendo de tertio, disc.* 42. m *tit. de hæred. disc.* 18. *&* 28. *& tit. de credito, discursu* 40.
n *disc.* 182. *p.* 10. *rec.* Salgad. *in labyrint. p.* 2. *cap.* 11. *sæpe sub tit. de credito, & alibi.* o *tit. de hærede, disc.* 21. *&* 22. p *supra, disc.* 9. *&* 17.
q *tit. de fideicommiss. disc.* 173. *& seqq. tit. de feud. disc.* 49. *& sæpius,* r Greg. *dec.* 22. Ridolphin. *p.* 1. *cap.* 9. *ex n.* 12. *dec.* 381. *p.* 12. *rec. & passim.*
ſ Franch. *dec.* 585. *p.* 5. *rec. decis.* 174. *part.* 11. *rec. & sæpius, & supra, disc.* 17. t *tit. de fideicomm. disc.* 195. *& sæpius.* u *supra, lit. R.*
x *tit. de dote, disc.* 166. *n.* 76.
y *l. fin. C. de litigios. lib.* 7. *tit. de Alien. disc.* 40.
z Merlin. *dec.* 848. *dec.* 77. *n.* 20. apud Posth. *de subhast.* add. ad Buratt. *dec.* 166. *dec.* 381. *p.* 12. *rec.*
a Gait. *de cred. cap.* 2. *tit.* 3. *n.* 652.
b *super lit. Z. tit. de alienat. & contract. disc.* 40.
c *dicto, disc.* 40. *de alien. & contract.*
d *tit. de benef. disc.* 92.
e Bich. *dec.* 463. *repetit. dec.* 182. *p.* 11. *rec. & habetur dicto disc.* 40. *de alien. & contract.*
f *d. disc.* 40. *de alien. & contract.* g *tit. de cred. disc.* 35.
h *dicti, disc.* 40. *de alien. & contract.*
i *supra, disc.* 13. l *tit. de Regal. disc.* 115. *&* 129. *& tit. de empt. & vendit. disc.* 13. *&* 42.
m *ubi supra & tit. de usur. disc.* 5.
n *dicto, disc.* 13. *de empt. & tit. de usur. disc.* 7.
o *d. disc.* 115. *&* 129. *de Regal.*
p Duran. *dec.* 364. Buratt. *dec.* 626. *&* 917.
q *proxime supra,* Buratt. & add. *dec.* 116. *dec.* 166. *&* 450. Royas *dec.* 209. r *supra, disc.* 23. *In tit. de alien. & contract. disc.* 28. *Et tit. de dote, disc.* 159.
ſ add. ad Burat. *dicta dec.* 450.
t *tit. de feud. disc.* 1. *& d. disc.* 40. *de alien. & contract.*
u *iidem, de quibus supra, lit. B. Et tit. de Reg. disc.* 29.
x *ubi supra & tit. de credito, disc.* 35.
y *d. disc.* 40. *de alien. & contract.* Sperell. *dec.* 7.
z *proxime supra.* a *proxime supra,* Burat. & add. *dec.* 266. *dec.* 13. *&* 14. post Merlin. *de pignor.*
b *dicto, disc.* 40. *de alien. & contract.*
c Rovit. *in Rubr. & prag.* 1. *de instant. caus. non restauran. & dec.* 74. *dec.* 36. post Merlin. *de pignor.*
d *sup. disc.* 12. e *eod. disc.* 12. f *tit. de credito, disc.* 18.
g *ibid. & tit. de hærede, disc.* 17. *& tit. de fideic. & alibi.*

h *in-*

h *infra, disc.* 44. i *supra disc.* 15. *& infra, eod. disc.* 44.
l *tit. de success. ab intestat. in supplem. in Eugubina.*
m *supra disc.* 21. n *In relatione Curiæ, disc.* 32. *& tit. de jurisd. disc.* 2. o Buratt. *dec.* 170. Rovit. *pragm.* 1. *de cut.* add. ad Vestr. *lib.* 2. *c.* 2. p *tit. de feud. disc.* 79.
q Cæs. de Graff. *dec.* 10. *de sent. & re jud. dec.* 362. *n.* 5. *p.* 13. *rec.* Cavaler. *dec.* 62. *&* 290.
r *tit. Miscellan. Ecclef. lib.* 14. *disc.* 22.
s *tit. de credito pluries*, t *In relatione Curiæ, disc.* 29.
u *dec.* 161. *p.* 6. *rec. dec.* 163. *&* 197. post Zacch. *de obl. de Maxim. ref.* 58. *lib.* 1. Salgad. *in labyr. p.* 1. *cap.* 17.
x *locis citatis.* y Bich. *dec.* 149. *& insinuatur tit. de feud. disc* 56. z *tit. de cred. disc.* 126. *& supra, lit. V.*
a *dicto disc.* 126. *de credit.* b *eod. disc.* 126.
c *eod. disc.* 126. *& tit. de feud. disc.* 73. *& seqq. ad materiam Bullæ.* d *dicto tit. de feud. disc.* 73. *& seqq.*
e *tit. de dote, disc.* 87. *&* 145. *& titul. de credito pluries.* f *dicto disc.* 145. *de dote.*
g Duran. *dec.* 1. Greg. & add. *dec.* 353. Bich. *dec.* 485. Salgad. *in labyr. part.* 1. *cap.* 22. h *talis est quotidiana praxis.*
i Duran. *dec.* 373. Cavaler. *dec.* 292. Ridolph. *in prax. p.* 1. *cap.* 14. *ex n.* 112. l *dec.* 64. *p.* 11. *rec.*
m *dec.* 61. post Merlin. *de pign.* Ridolphin. *p.* 1. *c.* 15. *ex n.* 98. n *dec.* 263. post Zacch. *de obl. cam. dec.* 53. post Merlin. *de pign.* Ridolphin. *p.* 1. *c.* 15. *n.* 139. *& seqq.*
o *tit. de feud. disc.* 73. *cum plur. seqq.* p *supra, disc.* 33.
p 2. *d. dec.* 263. post Zacch. *de obl. cam.* add. ad Burat. *dec.* 96. Posth. *de subhast. inspect.* 47. *Romanasi decommissi de Alberinus* 23. *Junii* 1662. *coram Bevilaqua.*
q *tit. de Regal. disc.* 81.
r Royas *dec.* 246. *dec.* 113. *p.* 7. *rec.* Posth. *de subhast.* 247. Bich. *dec.* 95. *n.* 15. *&* 179. *n.* 13.
s Posth. *de subhast. inspect.* 49. Burat. & add. *decis.* 96.
t Bich. *dec.* 609. u *tit. de empt. & vend. disc.* 16. *&* 28.
x Duran. *dec.* 445. *& sæpius.* y Bich. *dec.* 149. Duran. *dec.* 257. Royas *dec.* 185. Greg. & add. *dec.* 23.
z *tit. de feud. disc.* 83. *& seqq. de credito, disc.* 126.
z 2. Otthob. *dec.* 226. *n.* 22. *& seqq.*
a Burat. *dec.* 891. *dec.* 113. *p.* 8. *rec. dec.* 196. *n.* 7. *p.* 13. *& sæpius.* b *Ibid. & in Constitutione Paul. V. super reformatione Tribunalium.*
c *dec.* 322. *p.* 12. *rec. in principio*, Dunoz. *dec.* 962. *& passim.* d Otthob. *dec.* 226. *dec.* 197. *&* 198. post Zacch.
e *supra, disc.* 36. f *supra disc.* 38.
g *lib.* 7. *tit. de empt. disc.* 31.
h Ridolphin. *dicta p.* 1. *cap.* 15. *n.* 95. *ubi plures cumulat.*
i Merlin. *dec.* 289. *num.* 6.
l Burat. *dec.* 49. Celf. *dec.* 95. *dec.* 264. *p.* 11. *rec.*
m *dec.* 84. *&* 87. apud Merlin. *de pignor.* Royas *dec.* 185.
n *lib.* 8. *de cred. disc.* 53. *&* 54. o *Ibidem.*
p Mangil. *de evict. q.* 44. Thomas. *dec.* 81. Olea *de cess. jur. tit.* 5. *q.* 13. Merlin. *de pignor. lib.* 4. *q.* 101.
q *supra, disc.* 33.
s Olea *ubi supra, tit. q. q.* 2. Fontanel. *clauf.* 5. *gl.* 8. *p.* 7. *ex n.* 40. Amat. *ref.* 11. Staib. *ref.* 5. *&* 115. Carleval. *de Jud. lib.* 1. *tit.* 3. *disc.* 22 t *tit.* 1. *de feud. disc.* 73. *& seq.*
t *lib.* 2. *de Regal. disc.* 30. u *lib.* 7. *de empt. disc.* 31.
x *dicto disc.* 31. *de emptione.* y *dicto disc.* 31.
z Ridolphin. *d. p.* 1. *c.* 15. *ex n.* 118. Royas *decis.* 177.
a Burat. & add. *dec.* 786. Ridolphin. *ubi supra, a n.* 123.
b add. ad Burat *decis.* 96. Posth. *de subhast. inspect.* 47.
c Cavalet. *dec.* 84. *dec.* 64. *p.* 11.
d Posth *de subhast. insp.* 45. *dicta dec.* 64. *p.* 11.
e *dec.* 197. *&* 198. post Zacch. *de obl. cam.* Outh. *dec.* 226.
f Burat. *dec.* 227. *plene dec.* 141. *p.* 9. *rec.*
g *infra, disc.* 44. h *lib.* 14. *annot. ad Concil. disc.* 43.
i *dicto disc.* 43. l Burat. *decis.* 176. Ridolphin. *part.* 1. *cap.* 14. *a num.* 237.
m Burat. & add. *dec.* 17. *dec.* 248. *p.* 10. *decis.* 299. *p.* 7.
n *sup. disc.* 9. *&* 19. Bich. *dec.* 446. *Leodien. Abbatissatus* 8. *Aprilis, &* 20. *Junii* 1644. *coram Ghislerio.*
o *lib.* 14. *in Miscellan. disc.* 5. *&* 18.
p add. ad Burat. *disc.* 7. Otthob. *dec.* 174. *dec.* 12. *p.* 21.
q Royas *dec.* 173.
r *dec.* 354. *p.* 6. *dec.* 90. *p.* 7. Dunoz. *dec.* 711.
s add. ad Burat. *dec.* 17. 545. *&* 947. Otthob. *d. dec.* 174.
t Bich. *dec.* 446. *&* 623. *dec.* 376. *p.* 11.
u *supra n.* 91. *& dec.* 227. *p.* 10. Otthob. *dec.* 75.
x Bich. *dec.* 383. y *dec.* 35. *p.* 11.
z *advertitur etiam in relatione Curiæ, disc.* 34.
a Rot. *dec.* 276. *p.* 11. *Cesaraugustana de Caspe* 15. *Januarii* 1641. *coram Ghislerio.* b Gregor. *dec.* 36. *&* 50. Burat. *dec.* 947. *dec.* 347. *p.* 10.
c Seraph. *dec.* 754. Burat. *dec.* 321. *dec.* 347. *p.* 10. *dec.* 12. *p.* 11. d *dec.* 220. *p.* 10.
e Otthob. *dec.* 174. Bich. *dec.* 397.
f Burat. & add. *dec.* 17. 52. 935. *&* 947. Rot. *decis.* 90. 166. *&* 211. *p.* 7.
g Burat. & add. *dec.* 710. *dec.* 299. *n.* 3. *p.* 7. *dec.* 241. *p.* 10.
h *Cæsaraugustana parochialis de Maella* 19. *Junii* 1743. *coram Ghislerio.*

SUMMARIUM.

1 DE cautela Angeli; *Et quando charta, seu inhibitiones dotales attendantur pro impedienda executione.*

2 *De casu quo dicta cautela non suffragatur ratione contractus simulati.*

3 *Congregatio reformationis quid providerit in ordine ad subhastationem, & deliberationem.*

ANNOT. AD DISC. XL.

1 SUper eo quod concernit cautelam *Angeli* circa executionem faciendam contra tertium, sive contra uxorem debitoris profitentem possidere bona viri pro dotis cautela, otinendo desuper ut vulgo dicitur, chartam dotalem, cum hæc frequentius continere soleant fraudes, & calumnias, ad impediendum tunc executionem ad effectum, ut interim donec creditor curat obtinere declarationem non afficere, interim bona occultentur, vel distrahantur. Hinc morbo huic in Curia nimium grassanti adhibui medicinam enunciatam *disc.* 45. eodem titulo occasione agendi de attentatis, quod scilicet hujusmodi cautelæ ubi agitur de bonis mobilibus, vel se moventibus, vel de fructibus pendentibus, vel similibus, quibus eadem congruat ratio occupationis, vel dissipationis, non impediant executionem, ad effectum tamen describendi bona, & relinquendi pene illum, qui se faciat tertium possessorem sub obligatione exhibendi ad omne mandatum Judicis, quando judicaretur cautelam non justificari, ita nanque in casu non justificationis duo resultant effectus, unus nempe jam dictus impediendi occultationem, vel dissipationem, & alter quod ex tunc bona dicuntur posita sub executione, atque effecta pignoris prætorii, & comperii, quod fuerit opportuna medicina, dum pene incredibile est, quam notabiliter imminutus fuerit numerus hujusmodi cautelarum *Angeli*, & chartarum dotalium, vel similium subterfugiorum.

2 In proposito item dictæ cautelæ *Angeli*, cum quidam qualificatus Prælatus supellectilem habens notabilis valoris, & qui creditores ex causa pensionum non ex impotentia, sed ob aliquas prætensiones impedire, ac defatigare satagebat ad effectum impediendi in dictis supellectilibus executionem relaxatorum mandatorum, curasset obtineri in eis inhibitionem dictæ cautelæ per quendam ejus nepotem absentem, qui se faciebat tertium possessorem ex titulo venditionis per Patruum sibi factæ, censui illam afficere non debere, ob circumstantiam continuationis in possessione, & alteram conjunctionis sanguinis cum absentia emptoris, & cum evidenti causa simulandi, ideoque habui actum pro patenter simulato.

3 Quo vero ad subhastationem, & deliberationem bonorum positorum sub executione, seu pignore prætorio, de quibus etiam in hoc discursu agitur, curavi quod Congregatio reformationis ederet decretum approbativum eorum quæ habentur in disc. 40. cujus decreti tenor est videlicet.

Nono, cum sicuti in multis consultum est indemnitati creditorum, adversus calumnias, & subterfugia debitorum, ita congruat consulere debitoribus, ne a creditoribus suffocentur, atque pro modica summa ingentem suorum bonorum stabilium jacturam pati cogantur; Idcirco Congregatio decrevit, quod in subhastationibus imposterum faciendis in quocunque Tribunali, & Curia, etiam Ecclesiastica, & cum personis Ecclesiasticis, serventur Statutum, & Praxis fori Capitolini modo, quo sequitur tantum, & non alias, hoc est, ut facta executione bonorum, vel Jurium, seu alias illis positis sub executione, adeout effecta sint pignoris prætorii, Judex ad instructionem ejus animi, tanquam per summariam informationem, & cognitionem a Perito de consensu Partium; alias ex officio eligatur, se informet de ipsorum bonorum justo valore, tunc in loco currenti, & verisimili, & quantum communi judicatores justo pretio vendi possent, deindeque eadem bona, vel jura mandet subhastari, & quatenus non reperiantur oblatores pro summa, qua dictum valorem æstimatum adæquet, dem-

pta

pro tertia parte, tunc adjudicet creditori, vel creditoribus, pro rata crediti, pro dicta tertia parte minus, quæ cedat ad commodum creditorum, concedendo debitori unius anni terminum a die adjudicationis decurren. ad reluendum.

Cumque Congregatio erecta sit super reformatione tribunalium Urbis, ideoque ejus resolutiones non egrediantur ejusdem Urbis restrictum, idcirco me consulente Sanctissimus illud extendit ad universum Statum Ecclesiasticum, cum aliquibus declarationibus a me adjectis videlicet:

Ut autem præfatum Decretum super subhastationibus bene observetur, ac practicetur, & quantum fieri potest, occasiones dubitationum, vel calumniarum, & præjudiciorum tollantur, idem Sanctissimus mandavit addi sequentes declarationes.

Primo, quod in electione unius, vel plurium Peritorum, prout bonorum subhastandorum qualitas exiget, pro eorum æstimatione facienda, nulla admittantur moræ, vel subterfugia, sed ubi in brevi termino, qui cum unica monitione præfinitus erit, Partes non elegerint de consensu unum peritum in qualibet bonorum specie, tunc illum eligat Judex ex officio, & non admittatur quæcumque exceptio, vel appellatio, aut aliud remedium, quod impediat processum, ad ulteriora.

Secundo, quod, tam ab electione Periti facienda per Judicem ex officio, quam ab ejusdem Periti relatione, nulla detur appellatio, nec in suspensivo, nec in devolutivo, dum prætenso præjudicio, & gravamini remanet consultum, ut infra, sed procedi valeat ad subhastationem, perinde ac si præfatum decretum non adesset, eo modo quo ante ejusdem Decreti editionem sine æstimatione procedebatur; firmis tamen remanentibus juribus ambarum Partium impugnandi postea subhastationem, vel respective adjudicationem ex capite læsionis, vel ex alio defectu, eodem modo, quo prius competebat ante Decreti editionem, & non obstante æstimatione Periti.

Tertio, ne eorum dominia diu stent in incerto, vel in suspenso, atque tollantur quantum fieri potest litium occasiones, declaratur ac decernitur, ut in eodem anno, qui datus est debitori ad reluendum, concedatur etiam tam eidem debitori, qui passus est subhastationem, quam tertio deliberatario, vel creditori adjudicatario, facultas illam impugnare ex capite læsionis, vel ex alio defectu, dictoque anno elapso, amplius non audiantur, tam debitor, quam tertius deliberatarius, sive creditor adjudicatarius, ex quocunque prætextu.

Quarto, quod æstimatori, vel æstimatoribus Judex taxet mercedem, vel salarium moderatum ejus arbitrio, absque eo quod habeatur ratio valoris bonorum, adeout possit prætendi taxa ad rationem tot pro centenario, sed solum habeatur ratio laboris, qui non affectetur major in mensuris, & aliis, dum juxta Decretum æstimatio fieri debet ad solam informationem, & instructionem animi Judicis, atque attendi debet pretium verisimile, & quantum communi judicio res æstimatur; Ideoque Judex in hoc, ubi opus erit, suum officium cum debita diligentia interponat, ut quominus fieri potest, Partes in expensis graventur, atque calumniarum occasiones tollantur.

Quinto, quod Deliberatario, vel respective Adjudicatario, infra annum datum debitori ad reluendam, non liceat facere melioramenta, cujuscunque sint qualitatis, & quatenus fiant, non possit prætendi eorum refectio in casus redemptionis, præterquam de mere necessariis, quæ per ipsum debitorem fieri debuissent, si fuisset possessor, istaque refici debeant ante dimissionem, adeout non teneatur possessor rem dimittere, nisi eis una cum pretio integre refectis.

Sexto, quod augmentum intrinsecum, quod in hoc anno ex beneficio temporis, vel ex accidenti superveniat, cedere debeat ad commodum Deliberatarii, vel Adjudicatarii stante quod in casu deteriorationis, debitor cogi non potest ad reluendum.

Septimo, quod in subhastationibus faciendis de bonis stabilibus, vel locis Montium, aut Censibus, in Urbe affigantur Edicta ad Valvas domus Judicis, & in Platea boncorum, & in banco Cursorum, & in Depositaria Pignorum, & extra Urbem in locis solitis per dies quindecim antea, in quibus exprimatur distincte situatio, & qualitas bonorum, & quoad loca Montium, exprimatur eorum species; ac etiam an sint libera, vel vinculata, & quatenus sint vinculata, explicetur qualitas vinculorum contentorum in literis patentibus, atque in Censibus explicetur qualitas debitoris, & fundi censiti, ut ita Oblatores melius informentur, atque ad offerendum alliciantur.

Octavo, quod si in loco adsit Statutum, vel alia lex per Sedem Apostolicam approbata, quæ diversam formam in subhastationibus præscribat, adeout sit cu[m] hoc Decreto, istisque declarationibus incompatibilis, tunc in illis partibus, in quibus adsit incompatibilitas, servetur Statutum, seu lex localis; in aliis vero, quæ compatibiliter practicari possunt, serventur Decretum, ac præsentes declarationes.

Nono, pro majori declaratione, quod quando oblationes sunt tales, ut ascendant ad duas ex tribus partibus valoris æstimati, tunc recipiantur, atque fiant deliberationes, ideoque ad adjudicationes deveniatur solum, quando oblationes ad dictas duas partes non ascendunt.

Et demum, quod si aliqua insurgant dubia super dicti Decreti, & præsentium declarationum intelligentia, vel praxi in dubio declaratio, vel interpretatio fieri debeat pro validitate actus, & exclusione nullitatis, vel exclusione impedimenti processus ad ulteriora.

Die 15. Novembris 1677. facta per me infrascriptum relatione Sanctissimo prædictarum declarationum, & decretorum *respective*, quodque d. Congregatio Reformationis habita sub die 11. ejusdem Mensis, examinavit, & laudavit. Idem Sanctissimus approbavit; atque per Universum Statum Ecclesiasticum observari mandavit in omnibus Tribunalibus, ac modis, & formis, de quibus supra.

Jo: Baptista de Luca Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ XI. Auditor, & Secretarius Memorialium.

Thomas Paulutius Cur. Caus. Cam. Ap. & S. Palatii Not.

De exceptionibus modificativis, quæ admittuntur etiam post rem judicatam, Puta supervenientis novi tituli; Vel transactionis; Aut alterius novationis; Sive melioramentorum, aliarumque detractionum; Aut compensationis; Vel retentionis.

S U M M A R I U M.

1 *De exceptionibus modificativis, & quales sint, ut non impugnetur res judicata, sed impediatur ejus executio.*
2 *De supervento titulo victoris in victum, & de mutatione causa possidendi, vel de confusione actionum.*
3 *De materia legitimi contradictoris.*
4 *De exceptione transactionis, ejusque materia,*
5 *Et de aliis actibus innovativis.*
6 *Quid ubi actus prætendatur nullus ipso jure.*
7 *De exceptione juris tertii.*
8 *An, & quando cedens agat contra debitorem cessum?*
9 *De compensatione, vel retentione.*
10 *De exceptionibus melioramentorum, vel detractionum, seu non comprehensionis,*

D I S C. XLI.

Ultra tot, in præcedentibus insinuatas dilatorias, ac peremptorias exceptiones, quæ tam ratione ordinis, quam ratione justitiæ, ad eundem tendunt finem, impediendi scilicet, ne judicatum exequibile sequatur; Sive quod secutum retractetur, & quæ propterea, exceptiones contradictoriæ, vel impugnativæ dicuntur; Dantur etiam aliæ exceptiones non contradictoriæ, neque impugnativæ, sed compatibiles, ac modificativæ, quæ posita etiam re judicata, jam perfecta, & valde exequibili, ipsius executionis effectum periuntur; Istæque sunt de duplici specie; Aliæ siquidem non feriunt executionis impedimentum in genere, sed solum in modo, sive in qualitate; Ut scilicet potius una executionis species practicari debeat, quam altera; Vel ut potius in uno bonorum genere, quam in alio, Sive super modo illam consumandi; Et de hac specie agitur *disc. proxime praeced.* 1

Aliæ vero sunt exceptiones modificativæ, quæ admittunt quidem rem judicatam, tanquam validam, & justam, atque alias exequibilem, sed ea aliquo extrinseco accidenti, feriunt ejus executionis impedimentum in genere, ut nullatenus sequi valeat; Sive quod ex potentia, vel fictione legis haberi debeat pro jam secuta, & effectuata; Adeout altera desideranda veniat res judicata, super interim exorti accidentalis impedimenti remotione, ut ad executionem procedi valeat; Atque de hoc agitur in præsenti, recensendo tamen aliquas hujusmodi impedimentorum, vel exceptionum species

ctionibus; Verum quia de his in plerisque sedibus actum est, præsertim vero, magisque ex professo in propria sede detractionum; In qua & in altera fideicommissorum quoque actum est de aliis speciebus detractionum, ac separationis bonorum, & similium, quæ veniunt sub hoc genere modificativarum, non autem impugnativarum exceptionum, quæ propterea sunt compatibiles cum re judicata eaque non obstante opponi possunt; Hinc proinde cum ibi commode videri possint, superfluitatis vitium esset ea integro in præsenti reassumere. *n*

a *infra, disc. 41.* b *tit. de credito, disc. 40. & tit. de herede, disc. 28.* c *infra, disc. 43. & 44.*
d *tit. de alien. & contr. disc. 30.* e *ibidem, & infra, disc. 44.*
f *infra eodem disc. 44.* g *supra disc. 26.*
h *tit. de credito disc. 58. & 70.* i *pluries sub tit. de credito.*
l *tit. de credito, disc. 60. n. 8.* m *tit. de credito, disc. 47. 48. 60. & seq.* n *tit. de legitim. & detract. disc. 35. tit. de fideicom. disc. 197. & seq. & alibi.*

De Judiciis executivis in actione personali, in causis prophanis, vel indifferentibus, in quibus casibus intrent; Et præsertim de illa executionis obligationis in forma Cameræ Apostolicæ.

S U M M A R I U M.

1 *De regula quod omnes causæ sunt ordinariæ, & appellabiles, non autem executivæ, nisi in casibus expressis, & limitatis.*
2 *Quod certa regula statui non valeat super judiciis executivis.*
3 *Instrumenta publica etiam jurata, cessante statuto, vel pacto non habent viam executivam.*
4 *Etiamsi agatur favore dotis, vel piæ causæ, & quando secus.*
5 *Contra tertium non datur processus executivus, & quando secus.*
6 *Quid contra heredem, & quando iste teneatur de proprio, & in processu executivo.*
7 *Quis dicatur proprie tertius.*
8 *Quid de donatario universali, & particulari.*
9 *Quando exceptiones sint aptæ ad retardationem hujus processus executivi.*
10 *De exceptione resultante ex ventre ejusdem scripturæ, sive de illa, quæ oritur ex vitio patenti, vel latenti.*
11 *De exceptione quæ consistat in puncto juris, vel in facto.*
12 *Exceptio fideicommissi dubii regulariter non retardat in executivis.*
13 *Quis sit Judex in causis executivis in Curia, & qui sint Judices Curiæ.*
14 *Auditor Cameræ est executor obligationis cameralis privative.*
15 *Item procedit executive inter mercatores.*
16 *Et de aliis casibus, in quibus ita procedit.*
17 *De Thesaurario generali.*
18 *An, & quando Rota procedat executive, & de communicatione facultatum A.C. quando sit necessaria.*
19 *Quid de Tribunali Cameræ.*
20 *De Congregationibus, & præsertim de illa Baronum.*
21 *De modo procedendi in judicio executivo.*
22 *Proceditur per decretum interlocutorium, a quo reponi potest, & quando per sententiam.*
23 *Non admittitur appellatio suspensiva.*
24 *De obligatione camerali, ejusque executione, & an censeatur adjecta si non legitur, & de aliis ad rem.*
25 *Quod debeant aboleri formalitates.*
26 *Quod Judices debeant abstinere a sententiis absolutoriis.*
27 *De literis cambii, & de aliis judiciis executivis.*
28 *De Ritu Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis.*
29 *De obligationibus penes acta.*
30 *De aliis in materia executionis.*
31 *An sint proficui, vel nocivi libri, qui praxim docent.*

D I S C. XLIII.

1 OCcasione præsertim agendi de appellatione, & quando hæc ad utrumque effectum, devolutivum, ac suspensivum, vel potius ad primum tantum, non autem ad alterum admittenda sit, insinuata est propositio, alibi quoque pluries enunciata, *a* quod scilicet pro regula generali omnes causæ sunt appellabiles, ac ordinariæ, illis exceptis, super quibus in Jure communi, vel municipali sit ita statutum, tanquam per speciem limitationis regulæ, adeout, juxta regulæ virtutem, seu operationem, ille qui eam pro se habet fundatam, dicatur habere intentionem, illamque sufficiat allegare, donec altera Pars, quæ prætendat processum executivum, probet casum limitatum. *b*

Quia vero hujusmodi limitationes multæ sunt, illæque plures sub se continent species diversas, quod scilicet, Alter est processus executivus in actione personali; Alter vero in illa, quæ realis est, idest quæ certæ rei persecutoria sit, super possessione tantum; Ac etiam, Alter est in prophanis, vel temporalibus causis, vel bonis indifferentibus; Alter vero in beneficialibus, sub quarum genere, etiam illæ ecclesiasticarum pensionum in hoc proposito venire solent, ob quandam connexionem, vel dependentiam; Idcirco in præsenti agitur de judicio, vel processu executivo personali in prophanis, aliisque indifferentibus; In sequenti autem de altero in beneficialibus & similibus, in quibus cadat inspectio executionis literarum Apostolicarum; Et in subsequenti, de interdictis, vel remediis possessoriis.

Quatenus itaque ad hanc primam speciem pertinet; 2
Pene impossibile opus videtur, omnes casus limitatos, pro regula generali, ubique locorum applicabili, reassumere, vel recensere, dum etiam ii, qui ex professo volumina desuper componere laudabiliter studuerunt, neque hanc sortiuntur fortunam, ob nimiam diversitatem legum, ac stylorum particularium, singulorum principatuum; Quinimo in quolibet principatu diversus est singulorum Tribunalium stylus; Ut præsertim in Curia in hoc proposito praxis docet, quod in aliquibus casibus unum Tribunal admittit, & practicat processum executivum; Alterum vero non; Ideoque sat esse debet, assumpto muneri satisfacere, illos scilicet insinuando casus, qui ex Romanæ Curiæ legibus, vel stylis, executivi censeantur, atque practicentur.

Dicta itaque regula generalis super denegatione judicii, vel processus executivi, quoties de casu limitato 3
non doceatur, recepta est, quamvis agatur de instrumento publico, quod etiam jurisjurandi religione quoque sit munitum; Quamvis etenim istum casum aliqui opinantur esse ex limitatis ob arctum vinculum religionis, quod ex juramento resultat, ideoque ejus impugnatio admittenda non sit: Ac etiam quia instrumentum publicum facere dicitur probationem probatam, ac rem manifestam; Adhuc tamen contrarium est magis in praxi receptum, ut scilicet, cessantibus clausulis, & pactis executivis, aut cessante lege, vel stylo particulari id producente, etiam instrumenta publica jurata non sint executiva. *c*

Quinimo, etiam his duabus qualitatibus accedat altera causa favorabilis, & privilegiata; Puta (ex. gr.) do- 4
tis, vel Ecclesiæ, seu causæ piæ, adhuc tamen ubi simpliciter, & de per se, istæ ac similes causæ, quæ in jure, piæ, vel respective privilegiatæ reputantur, istud non habent privilegium; nisi aliqua alternativa circumstantia illud inducat, quia nempe agatur de casu, qui celeritatem desideret, unde propterea illæ moræ, quas producat judicium ordinarium, & appellabile, irreparabile producant præjudicium, ex quia opus sit incontinenti occurrere; Puta in puella jam adulta, cui prompte dotem constituere oporteat, ad eam præservandam a periculo violationis pudicitiæ, *d* cum similibus; in quibus istud privilegium non provenit ex ipsa causa, vel natura debiti, sed ex ista accidentali circumstantia, ob quam debiti implementum cadat sub regula generali eorum, quæ desiderant celeritatem.

E converso autem etiam in casibus limitatis, in qui- 5
bus ex qualitate, seu natura debiti, vel ex illa obligationis iste processus executivus intret, recte ille procedit cum ipso principali debitore, sive obligato, non autem cum tertio, cui assistit regula, ut contra eum iste processus executivus in actione personali non competat; *e* Illis exceptis casibus, in quibus ita sit specialiter provisum; Ut (ex. gr.) habemus in Urbe ex ejus Statuto, per quod doti restituendæ conceditur hoc privilegium, judicii, seu processus executivi etiam adversus tertium possessorum bonorum viri, vel aliorum coobligatorum, ut in sua dotali sede magis distincte advertitur; *f* Sive in utriusque Siciliæ Regnis, in quibus ob illam Regiam Pragmaticam, quæ utrique Regno est communis, datur via executiva contra tertium possessorem pro fructibus censuum; Quamvis in ulteriori tantum id sit in praxi receptum, ac vigeat, ac etiam in Insula Melevitana, tanquam ejus dependenti membro, quod cum eisdem legibus vivit; *g* Non

Card. de Luca, Lib. XV.   L 2   autem

autem in citeriori; quod id usu receptum non est, respectu judicii personalis, cum solum respectu tertii, super bonis practicari soleat illud reale, vel rei persecutorium judicium, quod ibi assistentiæ dicitur, infra in rubrica possessorii insinuatum. *b*

Respectu vero illius, qui mixtam, seu tertiam constituat speciem, quia nempe principalis debitor naturaliter ac de facto dici non possit; e converso autem, neque verus tertius dicendus veniat, quia scilicet ex legis fictione, principalis debitoris personam repræsentet, atque in ejus solum subintraverit, qualis est principalis debitoris hæres;
6 Et tunc antiqui medii, & novi juris Digestorum, Codicis, & Authenticorum, dispositione attenta, eidem subjacebat, ac etiam hodie respective ille subjaceat judicio executivo, perinde ac si contra principalem debitorem, cujus personam in universo jure activo, & passivo repræsentat. *i*

Istaque Juris civilis dispositio, innovata non est per Jus canonicum, quoniam licet aliqui opinentur contrarium, ut scilicet de æquitate canonica indefinite, etiam cum laicis, magis autem cum Clericis, id procedere non debeat, tam respectu ordinis, circa processum executivum, quam etiam in meritis, circa obligationem de proprio, & ultra vires; Contrarium tamen etiam in Curia est receptum cum tamen canonicæ legis, vel æquitatis ea sit metropolitica & prima sedes; *l* In Ecclesiis etenim, vel piis locis, in quibus ab hoc onere, vel præjudicio exemptio est recepta, ea provenit ex diversa causa, quæ pupillis ac minoribus, aliisque sub necessaria legali administratione viventibus est communis.

Attento autem beneficio inventarii, quod per jus novissimum est introductum, illudque est præservativum a quocumque præjudicio, vel molestia in persona, & bonis propriis illius hæredis, qui illo, servatis iis, quæ servanda sunt, legitime utatur, istud judicium executivum, in persona, & bonis propriis non datur; nisi ejusdem hæredis contumacia illi locum præbeat, quia nempe, juxta Curiæ praxim, citatus ad docendum de legitimo inventario, ac reddendum rationes de bonis hæreditariis inventariatis, id agere negligat in termino, vel terminis, qui pro stylo Practicorum sibi præfigantur, cum tunc sit iste effectus contumaciæ, ex qua resultat mala præsumptio in deterius quod scilicet hoc beneficio sit destitutus; Sed sine hujus praxis prævisa servatione, nulliter, ac male processus executivus in hæredis persona, vel bonis propriis servatur. *m* Unde propterea, ipso comparente, dictamque contumaciam purgante per exhibitionem inventarii, & per redditionem rationum, tunc quamvis prætendatur, ut unum, vel alterum, vel utrumque sit defectivum, ideoque suffragari non debeat. Adhuc tamen illa dicitur exceptio petitorii, examinanda in judicio ordinario, ideoque iste processus non intrat. *n*

Bene tamen ille intrat in ipsis bonis hæreditariis, quorum respectu, inventarii beneficium nil innovavit; nisi quando idem hæres, ex illa reduplicatione personarum, quæ ex eodem beneficio resultat, respectu aliquorum bonorum prætendat eorum separationem jure dominii, ideoque in eis neget qualitatem hæreditariam; Idque pariter sub natura, vel privilegio processus executivi cadit, an scilicet certam, atque incontinenti factam habeat probationem, vel potius e converso altiorem exigat indaginem, juxta genericam omnium aliarum exceptionum sub hoc judicio cadentium; Ubi etenim in ipsius hæredis jura, quæ ab hoc beneficio præservata remanent, creditum potius, quam dominium importent, tunc processum in bonis hæreditariis non impediunt, cum neque vero tertio id concedatur, ut etiam advertitur supra agendo de executione
7 rei judicatæ, *o* dum ad hunc effectum vere, & proprie, tertius ille dicitur, qui sit rei possessor ex titulo singulari translativo dominii, non autem ubi jure credit, vel pignoris, dum id nec dominium, nec possessionem importat, quorum utrumque penes ipsum principalem debitorem adhuc esse dicitur; Ideoque istum processum de jure non impedit; Bene tamen ejus consummationem quandoque impedire solet probabilis ratio, vel æquitas inanis circuitus, inaniumque sumptuum, quia nempe incontinenti constet, quod ipsorum bonorum valor creditum anterius possessoria non superet, potissime dum posterioribus lex cum beneficio Juris offerendi bene consuluit. *p*

Hæredis potius, quam tertii, ex quadam recepta praxi, quæ probabilis quidem censenda est, species in hoc habet
8 donatarius universalis; *q* Quinimo commendabile videretur, ut respectu ipsorum bonorum, idem introduci deberet etiam cum donatario particulari, seu alias fovente causam lucrativam, quamvis non urgeret ratio alienationis factæ in fraudem litis, vel paratæ executionis, juxta ea quæ supra in dicta rubrica executionis rei judicatæ habentur, *r* quoniam adhuc voluntaria debitoris distractio bonorum ex causa lucrativa, non deberet creditoribus in hoc processu præjudicare, sed quod potius procedendum esset eo modo, quo etiam cum tertio ex quacunque causa, licet onerosa, in eodem executivo judicio proceditur cum illis tertiis, in quos per debitorem decoctum, vel decocturum atque a lege communi, vel municipali talem reputatum procedi potest, sive cum illo tertio, in quem facta sit alienatio rei, quæ sive in substantia, sive in possessione litigiosi vitium contraxerit, ut in eadem executionis rubrica advertitur. *s*

Præsupposita vero, hujus executivi judicii, vel processus competentia; Majores quæstiones percutiunt illas exceptiones, quæ pro ejus retardatione objici solent, an scilicet, & quando ad id aptæ sint; Verum super hoc, impossibile est omnino certam, ac generalem statuere regulam cuicunque casui applicabilem; Licet enim quasdam desuper habeamus generales propositiones; attamen super earum congrua applicatione, adhuc supersunt quæstiones, quarum decisio pendet a singulorum casuum circumstantiis. Ac propterea (ut dictum est) materia remanet incapax regulæ omnino certæ & generalis. 9

Illa vero generalis est distinctio, an exceptio sit intrinseca, vel extrinseca; Ubi etenim sit intrinseca, quia nempe 10 resultet ex ventre ejusdem instrumenti, vel scripturæ, ex qua ipsa actio executiva oritur; Ut potissime, pro frequentiori contingentia esse solet exceptio implementi, de quo prius docendum ex parte illius, qui ex ea actionem metitur, & tunc dicitur exceptio incontinenti probata, & admissoria digna, etiam in hoc processu, vel judicio executivo quantumvis privilegiato; *s* 2. Sive ubi patens sit vitium illius scripturæ, ex qua eadem actio intentetur; Vel circa suspicionem falsitatis; Vel circa formam minus probantem, & authenticam; Aut circa aliam formam non servatam, quæ servanda erat, cum similibus, in quibus eadem intret ratio rei incontinenti probatæ, vel probationis resultantis ex facie, seu ventre ipsius scripturæ, ex qua resultat actio.

Ubi vero agitur de exceptione extrinseca; Tunc alia di- 11 stinctio intrat, an scilicet dubietas consistat in jure, vel in facto; Ubi autem consistit in jure, quia nempe facti certitudine accedente, eaque inter Partes non controversa, restringatur quæstio ad punctum, seu articulum juris, & tunc, regulariter dicitur exceptio incontinenti probata, & apta, ut admitti mereatur in processu executivo, dum (ut nostri dicunt) ictu oculorum, atque incontinenti, ex apertura librorum, Judex de veritate, vel de subsistentia exceptionis certificari potest; *t* Nisi agatur de puncto juris, qui sit nimium dubius, ac propterea assimiletur dubio 12 facti, ideoque dicatur altioris indaginis, atque non aptus retardare hoc judicium; Ut præsertim frequens, & quotidianum habemus in exceptionem fideicommissi, quia scilicet super iis quæ in facto consistunt, nulla caderet quæstio tam circa formam probantem testamenti, vel alterius dispositionis, quam circa identitatem bonorum, ac legitimationem personarum; Et tamen valde ambiguum sit in solo puncto juris, an adsit existentia, seu duratio, vel pertinentia fideicommissi, aut altera pertinentia detractionum, juxta ea quæ in sua materia habentur. Ideoque prodiit recepta conclusio, quod exceptio fideicommissi dubii non attenditur, neque retardat in judiciis executivis, vel possessoriis, *u* cum similibus, quibus eadem congruat ratio. Ubi vero consistit in facto, & tunc intrat superius insinuata distinctio, an exceptio sit clara, & incontinenti probata, & admittatur; Secus autem si turbida, & altioris indaginis.

Quo vero, ad hujusmodi judicii, vel processus Judicem 13 magis competentem; In Curia, quamvis omnis Judex, qui ordinariam generalem habeat jurisdictionem ad universitatem causarum, sive etiam restrictam ad certum genus, intra illud ita cognoscit causas ordinarias, sicuti executivas, ut docet quotidiana praxis Tribunalium Vicarii, Camerarii, Thesaurarii generalis, Gubernatoris fori Capitolini, Consulum Agricolturæ, Ædilium, seu Magistrorum viarum, Præsidum Annonæ, & Grasciæ, & aliorum similium; Quinimo etiam Archipresbyterorum Basilicarum aliorumque Judicum particularium piorum locorum, vel universitatum, qui *in Curia relatione* recensiti sunt.

Attamen omnium istorum jurisdictio respective ad 14

certa

certa causarum genera restricta videtur; Ac propterea major amplitudo, sive generalitas jurisdictionis, & competentiæ, in hujusmodi causis executivis, est illa Auditoris Cameræ, qui in Curia est executor obligationis Cameralis, privative ad quoscunque. x

Ac etiam in vim ejus facultatum, sive ex stylo executive procedit etiam in illis casibus, quibus alias de
15 juris censura ita procedit non posset inter mercatores, & negotiantes, dummodo agatur de ipsis hinc inde, secus autem si inter mercatorem & privatum. y

16 Nec non in omnibus illis casibus, in quibus inter eas partes in alio, qui sit utriusque forus competens, ratione originis, vel domicilii, sive contractus, aut destinatæ solutionis, ex legibus, vel stylis particularibus, executive procedi posset, ut superius quoque advertitur, agendo de appellatione; Ac etiam *in relatione Curiæ*, agendo de hoc Tribunali. z

17 Quamvis enim, præsertim post Constitutionem Sixti V. nimium amplæ sint facultates Thesaurarii generalis, circa processum executivum, ut pariter *in relatione Curiæ*, de ipso agendo, ac alibi insinuatur; attamen est Judex ad certum genus causarum. a

18 Tribunal itaque Rotæ hunc procedendi modum regulariter non habet in hujusmodi causis prophanis, & præsertim ubi agatur de executione obligationis cameralis, vel de illo processu executivo, qui non competat de jure communi, sed ex facultatibus Auditoris Cameræ, quoniam ubi contingat, quod de consensu Partium, vel de ordine Papæ, causa introducta sit in Rota in prima instantia, sive per appellationem ab aliquo interlocutorio, vel incidenti, unde propterea procedatur tanquam in prima in negotio principali, in quo Actor judicium executivum intret, tunc necessaria est, atque in dies practicatur communicatio hujusmodi facultatum Auditori Cameræ, ut pariter in eadem *relatione Curiæ*, agendo de isto Tribunali advertitur; b Secus autem ubi, non ex dictis facultatibus, vel ex particulari stylo, sed ex dispositione juris communis iste processus intret. c

Jus vero commune in hoc proposito intelligendum est, tam illud, quod continetur in corpore Juris civilis, & canonici, quam etiam in illis legibus, quæ Jus commune quoque continere dicuntur pro universo eo principatu, juxta distinctionem, de qua supra in particulari rubrica materiæ juridicæ. d

Item dictarum facultatum communicatio non est necessaria, quando eas implicite concedat forma rescripti, seu commissionis, Ut (ex.gr.) contingit in ea appellationis commissiones, quæ contineat clausulam *si quid exequendum*; Sive clausulam *ut ad legitimum*; Vel *ad ulteriorem &c.* quoniam earum vigore concessa censetur facultas procedendi in hoc judicio executivo, etiam ex integro, quando mandatum, quod a Judice primæ instantiæ relaxatum est, ratione nullitatis, vel alterius defectus, non esset exequibile, ut pariter in ejusdem Tribunalis Rubrica habetur. e

19 Hinc proinde, si (ex.gr.) agatur de observantia transactionis, quæ de sui natura habet viam executivam, sive de decimis, vel de pensionibus ecclesiasticis, aliisque similibus, quæ istud privilegium habeant de jure, ac generaliter, & ubique, adeout illud non proveniat ex jure speciali dictarum facultatum Auditoris Cameræ. Sive agatur de fructibus censuum, pro quibus, ex pacto, vel ex consuetudine generali regionis, vel principatus competat processus executivus, ut habetur in insinuatis Regnis utriusque Siciliæ & alibi, cum similibus casibus, quibus eadem congruat ratio; Tunc Rota quoque absque alia facultatum communicatione hunc adhibet processum. f

Idemquoque, cum eadem proportione, in eo causarum genere, cujus cognitionem habet, procedit in Tribunali Cameræ. Verum in isto non de facili audiuntur hujusmodi processus executivi ex integro, ex eo quod, ut in ejus particulari rubrica quoque advertitur, g est Judex secundæ instantiæ, in gradu appellationis a Camerario, & a Thesaurario, qui sunt Judices in prima; Sed quando casus præbeat eandem cognitionem in prima instantia; Vel de consensu Partium, ut in capitulorum appaltuum, quandoque sequi solet; Vel ratione appellationis ab incidenti, sive alias ut supra, tunc idem in omnibus procedit: Cum ea differentia, quod istud Tribunal, utpote habens Signaturam in ventre, non indiget aliqua extrinseca communicatione facultatum Thesaurarii, vel Camerarii, ut in Rota respectu illarum Auditoris Cameræ contingit, dum ista Tribunalia sunt potius dependentia ab ipso, tanquam ejus rivuli a fonte, vel scaturigine, ideoque termini non sunt æquales.

Super Cardinalitiis autem, vel aliis extraordinariis 20
Congregationibus, ut præsertim sunt illæ, Montium, & Baronum, non cadit hæc inspectio; Vel quia Congregationes præsertim Cardinalitiæ non habent formam processus judiciarii, ut in eadem relatione Curiæ habetur; Vel quia ex earum facultatibus, generaliter in omnibus causis in hoc processu summario, & executivo procedunt, adeout in eis non verificetur distinctio utriusque judicii ordinarii, & executivi, ut præsertim de Congregatione Baronum habemus. h

Modus item procedendi in hoc judicio executivo, 21
longe diversus est ab eo, qui in precedentibus discursibus insinuatus est, ubi agatur de judicio ordinario, dum proceditur absque libelli, vel monitorii necessitate, vel aliqua terminorum servatione, aut concessione remissoriæ, seu termini probatorii, aliisque non attentis, quæ in ea judicii specie attendi, ac servari debeant.

Ideoque prævia unica citatione ad solvendum, ac adimplendum, atque incontinenti per actorem justificato fundamento suæ petitionis cum instrumento, vel cum alio documento publico, vel cum scriptura privata, quæ in forma pariter summaria sufficienter recognita, vel pro tali declarata sit, juxta stylos relatos per mere practicos scriptores, i illico, & celeriter decernitur mandatum, deindeque cum altera citatione ad illius expeditionem devenitur. Aliquam solum retinentibus quandoque moram illis disputationibus, quas exigant exceptiones consistentes in puncto juris, quoties nimium vehemens fumus veritatis eorum, quæ facti sunt, non impellat Judicis arbitrium ad eandem veritatem melius exquirendam per probationes, interim abstinendo, sine tamen ejusdem ordinis præjudicio, ut occasione agendi de remissoria superius advertitur. l

Proceditur item in decisoriis cum diversa forma, illa 22
scilicet decreti interlocutorii, a quo pro Curiæ recepto stylo, liberum sit quandocunque reponere, non autem per sententiam diffinitivam, canonizatoriam petitorii, ut etiam supra agendo de sententiis, ita distinguendo advertitur. m Nisi natura, seu qualitas causæ pro stylo, comparibiliter cum processu executivo, admittat modum sententiandi diffinitive per cedulam juxta ea præsertim, quæ *disc. seq.*

Et quoad speciem, seu naturam appellationis, quæ 23
in hujusmodi judiciis cadit; Sive quoad ea quæ eorundem judiciorum vulnerationem concernunt, satis dictum est supra in rubrica appellationis: n Ac etiam in *relatione Curiæ*, agendo de utriusque Signaturæ Gratiæ, & Justitiæ Tribunalibus. o

Istis itaque prænotatis generalitatibus, ex quibus de facili deveniri potest ad cognitionem specialium, vel singularium exceptionum, quas practici scriptores, sive elaborati Collectores, pro consueta patientia, improboque labore, distincte examinare solent, citra necessitatem in præsertim examinandi singulas, cum omnibus eædem pariformiter congruere soleant propositiones, vel rationes.

Descendendo ad ea executiva judicia, quæ saltem pro 24
frequentiori praxi in Curia peraguntur; Omnium primum, ac frequentius, magisque privilegiatum, est illud executionis obligationis juxta formam Cameræ Apostolicæ; Cum enim primævis temporibus, pro faciliori consecutione jurium Cameræ, quædam obligationis formula, cum ejus debitoribus, ac administratoribus, in Tribunali Camerarii, quod est fons, vel scaturigo aliorum prophanorum, introducta esset; Et tractu temporis paulatim, ad instar, adhiberi cœpit inter privatos. Adeoque ejus usus invaluit, ut recte dici valeat clausula de stylo apponi solita, dum vix datur conventio per scripturam publicam, sive privatam, quæ illam non contineat.

Non tamen exinde assumit naturam clausulæ apponi solitæ, ut scilicet inesse censeatur, vel subintelligi debeat, quatenus etiam expressa non sit, ut in aliquibus clausulis apponi solitis, juxta varios regionum stylos, receptum habemus, & præsertim in Regno Neapolitano, circa clausulas constituti & præcarii, ac pacti de capiendo, cum similibus. p Quoniam nisi hæc obligatio in forma Cameræ expresse legatur, subintelligenda non est, neque stylus communis illam generaliter apponendi in consideratione habetur. p.2.

Ejusdem obligationis formula quoque diversa est, magis, vel minus ampla, dum formula moderna, cum qua in Curia hodie vivitur, majorem clausularum amplitudinem

dinem habet, quam haberet antiqua, super qua majores cadebant quæstiones, quæ hodie ab aula recessisse videntur, super obligatione scilicet bonorum hæredum, & super aliis alibi insinuatis. *q* Præsertim vero ad rem super consensu unicæ citationis, dum ita cessasse videtur illa necessitas, quæ apud antiquiores habetur, præcedentis extensionis formulæ hujus obligationis, citata Parte ad videndum mandari extendi, priusquam initiaretur processus executivus. *r* Id etenim litium, & calumniarum fomentum præbere videbatur, dum ita longæ parabantur moræ in disputationibus super modo istius extensionis, ab illa quoque appellando. Idcirco merito hujusmodi calumniarum, ac subterfugiorum occasiones abolitæ sunt; Atque exinde inolevit Notariorum stylus adjiciendi illud verbum *amplioris formæ &c.* Sed si omittatur, adeout simpliciter dicatur *in forma Cameræ &c.* Tunc in Tribunali Auditoris Cameræ, atque apud ejus Notarios, etiam juxta formulam, vel praxim antiquam, ista extensio necessaria non est; Verum hodie neque necessaria videtur quomodocunque adjiciatur, & coram quocunque Judice executio petatur, dum passim usu recepta est amplior formula moderna, antiqua vero pene abolita, atque in totalem oblivionem abita.

Potissime quia, tamen ex sensu legis scriptæ, quam fortius ex altera non scripta, commendabile videtur, quo magis fieri potest, abolere formalitates, quæ ut pluries insinuatum est, tanquam species inutilis judaismi, ad aliud non deserviunt, nisi ad fomentum calumniarum, cum præjudicio facilitatis ac libertatis commercii.

25 Ex eadem ratione, laudabiliter quoque in praxi receptus non videtur ille ordo judiciarius, qui de rigore juris servari deberet per quandam speciem judicii ordinarii, & appellabilis, quando ageretur de ista obligatione camerali contenta in scriptura privata, cujus veritas a debitore negaretur, adeout oporteret facere illius recognitionem per testes, qui viderint scribere, sive per eos, qui habeant notam manum, aut per alios modos supra insinuatos in ejus particulari rubrica. *f* Dum ab ista pronuncia, an scriptura sit bene recognita, necne, & an testes desuper inducti probent, ac fide digni sint, de stricto jure dari debeat appellatio, cum ita Judex declaret, seu decidat, atque in hoc decipi, & gravare possit, ideoque non esset appellare ab ipsa executione, sed ab alio facto; ex quo prætenditur deduci illa obligatio quæ negatur, Et tamen etiam id practicatur in judicio summario, & executivo juxta illos modos recognitionis fictæ, vel veræ, qui in dicta rubrica insinuati sunt.

Adhuc tamen istæ, ac aliæ generalitates, non semper uniformem praxim habere debent; Et præsertim circa qualitatem exceptionum, an censendæ veniant altioris indaginis, necne, cum materia regulanda videatur pro prudenti arbitrio juxta singulorum casuum particulares circumstantias, majorem, vel minorem redolentes fumum veritatis.

26 De eo autem moniti esse debent Judices (ut de facto prudentes, beneque versati practicant) habendi se de facili negative, quando exceptiones relevantes videantur, sive quod magnum habeant fumum veritatis, abstinendo scilicet ab executione, cum ita per hujusmodi negationem, debitor implicitam liberationem, atque victoriam obtinere dicatur. Non autem esse faciles ad actum affirmativum sententiæ absolutoriæ: dum ita magnum parat præjudicium creditori in vulneratione viæ executivæ; unde propterea incumbit creditori necessitas, ejus jura prosequendi in judicio ordinario, & appellabili, per tres conformes, ratione servandi æqualitatem, dum scilicet sicuti ipsi licuit appellare a sententia absolutoria, ita huic licitum esse deberet appellare a sententia revocatoria suæ absolutoriæ, quoties nullitas clara & injustitia notoria, istius vulneris effectum non impediat; Ita etenim magnum paratur præjudicium, dum in progressu temporis, vel causæ, creditor multas notitias habere potest, cum quibus de facili elidat illas exceptiones, quæ tunc relevantes videntur; Potissime vero ubi sit hæres, vel successor non omnino informatus; Et e converso debitor conqueri non potest, dum ita per hujusmodi actum negativum, obtinet intentum; Et consequenter arma non sunt æqualia, recteque intrat axioma, ut quod uni non nocet, & alteri prodest &c. Ideoque prudentes, beneque versati Judices, ad hujusmodi absolutorias, quæ percutiant substantiam debiti, dictumque vulnerationis effectum producant, procedere non solent, nisi quando justitia debitoris; ac relevantia exceptionis sit plusquam clara, & certa, non autem quando vigeat præfata possibilitas.

Idem processus executivus, ex rationabili consuetudine, quæ per universum nostræ communicationis Orbem, 27 pro facilitate, ac libertate commercii introducta est, servatur in literis cambii; *e* Ac etiam in illis parvis schedulis inter negotiatores usu frequentibus, quæ vulgo *pagherò* nuncupatur; Magis vero, & cum minori difficultate in cedulis bancharis; Ac etiam ex quadam communi consuetudine in pensionibus domorum, atque in eo quod debeatur ex causa victualium, vel mercium pro vestitu, ac similibus, quibus eadem congruat ratio.

Super aliis autem, non de facili certa regula generalis statui potest, cum pendeat ex singulorum locorum diversis legibus, vel stylis, quinimo singulorum Tribunalium, etiam ejusdem loci, quod scilicet unum Tribunal practicat processum executivum, aliud vero non; Ut præsertim (ex. gr.) habemus in alibi insinuato puncto viæ executivæ competentis, necne pro legatis, *u* cum similibus.

Prout etiam alibi insinuatum est, quod Curia non vult 28 admittere in foro Ecclesiastico cum Clericis praxim ritus Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis, super incusatione, seu liquidatione instrumentorum. *x* Sed pro meo judicio parum probabiliter. Quoties tamen cum debito modo ille practicetur, tanquam ad instar, rejecta solum praxi pœnæ criminalis fisco applicandæ, ex rationibus loco citato insinuatis, ubi videri poterit.

Ibique etiam advertitur, probabiliter non admitti eam 29 illorum Tribunalium praxim, in obligationibus penes acta, decernendo, & relaxando mandata executiva de facto, nulla prævia citatione, ex rationibus pariter ibi insinuatis. *y*

De modo autem faciendi, & consummandi executio- 30 nem, atque de istius diversis speciebus, ac debitorum privilegiis, sive de ordine tenendo inter easdem species; Aut de hujus processus executivi præscriptione, habetur alibi actum supra, ideoque repetendum non est. *z*

De formulis autem citationis, ac decretorum, seu mandatorum, aliorumque actorum, facile est videre apud puros Practicos, qui commendabiliter quidem assumpserunt hujusmodi opus, jurisconsulto tamen incongruum.

Problematicum vero est, an hujusmodi Practicorum, & 31 Collectorum labores, proficui, vel perniciosi censendi sint, ex eo quod adolescentes ita non fervent nimis commendabilem antiquum Curiæ stylum, per notabile tempus solicitandi apud antiquiores, beneque versatos Procuratores, ut ita magis solide, ac bene praxim, & stylos addiscerent, ob facilem errorum, & æquivocorum incursum, ordinandi processus, tam ordinarios, quam executivos, cum sola lectura hujusmodi librorum, qui praxim docent, atque formulas registrant.

a *supra disc.* 37. b Mantic. *dec.* 241. Barbos. *axiom.* 198.
c *dec.* 187. apud Zacch. *de obl. Cam. dec.* 254. apud Cenc. *dec.* 234. *par.* 5. Royas *dec.* 138. d *supra*, *disc.* 37.
e Caval. *dec.* 62. Burat. *dec.* 574. late Zacch. *de oblig. cam. quæst.* 5. *ex n.* 43. f *tit. de dote*, *disc.* 42. & 58.
g late Giurb. *observ.* 104. *ex n.* 39. *dec.* 246. *par.* 10. *rec.*
g *infra disc.* 44. i *tit. de herede*, *disc.* 21. & 22. l *dicto disc.* 22. *de herede*, m *ut d. disc.* 21. & 22. *de herede*.
n *ibid. ubi supra*. n *supra*, *disc.* 40. p *dict. disc.* 40. & Gratian. *discept.* 941. *dec.* 182. *p.* 10. q *lib.* 7. *tit. de donat. disc.* 44. & 45. r *supra d. disc.* 40. f *eod. disc.* 40.
f 2. add. *ad dec.* 420. *n.* 82. *par.* 4. *rec. tom.* 2. add. ad Burat. *disc.* 76. Graf. *de excep. cap.* 13. Cavaler. *dec.* 456. Zach. *de obl. cam.* q. 17. *ex n.* 101. r Gratian. *discept.* 740. *ex n.* 47. Capyc. Latr. *consult.* 77. *n.* 25. u *tit. de fideic. disc.* 180. *n.* 9. x *in relatione Curiæ*, *disc.* 34. late Zacchias *de oblig. Cam.* q. 7. *a nu.* 14. y *supra*, *disc.* 37. *n.* 64.
z *in relatione Curiæ*, *disc.* 34. a *in relatione Curiæ*, *disc.* 35.
b *in relatione Curiæ*, *disc.* 32. c *eodem disc.* 23. d *supra*, *disc.* 34. e *d. disc.* 32. *in ratione Curiæ* f *ibidem*.
g *disc.* 33. *in relatione Curiæ*. h *tit. de feud. disc.* 95.
i *supra*, *disc.* 29. l *supra*, *disc.* 31. m *supra*, *disc.* 36. n *supra disc.* 37. o *in relatione Curiæ*, *disc.* 30. & 31. p. Ursill. ad Affl. *dec.* 139. *n.* 5. & 6. Masull. ad Capyc. *dec.* 59. *n.* 16. & 17. Merlin. *lib.* 1. *contr.* 35. & *infra*, *disc.* 44.
p 2. *dec.* 47. post Zacch. *de obl. cam.* Burat. *dec.* 561. *n.* 2.
q *lib.* 8. *de credito disc.* 36. & 38. r plene Zacc. *de obl. Cam.* q. 34. Burat. & add. *dec.* 683. *dec.* 229. *p.* 5. *num.* 22. Peuting. *dec.* 82. f *supra*, *disc.* 29. t *lib.* 5. *tit. de camb. disc.* 22. u *supra*, *disc.* 37. x *tit. de credito*, *disc.* 116.
y *d. disc.* 116. *de credito*. z *supra*, *disc.* 4.

Be

De Judicio, seu processu executivo in spiritualibus, nempe in executione literarum Apostolicarum super beneficiis, & pensionibus Ecclesiasticis.

S U M M A R I U M.

1 *Gratia collationis beneficii perficitur per solam supplicationem.*
2 *Sed capi non potest possessio, vel alias se ingeri in beneficio sine literis.*
3 *Literæ Apostolicæ justificatæ, debent executionem paratam, nisi adsit legitimus contradictor.*
4 *De duplici specie literarum Apostolicarum.*
5 *De brevibus de capienda possessione nomine Cameræ, eorumque effectu ad favorem provisorum.*
6 *Per quem ista brevia executioni demandentur.*
7 *De prærogativa Rotæ, ut in causis in ea pendentibus alter executor se non ingerat.*
8 *Invalida executio literarum non impedit quin Judex appellationis ad eam procedere non valeat.*
9 *Quare expediri soleant hæc brevia, etiam ubi non timeatur oppositor.*
10 *Quæ justificatio requiratur in hujusmodi brevibus.*
11 *De decreto expediendi literas infra sex menses quomodo intelligatur.*
12 *De modo exequendi hæc brevia, & de denegatione appellationis suspensivæ.*
13 *De duplici specie literarum in forma dignum, & in forma gratiosa, & de eorum effectibus, & differentiis, & modo exequendi.*
14 *De aliis literis subrogationis gratiosæ, & quid requiratur pro justificatione.*
15 *De legitimo contradictore, ejusque duplici specie, & effectibus.*
16 *An Capitulum sit legitimus contradictor, & quando?*
17 *Pensio Ecclesiastica habet viam executivam, & de modo exequendi.*
18 *Etiam favore translatarii.*
19 *Quod reputari soleat melior via manutentionis.*
20 *De regressu pensionarii ad beneficium, an & quando habeat processum executivum?*
21 *Existentia contradictoris non impedit processum executivum in provisione Parochialium.*
22 *Minusque in aliquibus Dignitatibus, vel officiis Hierosolymitanæ Religionis.*

D I S C. XLIII.

1 Distinguendo pensiones a beneficiis; Quatenus ad beneficia pertinet; Processus executivi cadunt super
effectuatione, vel executione literarum Apostolicarum,
quæ expediantur super beneficiorum provisionibus; Quamvis etenim gratia provisionis, vel collationis perficiatur per supplicationem signatam manu Papæ, postquam
secuta erit ejus data, & registratio, juxta ea, quæ in relatione Curiæ habentur, agendo de Dataria, *a* ac etiam in materia beneficiali; *b* Nihilominus, etiam sub
2 gravibus penis prohibitum est proviso, beneficii possessionem adipisci, seu alias in ejus administratione, ac fructuum perceptione se ingerere, ante expeditionem literarum, ac alias, quam earum vigore; *c* Et per consequens, ubi de illius provisionibus agatur, in quibus aliquis contradictor, vel oppositor de jure, vel de facto adsit frequenter in Rota, vel in Tribunali Auditori Cameræ, aut coram Prælatis, qui in literis deputati fuerint speciales executores, de illarum justificatione, & executione agi solet.

Certa siquidem juris regula generalis est, quod literæ
3 Apostolicæ justificatæ, paratam habent executionem, cum processu summario & executivo omni appellatione postposita; *d* Sed quoniam ista regula procedit cum duplici præsupposito; Primo nempe quod literæ sint bene justificatæ, super iis, quæ narrantur; & secundo, quod non adsit legitimus contradictor, unde propterea executor dicatur merus; Secus autem, tali existente contradictore, ut executor efficiatur mistus, ideoque partes formales Judiciis assumere debeat, declarando, an uni, vel alteri contendentium, beneficium debitum sit; Hinc proinde, istæ duæ limitationes, frequentibus quæstionibus ansam præbent, super narratorum scilicet justificatione, ac etiam, an & quando oppositor dicendus veniat legitimus contradictor.

4 Hujusmodi autem literæ Apostolicæ sunt de duplici specie; Aliæ siquidem sunt illæ, quæ expediuntur in forma brevis per organum Secretariæ Brevium, atque dicuntur brevia de capienda possessione nomine Cameræ; Aliæ vero sunt illæ, quæ expediuntur sub plumbo, per organum Cancellariæ Apostolicæ, ut advertitur in eadem *relatione Curiæ*, occasione agendi de Cardinali Vicecancellario, & de Secretario Brevium.

Ista Brevia capiendi possessionem nomine Cameræ,
concedunt super beneficiis reservatis, vel affectis; Ea- 5
que non cantant sub nomine provisi de beneficio, sed sub nomine Commissarii Cameræ, ut scilicet ita non retineatur possessio beneficiorum reservatorum, vel affectorum, ab iis, qui ex provisione Ordinariorum, vel aliorum hanc potestatem non habentium, in eis se intruserint, ita eos expellendo; ut provisus Apostolicus, postquam adimpleverit ea, quæ adimplere tenetur, liberam, ac vacuam inveniat possessionem, præventive curando electionem occupatoris; Idque spectato effectu redolet in substantia adeptionem possessionis ipsiusmet provisi Apostolici, cui Commissarius mandatum tradere solet, ad capiendam possessionem, cujus adeptio sibi prodest tanquam per mutationem causæ possidendi, absque novi actus replicatione. *f*

Hujusmodi autem literarum executio fit ab Auditore
Cameræ, cui illæ diriguntur, sive ejus vice, ac nomi- 6
ne ab uno ex duobus ejus Locumtenentibus civilibus; unde propterea dari non solent executores speciales, eo modo quo in literis sub plumbo, quæ pro provisis expediuntur, deputati solent, dum (ut præmissum est) actus sit nomine Cameræ, ejusque Commissarii, non autem nomine provisi.

Quandoque tamen, etiam hujusmodi Brevium executio fit per Rotam; Vel quia in ea præventive causa introducta reperiatur ad instantiam possessoris provisi ab Ordinario, vel ab indultario, seu ab alio inferiori collatore, cum ea commissione, quæ jactationis & jactationum dicitur; Sive quod alias, super eo beneficio lis in Rota pendeat.

Idque ob hujus Tribunalis prærogativam, alibi quo-
que insinuatam, quod ubi scilicet causæ beneficiales in 7
eo introductæ reperiuntur, tunc omnis alius executor cessat, ipsaque Rota, partes executoris assumit; Idemque in collatione, vel institutione, juxta dispositionem illius Clementinæ, cujus frequens mentio, in materia beneficiali habetur. *g*

Sive quod a gestis per Auditorem Cameræ, vel per 8
alium executorem, causa per appellationem introducta sit in Rota; Actus autem executionis coram executore, vel Judice a quo, nulliter gestus esset; quoniam licet ipsius executoris jurisdictio, ex natura jurisdictionis delegatæ, etiam per actum inutilem consumpta sit, adeout non possit amplius se ingerere; Non tamen consumptæ sint literæ, quin per Rotam, prævia renunciatione possessionis nulliter adeptæ, denuo ex integro ad earum executionem procedi valeat, ex regula quod patia sunt nullum & nihil, neque ineptia executoris ordinem processus alterare, vel jus Partis tollere debet, ut ita aditus præbeatur intruso se confovendi in intrusione. *h*

Nimium proficua esse solet hujusmodi literarum via,
etiam in casu, in quo nullus timeatur oppositor, pro 9
majori scilicet commoditate provisi, in literarum expeditione; Ubi potissime, ob solutionem annatæ, notabilis sumptus sit necessarius, dum ita cum hoc brevi, modica fit impensa quinque ducatorum, sic pro qualitate beneficii, alicujus majoris summæ non multum excedentis, dum ita adipisci potest possessionem, atque potiri beneficio dilationis sex mensium, in literarum expeditione.

Magis vero eadem via proficua est in illis provisio-
nibus, in quibus timeatur contradictor, qui Ordinarii, 10
vel indultarii provisionem habeat, ex duplici respectu; Primo nempe, qui pro hujusmodi executione obtinenda, non requiritur illa major justificatio valoris ipsius beneficii, & obtentorum, aliorumque narratorum, sed sufficiat justificatio vacationis, cum ea qualitate, quæ producat Apostolicam reservationem, vel affectionem, ac etiam illa capacitatis provisi. *i*

Et secundo, quia provisus Apostolicus, incertus de 11
suæ provisionis subsistantia, ob reservationis, vel affectionis dubietatem, ita se non exponit periculo jacturæ inutilis sumptus in expeditione literarum, quatenus succumbat; Quamvis etenim in hujusmodi Brevibus adjiciatur decretum, sub pœna annullationis gratiæ ipso jure, ut pro-

ut provisus teneatur infra semestre, a die datæ ipsius brevis, expediri literas sub plumbo, in forma Cancellariæ; Attamen, de stylo Curiæ receptum est, ut iste terminus non currat, nisi post adeptam pacificam possessionem, atque cessatam litem; *l* Eodem modo quo generaliter in aliis, ac similibus decretis super aliquo implemento infra certum terminum, stylus inolevit; Puta, circa onus suscipiendi gradum Doctoratus, vel se promovendi ad Ordines sacros, cum similibus in rerum beneficialium sede recensitis. *m*

12 Quando itaque, hujusmodi brevis executio, ab Auditore Cameræ petitur, eo præsentato, desuper conceditur solitum monitorium, cujus vigore, nullo extante oppositore, quia nempe possessio beneficii vere vacua sit, sive quod possessor, ex provisione inferioris collatoris agnita suæ provisionis insubsistentia, cedat, atque se opponere negligat, & tunc non datur ulterior Processus, dum ita adimpletus est finis, ut pluries in praxi expertus sum; Si vero adsit oppositor, seu contradictor, tunc illud monitorium resolvitur in citationem, adeout inutilis remaneat ille actus adeptionis possessionis, qui de facto fiat, ac propterea reproducto monitorio, factaque justificatione reservationis, & capacitatis provisi, alia Parte citata, aliisque servatis, quæ pro stylo in isto processo summario, & executivo servari debent, decernitur executio, etiam per cedulam, in forma sententiæ diffinitivæ cum solutione sportularum, seu propinæ: Isteque est unus ex illis casibus, in quibus, (præter regulam generalem,) in judicio summario, & executivo procedatur in forma sententiæ diffinitivæ per cedulam; Et tamen quod ab ea regulariter non detur appellatio suspensiva, adeout circa vitium attentatorum, ad executionem procedi valeat.

Bene verum quod succumbentes occurrere solent, ut executio impediatur, recurrendo ad Signaturam Justitiæ, prætendendo, ut ratione nullitatis, vel injustitiæ sententiæ executoris, rescribi debeat de appellatione etiam ad effectum suspensivum; Atque ubi Signatura dubitat de validitate, vel justitia, sive reputet reservationem nimium dubiam, & altioris indaginis, rescribere quandoque solet de clausula translativa executionis; Nempe *parito literis arbitrio*; Sive *alteri qui ad legitimam*, Aut *alteri qui ad ulteriorem*, vel cum alia simili clausula, ut supra in rubrica appellationis, ac etiam in relatione Curiæ agendo de Signatura justitiæ advertitur; *n* Regulariter autem, cessante ista dubietate, rejecta appellatione suspensiva, committitur causa appellationis in devolutivo tantum, cum clausola *parito literis*, vel cum altera *sine præjudicio executionis*.

13 Quo vero ad aliam speciem literarum sub plumbo in forma Cancellariæ ad favorem provisi, pro eo immittendo in possessionem beneficii; Duplex est hujusmodi literarum species; Unam scilicet earum, quæ dicuntur in forma dignum, eo quia ab hoc verbo *dignum* earum oratio initium habet; Ac etiam ratione finis, ob quem in ista forma expediuntur, quod scilicet, quando Papa est incertus, an provisus dignus, vel indignus esset, ita rescribere solet Ordinario loci beneficii, ut sibi constito, quod ille orator dignus esset, cum nomine, ac vice ipsius Papæ de illo beneficio provideat, ac investiat, unde propterea per Beneficialistas non dicitur provisio, sed potius mandatum de providendo ad aliquos effectus, de quibus in rerum beneficialium sede.

Altera vero forma est ea, quæ dicitur gratiosa, ubi scilicet provisus, proprii Ordinarii testimonium habeat super vita, & moribus, ac idoneitate in literatura; Sive quod, habendo hoc testimonium super vita, & moribus, tantum, idoneitas circa literaturam, certificetur per approbationem Examinatorum Vicarii Urbis, ex commissione Datarii, vel quod alias apud eundem Datarium utraque idoneitas notoria sit; Istaque forma, vel species literarum dirigitur particularibus executoribus, ad electionem provisi, atque dicitur pura, & perfecta provisio; Unde propterea, quando non timeatur contradictor particularis, sed solum timeatur illa contradictio de facto, quam facere solet Ordinarius, vel Capitulum, (ubi beneficia præsertim in Cathedralibus, vel Collegiatis conferantur personis parum gratis;) Tunc per Executorem in Curia deputatum, expediri solet quoddam monitorium, quod appellatur processus fulminatus, cujus vigore per quamcunque personam ecclesiasticam provisus in possessione immitti poterit; Atque ubi non adsit oppositor de facto, ita sequitur executio; Ubi vero adsit oppositor, tunc inservit loco citationis, ut servatis servandis, ipsoque oppositore audito, quatenus compareat, sin minus in contumaciam, & per contradictas, procedatur ad sententiam, super executione, eodem modo quo supra in executione brevis de capienda possessione nomine Cameræ, est dictum.

Inter unam autem, ac alteram speciem literarum, in forma scilicet dignum, & in altera gratiosa, ea dignoscitur differentia (quando revera non adsit legitimus contradictor) quod in prima specie, ultra necessariam justificationem narratorum, adire oportet Ordinarium, atque coram eo justificare idoneitatem, tam circa vitam, & mores, quam circa literaturam, unde propterea cogitur se exponere examini, quatenus ille velit eo mediante de hac idoneitate se certificare, quod non requiritur in alio casu.

In reliquis autem, ambulant pari passu, circa idem privilegium processus summarii, & executivi, quoties esset legitimus contradictor, adeout non admittatur appellatio suspensiva, quamvis executio decernatur per cedulam in forma sententiæ diffinitivæ, ut supra.

Prout etiam, æqualis est necessitas summariæ justificationis narratorum, tam scilicet circa valorem ipsius beneficii & obtentorum, quam etiam circa clericatum, aliasque qualitates provisi in eisdem literis narratas, vel præsuppositas, pro beneficiorum qualitate; Puta circa doctoratum, vel circa aliquos ordines, aut circa nobilitatem, seu originariam qualitatem, aliaque similia, pro singulorum casuum circumstantiis; Quando etenim non adsit legitimus contradictor, tunc æque dicitur merus executor, qui sit deputatus in una specie literarum in forma dignum, ac in altera forma gratiosa; Et e converso, quando adsit contradictor legitimus, æque dicitur mixtus, in una, ac in altera specie. 14

Ad effugiendum tamen onus istius justificationis, super qua, & præsertim circa valorem, & quandoque circa nobilitatem, vel aliam qualitatem, oppositores impedimenta præstare solent; Sive ut eo minus oppositor dici valeat contradictor legitimus, expediri solent literæ, super alia gratia concessa ad partes, vel desumpta ex clausulis supplicationis ejusdem provisionis & gratiæ principalis, subrogationis scilicet in jus, & possessionem defuncti; Istoque casu, pro hujusmodi literarum executione, sufficit minor justificatio, nempe Apostolicæ reservationis, vel affectionis, quæ est istius gratiæ fundamentum, unde propterea debet esse omnino clara; Nec non obitus defuncti in possessione beneficii, & clericatus provisi. *o*

Major itaque inspectio, quæ in hac materia executionis literarum Apostolicarum cadat, percutit punctum legitimi contradictoris, an scilicet & quando iste adesse dicatur necne; Duæ siquidem habentur contradictoris species; Una scilicet contradictoris veri & proprii; Et altera improprii: Verus enim, ac proprius legitimus contradictor est ille, qui fovet parem titulum, ita & taliter, quod executor efficiatur mixtus, atque formales partes Judicis assumere teneatur, unde resultat cessatio processus executivi, ut procedendum sit in judicio ordinario appellabili, terminando per rem judicatam, vel per tres conformes, cum agi dicatur de puncto petitorii super titulo beneficii, ejusque adjudicatione, ut in sua beneficiali materia habetur; Ubi etiam quando dicatur quis habere tale jus, ut vere dici valeat legitimus contradictor. *p* 15

Alter vero dicitur contradictor, seu oppositor de facto, tanquam intrusus in possessione beneficii, sive alias admissus ad causam, quia prætendat aliquam provisionem, vel jus in beneficio habere, non tamen habeat parem titulum, munitum illis circumstantiis, quarum concursus desideratur ad reddendum aliquem legitimum contradictorem; Et tunc non impeditur processus executivus, sed dicitur contradictor improprius & de facto, ad effectum ut debeat citari, & audiri. *q*

In beneficiis autem capitularibus, vel collegiativis, puta in Cathedralibus, & in Collegiatis; Cum ipsum Capitulum, vel Collegium, noviter proviso se opponere soleat, quamvis alter non adsit, qui de beneficio contendat; Et tunc cadit quæstio, an Capitulum sit legitimus contradictor; Atque regula est negativa, cum nil sua intersit, an unus, vel alter locum vacuum occupare debeat; Nisi oppositio sit ratione inhabilitatis personæ, vel carentiæ illarum qualitatum, quæ ex privilegiis, vel Statutis desiderentur; Puta civilitatis, vel nobilitatis, aut puritatis sanguinis cum similibus; Verum erit legitima contradictio, juxta secundam speciem in processo executivo, nisi facti circumstantiæ suadeant limitationem pro arbitrio Signaturæ. 16

Cum materia beneficiali fraternizat altera pensionum ecclesiasticarum 17

ecck-

ecclesiasticarum, quod scilicet literæ Apostolicæ super reservatione pensionis, paratam executionem quoque habent; Tum ob privilegium ipsarum literarum, quod est generale in omni alia ipsarum literarum specie; quoties circumstantiæ non sint tales, ut locum aperiant limitationi supradictæ, ratione legitimi contradictoris; Tum etiam ex ipsius pensionis natura executiva, eo quia redolet speciem alimentorum. *f*

48 Idque verum, non solum in primis, ac directis literis Apostolicis, super reservatione, sed etiam super aliis literis, vel documentis alicujus inferioris, super translationem, dum etiam translatario competit via executiva; *e* Atque in isto pariter casu verificatur idem quod de literis Apostolicis super provisione beneficiorum est dictum, quod scilicet servatur quædam forma judicii ordinarii per monitorium, & per cedulam in forma sententiæ diffinitivæ; Et tamen processus remanet executivus.

49 Frequenter autem in ista materia, utpote melior (quando practicari potest) est altera via judicii possessorii manutentionis, de quo *disc. seq.* cum ita pensionarius Actor a multis oneribus eximatur ut ibi.

Datur item casus mistus utriusque materiæ, pensionis, & beneficiorum, in quo disputari contingit, an in processu ordinario, vel executivo procedendum sit, quia nempe agatur de pensione reservata ex causa resignationis ad favorem resignantis, qui sibi reservaverit regressum; Sive quod, etiam sine reservatione, posset ille competere; Et propterea, ubi velit illum exercere, intrat ista quæstio ordinis Judiciarii; Distinctio vero est (ut Beneficialistæ dicunt) inter formam antiquam, & modernam, id est, quod ubi agitur de illo subsidiario regressu, qui ex dispositione, vel intentione juris datur per quandam speciem pœnæ proterviæ, & contumaciæ titularis, non solvendi pensionem; Et tunc procedendum sit in judicio ordinario, & appellabili, terminando per rem judicatam, vel per tres conformes; Secus autem, ubi agatur de regressu reservato per viam conditionis approbatæ per Papam, cum quadam gratia speciali, quæ dicitur in forma moderna, quoniam, licet servetur forma judicii ordinarii, cum monitorio, & cum servatione terminorum, & cum sententia per cedulam, super immissione, ad instar executionis novæ provisionis; Attamen retinet naturam processus executivi, ut non admittat appellationem suspensivam, quando ex facti circumstantiis Signaturæ non videatur eam admittere, juxta generalem limitationem totius materiæ executivæ. *u*

In beneficialibus quoque, existentia contradictoris cessare non facit processum executivum, ideoque appellatio conceditur ad effectum devolutivum tantum, quando agatur de concursu ad parochiales, juxta formam præscriptam a Concilio Tridentino. *x*

Aut ubi agatur de illis dignitatibus Hierosolymitanæ Religionis, quæ admixtum habeant officium, vel administrationem, adeout appellationis more irreparabile præjudicium causarent, non quidem ipsi, qui dignitatem, in concursu plurium de illa contendentium, sibi adjudicari obtinuerint, sed magis ac principaliter, ipsi Regioni, vel illi publico operi, sive administrationi, cum tunc ad formam illorum stabilimentorum, appellatio suspensiva non intret; Secus autem ubi ista ratio non urgeat, cum tunc intret regula legitimi contradictoris. *y*

a *In relatione Curia*, *disc.* 9. b *tit. de benef. disc.* 42.
c *d. tit. de benef. disc.* 56. & 76. d *dec.* 31. *part.* 10. *rec.* & *passim*. e *In relatione Curia*, *disc.* 10. & 7. f Arguellea, *dec.* 34. & 40. *tit. de benef. disc.* 5. & 17. g *tit. de benef. disc.* 52. h *d. decis.* 31. *part.* 10. *rec. repetit.* apud Arguell. *dec.* 34. Ottob. *dec.* 58. *tit. de benef. disc.* 55.
i *dec.* 31. *par.* 10. *rec.* & *sæpius*. l *d. dec.* 31. *part.* 10. *rec. alias* apud Arguell. *dec.* 24. & *tit. de benef. disc.* 17.
m *tit. de benef. disc.* 42. n *supra*, *disc.* 37. & *in relatione Curiæ*, *disc* 31. o *tit. de benef. disc.* 52. & 73. & *in suppl.*
p *tit. de benef. disc.* 73. & *in aliis*. q *Ibidem*.
r *tit. de benef. disc.* 55. s *lib.* 13. *tit. de Pens. disc.* 38. & 57.
t *d. tit. de Pens. disc.* 57. & 65. u *tit. de Pens. disc.* 13. & 74.
x *tit. de Paroch. disc.* 37. y Dunozett. *dec.* 690.

De judiciis, vel interdictis possessoriis; Reintegrandæ; Et retinendæ.

SUMMARIUM.

1 *Tria sunt hæc interdicta, & quæ.*
2 *Illud reintegrandæ parum in usu, & de ratione.*
3 *Quæ libet possessorium de jure canonico est appellabile.*
4 *Fallit in possessorio retinendæ, dummodo sit summarium.*
5 *Quomodo distinguatur summarium a plenario.*
6 *Etiam in hoc remedio summario requiritur monitorium, & quando secus.*
7 *Item est appellabile si continet mixturam petitorii.*
8 *Quod extra Curiam materia possessorii non bene distinguatur.*
9 *De cumulo plurium ex his remediis, vel interdictis in idem.*
10 *Quod regulariter sint incompatibilia, & quod petens immitti, vel reintegrari, fateatur se non possidere, ac probet possessionem alterius, & non detur immitti ei, qui semel possedit.*
11 *Potest peti immissio pro confirmatione possessionis, quæ habeatur.*
12 *Vel peti reintegratio ad solam naturalem compatibiliter cum retentione civilis.*
13 *Quomodo ista compatibilitas regulari debeat.*
14 *De immissione, quæ competit proviso de beneficio, etiam ab Ordinario.*
15 *De altera pro regressu, quæ competit pensionario.*
16 *Et de competente pensionario, vel translatario.*
17 *Competit etiam proviso de officio, vel Prælatura.*
18 *De immissione in vim* l. fin. C. de edicto div. Adr. toll. *non solum primo heredi, sed etiam fideicommissario universali.*
19 *Non datur institutio in re particulari, etiamsi sit in legitima.*
20 *Competit etiam donatario universali, vel fideicommissario universali per contractum.*
21 *Competit feudatario in vim investituræ feudalis, emphyteuta.*
22 *De interdicto quorum bonorum, quod competit heredi ab intestato.*
23 *Tam istud, quam alterum* l. fin. *datur etiam heredi heredis.*
24 *Legatario, vel fideicommissario particulari competit immissio ex interdicto quorum legatorum, vel ex interdicto Salviani.*
25 *De Salviano quod conceditur creditori habenti hypothecam tantum.*
26 *De hypothecaria.*
27 *Quid importet Salvianum, & quid concedat immissæ.*
28 *De remedio associationis in vim pacti de capiendo.*
29 *De eodem in vim constituti, & precarii.*
30 *Quod in Regno Neapolitano de stylo adjiciantur dictæ clausulæ, quæ censentur appositæ.*
31 *In Curia opponitur constitutum super funda censita.*
32 *De pacto precarii Bononiæ.*
33 *De eodem remedio associationis competente domino directo pro solutione canonum, vel in casu devolutionis.*
34 *De primo & secundo decreto.*
35 *De tenuta in majoratibus Hispaniæ.*
36 *De assistentia in Regno Neapolitano.*
37 *Probatio indentitatis est requisitum essentiale immissionis.*
38 *Non competit immissio in hoc judicio possessorio contra legitimum contradictorem.*
39 *De exceptionibus, quæ competant cuilibet possessori, quamvis non esset talis, ut dici valeat contradictor legitimus.*
40 *De distinctione inter exceptiones claras, vel turbidas, & altioris indaginis.*
41 *An interdictum quorum bonorum detur contra titulo possidentem?*
42 *Datur ad bona quomodocunque possessa per defunctum tempore mortis absque justificatione dominii, idemque in alio remedio* l. fin.
43 *An possessor objiciat de resolutione juris unius ex jure tertii?*
44 *Quomodo in hac materia sit procedendum, & quæ regula desuper cadat.*
45 *De tribus requisitis ad faciendum contradictorem in materia fideicommissaria.*
46 *De qualitatibus, quæ ad hunc effectum in Judice desiderentur.*
47 *De requisitis necessariis Salviani circa creditum, & circa hypothecam atque istius validitatem, vel existentiam, seu efficaciam, & de aliis exceptionibus.*
48 *An Judæi vel forenses incapaces acquisitionis bonorum in dominio sint incapaces hypothecæ, ut Salvianum eis non competat?*

49 *De*

49 *De Salviano ad commoditatem bonorum incapacium hypotheca.*
50 *De conclusione, quod exceptiones altioris indaginis in judicio Salviani non admittuntur.*
51 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
52 *De primo, & secundo extremo Salviani ejusque probatione.*
53 *An sit probandum dominium possessoris, qui bona hypothecavit?*
54 *De associatione, & præsertim de efficacia constituti, & de quæstionibus quæ super eo cadunt.*
55 *An in associatione requiratur citatio partis?*
56 *Quod præjudicet servare formam judicii.*
57 *An illa datur contra tertium possessorem titulo singulari?*
58 *An interdictum reintegrandæ proveniat a jure civili, vel a canonico, & de effectibus exinde resultantibus?*
59 *In specie de appellatione suspensiva.*
60 *Quod hæc materia appellationis regulatur potius a stylis.*
61 *Quare adinventum sit remedium reintegrationis, & quando intret.*
62 *Manutentio non datur sine possessione.*
63 *Immissio non competit ei qui semel possedit, & possessionem amisit.*
64 *Quod sit magis proficuum remedium manutentionis, quam reintegrationis.*
65 *Quando, & ad quos effectus excipiendos, objici soleat de spolio, & de pœnis spoliatoris.*
66 *Quando oporteat recurrere ad hoc interdictum reintegrationis.*
67 *Possessio quando amittatur ex facto proprio etiam nullo; Et an & quando ei qui cecidit a possessione facto proprio, competat manutentio, vel reintegratio?*
68 *Possessio ficta, seu civilis cessat ex contraria animi declaratione.*
69 *Quando amittatur dicta possessio civilis per patientiam, vel per longum tempus.*
70 *Ista amissio non præjudicat pro remedio reintegrationis.*
71 *Per quantum tempus istud remedium reintegrationis præscribatur.*
72 *De cumulatione utriusque remedii manutentionis, & reintegrationis, & quare.*
73 *De reintegratione adversus creditorem immissum in Salviano, & quando debeat etiam competere, & practicari manutentio.*
74 *De quæstionibus cum creditoribus immissis in Salviana super redditione rationum.*
75 *Possessio ejusdem rei non potest esse penes plures in solidum, ideoque possessio unius est allegabilis a tertio.*
76 *In quo casu vere & proprie intret summarium remedium manutentionis.*
77 *De privilegiis hujus remedii, & præsertim circa appellationem, & quod debeat prius terminari, alias nulliter proceditur.*
78 *Quod in eo admittuntur probationes imperfectæ, & non dantur exceptiones contra testes.*
79 *De ratione, cui prædicta, & similia privilegia innitantur, & quando ea procedere debeant.*
80 *Quando factum nullum ex defectu consensus non præjudicet in possessorio, præsertim in actu facta in carcere.*
81 *In hoc judicio non quæritur de justitia, vel injustitia possessionis, sed attenditur nudum factum.*
82 *Possessio anterior etiam per momentum præfertur, & debet manuteneri.*
83 *An, & quando manutentio competat illi, qui per factum Judicis expulsus est, suaque possessione privatus?*
84 *Damnatur stylus procedendi cum formalitatibus, & constituendi differentiam inter remedium manutentionis, & illud reintegrationis.*
85 *De Ægidiana, & de damnabilibus formalitatibus circa ipsam.*
86 *De privilegio associationis, de qua supra, quando procedat.*
87 *De manutentione competente in vim clausulæ constituti, & de quæstionibus, quæ desuper cadunt.*
88 *Vel reservationis usufructus.*
89 *An sit manutenibilis illa possessio, cui jus resistat?*
90 *Quid ubi obstat decretum irritans, quod inficit omnem possessionem.*
91 *De ammissione possessionis ob lapsum decennii, vel ob patientiam.*
91 *De stylo Signaturæ rescribendi in hoc Judicio de clausula suspensiva.*
93 *Quando iste stylus procedat, & quid operetur.*
94 *De ratione, ob quam associatio, vel manutentio non admittunt appellationem suspensivam.*
95 *Quod vel in omnibus possessoriis idem dicendum esset, vel in nullo.*
96 *De ratione differentiæ ubi procedatur per decretum interlocutorium, vel per sententiam.*
97 *Possessorium quod habeat mixturam petitorii, est appellabile.*
98 *Quæ regula dari possit in hac materia.*
99 *An, & quando competat manutentio ex sola assistentia juris, & præsertim in jurisdictionalibus?*
100 *De manutentione in rebus non possessis ob possessionem aliorum ex causa universali quando intret.*
101 *An possessio in parte suffragetur in toto?*
102 *De manutentione competente contra successorem, vel ex persona prædecessorio.*
103 *De possessione occasionali, vel causativa, seu ad tempus, vel sub conditione.*
104 *De possessione inefficaci, & minus legitima, ut non mereatur manutentionem.*
105 *An in facultatibus intret manutentio, & quando?*
106 *De statuto de continuanda possessione defuncti in heredem.*
107 *An, & quando obstet exceptio boni juris, atque doceri debeat de titulo?*
108 *Quid in beneficiis Ecclesiasticis.*
109 *Quid in pensionibus.*
110 *De superveniente titulo, vel causa possidendi, ejusque mutatione.*
111 *Petitur in quacunque instantia, & an post rem judicatam in gradu restitutionis in integrum?*
112 *Pro executione mandati de manutenendo datur etiam mandatum executivum.*

D I S C. XLIV.

QUamvis tria sint inter se distincta hæc judicia, sive interdicta possessoria; Adipiscendæ scilicet, quod in Curia sub vocabulo immissionis explicatur, Reintegrandæ, quod sub vocabulo reintegrationis; Et Retinendæ, quod sub vocabulo manutentionis; Attamen in Curia, primum, & ultimum in praxi frequentia sunt; Medium autem reintegrationis ab aula quodammodo recessisse videtur, sive in oblivionem abiisse, quamvis apud antiquiores in eadem Curia illud esset frequens, ultimum vero e converso nimis rarum, peneque ignotum. *a* 1

Ratio hujus mutationis productiva provenit a Juris canonici dispositione, cum qua proceditur in Curia Romana Ecclesiastica, idest Papæ, tanquam Papæ, quidquid sit de eadem Curia sæculari, idest Papæ tanquam Principis temporalis, ut infra; Cum etenim de hoc jure non procedat illud privilegium, quod generaliter per Jus Civile iste interdictus possessoriis concessum est, processus scilicet executivi, cum denegatione appellationis suspensivæ, quoniam pro regula generali quodlibet possessorium de jure canonico est appellabile, adeout nulla dignosci videatur differentia inter possessorium, & petitorium. *b* 2 3

Ab aliquo vero moderno tempore, Curia recepit opinionem, ut possessorium retinendæ, quod manutentionis dicitur, quando summarium sit, non autem plenarium, non admittat appellationem suspensivam, sed sit executivum, etiam in foro Ecclesiastico, ipsaque dispositione juris canonici quoque attenta. *c* 4

Hinc proinde, ob istum adeo proficuum effectum, rationabiliter hic usus inolevit, deferendi remedium reintegratorium, utpote appellabile, & recurrendi ad istud retinendæ, utpote executivum, ac privilegiatum in forma summaria, non autem plenaria; Potissime vero quia (ut infra,) eadem Curia moderna, fimbrias nimium dilatavit in concedendo de facili istud remedium, etiam iis, qui facto Judicis fuerint eorum possessione spoliati, quando illud, nullum, vel notorie injustum sit, ratione solitus possessionis civilis animo retentæ, quæ ad se attrahat naturalem.

Distinguitur autem istud summarium, ac privilegiatum judicium retinendæ ab altero plenario, ad hunc effectum appellationis, vel processus ordinarii, & executivi respective; Primo nempe ex ipsius judicii ordine, an scilicet procedatur per sententiam diffinitivam, atque (ut in 5

Curia

Curia dicimus) per cedulam, vel potius per decretum in-
terlocutorium; Ut scilicet primo casu dicatur possesso-
rium ordinarium, & appellabile: In altero autem summa-
6 rium, & executivum; Quamvis etiam in isto adhibitum
quoque fuerit monitorium, quo juxta Curiæ praxim repu-
tatur necessarium, quoties agendo intentetur; Secus au-
tem ubi incidenter, ac excipiendo. *d*

Et secundo ubi agatur de possessorio, quod explicitam
7 contineat mixturam, & canonizationem petitorii, sive
quod eadem mixtura resultet a dependentia, quia scilicet
agatur de possessione, quæ pendeat a titulo, seu a nego-
tio principali.

Adhuc tamen quandoque (licet rarius) prædictum judi-
8 cium reintegrationis in praxi auditur; Et præsertim in cau-
sis de partibus, quæ ad Curiam per appellationem devol-
vuntur, cum juxta quotidianam experientiam, In hujusmo-
di causis edoceamur, quod extra Curiam, non adeo bene
distincta notitia, & praxis habetur hujusmodi materię pos-
sessoriæ; Et præsertim circa præfatam distinctionem, in-
ter manutentionem, & reintegrationem, cum frequen-
ter ea confusa dignoscatur: Ac etiam circa aliam distin-
ctionem, in eodem genere interdicti retinendæ, inter sum-
marium, & plenarium.

Auditur etenim aliquando dicta mixtura interdictorum,
9 reintegrandæ, & retinendæ, sed cum debito ordine subsi-
diario, & compatibili, quod scilicet principaliter inten-
tetur magis proficuum remedium retinendæ, sed quoniam
dubietas cadere potest super ejus competentia, idcirco sub-
sidiarie, cum cumulatione compatibili intentatur etiam al-
terum reintegrandæ, & quandoque etiam illud adipiscen-
dæ cum clausula *quatenus opus sit*, seu alia æquipollenti.

10 Regulariter etenim, ista interdicta sunt inter se in-
compatibilia, seu contradictoria, quoniam illi, qui se-
mel possedit, atque a possessione quomodocunque cecidit,
non competit interdictum adipiscendæ, quod supponit a-
deptionem possessionis omnino novæ: *f* Adeo ut ille, qui
istud remedium intentat, fateri dicatur se nunquam posse-
disse, ac propterea duo resultant effectus, circa alterum
magis proficuum remedium manutentionis. Unus scilicet
sibi præjudicialis, quod ita sibi præcludit viam ad illud
recurrendi; Et alter proficuus adversario, quod ita peten-
do contra eum immissionem, fatetur, & agnoscit eum
in possessorem, istaque etiam implicita tantum confessio
probat illius possessionem, ut propterea sibi manutentio
debita sit absque alia justificatione. Quamvis confessio
esset qualificata, quia nempe assereretur possessor inju-
stus, atque intrusus, vel prædo, quoniam adhuc eadem
resultat probatio; *g* Sive quod esset confessio dubitativa,
vel impugnativa, puta cum verbo, *ut dicitur*, vel ut
prætenditur. *d*

Prout etiam cum remedio manutentionis est incompati-
bile alterum reintegrationis, ex cujus petitione resultat
confessio exclusiva suæ possessionis, sine quo manutentio
competere non potest, quoniam ei, qui naturaliter,
& de facto possessor non est, istud retinendæ, seu ma-
nutentionis remedium concedatur ratione possessionis ci-
vilis, quæ animo retineatur, idcirco dum se declarat spo-
liatum, ita fatetur animo non retinuisse, neque retinere
possessionem. *ha*.

Adhuc tamen iste cumulus quandoque est practicabilis,
quando scilicet, cum debita cautela id sequatur, quia nem-
pe petatur, ac obtineatur immissio pro confirmatione, &
11 corroboratione, seu munimine possessionis, quæ jam ob-
tineatur; *i* Sive petatur, ac obtineatur reintegratio pos-
sessionis naturalis, qua de facto fuit spoliatus, ad effectum
12 illam uniendi cum civili, quæ animo retineatur. *l*

Non videtur tamen in hoc recipiendus ille ineptus Prag-
maticorum sensus, id scilicet restringendi ad nudam ver-
borum formalitatem: ut quandoque in praxi expertus
13 sum; Sed pro facti qualitate, & circumstantiis, atten-
denda venit substantia veritatis, aut verisimilis intentio
possessoris; Absonum enim videtur, atque manifestum
contineat judaismum, ut a majori, vel minori peritia pro-
curatoris, vel causidici in concipiendo petitionem, cum
una, vel cum altera phrasi, vel formula, regulari debeat
animus principalis, inducendo in eo illam retentionem,
quam in animo non habuerit; Sive e converso illum ha-
bendo pro spoliato, qui revera se pro tali habere noluerit.

His ergo ita prænotatis; Ad singula hæc remedia de-
scendendo. Quatenus pertinet ad primum adipiscendæ,
sive immissionis; Illud æque intrat in prophanis, ac in
spiritualibus.

In spiritualibus scilicet, juxta ea quæ insinuata sunt *disc.*
præcedenti, circa immissionem competentem proviso de
beneficio, tam in vim literarum Apostolicarum, quam et- 14
iam in vim provisionis Ordinarii, vel alterius inferioris
collatoris, quoniam etiam pro ista provisione, idem com-
petit remedium proviso, idemque intrant termini legitimi,
& non legitimi contradictoris. *m*

Ac etiam in materia pensionum ecclesiasticarum idem 15
procedit in casu scilicet regressus, vel ingressus ad benefi-
cium juxta modernam formam eodem *disc. præcedenti* in-
sinuatum; Vel circa eam immissionem, quæ conceditur 16
pensionario ex prima reservatione. Sive etiam translata-
rio, quoniam licet ipse subintret in universum jus transfe-
rentis, ac etiam in possessionem quoad omnes effectus,
Attamen, ex quodam stylo Curiæ sibi non conceditur
remedium manutentionis, ex possessione auctoris, sed
illud dimissionis. *n*

Prout ad instar idem dicendum erit in prælaturis, vel 17
officiis in vim publici instrumenti electionis, perfecte exe-
quibilis, vel deputationis cum similibus, quibus eadem
congruat ratio, dum reputatis vicem habet investituræ,
ut infra.

In prophanis autem, illud plures ac diversas continet 18
species; Primo nempe illud, quod in vim testamenti
competit universali hæredi scripto, sive sit in tota hære-
ditate, sive in ejus quota, ex dispositione textus *in l. fin.*
Cod. de edict. Div. Adr. toll. *o* Quamvis enim de stricta
juris censura, illud competat solum primo, ac directo hæ-
redi. Attamen in praxi magis recepta est illa opinio, (quæ
tamen contradictoribus non caret) ut competat etiam
obliquo, seu mediato, nempe fideicommissario, non cu-
rata mediorum pluralitate, dummodo pariter sit universa-
lis in tota, vel quota; *p* Secus autem si in certa re, quin- 19
imo etiamsi in legitima de jure debita, quamvis honora-
bilis institutionis titulus accedat, quoniam ubi institu-
tionis, vel fideicommissi particularis naturam sortiatur,
verius est, competere alteram speciem immissionis, quæ
ut infra legatario conceditur, non autem istam.

Altera est species immissionis ex eodem remedio *dictæ* 20
legis finalis, *C. de edict. Div. Adrian.* Sive ad instar, quæ
competit ex dispositione inter vivos, donatario universa-
li, qui loco hæredis habetur, sive sit directus & immedia-
tus, sive obliquus & mediatus ut supra; Dum etiam pro
fideicommisso universali ordinato inter vivos, idem reme-
dium in praxi est receptum. *r*

Idem quoque procedit in feudo, vel in emphyteusi in vim 21
investituræ feudalis, tam in primo investito, quam in quo-
cunque alio successive per eandem investituram vocato,
quoniam feudum ad instar hæreditatis, universitatem quo-
que constituit, *s* quod emphyteusi etiam congruit, a qua
ad feudum admitti solet argumentum. *t*

Altera est diversa hujus possessorii species, quæ compe- 22
tit hæredi pariter universali in tota, vel in quota, ab in-
testato, ex illo interdicto quod appellatur, *Quorum bo-*
norum. Atque licet in hac specie successionis non detur
hæres obliquus, vel mediatus ex judicio testatoris; Datur
tamen ex judicio legis in hærede hæredis. Quod etiam ve-
rificatur in hærede testamentario, qui nullo fideicommissi 23
onere sit gravatus, quoniam in utroque casu si primus, ac
directus testatus, vel intestatus hæres non valeat, vel ne-
gligat hæreditatis, vel aliquorum bonorum possessionem
adipisci, unum, vel alterum ex dictis remediis ejus hære-
di conceditur. *u*

Tertia est species immissionis, vel possessorii interdi- 24
cti adipiscendæ, quæ competit particulari legatario, vel
fideicommissario. Itaque est duplex. Una scilicet ex illo
interdicto; quod dicitur *Quorum legatorum*. Et altera ex
eo quod appellatur *Salviani*, ratione hypothecæ, quam
lex nova legatario pro legati executione concessit; Atque
pariter procedit idem quod supra dictum est, ut scilicet
tam primo, & immediato, quam ulteriori, ac mediato
concedatur.

Quarta est prædicta possessorii species, quæ *Salviani* 25
dicitur, quæ competit creditori hypothecario, & non a-
lias, cum istius judicii fundamenta sit creditum, & hypo- 26
theca; *y* Itaque duplex producit remedium. Unum scili-
cet quod sub actionis hypothecariæ vocabulo in jure ex-
plicatur, non ita privilegium circa processum executi-
vum, circa appellationis suspensivæ rejectionem, cum
redoleat speciem petitorii. *z* Et alterum est prædictum Sal-
viani, quod non conceditur ad ipsam rem in proprietate,
vel substantia, neque dominium, seu veram possessionem
tri-

tribuit, dum utrumque remanet penes debitorem, vel tertium possessorem, sed solum per quandam speciem tenutæ, sive administrationis, conceditur immisso, ut fructus nomine possessoris administret ac percipiat, perceptos autem tanquam mandatarius in rem propriam, sibi ipsi applicet, ut de credito ita satisfiat, Ac propterea in bonorum locatione, vel administratione, majorem non habet potestatem, quam habeat ipse possessor. *b*

28 Quinta est species mixta, quæ conceditur in omnibus præmissis casibus, non ex natura, vel qualitate tituli, vel actionis, sed ea operatione pactorum, vel clausularum, Istudque appellatur remedium *Associationis*, quod conceditur illi qui pactum, vel facultatem habeat explicitam capiendi possessionem propria auctoritate; Sive sit jure crediti, sive sit jure dominii, vel ex quocunque alio capite sibi expediat possessionem adipisci. *c*

Idemque remedium competit quoque illi, pro quo ali-
29 quis se possidere constituerit, sive in vim clausulæ constituti, vel præcarii. Multo vero magis utriusque. *d*

Ac propterea in Regno præsertim Neapolitano, pro
30 observantia cujuscunque contractus, vel implementi, super quo publicum instrumentum confectum sit, istud remedium remanet connaturale, stante illo commendabili stylo, quem mirari consuevi, cur Romana Curia non introducat ob effectum executivum (de quo infra) in omnibus instrumentis omnia hæc adjiciendi, nempe pactum de capiendo propria auctoritate constitutum, & præcarium.

31 Adeoque iste stylus inolevit, ut quamvis Notarius istas clausulas adjicere negligat, adhuc tamen, tanquam de stylo apponi solitæ, censentur inesse, ut propterea competant eadem remedia, quæ competerent, si adessent. *e*

In Curia vero constitutum adjici solet in contractu censuali super fundo censito. *f*

Idemque stylus adjiciendi constitutum præcarium, præ-
32 sertim vero posterius, quod in plerisque privilegiatum reputatur, habetur in Bononiensi Civitate ex illo nimis amplo formulario. *g*

Prout etiam, idem pactum de capiendo propria auctori-
33 tate ad effectum ejusdem privilegiati remedii associationis, per legem subintelligitur, favore domini directi pro consolidatione dominii utilis cum directo, ac unionis possessionis naturalis cum civili, quando sit factus casus devolutionis, vel ob solutionem canonum, seu livellorum. *h*

Datur etiam de jure communi quædam species immissionis creditori chyrographario, qui præmissis remediis est destitutus, quod dicitur, ex primo, & secundo decre-
34 to, ratione contumaciæ debitoris. Verum id proprie non continet interdictum possessorium, atque in praxi nimium rarum est, ob alia pinguiora remedia. *i*

Ultra supradictas species possessorii, adipiscendæ, quæ
35 conceduntur de jure communi; Aliæ pro diversis locorum, vel regionum legibus, vel stylis adsunt species, & præsertim illa nimium summaria & executiva, ac privilegiata tenuta, quæ conceditur in majoribus Hispaniarum, ut in commissorum sede advertitur. *l*

In præfato item Regno Neapolitano: ex illis legibus,
36 prodiit quoddam adipiscendæ remedium, ibi nimium frequens, contra tertios possessores bonorum hypothecatorum (quatenus tamen hypotheca accedat, & non alias) quod *Assistentia*, dicitur compositum, juxta veriorem sententiam, tamquam quid mixtum, ex tribus remediis supra recensitis; Nempe hypothecaria, Salviano, & associationes, adeout dici non mereatur purum possessorium, sed admixtum habere petitorium, dum conceditur ad effectum vendendi, sive adjudicandi sibi ipsi, prævia æstimatione. *m*

Super præmissis autem hujus possessorii speciebus, diversæ cadunt quæstiones, juxta earum diversitatem, quo-
37 niam in prima, secunda, & tertia specie immissionis, ex remedio *l. finalis, C. de edict. Div. Adrian. tollend.* ac interdicti *quorum bonorum*, & alterius *quorum legatorum* ultra essentiale requisitum identitatis, quod est omnibus aliis commune; Intrat quoque inspectio legitimi contradictoris, quæ *disc. prac.* in beneficialibus insinuata est; Quinimo Beneficialistæ ex his speciebus, & præsertim ex prima resultante a præfata *leg. fin. C. de edict. Div. Adrian.* normam acceperunt, quoniam inter contendentes de pari titulo, sive venientes ea eodem fonte, cessant hæc reme-
38 dia possessoria, & privilegiata, atque procedendum est in judicio ordinario, ea eadem ratione quod unus dicitur alteri legitimus contradictor; Idque præsertim in fideicommissaria materia est frequens; Cumque ibi de hoc puncto pluries actum sit, idcirco ibi videndum erit ut quo magis fieri potest, eorum quæ jam dicta sunt, evitetur repetitio, quæ tamen in ista practica facultate est inevitabilis. *o*

Item, ubi ille, contra quem istud judicium intentatur, non sit talis, ut legitimi contradictoris titulus ei
congruat, non per hoc tamen aliis exceptionibus esse po- 39
test omnino destitutus, cum alias habere valeat exceptiones exclusivas juris agentis; Puta ob vitium testamenti, vel investituræ, cujus vigore petatur immissio. Unde propterea intrat distinctio inter vitium visibile, & invisibile, sive inter patens, & latens, ut primo casu dicatur exceptio apta retardare, atque intrat propositio, quod suspicio sufficiat, ex iis quæ ad materiam instrumentorum, & scripturarum habentur supra; *p* In altero autem procedatur cum eadem regula superius insinuata in judicio, seu processu executivo, an scilicet sit clara,
vel potius turbida, & altioris indaginis, ut in primo 40
casu retardet, in altero autem non. *q*

Idemque ubi exceptio percutiat inhabilitatem personæ actoris, vel quia ea bene legitimata non sit, vel quia ea prætendatur in eo incapacitas. *r*

Sive quod exceptio percutiat bona, quod scilicet spectarent ad alterum, quam ad defunctum, ut pro frequentiori contingentia habemus in praxi circa exceptionem fideicommissi antiquioris, vel investituræ feudalis, aut emphyteuticæ; *s* Aut quod objiciatur de valida alienatione in causam detractionum legalium, vel accidentalium; *t* Aut quod objiciatur de melioramentis cum similibus, de quibus in dicta fideicommissaria materia & in altera detractionum. *u*

Atque respectu interdicti *quorum bonorum*, cadit in- 41
spectio, an illud competat contra tertium possessorem titulo singulari; *x* Sive an docere oporteat de dominio ac pertinentia bonorum defuncti, vel potius solum sufficiat probare, quod bona essent per eum possessa tempore mortis, ut verius pro regula est receptum, tam in
isto interdicto, quam in dicto altero remedio *l. fin.* Quo- 42
ties clare, & incontinenti non constet de contrario quod scilicet possessio fuerit alieno nomine, Puta conductionis, vel administrationis, vel depositi, seu sequestri &c. Sive nomine proprio, sed ex titulo resolubili per mortem, ideoque sine dubio resoluto. *y*

In casu item resolutionis juris possessoris cadit quæstio, an quilibet possessor, vel detentor de hoc objiciat, tanquam de exceptione exclusiva juris agentis, vel solum de
hoc objicere possit ille, cujus favore resolutio secuta sit, 43
adeout possessori non liceat dare de jure tertii; Atque super hoc intrat etiam distinctio, an exceptio juris tertii sit notorie exclusiva juris agendi, vel potius e converso habeat aliquem statum implicitum donationis illius juris, quia nempe resolutio adhuc remaneat in statu eventualitatis, atque pendeat a voluntate tertii, qui volens, possit non agnoscere; Ut (ex. gr.) contingit in ea resolutione, quæ sequitur ex onere fideicommissi, vel alia simili, cum interim hæres gravatus, vel ejus hæres, aut alter qui ab eo causam habeat, recte continuet. *a*

Hine sequitur, quod desuper certa & generalis regula
statui non potest, clarusque error est cum generalitati- 44
bus procedere, sive ad literam attendere doctrinas, & decisiones, quæ percutiant aliquos casus particulares pro retardationis hujus judicii affirmativa, vel negativa, sive pro qualitate legitimi contradictoris, cum totum pendeat a singulorum casuum particularis circumstantiis, ob quas (ut toties advertitur) stant bene simul; ut eædem, ac individuales exceptiones, in uno casu admittantur, & in altero rejiciantur. Atque ad id hodie potissimum, ac principaliter est reflectendum, cum præsertim in Curia, ob tam magnam frequentiam decisionum Rotæ, a quarum studio juvenes incipiunt, priusquam terminos necessarios Institutionum addiscant, regulæ, seu conclusiones sunt effectæ omnibus planæ, ac notoriæ, sed magnum inconveniens consistit in incongrua applicatione.

Et præsertim circa verificationem trium vulgarium requisitorum, ad faciendum aliquem legitimum contradictorem, ratione fideicommissi, vel similis juris. Quod sci- 45
licet istud sit clarum; Quod certum sit nullas competere detractiones: Et quod possessio non sit vitiosa. Quoniam super verificatione primi requisiti, commendabile quidem est, ut rigorose procedatur, cum percutiat substan-

tiam

tiam negotii principalis. Super verificatione autem secundi detractionum, pariter circumspecte, sed non adeo. Sed super tertio, solum inspici debeat finis, ob quem ita statutum est: Sive principaliter attendi debeat ratio legis, non autem sola litera, vel formalitas pro inanibus circuitibus, atque per quandam speciem judaismi, juxta ponderationes, de quibus in dicta fideicommissaria materia; *b* Ideoque semper erroneum est procedere cum generalitatibus, vel cum doctrinis, & auctoritatibus in abstracto; quoniam (ut præmissum est) pene omnes quæstiones forenses hodie sunt potius facti, & applicationis quam juris, cujus regulæ, vel propositiones, in magnis præsertim Civitatibus, & Tribunalibus redditæ sunt notoriæ. Ac propterea in Judice (cum præsupposito sufficientis literaturæ, & integritatis) magis desideranda est excellentia in judicio
46 adæquato, quam in ingenio, magisque desiderandum est, ut ille sit bonus Factista, quam excellens Jurista, dummodo sufficientem habeat Juris peritiam,

In alia vero specie hujus possessorii adipiscendæ, ex interdicto Salviani ratione hypothecæ; Exceptiones percu-
47 tere solent; In primis existentiam crediti, sine quo illud non competit; *c* Isto justificato, percutere solent existentiam, vel competentiam hypothecæ, quæ pariter est necessaria, & sine qua istud judicium non intrat; *d* Id autem disputari solet, quando illa non legatur explicita in documento, cujus vigore agatur, sed prætendatur implicite desumi, ex pactis, vel clausulis, ut est illa hypotheca, quæ implicite desumitur ex obligatione in forma Cameræ; *e* Sive quod desumi prætendatur ex sola dispositione legis, ratione legalis administrationis, vel ratione doli, ut præsertim frequentior praxis docet hujusmodi quæstiones in illa hypotheca, quæ prætenditur in bonis hæredis gravati fideicommisso ob alienationes; *f* cum similibus.

Vel quod, non negata hypotheca, allegetur inefficacia ob ejus invaliditatem ex inhabilitate personæ, quæ illam adjecit, se obligando sine certis solemnitatibus. Vel ob ejus resolutionem ob cessatum jus illius, qui eam adjecit, ut pro frequentiori contingentia habemus in ea resolutione, de qua opponatur ratione fideicommissi, vel investituræ, vel similis causæ resolutivæ.

Sive quod, non negata hypotheca, ejusque duratione, negetur tamen effectua, adversus possessorem, ratione alterius ejus hypothecæ anterioris, contra quam istud interdictum non petit; *g* Vel quod negetur hypotheca ratione incapacitatis bonorum, quia sine certa solemnitate obligari non potuerint; Ut contingit in feudalibus, vel emphyteuticis, & jurisdictionalibus, ac similibus, in quibus licentia, vel assensus alterius desideretur. *h*

Atque quod incapacitas prætendatur ex parte creditoris,
48 qui tanquam forensis, vel ex alio accidenti, sit incapax acquisitionis ipsorum bonorum in dominio, unde propterea intret quæstio, an sit etiam incapax acquisitionis hypothecæ pro istius remedii exercitio; Ut in Judæis quandoque disputatum fuit. *i*

Sive, an & quando prohibitio alienationis extendatur ad istam prohibitionem hypothecæ, quod sub nimia quæstione nostra ætate fuit occasione bonorum jurisdictionalium, ut in debiti, & crediti sede advertitur. *l*

Aut, an posita etiam prohibitione hypothecæ, adhuc
49 tamen ista sit verificabilis pro istius interdicti competentia, & exercitio, aliisque effectibus in commoditate, quæ considerari solet, tanquam distincta a substantia ipsius rei prohibitæ; Et quomodo illa duret, præsertim mutata persona; Vel etiam super melioramentis, cum similibus. *m*

Super his autem, ac similibus, unique certa, & generalis regula statui non potest, proindeque intrat idem supra insinuatus error, procedendi cum generalitatibus, cum reveta totum pendeat a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis.

50 Illa vero generalis regula desuper cadit, ut scilicet, in isto Judicio, tanquam possessorio, & privilegiato, intret quoque eadem distinctio, inter exceptiones claras, & incontinenti probatas, vel turbidas, & altioris indaginis, ut priores admittantur, posteriores autem non; Ut præsertim in exceptione fideicommissi, vel simili habemus. *n*

Verum circa istam generalitatem quoque est insistendum,
51 non quidem circa ejus varietatem in genere, & in abstracto, cum ea vera sit; Sed circa ejus congruam applicationem, quoniam intelligenda venit, quando actio ex parte Actoris jam bene fundata sit, turbiditas autem sit in exceptione, per quam actio elidi prætendatur; Puta, si non dubitetur de hypothecæ existentia, vel adjectione in bonis talis personæ, minusque dubitetur in facto de verificatione primi, & secundi extremi; Quod scilicet ea bona possessa fuerint per illum, qui hypothecam adjecit de illo tempore, vel postea quod dicitur primum extremum, illudque bene, & concludenter justificandum est tanquam fundamentum judicii; *o* Et quod eadem bona nunc possideantur per eum, contra quem judicium institutum est; Istudque dicitur secundum extremum, quod minori, ac leviori probatione contentatur, etiam illa, quæ resultat a sola substentatione litis. *p*

Sed quod Actoris intentione jam bene fundata, ad
eam elidendam deducatur exceptio fideicommissi, vel 52
investituræ, sive crediti anterioris, aut incapacitatis personæ, vel bonorum, cum similibus; Quoniam si istæ exceptiones sunt turbidæ, & altioris indaginis, tunc rejiciuntur ad petitorium, & non admittuntur in hoc judicio, ex regula quod actio clara, exceptio turbida; Secus autem si turbiditas non consistat in exceptione, sed in ipsa actione, adeout exceptiones Rei, & possessoris, non tendant ad elidendam actionem jam bene fundatam, sed ad illam inturbidandam, sive ad offuscandam, vel impediendam probationem, ut ipsa actio non oriatur; Ut præsertim contingere solet in primo extremo identitatis, vel capacitatis bonorum, sive in altero legitimationis personæ, quoniam in pari causa turbiditatis, ista obstare debet Actori, potiores vero partes sunt Rei possessoris, cui sufficit vincere per non jus, ut supra agendo de Reo, & de Actore advertitur, ac etiam alibi pluries. *q*

Vel quod, bene fundata actione, æque bene fundata etiam sit exceptio, ad quam elidendam, aliquam Actor deducat replicationem, super qua turbiditas cadat, ideoque alia intrat propositio, exceptio clara, & replicatio turbida, quoniam his casibus turbiditas potius nocet quam prosit actori; Idque generaliter in omni specie possessorii procedit, vel alterius judicii summarii, ac privilegiati, cum eadem sit ratio.

Super verificatione item dicti primi extremi, quod ma-
gis exactam, & concludentem exigit probationem, eade- 53
re solet quæstio, an Actori incumbat onus probationis dominii in ejus debitore, qui hypothecam adjecit, vel potius sufficiat probare solam possessionem; Istaque posterior opinio verior, magisque recepta est, cum ex possessione inferatur ad præsumptam probationem dominii, quoniam possessor præsumitur dominus, donec non doceatur de contrario. *r*

Istæ generalitates quoque percutiunt aliam speciem hu-
jus generici interdicti possessorii adipiscendæ, quod as- 54
sociationis dicitur, ut supra, an scilicet constitutum, vel pactum de capiendo, quorum vigore illud competit, adjectum sit, necne ab eo, qui adjiciendi facultatem haberet; Et an possessor ab eo causam habeat, vel potius ex alio jure, vel titulo independenti possideat, eodem modo, quo de hypotheca est dictum.

Sive posita dicta potestate, ac dependentia respective intrare solet quæstio, & præsertim circa constitutum, super ejus efficacia, & operatione; Vel scilicet ratione incertitudinis, non quidem ratione illius incertitudinis, quæ proveniat a generalitate bonorum, quoniam receptum est istam non obstare, dum in substantia adest certitudo, quamvis nobis ignota sit ab initio, sed ratione incertitudinis certæ rei, quia nempe adjiciatur constitutum in decem, vel viginti jugeribus terræ alicujus prædii, quod sit longe majoris quantitatis, cum similibus. *s*

Aut quod prætendatur infectio ab infectione, ac vitio ipsius contractus principalis, ac propterea ista tanquam clausula consecutiva corruat; *t* Vel quod expiraverit in primo, ideoque non remaneat amplius operativum in aliis, qui ad eandem dispositionem successive vocati sint. *u*

Sive quod dubium sit, an ejus casus factus esset, necne, ut contingit in illa associatione, quæ a domino directo petatur ex capite devolutionis, cum sola turbiditas sufficiat ad illum excludendum, ut in emphyteutica materia præsertim habetur. *x*

Apud antiquiores duæ habentur nimium controversæ
quæstiones, quæ hodie videntur planæ. Primo nempe, 55
an istud judicium exigat citationem possessoris; Atque apud ipsos antiquiores, magis recepta erat negativa, cum revera iste non sit actus judicialis, sed potius extrajudi-

cialis

nialis concessionis familiæ pro simplici associatione, & assistentia, ad apprehendendam illam possessionem, quæ jure sua apprehendi potest, ideoque potius damnatur forma judicii, adeout illa præjudicialis reputetur, atque 56 privilegia hujus remedii cessare faciat; *y* Apud modernos autem magis recepta est diversa opinio, quam ubique praxis servat, ut adhiberi debeat citatio possessoris. *z*

Altera est quæstio, an istud remedium competat, atque 57 sit exercibile contra tertium possessorem titulo singulari, quamvis causam habeat ab eo, qui constitutum adjecit, vel facultatem de capiendo dedit; Atque pariter apud antiquiores magis recepta erat negativa; Apud moderniores autem, e converso, magis recepta est affirmativa, quæ præsertim in Curia in praxi servatur, ut etiam detur contra tertium, quoties bona affecta sint constituto, vel pacto de capiendo, quod adjici potuerit per eum, qui unum, vel alterum, vel utrumque adjecit. *a*

Quo vero ad aliud interdictum possessorium recuperan58 dæ; Istud, juxta probabiliorem sententiam (a contradictoribus tamen pro Juristarum consuetudine non immunem,) est remedium proditum potius a Jure canonico, quam a civili, quamvis ubique, in foro etiam sæculari, sive (ut nostri dicunt) etiam in terris Imperii sit receptum, *b* Atque non inutilis a plerisque reputatur hæc inspectio, an unius, vel alterius Juris inventum sit ad effectum inspiciendi, an juxta unius, vel alterius juris dispositionem regulari debeat; Ac propterea retenta dicta opinione, quod sit potius proditum a Jure canonico, quodque cum istius dispositione regulandum sit, exinde de stricta censura resultare deberet, quod etiam in eo laicali foro, in quo in proposito appellationis vivitur cum dispositione Juris civilis, quod eam suspensivam denegat, etiam in illo adipiscendæ, quod in statu ecclesiastico induxit, jus civile re59 stituendo, Constitutio Ægidiana ex insinuatis supra in rubrica appellationis; *c* Adhuc tamen illud interdictum reintegrandæ deberet esse appellabile, juxta generalem regulam Juris canonici, quæ in omni possessorio procedit, ut ibidem insinuatur.

60 Et tamen in praxi constituta non videtur differentia, inter illud adipiscendæ, & istud recuperandæ in iis locis, vel Tribunalibus, in quibus cum dispositione Juris civilis, vel cum præfata Ægidiana Constitutione proceditur, quoniam revera ista materia appellationis ad quosdam stylos 61 potius redacta videtur, seu ab eis pendet, magis quam a rigorosis principiis juris, ut in sca occasione interdicti retinendæ, etiam illius adipiscendæ, quod associationis dicitur, in hoc proposito appellationis advertitur.

62 Opportunum autem, imo necessarium fuit, istud adhibere, sive introducere remedium, tanquam quid medium inter duo extrema, dum alias indebite spoliatum, nullum a lege civili remedium summarium, & privilegiatum proditum videtur, ac propterea oportebat recurrere ad præsidium judicii ordinarii: Antiquiores etenim non adeo acuerunt ingenium, ut commendabilius fecerunt moderni, adhibendi scilicet etiam interdictum retinendæ in eo, qui, inspecta naturali veritate, revera de facto non sit possessor, cui propterea congruere non videatur iste terminus retentionis, qui juxta grammaticalem sensum, significat confirmationem, vel continuationem ejus, quod jam de facto obtineatur, dum retinere non possumus id, quod revera non habemus, ideoque id potius assequi, vel adipisci, seu recuperari, quam retineri dicitur, istum terminum retentionis ita adhibendo improprie, vel intellectualiter, ex quadam fictione legis, sive ex quadam metaphysica, quæ contraria est naturali veritati, seu facto præexistenti, quod scilicet ob quandam fictam, vel intellectualem possessionem, quam animo retineri lex fingit, & quæ propterea (ad differentiam naturalis, & veræ) civilis appellatur, verificabilis remaneat dictus terminus retentionis.

Priusquam etenim ista, commendabilis quidem, sed metaphysica fictio introduceretur, ille qui cum violentia vera, vel interpretativa, ejus possessione spoliabatur, prompto, ac summario remedio destitutus erat, dum non poterat confugere ad illud retinendæ, quod supponit actualem detentionem, ac propterea non competit nisi possidenti, neque datur sine possessione; *d* Minusque ad alterum adipiscendæ, ex superius insinuata regula, quod istud conceditur illi, qui nunquam possedit, ideoque contendat de adeptione omnino novæ possessionis, non autem illi, qui semel habuerit illius rei possessionem, quam amiserit, atque ab ea, sive ex facto proprio, sive ex alieno ceciderit,

Verum, postquam inolevit usus verificandi retentionem, etiam sine possessione vera, & naturali, ex dicta 63 legis fictione, quodque apud eosdem modernos, illa recepta est formaliter, superius quoque insinuata, admittendi scilicet appellationem suspensivam in hoc interdicto recuperandæ, non autem in altero retinendæ; Merito istud a praxi exulasse videtur agendo, dum illi, qui agendo cupiant prioris status, vel possessionis reintegrationem obtinere, ad præfatum aliud magis proficuum remedium, prudentius recurrunt, eo quia manifesta esset ineptia, ex duobus remediis, negligere brevius, ac promptius, magisque 64 executivum, & eligere alterum longius, quod speciem petitorii redolere videtur, cum necessitate expectandi finem per tres conformes.

Solumque iste terminus spolii, juxta modernam praxim Curiæ, frequens in foro esse videtur, excipiendo, atque per viam objecti, ad repellendum scilicet collitigantem, vel æmulum ab ingressu, vel a progresso judicii, tanquam 65 spoliatorem, donec istud crimen purgaverit, juxta ea quæ supra in hujus objecti particulari Rubrica habentur.

Adhuc tamen, eadem moderna praxi retenta; Quandoque ad istud remedium convolare oportet, eo quia ob facti circumstantias, denegandum veniat alterum pinguius 66 manutentionis; Quamvis etenim in aliquibus parificentur, atque pari passu ambulent; In eo præsertim, qui facto proprio, atque ex contractu, vel consensu, quamvis invalido, vel alias impugnabili a possessione cadat; Quoties non sit nullitas ex defectu consensus, quæ consideratur in carcerato, vel in pupillo, sive in Ecclesia, vel in alio corpore inanimato, ex juris regula, quod etiam ex actu nullo amittitur possessio; *g* Dum idem pariformiter procedit tam pro denegatione unius, quam alterius reme- 67 dii; Et e converso, quando talis nullitas ex defectu consensus accedat, adeout hujus regulæ limitationem inducat, illa æque procedat, ad effectum unius ac alterius remedii, ac propterea expediat ut supra, potius illud manutentionis adhibere; Attamen dantur casus in quibus istud denegari debeat, unde propterea ad illud convolare oporteat.

Puta quia, juxta superius insinuata, possessor se declaraverit habitum pro spoliato, unde propterea ex contra- 68 ria animi declaratione tollatur illa ficta, seu civilis possessio, quam etiam in spoliato naturaliter, & de facto animo retineri, lex ut supra præsumit, cum tunc nullus remaneat prætextus cui inniti valeat concessio dicti remedii retinendæ, ideoque oportet ad istud recuperandæ convolare.

Sive quia ex facto idem resultaverit effectus cessatio- 69 nis animi, quia nempe in rebus corporalibus, possessor sciens rem ab alio occupatam esse, id per aliquod tempus passus sit, tunc etiam non expectato decennio, breve tempus ad id sufficiens reputetur; *h* Sive quod non accedente justificatione hujus scientiæ, & patientiæ, accedat silentium decennale, per quod lex oblivionem præsumit, ac animi desertionem; Quoties facti circumstantiæ contrariam non inducant probationem, etiam adminiculati- 70 vam, istamque legis præsumptionem tollant, *i* Isto enim, vel alio simili casu ad aliud reintegrationis remedium convolare oportet, dum illud non desiderat requisitum dictæ retentionis, saltem animo,) neque subjacet insinuato præjudicio, quod resultat etiam a brevi patientia, sive certius ab illa longi temporis.

Siquidem plurium sententia est, ut istud remedium sit 71 perpetuum, nullique præscriptioni subjaceat, quamvis longissimi temporis: *l* Alii vero, qui sequuntur contrariam sententiam, quæ apud modernos, & præsertim in Curia magis recepta est ob decisionem, quæ ex Pontificio præcepto, initio currentis sæculi prodiit, in ista quæstione, quæ ex magis involutis reputabatur, admittunt solum præscriptionem temporis longissimi ad minus; *m* Ac propterea, ista etiam posteriori opinione retenta, quæ spoliatori magis proficua est; adhuc expedit istud habere remedium subsidiarium longioris durationis; Quamvis pro Juristarum formalitatibus, in illis locis, vel Tribunalibus, in quibus cum dispositione Juris Canonici proceditur, illud præjudicium pati oporteat prosequendi istud remedium per tres conformes, tanquam per speciem judicii ordinarii, isteque est casus, in quo illud pro Curiæ praxi adhibeatur.

Hinc proinde, ut supra etiam advertitur, eadem praxis recepit, cumulandi, hæc duo remedia, alternative, vel 72 subsidiarie; Principaliter scilicet, intentando illud pinguius manutentionis; subsidiarie autem, vel alternative cumulando istud reintegrationis, ut docente causæ progressu tales circumstantias, quæ suadeant denegationem

prioris

prioris remediis; ita judicium non remaneat inane, sed alterius concessioni aditus remaneat.

Pro eisdem formalitatibus istud reintegrationis reme-
73 dium adhiberi solet, adversus superenunciatam speciem possessorii adipiscendæ, quod in interdicto Salviani, ratione hypothecæ concessum fuerit creditori ad bona hypothecata, ad effectum sibi satisfaciendi ex fructibus, quoniam, satisfactione secuta, creditor qui immissus est, tenetur restituere bona, tanquam ex cessante causa, atque non restituendo, implicitum spolium committere dicitur, unde propterea prior possessor est reintegrandus. *n*

Bene verum, quod non videtur, quæ necessitas urgeat, præcise convolandi ad istud remedium minus proficuum ob dictum inconveniens appellabilitatis in iis locis, & Tribunalibus, in quibus cum dispositione Juris Canonici, ut supra procedatur, cum æque bene alterum pinguius remedium manutentionis, concedendum videatur; Quinimo facilius, quam in casu, in quo per subhastationem, vel per alterum factum Judicis, quod nullum, vel notorie injustum dicatur, possessio vere amissa sit; Iste enim casus est fortior, quoniam (ut supra advertitur) ista immissio in Salviano, quæ creditori conceditur, non aufert possessionem, nedum civilem, sed neque naturalem, quæ adhuc remanet penes priorem possessorem, dum creditori conceditur quædam simplex tenuta, seu detentatio, jure administrationis potius, quam jure propriæ possessionis, ad certum effectum; *o* Ideoque isto cessam, non videtur quid prohibeat, istud remedium adhiberi posse, dum facilius isto casu, quam in altero ut supra, illud intrare debet; Et per consequens, ineptis formalitatibus nullum habentibus rationis fomentum, ista praxis referenda videtur, quoniam probabilius idem remedium manutentionis practicandum videtur.

Ubi etenim intret dubietas secuti effectus & super
74 quo adeo frequenter in praxi audiuntur quæstiones super redditione rationum fructuum perceptorum, vel eorum, qui culpose percepti non sint, quos imputare quoque teneri prætendatur, atque super validitate notulatum, & an juramentum præcise continere debeat; Et super quibus, ac similibus, cum consuetis frigiditatibus, magnæ habentur quæstiones, atque longæ, involuteque lites substinentur; Tunc æque resultat impedimentum pro uno ac pro altero remedio.

Demum quoad tertium interdictum retinendæ, quod
75 esse pinguius pluries animadversum est, ac propterea in foro frequentius: Illud in plerisque casibus sub disputationis trutina cadere solet; Potissime autem quando plures æque contendant de eadem naturali possessione de facto, in qua quilibet pro ejus viribus se confovere studeat, unde propterea rixæ, & inconvenientia resultare possunt ac solent, dum eadem possessio unius rei, personarum pluralitatem non admittat, neque penes duos insolidum eodem respectu ea esse potest; secus autem pro respectuum diversitate; Unde propterea manat recepta conclusio, quod possessio tertii ab alio tertio est allegabilis, tanquam certe exclusiva possessionis illius, qui se possessorem faciat, vel prætendat. *p*

Isto enim casu congruit, ut ad tollendas rixas, & in-
76 convenientia, Judex ejus interponat auctoritatem, atque prævia celeri, & summaria cognitione utriusque possessionis, & quænam esset anterior, vel magis legitima, illam provisionaliter, atque interim confoveat, donec cum meliori causæ cognitione in petitorio, vel in possessorio plenario decidatur ad quem ex contendentibus potius res controversa, in dominio, vel possessione pertineat; Isteque casus vere, & proprie est ille, in quo, attentis veris juris principiis, verificatur istud manutentionis remedium, quod summariissimum dicitur, ac propterea privilegiatum in pluribus reputatur plusquam sint alia introducta possessoria, atque verificatur vulgare Practicorum dicterium, quod hodie mihi, & cras tibi.

Illudque judicium, attenta etiam dispositione Juris ca-
77 nonici, non admittit appellationem suspensivam ut supra; Necnon præcise obligat Judicem, ad illud prius terminandum, quoties ille qui se possessorem anteriorem prætendit, suspenso petitorio, ac etiam possessorio plenario, ita instet, atque protestetur, adeout alias nulliter procedere dicatur; Quoties Principis auctoritas, vel incertitudo, seu turbiditas possessionis, tanquam speciem limitationis regulæ non tribuat facultatem cumulandi quoque petitorium.

78 Ac etiam, præ cæteris, ut in hoc judicio, tanquam omnino summario in superlativo, admittantur probationes, etiam imperfectæ, & quandoque per unicum testem aliquibus adminiculis suffultum, neque admittantur exceptiones contra personas testium, quoties omnino claræ, & notoriæ non sint. *f*

Ista etenim ac similia privilegia illam habent congruam rationem, quod istud judicium dici meretur provisionale, 79
quod indigeat prompto ac celeri remedio, per quod formidatis rixis, vel scandalis occurratur, & ne vulgare verificetur dicterium, quod dum Romæ consulitur, Saguntum expugnatur, ideoque merito Hispani, & alii illud explicant cum termino, seu vocabulo *interim*, quoniam vere, & proprie iste est ejus casus; Eoque secluso, atque ista ratione cessante, adeout agatur de illo judicio manutentionis, quod datur in aliis casibus de quibus infra, cum vera judicii formalitate, cum qua peragitur aliud remedium reintegrationis, tunc nulla quidem subesse videtur ratio differentiæ, cur istud manutentionis, non debeat esse appellabile, & alterum reintegrationis debeat esse tale; Ideoque, vel utrumque appellabile, vel utrumque executivum esse deberet.

Fortius vero de stricta juris censura, præfata privile-
gia, & præsertim illud processus executivi cum denega- 80
tione appellationis initiatæ non deberent in aliis casibus, de quibus infra, in quibus etiam istud remedium practicari solet, ratione scilicet solius civilis possessionis animo retentæ, adeout reveta, atque spectata veritate naturali dicatur potius reintegratio, quam retentio. Puta, ubi possessor ceciderit a possessione facto proprio invalido, ex ea nullitate, quæ dicitur ex defectu consensus, adeout non causet amissionem possessionis civilis. Ut contingit in illis bonorum, vel jurium alienationibus, vel dimissionibus, quæ fiant per injuste carceratum, ut supra. Cum etenim id procedat, quatenus carceratio sit injusta, & non alias, ut in sua sede advertitur; *u* Exinde resultat, ut accedere debeat formalis cognitio causæ super hujusmodi justitia, vel injustitia. Et per consequens adaptari non videtur ea ratio, cui præfata hujus summatissimi judicii privilegia innixa sunt; Quod scilicet in eo non quæratur de justitia, vel injustitia possessionis, sed attendatur nudum illius factum, reservata cognitione justitiæ, vel injustitiæ ad petitorium, vel ad possessorium plenarium. *x*

Ac etiam, ut in hoc facto, quod concurrant hinc in- 81
de, attendatur ordo temporis, sive anterioritatis, ut scilicet possessio anterior debeat manuteneri, ac præferri posteriori, quæ præsumitur, seu censetur clandestina, quamvis ista esset titulata, illa vero nullam haberet tituli justificationem, dum hæc non attenduntur in isto celeri, ac summatissimo judicio, quod nullam admittit causæ recognitionem, sed contentatur nudo facto per quandam speciem extrajudicialis provisionis; Etiam si sit anterioritas per momentum temporis. Imo etiam si sit anterioritas a lege præsumpta ob expressionem horæ in duobus actibus eodem die secutis. *y*

Igitur id convenit dicto primo casui, non autem huic,
& similibus casibus, ut infra, in quibus intret dicta for- 82
malis inspectio justitiæ, vel injustitiæ carcerationis, cum formali discussione processus, & actorum, quorum vigore illa secuta sit in forma judicii, & de mandato Judicis competentis juxta casus, de quibus agitur in dicta sua sede. *a* Adeout non agatur de carceratione, omnino tyrannica ex facto notorie injusto, & illicito.

Item fortius in altero casu, in quo manutentio con- 83
cedatur adversus factum Judicis, quo mediante per sententiam executioni demandatam, vel per subhastationem ille privatus fuerit, unde propterea juris regula æque excludit hoc remedium, ac alterum reintegrationis, quoniam in dubio factum judicis præsumitur justum, neque illi, qui per tale factum sua possessione privatus est, competit hoc remedium, quod potius concedendum est alteri, qui ex facto Judicis possideat. *b*

Et quamvis Romana Curia, a moderno tempore, forsan currentis sæculi, ex superius assignata ratione, neglecto altero remedio reintegrationis, quod in sensu antiquorum in casu nullitatis, vel notoriæ justitiæ erat in usu, admittat etiam istud manutentionis ratione dictæ civilis possessionis animo retentæ, quasi quod Judex, qui nulliter, vel injuste procedit, prædonis, ac spoliatoris partes potius, quam Judicis ita gerere dicatur. Atque nil forte in Curia frequentius auditur. *c* Attamen id procedit, quatenus nullitas esset omnino clara, vel injusti-
tia

tia adeo notoria, & evidens, quod nullo possit velamine offuscari, unde propterea nullam exigeret causæ cognitionem, sed nullitati æquipararentur, dum pro injustitia ordinaria, & disputabili, proditum est alterum remedium ordinarium appellationis, in cujus gradu intrat rescissio, vel retractatio, non autem istud remedium extraordinarium. *d* Igitur nullatenus intrat ratio, cui præfata privilegia innixa sunt, dum formalis causæ cognitio intrat super hac specie injustitiæ, an sit notoria, vel non notoria; Adeout quandoque praxis doceat in Rota, aliisque Tribunalibus aliquam variationem, quod scilicet prodeant resolutiones pro validitate, & justitia gestorum, sive proposita causa ob difficultates nulla capiatur resolutio, sed rescribatur, ut videri debeat de bono jure. Et tamen quod postea, recedendo a decisis, aut prævia formali disputatione boni juris, prodeant resolutiones ad favorem prioris possessoris, qui facto Judicis expulsus fuerit.

Incongruum enim prorsus est, ut istud judicium dici debeat ita summariissimum ac privilegiatum, ex ea nuda formalitate, quod concedatur per decretum interlocuto-
84 rium; secus autem si obtineatur per sententiam diffinitivam, quasi quod major, vel minor advertentia Causidici, in tenendo potius unam viam, quam alteram immutare debeat substantiam, vel naturam judicii; Sive quod eadem immutatio substantiæ, vel naturæ, proveniat a nuda formalitate verbi, quod per Causidicum adhibitum sit, quod scilicet si adhibeat verbum manutentionis, dicatur judicium executivum, ac privilegiatum; si vero adhibeat alterum reintegrationis, dicendum veniat ordinarium, & appellabile, terminandum per tres conformes; Id etenim convincit manifestas ineptias, ac frigiditatem Practicorum, ita procedendo cum nudis formalitatibus verborum, nullis rationis, vel discursus adhibitis partibus, sed quia sic repetiatur scriptum, referendo ratiociniis, ac prælectionibus hujusmodi ponderationes, & distinctiones, easque non laudendo.

Non quidem, ut genium capiat appellabilitatem, atque litium protractiones, cum potius illud sit in oppositum de directo, ut scilicet quo magis fieri potest, hujusmodi formalitates resecentur (quod tamen humana malitia, vel imbecillitas non concedit;) Sed ut utrumque remedium pariformiter tractari debeat eo modo, quo tractatur in illis Tribunalibus secularibus extra Statum ecclesiasticum, in quibus in hac materia proceditur cum dispositione Juris civilis. Quinimo in ipsismet individuis Curiæ Tribunalibus in illis causis, in quibus, cessante mixtura personarum, vel bonorum ecclesiasticorum, proceditur cum eadem dispositione Juris civilis, in vim Constitutionis Ægidianæ.

Et circa quam, ut etiam in proposito alterius interdicti
85 adipiscendæ, advertitur supra in rubrica appellationis, *e* eædem in dies practicantur irrationabiles, ac nauseativæ formalitates, ratione alicujus mixturæ; Et præsertim illius, quod provenit a dominio directo alicujus Ecclesiæ, absque eo quod ista sit in causa, nullumque penitus habeat interesse, sed agatur inter laicos hinc inde, quo nil irrationabilius; Sive ob aliam majorem irrationabilitatem, quod agatur de bonis, quæ fuerint Clerici jam defuncti, super cujus successione quæstio sit inter laicos hinc inde, quasi quod bona retineant privilegium personæ jam annihilatæ, ut etiam in materia successionis advertitur, ac in altera jurisdictionis, occasione competentiæ fori, vel comprehensionis bonorum sub legibus, & Statutis laicalibus. *f*

Quinimo frequenter auditur ineptia major, quod scilicet; Vel ad effectum incompetentiæ fori laicalis: Vel ad effectum exemptionis a prædicta Ægidiana Constitutione, prætenditur attendi debere mediatam, ac remotam qualitatem defuncti possessoris, quia nempe quæstio sit super pertinentia fideicommissi, quod ab antiquo ordinatum sit per aliquam personam ecclesiasticam, postquam bona transierunt per plures manus, pluraque media personarum secularium; Unde propterea in facti contingentia dicere quandoque consuevi, quod si traditio, vel notitia haberetur de bonis possessis per Aron, & per Melchisedech, antiquos sacerdotes in istis, ita esset incompetens Judex laicus, atque leges laicales servari non deberent; Sive quod idem procedere deberet in omnibus bonis totius Mundi, quæ dici possunt sub quodam dominio habituali Noe, post diluvium, dum ipse exeundo ab Arca, sacrificium peregit, ideoque Sacerdos dici potest. *g*

86 Eadem formalitas dignoscitur quoque in altero interdicto adipiscendæ, cum distinctione, inter illud immissionis in vim *Salviani*, vel *quorum bonorum*, aut *legis finalis*; Et alterum *associationis*; Quod scilicet, istud posterius sit executivum, ac privilegiatum, dummodo concedatur per decretum interlocutorium, non autem per sententiam, ita verificata eadem duplici formalitate supra considerata, quæ resultet a majori, vel minori peritia, vel diligentia Causidici, eligendo viam decreti potius, quam cedulæ, sive adhibendo potius verbum associationis, quam alterum immissionis, quoties tam unum, quam alterum remedium pariformiter competeret, dum eadem causæ cognitio, eædemque formales disputationes adhiberi solent, ut quotidiana praxis docet, ac etiam patet ex decisionibus, quas super una, vel altera hujus possessorii specie habemus. *h*

Hinc proinde dicendum est, vel nihil, vel totum, quod scilicet vel appellatio suspensiva, tam in una, quam in altera specie judicii admitti debeat, vel in neutra, dum in isto casu nulla dignosci videtur congrua differentiæ ratio, sed totum consistit in nuda formalitate verborum. Atque revera in stricta censura, privilegium associationis procedit, quando agatur de mera concessione associationis familiæ in forma mere extrajudiciali, de facto ad occurrendum scandalis, ac resistentiis, prævia quadam monitione urbana possessoris, quæ ex sensu modernorum potius inolevit; Non autem quod sola formalitas procedendi per decretum, vel per sententiam hanc notabilem diversitatem causare debeat; Quinimo (quod magis est) dum frequenter adhibetur utrumque, in illis præsertim causis, vel Tribunalibus, in quibus habeatur usus, vel abusus propinatum, quoniam ut advertitur supra in rubrica expensarum, *i* ob illam fictionem, quæ resultat a stylo habendi terminum pro servato, præviis duabus citationibus; una pro decreto interlocutorio ad primam, & altera pro sententia diffinitiva ad secundam, ita contextualiter eodemque tempore utrumque manat.

Eadem causæ formalis cognitio, ob quam etiam incongruit dicta ratio, cui summariissimi, ac extraordinarii remedii manutentionis privilegia innixa sunt, frequenter cadit in multis casibus, in quibus quæstiones intrant, super istius remedii competentia, vel incompetentia; Puta circa ipsius possessionis sufficientem, vel insufficientem probationem, sive an illa clara sit, vel turbida.

Aut circa efficaciam, vel inefficaciam clausulæ consti- 87
tuti, cujus vigore istud interdictum retinendæ quoque competere, in praxi receptum est; *l* Sive vigore reservationis ususfructus in donationibus, aliisque bonorum assignationibus; *m* ita disputando, an constitutum ratione
incertitudinis sit efficax, vel inefficax ut supra; Sive an 88
ejus inefficacia resultet, ex eo quod collatum sit post mortem, & sic in tempus inhabile, vel potius adsit clausula *ex nunc pro tunc*, *& praeambula hora &c.* cum similibus frigiditatibus. Vel an idem constitutum sit consumptum in primo; Vel quod tanquam clausula accessoria, & consecutiva subjaceat eidem vitio, cui subjacet ipse actus principalis. *n*

Sive alia intret alia quæstio, an possessio habeat juris resistentiam; Et quatenus ista adsit, super ejus qualitate, an
sit vehemens, vel non vehemens; Istoque etiam casu, an sit 89
temporis considerabilis, cum tunc ea, non obstante Juris resistentia, sit manutenibilis; *o* Vel an habeat alicujus tituli colorati, vel ejus famæ, aut adminiculorum fomentum, cum similibus considerationibus, ex quibus pendet, an possessio sit manutentione digna, necne.

Aut quod cadat quæstio, an possessio sit infecta ab ali-
quo decreto irritante, eo quod regula est ut manutentione 90
indigna sit, e converso autem allegetur aliqua ex limitationibus, quæ illi tradi solet. Et præsertim, ubi aliquod probabile dubium cadere valeat super comprehensione; Aut quod allegetur moderatio, vel non usus illius legis, vel dispositionis, quæ tale decretum contineat, quasi quod, ista discussione pendente, negari non deberet possessori manutentio, saltem in ea facti tentatione; *p* Ista enim ac alia, quæ in materia infectionis ab hoc decreto resultationis cadunt, aliquam exigunt causæ cognitionem, ac implicitam pronunciationem; Ideoque non videtur quomodo congruant illa privilegia, quæ vere congruunt illi summario provisionali remedio, quod ut supra, *interim* dicitur.

Prout etiam eadem cognitio cadit, quando manuten-
tio petatur, non ex ratione actualis, ac naturalis posses- 91
sionis, in qua de facto eam petens existat, sed ratione fictæ & civilis, quæ ut supra prætendatur animo retenta;

Eam

Eam vero alter possessor contendat esse amissam; Vel ob patientiam, etiam modici temporis habita scientia occupationis rei ab altero; Vel ob lapsum decennii; Sive ob aliquam explicitam, vel Implicitam animi declarationem, se habendi pro spoliato, ut supra, & converso autem Actor hanc amissionem excuset ob justa impedimenta absentiæ, vel carcerationis, aut paupertatis, & similia; Super his autem certa regula statui non potest, ac propterea erroneum est procedere cum generalitatibus, cum revera decisio pendeat ex singulorum casuum circumstantiis prudenti beneque regulato judicis arbitrio pensandis. Multo vero clarius, ubi impedimentum directe, vel indirecte provenisset ab ipso spoliatore, vel intruso.

Sive quod agatur de possessione jurium incorporalium; Ut pro frequentiori contingentia habetur in quasi possessione exigendi annuas præstationes, vel pensiones, aut jura honorifica, & præeminentialia, dum in istis, ac similibus non est verificabilis dicta species amissionis, per modicum tempus patientiæ, post scientiam occupationis; Minusque intrat altera species per lapsum decennii, cum agatur de materia facultativa, ideoque per quemcunque lapsum temporis non amittitur, nisi præcedente petitione, & subsequente denegatione, sequatur etiam patientia; q Fortius autem ubi, non casus, vel non exercitium possessionis, provenerit ex absentia, vel ex eo quod defuerit occasio; Aut quod vacaverit officium, vel dignitas, cui possessio quæsita sit; r Hæc enim omnia formalem cognitionem causæ exigunt.

Quamplures alii, pene que infiniti similes casus in materia hujus judicii contingunt, in quibus altæ indaginis quæstiones occurrunt, an huic remedio locus esse debeat, necne? Et per consequens, improprium videtur, de stricta juris censura, hujusmodi casibus applicare supradicta privilegia, quæ competunt huic remedio, quando revera illud prompte, atque incontinenti adhibere oportet per quamdam speciem provisionis, quæ celeritatem desideret, neque patiatur dilationem, utpote productivam præjudicii irreparabilis, ut supra.

92 Est bene verum, quod in Curia, per Signaturam Justitiæ, ad quam pertinet cognoscere, an & quando hujusmodi privilegia admittenda sint, illud præsertim processus executivi, ac denegationis suspensivæ appellationis, solet ad hujusmodi considerationes reflecti, atque ubi agatur de quæstionibus turbidis, & altæ indaginis, rescribitur adversus hoc mandatum de manutenendo, cum clausula suspensiva, nempe *cum facultate manutenendi quem de jure*; Præsertim vero hunc stylum Signatura habet, quando agatur de manutentione concessa adversus factum Judicis, tanquam nullum, vel notorie injustum, quoniam duobus Judicibus hinc inde colluctantibus, congruum, & rationabile est, ut videat tertius, quisnam ex duobus, bene, vel male fecerit.

93 Adhuc tamen id non tollit difficultatem, quoniam hujusmodi arbitrium rescribendi cum clausulis, potius translativis, quam suspensivis, procedit in illis judiciis, quæ ex eorum regulari natura sint executiva, sed ob aliquam turbiditatem, videatur Principi, vel Magistratui, ad quem pertinet, hanc executionem alteri committere, non immutata dicta judicii natura, sed solum immutata persona executionis, ut advertitur supra in Rubrica appellationis, ac etiam *in relatione Curiæ*, agendo de Signatura Justitiæ. s

At punctus est in regula, an intret, necne de natura judicii, processus executivus, quoties procedatur cum dispositione Juris Canonici, qua attenta in omnibus interdictis possessoriis, indefinite, atque pro regula generali intrat appellatio ut supra; Ideoque ista generalitas, ita complectitur hoc interdictum retinendæ, sicuti illud adipiscendæ, & recuperandæ.

94 Istud itaque privilegium, quod in possessorio adipiscendæ habetur, quod vocatur associationis; Et in altero retinendæ, quod dicitur manutentionis, vel possessorii summariissimi, quod contradistinguitur a plenario, & redolet limitationem regulæ; Non quidem ex aliquo privilegio, quod a lege eis attributum fuerit, sed ex ratione, quæ id suadeat; In prima scilicet specie associationis, quoniam istud non est interdictum possessorium, quod a Judice manet, dum est possessio, quæ revera apprehenditur in jure suo, atque licite apprehendi potest, etiam sine Judice, qui potius dicitur gerere partes probi viri, potentis, & auctoritativi, qui in forma extrajudiciali, suæ familiæ comitatum illi tribuat; Atque in isto casu summariissime manutentionis, id provenit a dicta ratione celeritatis, vel irreparabilis præjudicii, seu inconvenientium, quæ alias accidere possunt, nisi prompte occurratur.

Igitur unum de duobus (loquendo per tramites juris) remanet erroneum, ac probabili ratione destitutum; Vel scilicet, indefinite admittere hujusmodi privilegia, semper quod agatur de hoc interdicto retinendæ, seu manutentionis, non reflectendo ad prædictas distinctiones; Vel constituendo differentiam inter unam, & alteram hujusmodi interdictorum speciem.

Hinc propterea iturare videtur dilemma, quod Aut procedendum est per apices, seu regulas juris scripti; Et tunc pariformiter dispositio juris canonici in omnibus tribus interdictorum speciebus procedere deberet, circa appellabilitatem; Aut vero (ut mihi commendabilius videretur,) neglectis hujusmodi superstitiosis rigoribus, curandum est, ut quo magis fieri potest, resecentur formalitates, quæ ut plurimum ad aliud non deserviunt, nisi pro fomento calumniarum, & subterfugiorum; Et tunc id pariformiter in omnibus dictis interdictis, vel speciebus practicatum esset, cum revera punctus non sit in formalitate verborum, vel terminorum, sed in ratione distinguit casum a casu.

Prout etiam nulla subesse videtur congrua ratio, cur lex rationabile reputatur concedere processum executivum, & denegare appellationem suspensivam, in judicio immissionis, vel reintegrationis inter laicos, & non debeat id rationabile reputare, ubi adsit mixtura Clericorum, vel bonorum ecclesiasticorum; Et consequenter totum provenit a nudis formalitatibus, quæ sapere videntur judaismum, quando congrua ratio differentiæ non urgeat.

Differentia vero, an procedatur per decretum interlocutorium, vel per sententiam, non provenit, quia sic legi statuere placuerit, vel quod una via judicati habeat unam naturam, & alteram, dum ita pariter esset imponere legem, potius verbis, quam rebus, ac esset ponere in arbitrio cujuscunque Judicis, etiam inferioris, cum ejus modo procedendi, tollere appellationem, quando debet intrare, vel eam concedere, quando debet denegari, quod eadem Rota quandoque agnovit, ac fassa est redolere absurdum; t Sed ista differentia, juridica quidem, ideoque merito admissa in praxi, duplicem habet probabilem rationem; Primo scilicet, quod quando proceditur per sententiam diffinitivam, tangi videtur petitorium, ejusque mixtura adesse, cujus ratione cessat privilegium judicii possessorii, etiam quando alias intraret; x Et secundo, quia procedendo per decretum interlocutorium, adesse non videtur gravamen adeo considerabile, dum adhuc liberum remanet eidem Judici, illud reparandi, ob facultatem reponendi, atque concedendi manutentionem alteri Parti, adeo ut verificabile sit supra insinuatum dicterium Practorum, *hodie mihi, cras tibi*, quod dici non potest, quando procedatur per sententiam diffinitivam, per quam Judex functus dicitur officio suo, neque dicta reponendi facultas amplius competit; y Ideoque firmum remanet, quod punctus non est in formalitatibus, sed in ratione. 96

Pene autem impossibile videtur, recensere alios casus, in quibus in hoc judicio manutentionis, quæstiones altæ indaginis cadunt, unde propterea, causæ cognitio adhibeatur, tanquam per speciem petitorii, vel possessorii plenarii, adeout intrent insinuatæ incongruentiæ applicandi illa privilegia, quæ revera percutiunt illud solum possessorium, quod summariissimum est, ac provisionale, ideoque potius extrajudiciale, quam judiciale sit; Illi etenim elaborati scriptores, qui de hoc possessorio ex professo agere studuerunt, quamvis magna desuper confecerint volumina, adhuc tamen neque omnes casus recensere potuerunt, sive in eis firmam statuere regulam, z cujus revera materia est incapax. 97

Quare (ut præmissum est) erroneum videtur, cum solis generalitatibus in hac materia procedere, sive indefinite cuicunque casui applicare decisiones, vel auctoritates, quæ certos casus percutiant, cum revera totum pendeat a facti qualitate, & singulorum casuum circumstantiis, ex quibus inspiciendum est, an subjecta materia patiatur dilationem, vel e converso desideret celeritatem, adeout congruat, necne ratio, quæ inducit discretivam inter unam, ac alteram possessorii speciem. 98

Præ ceteris autem, demonstrative solum insinuantur aliqui casus, qui pro Curiæ praxi videntur frequentiores,

Ideoque aliqua animadversione digni videntur ad hunc effectum.

99 Primo nempe, quando agatur de illa manutentione, quæ petatur ex sola assistentia juris, absque necessitate alterius extrinsecæ probationis possessionis de facto; Id autem, juxta opinionem, quæ in Curia est recepta, non admittitur nisi in materia jurisdictionali, quod scilicet Ordinario loci habenti assistentiam juris in omnibus Ecclesiis, & Clericis ac personis ecclesiasticis intra limites suæ diœcesis, competat manutensio ex hac sola assistentia; *a* Denegatur autem in aliis, etiam in illa decimarum ad favorem parochi, quamvis iste eandem habeat assistentiam intra limites suæ parochiæ, quoties aliqua saltim adminiculativa probatio non accedat; *b* Et nihilominus, etiam in dicta materia jurisdictionali, in qua sola assistentia sufficit, involvuntur, aliæque indaginis contingunt quæstiones, quæ formalem exigunt causæ cognitionem, ut patet ex iis, quæ in hujus jurisdictionalis materiæ sede habentur. *c*

100 Secundo, ubi idem possessorium remedium intentetur in iis speciebus, in quibus possessionis probatio non habeatur, idque petatur ex privilegio, seu natura causæ universalis, ut scilicet ex possessione, vel exercitio aliquorum actuum jurisdictionalium, inferatur ad acquisitionem, & conservationem possessionis jurisdictionis pro omnibus actibus, & causis; Aut quod ex possessione perceptionis decimarum ex aliquibus speciebus fructuum, inferatur ad omnes alias species, quæ de novo introducantur, vel subrogentur; Sive quod ex probatione possessionis in eodem jure decimandi, vel collectandi aliquas personas, vel aliqua bona, inferatur ad possessionem in universum respectu omnium, cum similibus; Id autem pendet ab eadem assistentia juris, super competentia, vel incompetentia causæ, vel juris universalis; Puta quia agatur de Ordinario habente ut supra juris assistentiam in universa jurisdictione Episcopali, in suo territorio, vel diœcesi; Vel de parocho habente eandem assistentiam in jure decimandi; vel in aliis juribus parochialibus, cum omnibus personis, & bonis intra suæ parochiæ fines; Aut de Communitate habente jus collectandi in universum personas, ac bona sui territorii cum similibus; Vel e converso agatur de Prælato inferiori, vel de non parocho; sive de persona privata, aut de Barone, cui respective ista facultas de jure non competat, sed prætendatur ex privilegio, vel ex præscriptione, quoniam tunc non intrat ratio causæ universalis; Sed tantum præscriptum, quantum possessum, sive hoc interdictum non nisi ad limites præcisos possessionis prætendi potest; Et in summa intrat ea distinctio, quæ habetur inter illum, qui habet pro se regulam, & illum qui nititur limitationi.

101 Tertio proxime, quando ex possessione in parte inferatur ad totum; Puta (exemplificando in eo quod frequentius habemus in praxi) contingit in pensionibus ecclesiasticis, ex quibus a pari inferri potest ad census, aliasque annuas præstationes, quod scilicet, quasi possessio ad effectum manutentionis, acquiritur, ac sufficit, non per solutionem unius termini, sed etiam per solutionem ejus partis, etiam modicæ; *e* Verum quia id intelligitur, quatenus ista pars soluta sit animo recognoscendi totum tanquam pars totius, atque (ut dicitur) ad computatum; Secus autem ubi ea sola pars soluta sit, qui a plus deberi prætendatur; *f* Idcirco super hoc disputari solet, atque intrat etiam causæ cognitio.

102 Quarto, ubi ex possessione contra unam personam, prætendatur manutentio contra alteram; Puta contra successorem ejus, cum quo possessio acquisita est, ex regula quod istud judicium regulatur ex persona actoris, ideoque ejus jus non variatur ex persona rei, & debitoris, consequenter possessio contra defunctum, vel prædecessorem sufficit agatur contra hæredem, vel contra successorem, ut præsertim in pensionibus ecclesiasticis, vel in annuis præstationibus quotidiana praxis docet. *g*

Sive e converso, quando ex possessione prædecessoris, successor juvari velit, istudque remedium intentare; Idque procedit quando agatur de successore in dignitate, vel officio, seu beneficio, vel prælatura, cui principaliter possessio acquisita dicatur, explicato solum commodo, vel exercitio per ejus possessorem, ex cujus personæ mutatione non variatur jus, vel possessio quæsita ipsi Ecclesiæ, vel dignitati, vel officio, seu feudo, aut prælaturæ &c. *h*

In his etenim ac similibus, ex rationis identitate, congruit illa propositio, quæ traditur per Feudistas, quod scilicet feudum dicitur homo surdus, & mutus, aliaque membra habens impedita, unde propterea ejus jura exercet per feudatarium tanquam per ejus curatorem, vel ministrum, sive organum, &c. cujus immutatio ejus jus immutare non debet; *i* Secus autem ubi agatur de possessione quæsita jure privato, dum ea non transfertur in hæredem, vel successorem, absque nova apprehensione, quamvis agatur de juribus incorporalibus, ideoque hæredi, vel successori non competit hoc remedium possessorium, quinimo neque assertum reintegratorium ex persona propria, si spolium commissum est cum defuncto, nisi quatenus, istius, vel ejus hæreditatis nomine petatur. *l*

103 Quinto, ubi prætendatur cessata causa possidendi activa, vel passiva, quia scilicet quia solverit annuam præstationem, vel aliud passivum onus senserit occasionaliter, seu causative, ratione alicujus rei, vel officii, seu muneris, quo cessante, resoluta quoque prætendatur possessio; *m* Sive quod isto fit ad certum tempus, vel sub certa conditione, quæ prætendatur purificata, vel defecta, cum tunc non remaneat amplius operativa, & manutenibilis; *n* Idemque e converso in possessione activa, quæ talem habeat qualitatem, sive quod id sit in quæstione, quoniam pariter causæ cognitio intrat.

104 Sexto, ubi ipsa possessio cadat in quæstione; Puta quia prætendatur tradita per eum, qui ad id sufficientem facultatem non haberet, ut juxta frequentiorem contingentiam habetur in illis solutionibus ecclesiasticæ pensionis, quæ fiant per Campsorem, vel alium tertium, in quo prætendatur non adesse sufficiens mandatum; *o* Sive e converso prætendatur quod activa possessio sit male quæsita; Vel quia servata non sit forma, quæ servari debebat, *p* Vel quia quæsita sit ex facto tertii, qui actum explicare non poterat, puta per eum, qui non haberet sufficiens mandatum ad illam possessionem capiendam; *q* Sive ubi agatur de possessione, quæ prætendatur quæsita per colonum; *r* Vel quod sit solum instrumentalis, quæ non sufficit, *s* cum similibus, super quibus aliquam causæ cognitionem adhibere oporteat.

105 Septimo, ubi, non controversa possessione de facto, controvertatur de jure, ut causa possidendi sit insufficiens, quia nempe agatur de facultativis, in quibus possessio non infert præjudicium, neque isto interdicto digna reputatur; Adhuc tamen e converso prætendi solet, ut etiam in his facultativis, notabilis diuturnitas temporis, vel multiplicitas actuum reddat hanc possessionem manutenibilem. *t*

106 Octavo, quamvis (ut supra) possessio acquisita per aliquem jure privato, non transferatur in hæredem, vel successorem, nisi apprehendatur, quoniam possessio dicitur quid facti; Eaque apprehensa in una re, suffragatur solum in ejus membris, & dependentiis, non autem in alia re diversa, etiamsi agatur de juribus incorporalibus; *u* Adhuc tamen frequens, & præsertim in Italia habetur usus Statutorum continuantium possessionem defuncti in hæredem, vel successorem; Itaque dicitur ficta, & civilissima possessio, quæ apta est ad manutentionem; Sed nihilominus intrant limitationes, quando hæc civilissima possessio interversa sit de facto per aliam naturalem, sive quod ipsum jus hæreditarium sit in quæstione; Aut quod prætendatur contra judicium defuncti cum aliis limitationibus, quæ desuper tradi solent, ut in sua sede. *x*

107 Nono, ubi agatur de exceptionibus boni juris, quod incontinenti probatum prætendatur, ideoque ratione doli, vel inanis circuitus, seu canonicæ æquitatis prætendatur, obstare debeat, quoniam regula est negativa, ut in hoc judicio non attendantur exceptiones boni juris, ut pariter supra occasione agendi de cumulatione petitorii cum possessorio actum est. Nisi quando omnimoda certitudo, vel notorietas locum aperiat officio Judicis; *y* Sive quod agatur de possessione, quæ pendet a titulo, ad quem possessor imprudenter illam restrinxerit, cum ejusdem tituli præcisa, & præjudiciali productione, cum tunc vitium tituli influat etiam in possessionem. *z*

Quoties etiam ista imprudens restrictio non accedat, ob quam Practici dicunt, quod sibi imputet possessor, cur se suo ligone percusserit, non admittitur defectus tituli, neque urget necessitas justificandi aliquam qualitatem, quæ necessaria sit, præterquam ubi agitur de illis juribus regalibus, quæ sine titulo haberi non possunt, & in quibus pro legibus, vel stylis principatuum, seu locorum, sola possessio non sufficit; *a* Quoties ea non sit temporis considera-

derabilia, ut habeatur supra occasione agendi de possessione habente juris resistentiam.

108 Quæstio autem est inter Scribentes, an ea, quæ de juribus regalibus, & similibus habentur, procedant quoque in beneficialibus; Et quamvis plerique affirmativam teneant; *b* Attamen in Curia magis recepta videtur negativa, quoties de omnino certa, & notoria intrusione non agatur. *c*

109 Prout etiam in pensionibus ecclesiasticis, quamvis pro illis ex recepto Curiæ stylo sit necessarius clericatus, neque exigi possint alias quam vigore literarum sub decreto annullativo; Attamen hæc non attenditur, in isto possessorio ob possibilitatem justificationis in petitorio, solumque de Curiæ stylo, ut decernatur manutentio, desiderari solet, quod constet saltem de supplicatione. *d*

110 Decimo, ubi etiam constet de possessione insufficienti, puta quia sive jure familiaritatis, vel administrationis, aut facultatis, prætendatur ejus mutatio in melius ex supervenienti causa, vel titulo, unde propterea allegetur mutatio, quæ de jure præsumitur, etiam sine aliqua declaratione juxta opinionem in Curia magis receptam; Quoties tamen contraria probatio expressa, vel præsumpta non tollat istam simplicem juris præsumptionem, ut præsertim contingere solet, quando post superventum novum titulum adhuc declaravit possidere ex priori causa, sive quod aliæ facti circumstantiæ id suadeant. *e*

De multis vero aliis similibus quæstionibus, facile est videre apud eos, qui de hac materia ex professo agunt; Sive quod incidenter sub diversis materiis de illis agatur, cum præmissa tanquam in praxi frequentiora, ita summatim insinuasse videatur satis.

111 In quacunque vero instantia istud judicium est exercibile, adeout non obstent una, vel plures sententiæ contrariæ, quoties non adsit obstaculum rei judicatæ, quæ illud cessare facit. Et nihilominus etiam isto casu est exercibile, quando adversus rem judicatam commissa sit, ac pendeat causa restitutionis in integrum, dummodo executio non sit cœpta, vel juris ministerio facta non censeatur. *f*

112 Atque ex isto remedio prodire solet alterum processus executivi, etiam in actione personali, quia nempe quando mandatum de manutenendo concessum sit, atque constitutum est in statu exequibilitatis, utpote non impeditum ab aliqua clausula translativa executionis, tunc pro ejus effectuatione conceditur quoque mandatum executivum contra personam & bona, juxta quotidianam praxim pro qualitate subjectæ materiæ.

a *tit. de alien. & contract. disc.* 1, *n.* 102. Dunoz. *decis.* 252. *n.* 43. *repetit. dec.* 139. *p.* 6. *rec.*
b *supra disc.* 37. c *eod. disc.* 37.
d *dec.* 124. *n.* 12. & 13. *p.* 7. *rec.* Ridolphin. *in prax. p.* 2. *cap.* 12. *n.* 94.
e Otthob. *dec.* 236. Burat. & add. *dec.* 625. & *sup. disc.* 37.
f Posth. *de manut. obser.* 57. *n.* 72. & *seqq.* Menoch. *de adipiscen. rem.* 4. *n.* 178. & *seqq.* Peuting. *dec.* 332. *n.* 3. *Faven. Primog.* 21. *Maii* 1666. *coram Bevilaqua.*
g Post. *de manut. obs.* 19. Greg. & add. *dec.* 208. Cel. *dec.* 82.
b Peutinger. *dec.* 276. *repetit. dec.* 45. *p.* 10. *rec.*
h 2. Posth. *d. obser.* 19. Burat. & add. *dec.* 160. *dec.* 169. apud Posth. *de subhast.* Gregor. & add. *dec.* 555.
i Greg. *d. dec.* 555. Otthob. *dec.* 121. Burat. & add. *dec.* 260. & 269. Posth. *de manut. obser.* 58. *ex n.* 82.
l *proxime supra.*
m *de proviso ab Ordinario, dec.* 585. *p.* 5. *rec.* & *de ista materia in benef. tit. de benef. disc.* 73. & *sæpius in aliis.*
n *tit. de pension. disc.* 61.
n *tit. de harede, & tit. de fideicomm. passim.*
p *dict. tit. de fideicomm.*
q *ibid.* & *tit. de legit. disc.* 26.
a *d. tit. de fideic. dis.* 106. & *in aliis, cum sit in praxi quotidianum.* s *tit. de feud. disc.* 42. t *tit. de emphyt. disc.* 25.
u *dec.* 163. *n.* 2. *p.* 13. *rec.*
x Merlin. *de pign. lib.* 3. *q.* 14. & *lib. q.* 76. Burat. & add. *dec.* 257. & 286. *tit. de leg. disc.* 37. *ubi de hypotheca.*
y Mantic. *dec.* 156. Greg. *dec.* 67. Dunoz. *dec.* 699. & *pass.*
a *dec.* 5. & *dec.* 119. Merlin. *de pignor.*
b *tit. de locato, disc.* 38.
c Cenc. *de cens. q.* 94. Arguell. *dec.* 75. & 86. *dec.* 373. *p.* 9. *rec.* & 187. *p.* 10. Bich. *dec.* 310. late Farinac. *q.* 176. *ex nu.* 253. d *proxime supra.*
e Masull. ad Capyc. *dec.* 159. Merlin, *lib.* 1, *contr.* 55.
f Cens. *d. q.* 94.

g Dunoz. *dec.* 793. Bich. *dec.* 619. 40. 3. & 417.
h *tit. de emphyteus. pluries dec.* 73. & 165. *p.* 10. *rec.*
i Fenzon. *ad statut.* 194. Ridolph. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 69. & *seq.*
l *tit. de fideicomm. disc.* 13.
m Rovit. *prag.* 1. *de assistent.* Barbat. *eod. tract.* n & *passim* apud Regnicolas.
o *tit. de fideic. disc.* 197. & *seq.* p *supra, disc.* 26. & *seq.*
q *supra, disc.* 42. r *supra disc.* 12.
s *tit. de fideic. disc.* 198. Dunoz. *dec.* 910. Bich. *dec.* 480.
t *d. tit. de fideic. disc.* 162. & *tit. de legitim.* & *detract. disc.* 25. u *ibidem.*
x Coccin. *dec.* 2354. Mantic. *dec.* 241. Burat. *dec.* 772.
y Dunoz. *dec.* 709. Burat. *dec.* 494. Fusar. *q.* 616.
a *tit. de fideic. disc.* 187. *cum seq.*
b *d. tit. de fideic. disc.* 197. & *seq.*
c Greg. *dec.* 67. & *passim.*
d *supra, lit. Z.*
e Bich. *dec.* 321. & 346. Otthob. *dec.* 156. & 173. Zacch. *de oblig. q.* 31. & *passim.*
f *tit. de credito, disc.* 36.
g Burat. *dec.* 844. Dunoz. *dec.* 815. *dec.* 60. post Merlin. *de pignor.*
h *tit. de credito, disc.* 13. & 151. *tit. de emphyteus. disc.* 44. & 58. & *alibi.*
i *dict. disc.* 151. *de credito.*
l *dict. disc.* 13. & 151. *de credito.*
m *tit. de emphyteus. disc.* 44. & *tit. de feud. disc.* 61.
n *tit. de fideic. disc.* 180.
o Merlin. *de pignor. lib.* 5. *q.* 77. *decis* 68. post eundem *dec.* 220. *p.* 5. *rec.* Rovit. *pragm.* 1. *de assistentia.*
p Burat. & add. *dec.* 693. & 720. *decis.* 100. *p.* 7. *recent.* Bich. *dec.* 315. q *supra, disc.* 2.
r *d. dec.* 220. *p.* 5. *rec.* Rovit. *de prag.* 1. *de assisten.*
s Duran. *dec.* 49. *dec.* 373. *p.* 9. *rec. dec.* 105. post Merlin. *de pign. tit. de donat. disc.* 14.
t *d. disc.* 14. *de don.* Bur. & add. *dec.* 220. Duran. *dec.* 155.
u Dunoz. *dec.* 993. *tit. de fideic. disc.* 106.
x *tit. de emphyteus. disc.* 6.
y Cenc. *de cen. q.* 97. Magon. *de Lucen.* 87. Barbat. *prag.* 1. *de assist. gl.* 4.
z *dec.* 73. *p.* 10. *rec.* Burat. *dec.* 160. Rovit. *pragm.* 1. *de conservat.* Gait. *de cred. c.* 4. *quæsit.* 7. *a n.* 834. & *quæsito* 11. *a n.* 2089.
a *dec.* 387. *part.* 20. *rec. dec.* 149. & 150. post Cenc. *de cens.* Farinac. *q.* 175. *ex n.* 253.
b Capyc. Latr. *consult.* 88. *n.* 6. add. *ad* Vestr. *l.* 7. *c.* 3. *n.* 40.
c *supra, disc.* 37. d Royas *dec.* 412. Otthob. *dec.* 158. *dec.* 290. *p.* 7. *rec.* e *supra, lit. F.* f *supra. disc.* 20.
g Greg. & add. *dec.* 194. Burat. *dec.* 136. *dec.* 60. *p.* 7. *recent. dec.* 200. *p.* 5. *rec.*
h Buratt. & add. *decis.* 604. & 730. Royas *dec.* 457. Cavaler. *dec.* 655. i Buratt. & add. *d. dec.* 604. *dec.* 78. *p.* 7. *rec. dec.* 191. *p.* 10.
l Menoch. *cons.* 1050. & *alii referuntur* apud Seraphin. *dec.* 1360.
m Seraphin. *d. dec.* 1360. *dec.* 535. & 547. *p.* 4. *rec. tom.* 3. Capyc. Latr. *consult.* 88. *dec.* 392. *n.* 15. *p.* 12. *rec. tit. de alienat.* & *contract. disc.* 14.
n Merlin. *de pign. lib.* 5. *q.* 77. *dec.* 56. post eundem Gregor. & add. *dec.* 254.
o *supra, n.* 27. q *tit. de credit. disc.* 133. & 134.
r Greg. *dec.* 14. 138. & 268. add. ad Buratt. *dec.* 67.
s *Post. de manut. observ.* 38. add. ad *dec.* 605. *p.* 5. *rec.* add. ad Buratt. *dec.* 375.
u *tit. de alien. disc.* 41.
x *dec.* 6. *p.* 12. *rec.* Buratt. & add. *ad decis.* 144. & 360. Posth. *de manut. observ.* 42.
y Posth. *de manut. obser.* 71. Greg. & add. *dec.* 40. Burat. & add. *dec.* 67. & 688. Peuting. *dec.* 384.
a *proxime supra, lit. V.*
b *l. juste possidet. ff. de acquir. poss.* Posth. *de manut. obser.* 12. *dec.* 67. *p.* 10. *rec. dec.* 172. *p.* 11.
c Burat. *dec.* 169. 185. & 375. *dec.* 314. & 352. *p.* 10. 381. 138. & 322. *p.* 12. *in quibus etiamsi executio approbata sit per Signaturam,* Posth. *de manut. observ.* 12.
d Cavaler. *dec.* 337. & 470. Burat. & add. *dec.* 158. *decis.* 9. apud Posth. *de manut. dec.* 67. *p.* 10. *rec.* 432. *p.* 13. & *sæpius.* e *supra disc.* 37.
f *tit. de jurisd. disc.* 58. & 94. *tit. de success. disc.* 6.
g *tit. de jurisdict. in supplemento.*
h *dec.* 353. *p.* 9. *rec. ubi de assoclatione, & sæpissime.*
i *supra, disc.* 39. l *tit. de donat. disc.* 24.

m *eod. disc.* 14. n *ibid.*
o add. ad Greg. *dec.* 370. ad Burat. *dec.* 131. *dec.* 85. *p.* 7. *rec. & sub tit. de Regal. & alibi pluries.*
p Bich. *dec.* 364. Outhob. *dec.* 158. Burat. & add. *dec.* 659. & 720. q Burat. & add. *dec.* 347. 604. 923. & 691. Peutinger. *dec.* 277. Bich. *dec.* 589.
r *tit. de praeminent. disc.* 26.
t *supra, disc.* 37. *in relatione Curia, disc.* 31.
u *dec.* 84. *p.* 7. *rec.* x Bur. & add. *dec.* 625. Ott. *dec.* 236.
y *dec.* 20. *p.* 10. *rec. & supra disc.* 37. *& alibi pluries.*
z Posth. *in tractat. de manut.*
a *tit. de jurisd. disc.* 1. *cum plur. seqq.*
b *tit. de decim. disc.* 1. *&* 5. *& sapius.*
c *d. tit. de jurisd. disc.* 1. *cum multis seq. & in supplem.*
d *d. disc.* 1. *de jurisd. & tit. de decim. disc.* 18.
e *tit. de pens. disc.* 37.
f *eod. disc.* 37.
g *eod. tit. de pension. disc.* 30.
h *disc.* 26. *de praem. & tit. de jurepatr. disc.* 63.
i *tit. de feud. pluries, & disc.* 26. *de praeminent.*
l *tit. de haerede, disc.* 26.
m *tit. de Regal. dis.* 8. *& seq. & tit. de emph. disc.* 23. *&* 39.
n Mantic. *dec.* 277.
o Posth. *de manut. observ.* 35. *ex n.* 71.
p Burat. *dec.* 67. Bich. *dec.* 309. *&* 364.
q Burat. *dec.* 876. *dec.* 205. apud Posth. *de subhast.*
r *dec.* 158. *p.* 7. *rec.* add. ad Burat. *dec.* 732.
s Greg. *dec.* 268. Burat. *dec.* 67. *Posth. de manut. observ.* 21.
t Bich. *dec.* 522.
u *tit. de haerede, disc.* 26.
x *eod. disc.* 26. *de haerede.*
y *supra, lit. T.*
z *tit. de Regal. disc.* 47. *tit. de conf. disc.* 11. Loth. *de benef. lib.* 2. *q.* 46. *ex n.* 31. a *tit. de Regal. disc.* 14.
b Franges *de intruso, q.* 31.
c Posth. *obser.* 42. *supra disc.* 2. *& est in Curia receptum.*
d *tit. de pens. disc.* 37.
e Outhob. *decis.* 104. *dec.* 97. *&* 108. *p. rec. Posth. de manut. observ.* 54.
f *supra disc.* 38.

ANNOT. AD DISC. XLIV.

AD materiam summariissimi possessorii manutentionis, an & quando inuret postquam emanavit sententia ad favorem alterius partis contra illum, qui hoc possessorium intentat, videantur aliqua consideratione digna *disc.* 143. *seu* 144. *de benefic.* Ac etiam *in Annot. ad disc.* 39. *hoc eod. tit.* occasione agendi de propinis, quare idem possessorium non mereatur gaudere privilegio rejiciendi appellationem suspensivam, quando conceditur per decretum eodem tempore, quo profertur etiam sententia diffinitiva in negotio principali.

ROMANA ATTENTATORUM.

Discursus generalis.

De pluribus ad eandem materiam attentatorum, de qua supra *hoc eod. tit. disc.* 18.

S U M M A R I U M.

1 *QUod leges male intellecta producunt effectum diversum ab eo, ad quem ordinatae sunt.*
2 *Multitudo Tribunalium in Curia Romana damnabilis, & perniciosa.*
3 *De calumniis debitorum circa istam materiam attentatorum.*
4 *De provisionibus factis per Auctorem ad occurrendum calumniis, & praesertim quando inhibitiones non afficiant.*
5 *De provisione circa attentata resultantia a recursu habito ad Signaturam.*
6 *De alia super inhibitionibus dotalibus, vel cautela Angeli.*
7 *De alimentis per creditorem debitori pauperi praestandis.*
8 *De dilationibus, & non gravetur quae per judices dantur debitoribus.*
9 *Quando in attentatis debeat intrare compensatio, vel retentio.*
10 *In quibus casibus intrant rigorosae poenae attentantium.*
11 *De rationibus ob quas debitor non potest, nec debet obtinere refectionem expensarum attentatorum.*
12 *Quomodo judex ex officio debeat revocare attentata.*

DISC. XLV.

IN ista praesertim attentatorum materia frequentius pro 1
Romanae Curiae usu, vel abusu verificari videtur id, quod in omnibus aliis materiis, omnibusque aliis Curiis, & Tribunalibus, in quibus cum legum usu vivatur, contingere solet, ut id quod introductum est pro antidoto, & actuali medicina resolvatur in venenum, ac mortiferum pharmacum, quodque illa lex quae de sui natura summam habet rationem, irrationabilis, ac barbara efficiatur, nutriendo, ac generando potius lites, quam extinguendo, idque ab eadem provenit infecta origine attentandi leges, vel propositiones in sola generalitate literae, non autem in spiritu, seu ratione pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, ut revera debent leges attendi, ac practicari ex insinuatis *disc.* 35. *de judic.*

Major autem hujus inconvenientis usus in Romana Cu- 2
ria super hac materia attentatorum potius quam in aliis Curiis, ac respective materiis, ultra dictum errorem ubique Pragmaticis commnnem intelligendi leges in litera, non autem in spiritu, & ratione, provenit ex illa magna tribunalium frequentia, quae cum singulari forte exemplo contra omnes politicae, rectaeque administrationis Justitiae regulas in ista Curia habetur, ut liquet ex ejusdem Curiae relatione; ita etenim inter judices, & Tribunalia quaedam jurisdictionis, & competentiae continua aemulatio inducta videtur, nimium de facili absque aliqua causae cognitione causas, quae coram uno pendeant, alio reassumente, ac respective concedente inhibitiones, a quarum violatione attentatorum quaestiones adeo frequentes emanant.

Cum etenim in suis respective casibus vera habeatur pro- 3
positio, quod inhibitio sive justa, sive injusta est timenda, ejusque contraventio, ac violatio causat attentata, quae facti, ac dolosa, ideoque inexcusabilia reputantur, hinc una Partium, postquam coram uno judice succubuit, atque mandati executivi, vel respective executorialis relaxationem passa est, calumniose ad victorem defatigandum, ac executionem impediendam, curat obtinere ab alio judice, vel tribunali inhibitionem, si ex inadvertentia Causidici vel executoris procedatur ad executionem, exinde resultare solet novus inextricabilis litium labyrintus, cum aperta suffocatione Justitiae, ac fomento calumniatum, adeout debitor efficiatur creditor creditoris, quem frequenter in carceribus detrudi faciat, res quidem detestabilissima; Stante siquidem altero in suis casibus vero juris assumpto, quod attentator non potest audiri nisi purgatis vere, & integre attentatis, quorum purgatio consistit non solum in omnimoda retractatione executionis, vel alterius actus, qui gestus fuerit, sed etiam in restitutione fructuum perceptorum, ac refectione expensarum tam judicialium, quam extrajudicialium, ut supra *d. disc.* 18. Exinde manat, ut eo ipso quod debitor opponit de attentatis, quorum purgationem petit, quodque Judex de more interponit decretum cum clausula *docto* quiescit in primis causa principalis, & creditum prohibetur petere creditum jam liquidatum, & canonizatum cum mandato executivo, frequentius etiam canonizato per Signaturam Justitiae, atque insurgit nova lis ex integro super liquidatione, ac refectione integra fructuum, & expensarum, quae magnas exigit moras; adeout causam principalem quodammodo suffocet, & quandoque reus, ac debitor ita assumit partes actoris, & creditoris, atque curando liquidari summam expensarum pro ea obtinet mandatum executivum, cujus vigore creditorem carcerari curat, vel ponere in fuga, res quidemque juxta Horatii dictum, bilem, ac risum eodem tempore promovet.

Idem inconveniens resultat a quibusdam inhibitionibus generalibus, quae concedi solent per Tribunalia fidae, vel grasciae, seu agriculturae, & similia, ac etiam ab illis dilationibus, quae vulgo in Curia dicuntur *non gravetur*, & quas aliqui Judices, & praesertim Auditor Camerae concedere de facili solent, aut a chartis dotalibus, & a cautela *Angeli*, sive a citationibus super recursu ad utramque Signaturam Gratiae, vel Justitiae.

Assum-

Assumptus itaque ad munus Auditoris Papæ, agnoscensque calumnias ob prædicta, & alia similia in magno excessu
4 crevisse, atque per judices, & tribunalia a quibus extirpari deberent, coli, & foveri, curavi quantum humani intellectus Imbecillitati conceditur eas evellere cum plerisque provisionibus desumptis ex variis Constitutionibus Summorum Pontificum, & præsertim Pauli III. Julii III. Pii IV. & Pauli V. ac etiam ex dispositione, vel intentione juris communis, atque circa muneris initia cum decreto generali impresso, atque in locis publicis de more affixo sequentes feci declarationes.

Primo nempe, quod inhibitiones, quæ concedi solent per aliqua Tribunalia privilegiata eorum ministris, vel dependentibus, ne in aliis Tribunalibus, vel coram aliis Judicibus conveniri possint, ut exempli gratia sunt Tribunal Camerarii pro illis qui sint affidati in dogana Maritimæ, patrimonii, vel Tribunalis agriculturæ ad favorem exercentium artem agrariam, sive Tribunalis Gratiæ, & Annonæ, & similium, suffragentur quidem ad limites Constitutionum Apostolicarum, ac privilegiorum, quando exhibeantur in principio causæ, & antequam consentiatur in Jurisdictionem illius Judicis, coram quo prætensi privilegiati conveniantur, ita forum declinando, non autem postquam eis citatis, & intimatis, relaxatum est mandatum quandoque canonizatum etiam a Signatura Justitiæ, atque suscepto etiam termino, dum ita consentiendo in illum Judicem, renunciasse censentur eorum privilegio, atque alias esset consovere calumniam manifestam; potissime vero, quia frequentius, ac vere semper illi, qui hujusmodi inhibitiones obtinent, non sunt affidati, seu vere artem agrariam non exercent, sed studiose se munire satagunt cum hujusmodi inhibitionibus indebite captis ad effectum ita repelendi executores, ac impediendi executionem personalem, & realem cum gravi, & irreparabili præjudicio creditorum, quoniam impedita illa executione, quamvis creditor postmodum obtineat moderationem inhibitionis, nil ei prodest, eo quia persona debitoris interim fugam arripit, sive in loco tuto se reponit, ac bona mobilia dissipat, vel occultat, ideoque declaravi, atque decrevi quod hujusmodi inhibitiones imposterum non afficerent ad impediendum executiones faciendas, vel ad retractandum jam factas, neque attentatorum vitium causare, quoniam conclusio quod inhibitio sive justa, sive injusta est timenda, in ea ratione fundatur quod non debet esse repositum in arbitrio subditi spernere præceptum superioris, minusque arbitrio partis interessatæ sibi ipsi jus dicere, seque constituere Judicem in causa propria super injustitia inhibitionis; sed quando Princepe, vel ejus consiliarii, & ministri agnoscunt, quod hujusmodi inhibitiones deserviunt pro fomento calumniarum, & impedimento Justitiæ, debent ipsi occurrere cum eorum provisionibus, ex quibus potius quam ex partium contemptu provenit inhibitionum inefficatia.

Quo vero ad illam speciem attentatorum, quæ resultare solent a citatione partis super recursu habito, vel habendo ad Auditorem Papæ pro negotiis spectantibus ad Signaturam Gratiæ, vel ad Præfectum Signaturæ Justitiæ,
5 sive ejus Auditorem, pro negotiis ad istam Signaturam pertinentibus, docente experientia, quod pariter id ut plurimum fomentum est calumniarum, atque producit impedimentum Justitiæ, cum hujusmodi citationes postmodum vel non producantur, ut pluries repetantur, ita rem in longum protrahendo, vel quod illas facientes, recte sciant succumbentiam, ac petitionis injustitiam, adhuc tamen id studiose agant pro temporis beneficio obtinendo, ideirco quatenus pertinet ad recursus, qui coram me haberentur, declaravi, atque decrevi quod hujusmodi citationes reciperent effectum a subsecuto eventu, quod scilicet, si efficaces essent, quia concederetur supersessoria, vel alia fieret provisio impeditiva executionis, tunc intraret retrotractio, & per consequens executio remanet attentata; secus autem ubi rejicerentur, ut ita calumniis, & malitiis causidicorum occurratur; Quamvis etenim Curiales dicerent quod attentata resultarent a spretu, ac violatione reverentiæ erga judicem, cujus majestas læditur, & cui dicitur fieri injuria, replicabam tamen quod ego libenter observabam præceptum evangelicum remittendi offensas, & injurias.

Et circa inhibitiones dotales, vel alias in vim cautelæ *Angeli*, quæ ut plurimum collusive affectantur per uxores, vel filios, aliosque conjunctos debitorum, decrevi,
6 ac declaravi, quod illæ in bonis mobilibus impedire non deberent executionem ad effectum illa describendi, & consignandi cum sufficienti cautione fidejussoria, vel juratoria, illi qui se prætendat possessorem, & præsenter inhibitionem, reservato ut per judicem ejusdem inhibitionis postmodum videatur an illa de jure subsistat, necne, idque ex eadem ratione occurrendi calumniis, & fraudibus, quoniam ubi inhibitio impediat executionem interim, quod habetur recursus ad judicem pro moderatione, bona transfugantur, vel occultantur, ita vero consultum remanet utrique parti; detentori nempe, qui se prætendat dominum, vel creditorem potiorem quod non amoveantur a possessione, ideoque sibi nullum paratur præjudicium; Et creditori quod bona reperta in domo debitoris, vel alibi non occultantur.

Factis itaque hujusmodi provisionibus, atque comperto 7
quod præstatio alimentorum debitoris carceratis calumniatum quoque fomentum producebat, curavi ut in Congregatione reformationis firmaretur id, quod habetur *sub tit. de credito, disc. 153. & in relat. Curiæ, disc. 29.* agendo de Congregatione visitationis; Cumque aliqui judices, & præsertim Auditor Cameræ, ex quodam antiquo usu, vel abusu enunciato, ac prohibito per Constitutiones Clement. VII. Pauli III. Julii III. & Pii IV. & aliorum Pontificum essent nimium faciles in concedendo illas dilationes, quæ vulgo in Curia *non gravetur* appellantur, quod non modicum producebat impedimentum Justitiæ, ac fomentum dictarum calumniarum, quoniam si creditor curabat carcerari facere debitorem, ita iste cum dicto prætextu attentatorum ex debitore efficiebatur creditor, atque carcerare faciebat creditorem; non sufficerent autem provisiones desuper captæ per Constitutionem Pauli V. super reformatione tribunalium, quod non darentur hujusmodi *non gravetur* nisi in vim termini, eoque durante, quodque unus judex non concederet adversus mandata relaxata per alium judicem sub pœna nullitatis, ac liciti spretus, eo quia stante dicto usu prætendebatur, quod haberent *non gravetur* a judice solito concedente, versarentur in bona fide publica, qua elusi remanere non deberent, hinc licet prætensa bona fides de stricta juris censura non subsisteret, cum dicta constitutio sit impressa in Bullario, ideoque omnibus pateat, & per consequens non possit allegari ignorantia juris, attamen ad removendum omne dubium, tollendumque omnem prætextum, aliud publicavi edictum impressum in locis publicis de more affixum, in quo insertus fuit tenor dictæ Constitutionis de verbo ad verbum in illis partibus in quibus in hujusmodi dilationibus, & *non gravetur* agitur, ut ita non posset allegari ignorantia, atque ita in magna parte huic abusui consultum fuit. 8

Verum etiam in illis casibus, in quibus de stricto jure 9
adessent attentata, quoties ex facti circumstantiis non constaret de dolo vero, redolente spretum positivum judicis inhibentis, per quem jus alterius partis efficeretur deterius, eique indebita causarentur præjudicia, sed ageretur de debito certo, & liquide jam canonizato per mandatum prompte exequibile, adeout sit certum malum jus illius, qui passus est attentata, & bonum illius, qui prætenditur attentator, tunc indiscretum, ac irrationabile videtur practicare dictum rigorem legalem, ut creditor non possit, nec debeat audiri nisi prius reficeret debitori omnes expensas, ac propterea cœpi practicare compensationem, seu retentionem, quod scilicet si mandatum relaxatum esset pro centum, quæ non dubitaretur deberi, prætenderet autem debitor quod expensæ adhuc non liquidatæ importarent decem, deferendo ejus assertioni, mandaretur suspendi hanc summam sine præjudicio creditoris, quatenus in liquidatione detegeretur eam esse minorem, procedi vero deberet ad executionem pro reliquis nonaginta, ita evitando inanem circuitum omni ratione destitutum, & calumniarum nutritivum, istaque praxis placuit Curiæ omnibus judicibus, & tribunalibus, a quibus idem practicari cœpit, ac propterea magna calumniarum, & subterfugiorum resecatio secuta est.

Melius vero postmodum reflectendo visum est neque di- 10
ctam retentionem, seu compensationem quamvis secuta sit liquidatio in damnum creditoris ad commodum debitoris, admittendam fore, attentantium siquidem pœnę ad commodum ejus qui attentata patitur, procedunt in illis causis, in quibus inter litigantes contendatur de dubia pertinentia, vel possessione bonorum, seu jurium, quam earum quelibet prætendat ac speret, ne interim attentator, qui merito spoliatori assimilatur, eisdemque subjacet pœnis cum propria auctoritate, vel illa alterius judicis alteram partem opprimat, atque durante lite se confoveat in spolio, vel alio actu præjudiciali attentare gesto, ita rigorose

puniendo istud crimen ad terrendum ne committantur, istaque tribuatur licentia, male autem, ac irrationabiliter applicantur ad istam causam, in qua nulla pendet lis, vel contentio super pertinentia, vel possessione dubia, sed agitur de liquida executione judicati, quam morosus, & calumniosus debitor ita indebite impedire satagit, ac propterea plura intrant vera, & rationabilia principia, quæ hanc refectionem a creditore debitori faciendam, inju-
11 stam, ac penitus irrationabilem convincunt. Primo nempe quod qui causam damni dat, ipsum damnum dedisse censetur, ideoque cum debitor cum hujusmodi calumniosis subterfugiis dederit causam, sive fuerit origo ut sequerentur attentata, sibi ipsi totum damnum quod recipiat, imputare debet.

12 Secundo, quia in delictis intrat mutua compensatio, ut advertitur *in eod. disc.* 18. & alibi, atque in ista compensatione attenditur an crimina sint majora ex parte unius, & minora ex parte alterius; Certum vero est quod isto casu plura longeque majora sunt crimina debitoris, quam sit hoc unicum creditoris, quoniam in debitore considerantur primo mora, quæ secum trahit violationem datæ fidei, Secundo frequentius perjurium explicitum, vel implicitum ob juramentum expressum, quod pene in omnibus contractibus, & obligationibus hodie adjici solet, vel implicitum quod inest obligationi Camerali; Tertio calumnia cum lite, & defatigatione creditoris; Et quarto frequenter falsitas, vel mendacium, asserendo affidatum, seu agricultorem, vel alias professorem status privilegiati, aut supponendo uxorem creditricem, cum non sit, vel ejus bona ad alium spectare, cum similibus, & hæc omnia consistunt in facto culposo ipsius principalis; Et converso autem in creditore non concurrit aliud crimen, nisi istud attentatorum, quod provenit a quadam juris subtilitate, vel superstitione non omnibus nota, & frequentius ex inadvertentia causidici, vel executoris, absque eo quod revera principalis sit in culpa positiva.

Tertio, quia debitor morosus tenetur erga creditorem ad totum id quod interest moram non esse contractam, atque obligationem debito tempore adimpletam fuisse, ut pluries advertitur *sub tit. de usur.* occasione agendi de interesse lucri cessantis, & damni emergentis, quod fortius procedit in illis debitis, quæ contracta sint cum obligatione camerali, cujus formula istam refectionem habet expressam, ut in guarantigia, aliisque similibus formulis executivis diversarum regionum contingit, ideoque cum totum id ut supra originetur a mora, & culpa debitoris, quo, debito tempore ut tenebatur suam obligationem adimplente, nihil horum contigisset, de consequenti resultat, quod ubi etiam de stricta juris censura creditor ratione purgationis attentatorum teneretur reficere debitori expensas, attamen e converso creditor posset repetere a debitore refectionem ejus, quod solvit tanquam damnum, & interesse, atque hoc stante intrat exceptio doli, sive inanis circuitus.

Quarto in idem, quoniam id est dare maximum absurdum, quod criminosus, & culposus, ex ejus crimine commodum reportaret cum incommodo, & jactura innocentis, cui mora commissa est, & qui duplici afficeretur injuria, una in sibi violata fide, & altera in hac refectione.

Et quinto, quoniam etiam in iis, quæ per leges disponuntur, quando experientia docet quod per legis abusum sunt Reipublicæ præjudicialia, malosque, ac perniciosos producunt effectus, fovendo calumnias, debent negligi, & aboleri, dum etiam illæ leges magis obligatoriæ, quales inesse dicuntur in contractibus onerosis, & correspectivis, ubi tractu temporis reducantur ad injustitiam, vel iniquitatem, vel aliud producant inconveniens, moderationem, vel abolitionem merentur.

Et quamvis aliud in hac materia habeatur assumptum, de quo eodem *disc.* 18. & alibi, quod attentatorum purgationem Judex, cujus majestas spreta fuit, demandare pot-
13 est etiam quando pars, quæ illa passa est ob renunciationem explicitam, vel implicitam, vel ob alium respectum, de jure talem revocationem petere non potest, attamen ultra quod id nimium in praxi rarum est, solumque procedit quando agatur de attentatis vere dolosis continentibus spretum positivum juxta casus, de quibus loquuntur decisiones, & auctoritates, de hoc agentes, id operare potest quod Judex possit ex officio pro refectione læsionis ejus majestatis, ac ad aliorum terrorem, & exemplum, quando facti circumstantiæ ita exigant, illum punire cum carceratione, vel cum aliqua mulcta fisco, aut piis usibus pro Tribunalis qualitate applicanda, non tamen, ut intret dicta refectio ad commodum debitoris, cum id producat calumnias, & inconvenientia, de quibus supra.

In discursu itaque super his edito, ac impresso, & publicato, privato potius nomine, quam in ratione muneris protestabar me libenter sententiam mutare, quando his respondendo alia meliora, & validiora insinuarentur motiva, sed neminem hucusque vidi respondentem, atque illi, quibus hæc opinio non placebat, aliud non insinuabant fundamentum nisi illud styli, & observantiæ, cui potius abusus, vel inadvertentiæ nomen congruere videtur; Potissime dum hæc praxis non est antiqua, sed moderna deducta a mala intelligentia, & praxi decisionum, & authoritatum recensitarum *eodem disc.* 18. quæ bene consideratæ vere, & proprie percutiunt casum, de quo supra, quando scilicet agatur de causa pendente coram uno Judice inter duos, vel plures contendentes de dubia pertinentia bonorum, & jurium, secus autem in isto casu, in quo agatur de debito credito, & liquido canonizato per judicatum exequibile, adeout ulterior lis proveniat a sola calumnia, & contumacia debitoris, quam ita est nutrire, & confovere.

CARPECTORATEN. BONORUM.

Votum in casu disputato in Congregatione Avenionensi.

De executione, & subhastatione quando invalida censenda sit ad eandem materiam, de qua disc. 40. Et de transactione quando per magistratum fieri valeat, ut sufficiat Cameram, & successores, atque non veniat sub gratiosis, & voluntariis remissionibus, vel alienationibus.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur inspectiones.*
3 *Quando concordia afficiat eos, qui sint independentes a transigente.*
4 *De bona, vel mala fide quando in concordia adesse dicatur.*
5 *Aliud est judicare de relevantia motivorum ad effectum judicandi ex integro, & aliud ad effectum videndi an transactio sit bona fide inita.*
6 *Non tollitur possibilitas probationum ex eo quod illæ non sint factæ.*
7 *De beneplacito Apostolico, & justa causa præsumendi ex longissima observantia.*
8 *Quando dicatur adesse dolus ex parte illius transigentis, qui transactionem impugnat.*
9 *Ubi adest transactio oportet prius illam tollere de medio, ut primævæ actiones exerceri possint.*
10 *Annullata transactione, reassumenda est lis, super qua est transactum.*
11 *De præscriptione annuorum onerum longo tempore non petitorum.*
12 *Quid requiratur ut ad alienationem bonorum stabilium Communitatum procedi valeat.*
13 *Executio, & subhastatio, nulla, vel notorie injusta non tollit possessionem, quæ propterea est manutenibilis.*

D I S C. XLVI.

EXorta lite inter Cameram Apostolicam, & Communitates Status Venaisini super directo Dominio universali per Cameram prætenso, ac propterea omnia bona essent reddititia de ann. 1544. deventum est ad concordiam generalem, per quam conventum fuit, ut dictæ Communitates tenerentur a Camera recipere bona sub moderato censu, & quolibet novennio solvere dimidium laudemium, exceptis illis bonis, quæ per tempus centenarium, vel immemorabile essent in libertate non solvendi; Cumque communitas Montilii possideret quædam prædia, & unum molendinum, idcirco Camera in vim dictæ transactionis, per quam statutum fuit pro regula ejus dominium universale de ann. 1596. judicium instituit super solutione laudemiorum; ex parte vero Communitatis oppositum fuit de exceptione resultante ab eadem transactione immemorabilis nempe libertatis, quare desuper introducta lite, eaque durata per annos quindecim circiter, in quo spatio super dicta allegata immemorabili datæ fuerunt positiones per Ministros Camerales

tales negitæ; eædemque repetitæ loco articulorum pro facienda probatione, ad quam non eſt deventum, de anno 1587. cum auctoritate Vice Legati inita fuit concordia, per quam Communitas ſolutis pro una vice ſcut. 25. promiſit ſolvere quolibet novennio florenos 12. ita Cameræ dominium recognoſcendo, dictaque concordia effectum pacificum ſortita eſt per annos octuaginta. Cum autem de anno 1665. per Alexandrum VIII. ſive per Cardinalem Chiſium tunc Legatum Avenionenſem cum voto congregationis Avenionenſis, accedente forte quoque dicti Pontificis oraculo, generalis revocatio facta fuiſſet omnium gratiarum, & condonationem, ſeu reductionum factarum per V. Legatos pro tempore ex defectu eorum poteſtatis; hinc de anno 1667. Miniſtri Camerales obtinuerunt a judice in partibus ſententiam, per quam vigore dictæ generalis revocationis dicta concordia caſſatur, atque condemnatur Communitas ad ſolvendum omnia novennia decurſa a dicto anno 1587. ad præſens liquidata in ſcutis 5028. atque per eandem Congregationem in Urbe, non obſtante appellatione, ſeu recurſu demandata executione proceſſum fuit ad ſubhaſtationem quorundam prædiorum, quæ fuerunt deliberata Judici cauſæ, habitoque recurſu per Communitatem ad dictam Congregationem, ac dato dubio de cujus bono jure conſtaret, & ad effectum manutentionis, de anno 1672. prodiit reſolutio conſtare de bono jure Cameræ circa invaliditatem, ac reſciſſionem dictæ concordiæ, reſervato videre de aliis concernentibus nullitatem ſubhaſtationis ratione exceſſus, vel quia facta eſſet deliberatio Judicis, obtentaque per Communitatem ab Eminentiſſimo Cardinali Cybo novo Legato nova audientia adverſus dictam reſolutionem, atque propoſita cauſa ſub die 16. Septembris 1677. dilata fuit reſolutio, repropoſita vero cauſa ſub die 7. Octobris ſequentis recedendo a reſolutis, reſolutum fuit manutenendam eſſe Communitatem in poſſeſſione bonorum ſubhaſtatorum.

2 In his itaque duabus ultimis diſputationibus, in quibus ego in iſta Congregatione interveni votando dicebam, quod per methodico examine cauſæ, & adæquata ejus reſolutione tres videbantur efformandæ inſpectiones, quarum una eſſet reſpective alterius conſecutiva. Primo nempe, an dicta concordia caderet ſub dicta generali revocatione, adeout pro invalida, & caſſa habenda eſſet, vel potius cenſenda eſſet valida, & a dicta revocatoria excempta. Secundo, quatenus verior eſſet prima pars pro comprehenſione, ac invaliditate, an adhuc procedi potuerit pro laudemiis decurſis a dicto anno 1587. ad præfatam executionem. Et tertio, quatenus procedi potuerit, an adhuc ſubhaſtatio eſſet invalida ratione exceſſus, vel quia facta eſſet ad favorem judicia. Ubi etenim in prima inſpectione Communitas foveret bonum jus, quia nempe concordia eſſet valida, & firma, adeout non caderet ſub revocatoria, tunc inanem dicebam eſſe laborem agere de ſecunda, & tertia. Et quatenus in prima foveret malum jus pro tempore futuro, foveret autem bonum pro tempore decurſo ante litem, inanis labor eſſet agere de tertia, ad quam non niſi pro ultimo refugio recurrendum eſt, & per conſequens, quod non videbatur opportunum omnes has inſpectiones in ſimul cumulare, præſertim tertiam magis involutam, utpote conſiſtentem in facto circa prædiorum majorem, vel minorem quantitatem, ac majorem, vel minorem illorum valorem, a quibus pendet liquidatio debiti, & per conſequens exceſſus.

3 Quatenus itaque pertinet ad primam inſpectionem, an concordia ſit valida, ita ut non comprehendatur ſub revocatoria, vel e converſo ſit invalida, ut comprehendatur; advertebam, quod materia regulanda eſſet cum iis, quæ habemus in tranſactionibus initis per eos, qui habent quandam adminiſtrationem, ſed ſunt prohibiti facere voluntarias læſivas alienationes, vel diminutiones, ut ſequitur in poſſeſſore Prælaturæ, ſeu beneficii Eccleſiaſtici, aut in poſſeſſore feudi, vel emphyteuſis, ex pacto, & providentia, ſive in poſſeſſore fideicommiſſi, quod ſcilicet reſolutio pendet a bona, vel mala fide, ubi etenim bona fide inita ſit, tunc valet, ac afficit tanquam geſta per legitimum adminiſtratorem; ſecus autem, ubi cum mala, cum tunc dicatur voluntaria, & illicita alienatio, ab affectato vocabulo concordiæ palliata, ex plene deductis *ſub tit. de feud. diſc. 49. & 135. ſub tit. de emphyt. diſc. 52. & ſub tit. de fideic. diſc. 73. cum pluribus ſeqq.* atque eſt principium hodie receptiſſimum.

Bona vero, vel mala fides regulatur a dubietate litis, atque ubi res in ambiguo ſit, tunc præſumptio potius aſſi-

ſtit bonæ fidei, quoniam in dubio præſumendum non eſt delictum, ut locis citatis; Clarius vero ubi aliæ accedant circumſtantiæ eandem bonam fidem præſumere facientes, & comprobantes, ut in præſenti contingit. Primo nempe, quod ſit diuturno tempore obſervata, quoniam diuturna obſervantia eſt magnum bonæ fidei argumentum. Secundo, ob qualitatem perſonarum dum agitur de actu initio ex parte Cameræ per Vicelegatum, qui eſt Prælatus, ac Magiſtratus nimium eximius, & qualificatus, & per tot Officiales Camerales, qui omnes præſupponendi ſunt viri probi, & diligentes, dum Sedes Apoſtolica eis negotia longe majoris importantiæ, & fidei committit; Et e converſo agitur de paupere Communitate ex rudibus, & ſimplicibus viris potius conſtituta; Ideoque magnum exinde reſultat argumentum. Tertio, ob diuturnitatem litis peractæ, dum illa duravit indeciſa ſpatio 15. annorum circiter. Quarto, quia inter concordiam generalem, & iſtam particularem effluxerunt anni quadraginta tres, in quorum ſpatio Camera non docet de aliqua ſolutione, quod eſt magnum argumentum libertatis allegatæ, & articulatæ per Communitatem. Quinto, quia ex parte Cameræ exhiberi deberent integra acta præfatæ antiquis litis, ſine quibus impoſſibile eſt convincere ejuſdem litis injuſtitiam, & malam fidem. Et ſexto, quoniam ultra dictam exceptionem relevantem, quæ reſultat ab ipſamet tranſactione generali ratione poſſeſſionis centenariæ, vel immemorabilis, quamplures alias exceptione relevantes Communitas habebat. Primo nempe, quod aliqua prædia directe per Cameram conceſſa eſſent Communitati jam manui mortuæ, ideoque non intrat ratio, cui quindenniorum, ſeu novenniorum ſolutio innixa eſt, juxta deducta *diſc. 50. de emphyteuſ.* Secundo, quia de aliquibus aliis bonis Communitas ſubinveſtita fuit a perſonis privatis, quibus potius tanquam dominis immediatis, quam Cameræ dominæ mediatæ novennia ſolvere teneretur, juxta deducta *diſc. 59. de feud.* & in ſpecie de conſuetudine iſtius regionis, ut quindennia, vel novennia ſolvantur domino immediato, non autem mediato, teſtatur Ludovicus Bell. *conſ. 36. n. 8. & 9. conſ. 37. n. 4. & conſ. 38. n. 2.* Et tertio reſpectum molendini, quod Communitas illud non obtinet
a Camera in ſolo, & ædificio, quorum utrumque eſt li- 5
berum Communitatis, ſed ſolum uſum aquæ, pro quo uſu tantum ad hoc onus teneretur; Et quamvis ſingulis ex parte Cameræ reſpondeantur, attamen quidquid ſit de reſponſionem relevantia, negari non poteſt, quod ex his magna dubietas reſultet ad effectum, de quo agitur, ideoque aliud eſt conſiderare has exceptiones principaliter, & de per ſe ad effectum judicandi, an ſubſtant necne, quatenus res eſſet integra; Et aliud eſt eas conſiderare ad effectum inducendi probabilem dubietatem pro regulatione bonæ fidei; Ac propterea ex his omnibus ſimul junctis, & conſideratis cum regula, ut ſingula, quæ non proſunt, ſimul unita juvent, bona fides exuberat, donec per Cameram de mala doceatur.

Neque mala fides deſumi poſſe videtur, ex eo quod 6
Communitas, durante dicta lite, nullam fecit probationem; quoniam reſpondi poteſt ipſam crediidiſſe probationem obtinere a beneficio poſitionum, quodque Miniſtri Camerales agnoſcere debuiſſent veritatem veriſimiliter eis potius notam ob libros, quos penes ſe retinent, in quibus ſolutiones adnotantur, atque poſt negotiationem effluxit ſolum ſpatium aliquorum menſium, quod non tollit poſſibilitatem probationis, quæ durat etiam in ſecunda, & tertiam inſtantia, potiſſime quia tractatur de Communitate vivente ſub neceſſaria legali adminiſtratione, ideoque in jure æquiparata pupillo, vel minori, cum tutoris, vel alterius adminiſtratoris negligentia non præjudicat; unde ſtantibus dictis præſumptionibus, quæ transferunt onus probationis in Cameram, debet iſta docere, quod articulata immemorabilis eſſet impoſſibilis probationis. Omnemque difficultatem ceſſare dicebam ex præfata longiſſima, & diuturna pacifica obſervantia annorum octuaginta, per quam præſumitur, quod concordia munita fuerit etiam beneplacito Apoſtolico, & juſta cauſa tunc cognita, & examinata, dum iſta præſumptio reſultat ex ſolo ſpatio triginta annorum, multo magis, ubi illud accedit duplicatum, & ultra, ex plene relatis, *diſcurſ. 1. & ſeqq. ſub tit. de alien. & contract. prohib.* & eſt pariter principium hodie planum, & receptum, abſque eo quod obſtare valeat conſtitutio Urbani VIII. quæ hoc beneplacitum præſumptum ſuſtulit, quoniam illa prodiit de anno 1641. & ſic poſt annos 54. quando jam dicta præſumptio completa erat.

7 Considerando etiam potissime, quod ita resultaret ex parte Cameræ apertus dolus, apertaque iniquitas cum supplantatione istius Communitatis, dum ista obdormitata fuit a concurdia, ac propterea neglexit facere probationes jam articulatæ exemptionis immemorabilis, cujus magnus aderat fumus ea dicta circumstantia; Quod cum Camerales haberent penes se libros, attamen de nulla docebant solutione; dum hæc probatio hodie reddita est impossibilis ob mortem Testium, qui tunc haberi poterant; Ac propterea nimium absonum, & scandalosum esset audiri, quod Princeps qui est Pater, protector, & curator Communitatum, ita istam dolose circumvenerit, & supplantaverit, ideoque ex his pro non comprehensione istius concordiæ sub dicta revocatoria, probabilius respondendum videtur etiam pro tempore futuro.

8 Hinc opus non esse advertebam assumere alias duas inspectiones, cum illarum decisio, posita validitate concordiæ, resultet de consequenti. Verum ubi circa primam inspectionem aliqua superesset difficultas, adeout ab anno 1665. in quo dicta revocatoria prodiit, in futurum concordia Communitatis non prodesset, adhuc tamen judicium subbastationis actum pro novenniis decursis in dicto spatio annorum octuaginta, manifestæ injustitiæ, & nullitatis vitio laborare videtur ex pluribus.

9 Primo, quoniam non poterat executive procedi in vim concordiæ generalis anni 1544. minusque hæc primæva actio exerceri, nisi potius in judicio ordinario petitorii tolleretur de medio ista concordia particularis per tres conformes, juxta celebrem *dec.* 550. Cavaler. *decis.* 86. *n.* 9. *p.* 6. *rec.* late *in faventina primogenitura* 21. *Junii* 1666. *coram Bevilaqua*, & frequenter advertitur sub diversis materiis præsertim *sub hoc eod. tit. disc.* 42. ex illa viva ratione quod concordia habet vim rei judicatæ; Potissime quia etiam ex tunc Camera agnovit sibi non competere judicium, seu processum executivum, & summarium, dum substinuit longam litem per annos quindecim circiter.

10 Secundo, quia non potest esse plus nullum, quam nihil; Ideoque cessata etiam concordia, perinde ac si initia non esset, aliud Camera prætendere non poterat, nisi facultatem reassumendi antiquam litem in statu, & terminis, in quibus erat, illamque prosequi cum illo processu, & per consequens istud novum judicium remanet clare nullum, & attentatum.

11 Tertio, quoniam cum novennia decursa pertineant ad Legatos pro tempore, adeout non tangatur substantia jurium Cameræ, huic recte dici potest, quod illa præscripta fuerint dicto spatio octuaginta annorum, sive quod bona fides, in quibus Communitas versata fuit, illam excuset a restitutione fructuum interim perceptorum ea eis bonis, ex quibus hæc onera solvisset singulis temporibus, nisi hæc justa credulitas adfuisset juxta ponderationes, de quibus in *disc.* 48. *de Regal.* qui fuit pluries canonizatus per Congregationem Concilii, & per alia Tribunalia.

12 Et quarto, quoniam in alienatione bonorum stabilium Communitatis requiruntur multæ solemnitates, ex deductis *disc.* 23. *sub tit. de alien. & contract. probib.* ideoque injustum, ac irrationabile remanet, quod pro hujusmodi annualibus oneribus, quæ salva proprietate adimplenda erant singulis temporibus ea fructibus per administratores, si ad solutionem interpellati fuissent, debeat Communitas pati alienationem ejus bonorum stabilium adeo magni valoris, & importantiæ, habita proportione sui status, & qualitatis. Et per consequens sibi imputent Legati pro tempore, cur dictæ concordiæ acquieverint, atque novennia debitis temporibus non petierint; Ac propterea possunt stare bene simul, quod concordia non substineatur imposterum in præjudicium Cameræ, & tamen quod non debeatur dicta summa temporis decursi, ea quo de consequenti resultat injustitia, & nullitas omnium gestorum, quibus positis, planum est hodie, quod sit locus manutentioni,

13 Atque his stantibus inanis, ac superflua remanet tertia inspectio, dum deficit debitum in totum, & substantia, ideoque frustra quærendum est de excessu, ac de majori, vel minori quantitate, vel de qualitate licitatoris; Itaque inspectio, quando eam assumere opus esset, tota est facti, & probationum; Exindeque resultat, ut Communitati competat manutentio, cum per nullam, vel notorie injustam executionem, & subhastationem privata non sit ejus priori possessione juxta hodie receptam propositionem, de qua *disc.* 44. *hoc eod. tit.* & sæpius.

ROMANA COMPETENTIÆ FORI;

INTER

QUAMPLURA TRIBUNALIUM URBIS.

Discursus in ratione motivandi.

Qualis sit jurisdictio, seu facultas quamplurium Tribunalium Urbis, & qualia habeant signaturam in ventre, adeout non subjaceant Signaturæ Justitiæ, & e contra.

SUMMARIUM.

1 *Damnatur multiplicitas Tribunalium, ut sit causa calumniarum, & de ratione.*
2 *De experientia quod declinationes fori proveniant a calumnia.*
3 *De remedio eligendi unum solum Notarium.*
4 *De remissione cognitionis hujusmodi quæstionum ad Signaturam Justitiæ, etiam jure delegato cum privilegiatis, & de ratione.*
5 *Quod ista remissio multis displicuerit.*
6 *Occasio, vel finis scribendi.*
7 *De Sacris Congregationibus Cardinalitiis, earumque erectione, & jurisdictione, ac modo procedendi.*
8 *Quando Signatura Justitiæ se ingerat cum dictis Congregationibus.*
9 *De differentia inter utramque Signaturam gratiæ, & Justitiæ.*
10 *De eadem distinctione, de qua n. 8.*
11 *De Congregatione fabricæ S. Petri, quomodo procedat judicialiter.*
12 *De congregatione S. Officii circa idem.*
13 *De distinctione causarum fidei, & aliarum prophanarum in dicta Congregatione S. Officii.*
14 *De eadem distinctione, de qua n. 8. quando Signatura se ingerat in causis Congregationum.*
15 *De differentia patentatorum, & ministrorum Sancti Officii.*
16 *De Congregatione propaganda fidei.*
17 *De eadem Congregatione fabricæ, de qua n. 11.*
18 *De Congregatione boni regiminis, ejusque causis; cum distinctione causarum.*
19 *Quam potestatem habeat Congregatio immunitatis Ecclesiæ.*
20 *Cognitio causarum Cameralium, ad quos pertineat.*
21 *Quare expediat has controversias remitti Signaturæ Justitiæ, de quo n. 4. & seq.*
22 *Quando Signatura Justitiæ se ingerat in causis Communitatum.*
23 *De jurisdictione Archipresbyterorum trium Basilicarum Patriarchalium.*
24 *Cardinales Archipresbyteri, & Cardinales Protectores considerantur tanquam Prælati inferiores, ac Judices ad certum genus causarum, ideoque habent minorem jurisdictionem, quam Cardinalis Vicarius.*
25 *De argumento discretive, quod ubi voluit dixit.*
26 *De jurisdictione Cardinalium in Ecclesiis titulorum.*
27 *Protectio non tribuit jurisdictionem, nisi expresse concedatur, ut præsertim sequitur in protectione Religionum.*
28 *Causæ Regularium non debent egredi Prælatos Religionis.*
29 *De Protectoribus piorum locorum Urbis, eorumque jurisdictione.*
30 *Declarantur verba* in quacumque instantia *contenta in privilegiis.*
31 *Quod jurisdictio cesset per unicam instantiam.*
32 *De argumento quod facultates Protectorum fiunt per commissionem manu Papæ.*
33 *De illis Protectoribus, qui habent jurisdictionem in omnibus instantiis.*
34 *Consideratur diversitas privilegiorum.*
35 *De constitutione Urb. VIII. moderatoria facultatum Archipresbyterorum, & Protectorum.*
36 *De Cardinali Camerario quot diversas personas repræsentet, ac jurisdictiones habeat.*
37 *Tribunal Cameræ habet signaturam in ventre, atque Signatura Justitiæ se non ingerit in causis cameralibus.*
38 *Camerarios in causis vere Cameralibus non subjacet Signaturæ Justitiæ, sed illi gratiæ tantum.*

39 *Quod*

39 *Quid in aliis causis non cameralibus, quam cognitionem habet.*
40 *Et quid de eodem Camerario juncto cum Tribunali Magistrorum viarum.*
41 *De aliis Præsidentibus, & Judicibus Cameralibus.*
42 *De privilegiatis habentibus proprium Judicem, sed consentientibus in alium Judicem.*
43 *De eadem remissione ad Signaturam Justitiæ, de qua n. 4 ejusque ratione.*
44 *De Foro Capitolino, quas causas cognoscat, & an subjaceat Signaturæ justitiæ.*
45 *De Consulibus artium, eorumque assessoribus.*
46 *De Tribunali Consulum agriculturæ.*
47 *Damnatur denuo multiplicitas Tribunalium.*
48 *De Præfecto Palatii Apostolici, ejusque jurisdictione.*
49 *De Castellano Arcis S. Angeli, ejusque jurisdictione.*
50 *De Judice, seu Curia Burgi.*
51 *De Capitaneo generali, & de Commissario generali armorum.*
52 *An subsistat pretensio Judicum privilegiatorum quod necessarium sit eorum exequatur in mandatis aliorum Judicum.*
53 *An exempti possint in præjudicium proprii Judicis, & superioris se submittere jurisdictioni Judicis incompetentis.*
54 *De aliis Tribunalibus Urbis in genere.*
55 *De congregatione Baronum.*
56 *De Abbatibus Commendatariis Farfa, aliarumque similium Abbatiarum.*
57 *De sex Cardinalibus Episcopis.*
58 *De Legato Avenionensi.*
59 *De Gubernio Firmi, Tiburis, & Capranicæ.*
60 *De Protectore almæ Urbis Lauretanæ.*
61 *Archipresbyteri, & Protectores, & alii committunt etiam causas criminales in eorum respective instantiis, & declarant an causa spectet ad judicem civilem, vel criminalem.*
62 *An, & quomodo Signatura Justitiæ cognoscat causas criminales, atque in eis rescribat?*
63 *Conclusio discursus, & ad quem finem sit editus.*

D I S C. XLVII.

1 QUamvis (Deo teste) ex solo motivo, & amore veritatis, & justitiæ ad extirpandas, vel quantum humanæ conceditur imbecillitati, resecandas calumnias, & iniquitates omni prorsus neglecto præjudicio propriæ fortunæ, quam pro veritatis, & justitiæ cultu negligere, atque pedibus calcare constanter profiteor, per annum, cum omni fervore, ac non modico labore, curaverim occurrere illis calumniantium subterfugiis, ob quæ justitia magnum quidem in ista Romana Curia patiatur detrimentum; Comperi tamen huic malo in totum occurrere, esse opus pene impossibile, ob illam potissimum causam adeo excessivæ, peneque monstruosæ, ac sine exemplo in toto Orbe multiplicitatis Tribunalium universalium, magis vero particularium, contra omnes regulas utriusque politici & civilis regiminis Reipublicæ; Moto siquidem judicio, quantumvis executivo, ac summario per actorem coram illo judice, qui juste competens reputetur, sub prætextu habendi proprium judicem privilegiatum, qui non subjaceat judicio Signaturæ Justitiæ, declinatur forus, ac procuratur reassumptio causæ per proprium prætensum judicem, qui ad illam absque aliqua cognitione promptus, nimiumque facilius esse solet, ac propterea magna resultat temporis, ac sumptuum jactura, tam super puncto competentiæ, quam etiam super attentatis; quæ prætenduntur commissa per primum judicem post reassumptionem, & inhibitionem; adeout magna pars causarum ita suffocata remaneat cum evidenti justitiæ oppositione.

2 Expertus autem sum, quod id frequentius a mera calumnia provenit, quoniam in primis mensibus mei muneris, nimium raras, peneque ullas audivi quæstiones hujusmodi, ex eo quod calumniatores, ac Rabullæ, toti dediti erant aliis calumniarum, ac subterfugiorum speciebus, nempe inhibitionibus fidæ, grasciæ, & agriculturæ, ac illis quæ ob non præstationem alimentorum, sive eo, quod essent filiifamilias, aut ob defectum archiviationis, vel dilationibus quinquennalibus, quæ nimium de facili sine debitis requisitis concedebantur, ac etiam inhibitionibus dotalibus, aut cautelæ *Angeli*, & similibus studebant; Postquam vero cum aliquibus decretis generalibus impressis, de quibus *hoc eod. tit. disc. 49. & in Annot. ad disc. 2. & seqq.* hujusmodi subterfugia pene abolevi, adinventum fuit istud subterfugium declinationis fori ut supra. Ac propterea comperii, quod revera, vel in toto, vel pro majori parte hujusmodi declinatoriæ essent calumniose affectatæ ad causas in longum protrahendas, & actores defatigandos, quoniam circa initia, citationes desuper erant nimium raræ, postmodum vero adeo creverunt, quod pene impossibile videbatur desuper providere.

Ad occurendum itaque huic alteri calumniarum, ac subterfugiorum fonti, vel minetæ (Sanctissimo approbante) duo adhibui remedia, unum restringendi adeo effrænatum numerum fere quinquagenarium Notariorum, qui hujusmodi citationes in audientia legere solebant, mandando quod omnes citationes recipi, atque legi deberent per unum peritum, ac probatum Notarium Auditoris Cameræ, ab eodem Sanctissimo deputatum Notarium Palatii Apostolici, vice tamen, ac nomine omnium Notariorum, per quorum acta essent causæ, adeout nullum in emolumentis pararetur eis præjudicium, atque ut vulgo in Curia dicitur ad referendum; Tum ob majorem securitatem super non alteratione decretorum; Tum etiam ut idem distinguere sciat triticum a palea, atque non recipiat tot improprias, ac impertinentes citationes, quæ prius legebantur, quod nimium proficuum esse comperi. 3

Et alterum, præfatas quæstiones competentiæ fori remittendo Tribunali Signaturæ Justitiæ, ad quam proprie ac regulariter illæ pertinent, & ne illi Judices, & Tribunalia, quæ prætendunt esse privilegiata, & non subjacere huic Tribunali, sed solum Signaturæ Gratiæ, conquererentur, dictum fuit remitti jure delegato, ac sine præjudicio, adeout in hac parte istud Tribunal gerere vices Auditoris Papæ, vel Signaturæ Gratiæ; Istamque posteriorem provisionem nimium probabili rationi pro rectæ justitiæ administratione, ac resecandis calumniis innixam esse credidi, quoniam cum hoc Tribunal regulariter teneatur qualibet hebdomada, istaque materia sit in eodem quotidiana, adeout in eo sedentes magnam desuper habeant peritiam, hinc sequitur quod ita prompte hujusmodi quæstiones decidi possunt, cum judicio tresdecim, vel quatuordecim virorum, qui hoc Tribunal efformant, ut *disc. 31. in relat. Cur.* & sic cum majori satisfactione partium, quam ubi determinatio sequatur cum judicio solius Auditoris, a cujus determinationibus non de facili practicabilis est recursus ad plenam Signaturam Gratiæ, cum istud Tribunal teneatur magis de raro, atque præfinitum habeat numerum quindecim tantum causarum contentiosarum, quæ ut plurimum sunt super aperitione oris adversus clausulas præjudiciales contentas in literis Apostolicis, vel super sanationibus, aut com- 5
missionibus illarum causarum, in quibus nullo modo rescribere potest Signatura Justitiæ, ut infra; Ac propterea nisi hoc adhibitum esset remedium, multo magis crescerent, & pullularent calumniæ, quoniam illi qui causas protrahere in longum, atque colligantem calumniose defatigare satagunt, non acquiescentes determinationi Auditoris, prætenderent recursum ad Signaturam Gratiæ, quod pernecesse importaret moras plurium annorum, ob magnam affectatam multitudinem hujusmodi quæstionum. 4

Sed quoniam pro humana imbecillitate, cui non conceditur perfectio in ejus operibus, non datur in hoc Mundo determinatio, quamvis prudens, & matura, quæ aliquod non producat inconveniens, vel quod aliquibus pro interesse, vel pro ingeniorum varietate non displiceat; Idcirco ista posterior provisio remittendi determinationem dictarum controversiarum Signaturæ Justitiæ, magnam causavit commotionem in sacris præsertim Congregationibus Cardinalitiis, illisque Tribunalibus universalibus, vel particularibus, quæ se prætendunt esse privilegiata, & non subjecta, nisi Signaturæ Gratiæ tantum, non autem huic Justitiæ, ac propterea quotidie conquæstiones audiuntur dictorum Tribunalium privilegiatorum, quod præfatum Tribunal Signaturæ in eorum causis, & negotiis se ingereret, vel ejusdem Tribunalis Signaturæ, quod in his causis apponere manus quandoque prohibeatur.

Cumque comperenim, quod circa dictum privilegium non subjacendi Signaturæ Justitiæ, ac alterum habendi Signaturam in corpore, atque rescribendi de appellatione, & de commissione causarum in secunda, aliisque ulterio-

tibus

tribus instantiis, in aliquibus Tribunalibus, id nulli revera innixum esset fundamento, sed quod de facto, nemine inquirente originem, ita practicatum sit ad instar illorum, qui tale privilegium habent, non reflectendo ad privilegiorum diversitatem, de qua infra.

6 Hinc ad hujusmodi controversias dirimendas, ex solo zelo, ac motivo justitiæ, & ne ista ob hujusmodi quæstiotica moras, ac detrimentum patiatur, opportunum censui præsentem edere discursum, non quidem decisivum, atque pro maturi judicii efformatione in alicujus Tribunalis præjudicium, sed solum in ratione motivandi, atque excitandi singulos interessatos, ut promotis respondeant difficultatibus, ut ita melius inquiratur, ac firmetur veritas, quæ solum in animo habetur, omni penitus secluso interesse, ac affectione.

Si etenim ad proprium respicerem interesse, confovere potius deberem hujusmodi Tribunalium, quæ se prætendunt privilegiata, prætensiones, ut ita major esset mei muneris auctoritas, & prærogativa. Sed quoniam agnosco id esse justitiæ cursui, ac administrationi præjudiciale, idcirco istum contra proprium commodum assumpsi laborem, de singulis agendo Congregationibus, & Tribunalibus, ad solum finem inquirendi veritatem, & ad quem effectum hunc discursum communicavi plerisque Auditoribus, & ministris Cardinalium Archipresbyterorum, & Protectorum, ac aliis, ut difficultatibus satisfaciant, atque veritas inquiratur, cum propositum non sit, neque in minimo præjudicare, sed potius ubi possibile sit augere Cardinalium jurisdictiones, & prærogativas, justitia tamen salva, quæ apud me obtinet principatum, atque omnibus anteponitur.

De Sacris Congregationibus Cardinalium.

7 NUllibi pro mea notitia cautum est, an Sacræ Congregationes Cardinalium uni, vel alteri subjaceant Signaturæ; Et merito quoniam revera dici non merentur Tribunalia contentiosa, quæ cum ordinaria, vel delegata, vel jurisdictione causas in forma judicii disputent, ac decidant cum sententiis, vel decretis, prævio formali processu; Illæ siquidem, ut patet ex deductis *in relatione Curiæ, disc. 14. cum pluribus seqq.* per diversos summos Pontifices, præsertim vero pro majori parte per Sixtum IV. in ejus Constitutione 74. erectæ fuerunt, non quidem, ut in forma Judicum, & Tribunalium, cum processu ac tela judiciali causas contentiosas decidant cum sententiis, vel decretis, ac propterea ab eis interponendæ sint appellationes, super quibus cadat quæstio, an admittendæ sint ad utrumque effectum devolutivum, & suspensivum, vel ad solum devolutivum; Aut quod intrent quæstiones electionis & variationis fori, sive primæ, vel ulterioris instantiæ, aut majoris competentiæ fori ratione originis, vel domicilii, sive rei sitæ, vel loci contractus, aut delicti, cum similibus, de quibus plures agitur *sub tit. de jurisd. & foro compet.* & de quibus pertinet ad Signaturam Justitiæ regulariter agere, ut *d. disc. 31. in relatione Curiæ*; Sed erectæ fuerunt, ut in forma summaria, & extrajudiciali decidant, vel componant controversias orientes inter Episcopos, & subditos; ad occurrendum ne inter istos audiantur lites, & controversiæ cum scandalo sæcularium, sive quod cogantur Clerici, & religiosi, qui divinis vacare debent, illa deserere ut forum frequentent. Vel super declarandis dubiis, quæ oriantur circa intelligentiam, vel interpretationem Sac. Concilii Tridentini, aut super ritibus sacris, & Ecclesiasticis, cum similibus non quidem in forma judiciali cum processu, & tela judiciaria, minusque cum sententiarum, vel decretorum prolatione, dum idem Sixtus V. in declaratione, ejusdem propriæ Constitutionis, expresse statuit, ut in causis contentionis exigentibus processum, & telam judiciariam, Sacræ Congregationes non se ingerant, sed illas remittant suis judicibus, quoties de partium consensu ipsarum judicium non expectatur; Et per consequens rationabiliter inolevit stylus, quod a decretis, vel resolutionibus earundem non detur recursus ad Signaturam Justitiæ, cum ita potius resolutiones dari dicantur nomine Summi Pontificis, ac propterea quando aliqua partium resolutioni non acquiescat, quia prætendat eam injustam, vel quod causam legitime in aliqua Congregatione introductam avocare prætendat, sive quod cognoscatur cum voto Rotæ, tunc ad ipsum Papam in aula, vel in ejus immediata, signatura, quæ ad differentiam mediatæ, dicitur gratiæ, recurrendum est.

Sed quando controversia non percutit aliquem ex prædictis, vel similibus casibus, quia nempe percutiat solum ordinem, sive competentiam fori, puta quia una partium adeunte aliquam Congregationem, altera pars prætendat quod non ad illam, sed ad alteram Congregationem ratione præventionis, vel ratione subjectæ materiæ causa pertineat, ut præsertim pro frequentiori contingentia sequi solet in controversiis inter Communitates, & personas ecclesiasticas super oneribus cameralibus, vel communitativis, quod Communitates solent introducere causas in Congregatione boni regiminis, Clerici vero, aliæque personæ ecclesiasticæ recurrere ad Congregationem immunitatis, ac propterea oriatur quæstio, an causa ad unam potius, vel alteram Congregationem spectet; Sive quod una partium introducente causam in aliqua Congregatione, vel ista eam reassumente, altera pars prætendat, quod remitti debeat ad Judicem ordinarium, coram quo sit præventa, sive quia sit causa, quæ requirat processum, ac telam judicialem; Tunc etenim cum non agatur de committendo causam appellationis a decreto, seu resolutione Congregationis, vel de illa circumscribendo, sed solum quæstio sit inter Partes, an causa ad unum, vel alterum Tribunal pertinere debeat, adeout res sit integra, non videtur quid prohibeat quin Signatura Justitiæ, etiam juxta suas ordinarias facultates de hoc cognoscere valeat, quoniam non est cognoscere de resolutionibus, vel provisionibus Sacrarum Congregationum, illarumque executionem cum ejus rescriptis impedire, quod ut supra huic Tribunali competere non videtur, cum dictæ Congregationes ad hoc constitutæ fuerint, ut prompte consulatur inconvenientibus, quæ urgeant, atque tollantur dilationes, & moræ, quas producunt appellationes, & restitutiones in integrum, sive nullitates aliaque legalia remedia, seu est in judicare inter partes contendentes, eisque legem præscribere, an in uno, vel in altero Tribunali causam tractare debeant, quo casu non intrant superius insinuatæ rationes, quæ percutiunt casum appellationis, vel recursus adversus resolutiones, aliasque provisiones. 8

Quinimo, ubi etiam resolutiones prodierint, si revera adest defectus jurisdictionis, & incompetentiæ, quia nempe indebite una partium post jam introductam causam in forma judiciaria coram Judice competenti aliquam Congregationem adierit, sive quod sit causa, quæ de sui natura exigat processum, & telam judiciariam, & non accedat consensus alterius partis, ac propterea Congregatio sit incompetens, atque non possit in ea causa manus apponere, juxta dictam declarationem ejusdem Sixti V. tunc non videtur quid prohibeat quin Signatura Justitiæ manus apponere valeat, remittendo causam Judici competenti, ad quem juridice pertineat, implicite circumscribendo Congregationis resolutiones, quoniam non est cognoscere de justitia, vel injustitia resolutionum, neque jurisdictionem, ac superioritatem exercere cum ipsa Sacra Congregatione, sed cum ipsis partibus contendentibus, & cum illa præsertim, quæ indebitum habuit recursum ad Judicem incompetentem, cujus factum proinde quoad ipsum recurrentem haberi debet pro infecto, non curata dignitate, vel majestate illius, ad quem fit recursus, quoniam attenditur ipse actus, ac persona, quæ illum procurat, non autem illa, quæ facit; Ideoque si pendente lite coram Judice quamvis pedaneo, & inferiori, collitigans recurrat ad magnum Principem, vel magnum magistratum incompetentem, a quo provisionem extorqueat, poterit ille Judex inferior declarare hunc actum attentatum, neque exinde dici potest, quod ipse exerceat jurisdictionem, & potestatem cum illo magno Principe, vel magno magistratu, quoniam revera illam exercet cum proprio subdito; Multo igitur magis id fieri potest per Signaturam Justitiæ.

Potissime vero, quia differentia inter unam, & alteram Signaturam in hoc proposito videtur mere verbalis, 9 cum pariformiter utraque constituta sit ex Prælatis, ideoque dici non potest, quod Prælati, qui sunt ordinis inferioris, judicent Cardinales, qui sunt ordinis superioris. Quamvis enim Signaturæ Gratiæ præsideat Papa, atque vota Prælatorum sint consultiva, non autem decisiva, in Signatura vero Justitiæ præsideat Cardinalis Præfectus, atque vota Prælatorum sint decisiva, juxta differentias inter utramque Signaturam assignatas *disc. 30. & 31. in relat. Cur.* Nihilominus hujusmodi differentiæ percutiunt

diversos

diversos effectus, illum præsertim, quod in Signatura Gratiæ Papa non tenetur sequi vota Prælatorum, prout tenetur Præfectus in Signatura Justitiæ, ut supra; Et alterum magis considerabilem, quod Signatura Justitiæ tenetur rescribere prout de jure, atque ita intelligenda sunt ejus rescripta, neque potest rescribere contra jus vel illi derogare, ut facere potest Signatura Gratiæ ob consensum, & præsentiam supremi Principis, quamvis aliquando de facto (licet male) practicatum videri soleat contrarium, quod Signatura Justitiæ magis rescribat, & operetur more supremi Principis, quam faciat Signatura Gratiæ; In reliquis autem Signatura Justitiæ est Tribunal, quod etiam repræsentat Papam, cujus vice, & nomine, ac mandato Cardinalis Præfectus signat commissiones, ac facit rescripta, ideoque nullum adest inconveniens.

Omnisque cessat difficultas, stante dicta provisione, quod Signatura Justitiæ cognoscat, & rescribat jure dele- 10 gato in illis causis, in quibus juxta ejus ordinarias facultates rescribere non potest, adeout præfacta distinctio per me adinventa, & practicari solita pro declaratione delegationis fuerit potius ex quodam motivo reverentiæ, & eaubecantis satisfactionis, ac etiam quia Congregationes Cardinalitiæ procedunt appellatione, & recursu remotis, & non adest Judex, vel magistratus superior, cui causæ appellationis, vel recursus committendæ sint, quoties resolutiones impugnantur ex capite injustitiæ, secus autem ubi impugnatio sit ob defectum jurisdictionis, & incompetentiæ; quoniam tunc non est judicare de resolutione, neque est avocare, sed est remittere partem ad illum judicem, ad quem causa pertinet.

11 Adsunt tamen aliquæ Congregationes, in quibus præter Congregationum naturam, & consuetudinem, verificatur tela judiciaria, cum diversitate instantiarum, ac formali compilatione processuum, & prolatione sententiarum, vel decretorum, & cum commissione appellationis, vel restitutionis in integrum; Istæque sunt Congregatio Fabricæ S. Petri, quæ habet Judicem primæ instantiæ cum Notario, & Tribunali formato, a cujus Judicis sententiis ipsa Congregatio committit alteri Judici, nempe alicui Prælato, vel Cardinali de eodem corpore in secunda instantia causas appellationis, & nullitatis, vel restitutionis in integrum, & sic successive in tertia, & quandoque eadem Congregatio deputat in Judicem aliquem Rotæ Auditorem, unde propterea causæ disputantur in plena Rota, ex istius Tribunalis stylo relato, *disc. 32. de judic.* ut patet ex plerisque casibus recensitis sub diversis materiis.

12 Ac etiam est Congregatio universalis Inquisitionis, vulgo nuncupata Sancti Officii, non quidem quoad causas fidei, de quibus proprie, ac principaliter ad ipsam Congregationem agere pertinet, quoniam in istis, neque Signatura Gratiæ se ingerit, illæque dicuntur esse omnino extra forum contentiosum, & extra alia Tribunalia Curiæ, atque ad ipsam omnino privative pertinent, sed quoad causas prophanas privatas, ac indifferentes ministrorum, & colonorum, aliorumque inservientium, & patentatorum ratione culturæ, vel conductionis, aut administrationis prædiorum, & bonorum ejusdem Tribunalis Sancti Officii, cui per Summos Pontifices concessa fuerunt, ad effe- 13 ctum, ut cum eorum fructibus, & redditibus sustentare possit Commissarium, Assessorem, Notarium, ejusque substitutos, vel scribas, necnon carceratos, & carcerum custodes, aliosque ministros; Ac etiam in causis privatis indifferentibus ministrorum, & patentatorum; quoniam judex ordinarius in prima instantia in forma judiciali, & contentiosa est Assessor, in ulterioribus vero instantiis, quando causæ sunt de earum natura applicabiles, ipsa Congregatio, cum præsupposito, quod habeat Signaturam in ventre, deputat Prælatos, vel Cardinales de eodem corpore in Judices ut supra, qui pariter in forma judiciali, & cum formali processu proferunt sententias, & decreta; Observantia vero præbet, quod ab hujusmodi sententiis, vel decretis non detur recursus ad aliud Tribunal, & sic neque ad Signaturam Gratiæ, sed solum ad ipsam Congregationem, de cujus voto, quandoque ipsi Judices sententias, & decreta proferre solent, quoniam eadem Congregatio cognoscere solet, an admitti debeat, necne ulterior appellatio, & ad quem effectum, an scilicet ad utrumque devolutivum, & suspensivum, vel devolutivum tantum, adeout hujusmodi causæ ipsam Congregationem non egrediantur. Hucusque tamen incertum est, an desuper adsit Apostolicum privilegium speciale, vel potius proveniat ex quadam consuetudine deducta ex eo quod in causis Sancti Officii alius Judex, vel Tribunal non potest se ingerere, non reflectendo ad æquivocum, sive ad differentiam inter causas fidei, & inter istas causas prophanas, ac indifferentes in quibus eadem Congregatio, extra ejus proprium ac principale institutum, habet quandam accidentalem œconomicam administrationem, ideoque isti judices in nihilo differre videntur ab aliis Curiæ Judicibus, & Tribunalibus, atque propterea de jure deberent etiam subjacere Signaturæ Justitiæ, multo magis illi Gratiæ, ut advertitur in annot. *ad disc. 14. in relat. Curiæ* ubi videndum est.

Sed quidquid sit de his, quando etiam huic observantiæ deferendum sit, illa tamen attendenda videtur super cursu, 14 & regulatione illarum causarum, quæ indubitanter pertinent ad hujusmodi Congregationes, secus autem ubi oriatur quæstio competentiæ fori, & an cognitio causæ pertineat ad aliquam ex dictis Congregationibus, vel potius ad alium Judicem; quoniam tunc ipsa Congregatio gerere videtur personam collitigantis, & contendentis de competentia fori, & de jurisdictione cum altero Judice, vel Tribunali sibi non subdito, & per consequens non debet esse Judex in causa propria; sed hujusmodi controversia, & decisio pertinere videtur ad Signaturam Justitiæ tanquam Tribunal, quod proprie ac principaliter ad hoc deputatum est, dum nullibi cautum habetur, ut hoc Tribunal non possit in his se ingerere, quoniam ut advertere consuevi in particulari Congregatione per Sanctissimum deputata super examine, ac reformatione exemptorum, seu patentatorum, circa illud Tribunal S. Officii magna dignosci videtur differentia inter illas personas, quæ sint exemptæ ratione muneris, quod percipiat ipsum Tribunal, ac materias fidei, putaquia sint Inquisitores, vel Consultores, Notarii, scri- 15 bæ, executores, & denunciatores, aliique ministri, & illas quæ gaudeant aliquo privilegio exemptionis, atque eidem Tribunali subjaceant per accidens ratione bonorum pruphanorum, puta quia sint coloni, affictuarii, & laboratores, vel agentes, & ministri prædiorum, & redditum ut supra; Primo etenim casu admittenda non est mixtura alterius tribunalis, cum ob molestias quæ inferri possent hujusmodi ministris, per indirectum impediri possent causæ fidei, vel alias eis præjudicium fieri, secus autem in posteriori, in quo fides nil agere habet. Ideoque in facti contingentia, de qua supra *in annot. ad eundem disc. 5. & dictum disc. 14. in relatione Curiæ* post hæc scripta dicebam, quod quando sit quæstio competentiæ fori inter Inquisitorem, & Ordinarium super cognitione causæ, præsertim criminalis, ut exempli gratia contingit in crimine blasphemiæ, vel in altero sacrilegii, & simili, an sit tale quod tangat fidem, necne, & tunc ista cognitio an sit causa fidei, pertinet ad Congregationem, neque se ingerit Signatura Justitiæ, vel Gratiæ, aut Auditor Papæ. Sed si agatur de causa indifferenti, præsertim civili bursali inter ministrum, seu patentatum, & alteram partem, adeout materia fidei nullam habeat mixturam, & tunc etiam Signatura Justitiæ videtur competens ad hanc quæstionem decidendam.

Idemque adamussim adaptatur cum sua proportione Congregationi de propaganda fide, quæ eandem habet ju- 16 risdictionem cum ejus ministris, atque in ejus bonis indifferentibus, Eademque differentia cadere videtur in Congregatione Fabricæ S. Petri, quod scilicet aliæ sint causæ, quæ proprie ad istam Congregationem, seu Tribunal pertinent super executione piorum legatorum, aliisque pertinentibus ad exercitium muneris injuncti commissariis, & denunciatoribus, aliisque ministris; Et aliæ sunt causæ privatæ, ac indifferentes ipsorum ministrorum in eorum propriis, ac privatis bonis, vel juribus; quoniam licet ipsi habeant in judicem, & superiorem commissarium generalem, vel Congregationem Fabricæ; Attamen eorum dicitur judex specialis subrogatus loco judicis ordinarii, ac deputati ad universitatem causarum, & per consequens istius jure metiri debet; Exindeque circa praxim resultare videtur æquivocum; quoniam priori casu in quacumque causa Congregatio habet Signaturam in ventre, atque in quacunque instantia cognoscit, & committit causas, utpote ad ipsum Tribunal proprie, ac directe pertinens privative ad omnes alios, non autem in posteriori, in quo censeri debet tanquam quilibet judex ordinarius primæ instantiæ.

Frequentiores autem quæstiones circa fori competen- 17 tiam, ut experientia me docuit, sunt inter Congregationem boni regiminis, & alia tribunalia, vel respective Congregationes. Cum etenim ista Congregatio per Clem. VIII. erecta, & per Paulum V. ampliata fuerit pro bono regimine

gimine communitatum Status Ecclesiastici, ut insinuatur *disc. 26. in relatione Curiæ*, atque patet ex tractatu, quem desuper composuit *Cohellius*; Hinc a moderno tempore inolevit, quod ista Congregatio ad se trahere consuevit omnes illas causas quamvis contentiosas, ac requirentes processum, & telam judiciariam, in quibus communitates aliquod etiam indirectum haberent interesse, unde propterea ejusdem Congregationis secretarius erexit formatum tribunal tanquam judex primæ instantiæ, proferendo sententias diffinitivas, etiam cum sportulis, vel faciendo decreta, in ulterioribus vero instantiis ipsa Congregatio re-
28 scribere solet de appellatione, vel restitutione in integrum; Atque præsertim istæ controversiæ cadere solent, quando fit quæstio cum Clericis, & personis ecclesiasticis, an teneantur, necne ad aliqua onera, vel cum appaltatoribus, & ministris cameralibus, an aliqua jura pertineant ad Cameram, vel ad Communitatem; Sive ubi communitas sit actrix, vel rea pro aliquo censu, vel alio debito; Sive quod eum alia communitate, aut cum Barone, vel cum privatis contendat super jure pascendi, & lignandi, aliisque similibus, adeout exinde secutum sit quod ista Congregatio quodammodo deseruerit illud munus, illasque partes, pro quibus vere, & proprie, ac principaliter erecta fuit, œconomicæ rectæ administrationis communitatum, atque assumpserit partes judicis, & tribunalis contentiosi pro decisione causarum judicialium, contra mentem Pontificum, qui illam erexerunt.

29 In hoc autem, cum distinctione casuum procedere consuevit, & cum qua revera, ut frequenter advertitur, procedendum est, ne incidatur in errores, & æquivoca, quorum incursus pene inevitabilis videtur quando cum generalitatibus in abstracto procedatur; Primus itaque casus est, ubi contentio sit inter communitatem, & Clericos, aliasque personas ecclesiasticas, an ad aliqua teneantur onera, necne, sive inter communitatem, & Episcopum, vel alium Prælatum, an possit aperire furnum pro explanando ejus frumento in præjudicium furnorum communitatis sive aperire tabernam pro venditione vini, vel macellum cum similibus, istoque casu communitates acriter instare solent pro remissione causæ ad Congregationem boni regiminis, quam regulariter propitiam habent; e converso autem Episcopi, aliique Ecclesiastici recursum habere solent ad Congregationem Immunitatis eis regulariter benevolam; Atque mea hucusque consuetudo fuit remittere causam tanquam præjudicialem Congregationi Immunitatis pro declaratione puncti, an intraret, necne violatio immunitatis ecclesiasticæ, de qua singulariter, & privative ad istam Congregationem agere pertinet, ut advertitur *disc. 17. in relat. Cur.* incompetens vero est Congregatio boni regiminis, cum ista vere, & proprie dicatur potius magistratus secularis pro regimine communitatum secularium erecta per Papam tanquam Principem potius quam tanquam Papam; Quamvis juxta hanc secundam personam sibi communicatæ sunt, vel communicentur facultates cogendi etiam personas ecclesiasticas ad supportationem illorum onerum, ad quæ per Apostolicas provisiones, vel alias de jure teneantur; Sed quando oritur aliquod dubium, an teneantur necne, adeout cadat punctus violationis immunitatis ecclesiasticæ, tunc illius cognitio, & decisio pertinet ad dictam Congregationem Immunitatis, executio vero ad dictam alteram Congregationem, cui non incongruit utpote constitutæ ex Cardinalibus, & Prælatis, & sic de personis ecclesiasticis, sed pariter nulla adesse videtur prohibitio, vel repugnantia cur istius controversiæ decisio super competentia, vel remissione ad unam, vel alteram Congregationem pertinere non debeat ad præfatum Tribunal Signaturæ Justitiæ, ex eisdem rationibus, de quibus supra.

30 Alter casus est, ubi contentio sit inter Communitatem, & Appaltatores, vel alios ministros camerales, an aliqua onera, vel jura sint cameralia, vel respective communitativa, & per consequens pertineat potius ad Cameram, quam ad Communitatem, vel e contra, idque frequentius contingere solet inter affidatos, vel Appaltatorem dohanæ patrimonii, & Communitates pro damnis datis, adeout sit in causa Commissarius Cameræ, ac propterea intrat eadem quæstio competentiæ inter istam Congregationem Boni regiminis, & Thesaurarium, vel Camerarium, qui sunt Judices in prima instantia causarum cameralium, quarum cognitio in secunda instantia privative ad omnes alios Judices pertinet ad Tribunal Cameræ, vel Camerarii ex deductis *disc. 11. 33. & 35. in relat. Cur.* & alibi; Et tunc casus remittere consuevi ad Thesaurarium, vel ad Camerarium, sive Cameram respective; quoniam ubi adest interesse Cameræ, alius non datur Judex competens, atque privilegium Cameræ suffocat illud Communitatis; Adhuc tamen nulla adesse videtur prohibitio, vel repugnantia, ut idem Tribunal Signaturæ Justitiæ id declarat, quoniam licet Camerales prætendant non agnoscere alios judices nisi præfatos, quodque ipsum Tribunal Cameræ habeat Signaturam in ventre, ideoque nullatenus subjaceat Signaturæ Justitiæ; Nihilominus id procedit quando certum est causam esse cameralem, unde propterea quæstio cadat, an potius ad unum, quam ad alterum judicem in ipso genere Cameralium causa pertineat; Secus autem quando id est dubium, quoniam tunc pariter intrat distinctio, de qua supra, atque alias esset dare quod unum Tribunal ex duobus invicem contendentibus esset judex in causa propria, sibique jus diceret.

Et licet praxis præbeat quod hæc decisio fieri consuevit 31
per Auditorem Papæ tanquam repræsentantem Signaturam Gratiæ; Attamen adest inconveniens, quod ita oportet acquiescere judicio unius viri, absque illo recursu ad Signaturam plenam, qui datur adversus judicium Cardinalis Præfecti Signaturæ Justitiæ, atque recursus ad Signaturam Gratiæ producit superius enunciatum inconveniens impracticabilitatis; quoniam illa raro tenetur, atque habet præfinitum numerum causarum, quæ debent esse super iis, in quibus præcise necessaria sit auctoritas Principis supremi, quia juris dispositio resistat; Et per consequens, pro Justitiæ cursu rectaque, & celeri administratione congruit, ut Signatura Justitiæ hujusmodi quæstiones cognoscat, ac decidat.

Tertius casus est, ubi quæstio sit inter communitatem, & cives, vel incolas, aut etiam exteros, qui intra ejus fines bona possidentes, vel ibi alias moram trahunt, præsertim occasione pascuorum cum animalibus; unde propterea cadant quæstiones contributionum, & collectarum, vel damnorum datorum, sive sint quæstiones cum eisdem communitatis administratoribus, vel Appaltatoribus, aliisque ministris, ac propterea quæstio vere, & proprie concernat communitativam administrationem; Et tunc proprie intrat competentia istius Congregationis, quæ proinde juste reassumit hujusmodi causas, quando in aliis tribunalibus introducuntur, cum non congruat, ut adeo gravatæ communitates cogantur lites in forma judiciali, & contentiosa sustinere cum adeo magna temporis, & pecuniarum jactura, quam lites de earum natura in magnis præsertim Civitatibus producunt, dum potius materia celeritatem, promptamque provisionem in forma summaria, & extrajudiciali desiderat, sed pariter non incongruit quod Signatura Justitiæ hujusmodi remissionem faciat.

Quartus demum est casus, in quo talis contentio sit, 32
quod communitas gerere potius dicatur personam privatam, non autem publicam, & communitativam, ut in præcedentibus casibus sequitur; quia nempe de aliquo censu, vel credito aliove jure activo, vel passivo ex contractu, vel ultima voluntate, aut alio titulo cum privata persona, aut cum aliquo pio loco contendat, sive etiam cum altera communitate, vel cum Barone super confinibus territorii, aut super jure pascendi, & lignandi, vel juribus privativis furni, macelli, cauponæ, & similibus; Cumque hujusmodi causæ de earum natura exigant formalem processum, ac formalem telam judiciariam, cum distinctione possessorii, & petitorii, & cum juridico cursu trium instantiarum, in causis, quæ sint de earum natura appellabiles; Hinc sequitur ut omnino incongrua sit incompetentia hujus congregationis, quæ adinstar aliarum prius erectarum ut supra erecta est ad hoc, ut in forma summaria, & extrajudiciali, celeriter, ac prompte tanquam per modum summariæ provisionis communitatum contingentes dubitationes decidat in iis quæ earum regimen, ac administrationem percutiunt, non autem ut assumat partes judicis contentiosi, & ordinarii, cum id omnimodam habere videatur incongruentiam, ideoque hujusmodi causas ordinariis judicibus remittere consuevi, nullaque dignosci videtur prohibitio, vel incongruentia, ut Signatura Justitiæ desuper manus apponat, eodem modo quo in aliis causis privatis, & indifferentibus.

De aliis

De aliis Cardinalitiis Tribunalibus, & judicaturis, nempe de Cardinalibus Archipresbyteris trium Basilicarum Patriarchalium, de Cardinalibus titularibus in eorum titulis, & de Cardinalibus Protectoribus Religionum, & piorum locorum.

QUalis esset jurisdictio Archipresbyterorum trium Basilicarum Patriarchalium Urbis Lateranensis nempe, Vaticanæ, & Liberianæ, sive S. Mariæ Majoris ante tempora Pauli III. & Gregorii XIII. aliorumque Pontificum successorum, de quibus infra, incertum remanet, illam tamen esse longe minorem patet præsertim ex Constitutione 19. Pauli III. edita occasione facultatum concessarum Cardinali Farnesio ejus nepoti, quem creavit Archipresbyterum præfatæ Basilicæ S. Mariæ Majoris, quoniam ex parte proemiali, quam clarius ex duabus supplicationibus post ipsam Constitutionem, seu motum proprium editis pro facultatum ampliatione, vel declaratione patet evidenter, quod prius, vel nulla, vel satis modica esset illius Archipresbyteri jurisdictio concessa in omnibus causis Canonicorum, Beneficiatorum, Clericorum, aliorumque ministrorum, & servientium; Quinimo etiam secularium habitantium intra quendam ejusdem Ecclesiæ ambitum, qui sub nomine Franchi explicari solet; Eandemque concessionem postmodum fecit eidem Cardinali Farnesio translato ad Archipresbyteratum Basilicæ Vaticanæ per eadem pene verba, ut patet ex Constitutione 35. ejusdem confirmata quoad istam Basilicam per Sixtum V. Constit. 102. occasione conferendi dictum Archipresbyteratum, cum restrictiva tamen circa pœnam sanguinis, vel aliam corporis afflictivam, Archipresbytero autem Basilicæ Lateranensis eandem jurisdictionem per eadem pene verba dictarum Constitutionum Pauli III. concessit Greg. XIII. ut patet ex Constit. 45. confirmata, & ampliata per Paulum V. Constit. 32.

Ex his autem Constitutionibus patet, quod hæc jurisdictio non egreditur primam, seu unicam instantiam, cum ista tamen prærogativa procedendi summarie, & simpliciter sola facti veritate inspecta, & omni appellatione remota; Sed pro ulterioribus instantiis in gradu appellationis, vel recursus, qui frequenter peneque semper in praxi datur etiam a judicibus procedentibus appellatione remota nullum fit verbum, atque nullatenus legitur exemptio a jurisdictione Signaturæ Justitiæ, cum subjectione Signaturæ Gratiæ tantum, minusque legitur facultas habendi Signaturam in corpore, & committendo causas appellationis, vel recursus in ulterioribus instantiis, ideoque nisi isti Archipresbyteri facultates, aut privilegia habeant per brevia, & indulta particularia, quæ hucusque ignota sunt, remanet ista prætensio sine aliquo fundamento; Atque probabile est quod illa observantia, quæ de facto practicata fuit, proveniat ex eo, quod aliqui Cardinales Protectores habent istam facultatem in omnibus instantiis ut infra, ideoque cum his exemplis processum est, non advertendo ad diversas species privilegiorum; Ac etiam ex eo quod hujusmodi Archipresbyteratus, ac etiam protectiones, de quibus infra, pro frequentiori contingentia obtineri consueverunt per nepotes Pontificum pro tempore, ut patet ex allegatis Constitutionibus Pauli III. Pauli V. & Greg. XIII. unde propterea juxta notorium Curiæ stylum, ipsis, vel eorum ministris istam sibi assumentibus licentiam, & facultatem, nemo contradicere ausus est, ac dicere, cur ita facis.

24 Et quidem, discurrendo punctum per rationes, ac præscindendo ab expressis particularibus indultis, quibus concurrentibus de alio non est quærendum, cum potestatis nulla sit quæstio, certum est quod hujusmodi Archipresbyteri, & Protectores, ac alii de quibus infra, sunt Prælati inferiores, seu Vicarii particulares Papæ, restrictam habentes potestatem, & jurisdictionem ad certam Ecclesiam, vel ad certum genus personarum, & per consequens longe minorem quam sit illa Cardinalis Vicarii, qui est Vicarius Generalis Papæ considerati tanquam Episcopus Urbis *ut in ead. relat. Curiæ, disc. 13.* ac etiam *disc. 33. de jurisd.* ubi de Cardinalibus titularibus, qui considerantur tanquam Prælati inferiores sub Vicario repræsentante Ordinarium.

Si ergo ipse Cardinalis Vicarius qui cognoscit ac decidit causas cum longe majori maturitate, quia convocat qualibet hebdomada Congregationem efformatam ex Vicegerente, & Locumtenentibus civili, & criminali, Advocato, & Procuratore Fiscali, & aliis ministris, ut patet ex *d. disc. 13. in relat. Curiæ* & alibi, & subjacet Signaturæ Justitiæ, atque non habet nisi primam instantiam, in ulterioribus autem per dictum Tribunal Signaturæ Justitiæ committuntur causæ in Rota, vel Prælatis juxta earum qualitatem, hinc non videtur quomodo hujusmodi Prælati inferiores longe majorem jurisdictionem, & prærogativam habere debeant, quodque ita major sit jurisdictio istorum qui faciunt figuram Prælatorum inferiorum, quam sit illa præfati Vicarii, ac etiam sex antiquorum Cardinalium in eorum Episcopatibus Cardinalitiis, in quibus more aliorum Episcoporum habent primam instantiam tantum, atque subjacent Signaturæ Justitiæ.

25 Considerando etiam, tam respectu istorum Archipresbyterorum, quam Protectorum, & aliorum de quibus infra, quando Pontifices Protectori, vel alteri judici particulari concedere voluerunt ulteriores instantias, id expresserunt juxta exempla inferius recensenda occasione agendi de Protectoribus piorum locorum, dum in eorum aliquibus expresse dicitur, ut in qualibet instantia usque ad finem causæ cognitionem habeant, unde patet quod quando Pontifices id concedere voluerunt, dixerunt; ergo noluerunt quando non expresserunt, juxta nimis vulgatum axioma.

26 Quo vero ad jurisdictionem Cardinalium Præsbyterorum, & Diaconorum in eorum titulis, vel diaconiis respective, de illa pene, ac elaborate cum commendabili eruditione agit *Cardinalis de Albitis in ejus disceptationibus super titulis Cardinalium impress. sub tit. de jurisd. post disc. 95.* editis in eodem casu in quo habetur superius allegatus *disc. 33. eod. tit.* atque ex ibi deductis patet, quod hæc prærogativa habendi Signaturam pro ulterioribus instantiis, vel non subjacendi Signaturæ Justitiæ nullibi causa est; imo ejus negativam evidenter comprobat praxis sex Cardinalium Episcoporum, quoniam excepto Episcopo Hostiensi, de quo infra, in eorum diœcesibus considerantur tanquam alii Episcopi, & Ordinarii locorum, ut habeant solum primam instantiam, qua consumpta pro ulterioribus appellatur ad Auditorem Cameræ, aliosque Judices ordinarios Curiæ, vel per Signaturam Justitiæ committuntur causæ appellationis, vel recursus, ac restitutionis in integrum, & si quandoque aliquis Episcopus deputavit judices in ulterioribus instantiis, attamen id secutum est de facto; & quia nemo contradixit ex eodem motivo, vel respectu, de quo supra.

27 Descendendo autem ad Cardinales Protectores Religionum, & piorum locorum; Quoad illos Religionum ista non cadit inspectio, quoniam hujusmodi protectiones, vel protectoriæ nullam tribuunt jurisdictionem, nisi illam quam Pontifex per speciale indultum alicui protectori, quem particulari dilatione prosequatur, concedat, ut advertitur *in ead. relatione Curiæ, disc. 42.* ac etiam *disc. 1. de Regalibus*; ideoque illam habere solent causarum cognitionem, quam Pontifex, vel Sacra Congregatio Regularium eis specialiter committat. Itaque species jurisdictionis non cadit sub hac inspectione subjectionis Signaturæ Justitiæ, quoniam causæ Regularium juxta decreta generalia, & edita de anno 1650. recensita *d. disc. 1. de Regularibus, & d. disc. 42. in relatione Curiæ*, & alibi tractari non debent in Tribunalibus, & foris contentiosis, sed intra ipsam Religionem, ejusque Prælatos, de quorum genere sunt Cardinalis Protector, dictaque Sacra Congregatio Regularium. 28

29 Quare agendo de illis piorum locorum Cardinalibus Protectoribus, qui ex Apostolico privilegio habent jurisdictionem, & cognitionem causarum cum facultate deputandi judices; Ut exempli gratia sunt Protectores Collegii Germanici, Collegii Cathecumenorum, Confraternitatis Annunciatæ, alterius Confraternitatis Trinitatis Peregrinorum, SS. Apostolorum; Hospitalis Sancti Sixti, Collegii orphanorum, Hospitalis dementium, alterius Hospitalis Sancti Jacobi Incurabilium, Monasterii pœnitentium vulgo, *Convertite*, Congregationibus S. Bernardi, & Monasterii B. Mariæ Magdalenæ; Collegii musicorum capellæ Pontificiæ, Confraternitatis S. Marcelli, Monasteriorum virginum S. Catharinæ, S. Claræ, S. Marthæ; Puellarum dispersarum, Montis pietatis, cum plerisque similibus. Eadem statuenda venit regula generalis, de qua supra, quod scilicet nisi per aliquod speciale indultum id appareat concessum, non competit ex eadem ratione, de qua supra agendo de Cardinalibus Archipresbyteris Basilicarum, quod scilicet isti sunt Vicarii, vel Prælati inferiores deputati ad certum genus causarum, ideoque ipsorum conditio non debet esse melior, sive jurisdictio major,

quam

quam sit illa Vicarii generalis ac Prælati majoris deputati ad universitatem causarum, dum in eo quoque concurrit præeminentia cardinalitiæ dignitatis.

30 Et quamvis fundamentum constitui soleat in eo, quod in hujusmodi indultis dicatur, quod ad Archipresbyteros, & Protectores spectare debent causæ propriæ Basilicæ, vel loci pii respective cum avocatione a quibuscunque Judicibus, & in quacunque, etiam ulteriori instantia; Attamen id continet clarum æquivocum, quoniam ut patet ex dictis Constitutionibus Pauli III. Gregorii XIII. Sixti V. & Pauli V. & aliis super diversis protectionibus, quarum Constitutionum aliquæ habentur impressæ in Bullario, id percutit illas causas, quæ tunc de tempore concessionis privilegii pendebant coram diversis Judicibus & Tribunalibus in diversis instantiis, quas omnes Pontifex, qui indultum dedit, ad se avocavit, & denuo commisit Cardinali Archipresbytero, vel Protectori, seu ejus Vicario, sed non inde inferri potest ad pluralitatem instantiarum & exemptionem a Signatura Justitiæ, potissime quia semper Pontifex præsupponit unicum Judicem, nempe ipsum Cardinalem Archipresbyterum, vel Protectorem, sive ejus Vicarium in numero singulari, qui numerus singularis excludit progressum cognitionis in pluribus instantiis; Fortius vero ob dictum argumentum discretivæ, quod scilicet ubi Papa voluit loqui de qualibet instantia usque ad finem causæ, dixit, ac etiam in quolibet ex dictis privilegiis adhuc cogitavit ad diversitatem instantiarum, agendo de avocatione causarum tunc pendentium coram diversis Judicibus in quacunque instantia, & tamen in concessione facultatis cognoscendi, id non

31 replicatur; Igitur firmum videtur, quod sive judicet idem Archipresbyter, vel Protector, sive ejus Vicarius, aut alter deputatus, ex regula quod Episcopus, & Vicarius unum, & idem constituant Tribunal, terminatur ejus instantia, & consumitur ejus jurisdictio, ideoque ad Signaturam pertineat committere causam appellationis, vel recursus ad utrumque, vel ad devolutivum tantum, juxta naturam, seu qualitatem causarum, eodem modo quo sequitur in sententiis Cardinalis Vicarii, & Auditoris Cameræ, aliorumque ordinariorum Judicum & Tribunalium.

32 Per ora practicorum circumferri solet, quod ideo sententiæ, & decreta hujusmodi Archipresbyterorum, & Protectorum respective non subjacent Signaturæ Justitiæ, sed solum Signaturæ Gratiæ, vel Auditori Papæ, eo quia causæ illis commissæ sunt per commissiones, vel Motus proprios signatos manu Papæ, & cum clausula *appellatione remota*, & per consequens quemadmodum a sententia, vel a decreto judicis commissarii procedentis in vim commissionis signaturæ manu Papæ appellatur solum ad ipsum Papam, ejusque Signaturam Gratiæ, itaut requiratur alia consimilis commissio signata manu Papæ; atque non attendatur illa, quæ signata sit a Præfecto Signaturæ Justitiæ, ita dicendum sit in præsenti. Verum id clarum continet æquivocum, quoniam tunc Signatura Justitiæ non se intromittit, quando agitur de illis causis particularibus, in quibus Papa apposuit manus per commissionem in forma insolita, & extraordinaria ejus manu signatam ratione reverentiæ, ac etiam ex motivo appositionis manuum Papæ; secus autem ubi agitur de hujusmodi privilegiis, & indultis generalibus, cum quibus constituitur quis judex, vel Vicarius ad universitatem causarum certi generis personarum, & bonorum; Siquidem etiam Vicarius Urbis, & Auditor Cameræ, & Gubernator, aliique similes magistratus, & officiales desumunt eorum facultates ex indultis manu Papæ signatis, ac etiam in plerisque causis producunt appellatione remota, ut sequitur quando agitur de executione obligationis cameralis aut literarum Apostolicarum, sive de judiciis possessoriis, quando intrat Ægidiana, cum similibus, ideoque istud fundamentum nulla consideratione dignum videtur, eoque sublato nullum aliud remanet in iis, qui non habeant in hac pluralitate instantiarum privilegium expressum, ut in plerisque locis piis verificatur.

33 Ut præsertim sequitur in Cardinali protectore Archiconfraternitatis Sanctissimæ Annunciatæ per Constitutionem 144. S. Pii V. in Monasterio Sanctæ Catharinæ de Rota per Constitutionem 54. ejusdem Pii V. in Domo pia per Constitutionem 52. Greg. XIII. in Hospitali SS. Trinitatis peregrinorum per Constitutionem 123. ejusdem Pii V. in Archiconfraternitate confalonis per Constitutionem 37. Sixti V. ubi de unica deputatione; Atque in hospitali S. Sixti ipse fundator Sixtus V. id non concessit per Constitutionem 80. sed voluit appellari debere ad Gubernatorem Urbis, postmodum vero Paulus V. per Constitutionem 57. concessit unicam commissionem in secunda instantia, in Confalone fecit Sixtus, cum aliquibus similibus.

Ex istorum autem piorum locorum praxi, non reflectendo ad diversitatem privilegiorum, probabiliter inolevit quædam praxis generalis in aliis, sed sine fundamento, quatenus non adsint brevia specialia, dum in plerisque dicitur, quod solum Protectori conceditur illa ordinaria facultas, quam habent Vicarius, vel Auditor Cameræ, ut patet ex Constitutione 2. Pii IV. favore hospitalis S. Jacobi Incurabilium, & constitut. 30. ejusdem favore Archiconfraternitatis S. Marcelli, & constitut. 50. ejusdem favore Archiconfraternitatis S. Hieronymi charitatis, & prius ex Constitut. 26. Pauli III. favore Collegii orphanorum, & Constitut. 37. ejusdem Pauli III. favore Collegii Cathecumenorum, & Neophitorum confirmata per Constitutionem 9. Pauli IV. cum similibus; Ideoque ex dicta varietate, quod in aliquibus conceditur solum id quod competit Vicario, & Auditori Cameræ, in aliis vero conceditur solum committere semel causam appellationis, & in aliis indefinite in qualibet instantia usque ad totalem finem causæ, & in aliis nulla fit expressio instantiarum, clarum resultat præfatum argumentum discretivæ. 34

Quod autem in istis particularibus jurisdictionibus Archipresbyterorum, & Protectorum irrepserint abusus, qui justitiæ administrationi aliquod causant præjudicium cum litigantium detrimento, testatur Urban. VIII. in ejus Constitut. edita de anno 1641. *impress.* post Ridolphin. *in praxi pag. 660. juxta impressionem Perusinam anni 1650. & in Bullar. Constitut.* 158. per quam antiquæ facultates moderantur, ut quoad Canonicos, Beneficiatos & Clericos, ac servientes Basilicarum, & quoad administratores, ministros, servientes, & alias personas sub eis comprehensas piorum locorum intret jurisdictio in causis passivis, non autem in activis; adeout privilegia in causis etiam activis firma remaneant solum ad favorem ipsarum ecclesiarum, earumque bonorum, & jurium, ac Monasteriorum, & piorum locorum; Unde liquet quod etiam dictus Urbanus agnovit desuper adesse abusus, quodque ista privilegia utpote exorbitantia, malosque effectus producentia, reformatione, vel restrictione potius digna sunt. 35

De Cardinali Camerario, aliisque officialibus, & judicibus Cameralibus, nempe de Thesaurario, & Præside viarum, de Præside riparum, de Præside carcerum, de Præside Zeccarum, de Præside grasciæ, de Præfecto annonæ, & similibus.

Multipliciter consideratur Cardinalis major Camerarius, cujus antiqua longe potestas, & prærogativa enunciatur *disc. 11. in relat. Cur.* Primo nempe tanquam caput, vel Præsidens Tribunalis Cameræ constituti ex duodecim Clericis, & ex plerisque aliis, qui ad differentiam Clericorum dicuntur Camerales descripti *disc. 33. in ead. relatione* etiam *disc. 47. in Miscell.* & alibi. Secundo tanquam Judex solus in causis vere cameralibus cum Appaltatoribus, vel ministris, & exactoribus gabellarum, & dohanarum, aliorumque jurium Cameræ, ac etiam est judex ipsorum Clericorum, & aliorum ministrorum cameralium in prima instantia, ita ab ejus sententiis, citra omnem dubitandi rationem, appelletur ad præfatum Tribunal Cameræ tanquam Judicem appellationis, vel recursus. Tertio pariter solus, continuando, seu retinendo in hac parte illam antiquam longe majorem jurisdictionem, quam nunc exercet Gubernator Urbis tanquam ejus Vicarius, & ob quod munus præcedit omnes Prælatos, aliasque habet prærogativas super aliis, ac etiam Auditor Cameræ, qui ex veriori sententia est Auditor Camerarii, quamvis agatur de causis mere indifferentibus, in quibus Camera nullum habeat nec immediatum, neque mediatum, interesse, utputa in causis Hebræorum, vel etiam mercatorum, & in aliis recensitis, vel de novo concessis in indulto Greg. XV. de mense Maii 1621. Et quarto tanquam caput, vel consors Tribunalis Ædilium, vulgo magistrorum viarum; quoniam istud est Tribunal mixtum, utpote constitutum ex Camerario, vel ejus Auditore, & ex Magistris viarum, eorumque Assessore, & de quo Tribunali frequenter enunciato *sub tit. de servit.* 36

occasione

occasione agendi de causis retractuum, & aliis cadentibus sub Constitutione Gregor. XIII. super ornatu Urbis agitur *disc. 38. in eadem relat. Curiæ*.

37 Attenta itaque persona capitis, vel præsidis Tribunalis plenæ Cameræ ad rem nostram, nulla cadit disputatio, vel ratio dubitandi, quoniam ipse non judicat; sed solum præsidet, atque habet votum consultivum, sive efformat unum tantum votum decisivum cum omnibus aliis cameralibus, utpote ejus ministris, & dependentibus; Atque in illis causis quæ introductæ sunt in Camera, sive quod alterius Tribunalis competentia prætendatur, certum est quod Tribunal Signaturæ Justitiæ nullo pacto se ingerit; quoniam ut advertitur *eod. disc. 33. in relat. Curiæ*, istud Tribunal habet Signaturam in ventre; ideoque non solum in secunda, sed etiam in omnibus aliis ulterioribus instantiis, per Decanum juxta stylum committuntur, seu verius inter Clericos distribuuntur causæ, quæ semel ingressæ istud Tribunal, ab eo amplius non egrediuntur usquequo totalem finem recipiant, nisi alias videatur Papæ, atque ad hunc effectum adiri debet, ac solet Signatura Gratiæ, neque in hoc aliquo modo se ingerit Signatura Justitiæ.

38 Attenta secunda persona Judicis primæ instantiæ in causis Cameræ, vel Cameralium, ut supra, adhuc casus videtur extra controversiam, ob dictum indultum Gregor. XV. per quod expresse disponitur quod in causis Cameræ, & Camerarii, non possit Signatura Justitiæ, sive committendo, sive declarando, vel reformando, scribere, vel alias se ingerere; quodque eidem Cardinali Camerario competat causas prædictas avocare, atque super avocatione, vel declaratione non possit Signatura Justitiæ se ingerere, sed cognitio, an causæ sint ex jurisdictione Camerarii, necne, pertineat ad eundem Camerarium, & si partes hujusmodi declarationi non acquiescant, Signaturam Gratiæ tantum adire possint, citato Commissario Cameræ, ideoque intrat vulgaris regula text. *in l. ille, aut ille, ff. de leg. 3.* quod in claris & expressis non intrant quæstiones, & argumenta, donec de alia Pontificia provisione, vel moderatione non doceatur; Idemque in istis causis procedit in Thesaurario generali, qui in hoc pari passu ambulare videtur ex Constit. 100. Sixti V.

39 Idemque videtur dicendum in tertia specie causarum non cameralium, sed indifferentium, quarum cognitio in eodem Gregoriano indulto expresse demandata est, ut præsertim contingit in dictis causis Hebræorum, & plerisque aliis in eo recensitis, dum in fine ita generaliter disponitur, ideoque intrat alia vulgaris regula, quod clausulæ, aut verba in fine posita referuntur ad omnia præcedentia; In contrarium vero urget, quod idem indultum in hac parte promiscue loquitur de Camerario, & de Camera, ideoque intelligere videtur de causis cameralibus; Magis vero, quia præcipit citari Commissarium Cameræ; quod proprie congruit illis causis, in quibus Camera habeat interesse immediatum, vel mediatum, in quibus, ad præscriptum Apostolicarum Constitutionum, debet audiri Commissarius, ideoque in reliquis Camerarius considerandus venit tanquam unus ex aliis judicibus Romanæ Curiæ, ut præsertim sunt Gubernator Urbis, & Auditor Cameræ, qui, ut superius insinuatur, inspecta origine, sunt officiales, & Locumtenentes ejusdem Camerarii, cujus vice, & nomine jurisdictionem exercent, quamvis non ab ipso, sed a Papa deputentur; Quare in dubio, in quo meum non audeo interponere judicium, desideranda videtur matura declaratio generalis facienda per Papam in Signatura Gratiæ.

40. Demum attenta quarta specie jurisdictionis, & personæ mixtæ cum Tribunali Ædilium, seu Magistrorum viarum, certum videtur, quod istud Tribunal est dependens a Tribunali Cameræ, sive illi subordinatum, dum ab ejus sententiis, & provisionibus appellatur ad Præsidem viarum, qui est unus ex Clericis Cameræ, ab ejus corpore extrahi, seu eligi solitus, & a quo appellatur ad Cameram plenam, ut patet ex tot casibus peractis *sub tit. de servit.* ac etiam, *disc. 163. de Regal. & alibi*. Et per consequens ubi certum est, quod causa pertineat privative ad hoc Tribunal Camerarii, & Ædilium, Signatura Justitiæ non se intromittit, cum vice Signaturæ succedat ipsum Tribunal Cameræ, quod habet Signaturam in ventre.

Sed si contentio sit super competentia fori, seu pertinentia causæ cum Tribunalibus Auditoris Cameræ, vel Cardinalis Vicarii, aut fori Capitolini, sive alicujus Archipresbyteri, vel Protectoris, cum similibus, ut frequenter contingit, quia nempe non agatur de viis publicis, in quibus utpote de regalibus, atque supremo Principi incumbentibus, Camera interesse saltem remotum, ac mediatum habere videtur, sed de viis privatis, vel vicinalibus, juxta distinctiones, de quibus *d. disc. 136. & seqq. de Regal.* & alibi pluries; Minusque agatur de illo retractu prælativo, vel coactivo, aut alio jure, quod præcise resultet a Bulla Greg. XIII. per quam datur commissio huic Tribunali, non autem aliis, sed agatur de aliquo retractu, qui resultat a jure communi, ut ex. gr. est ille, qui competit ex dispositione text. *in l. si quis sepulchrum*, de quo pluries *eod. tit. de Servit.* Vel de servitutibus privatis altius non tollendis, vel non aperiendi fenestras, sive non faciendi meniana, vel prospectus, seu juris projiciendi, vel ædificandi in muro communi ad limites juris communis, vel statuti Urbis, non autem dictæ Bullæ, cum similibus, adeout sit competens quicunque Judex ordinarius, atque non intret privativa competentia hujus Tribunalis, vel quod id sit probabiliter dubium; Et tunc decidere ad quem Judicem ratione præventionis, vel ratione particularis privilegii magis causa competat, pertinere videtur ad Signaturam Justitiæ; quoniam non est committere causam appellationis a Tribunali camerali, vel in eo rescribere, sed declarare inter partes quisnam sit Judex magis competens, ad quem causa pertineat.

Cum eadem distinctione procedendum videtur in omni- 41
bus aliis enunciatis judicibus, & Tribunalibus cameralibus, in quorum potestate, ac libito repositum esse non debet avocare omnes causas eis bene visas, in quibus non habeant certam privativam, sibique jus dicere, quamvis alias regulariter essent competentes, quoniam ob consensum illius privilegiati, qui istos judices camerales habet, potest alter judex ordinarius esse competens, juxta insinuata *disc. 45. hoc eodem tit.* quod scilicet, exempli gratia, affidati dohanæ, vel inservientes grasciæ, vel annonæ, & similes citati coram alio judice, quem possunt declinare, id negligant, ejusque jurisdictionem prorogent, atque coram eo litem pro frequentiori contingentia diu sustinent, atque 42
collitigantem defatigant, postquam vero succubuerunt, vel quod imminentem succumbentiam probabiliter timent, ad proprium privilegiatum Judicem recurrere satagunt, inhibitiones ab eo obtinendo; Id autem utique manifestam redolet calumniam non permittendam; Ideoque hujusmodi inhibitiones, quæ in magno excessu usque ad intolerabilem abusum creverant initio suscepti muneris, cum decreto generali abolere, easque non afficere, neque attentata producere declaravi, ut habetur *d. disc. 45. hoc eod. tit.*

Sed quoniam ista declaratio generalis non erat sufficiens
medicina, unde in dies audiebantur citationes in magno 43
numero super hujusmodi inhibitionibus, & super attentatis exinde resultantibus, dictique decreti generalis declaratione, non quidem, quod illa necessaria esset, sed quia affectabatur ambiguitas calumniosa ad causas protrahendas; Idcirco ex rationibus initio supra insinuatis, visum est hujusmodi quæstiones, jure saltem delegato in casibus, in quibus ordinariæ facultates tribunalis non intrarent, remittere Signaturæ Justitiæ, quoniam cum ista declaratione, quod illud Tribunal procedat jure delegato, & sine aliquo præjudicio privilegiorum, consultum remanet aliis Tribunalibus privilegiatis, eodemque tempore remanet consultum cursui, & administrationi Justitiæ, & ne ista ob hujusmodi subterfugia detrimentum patiatur; Et per consequens provisio justa, & rationabilis videtur, parumque rationabiles videntur conquæstiones.

De aliis Judicibus, & Tribunalibus, quæ se prætendunt privilegiata, tam circa non subjectionem Signaturæ Justitiæ, quam respective circa prærogativam cognoscendi, vel committendi causas in omnibus instantiis, ut sunt, Forus Capitolinus, Præfectus Palatii Apostolici, Custos Castri S. Angeli, Judex Burgi, Gubernator Urbis, Commissarius armorum, Episcopus Hostiensis, Commendatarius Abbatiarum Farfæ, & Sublaci, aliarumque similium, & alii, de quibus in discursu.

FOrus Capitolinus, quamvis sit Judex ordinarius inter cives, & incolas sæculares Urbis, in causis mere sæcularibus, & prophanis privative ad alios Judices, aliaque tribunalia, quoties ratione obligationis cameralis non intrat competentia Auditoris Cameræ, cui magis, ac proprie competit dictæ obligationis executio, & ob quam causam ille Forus pene annihilatus remanet, sive quia in causis gravibus partibus concorditer in idem Tribunal Auditoris Cameræ consentiunt ad evitandas ambages il-

lius

lius praxis, quæ inextricabilem redolet calumniarum labyrinthum, unde propterea reformatione omnino digna est, non subjacet Signaturæ Justitiæ sicuti subjacent alia Tribunalia ordinaria Auditoris Cameræ, Vicarii, Gubernatoris, ac etiam Rotæ, quoniam in gradu appellationis adest proprius judex, qui ex hoc denominationem desumit, nuncupatus Capitaneus appellationum; Et quando in ulterioribus instantiis, quæ sub nomine restitutionis in integrum, quandoque in magno excessu multiplicatæ practicantur, oportet deputare alios Judices, id fit per Senatorem, penes quem dicitur adesse Signatura, cum deputationibus consultorum, aliisque solitis formalitatibus, quas, ut supra advertitur, melius esset abolere.

Verum adhuc intrat eadem distinctio, quod scilicet, aliud est agere de causis, quæ extra controversiam sunt Capitolinæ, quia in eo foro jam legitime introductæ sint, ac pendeant, in quibus contingat interponi appellationem, vel peti recursum, sive peti restitutionem in integrum principaliter, vel incidenter, cum similibus illius fori cabalis, & superstitionibus; Et tunc Signatura Justitiæ non se ingerit, unde quando in hujusmodi causis petatur ob rerum gravitatem votum Rotæ, sive earum avocatio pro commissione in Rota, aut quod petatur alia provisio, quæ ad formam statutorum non intret, tunc habetur recursus ad Signaturam Gratiæ, quoniam est derogare statutis, vel dispositionis Juris, & facere id quod non conceditur nisi Principi supremo; Aut vero agitur de hujusmodi quæstionibus competentiæ fori, & an causa sit capitolina, necne, quia per alteram partem prætendatur spectare ad Auditorem Cameræ, vel ad Vicarium, sive ad alium Judicem, adeout uno ab altero reassumente, oriatur quæstio inter ipsos Judices, ipsasque Tribunalia, & tunc ex eisdem rationibus, de quibus supra, nil prohibere videtur, quod Signatura Justitiæ id cognoscat, & decidat.

45 Sed hoc Tribunali Capitolino, tanquam connexa, seu consecutiva cadunt quædam Tribunalia inferiora, quæ constituuntur ex Consulibus artium habentibus proprios Assessores, dum ab eis ad hunc forum, sive ad Senatorum recurritur; atque in ista causarum specie nimium rari sunt casus, quod assumantur istæ quæstiones competentiæ Signaturæ, dum ut plurimum agitur de causis modicæ considerationis, atque quæstio majoris competentiæ solet esse cum Locumtenente Civili Gubernatoris agente de causis mercedis, vel cum quodam altero Judice charitativo, qui in gratiam pauperum operariorum, vel famulorum in hoc eodem genere causarum mercedis, a moderno tempore, laudabiliter quidem deputatus est.

Tribunal Agriculturæ pariter cum ejus particularibus
46 statutis, quæ sunt impressa cum suis glossis regulatur, suosque habet Judices in ulteriori instantia, quoniam a sententiis, vel decretis & provisionibus Consulum, cum voto Assessoris, ordinarii, vel extraordinarii, datur recursus ad Revisores juxta formam ab eisdem statutis præscriptam; Ac propterea Signatura Justitiæ se non ingerit; Sed quando ob gravitatem causæ petatur votum Rotæ, vel respective petatur avocatio, habetur recursus ad Signaturam Gratiæ, eodem modo quo dictum est de foro Capitolino. Adhuc tamen intrat eadem distinctio inter causas ad hoc Tribunal indubitate pertinentes, atque in eo introductas, & pendentes, adeout nulla cadat quæstio competentiæ fori, & illas causas, in quibus ista quæstio intret, ut præsertim pro frequentiori contingentia sequi solet inter hoc Tribunal, & illud Camerarii, eo quia illi qui in isto molestentur pro damnis datis, prætendant se affidatos. Et quamvis ille præsertim casus, in quo quæstio sit inter duo Tribunalia æque exempta ab ordinaria jurisdictione, & facultate Signaturæ Justitiæ, id pertinere consueverit ad Auditorem Papæ tanquam repræsentantem Signaturam Gratiæ; Attamen ex eisdem rationibus, de quibus supra, pro meliori cursu Justitiæ, & resecatione calumniarum, & subterfugiorum, rationabile censui id remittere eidem Signaturæ in præfata ratione delegata, quoniam cum ut supra, multiplicitas Tribunalium sit Justitiæ Reipublicæ præjudicialis, atque magnum producat fomentum calumniarum, idcirco expedit quo magis fieri potest tribunalia
47 restringere, sive ut vulgo dici solent apothecas claudere, adeout si in mea repositum esset potestate, hujusmodi multiplicitatem delerem; quoniam habita proportione populi tria, vel quattuor Tribunalia sufficerent, ac superabundarent.

48 Præfectus Palatii Apostolici ex quadam consuetudine vel pontificia permissione potius quam ex aliquo explicito privilegio, quod pro mea notitia non adest, duplicem per se ipsum, vel per ejus Auditorem, sive Locumtenentem respective exercet jurisdictionem, unam nempe cum familiaribus Papæ, aliisque ministris, & inservientibus palatii Apostolici, ac villarum, & viridariorum, pro servitio Papæ, sub eodem palatio cadentium, & alteram in Civitate Tusculana, & in Arce, seu Castro Gandulphi; quasi quod sint loca destinata Pontificis deliciis, & recreationibus, quando rusticari velint.

Ista vero jurisdictio, ad instar illius Archipresbyterorum, & Protectorum, ut supra, nimium paulatim ampliata est, tam in dicta prærogativa non subjacendi Signaturæ Justitiæ, vel Auditori Cameræ, aliisque judicibus appellationum, vel recursuum, quam in altera habendi Signaturam in ventre, & committendi, vel cognoscendi per se ipsum causas in ulterioribus instantiis, quamvis ejus Auditor, vel Locumtenens in prima instantia judicaverit; ac etiam dilatando fimbrias in exercendo eandem jurisdictionem cum omnibus illis, qui in propriis domibus, vel apothecis per Urbem viventes, aliquo modo inserviant Palatio, ut sunt venditores mercium, & victualium, & artifices, aliusque similes, adeout ista jurisdictio, quæ prius nimium modica erat, atque vix cognita, a moderno tempore nimium creverit, magnumque efformaverit Tribunal productivum quoque inconvenientium Justitiæ præjudicialium ob calumniarum, & subterfugiorum fomentum; Quare, ita mandante, ac laudante Pontifice, cui adeo cordi est justitiæ administratio, & calumniarum resecatio, oportuit quoque desuper providere, atque procedendum censui cum distinctione inter primam speciem jurisdictionis magis propriæ, & juridice competentis Præfecto palatii Principis, cum familiaribus, & servientibus ejusdem palatii; Et alteram provenientem ex gubernio, quod huic muneri ex consuetudine, vel tacita concessione Pontificis, annexum est præfatorum locorum, Tusculi, & Castri Gandulphi.

Prima species aliquod juris communis fomentum habere videtur per dispositionem text. *in l. ne diversa, Cod. de Silentiar. & Decurion. l. 12. l. Cubicularios, C. de propos. sacri Cubiculi, eod. lib. 12. cum concordantibus desuper ponderari solitis, atque occasione agendi de familia M. Magistri Ordinis Hierosolymitani, vulgo Melevitani habetur, dec. 291. & 324. p. 5. rec.* Quamvis etenim fabulosum meo judicio id videatur directe attendere hujusmodi legum dispositionem, nimium immutatos mores, longeque diversos singulorum principatuum stylos, adeout irrisione digni reputari mereantur illi, qui hujusmodi leges ad literam attendunt, atque palatium antiqui Imperatoris Romani, sive ejus Præfectum, tam juxta mores Romanorum pro tempore quo sedes imperialis in Urbe Roma fuit, quam juxta mores Græcorum pro alio tempore, quo residentiam habuit in Urbe Constantinopolitana, ejus antiquam magnitudine, ac potentia, ac majestate durante, regulare sicuti palatia modernorum Principum, quos in orbe Christiano adeo dispares, majoris, vel respective minoris magnitudinis, & potentiæ habemus cum tot diversis, imo frequenter oppositis legibus, ac stylis, & moribus, adeout inter simplicitates, ac inepias legales id recenseri mereatur; Adhuc tamen hujusmodi leges aliqua consideratione dignæ sunt, ad effectum inspiciendi quod hæc jurisdictio non est nova, neque exorbitans, sed aliquod habet juris fundamentum.

Ea tamen restringenda videtur (prout Pontifice mandante restrictam esse declaravi) ad illos tantum, qui veri, & actuales familiares, vel servientes dici merentur, idest qui in palatio continuo vivunt, ejusque servitio cum stipendio annuo, vel menstruo, pro toto, vel majori parte temporis eorum vitæ addicti sunt, non autem in illis mercatoribus, vel venditoribus mercium, & victualium, sive artificibus, qui more reliqui populi in eorum domibus, vel apothecis viventes, omnibusque de populo in eorum munere inservientes, ita accidentaliter inserviunt palatio, juxta distinctionem, de qua *disc. 33. de jurisd.* occasione agendi de familiaribus, seu inservientibus Almæ domus Lauretanæ, ac etiam infra agitur occasione agendi de familiaribus Oratorum Principum, vel Cardinalium, quoniam alias pene universum populum ista jurisdictio complecteretur, eaque major esset quam illa judicum ordinariorum.

Et nihilominus, etiam respectu eorum qui sunt veri, & actuales familiares, ac servientes, ista jurisdictio intelligenda videtur de illis controversiis, quæ inter ipsos in pala-

tio

tio oriuntur, & quas congruit per ejusdem palatii ministrum prompte in forma extrajudiciali absque figura judicii summarie componi, vel decidi, eodem modo quo in domibus Cardinalium, & Magnatum per aulæ Præfectum practicari solet, absque eo quod inter ulterior progressus, cum diversitate instantiarum, aliorumque judicium deputatione, ideoque non complectitur causas indifferentes, quæ processum, ac telam judiciariam exigant; Sed quando iste usus, qui a moderno tempore irrepsit efformandi Tribunal judiciarium, & contentiosum, etiam cum usu sportularum, quod abusum quidem redolere videtur, tolerandus esset, adhuc tamen in prima solum, sive in unica instantia id recipiendum esset, per quam, postquam per se ipsum, vel ejus vicarium judicatum est, jurisdictio expirare dicitur, ex eadem ratione in Cardinalibus Archipresbyteris, ac Protectoribus assignata, quod isti vicarii, vel judices particulares ad certum causarum genus deputati, quoties principis privilegium non accedat, non debent esse melioris conditionis, neque majorem habere jurisdictionem, ac potestatem, quam habeant Judices, & Magistratus majores, & ordinarii ad universitatem causarum deputati, ut propterea in ulterioribus instantiis, appellationis, vel recursus, aut restitutionis in integrum, per Signaturam Justitiæ rescribatur, eodem modo, quo rescribitur in sententiis, & provisionibus prædictorum majorum Judicum, & Magistratuum.

Clarius vero hæc restrictio ad solam primam instantiam terminatam cum sententia ejusdem Præfecti, vel ejus Auditoris, aut locumtenentis, ex regula, quod Episcopus, & Vicarius unum, & idem constituat Tribunal; neque ab uno ad alium datur appellatio, vel recursus, procedere debet in præfatis guberniis Tusculi, & Castri Gandulphi, quoniam in iis consideratur tanquam Gubernator eodem modo, quo sunt alii Gubernatores, ac etiam Episcopi aliarum Civitatum longe majorum, magisque qualificatarum, a quibus appellatur ad Auditorem Cameræ, aliosque ordinarios Judices appellationis, vel per Signaturam Justitiæ causæ committuntur in gradu appellationis, vel recursus, aut restitutionis in integrum, unde ista jurisdictio in ulterioribus instantiis, nulli probabili fundamento innixa videtur, sed potius de facto, & per abusum radicata, eodem modo, quo supra in aliis advertitur.

Custos vulgo Castellanus Arcis Gradiani, sive S. An-
49 geli suum quoque moderno tempore per ejus Auditorem, seu judicem ad id deputatum constituere consuevit formatum non modicum Tribunal contentiosum, ex eo quod non solum se prætendit judicem competentem, ac privativum militum præsidiariorum, ac illorum ministrorum, & inservientium, qui juxta requisita veteræ familiaritatis in eodem castro vivunt principaliter cum stipendio addicti pro majori parte vitæ illi servitio, sed etiam illorum artificum, ac aliorum de populo, qui viventes in propriis domibus, eorumque artibus, vel exercitiis principaliter addicti, descripti sunt in ejusdem castri rotulo tanquam milites extraordinarii in quibusdam occasionibus evocandi, sive tanquam adjutores bombarderiorum, aliorumque ministrorum, adeo ut notabilem populi partem hanc jurisdictio complecteretur.

Verum in hoc etiam censui provideri idem quod de inservientibus palatio Apostolico dictum est ex deductis *in eod. disc. 33. de jurisd.* Ubi habetur in specie de his militibus, & ministris auxiliariis, qui absque fixo stipendio, & continua addictione, quandoque ad servitium avocantur, cum isti non veri milites, sed potius homines de populo electo censendi veniant. Unde propterea hæc jurisdictio complectitur solum illos, qui sunt veri, & actuales milites stipendiarii, seu veri, & actuales ministri, ac servientes, cum stipendio perpetuo addicti huic servitio; Atque ubi desuper cadat quæstio, nil prohibere videtur, quin Signatura ejus judicium interponat, declarando quis nam sit judex competens.

In ea Urbis parte, quæ Civitas Leonina, vulgo Burgus appellatur, aderat quoddam Tribunal cum proprio Ju-
50 dice, Notario, Barisello, ejusque familia, & carceribus, cum privativa jurisdictione in causis illorum, qui in eodem Burgo habitant, & cum privilegio Julii III. ut quæcunque mandata in hac parte Civitatis exequi non possint sub pœna nullitatis, absque dicti Judicis exequatur. Cumque istud tribunal (laudabiliter quidem) suppressum esset sub Alex. VII. vel Clem. IX. eodem modo quo sub Innoc. X. suppressum fuit aliud consimile tribunal, quod Curia Sabellorum appellabatur, sive unitum fuerit tribunali Gubernatoris Urbis cum retentione ejus privilegiorum, & prærogativarum; Hinc officiales hujus Tribunalis Gubernatoris prætendunt, ut adhuc servari debeat præfatum privilegium super executione aliquorum mandatorum non facienda absque illorum exequatur. Verum hanc prætensionem indebitam credidi, ideoque illam rejicere consuevi, atque executiones sustinui, tum quia dicta concessio Julii moderata fuit per Pium IV. in reformatione tribunalium sub eo facta. Tum etiam quia cum cessaverit forma antiqui tribunalis cum proprio Judice, proprioque Notario ibi residente, ita hæc pars, tanquam species alluvionis, effecta est ejusdem naturæ qualis est reliqua Civitas commissa Gubernatori, ideoque eodem jure censenda est, juxta ea quæ *disc. 83. de feud. ad materiam Bullæ Baronum* habentur de provincia, vel civitate alias infeudata, & a reliquo principatu infeudantis separata postmodum devoluta, prius enim ista pars constituebat quoddam territorium separatum, ideoque pro executionibus in ea faciendis, requirebatur licentia domini, vel judicis territorii, quod hodie cessat.

Capitaneus generalis S. Ecclesiæ, eoque non existente, Commissarius generalis armorum, qui esse solet unus 51
ex Cameræ Clericis, prætendit esse Judex competens militum Urbis, & status ecclesiastici, ut propterea eorum causas per se, vel per ejus respective Auditorem cognoscere debeat, vel saltim quod non possint exequi mandata contra milites absque ejus exequatur, quod concedi solet salva persona, & armis. Verum in casuum contingentiis dicere consuevi, quod aut agitur de veris, ac propriis militibus, quales sunt præsidiarii, ac alii vulgo nuncupati *di leva*, & qui more militari vivunt sub menstruo, vel diurno stipendio sub disciplina militari, & obedientia Capitanei principaliter illi ministerio addicti, ac semper prompti servitio, & tunc id recte procedat, secus autem ubi agitur de illis, qui vulgo dicuntur de militia, quoniam isti potius de populo electo, quam veri milites dici merentur juxta deducta eodem *disc. 33. de jurisdict.* nisi privilegia expresse, ac particulariter alias disponant, ut ita populi alliciantur ad arma, atque in occurrentiis prompti sint ad militandum; Et nihilominus ut etiam isto casu nimium circumspecte procedi debeat, ne alias detur ansam fraudibus, & calumniis, cum privilegium ne capi valeant de persona, non nisi veris militibus de jure competat.

Istamque prætensionem; ut mandata aliorum judicum
quamvit competentium exequi non possint absque exequa- 52
tur proprii judicis privilegiati, generaliter habent Archipresbyteri basilicarum, Protectores piorum locorum, ac etiam Præsidentes grasciæ, & annonæ, & Camerarius quoad affidatos, nec non dicti judices Palatii Apostolici, & Castri Sancti Angeli, aliique similes, quodque alias executiones reputari debeant nullæ, & attentatæ, ideoque retractari, cum illa refectione expensarum, *de qua disc. 18. & 39. hoc eod. tit.* Verum hanc prætensionem parum fundatam atque calumniarum, & subterfugiorum nutritivam reputare consuevi, ideoque ubi ad me habiti fuerunt recursus, executiones sustineri declaravi, quoniam eo ipso quod privilegiatus, quis evocatus coram alio judice istum declinare neglexit, sed illius jurisdictionem prorogando, litem sustinuit, atque succumbentiam passus est, cum relatione mandati redacti ad terminum executionis, tunc nulla lex, nullaque ratio suadet, ut istud calumniosum subterfugium permitti debeat, dum quoad illum contra quem relaxatum est mandatum, habendum est ac si ille judex privilegiatus non adesset, solumque id admittendum venit in mandatis suspicionis fugæ, quæ sine citatione relaxantur.

Considerando quod istud exequatur, tendit in damnum potius quam ad commodum, & favorem personæ privilegiatæ, contra quam relaxatum est mandatum, quoniam pro ejus concessione facere oportet aliquas expensas, quas reus reficere tenetur, ideoque ad aliud id non servit nisi ad incommodum actoris, & majus damnum rei succumbentis; Et per consequens ad evidentiam patet, quod de hoc ad solam calumniam objicitur, ut habemus in materia æmulationis in faciente novum opus, quoniam si istud nullam præbet utilitatem, vel commoditatem, sed potius damnum, atque vicino præjudicat, tunc æmulatio, malusque animus adesse dicitur, sic a pari.

Et quamvis per ora superficialium Pragmaticorum ad id sustinendum volitare soleat propositio pluries insinuata *sub tit. de jurisd.* & alibi, quod exemptus non potest volens se subjicere judici incompetenti, a quo exemptio-

nem habet in præjudicium proprii Judicis, & superioris; Attamen id recte procedit, quando ipse judex, vel superior pro sui juris conservatione, & ne sibi præjudicetur, se opponit, atque petit causæ remissionem, ut frequens praxis docet in Tribunalibus Regni Neapolitani, quod Barones petunt sibi remitti causas vassallorum in eorum instantus, quas ut plurimum forteque generaliter habent duas, & aliqui etiam tertiam, non obstante quod ipsi vassalli prorogent jurisdictionem Regiorum tribunalium; Ac etiam juxta unam opinionem, Ordinarii locorum pro observantia decreti Conc. Trid. in cap. *causæ omnes* petere possunt remissionem causarum in prima instantia, non obstante quod eorum diœcesani voluntarie adeant Tribunalia Romanæ Curiæ, sive Legati, aut alterius superioris, cum similibus; Attamen id recte procedit quando sincere, & citra fraudem & collusionem ipsi Judices, & superiores de hoc instant princi; aliter pro sui juris conservatione, atque ad occurrendum eorum præjudiciis, idque agunt tempore opportuno, non autem expectando rem judicatam, ejusque imminentem paratam executionem; quoniam tunc fraudis, & collusionis vehemens præsumptio, quinimo quædam species apertæ probationis adesse videtur; Ac etiam quia hujusmodi remissiones ut plurimum peti solent in causis criminalibus, in quibus fiscus illius proprii Judicis habere potest interesse, sive ubi agatur de gravibus causis civilibus, vel quod ille Judex, cujus jurisdictio per exemptum adeatur, sit suspectus proprio Judici, & superiori, cui hoc exercitium jurisdictionis cum exemptis ejus subditis causare potest præjudicium; Ut (ex. gr.) quando Regulares, vel etiam sæculares exempti habentes proprium Prælatum inferiorem prorogant jurisdictionem Ordinarii loci, coram quo pendeant, vel pendere possint illæ jurisdictionales controversiæ, de quibus habetur *sub dict. tit. de jurisdict. disc. 1. cum multis seqq.* Secus autem in casu, & ad effectum, de quibus agitur; quoniam tunc hujusmodi rationes probabiliter non intrant, sed ut plurimum, imo semper ista sunt subterfugia solum ipsorum principalium, qui mandatorum relaxationem passi sunt ad impediendam, vel retractandam executionem.

Istamque fraudem, & malitiam, juxta exemplum æmulationis, de quo supra, comprobat illa consideratio damni notabilis, quod resultat eidem succumbenti, qui mandatorum relaxationem passus est, quoniam ubi etiam proprio Judici, & Superiori conceditur avocare pro ejus jure, & interesse hujusmodi causas, quamvis jam finitas, atque in hoc statu positas (quod citra fraudem, & calumniam, ipsorum succumbentium unquam, vel nimium raro est in praxi verificabile) adhuc tamen ipsi succumbentes tenentur reficere victori omnes illius judicii expensas, dum etiam in Clericis conventis coram judice laico, qui non solum est incompetens, sed omnino incapax, habemus quod ubi clericatus non sit omnino notorius, adeout actor, qui illum convenit, sit excusabilis, si Clericus negligit allegare, & probare clericatum, illumque forum declinare, tenetur quando declinatoria sequitur, reficere omnes expensas, quoties actor post allegatum, & probatum clericatum abstinet a prosecutione judicii coram laico, *ut in eodem titulo de jurisdiction.* & alibi advertitur; Et per consequens ista ratio nihil valeat ad effectum, de quo agitur.

Pleraque alia consimilia particularia tribunalia, sive
54 judicaturæ adsunt in Urbe, de quibus omnibus singillatim agere nimium tædiosum esset, ac etiam quia pene impossibile videtur in tot occupationibus eorum distinctam habere notitiam, sed præmissa illis congrue applicari possunt; Nulla vero ad effectum, de quo agitur, facta est mentio particularis illius moderni tribunalis, quod nuncupatur
55 Congregatio Baronum, & de quo *in eadem relatione Curiæ, disc. 28.* latius vero magisque ex professo *sub tit. de Feud. ad materiam Bullæ Baronum, discurs. 23. cum plurib. seqq.* quoniam vere, & proprie istud non est Tribunal contentiosum, quod in forma judiciali, prævio processu proferat sententias tanquam Judex ordinarius, sed est solum executor mandatorum relaxatorum per Judices ordinarios, cum quadam suprema auctoritate more Principis procedendi summarie, & absque tela judicii, ut advertitur *dict. disc. 73. & 95. sub dict. tit. de Feud.* Et quamvis ex quodam Chirographo ejusdem Clement. VIII. magis vero ex altero Urbani VIII. habeat quandam figuram judicii, & proferat sententias, ut advertitur pluries *dict. tit. de Feud.* ad materiam hujus Congregationis, & præsertim *discurs. 55.* Attamen id procedit in illis causis, in quibus ipsa Congregatio manus apposuit, atque peculiariter deliberavit, retractando, vel declarando id, quod ab ipsa gestum est juxta casum, de quo *dict. disc. 96. de feud.* & in aliis, sed ejus respectu cadere non solet ista quæstio competentiæ fori inter unum, & alterum Judicem; Cumque sit Tribunal, quod more Principis potius, quam Judicis ordinarii procedit, idcirco usus ab initio introduxit, quod Signatura Justitiæ cum ista Congregatione se non ingerit, sed solum Signatura Gratiæ; Cum etenim ista Congregatio constituta sit ex aliquibus Clericis Cameræ, & ex Cameralibus, nempe Thesaurario, qui est ejus caput, & Advocato, & Commissario Cameræ, idcirco quando dandus esset superior, qui præter Papam cognoscat istas causas, atque in eis rescribat, deberet esse ipsum Tribunal Cameræ, quod tamen in hoc se non ingerit.

Ultra præmissa, aliaque similia Tribunalia ipsius Ur- 56
bis in eadem adesse videntur quædam alia pro locis, & personis extra eam, ut exempli gratia sunt Commendatarii adjacentium Abbatiarum Farfæ, & S. Edicti vulgo S. Oreste, & Sublaci & similium. Cum etenim istæ Abbatiæ in plerisque Oppidis, & Castris habeant jurisdictionem spiritualem ordinariam quasi Episcopalem cum clero, & populo, tamquam in locis nullius, ac etiam aliquam jurisdictionem temporalem, ipsæque commendari soleant Cardinalibus qualificatis, atque pro frequentiori praxi illis, qui sint nepotes Pontificis pro tempore regnantis; Hinc inolevit idem usus, ut Cardinalis commendatarius gerat in causis subditorum partes Signaturæ, committendo causas etiam Rotæ, vel Prælatis in secunda, & tertia, aliisque instantiis in gradu appellationis, vel restitutionis in integrum, ut frequentius sequitur in causis Abbatiæ Farfensis occasione devolutionis, vel renovationis illorum bonorum, quæ omnia sunt sub istius Abbatiæ directo dominio, ut patet ex casibus, de quibus *disc. 52. de Feud. & disc. 8. & 62. Emphyteus.* & aliis pluribus, de quibus in Rotæ decisionum voluminibus; Cumque in casu, de quo *d. disc. 62. de Emphyt.* Ego alias tanquam Advocatus opponerem de invaliditate sententiarum latarum in ulterioribus instantiis ob defectum jurisdictionis, replicaretur autem, quod id competeret vigore indulti Apostolici concessi per Urbanum VIII. Cardinali Barberino ejus nepoti Commendatario; Advertebam id continere æquivocum, quoniam dictum indultum respicit diversum effectum, ut scilicet possit præfatus Cardinalis hanc jurisdictionem exercere etiam in Urbe, & extra ejus territorium, quod alias facere non posset, sed non inde inferri potest ad hanc facultatem, quæ habet claram resistentiam juris, quo cessante non est de alio quærendum, quoniam alias esset dare insinuatum absurdum occasione agendi de Archipresbyteris, & de Protectoribus, quod scilicet iste Commendatarius non habet majus jus, quam habeat Abbas Monasterii, cujus vices ipse gerere dicitur, & sic dicitur Prælatus inferior cum qualitate nullius, & territorii separati, quod sine dubio importat longe minus, quam esse Episcopus, vel Archiepiscopus, ex deductis *dicto disc. 1. & seqq. de Jurisd.* ac etiam *disc. 96. cum seqq. eodem tit. in Supplemento*, & alibi, ac propterea si Episcopus, vel Archiepiscopus in sua diœcesi non habet, nisi primam instantiam, non videtur quomodo Prælatus inferior omnes ulteriores instantias habere debeat.

Sex Cardinales antiquiores, qui obtinent sex Episcopatus Cardinalitios Urbi adjacentes, nempe Hostiensem, Portuensem, Penestrinum, Albanensem, Tusculanum, &
Sabinensem, mihi alias videbatur posse eorum Episcopa- 57
lem, tam ordinariam, quam delegatam Jurisdictionem quamvis contentiosam exercere in Urbe, ex eo quo isti sunt Episcopatus annexi Cardinalatui juxta ordinem antianitatis tanquam tituli Cardinalitii absque onere residentiæ, adeout adesse dicatur implicita dispensatio Pontificis morandi in Urbe, ipso Episcopatu retento, quodque tanquam per consequens necessarium, vel in eadem Urbe suam Episcopalem jurisdictionem exercere possint. Considerando potissime quod cum sint intra districtum, ita rigorose non dicuntur esse extra territorium Urbis, juxta ea quæ habentur *disc. 94. de Regalibus*, ac etiam *disc. 13. & 37. in relat. Cur.* & in opusculo italici idiomatis, cui titulus est *Il Cardinale*, & alibi. Expertus vero sum postmodum occasione muneris, quod id non subsistit, quoties non adsit indultum speciale, eo modo quo supra de commendatario Abbatiæ Farfensis dictum est, quoniam cum Cardinalis senior de Carpineo

tan-

tanquam Episcopus Portuensis quandam causam criminalem in Urbe per ejus Auditorem, vel alium deputatum cognoscere vellet, petiit licentiam, atque obtinuit pro illo actu tantum, istaque occasione doctus fui de aliis similibus licentiis particularibus.

Episcopus autem Hostiensis, qui est Sac. Collegii Decanus, est etiam Episcopus Velletranus, seu Veliternus, ac etiam Coranus, cum hac tamen differentia, quod in Civitate Veliterna est etiam Gubernator in temporalibus, in Corana vero habet solam jurisdictionem ordinariam Episcopalem, dum ista Civitas in temporalibus est sub gubernio Populi Romani; Duas autem prærogativas singulares habet hic Episcopus; Primo nempe, quod in dicta Civitate Veliterna, ejusque Diœcesi ex indulto Pii IV. innovativo indultorum Pauli II. & IV. habet tres instantias, duas in ipsamet Civitate, tertiam vero in Urbe, ad instar Baronum Regni Neapolitani, qui fere omnes generaliter habent primam, & secundam instantiam, aliqui vero ex speciali insolito privilegio habent etiam tertiam; Unde propterea ad instar eorum, quæ rationabiliter sunt receptæ istæ tres sententiæ, habent vim unius ad effectum, ut ab eis appellare liceat ad Regia Tribunalia, ut habetur apud Fab. de Ann. *cons. 70. & Aponte. de potestate Proreg. tit. de diverf. provif. n. 18. fol. 474. juxta primam impressionem*, adeout non inter regula, ut non liceat tertio provocare, quoniam magna durities esset, eaque ansam daret Baronibus, & domicellis suffocandi subditos; Istaque prærogativa, utpote restricta ad dictam Civitatem, ejusque diœcesim non intrat in aliis locis eidem Episcopo subjectis.

Et secundo ex indulto Clem. VIII., ut exercere valeat jurisdictionem in Urbe, quod aliis quinque Episcopis non conceditur, adeout quandoque per gratiam specialem soles per Papam concedi aliis hæc licentia sub ea lege, ut in causis criminalibus abstineant ab executione, quæ sequi debeat in proprio territorio, atque pleræque expeditiones fieri solent per Cardinales Episcopos moram in Urbe trahentes cum data extra aliquam partem ex quodam laudabili usu in reverentiam Papæ. Non videtur autem hæc secunda prærogativa multum exorbitans, adeout non esset omnino incongruum, ut supra, quod eadem facultas competeret aliis quinque Episcopis Cardinalibus, Portuensi, Tusculano, Albanensi, Prænestino, & Sabinensi ex ratione, de qua in diversis locis, præsertim vero, *disc. 145. de Benef & in Annot. ad disc. 13. in relat. Curiæ*, ubi concordantes, quod scilicet isti sex Episcopi non sunt sicut alii Episcopi habentes propriam diœcesim, in qua constituunt unum caput, unumque individuum corpus efformant, contradistinctum a Papa, & a Metropolitano, sed potius illa loca, quæ constituunt istos sex Episcopatus sunt diœcesis, & territorium particularis Episcopatus Romani, cujus Papa est Episcopus, ideoque Vicarius Urbis habet in his locis, etiam in prima instantia ordinaria, & coæqualem jurisdictionem cum singulis Episcopis. Episcopi autem sunt potius tot Vicarii particulares, eodem modo quo intra ipsam Urbem sunt in tribus Basilicis Patriarchalibus Archipresbyteri, & sunt alii Cardinales in eorum titulis, & diaconiis, ideoque sicuti isti exercent in Urbe jurisdictionem, ita non videtur cur idem facere non valeant sex antiquiores Cardinales in dictis Episcopatibus, qui sunt eorum tituli Cardinalitii; Adhuc tamen deferendum est consuetudini, quæ in jurisdictionalibus, & præeminentialibus nimium attendenda venit.

58 Cum autem legatio status Avenionensis in Gallia, ex aliquibus prudentialibus motivis a diuturno tempore citra consueverit committi Cardinali in Curia residenti, & præsertim pro frequentiori contingentia, Cardinali nepoti, sive illi qui esset Secretarius Status, vel primus minister, idcirco istam legationem ita exercente ejus Vicelegato juxta facultates, quæ per breve sibi communicari solent, jurisdictionem in Curia exercet cum voto cujusdam Congregationis Prælatorum, quæ Congregatio Avenionis nuncupatur, atque Signaturam habet, & practicat, committendo causas in pluribus instantiis usque ad causarum finem; Id autem non provenit a privilegio generali, quod per aliquam apostolicam Constitutionem annexum sit legationi, ut contingit in Archipresbyteris, & Protectoribus ut supra, sed ab indulto speciali per breve, ad cujus limites id intelligendum venit in casibus in eo expressis, extra quos ex eisdem rationibus, de quibus supra, in Archipresbyteris, & Protectoribus se non ingerit, sed causæ committuntur per Signaturam.

In gradu vero appellationis, vel restitutionis in integrum, licet causæ per legatum committantur in Curia; Attamen per Breve Clem. X. provisum est, ut id solum practicari debeat, quando causa excedit scut. mille, aliæ vero causæ minores debeant committi in partibus in ipsa Civitate, vel statu, & merito ob distantiam loci, nimiamque incommoditatem, cui pro causis minoribus subjacere non debent litigantes.

Idemque pariformiter procedit in aliis Guberniis quarundam Civitatum, vel locorum, quæ ex particularibus 59 indultis non subjacent Consultæ, vel Congregationi boni regiminis, sed gubernantur ab eodem Cardinali nepote, vel ab alio Cardinali, vel etiam sæculari ad Papæ libitum, ut sunt Civitas Firmana cum ejus statu, seu Principatu, ac Civitas Tiburtina, & Oppidum Capraoicæ; Quamvis enim Civitatis Beneventanæ gubernium pariformiter alicui nepoti, vel alteri benemerito committi soleat, adeout Prælatus, qui ejus regimini præficitur, Vice Gubernatoris titulum, & nuncupationem habeat; Attamen ista Civitas subjacet Consultæ, ac etiam Congregationi boni regiminis, & per consequens istud Gubernium resolvi videtur in quandam supraintendentiam pro aliquorum emolumentorum participatione.

Protector quoque Almæ Domus Lauretanæ, de cujus 60 jurisdictione agitur superius allegato *disc. 33. de jurisdict.* in eadem Urbe aliquam jurisdictionem exercere solet, præsertim commissionis causarum, quod pariter competit ex indulto speciali, ad cujus limites intelligendum ac practicandum venit, cum similibus, si quæ adsunt quibus eædem congruunt rationes, ad quorum limites totum practicandum est; Atque ex his liquet quam magna sit istius Civitatis monstruositas circa tot tribunalium, & jurisdictionum multiplicitatem damnatione vere dignam, & per consequens exigentem aliquam reformationem.

Quando autem præfati Cardinales Archipresbyteri Protectores, ac alii respective habeant in facultatibus cognoscendi, tam causas civiles, quam criminales; deputare solent diversos judices, unum nempe in civilibus, & alterum in criminalibus, cum ex Curiæ stylo hujusmodi causæ omnino distinctæ reputentur, ac propterea oriri solet quæstio, de qua *disc. 77. 79. & 81. de jurisdict.* & alibi, an causa potius ad unum quam ad alterum judicem pertineat, & quando civilis præjudicet criminali, eamque usque ad illius exitum silere faciat, & tunc idem Cardinalis Protector gerere solet partes, ac vices Signaturæ, ideque non videtur a jure exorbitare, cum sit utriusque superior, dummodo sit in ea instantia, ad quam joris facultates extenduntur, atque contentio sit inter Judices ab ipso pariformiter deputatos.

In hoc autem proposito cognitionis causarum criminalium, atque in eis rescribendi, opinio viget in Curia 61 apud superficiales, quod plena Signatura Justitiæ non potest se ingerere in hujusmodi causis criminalibus, neque in eis habet jurisdictionem, quæ sola est Præfecti, vel ejus Auditoris. Verum quando coram me de hoc disputari contingit, advertere consuevi, quod istud est æquivocum consuetum pabulum superficialium, qui tanquam simplices testes ab auditu nihil sciunt per rationes, vel per principia. Improprium etenim est, quod majorem jurisdictionem, & prærogativam habeat solus Præfectus, vel ejus Auditor, quam habeat totum plenum Tribunal constitutum ex eodem Præfecto, & tresdecim Prælatis, & quod dici potest ipsius Præfecti quodammodo superior, dum ab ejus decretis, & provisionibus recurritur ad plenam Signaturam, quæ frequenter retractat, vel moderatur ab eo gesta; Sed id provenit a quadam provisione facta per Innocentium X. laudabiliter quidem, ac prudenter, ne scilicet occasione hujusmodi disputationum in plena Signatura pandantur processuum informativorum secreta, dum est anima causarum criminalium, usquequo post inquisiti constitutum, sive examen sequatur legitimatio processus, qui publicetur, atque his terminis retentis, & quando ista ratio intrat, bene procedit ac servari debet; Sed quando ista ratio cessat, quia nempe processus jam publicatus esset, magis vero, si ad condemnationem, vel absolutionem est deventum, vel alias facti circumstantiæ præbent, quod præfata ratio nullatenus intret, tunc non videtur quid prohibeat quin Tribunal Signaturæ desuper manus apponere valeat ex regula *cum cessante &c.* Ideoque iste videtur consuetus error superficialium, qui absque

aliquo discursu, vel ratiocinio, cum ea procedunt generalitate quod in causis criminalibus Signatura caret jurisdictione, quoniam dum ejus Præfectus illam exercet, dici non potest quod Tribunal non competat, sed intelligendum venit ad limites rationis, cui dicta provisio Apostolica prudenter est innixa.

Hæc sunt, quæ in ea magna temporis angustia, quæ
63 Curiæ innotescit, & quantum jam labentis memoriæ beneficium concedere potuit, adnotare visum est in hac materia competentiæ fori. Totum tamen in sola ratione discursiva, seu motivandi ad veritatem eruendam, ac firmandam, ut ita calumniis occurratur, atque justitia suum habeat cursum a calumniantium subterfugiis non impeditum. Adhuc tamen me promptum declarando libenter mutare consilium, quando adæquatas audiam responsiones, quoniam meum non est propositum, nec quidem in minimo dictis jurisdictionibus præjudicare, sed potius eas conservere, ac sustinere, sed solum, ut justitiæ ac veritati pro mei muneris debito inserviatur.

Communicavi ergo hunc discursum, ut præmissum est, plerisque Auditoribus, & ministris Cardinalium, Archipresbyterorum, & Protectorum, & aliquarum Congregationum, ex jam insinuato fine inquirendi veritatem pro servitio justitiæ, qua salva, me obsequentem declaravi erga hujusmodi jurisdictiones, & prærogativas tuendas potius, & amplirandas quam delendas, vel restringendas; Hucusque tamen, dum impressor est impatiens, responsiones non vidi, in discursu separato eas adnotaturus pro declaratione eorum, quæ in isto ex protestata ratione motivandi dicuntur in aliis operibus, quando Deo placeat id concedere.

S U M M A,

S I V E

C O M P E N D I U M,

Eorum, quæ in Foro magis practicabilia continentur in Parte I. Libri XV. de Judiciis.

I.

De pluribus judiciorum speciebus, ac distinctionibus; Et de quibus in præsenti agatur; Et de personis ex quibus judicium constituitur, aliisque ad materiæ introductionem, *a n. 1. ad 7.*

II.

De Actore, & Reo, quisnam unius, vel alterius personam gerat: Et de effectibus ex una, vel altera personarum specie resultantibus, *a n. 8. ad 19.*

III.

De Judice competente, vel incompetente; Ac de Assessore, & Notario, aliisque executoribus, & ministris Judicis, *a n. 20. ad 28.*

IV.

De litis, vel causæ introductione, & contestatione, ac duratione, vel respective extinctione, vel cessatione; Et de exceptionibus dilatoriis, vel peremptoriis judicii egressum, vel progressum impedientibus, *a num. 29. ad 40.*

V.

De judicio contumaciali, seu per contradictas, istaque occasione de legitima Partis citatione, *a n. 41. ad 59.*

VI.

De aliis personis Actori, & Reo in judicio assistentibus, Procuratoribus nempe ac litium Actoribus, & Curatoribus, *a n. 60. ad 69.*

VII.

De probationibus, earumque variis speciebus præsertim vero de illa per testes, & per scripturas, quæ remissoriæ, & compulsoriæ quæstiones producit, *a num. 70. ad 102.*

VIII.

De aliis actis, & contingentiis usque ad processus compilationem, ac sententiæ prolationem, *a n. 103. ad 110.*

IX.

De sententia, ejusque diversis speciebus, ac effectibus; illo præsertim, an per eam judicis officium peractum, ejusque jurisdictio consumpta sit, ut eam revocare non liceat? Et de re judicata, vel tribus conformibus, *a num. 111. ad 122.*

X.

De tribus, nullitatis, appellationis, & restitutionis in integrum remediis adversus judicatum competentibus; Et de aliis modificativis remediis, vel exceptionibus ejusdem judicati impedientibus executionem, *a num. 123. ad 147.*

XI.

De judicati executione, atque istius variis speciebus, personalis nempe, realis, & spiritualis, ac de realis consummatione per subhastationem, vel adjudicationem, *a n. 148. ad 161.*

XII.

De attentatis, eorumque effectibus, & revocatione, *a n. 162. ad 185.*

XIII.

De fructuum restitutione, ac expensarum, aliorumque damnorum, & interesse refectione per Victum Victori facienda, *a n. 176. ad 183.*

XIV.

De judiciis, executivis, & privilegiis tam in prophanis, quam in spiritualibus, vel beneficialibus, *a num. 184. ad 201.*

XV.

De judiciis possessoriis, eorumque diversis speciebus, ac privilegiis, *a n. 202. ad 212.*

S U M-

SUMMARIUM.

I.

1 De quibus judiciis agatur.
2 De distinctione generica judiciorum criminalium & civilium.
3 De tribus personis substantialibus judiciis, ac praecise necessariis.
4 De aliis personis, quae sunt praedictarum adjutrices, & comites.
5 Quomodo istae tres personae considerentur, etiam ubi nemine instante procedatur ex officio.
6 Quod non agatur de judiciis criminalibus, & de ratione.
7 De distinctione diversarum specierum judiciorum civilium.

II.

8 Actor est ille, qui primus comparet in judicio, & alterum provocet.
9 Sed quando iste primus sit reus in judicio jactationis, vel diffamationis.
10 De Reo voluntario, qui Actoris potius jure est censendus.
11 Actor sequatur forum Rei, in quo illum convenire debet.
12 Actoris est electio inter plures judices aeque competentes.
13 Actor non cumulat actiones contrarias, Reus autem cumulat exceptiones contrarias.
14 Impedimenta censurarum, & similia obstant Actori, sed non Reo.
15 De aliis obligationibus Actoris, non autem Rei.
16 Quando lis dicatur inducta quoad actorem, & quando quoad Reum, & n. 31.
17 Actori incumbit onus probandi, alias Reus vincit per non jus.
18 In dubio pro Reo, cui sufficit offuscare probationes Actoris.
19 Reus dicitur Actor circa onus probandi exceptionem ad elidendam actionem jam fundatam.

III.

20 Quis sit Judex.
21 De diversis judicii speciebus.
22 De recusatione judicis ex causa suspicionis.
23 De quaestionibus competentiae, vel incompetentiae.
24 Juris imperitus potest esse judex, sed habere debet Assessorem peritum.
25 De Assessore, & pertinentibus ad ejus materiam.
26 De Notario, ejusque materia.
27 De aliis ministris judicis inferioribus.
28 De substitutis, vel juvenibus Notariorum.

IV.

29 De libello necessario ad litis introductionem, & an hodie sit in usu?
30 De diversis stylis Tribunalium Curiae Romanae super litis introductione.
31 De distinctione inter Actorem, & Reum super litis introductione, de qua n. 16.
32 De reproductione citationis, vel monitorii.
33 De contestatione litis.
34 De exceptionibus dilatoriis litis ingressum, vel progressum impedientibus.
35 De aliis impedimentis, vel incidentibus, ac provisionibus praesertim sequestri, ac alimentorum, & sumptuum litis.
36 De peremptione instantiae, ejusque restitutione, sive insufflatione spiritus.
37 De jure canonico non perit instantia.
38 De litis desertione ob longissimum silentium.
39 De materia connexionis, vel praejudicialitatis, & pendentiae litis.
40 De exceptionibus peremptoriis.

V.

41 Finis citationis est comparitio, ideoque parte comparente non curatur, an causa legitima sit?
42 De effectu contumaciae, ut procedatur ad ulteriora sine aliis citationibus, vel cum illis per contradictas.
43 Qualis debeat esse citatio ad veram contumaciam contrahendam.
44 De probatione executae citationis, & an credatur Notario, vel Cursori?
45 De forma quam citatio judicis delegati habere debeat, & quando ea sperni possit.
46 De citatione in alieno territorio, vel in loco exempto. Card. de Luca, Lib. XV.
47 Terminus incompetens citationem invalidam reddit.
48 An incongruitas temporis citatum excuset?
49 Citatio debet esse personalis, & quando sufficiat domi, vel alias.
50 Sufficit citare Procuratorem generalem in Curia.
51 Procuratore mortuo, vel absente continuatur judicium contumaciale per contradictas.
52 In debito contracto in Curia sufficit citatio per diligentias.
53 De citatione per affixionem in locis convicinis ob non tutum accessum.
54 De citatione corporum universalium, puta Capituli, Collegii, Monasterii, populi.
55 An, & quando omnes interesse habentes sint, citandi, & quid operetur omissio citationis aliquorum?
56 An Princeps tollat citationem, vel ejus defectum sanet?
57 De pluribus casibus, in quibus non requiratur citatio.
58 De citatione die feriata.
59 De circumductione citationis.

VI.

60 De personis assistentibus in judicio partibus litigantibus, & de earum diversa specie.
61 De curatoribus, & alteribus ad lites necessariis, ut sine eis judicium corruat, & de eorum materia.
62 De Procuratoribus ad lites, vel judicialibus causarum patronis.
63 Duplex datur Procurator, unus ad lites, & alter ad negotia.
64 De causis ob quas judicii nullitas deduci soleat ex defectu mandati.
65 De mandato praesumpto, quando adesse dicatur.
66 Quando mandatum censeatur revocatum.
67 Non sustinetur mandatum irrevocabile ad lites, ideoque illud semper revocari potest.
68 Quando mandatum non expiret per mortem, neque sit revocabile, ut cum procuratore domino litis effecto judicium prosequi valeat.
69 De eadem materia revocationis procuratoris, quomodo regulanda sit.

VII.

70 De pluribus, ac diversis speciebus probationis.
71 De confessione partis, ut omnium major probatio sit.
72 Confessio debet esse clara, & univoca in dubio favore confitentis interpretanda.
73 De confessione non admittenda ex defectu potestatis confitentis, & quando.
74 Confessio facta in judicio plene probat non docto de errore.
75 Quid de confessione extrajudiciali, ejusque probatione.
76 De interrogatoriis, actionibus, sive depositionibus.
77 De probatione per aspectum, seu rei evidentiam.
78 De probatione, quae fiat cum judicio, & relationibus peritorum, eorumque materia.
79 De juramento litis decisivo, vel suppletivo, aut in litem.
80 De duorum testium fide, & quando major, vel minor, numerus requiratur.
81 Quando etiam unicus testis sufficiat, & quando aliae exceptiones obstent, vel non obstent.
82 An testes teneantur assignare causam scientiae, distinguitur.
83 De exceptionibus personalibus testium.
84 Numerus testium, vel adminicula supplent exceptiones testium.
85 De requisitis necessariis, ut testis fidem faciat, beneque examinatus dicatur.
86 De remissoria materia, & quare desuper habeantur disputationes.
87 Quae sint causae spirituales, & quae prophanae ad hunc effectum.
88 De remissoria in prophanis, ejusque requisitis, & quando concedi, vel denegari debeat.
89 Et de alia remissoria in spiritualibus, ejusque requisitis.
90 De aliis ad materiam remissoriae.
91 Examen in Curia non solet denegari, & quando etiam denegetur.
92 Fides, vel attestationes privatae non probant, & quando secus.
93 De recognitione scripturae privatae, ejusque diversis modis.

182 De

182 *De fructuum liquidatione, & de appellatione ab ea.*

183 *De jure justa litigandi causa excusat ab expensis; secus autem de Curiæ stylo circa condemnationem, & taxam.*

XIV.

184 *Juris generica regula processum executivum excludit, ideoque ille qui prætendit casum limitatum, de illo docere debet.*

185 *De differentia inter jus civile, & canonicum in judiciis possessoriis, de Ægidiana.*

186 *De aliquibus casibus, in quibus juris communis dispositione attenta intret processus executivus, & de iis qui sine in quæstione.*

187 *Et de aliis casibus, in quibus idem processus intret ex communi consuetudine.*

188 *De obligatione Camerali, aliisque pactis executivis.*

189 *Quomodo in istis judiciis procedatur.*

190 *De causis executivis in actu visitationis, vel in materia immunitatis Ecclesiasticæ.*

191 *De processu executivo in provisionibus parochialium.*

192 *De aliis liberis provisionibus factis per Ordinarium.*

193 *Quid de institutione in beneficiis de jurepatronatus.*

194 *De via executiva literarum Apostolicarum, & de duplici executoris meri, & mixti specie.*

195 *De materia legitimi contradictoris.*

196 *De diversis speciebus literarum Apostolicarum, diversaque forma executionis, & processus.*

197 *De servatione terminorum, ac aliis servandis in hoc judicio.*

198 *De Ecclesiastica pensione habente idem privilegium processus executivi.*

199 *Aliis Principum literis, super gratiis, & privilegiis idem competit processus.*

200 *Etiam in præmissis casibus, in quibus executivus, ac privilegiatus intret processus, injustitia, vel turbiditas illum cessare facit.*

201 *De processus executivi præscriptione, seu vulneratione.*

202 *Diversa est causa possessorii ab illa petitorii, & de diversis speciebus possessorii adipiscendæ, recuperandæ, & retinendæ.*

203 *Primum adipiscendæ diversas habet species subalternas, quæ recensentur.*

204 *Quando istud adipiscendæ denegetur.*

205 *De altero recuperandæ ejusque privilegiis, & quando denegetur, & an præscribatur?*

206 *De altero retinendæ, ejusque diversis speciebus, & requisitis, ac privilegiis circaque materia.*

207 *Quare in curia magis practicetur manutentio, quam reintegratio.*

308 *In his judiciis possessoriis prius est procedendum, & non attenduntur exceptiones boni juris.*

209 *An, & quando intret appellatio suspensiva in omnibus possessoriis.*

210 *De manutentione, vel reintegratione adversus factum judicis.*

211 *Utriusque tamen judicii possessorii, & petitorii unus est judex.*

212 *De aliis ad materiam remissive.*

I.

De pluribus judiciorum speciebus, ac distinctionibus; Et de quibus in præsenti agatur; Et de personis, ex quibus judicium constituitur; aliisque ad materiæ introductionem.

1 Illa, inter plures, præsupposita hujus vocabuli significatione, ut forensem, seu contentiosum denotet actum, quo mediante, inter duos invicem contendentes, tertius, tanquam bonus vir pro justitiæ administratione, litem, seu quæstionem decidat, cuilibet quod suum est tribuendo. Duplicem magis genericam, idem vocabulum recipit distinctionem, quod scilicet aliud est judicium criminale pro delictis, seu criminibus puniendis, in qui-
2 bus offensus, vel injuratus, vel ejus vice fiscus, Actoris, delinquens autem, vel offensor personam Rei gerit; Et aliud est judicium civile, in quo de bonis animatis, vel inanimatis, vel de rebus, aut juribus corporalibus, vel incorporalibus, seu generaliter de meo, & tuo inter duos contentio sit.

3 In utroque itaque trium personarum, unum, vel alte-

rum judicium efformantium, præcisus ac necessarius est concursus, quarum una Actoris, altera Rei, & altera Judicis nomen, seu vocabulum habent; Quamvis etenim aliæ in hac scena dignosci soleant personæ, istæ tamen comites, vel adjutrices, trium præmissarum substantialium personarum dicuntur; Ut respectu Judicis sunt, Assessor, & Notarius, aliique inferiores ministri, & executores, qui de Judicis familia dicuntur; Respectu vero Partium contendentium, quibus præmissum Actoris, ac Rei nomen con- 4
gruit, sunt Advocati, Procuratores, Actores, Curatores, Periti, & testes hinc inde assumi, vel respective induci soliti.

Prout, licet in aliquibus judiciis criminalibus præsertim 5
duæ tantum personæ substantiales apparere videantur, Judicis nempe, & Rei, cum quo per inquisitionem, vel ex officio procedatur; Adhuc tamen altera, quamvis magis occulta, inest Actori persona, quam ipsamet Respublica, seu Justitia pro communi usu cujusdam publici Ministri, seu officialis organum explicat, cui Procuratoris, vel Promotoris fiscalis, aut Curiæ Promotoris, aliudve simile vocabulum pro diversis regionum moribus tribuitur.

De priori vero criminalium judiciorum genere, quod 6
aliud mixtum sub se complectitur, in Theatro non agitur, utpote ea tantum ad veritatem, ac justitiam expendente, quæ in foro tractare dederit occasio, pro genio, Romanæque Curiæ frequentiori stylo, ad unum tantum civilium genus restricta, ideoque de isto civilium sermo tantum erit, ut ea quæ in Theatro adsunt, sub isto insinuentur compendio. a

Illud autem civilium judiciorum genus alteram genericam recipit distinctionem, quod nempe alia sint spiritualia, seu ecclesiastica; Alia vero prophana, seu temporalia sub civilium tamen magis generico vocabulo, ad criminalium differentiam, æque venientia, spiritualia vero sunt quæ spirituales, & Ecclesiasticas concernunt materias, prophana vero quæ temporales, ac indifferentes.

Quamvis etenim ex Romanæ Curiæ peculiari stylo, seu loquendi usu, ad certos remissoriæ, & compulsoriæ effectus, diversa adhibeatur distinctio, seu diversus sit loquendi usus, quod nempe, sub spiritualium genere, beneficiales tantum causæ veniant, sub prophanarum vero, omnes aliæ, in quibus de non beneficialibus agatur; specialis tamen ad certos enunciatos effectus stylus est, eandem tamen Curia adhibet distinctionem, ex causarum natura resultantem. b

Unum vero, vel alterum prophanorum, vel spiritualium judiciorum genus æqualiter in plures dividitur; Alia namque est species judicii ordinarii, quod petitorii quoque dici solet; Et altera summarii, quod duplicem habet diversam nuncupationem, possessorii scilicet, & executivi; Altera quoque distinctione cadente inter judicium reale, & personale, cum ea mixta specie, cui personalis in rem scripti, vel rei persecutorii nomen congruit.

Eaque species, quæ possessorii judicii dicitur, in tres alias distinguitur species subalternas, quarum una adipiscendæ; Altera recuperandæ; Et altera retinendæ possessionis appellatur; Ipsarumque singulæ, alias adhuc recipiunt distinctiones; Ultima præsertim retinendæ, ut aliud sit summarium, vel summariissimum, alterum vero plenarium, quamvis in Romana Curia hæc distinctio ab aula recessisse videatur.

Prout prima adipiscendæ species, diversa sortitur vocabula, seu diversas habet vias, quæ diversos producunt effectus, diversumque habent ordinem; Una etenim fuit hypothecariæ; Altera salviani; Altera associationis; Altera tenutæ; Altera remedii legis finalis; Altera interdicti quorum bonorum, vel quorum legatorum; Et altera primi, vel secundi decreti vocabulis, aliisque similibus pro diversis regionum, vel Tribunalium loquendi usibus, explicari solent; Omnes tamen istæ, vel similes species etiam illa juri communi ignota, quæ pro beneficii, vel pensionis assecutione aliarumve Apostolicarum literarum executione practicari solet, sub eodem generico omnium complexivo vocabulo immissionis, pro Curiæ loquendi usu explicantur. c

a *de Judicio & praxi criminali agitur in tractatu, qui dicitur.*

b *hoc tit. disc. 31.* Il Dottor volgare, *hoc eod. lib. 15.*

c *disc. 1. hoc tit.*

II.

De Actore, & de Reo, quisnam, unius, vel alterius personam gerat; Et de effectibus ex una, vel altera personarum specie resultantibus.

ACtoris personam, pro generica frequentiori regula,
ille gerere dicitur, qui prior coram Judice compa-
rens, atque aemulam ad judicium provocet, qui proinde
Reus dicitur, utpote conventus, vel provocatus.

Quandoque vero, in oppositum se res habet, ut qui
9 prior in judicio comparet, atque alterum provocat, quam-
vis apparenter actoris personam gerere videatur, ubi ta-
men controversiae rei, vel juris esset possessor, ideoque suae
possessionis, vel pertinentiae tuendae, vel confirmandae
gratia, alterum, qui molestias jactaverit, procurare stu-
deat in eo remedio, quod diffamationis, vel jactatio-
num dicitur, ex veriori, magisque recepta sententia, (ubi
tamen possessor sit, & non alias,) Rei potius personam
gerat, provocatus autem illam actoris.

Altera quoque datur species, in qua provocatus ap-
10 parenter dicatur Reus, ipsa tamen re, sit Actor; Eique
voluntaris non autem necessaris Rei nomen, seu vocabu-
lum tribui solet; Ubi nempe ad judicium aliquis invitetur
non cogendus, neque contumax reputandus, minusque in
aliquo condemnandus, sed quatenus sua putaverit inter-
esse, voluntarie ad illud venturus, suaque deducturus ju-
ra, quae habere praetendat, jura in judicium cum diverso
necessario Rei deducta, ne se inauditum dicere valeat,
ideoque tanquam novus, peractum, atque completum
judicium eludere.

11 Quamplures autem, ex una, vel altera persona resul-
tant effectus, nimiumque propterea refert unam, vel alte-
ram geri; Potissime vero super Judicis, vel fori competen-
tia, ubi inter Actorem, & Reum omnimoda dignoscatur
fori diversitas, quia nempe unus Ecclesiastico, alter ve-
ro laicali subjaceat foro, ut actor reum in suo foro con-
venire debeat, non autem ad proprium illum trahere va-
leat, nisi peculiare privilegium, ab eo concessum, qui
legitimam habeat potestatem, hujus regulae limitatione
suadeat; Ideoque laicus possessor Clericum jactantem, seu
alias jus aliquod habere praetandentem, in proprio laicali
provocat foro, & tanquam actorem potius quam reum,
& a converso; Idemque fortius in aliis fori speciebus, in
quibus non adeo urget omnimoda resistentia.

Alter est effectus electionis Judicis, inter plures ejusdem
12 fori aeque competentes, ut ea sit Actoris, nisi Rei praeven-
tiva diligentia, hujus regulae suadeat limitationem, quia
nempe possessor, in praemisso diffamationum, vel jacta-
tionum remedio, formidatum, vel jactatum provocet
Actorem.

In actionum, vel exceptionum cumulo, inter Acto-
13 rem, & Reum, ea dignoscitur differentia, quod actor
contrarias non cumulat actiones; Et quamvis diversas
cumulandi tribuatur facultas; Reo tamen petente, ad u-
nam se restringere tenetur; E converso autem Reus plu-
res, nedum diversas, sed etiam contrarias deducit exce-
ptiones.

Super impedimentis, quae ex censuris aliisque similibus
14 criminibus, vel objectis eadem viget differentia; Excom-
municatus etenim tanquam actor in judicio, non admitti-
tur, neque alium provocare valet, sive jam coeptum judi-
cium prosequi, quod facit reus, censurarum impedimen-
to non obstante; Idemque in aliis impedimentis.

Pro locorum item diversis moribus, vel stylis eadem di-
15 gnosci solet differentia, super juramento calumniae prae-
stando, vel expensarum cautionis obligatione, aliisque si-
milibus, quae Actori, non autem Reo incumbant.

Aliave super litis introductione, vel pendentia dignosci-
16 tur differentia, ut quoad actorem, sola libelli oblatio, vel
monitorii, seu commissionis, aut alterius consimilis pro-
vocationis impetratio, litis inducat pendentiam; Quoad
Reum vero, citatio legitime executa necessaria sit, ut ejus
scientia, vel illegitima executio non sufficiat.

Omnium vero major, atque in foro frequentior, ille
17 dicitur effectus, qui probationis onus percutit; Actori et-
enim probandi onus incumbit, id quod pro suae actionis,
vel intentionis fundamento, in judicio inducat, itaque
probatio perfecta, & concludens esse debet; Alias et-
enim reus, absque aliqua sui juris, vel exceptionis justi-
ficatione per non jus actoris, sive ex concludentis pro-
bationis defectu, (ut dicitur) fugiendo vincit.

Paribus item hinc inde colluctantibus probationibus,
potior est causa rei, pro quo in dubio est judicandum; 18
Quinimo neque probationum paritas in reo desideran-
da est, eas etenim ita facere, vel habere sufficit, per
quas Actoris probatio turbida, seu imperfecta efficiatur,
ita impediendo actorem, ne suas probationes ad perfe-
ctionis gradum, seu metam reducat.

Quandoque tamen, in hoc probationum onere, vel ef-
fectu, reus Actoris, & e converso, Actor rei personam 19
gerere dicitur; Ubi nempe Actor jam perfectas, & con-
cludentes suas fecerit probationes, suamque bene fundave-
rit actionem, illam in juris regula, vel assistentia funda-
tam jam habeat, Reus vero cum exceptione illam elide-
re autumet, cum tunc in exceptione Actor dicatur, ideo-
que concludentis probationis onere gravetur, ut parifor-
miter in ipso eadem procedant, quae in Actore dicta sunt;
Idemque in ipso Actore, qui replicando concludenter a
reo probatam exceptionem elidere velit; Cum aliis minus
in praxi frequentibus effectibus in sua sede deductis. d

d *disc. 2. hoc tit.*

III.

De Judice competente, vel incompetente: Ac de Assessore, & Notario, aliisque executoribus, & ministris Judicis.

JUdex est ille, qui recti, & aequi amator, bonus vir
a lege appellatus, omni postposita affectione, tan- 20
quam justitiae minister, quod suum est cuique tribuere,
atque litium est decisor.

Dupliciter autem iste Judex constitui solet; Primo nem-
pe Principis, vel Reipublicae auctoritate, qui propterea 21
necessarius, etiam nolentium sit Judex, ac superior; Et
secundo ex ipsarum contendentium partium electione,
quia nempe concorditer aliquem privatae conditionis vi-
rum sibi ipsis ex mutuo consensu, vel ex parte legis praece-
pto, judicem statuerint, istaque posterior species sub Ar-
bitri potius, vel Arbitratoris vocabulo ex communi usu ex-
plicatur, Judicis nomine, seu vocabulo proprie illi con-
gruente, qui publica sit auctoritate deputatus.

Isteque duplicem pariter habet speciem, Ordinarii nem-
pe, & Delegan; Pluribus vigentibus differentiis inter u- 22
nam, & alteram speciem, de quibus in progressu: Prae-
sertim vero in recusatione ex causa suspicionis, ut in Or-
dinario legitimae causae allegatio, ac probatio desideren-
tur, non autem in Delegato, nisi etiam in Ordinario, a-
liter suadeat consuetudo, ut praesertim in Romana Cu-
ria viget, quod etiam sine causae allegatione, ac probatio-
ne re integra, consensu in jurisdictionem non accedente,
recusandi aliquos Judices etiam ordinarios, magis vero de-
legatos re integra sine causa concedatur facultas: Quando
autem res integra non sit in utroque pariformiter justa cau-
sa, quae de novo supervenerit, sive quae de novo innotue-
rit, desideratur ex regula ut semel approbatus Judex non
recusetur; Nimium tamen in Curia hujusmodi quaestiones
rarae sunt; Vel quia Judices de facili abstinent ad omnem
Partium suspicionem removendam, vel quia in quadam
extrajudiciali potius forma summarie deciduntur, adeout
Bulla, vel multum rara desuper audiatur formalis quaestio
judicialis. Ideoque parum de recusationis causis agitur,
certam tunc genericam non habentibus regulam, utpote
ad individuorum casuum circumstantiis normam recipien-
tibus, ac propterea in sua sede videndum est. e

Competentiae vero, vel incompetentiae quaestiones, fre-
quentius habentur, praesertim pro causarum cognitione in
prima instantia in partibus coram locorum Ordinariis ha- 23
benda, sive ratione majoris competentiae, quae inter plu-
res aeque competens ex aliqua circumstantia detur, ra-
tione scilicet connexionis, vel praejudicialitatis, vel con-
tinentiae causae; De his autem, ac similibus in sua peculia-
ri jurisdictionis, ac fori competentiae actum est sede, in qua
videndum est.

Juris imperitus Judex esse non prohibetur, sub ea tamen
lege, ut jurisperitum in consiliarium assumat, vel assesso- 24
rem; Isteque pariter duplicem habet speciem, publicam
scilicet, ac generalem, quia nempe, Judicis, vel magi-
stratus adinstar, a Republica, vel a Principe, aliove supe-
riore Magistratu, ad quem pertineat, ad causarum univer-
sitatem Ordinarius Assessor deputatus fuerit; Et privatam,
quia

quia in singulis causis per Judicem, vel magistratum assumatur; Eadem proinde cadente differentia, quæ inter Ordinarium, ac particularem Delegatum insinuata est, ut posterior, etiam sine causæ allegatione, ac probatione, re integra recusetur, prior vero non, consuetudine aliter non suadente, ut Curia suadet.

25 Illa item qualitas clericalis, vel ecclesiastica, quæ in Ecclesiastici, vel spiritualis fori causis in Judice desideratur, in Assessore necessaria non est; Atque locorum, vel Tribunalium styli quæstiones decidunt super forma præstationis voti, per Assessorem faciendæ; sive an idem votum ante sententiæ prolationem a Judice faciendam appellationem admittat; Ideoque præmissis, ac similibus certa, ac generalis non habetur statuta regula, cum a locorum, vel Tribunalium stylis, quibus deferendum est totum pendeat. [g]

26 Notarium, qui judicii acta conscribat, sub diversis Actuarii, Cancellarii, Secretarii, actorum Magistri, ac scribæ, similibusque vocabulis pro diversis regionum moribus appellari solitum, lex præcise necessarium non statuit, cum ipse Judex per se ipsum conscribere, atque judicii acta gerere valeat, ipsasque sententias proferre, & publicare, ideoque præmissæ tres personæ tantum, Actoris scilicet, Rei, & Judicis, pro judicii substantia necessariæ reputantur; Communi tamen usu, quandam induxit necessitatem, ut propterea ista quarta persona, tribus adaucta videatur, dum nulla pene dari videatur causa, quæ judicialem habeat cognitionem, absque Notario, qui pro eodem communi usu eandem, quam Judex duplicem habet speciem, publici scilicet, ac generalis ad universitatem causarum, publica auctoritate deputati; Et privati, seu particularis, pro certis causis assumpti; Idque pariter certam ac genericam non recipit regulam, cum a locorum, ac Tribunalium stylis totum pendeat.

Juris autem communis attentis generalibus regulis eadem in Notario, quæ in Assessore procedit recusandi facultas absque causa, re tamen integra, ubi loci consuetudo aliter non suadeat. [h]

27 In aliis vero Judicis inferioribus ministris, qui de ipsius familia dicuntur, raræ sunt in civilibus quæstiones in criminalibus frequentius cadere solitæ, super fide ei præstanda; illæ siquidem, quæ in civilibus cadunt quæstiones super fide inferioribus præstanda, citationis executionem percutiunt in ejusdem citationis particulari rubrica inferius insinuatæ.

28 Pro Curiæ item stylo super Notarii subditorum, vel Juvenum fide quæstiones quandoque forus audit, certam, ac genericam non de facili recipientes regulam, vel decisionem a facti circumstantiis pendentem, ideoque pro casuum opportunitate in sua sede videndum est, tam circa fidem eis præstandam, quam circa Notarii præponentis obligationem pro eorum culpis, ac defectibus, qui in omittendo, vel committendo consistunt. [i]

a *disc. 3. ex n. 63.* f *tit. de Jurisd. disc. 74. & seqq. & d. disc. 43. hoc tit.* g *disc. 4. hoc tit.*
h *disc. 5. hoc tit.* i *disc. 5.*

IV.

De litis, vel causæ introductione, & contestatione, ac duratione, vel respective extinctione, vel cessatione: Et de exceptionibus dilatoriis, vel peremptoriis judicii ingressum, vel processum impedientibus.

29 Quamvis civili Romanorum jure attento litibus, vel judiciis initium, vel introductionem præbeat libellus, sub certis solemnitatibus concipiendus, ac exhibendus; Pene tamen universalis usus, hujusmodi abolevit solemnitates, ac antiquas superstitiones, ut qualis petitio sit per Actorem facta, ita explicata, ut Reus conventus quid petatur intelligat, ideoque an cedendum, vel concedendum sit, deliberare valeat, libelli vicem habeat, eundemque operetur effectum, ubi de ordinariis agatur judiciis, sive de illis summariis, in quibus pro Tribunalium stylo, eadem quoque, vel æquipollens adhibeatur petitionis forma, cum in vero summariis, & executivis simplex citatio coram Judice facta, libello, vel petitioni æquipolleat. [k]

30 Diversas autem formas, vel species pro Tribunalium diversis stylis hujusmodi petitiones habent, de Romanæ autem Curiæ praxi agendo in aliquibus Tribunalibus, in illo præsertim Capitolini fori, quod antiquarum juris civilis Romanorum superstitiones, aliquas retinendo reliquias, antiqui solemnis libelli adhibetur forma, vel imago; In aliis autem, Auditoris Cameræ, Vicarii, Camerarii, Thesaurarii, & Gubernatoris, aliisque illo præsertim Ædilium, adhibetur monitorium, quod libelli vicem habet, ejusque loco cedit; In Tribunali autem Rotæ, vel in Cardinalibus, & Prælatis ex Apostolica delegatione particularium aliquarum causarum cognitionem habentibus per commissionem, quæ eadem libelli obtinet vicem, ac operatur effectum; In Tribunali autem Cameræ Apostolicæ, commissionis vice, alter succedit actus, cui propositionis vocabulum tribuitur; Hujusmodi non cadentibus terminis in illis causis, quæ in Sacris agantur Cardinalinis Congregationibus, utpote judicii formam, vel figuram non habentibus, ideoque in extrajudicialis recursus forma supplices adhibentur libelli. [l]

Pro litis autem, vel causæ intentu, vel introductione, ea superius insinuata est differentia, quæ inter Actorem, & Reum viget, ut quoad Actorem, sola libelli, vel petitionis oblatio, aut commissionis, vel monitorii obtentio, litem inducat, suosque consuetos, illum præsertim malæ fidei, inducat effectus; Quoad reum vero, legitima requiratur demandatæ citationis ad commissionis, vel monitorii normam executio, Extrajudiciali non refragante scientia. 31

Quamvis autem, post legitime executam citationem, alterum a practicis reproductionis desideretur requisitum, illud tamen ad Judicis potius statuendam jurisdictionem requisitum est, juxta declarationes in sua sede latius habitas, ibique videndas, utpote non de facili sub compendio explicabiles. 32

Aliam quoque eadem Romanorum civilis lex solemnitatem introduxit, quæ contestationis litis dicitur, ut tanquam per stipulationis speciem, Actori interroganti, Reus affirmando, vel negando respondeat, atque super hujusmodi personarum conjunctione, actusque perfectione non modica sequebatur temporis jactura, calumniatorumque alumnoia; Istam itaque formalitatem, ubique merito praxis abolevit, præsertim vero in Romana Curia, cui magis cordi est calumniantium occurrere subterfugiis, ideoque primus ille actus, fori non declinativus, quem Reus conventus ad judicium evocatus agat, hujus contestationis vim habet. [m] 33

Litis itaque iam introductæ, ingressum, vel progressum plures impedire solent exceptiones, quæ ex Rei conventi parte opponantur, quæ dilatoriæ, ac respective peremptoriæ, seu præjudiciales pro diverso locorum, ac Tribunalium stylo appellantur, diversasque pro eadem styli diversitate species habent, vel formas; Ut sunt præsertim exceptiones incompetentiæ fori, vel judicis, vel connexionis, ac præjudicialitatis, ob diversam litem coram diverso judice pendentem, sive præstationis juramenti calumniæ, vel cautionis expensarum, aut Rei conventi privilegium ratione publici Magistratus, quem exerceat, ut eo durante ad judicium evocari non valeat, vel simile privilegium; Aut illa legitimationis personæ, sive inhabilitatis Actoris, qui in judicio esse non valeat ratione excommunicationis, vel spolii, aut attentatorum, vel recursus ad laicos, aut perjurii, vel contumaciæ cum similibus; Atque pro frequentiori Curiæ praxi, ob impedimentum, quod præjudiciales clausulæ præbent, ut sunt clausula sublata, & decretum irritans, ex quibus Judicis, & partis os clausum, manusque ligatæ dicuntur, ideoque Papam adire oportet, pro apertione oris, ac habilitatione. [o] 34

Incidentia quoque resultant, quæ litis, seu processus cursum impediunt, puta admissionis tertii ad causam, super qua ille se opponente, cujus non admitti interest, disputationes assumi solent dilationem inducentes super interesse existentia. [p]

Petitæ provisiones, disputationes quoque ansam præbent, causæ cursum impedientes, puta sequestri provisionalis, vel alterius, quod Clementinæ dicitur; Utrumque etenim regulariter prohibitum est, in plerisque tamen casibus permissum, pro facti qualitate, & circumstantiis, Judicis arbitrio pensandis; Certa proinde desuper non cadente regula; Ideoque causæ cursus impeditur, donec hæc sequatur, [q] sive ubi alimentorum, ac sumptuum litis fiat petitio ratione paupertatis, conjunctæ cum bono jure, quorum utrumque justificandi onus petenti incumbit; Idque pariter facti potius quam juris est, ex facti qualitate, & circumstantiis decidendum; proindeque certam non recipit 34

pit regulam, sed pro casuum contingentiis, & opportunitate sua sede videndum. r

36 In aliis locis, vel Tribunalibus, in quibus legum civilium servetur dispositio, peremptionis instantiæ, ob silentium triennale in prima, & biennale in secunda, objectum ex parte rei conventi, ad litis cursum impediendum deduci solet, ideoque super causis exceptivis, istumque peremptionis effectum impedientibus, disputationes cadunt, eundem dilatorium operantes effectum; Vel peremptione posita, super ea restitutione, per supremum Principem, vel majorem magistrum, ad quem pertinent, concedi solita, quæ spiritus infusstatio, pro aliquorum locorum, vel Tribunalium moribus dicitur. f

37 Istas tamen quæstiones Romana Curia, totusque Ecclesiasticus forus non audit, ob juris canonici, cum quo vivitur, dispositionem, quæ ex veriori magisque recepta sententia, istam impedit peremptionem, atque instantiam efficit perpetuam.

38 Adhuc tamen isto retento præsupposito explicitæ cessionis, vel renunciationis litis, quæstiones cadunt, quę facti potius, quam juris pro facti qualitate pendent; Sive illius implicitæ concessionis, vel extinctionis, cui desertionis vocabulum tribui solet, ob litem diu neglectam, ac derelictam; Id autem duo copulative desiderat requisita ad praxim raro deducibilia, longissimum scilicet, ad minus triennale silentium, & malum jus, aliis non exclusis probationis modis, vel speciebus, eundem desertionis animum justificantibus. t

39 Super enunciata litis pendentiæ, vel connexionis, aut præjudicialitatis exceptione, frequentes cadunt quæstiones, eundem dilatorium pariter producentes effectum, an ea triplex copulativa verificetur identitas, personarum scilicet, rei, & actionis, quæ veram inducit continentiam, sive litis pendentiæ exceptionem; Sive an ea vere connexio, vel præjudicialitas, quæ super eodem individuo puncto contrarias parere possit sententias, vel quod actionis amissionem, aut suspensionem producat; Aut quod unius causæ determinatio, rei judicatæ exceptionem in altera producat, atque statum faciat, de his autem in jurisdictionali materia sub fori competentiæ inspectione habetur latius actum. u

40 Peremptoriæ quoque exceptiones facti pariter, potius quam juris quæstiones continent, ideoque genericam, ac certam non admittentes regulam, sed ex facti qualitate, & circumstantiis expectantes decisionem, ut præscriptionis, vel transactionis, aut solutionis, vel compensationis, sive confusionis actionum exceptiones, aliæve similes esse solent in suis respective sedibus peractæ. x

K *disc.* 8. l *ibidem* in *d. disc* 7.
n *ibidem*. o *disc* 20. *hoc tit. disc.* 50. *de Pens. & disc.* 50. *in Relat. Curiæ*.
p *disc.* 17. *hoc tit.* q *disc.* 31. r *disc.* 14.
f *d. disc.* 7. *hoc tit.* t *ibidem*.
u *disc.* 74. & 76. *de Jurisd.* x *disc.* 20. *hoc tit.*

V.

De Judicio contumaciali, seu per contradictas, istaque occasione de legitima Partis citatione.

41 CUm præsupposito, quod colligans, ad judicium evocatus compareat, præmissasque dilatorias, vel peremptorias exceptiones opponat, quæstiones cadunt, præcedenti rubrica insinuatæ; Istoque casu, nulla citationis legitime decretæ, vel executæ cadit inspectio; Cum etenim citationis finis, vel effectus partis comparitio sit isto proinde accedente effectu, non curatur modus.

Quia vero ad judicium evocatus, qui parere, vel com-
42 parere, præfinito tempore negligat, contumax reputatur, illeque est contumaciæ effectus, ut fictam inducat præsentiam, ideoque in aliis actibus, totiusque processus progressu, amplius eum citare non oporteat, ex Urbano stylo Romanæ Curiæ quibusdam in ipsamet fieri solitis citationibus, vel formalitatibus adhibeti, quæ per contradictas dicuntur, ut propterea semel citatus, atque ob non comparitionem contumax effectus rei judicatæ, ejusque executionis patiatur effectum, nisi in re integra, ante scilicet sententiæ prolationem, comparendo, contumaciam cum expensarum refectione purget, juxta varios locorum, vel Tribunalium stylos. y

43 Hinc legitime executæ citationis quæstiones cadunt, cum ad hujusmodi veram contrahendam contumaciam omnino vera, ac certa desideretur scientia, ad cujus effectum personalis requisita est citatio, ita bene concepta, ac legitime executa, ut citatus agnoscat, se non comparentem, in contumaciam, ad ea quæ in citatione continentur, non tamen ultra, licite condemnandum fore.

Duplicem vero speciem illegitimæ citationis, vel executionis quæstiones habent; Unam nempe puri facti, super illius jam executæ probatione, & an executoris, vel Notarii credendum sit relationi; Alteram vero, quę aliquam juris admixtam habeat inspectionem, an scilicet executionis de facto, de qua non dubitetur justificatione posita, valida tamen, ac legitima censenda sit, ut præmissum contumaciæ producat effectum.

Prior nudi facti, vel probationis inspectio certam non 44
recipit regulam, cum juxta genericam facti quæstionum naturam, & ab ejus circumstantiis decisionem recipiat, ac etiam a locorum, & Tribunalium legibus, vel stylis, cum quibus procedendum est; Aliquibus in sua sede insinuatis propositionibus compendio non de facili congruis, cum quibus, particulari stylo cessante, sive eo dubio existente procedendum sit. z

Probationum etenim materia generalem non habet regulam; sed Judicis prudenti commissa est arbitrio in singulis quibusque casibus pro facti qualitate regulando, an scilicet soli Cursori, vel Nuncio sine testibus, vel Notario de executoris facto attestantis deferendum veniat.

In altera vero inspectione, quæ tam facti, quam juris 45
habet mixturam, quamplures cadere solent quæstiones, super Judicis citantis potissimum jurisdictione, vel competentia, adeout citatus illum impune spernere valeat; Vel quia licet ordinarii judicis certa, ac notoria incompetentia sit, ut illa laici cum Clerico esse solet; Vel quia de delegato Judice agatur; aliam cum citato jurisdictionem, vel competentiam non habente, nisi eam, quam specialis tribuat delegatio; Ut scilicet citatio non afficiat, nisi citato id innotescat ipsius delegationis in citatione inserto tenore, cum alias illum tanquam privatum contemnere liceat; Aliquas tamen hujusmodi propositiones pro diversis locorum moribus, vel stylis patiente limitationes, certam proinde normam non habentes; Ubi nempe delegante præsente in loco, delegatus talem se asserat; Sive ubi ejus dignitas, vel eximia qualitas fidem exigat; Aut ubi ad causarum universitatem delegatio sit; Vel alia occasione citatio jam cognita, cum similibus limitationibus, quę ex facti qualitate, vel stylis resultent.

Competentis item Judicis citatio illegitima, seu inefficax, ratione loci esse solet, quia nempe extra proprium
territorium, suamque jurisdictionem sine illius territorii 46
domini, vel Magistratus licentia, decreta sit; Ubi vero in proprio decreta territorio sit, in alieno autem, sive in exempto loco sit executa, ex veriori, magisque recepta sententia afficit, suosque operatur effectus.

Termini etiam incongruentia citationem inefficacem reddere solet, quia nempe nimium brevem contineat terminum, intra quem citato comparere volenti impossibilis
reddatur accessus; Ista etenim competentis termini præ- 47
finitio, citatum omnino excusabilem reddit, ut neque post illum decursum terminum, qui competens esset contumax valeat reputari.

Temporis item incongruitas, eandem pro locorum legibus, vel moribus, parere solet effectum, quia nempe aeris insalubritas, sive divini, vel humani belli ca-
sus justum præbeat impedimentum; Raram tamen in ci- 48
vilibus ista excusationis species praxim habet, in criminalibus potius, in quibus personalis demandetur comparitio, sub quæstione cadere soleat, cum in civilibus absque personali accessu, per literas procurator constitui valeat; Idemque si illud vigeat impedimentum, quod sub genere non tuti accessus cadat, sive carcerationis, vel infirmæ valetudinis.

Modus quoque citationem reddit inefficacem, quia nempe personaliter facta non sit, ut ex jam insinuatis pro juris regula requiritur, ad veram contrahendam contumaciam, quæ omnino veram, ac certam exigit scientiam; Ideoque illa citatio, quæ domi habitationis, vel in manibus domesticorum, aut in loco feudi, vel beneficii, sive per dicta executa, quandoque ex juris dispositione, vel ex Tribunalis stylo efficax reputari solet, ut præsertim in Curia Auditoris Cameræ, aliorumque Magistratuum Tribunalia, ad istum contumacialis, vel contradictarum judicii effectum non sufficit; tunc etenim suam faciunt operatio-

neon

nem, ubi in singulis repetitæ sint actibus, quorum replicatio, ac frequentia, in toto judicii progressu, vel cursu scientiæ probabilem inducit præsumptionem.

Adhuc tamen, ad eundem contumacialis judicis effectum, ficta, seu non personalis citatio, quandoque sufficiens reputari solet ob legem, quæ ita disponat, sive ob citandi affectatam latitationem, sive ob culposa, & procurata impedimenta, quæ præstentur in sua latius explicata sede. *c*

50 Cum generali Procuratore novum judicium institui posse, quamvis nulla principalis accedat citatio, Romanæ Curiæ stylus concedit, ideoque imprudens reputatur consilium, hujusmodi genericas facere procuratoris deputationes.

51 Ubi vero specialis in causa procuratoris deputatio facta sit, istius mores, vel absentia colliriganti non præjudicat, neque necessitatem pro Curiæ stylo inducit novam principalis repetendi citationem, sed per diligentias cum præmisso contradictarum processu ad ulteriora proceditur.

52 In illis item implementis, quæ in Curia ex conventione præstanda sunt, nulla personæ absentis, quæ implere debent, necessaria est citatio, sed ea sufficit, quæ per diligentias in eadem Curia sequatur, juxta consuetum stylum.

Atque ubi ad locum, in quo citandus existat, tutus non
53 pateat accessus, illum idem Curiæ stylus inducit sufficientem modum, ut prævia non tuti accessus justificatione, quę aliquando notorietatem habet, ea sufficiat citatio, quæ per edicta in locis confinantibus sequatur.

Universalium, vel communitativorum corporum cita-
54 tio, ut Capitula sunt, vel Collegia, seu Monasteria, aut Communitates, & populi, & similia, certam habet formam, a privatorum citatione diversam, ut scilicet capitulariter, seu collegiative facienda sit, illa vero singulorum Collegialium, vel Capitularium, aut civium, vel officialium non sufficiat; Idemque de populo, aliove corpore universali; Ubi vero corpus universale ita congregatum non de facili haberi valeat, illi monendi sunt, ad quos convocare pertinet, ut convocent, sin minus istæ, aliæque diligentiæ per edicta, vel respective bannimenta pro stylo, aliave facti qualitate sufficiunt.

Pluribus item interesse in causa habentibus, an omnium citatio requiratur, qualemve aliquorum respectu ejus omissio offerret effectum, frequenter forus disputat; Ea vero, ex probabiliori sensu distinctio est, ut ubi speratum,
55 ac independens jus, vel interesse sit, tunc citationis defectus, non citati præjudicium præservet, nulla exinde judicii nullitate quoad citatos resultante; Ubi vero connexum sit, ac inseparabile, ut tunc altera cadat distinctio an utrumque, citati, & non citati interesse, præsentaneum, vel simultaneum sit, vel potius successivum, unius nempe de præsenti, alterius vero de futuro in spe potius, quam in re, ut in fideicommissi, vel feudi, aut beneficii, sive officii, similisque juris ab altero possessi, futuram necessariam sperante successionem verificari dicitur.

Isto namque posteriori casu, possessorem, sive habentem jus de præsenti tanquam legitimum defensorem citare sufficit, atque cum eo judicium peragere, ut successori quoque præjudicetur, ubi collusionis, vel malę fidei infectio non accedat; Nisi aliter loci stylus suadeat; Sive nisi ille, qui successivum in spe interesse habeat, ad causam, vel ad judicium admitti curaverit, atque audiri debere, Judice admittente, petierit; Separato etiam, seu mediato interesse pro hujusmodi admissione sufficiente.

In priori vero præsentanei interesse casu, altera distinctio est, an coæquale sit, ac immediatum, vel mediatum, sive accessorium, & consecutivum, ut hoc secundum interesse citationis necessitatem non inducat, nisi eadem admissionis ad causam solicitudo accedat; In altero autem, a judicii, vel causæ, sive rei, aut juris in litem deducti, dividua, vel individua natura, decisio pendeat; Ubi etenim individuitas accedat, omnium citatio necessaria est, adeout unius, vel aliquorum omissio quoad citatos etiam judicium inficiat. Dividuo autem existente interesse, sola non citatorum præjudicii præservativa sequatur.

Supremo Principi, vel ejus Vicario, qui positive legis condendæ, vel derogandæ potestatem habeat, an citationis Partis necessitati derogare, vel dispensare, sive ejus-
56 dem citationis defectum sanare liceat, quæstio est, consuetam habens opinionum scissuram; Ea vero probabilior distinctio est, ut iis, quæ, ex ejusdem Principis, vel positivæ legis benignitate, vel privilegio manant, derogetur, eo modo quo sub regalium sede, in altera potestate tollendi jus tertii habetur; Ubi vero commutativam justitiam, ad illius naturalis, vel gentium juris limites, cui animata, vel inanimata positiva lex non derogat, interesse causa percutiat, & hanc citationis substantiam non tollat, bene tamen formam, vel solemnitatem, ab ipso jure positivo inductam, cum ipsa substantia, divini, seu naturalis juris fomentum habeat; Ejus tamen probationis faciliorem, seu præsumptivum præscribat modum.

Pluries item Practici observant casus, non de facili sub 57
compendio explicabiles, ideoque in sua sede, atque apud eosdem Practicos videndos, in quibus citationis necessitas desideranda non sit; Ubi nempe cum confesso coram ipso Judice in judicii tamen calore agatur; Sive ubi notorietas vel certa evidentia id exigat; Vel ipsius citandi accedat consensus; Aut certitudo incompetentiæ defensionis; Vel ubi in extrajudiciali potius forma, per quandam defensionis speciem, ita vim vi repellendo, ad censuras, aliaque jurisdictionis, vel potestatis remedia, seu præsidia confugere oporteat; Aut ubi fugæ suspicio, aliave imminentia, ita exigat cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

Feriatum tempus, an decretum, vel respective executam citationem inficiat, quæstionem quoque habet, cum 58
consueta opinionum scissura; Quamvis autem infectioni, juris regulæ assistant; Locorum tamen, vel Tribunalium stylus verior est quæstionis judex, ac decisor.

Circumductæ, ideoque inefficacis effectæ citationis, ob 59
Judicis diversum decretum, sive ob juridium admissam productionem, aut ob neglectam ejusdem executæ citationis reproductionem, quæstiones pariter agunt practici frequenter; Id autem, certam, ac genericam regulam sub compendio explicabilem non de facili recipit, cum a singulorum casuum circumstantiis, potissime vero a Tribunalium stylis, frequenter variis, decisionem recipit, ideoque pro casuum opportunitate, in sua sede videndum. *d*

y *disc.* 10. *hoc tit.* z *disc.* 9. a *d. disc.* 9. *hoc. tit.* b *ibidem.* c *d. disc.* 6. & 10. d *d. disc.* 9. & 10.

VI.

De aliis personis Actori, & Reo judicio assistentibus, Procuratoribus nempe, ac litium Actoris, & Curatoribus.

JUdicis ad instar, cui aliæ, in hac judicii scena, pro 60
meliori, magisque decora sui officii explicatione, operam vel assistentiam præstant; In aliis quoque duabus, Actoris, & Rei, necessariis, ac substantialibus personis, eadem aliarum personarum assistentia dignoscitur, pro meliori scilicet defensione, vel directione; Istæ autem duplicem habent speciem; Unam scilicet illius assistentię, vel defensionis, quæ necessaria sit pro validitate judicii, quod alias sine hujusmodi defensore curriat; Et altera voluntariæ, & comodioris, vel melioris assistentię, ac defensionis.

De prima specie, illi sunt defensores, animatorum, vel inanimatorum litigantium, qui per se ipsos litem agere, propriaque tueri jura inhabiles, sub aliena necessaria vivunt administratione, vel defensione; Istique animati suot, pupilli, minores, & amentes, ac similes, qui ob judicii imbecillitatem, vel imperfectionem sub legis præsidio, ac aliena vivant administratione; Hujusmodi vero defensores, curatorum, vel respective Actorum ad lites habent vocabula, ideoque eorum deficiens legitimus interventus, vel etiam ille solus materialis interventus per quem legitimę defensionis non impleatur finis, neque munus impleatur, suumque officium non peragatur, judicii producit infectionem, locorum, vel Tribunalium stylis verius decidentibus disputari solitas quęstiones super eorum deputationis forma, vel cautionis pręstatione, aliarumque solemnitatum implementa, ideoque certam id non recipit regulam.

Ejusdemque juris censentur ea ficta, & inanimata cor- 61
pora, quę sub aliena pariter legali, seu necessaria vivunt administratione, ut Civitates, Ecclesię, Pia loca, & Collegia, sive jacentes hereditates, aut Castrorum patrimonia, aliave similia sunt corpora, quibus legitimi assistere debent administratores, quorum materialis, ac formalis defectus eandem inducit judicii infectionem. *e*

Vo-

62 Voluntarii vero adjutores, ac assistentes eorum qui per ipsos, ubi velint propria negotia administrare, atque in judicio esse, suaque jura tueri valentes, pro meliori tamen, vel commodiori defensione alienam adhibeat opem, ac assistentiam, Procuratorum, & Advocatorum vocabula sortiuntur, illique præsertim, qui Procuratores, vel causarum Patroni dicuntur (quibus magis quam Advocatis judicialem gerere personam congruit) duplicem pariter habent speciem, Judicialium scilicet, qui collitigantium nomine, ac vice, acta judicii peragunt; Et extrajudicialium, qui tanquam periti jura clientis promovent, ac tuentur; De ista vero posteriori specie, in judicio, seu processu pro ejus validitate nulla habetur ratio, sed de judiciali tantum Procuratore, vel patrono,
63 quamvis Juris professor non sit, babenda ratio venit, Ita lege duplicem mandati, vel mandatarii distinguente speciem, ut unus ad negotia, alter vero ad lites, vel judicia sit.

64 Istius autem judicii, quod cum Procurator gestum sit, validitas, quæstiones frequenter habet, ex sufficientis mandati defectu, qui unam ex magis substantialibus producit nullitatem; Vel quia mandatum, de quo constet, illegitimum sit ex defectu formæ, vel potestatis mandantis; Vel quia non amplius vigeat utpote revocatum; Sive quod de expresso in actis non constet, sed tacitum, vel præsumptum adesse prætendatur; Isteque posterioris casus frequentiores producit quæstiones, quando scilicet mandatum præsumptum, quod sufficiat, adesse dicatur;
65 Quamvis etenim ex ea notabili impensa, illud practici deducat, quæ unum monetæ scutum excedat, sive ab exhibitione illorum jurium, quæ verisimiliter, non nisi penes mandantem essent, cum similibus argumentis; Verius tamen est, sicerta desuper non cadat regula, utpote in quæstione puri facti, quodque præmissa, ac similes præsumptiones, quandoque æquivocę, & fallaces esse praxis doceat, ideoque decisio a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis pendet, prudenti arbitrio pensandis.

66 Idemque super puncto revocationis, ubi pariter eadem sit voluntatis quæstio, an scilicet per mandantis comparitionem in judicio, vel per alterius procuratoris deputationem facta censeatur, cum similibus.

Potestatis autem revocandis quæstio, expressa etiam accedente voluntate, cadere solet; Eaque duplicem habet speciem; Unam nempe cum ipso mandatario irrevocabilitate mandati prætendente; Et alteram cum collitigante.

67 In prima vero, in hoc judiciali mandato, verius est irrevocabilitatem quantumvis ample concessam non subsistere, quamvis juris jurandi religio accedat, cum in summæ fiduciæ officio, iniquitatem redoleat litigantem cogere, ut invitus diffidentem habeat defensorem, ideoque bonis adversum est moribus in alteram mandati ad negotia speciem, aliqua eadem ratione.

68 Collitigantis autem respectu, ubi aliqua Procurator fecerit acta, ex quibus practici eum causæ dominum effectum dicunt, neque explicita datur revocatio, minusque illa implicita, quam lex, ex mandantis more inducit; ea etenim neglecta, contra defunctum quoque sententiam proferri, aliaque præjudicialia acta fieri posse, cum Procuratore litis domino effecto receptum est. Eam tamen declarationem ista recipiente propositione, ubi collitigantis, vel ejusdem defuncti hæres, alterum non subroget, vel se ipsum in loco judicii existentem, atque æque commode in singulis actis citandum, non indicet; isto potestatis defectu in eo consistente, ne collitigans, æmulum in partibus absentem, denuo perquirere, atque citare cogatur; Ideoque ut præmissum est Romanæ Curiæ praxis mortuo, vel absentes Procuratore contumacialis, vel contradictarum judicii prosecutionem admittit, cum aliis in propria sede videndis, cum a particulari casus
69 qualitate, ac circumstantiis, potissime vero ex locorum, ac Tribunalium legibus, vel stylis decisio regulanda sit, ideoque certa, ac generica desuper non cadit regula sub compendio explicabilis. *f*

a *disc. 6. hoc tit.* f *dicto disc. 6. hoc tit.*
g *de his omnibus, disc. 22. cum seqq. hoc tit.*

VII.

De probationibus, earumque variis speciebus, præsertim vero de illa per testes, & per scripturas, quæ remissoria, & compulsoria quæstiones producit.

PRobationis onere, Actori, ac respective Reo ex præmissis incumbente, illarum plures lex statuit species; 70
Unam nempe per Partis confessionem; Alteram per rei evidentiam; Tertiam per judicium peritorum; Quartam per juramentum; Quintam per scripturas; Sextam per testes. Et septimam per præsumptiones, & argumenta. *g*

Quamvis autem prima species eam babeat regulam, ut 71
omnium probationum, major, ac mater, Partis confessio sit, omnemque aliam superet speciem; infinitum tamen pene limitationum, ac declarationum numerum ea recipit, cum plurium specierum distinctionibus; In primis etenim, qualis ea sit, atque sive unam, sive alteram contineat speciem, clara, dilucida, & univoca desideratur ut istum con- 72
fitenti præjudicialem producat effectum; Secus vero ubi ambigua, vel æquivoca confitentis favore in dubio interpretanda, ut quominus fieri potest præjudicet, nisi aliæ adjunctæ species probationis, etiam ubi adminicula diversam suadeant interpretationem.

Potestatis item, in confitente requisitam desideratur; 73
Vel quia legalis, aut voluntarius administrator alienum gerat negotium, ideoque non confitentis, sed tertii præjudicium confessio importet. Vel quia ob judicii imperfectionem, vel imbecillitatem, absque certa solemnitate alienationes, aliosque præjudiciales actus facere, communis, vel particularis lex prohibeat, ut propterea neque confiteri valeat, ne quod est directe prohibitum, indirecte sequatur. Aut quia Tertii, vel prohibitionis legis fraudem actus occultare valeat. Nisi pariter adminicula, vel argumenta, aliæque probationis species, quamvis imperfectæ pro facti, vel præjudicii qualitate hunc suppleant defectum.

Utroque autem potestatis, atque univocæ qualitatis ac- 74
cedente requisito, distinctio cadit inter judicialem confessionem, quæ in judicii calore emissa sit, & extrajudicialem. Ut in prima planum babeat locum præmissa regula, nisi concludens detur probatio erroris, vel seductionis, ac doli, in quibus tamen præsumptio non cadit.

Extrajudicialis autem aliam recipit distinctionem inter 75
illam, quæ parte præsente sequatur; Et alteram quæ absente; ut prima species ex utriusque juris præscripto sub eadem cadat regula; Altera vero ex canonica æquitate, ubi cum ea procedatur, ut in Curia, totoque Ecclesiastico foro contingit, eandem habeat operationem, Secus vero civili jure attento, quod imperfectam, vel semiplenam tantum ei tribuit operationem.

Facti vero potius, quam juris desuper quæstiones cadunt super illa extrajudicialis confessionis probatione, quæ per testes fiat, qualem nempe testium idoneitatem, & contextualitatem exigat, & an illam admittat singularitatem, quæ adminiculativa dicitur, eam non habens legis prohibitionem, quam habet obstativa. Idque certam, ac genericam non recipit regulam, cum a facti qualitate, & circumstantiis prudenti pensandis Judicis arbitrio decisionem revera expectet locorum, vel Tribunalium receptis stylis, magnam desuper inducentibus operationem.

Ad hanc autem judicialis confessionis speciem obtinen- 76
dam, Romanorum civiles leges interrogatorias introduxerunt actiones, vel formulas, ut unus alterum collitigantem, super iis quæ agendo, vel excipiendo deducat, coram Judice interrogaret, ut ita interrogati confessione sequente, ab ulterioris probationis onere obtineat relevationem. Id autem pariter certam, ac genericam in praxi non recipit regulam, sed a locorum, vel Tribunalium pendet stylo: Iste autem in Romana Curia hanc abolevit speciem, nisi ubi aliquæ circumstantiæ Judicis officio locum aperiant; Hujusmodi vero interrogationum loco illud subrogatum est æquipollens, quod positionum dicitur, quas unus cum juramento in judicio præbeat, ita quidquid in eis continetur, fatendo, atque ad eis respondendum cum juramento collitigantem cogendo, istarumque positionum impertinentia, vel prolixitas, aut ambiguitas, quę reformatione digna sit atque responsionum qualitas, & an præcisa, vel magis præcisa sit, sive qualem admittat conditionem, frequentius inutiles, parumque operativas producit quæstiones, certam pariter, ac genericam non admittentes regulam, sed ex facti qualitate, & circum-
stantiis

stantiis potissime vero ex locorum, ac Tribunalium stylis decisionem expectant. h

77 Magna quoque, aliarumque major illa censetur species probationis, quæ per rei evidentiam, vel aspectum fiat, utpote inalterabilis notorii speciem habens; Magnas vero e converso facti quæstiones, iste probationis modus patitur, ubi præsertim ex geographicis mappis, rei evidentia deducatur, ideoque pariter certam, ac genericam id non recipit regulam; Eandem notabilem operationem inducentibus locorum, vel Tribunalium stylis super ejusdem Judicis accessu, ad loci faciem, atque super testium, vel peritorum examine, ac relatione ibidem habendam. i

78 Peritorum judicium in iis, quæ ab eodem judicio, ipsorumque peritia pendeat, sufficiens, minusque suspecta probatione putari solet, eaque duplicem habet speciem; Unam nempe ubi periti, arbitrorum, vel assessorum Judicis in ea materia personam agant; Et alteram ubi testium; In ista etenim posteriori specie, ea quæ, ut infra in testibus procedunt, in ipsis quoque recipienda sunt, qualitate peritiæ aliquam majorem tribuente fidem, ideoque frequentes illæ quæstiones, quas peritorum deputationes, vel relationes producunt, alteram percutiunt speciem, atque pariter certa, & generica compendio explicabilis non cadit regula, cum a facti circumstantiis, atque a Tribunalium stylis decisio pendeat, tam super deputationis, quam præstandæ relationis modo, an ea publica, vel occulta esse debeat, sive an juramentum exigat, vel Partium citationem; Atque ubi duobus hinc inde electis discordantibus peritis, tertius ex officio eligatur, an istius concordantia, eorum uni accedere debeat, ut una credit opinio, vel eidem deferendum sit, quamvis ab utroque discordanti, ut altera tenet opinio, quam Curia sequitur, nisi error, vel ambiguitas aliave justa causa quatti, seu peritioris suadeat deputationem regulariter prohibitam, ne in infinitum detur processus.

In iis item, quæ propriam tantum concernant artem, vel peritiam defertur hujusmodi peritorum judicio, non vero in aliis; quæ in puncto juris consistant, seu extra propriam peritiam ad Judicem pertineant, hujusmodi peritis commune habentibus vitium Judicis partes frequenter assumendi. k

79 Juramenti probatio duplicem quoque habet speciem; Unam nempe decisivam, quæ partiti dicitur, quia nempe una Partium alteri super controversia rei juramentum deferat, eique deferre offerat, atque renuentes, ipsius juramento deferendum sit; Certam tamen, ac genericam neque id recipit regulam, sed prudenti Judicis arbitrio ex facti qualitate, & circumstantiis remissum est, cum captionem, vel calumniam id quandoque redoleat, locorum stylis pariter nimium in proposito attendendis.

Altera juramenti species ea est, ad quam idem, cui probationis onus incumbat admitti petat; Eaq; in aliam duplicem dividitur speciem subalternam; Unam scilicet illius, quod suppletivum dicitur, in Supplementum jam factæ probationis, quæ aliquam pariatur imperfectionem, præstandum; Et alteram illius, quod in litem dicitur ob difficultatem probationis, ex dolo, vel culpa collitigantis inductam ex legis dispositione, admittendum; Utrumque autem pariter certam, & genericam non habet regulam sub compendio de facili explicabilem, cum facti qualitate, ac Tribunalium stylo totum pendeat, ideoque ad suam recurrendum est sedem.

Altera habetur purgativi juramenti species, pro criminum purgatione, ex canonum præsertim stylo admittendum, quod tamen raram, peneque nullam hodie praxim habet. l

80 Frequentior vero ea est probationis species, quæ per testes fiat; Ubi enim major hanc solemnitatem testium numerus per legem desideratus non sit, ut in testamentis præsertim, aliisque ultimis voluntatibus statutum esse, quando positivæ legis dispositioni subjaceant, in testamentorum sede advertitur, & declaratur, ad solam non solemnem naturalem probationem, ex divino quoque oraculo, duo, vel tres sufficiunt testes; Ita alternatim in bino, vel trino numero eodem oraculo misteriose loquente, ad id denotandum; ut ista etiam naturalis probatio, pro facti qualitate, subjectaque materia, quandoque majorem, quandoque vero minorem exigat testium numerum, ut propterea illum duorum, non omnino præcisum, ac necessarium esse dignoscatur, ut in eadem testamentorum sede quoque advertitur; Ita ipsa lege positiva divinam potius interpretante quam corrigente.

81 Quamvis enim generalis statuat regula, ut binus contestium sufficiat numerus, nulla adversus eos obstante exceptione; Pluribus tamen ea subjacet limitationibus; Quandoque etenim etiam unicus, probatæ fidei æstimationem habens, nullumque proprium habens interesse, atque de proprio deponens facto, cum levium etiam adminiculorum fomento ad concludentem probationem in omnibus sufficiens reputatur; Ex e converso quandoque duo non sufficiunt, quia subjecta materia majorem exigat certitudinem; Prout licet contestualitas necessaria sit, singularitas vero testium adimat fidem; In illa tamen id procedit singularitate, quæ obstativa dicitur juxta sacræ paginæ exemplum, duorum Senum Susannæ accusatorum; Secus autem ubi ea sit quæ adminiculativa dicitur.

Testibus item patientibus aliquas in dicto, vel in persona exceptiones, nullam esse præstandam fidem, regula statuit; In dicto nempe quia varii, & contrarii, sive congruam non reddentes scientiæ causam, de qua in iis quæ facti sint, soloque sensu corporeo principiantur, interrogati fuerint; Et quam non interrogati quoque in iis, quæ juris sint, vel non sensu corporis, sed intellectu participantur, concludentem, vel congruam assignare debent; Et in persona, quia nempe conjuncti, vel familiares, & domestici, sive e converso inimici, vel æmuli, aut directum, 83
vel indirectum interesse habentes, vel criminosi, aut infames, & viles, aliumque similem patientes defectum. 82

Istas autem, vel similes exceptiones, numerus, vel alia argumenta, pro facti qualitate supplent, ideoque certam ac genericam ista probationis species non recipit regulam, sed judicis prudentis commissa est arbitrio, ex facti circumstantiis regulando; Judici namque lex dicit, quod ipse scire potest quanta fides testibus adhibenda sit. 84

Cum eo tamen hæc procedunt præsupposito, ut in forma judicii testes examinati sint, de Judicis nempe decreto, in termino per eum statuto, cum juramento, in cujus præstatione altera pars citata fuerit, cumque istud posterius citationis requisitum, non pro solemnitate desideretur, sed pro eo fine, ne ultra pars juramento interesse, atque interrogatoria exhibeat, suumque pro Curiæ stylo interpretem conducere, qui examini assistat; Hinc istis accidentibus, ob dictæ citationis impletum finem, ejus defectus non solet scrupulose attendi; Curiarum, vel Tribunalium stylo attendendo super citationis, vel examinis forma. 85

Duplicem vero istud examen, quod faciendum sit, habet speciem; Unam nempe in ipsa Curia, seu coram ipsius causæ judice; Alteram vero extra Curiam coram alio per eundem Judicem in partibus ubi testes existant delegando, cum illa commissione, cui pro Curiæ stylo remissoriæ congruit vocabulum.

Hoc itaque posteriori casu; Cum remissoriæ concessio motas nectat, dilationemque pariat, ut scilicet ea pendente, causæ impediatur cursus, idque ubi præsertim de remotis ultra montes agatur locis, nimium alteri parti soleat afferre præjudicium, atque studiose pro litis protractatione affectari; Hinc in Rotæ potissimum Tribunali nimium frequentes, super hujus remissoriæ concessione, vel denegatione habentur quæstiones, quæ cum dubio particulari ipsarum principalium causarum ad instar cum decisionum editione disputari solent. 86

Duas vero diversas habet causarum species nimium diversas ista remissoriæ materia; Spiritualium scilicet, & prophanarum; Isto posteriori vocabulo generice omnibus congruente causis, quæ vere beneficiales non sint, quamvis ad alios effectus pro subjectæ materiæ qualitate vere spirituales, vel Ecclesiasticæ esse dignoscantur, matrimoniales puta, vel decimales sive juspatronatus, ac similes, beneficialibus exceptis, in quibus de beneficii pertinentia, ac titulo inter provisos principaliter contentio sit ad istum remissoriæ atque sequentem compulsoriæ effectum, sub spiritualium nomine singulariter cadentibus. 87

In prophanis itaque certæ non cadunt regulæ quibuscunque congruæ casibus, sed pro singulorum circumstantiis arbitrium diversimode regulandum est; Aliquibus desuper statutis genericis propositionibus, ad quorum normam, arbitrium, pro diversa tamen appellatione regulandum est, prout diversa exigat facti qualitas. 88

Et itaque in primis in jure irrefragabilis est regula, frequentiorea habens facti, vel applicationis quæstiones, ut absque articulatæ materiæ relevantia remissoria concedenda non sit; Frustra etenim, cum inutili mora, ea admittenda est probatio, quæ facta non relevet; ideoque remissoriæ hujusmodi incidentis disputationes principalis causæ merita frequenter percutiunt: Istius autem relevantiæ, potentia, vel dubietas, ad concessionem sufficit, ne incidenter alias

princi-

principalem causam, antequam ejus assumatur disputatio decidi contingat.

Calumniæ quoque vehemens suspicio in prophanis remissoriæ denegationem causat, nisi articulatæ materiæ aliquis accedat sufficiens fumus, suspicione non accedente non necessarius; Itaque suspicio ex diversis desumi solet argumentis, quia nempe diu in partibus causa peracta, ea neglecta sit probatio quam tunc fieri debere eadem suadebat necessitas, vel utilitas, quæ ea novo non emanaverit incidenti, sive quod in eadem Curia diu causa agitata, in expeditionis limine remissoria petatur; Vel super iis, quæ per scripturas oportune, ac sufficienter justificari valent, nisi testes ad melius tendant probationis fomentum.

Adversus propriam confessionem quoque, sive aliam probationem, cui de directo advertetur, ut propterea unum, vel alios testes de mendacio notandos esse novæ probationes inducant; Magis vero ubi idem, qui remissoriam petat alios jam, vel in partibus, vel alterius remissoriæ vigore induxerit testes quorum jam publicata, & dilucida sint dicta præsumptione urgente, ut eos potius induxerit testes qui melius informati essent, ideoque falsos, vel subornatos denuo inducere studeat.

Post rem judicatam, sive in summario, & executivo judicio, aut in possessorio illo præsertim quod retinendæ dicitur, ac etiam in altero reintegrandæ viribus petenti obstet, sive illo cui censurarum, vel recursuum obstent crimina, regula est remissoriam quoque denegari debere.

Omnes tamen hujusmodi, similesque regulæ, non semper certam, ac uniformem habent praxim, ob eas quas facti circumstantiæ inducant limitationes; Ideoque totum prudenti Judicis commissum est arbitrio præsertim circa retardationis effectum, ut sine illa concedi aliquando soleat, ut in sua sede latius; Ea etenim, quæ facti potius, & arbitrii quam juris sint, ea facti particulari qualitate, & circumstantiis decidenda, de facili certas sub compendio explicabiles non recipiunt regulas.

89 In altero vero spiritualium causarum genere, longe major adhibetur rigor, illum illa congrua exigente ratione quod cum vitalitium jus hujusmodi causæ percutiunt, longe majora istæ dilationes, ac moræ producunt præjudicia, ideoque fortior urget calumniæ, ac affectationis suspicio, ut non ad probationem, sed ad dilationem, ac moras ista fiat petitio.

Omnia itaque ut supra in prophanis substantia, fortius in spiritualibus obstare, non est ambigendum, Ulterius vero, ac additative alia desiderantur; Primo, nempe veritas articulatæ materiæ competens fumus; Secundo, ut ultima sit instantia, vel eam talem, remissoriæ petitor in sui præjudicium faciat, unicæ consuetudo sententiæ; Et tertio, ut beneficii sequestro consensum accomodet, ne interim possessionis potiatur commodo, quod calumniarum, ac dilationum studium causare solet.

90 Utrumque vero parti remissoriæ terminus est communis, eaque uni parti concessa, non est alteri deneganda; Remissorialis vero Judex delegantis potius, quam proprium adhibere debet stylum, cum aliis in sua sede latius videndis, utpote non de facili sub compendio cadentibus; Præsertim vero circa testium jam introductam reprobationem, seu repulsam, aliaque, ut præmissum est, certam non recipiendo regulam, utpote in arbitraria materia, ex singulorum casuum circumstantiis, ac Tribunalium stylis regulanda.

91 Ubi autem in ipsa Curia, coram causæ Judice, testes inducantur, atque articuli exhibeantur, non adeo frequentes cadunt quæstiones, cum cessante dilationum ratione in remissoriæ casu dubitandi, vel suspicandi occasionem præbente, pro frequentiori praxi articulorum admissio, ac testium examen denegari non soleant; Judicis tamen non refrænando arbitrio, ex irrelevantiæ, vel suspicatæ falsitatis, & seductionis motivo, sive ex altero irrelevantiæ id quoque denegandi.

92 Quamvis autem illæ testium depositiones, quæ præmissæ judicii forma in omnibus non servata fiant, ut præsertim sunt non juratæ, ac extrajudiciales attestationes, quas fides vulgus appellat, nulla fide sint dignæ, nullamque faciant probationem; Adhuc tamen limitationem ista patitur regula ubi attestantis eximia qualitas, vel ejusdem mora quæ juramenti vim habere solet, aut alia veritati accedant diminicula; Idemque pariter certam non recipit regulam, sed ex facti qualitate prudenti judicis arbitrio est remissum. Major vero, vel minor hujusmodi informium attestationum fides, ab eo pendet, an probabilis causa, vel excusatio adsit, ut ea informis adhibita sit species, quia nempe attestantis qualitati ita congruat, puta magnatis; Vel quia lite adhuc non introducta Judex non haberetur, coram quo forma servari potuerit; Vel quia de senibus, aut valetudinariis, & absentibus agatur, cum similibus præfato arbitrio pensandis. *m*

Altera est probationis species, quæ per scripturas fiat; Ea vero duplicem habet scripturarum speciem, unam nempe illarum quæ publicæ dicuntur, & alteram earum quæ privatæ.

93 In hac posteriori specie non extractionis, seu reductionis in authenticam, ac probantem formam ut in priori, sed recognitionis inspectio cadit, an scilicet ab eo revera conscripta sit, cujus esse præsupponatur.

Hujus autem recognitionis modus certam non habet regulam, sed a locorum, vel Tribunalium stylis normam accipit; Quamvis etenim civilium legum attento rigore, ea recognoscendi forma desideretur, quæ per testes fiat juxta præmissam formam deponentes scripturæ, vel subscriptioni præsentes fuisse, atque scribere vidisse, illæ vero species, quæ per testes de nota manu deponentes, sive per aliarum scripturarum comparationem fiant fallaces, & æquivocæ, ideoque inefficaces reputentur. Diversa tamen Romanæ Curiæ est praxis, ut in iis etiam scripturis, in quibus testes adhiberi solent, illa admittatur recognitio, quæ fiat per testes notam habentes manum; Ex facti qualitate, & circumstantiis decisione pendente, an plenam, ac sufficientem, vel potius semiplenam, & imperfectam probationem, ab aliis perficiendam adminiculis, ista recognitionis species induat.

Ex eisdem circumstantiis quoque altera pendet decisio super recognitionis per notam manum, modo, vel praxi, an scilicet cum patenti, vel cum occulta scripturæ exhibitione, atque per partes vulgo fenestrellas; Idemque super altera recognitionis specie, quæ per comparationem cum scripturis certis fiat; Ideoque certa sub compendio explicabilis non cadit regula, sed pro Tribunalium stylo, & casuum qualitate, res metienda est, ut in sua sede latius, magisque distincte, ad quam pro opportunitate recurrendum venit.

Ea vero ea juris etiam communis dispositione, vel intentione magis generica, magisque communiter, peneque generaliter est recepta distinctio, seu limitatio, an de illa agatur scriptura, quam testes adhibere, vel respective non adhibere soleant, ut in prima specie strictius, ac rigorosius, in altera vero, facilius, magisque benigne procedendum sit.

Factam quoque seu contumacialem recognitionis speciem Curiæ praxis habet; In ejusdem tamen Curiæ Tribunalibus adhuc diversa, ut eo, qui recognoscere teneatur, monito, 94
ac recusante, vel negligente in contumaciæ odium, pro recognita habeatur; Ideoque forus frequentes audit quæstiones super iis personis, quæ recognoscendi obligationem habeant, ut propterea contumacialis hæc forma, vel recognitio cadat, ut præsertim in hærede, vel successore contingit; In Auditoris Cameræ aliorumque Magistratuum Tribunalibus magis, quam in Rota, quæ istam fictam, & contumacialem regulariter non admittit recognitionis speciem, hujusmodi cadentibus quæstionibus. *n*

In altera vero publicarum scripturarum specie, potius legitimæ extractionis, vel reductionis ad probantem formam
inspectio cadat, illis exceptis scripturis, quæ publicarum, & 95
authenticarum faciem habeant, ob publici Notarii, vel alterius ad quam pertineat, officialis fidem, solumque intrat quæstio super ejusdem Notarii, vel officialis subscriptione, vel signo, ut propterea eadem cadat inspectio recognitionis per testes de nota manu deponentes, vel per comparationem; Nimium in id suffragante temporis antiquitate, quæ communem habeat observantiam.

Ubi vero legitimæ extractionis, vel formæ probantis quæstio sit; Ea cadit distinctio, an ab ipso Notario qui de instrumento sit rogatus, ejusdem ex Principis, vel superioris auctoritate legitimo successore, vel a judiciali Cancellario, vel Actuario, aut a publici Archivii Custode, aliove simili officiali, ad quem ea officio id legitime pertineat, extractio facta sit; Vel e converso, a diverso Notario qui hujusmodi non habeat facultatem, ut primo casu legitima dicatur extractio, eaque authenticam, ac probantem habeat formam, ubi pro regionis, vel Tribunalis legibus, vel stylis ea facta sit; In altero vero secus, ut nonnisi prævia causæ delegatio-
ne per delegatum Parte interessata audita originalis legi- 96
tima recognitio, & extractio fiat; Ideoque sub compulsationis vocabulo, pro Curiæ explicatur stylo, ipsaque delegatio compulsoriæ vocabulum habet.

Super

Super istius autem compulforię concessione eædem quęstiones radunt, quę in remissoria insinuatę fuor, ubi de illa agatur quę sit specialis; utpote eundem dilationis, & retardationis producens effrctum, ideoque eandem habens calumniæ, vel affectionis suspirionem, ac rationis identitatem, quę genericam statuit regulam, ut ea omnia quę in remissoria statuta sunt, in speciali quoque procedant compulsoria, cum eadem prophanarum, ac spiritualium causarum distinctione; Secus vero ubi de illa agatur compulsoria generali, quę nullam inducat dilationem, vel retardationem, cujus sola executio interessatę Partis citationem, ac judicialem exigit formam, non autem concessio. *o*

97 Super archivii qualitate in originali scripturæ, ex qua extractio fiat, fides prę standa sit, ut quandoque publicam, & authenticam reddat, quęstiones radunt, certam, ac genericam non de facili admittentes regulam, sub compendio explicabilem, utpote a variis distinctionibus, factisque circumstantiis, decisiones expectantes, ideoque ad suam recurrendum est sedem. *p*

98 Ea vero fides, quam Notario rogato, vel alteri ex proprio officio, id agenti, prę standam esse, statutum est, in illis procedit scripturis, quę in publici instrumenti, vel alias solemnis extractionis forma, ab eo confectę sunt, non autem ubi per simplicem copiam, vel fidem; Nisi stylo aliter suadente, ut prę sertim inter prę sentes, atque in eadem civitate, seu loco contingit; Vel nisi alię accedant veritatis argumenta, vel adminicula, ex quibus pro generali regula informia quo-

99 que jura robur, ac fidem accipiunt; Eo prę cęteris ponderari solito adminiculo, quod ab observantia manet, sive ab interessatę partis acquiescentia, vel non oppositione, cum similibus pro facti qualitate, ac circumstantiis, ex quibus illud regulandum est arbitrium, cui adminiculorum pondus commissum est,

100 Librorum probatio, sub hoc scripturarum genere cadit, eandemque duplicem habet, publicam, ac privatam speciem, ideoque eędem recognitionis, ac respective legitimę extractionis intrant inspectiones super facti veritate; Eaque posita, altera inttar juris inspectio in privatis præsertim libris cum distinctione, an contra scribentem, vel pro eo, sive quod tertium probent, ut priori casu contra scribentem probationem faciant nisi de iis agatur privatis, ac informibus memorialibus, quibus vere librorum terminus non congruit; Pro scribente autem secus, nisi eorum in illis bene probata fides rectaque forma, aliaque veritatis adminicula, vel argumenta accedant; Cum tertio autem, certa non habetur regula, vel decisio ex facti qualitate, & circumstantiis metienda, ideoque ad suam latiorem, magisque distinctam recurrendum est sedem locorum, vel Tribunalium stylis potissimum deferendo. *q*

101 Historicorum, & Chronicorum libris publicis insculptis pictisque inscriptionibus ad sufficientem probationem fidem præstandam esse generica statuit regula, ex facti tamen qualitate, & circumstantiis recipiens praxim, an scilicet de antiquis, ac probatis, vel modernis parumque probatis agatur, ubi potissimum suppositionis, vel affectationis accedant argumenta, vel suspiciones. *n*

102 Omnium vero specierum probationis, ea magis generalis ac certa regula incapax dignoscitur, quæ præsumptiva, & conjecturalis, vel adminiculativa dicitur ex præsumptionibus, & adminiculis deduci solita; Quamvis etenim ea sit distinctio inter præsumptam probationem a juris scilicet præsumptione manantem, & veram, a præsumptionibus tamen, & argumentis deductam; ut prior in iis, quæ sint actionis, vel intentionis fundamentum, non sufficiat, nisi de illa agatur præsumptione, quæ juris, & de jure dicitur; Altera vero an sit sufficiens probatio, super adminiculorum tamen, aliarumque imperfectarum specierum pondere, & conjunctione, quæstiones cadunt, certæ, ac genericæ incapaces regulæ, cum facti potius, quam juris esse dignoscantur, ex facti qualitate, & circumstantiis, prudentis Judicis arbitrio decidendæ, vel latius magisque distincte in sua sede, ad quam recurrendum. *s*

h *de Probatione per confessionem, disc.* 23. *hoc tit.*
i *disc.* 24. K *disc.* 33. l *disc.* 25.
m *de his omnibus, disc.* 31. & 32.
n *disc.* 29 o *disc.* 28.
p *d. disc.* 28. q *disc.* 30. r *disc.* 33.
s *d. disc.* 33.

VIII.

De aliis actis, & contingentiis usque ad processus compilationem, ac sententiæ prolationem.

Probationibus hincinde peractis, ex Romanæ Curiæ commendabili stylo, illæ non attenduntur formalitates, quæ ex civilium legum præscripto, vel sensu alicubi 103 servari solent super publicatione, ac respective conclusione, cum Judicis decreto, ut propterea publicatio alias, per testes, & conclusio alias per scripturas faciendi probationes aditum præcludat, atque facultatem tollat, ideoque ad restitutionis integrum nedum primum, sed etiam secundum convolari solet beneficium, quod minoribus, aliisque privilegiatis concedatur personis, magnæque desuper haberi solent; Curia etenim omni tempore dummodo res integra sit, veritati fores apertas tenet, ejusque admittit probationes, tunc illarum denegando facultatem, quando post attestationes vere de facto, non autem ex 104 sola formalitate actorum publicatas, quia nempe ipsæ depositiones patefactæ, ac discussæ sint, ea cadat suspicio prę cedenti rubrica insinuata subordinationis, ac inductionis eorum, qui falsum dicant, sive quod novorum jurium productionem ut calumniose id affectetur, ut citatio ad sententiam circumducatur, sive alias ad causæ expeditionem protrahendam veritati, seu rei substantia magis quam actorum formalitate attenta absque personarum exceptione,

Ubi vero calumnia clara non sit, ejus tamen aliqua suspicio subsit, media teneri solet via, utriusque Partis jurium 105 præservativa, admittendo scilicet cum ea cautela quæ dicitur poni ad partes, pro animi Judicis institutione, qua non sequente pro infecta admissio censenda sit, causæque non impediatur cursus. *t*

Pro commeodabili etenim Curiæ praxi, in Partium libito non est, scripturas in actis exhibere, vel prę sentare. 106 De actis etenim non fiunt, neque in processu existente dicuntur, nisi prę via Partis citatione ad dicendum contra jura producta, vel reperta, videndumque admitti; nisi Judicis sequatur admissio; Ista item jurium productio quæstiones patere solet, vel super efficaci modo, seu forma, an scilicet verbalis tantum, vel realis censenda sit, vel tam de actis, & processu jura dicantur, quam super producentis potestate, seu voluntate ob præjudicia ex hujusmodi productionibus resultantia super productorum jurium approbatione, vel super tituli rejectione, alteriusque melioris exclusione, cum similibus in sua sede latius actis. *u*

Super propriorum jurium editione contra se ipsum, quę- 107 stiones parit quædam Curiæ praxis ab asperitate jurisque exorbitantia non immunis, ut contra ejusdem Juris regulas, arma de domo rei, vel æmuli sumere liceat, quodque contra se ipsum propria jure edere quis cogatur, ut cogendus est, quando existentiæ de tempore motę litis, ac interesse, sufficiens accedat probatio; Super primo existentię requisito quęstionibus frequenter cadentibus, an jurata assertio de non habendo excuset, cum distinctione, an officii debitum ad conservationem obliget, necne, ut in sua sede latius.

Super declarationes item usus, seu veritatis, ac fidelitatis productorum jurium altera Parte petente, atque de falsitate redarguere volente, quęstiones cadunt, a diversa Tribunalium praxi diversam recipientes decisionem, ideoque certę, ac uniformis regulę incapaces. *y*

In judiciis quoque ordinariis, quorum formam, vel ordi- 108 nem prę missa, & sequentia percutiunt, summariis, & executivis diversam habentibus praxim, illarum formalitatum, quam Jus civile induxit, Curia rejecit circuitus; Alteram vero ipsa servat cęremonialem formalitatem, quę servationis quatuor substantialium terminorum dicitur; Ad libellandum scilicet, articulandum, publicandum, & concludendum, atque alias eorum neglecta servatio, sententię, ac judicii nullitatem inducat; Ea tamen Pontificia constitutio, quæ Innocentiana dicitur pro Rotæ Tribunali edita, ad alia vero Tribunalia extensa, illud opportunum huic meræ formalitatis malo adhibet remedium, ut cum unica citatione ad sententiam eorumdem terminorum nulliter, seu male, & inculcate tentorum, sanatio suppletiva, cum ficta retrotractione fieri valeat, dummodo de facto servati sint, quamvis male, quodque illud intercedat temporis spatium, intra quod vere servari potuerint, ut ita fictio veritatem imitetur, vel suppleat, atque sanationis terminum, in jam existente, sed infirmo corpore cadat, non autem in eo quod nullatenus extet. *z*

Speci-

Specificam Partis citationem ad sententiam proferri videndum, vel audiendum, necesse est fieri ut propterea ea generica, seu vaga non sufficiat citatio, quæ ad provisionem audiendam, seu fieri videndum concipiatur; Eaque cer-
110 tam continere debet juridicam diem, seu terminum, in quo sententia proferenda sit, neque generica, seu vaga sufficit; Minusque illa quæ certam continet diem, aliorum sequentium quoque contineat continuationem, nisi excuset stylus, qui certam non recipit regulam, sub compendio de facili explicabilem, ideoque pro locorum diversis moribus, causarumque opportunitate ad suam recurrendum est sedem; Super eo præsertim Curiæ stylo, qui pro Tribunalium, ac respective temporum diversitate, dignoscitur quoque diversus, habendi hunc terminum pro servato, cum ficta ad illum retrotractione, quamvis diversa die vere sententia manat, cum aliis usque ad sententię prolationem, in causæ vel processus cursu, seu progressu, contingere solitis, certam, ac genericam non recipientibus regulam, vel compendiosam explicationem, ideoque pariter in sua sede videndis, iis in isto citationis requisito congruentibus, quæ in ejusdem citationis generica Rubrica superius insinuata sunt.

s *disc.* 34. u *d. disc.* 34. x *disc.* 38. y *disc.* 34. z *d. disc.* 34.

IX.

De sententia ejusque diversis speciebus, ac effectibus illo præsertim, an per eam Judicis officium peractum, ejusque jurisdictio consumpta sit, ut eam revocare non liceat; Et de re judicata, vel tribus conformibus.

TRiplicem habet speciem istud sententiæ vocabulum, unam nempe quæ provisionalis dicitur; Alteram quæ interlocutoria; Et alteram quæ diffinitiva; Pro Curiæ
111 autem stylo, ac practicorum forensium loquendi usu, dum priores, sub decreti vocabulo explicantur, illud autem sententiæ ultimam complectitur speciem, quæ diffinitiva dicitur, diversam ab aliis habens formam; Priores namque solo verbo a Judice pro Tribunali sedente proferuntur Notario, cui creditur illa in ejus schedula, vel imbreviatura, seu memoriali adnotante; Ultima vero cedulæ scripturam habet ab ipso Judice scriptam; atque a Notario publica-
112 tam, cum nominibus Christi nomine invocato; Ideoque diffinitiva sententia, sub præmisso cedulæ vocabulo explicari solet, cum Christi nominis invocatione adjecta.

Sola vero Judicis subscriptio pro Curiæ stylo perfectam non inducit prolationem, nisi Notarii in forma publici ro-
113 gitus coram testibus Judice etiam absente accedat publicatio, Tribunalium stylis, non autem antiquorum Juristarum traditionibus desuper attendendis.

Notabilis vero hujusmodi specierum est diversitas; Pro-
114 visionalis etenim ad ejusdem Judicis libitum est revocabilis, suamque non consumit jurisdictionem atque pro regula suspensivam non recipit appellationem; Idemque in interlocutoria contingit super suspensivæ appellationis rejectione, vel illam negligendi facultate, donec Superioris accedat inhibitio, quam super alia facultate revocandi, seu reponendi re integra, priusquam executa, seu consummata sit; Neutrum vero in tertia diffinitivæ sententiæ specie contingit, quoniam utriusque devolutivæ, ac suspensivæ subjacet appellationi; Nisi causæ qualitas, vel personæ privilegium, regulæ suadeat limitationem.

Per diffinitivam quoque ejus officio functus dicitur Judex, ejusque consumpta jurisdictio, ut propterea revocan-
115 di, vel moderandi alia non tribuatur facultas, ubi publicata sit, cum ante publicationem pro libito lucrari, vel negligi valeat; Nisi eam conservet actus nullitas, quæ annihilationis habere dicitur speciem, vel effectum; Ideoque propriam quamvis diffinitivam invalidam, licitum est revocare sententiam.

Ordinario tamen Judici, facultas ista tribuitur, delegato vero denegatur; Qualis enim sententia sit, nullitatis etiam vitio laborans, delegatam irretractabiliter consumit jurisdictionem, ubi specialis delegatio sit; Ea etenim generalis quæ causarum concernat universitatem, vel genus ordinariæ potius, quam delegatæ jurisdictionis speciem habere dicitur.

Quamvis item ista posterior diffinitivę sententiæ species,
116 quæ utriusque subjaceat appellationi, per istam legitime interpositam, sive per illam restitutionem in integrum, cujus commissio ante coeptam executionem concepta non sit, adeo suspendatur, ut pro infecta, seu non emanata habenda veniat, ejusque nulla ratio habeatur, donec rei judicatæ sortiatur qualitatem; Adhuc tamen aliquos proficuos producit effectus, illum præsertim præsumptionis boni juris, pro alimentorum sumptuumque litis concessione, quando alterum accedat paupertatis requisitum; Atque in beneficialibus, vel in aliis quorum adinstar eadem congruat ratio, sequestro bonorum, vel jurium, quæ in lite sint, atque per sententiam colligandi decernantur, locum præbere solet.

Sententia vero in judicium faciente transitum, ob appellationem in tempore non interpositam, sive ob eandem interpositam, sed non prosecutam, nullitatis, vel restitu- 117
tionis in integrum non suffragantibus beneficiis, in sequenti Rubrica peractis, ea liti, & causę silentium imponit, atque statum firmat, faciendo (ut Juristæ dicunt) ens de non ente, atque nigrum de albo cum eo, contra quem obtenta sit, vel qui a victo causam, seu dependentiam habeat, ut propterea legitimus contradictor, vel causæ defensor ille sit, cum quo obtenta fuerit sententia.

Tertii vero respectu, an res judicata præjudicet, statumque faciat, frequens est fori quæstio, eam recipiens distin- 118
ctionem in citationis rubrica superius insinuatam, an tertii inauditi jus, vel interesse sit consecutivum, ac dependens ab eo, qui rem judicatam sit passus, vel potius principale, ac independens, ut primo casu quo ad eum quoque statum, faciat, vel firmet; In altero vero alia subintret distinctio, an interesse sit coæquale, ac præsentaneum, vel potius successivum, ut isto posteriori casu eundem operetur effectum ubi defensionis negligentia, fortius vero collusio, vel mala fides non accedat, in altero vero secus.

Ubi autem de personæ statu agatur, libertatis nempe, seu legitimitatis, vel nobilitatis, aut civilitatis, & simili, speciali quodam jure res judicata, cum unico legitimo obtenta 119
defensore, quoad tertios quoque jus facit, ubi collusio, vel mala fides non obstet, ideoque varias recipit declarationes in sua sede recensitas.

Rei judicatæ æquipollent, ejusque vim habent tres conformes sententiae, lege ulteriorem prohibente appellatio- 120
nem, nisi nullitatis, vel injustitiæ vitium accedat; Idemque ubi duæ sint, quibus lex particularis vim trium concedat; Pluribus super conformitate cadentibus quæstionibus, præsertim vero, an eam intermediæ contrariæ tollant sententiæ veriorque est negativa oppositio, sive qualis concordantia esse debeat, receptumque est, ut non verborum formalitas, sed rei, seu facti substantia, & causæ identitas attendi debeant, summæ, vel quantitatis, aut quotæ non obstante discordantia, cum in minori quantitate, vel quota conformes esse dicantur; Generica tamen, ac uniformis in præmissis, ac aliis non cadit regula, ubi præsertim de iis agatur legibus particularibus, quæ sententiarum numerum abbreviantes illam duabus vim tribuunt, quam leges communes tribus concesserunt, cum locorum, ac Tribunalium diversi sint styli, quibus est deferendum.

In urbe vero, ejusque districtu ista viget lex statutaria, quæ duabus vim trium præbet, cum utraque prophana, & spirituali, seu Principis, & Pontificis in hac parte potestate, edita, ideoque in omnibus utriusque fori Tribunalibus viget, omnesque ejusdem utriusque fori ligat personas, quamvis fictas, & communitativas, civicam tamen originis, vel domicilii Urbis, vel districtus omnium contendentium respectu habentes qualitatem, forensium mixtura hujus legis operationem tollente.

Sententiæ justificatio ex actis frequentes parit quæstiones, ob limitationes, quas generica juris regula patitur, ut 121
sententia sine actis in nulla sit consideratione habenda; Istam namque regulam longissimi temporis antiquitas cessare facit ubi observantiam quoque univocam, non autem æquivocam, ac pacificam habeant admixtam genericæ extrinsecarum solemnitatum præsumptionis adinstar, ut in prohibitarum alienationum advertitur sede; Atque excipiendo quoque sine actis sententia attenditur nisi talis exceptio sit ut ejus admissio implicitam redoleat executionem.

An autem cum novis ejus admittenda sit justificatio, in sequenti advertitur Rubrica occasione agendi an ex novis impugnari valeat; In executore, vel in illo, qui pro sententiæ executione a proprio Judice demandata bra- 122
chium impartiri debet, vel opem præstare, quæstio est, an eadem actorum desideranda veniat justificatio, sive an ipse de exequendæ sententiæ justitia cognoscat;

Idque

Idque certam ac genericam non recipit regulam, stylorum prohibente varietate; Ea vero generica desuper distinctio cadit inter facti nudum executorem, ac ministrum nullam habentem Judicis, vel judicis partem; Et e converso executorem, qui juris quoque dicatur Judicis, vel magistratus partes in eo territorio, vel personarum genere exercendo, ut in prima executoris specie actorum justificatio desiderari non soleat, In altera vero secus; Locorum tamen stylis ut præmissum est desuper principatum obtinentibus deferendum cum aliis in sua sede. *a*

a de his omnibus super sententia, & re judicata, disc. 36. & 40. hoc tit.

X.

De tribus nullitatis, appellationis, & restitutionis in integrum remediis adversus judicatum competentibus; Et de aliis modificativis remediis, vel exceptionibus ejusdem judicati impedientibus executionem.

NUllitatis remedium, rei judicatæ, vel trium conformium non agnoscit subjectionem; Sententia
123 namque nulla, sive diffinitiva, sive interlocutoria sit, vel personalis, neque tali nomine digna est, multoque minus effectu, ideoque nunquam in judicatum transit, minusque plurium conformium constituit numerum, nullosque alios operatur effectus, ex generica regula, quæ paritatem constituit inter nullum, & nihil; ideoque nullum est privilegium sententiis attributum, ut iis congruat, quæ nullitate laborant.

Legum tamen civilium præsertim superstitiosos rigores Romanæ Curiæ praxis ex Pontificiis legibus Tribunalium
124 reformatoriis commendabiliter temperavit, tres tantum substantiales attendendo nullitates ex jurisdictionis, citationis, & mandati defectu resultantes, aliis neglectis, nisi loci, in quo causa peracta sit, scripta, vel non scripta qualitas aliter suadeat, vel adeo notabilis defectus esset ut præmissis tribus substantialibus æquipolleat, sive eorum aliquem implicet.

Temporis quæstiones super facultate de hoc opponendi defectu cadunt, ex juris communis regulis agendo ad longissimi triginta annorum spatium, eam restringen-
125 do, excipiendo tamen perpetua sit; Aliquæ vero particulares leges, ut præsertim in Urbe statutaria habetur perpetuitatem exceptioni præservando, actioni brevem unius anni terminum concedunt; rara vero hujus restrictionis est praxis, ob eam, quam patitur limitationem quæ ex spolii mixtura resultat; ea namque nullitas, quæ spolium admixtum habeat, eodem spolii potitur privilegio, ut juxta magis benignam sententiam, quam curia sequitur, non minori longissimi temporis de decursu tollatur, altera sententia perpetuam ac impræscriptibilem istam spolii cedente actionem.

Isto autem nullitatis posito vitio, revocandi modus quandoque producit quæstiones ex commendabili quidem
126 Romanæ Curiæ stylo inanes abhorrente circuitus, ac resecante formalitates, nullam scilicet prioris instantiæ sententiam, quæ tamen justa sit in secunda instantia, annullando quidem, sed contemporanee approbando tanquam in prima; An scilicet allegante nullitatem instantiæ, ut ad illius declarationem tantum procedendum sit, victorem cogendo ad novi ex integro judicii institutionem assumendam, postquam priori invalido renunciatum fuerit cum ejus expensarum refectione, ut legum exigit rigor; Eaque distinctio est, an clara valdeque considerabilis, vel turbida, seu levis esset nullitas, ut posteriori casu præmisso stylo præbendo locum, negligatur rigor, qui veniat priori casu attendendus, quatenus ab initio facta sit oppositio, secus autem tarde, atque post discussatum, magis vero si post instructam causam, ideoque circumspecte sensati Judices in hoc se habeant, istos legales rigores, ac formalitates, inanesque circuitus quo magis fieri potest effugiendo, quod nimia commendatione dignum censendum est. *b*

Istum vero nullitatis defectum, nedum malus judicii ordo inducit, sed etiam illa injustitiæ species, quæ
127 notoria dicitur, cum ea nullitati æquivaleat, eosdemque operetur effectus, atque hanc speciem frequentius Romana Curia prosequitur, magis autem raro alteram speciem nullitatis, quæ ratione ordinis principaliter deducatur, atque de ea inferius in Rubrica possessorii judicii agitur, ac in altera executionis de istius retractatione agendo.

Alterum restitutionis in integrum remedium, pariter rei judicatæ, vel trium conformium, vel alterius extraordinarii privilegii, quod judici, vel judicio competat, 128
non agnoscit subjectionem, cum iis proprie congruat casibus, qui ordinarium appellationis excludant remedium, istud extraordinarium restitutionis in integrum paratum sit; Ubi etenim ordinaria suppetant remedia, extraordinariis locus non est præbendus.

Dupliciter autem istud practicari solet beneficium; In privilegiatis nempe a lege, ut minores aliique similes 129
esse dignoscuntur, vel in iis qui legitimo fuerint detenti impedimento, adversus non interpositam in tempore, vel non prosecutam appellationem; Et generaliter in iis qui nullo prædiii sint privilegio, nullamque habeant impedimenti excusationem, ob eam læsionem, quæ ab injustitia resultat.

Primam speciem incidenter potius quam principaliter Curia tractat, ad illum effectum, ut alterum ordinarium appellationis remedium non cesset, quia nempe victore rem judicatam, ob non interpositam, vel non prosecutam appellationem prætendente de hac in integrum restitutione excipiat, quæ jus appellandi, vel interpositam prosequendi appellationem conservet; Alteram vero cui præbeat locum injustitia, frequentior, peneque quotidiana est, sub principali cadens disputatione, ut re judicata supposita cum isto consulatur beneficio.

Ejus itaque fundamentum injustitia est, sine qua, Lesione cessante, istam restitutionis speciem denegari est receptum, personarum privilegio, vel qualitate, seu distinctione neglectis, ut sicuti injustitia accedente non privilegiatis quoque competat, ita ea cessante privilegiatis denegetur.

Notoriam tamen, seu manifestam esse debere non desideratur, cum ista præmissum alium magis proficuum nullitatis operetur effectum, ut propterea extraordinarium reintegrationis, vel manutentionis possessorium competat remedium, ut in possessorii judicii rubrica inferius advertitur, ideoque pro Romanæ Curiæ receptis sensibus, illa sufficit injustitia, quæ ad notoriæ, vel manifestæ differentiam, simplex, vel ordinaria dicitur, exindeque resultat, quod cæremoniæ speciem res judicata redolere videatur.

Nimium etenim Curia fimbrias in hoc dilatasse videtur, cum etiam ex novis juribus, ad hujus remedii effectum, 130
injustitiam deduci posse credat, ex eisdem eam desiderando justificationem, quæ in altera manifestæ, vel notoriæ injustitiæ specie desideratur, ut nova non admittat jura, nisi ea, quæ ad antiquorum tendant corroborationem, majoremque firmitatem, vel declarationem.

De ista vero justificatione, vel respective impugnatione, ex eisdem requisitis, vel ea novis admittenda, 131
cum ordinarii & executivi judicii distinctione; Ac etiam an ex integro, vel potius antiqua jura confovendo nova deducantur, sive an re integra ante factam executionem, vel postea in sua sede latius videndum est, cum multas habeat distinctiones, certam non de facili sub compendio explicabilem admittentes regulam.

Eundem retardationis, vel suspensionis effectum, quem appellatio operatur, an ista restitutio in integrum quoque inducat, sub quæstione cadit, cum ea deciden- 132
da distinctione, an cœpta, vel non cœpta sit executio, ut primo casu non suspendat, posteriori vero secus, ideoque eosdem appellationis operetur effectus; Applicationis, vel facti frequenter cadente quæstione, quando executio cœpta esse dicatur, idemque certam, ac uniformem non recipit regulam ob varios Tribunalium stylos, quibus est deferendum. *c*

Tertium itaque ordinarium, magisque frequens assumendo appellationis remedium, illud triplicem habet 133
inspectionem; Primo nempe super facultatis appellandi competentia, vel incompetentia ad utrumque devolutivum, ac suspensivum effectum, vel respective ad unum, & non alterum; Secundo super modo, ac super tempore illam interponendi; Et tertio super ejus prosecutione, totoque alterius instantiæ processu. *d*

Prima inspectio duas distinctiones recipit; Unam nempe super omnimoda incompetentia, quia nempe ad 134
neutrum effectum facultas appellandi præclusa sit, idque in causis brevibus, vel modici momenti, pro diverso tamen locorum, vel Tribunalium stylo contingit, ideoque certam non habet regulam; Ac etiam quia per animatam, vel inanimatam legem, appellatio sublata sit, ut in iis præ-

sertim contingit causis, quæ appellatione remota per supremum Principem commissæ sint, ac etiam ubi de tribus agatur conformibus ex juris regula prohibente tertio appellare, quia uti superius insinuatum est ex locali lege, duarum sufficiat conformitas.

Altera vero frequentior, omniumque forte major est inspectio super effectu potius, quam substantia, an scilicet suspensivum, cui appellantes magis insistere solent, operetur effectum, vel potius non impedita, vel præservata Judicis facultate, suum exequendi judicatum, devolutivus tantum concedatur effectus; Idque pariter certam non habet regulam; Quamvis etenim ista facultas appellandi ad utrumque assistat, ideoque appellatio limitationem prætendenti, in dubio non præsumendam onus incumbat probandi; Plerisque tamen apud utramque civilem, & canonicam legem habentur casus suspensivum adimentes effectum, aliique majores, ea particularibus, seu localibus legibus, vel ex Partium conventionibus resultant, pro quorum singulis ad suam recurrendum est sedem; Ubi præsertim de illa inter utramque civilem, & canonicam legem discrepantia, quæ in possessoriis dignoscitur judiciis inferius quoque insinuata, de eisdem possessoriis judiciis agendo.

Utroque vero casu omnimodæ denegationis facultatis appellandi, vel alterius ad unum, vel alterum effectum,
135 ea subintrat conditio validitatis, ac justitiæ judicati; ideoque, vel ex regula, ut frivola, & injusta, non autem justa appellatio sublata censeatur, vel ex cumulo aliorum superius actorum remediorum, nullitatis ac restitutionis in integrum, pro Curiæ stylo in utriusque Gratiæ, & Justitiæ Signaturæ Tribunalibus, quibus incumbit appellationis, aliorumque remediorum causas committere; In executivis autem, & privilegiatis judiciis, appellationem excludentibus, validitatis, & justitiæ assumuntur inspectiones, pro singulorum casuum qualitate, diversimode rescribendo; Quandoque scilicet rescriptum, vel commissionem omnino denegando, & quandoque illam ad solum devolutivum effectum concedendo, facultatem Judici, a quo exequendi præservando; Quandoque, causæ natura non obstante, simpliciter ad utrumque effectum committendo; Et quandoque, ubi ea turbiditas adsit, quæ altiorem exigat indaginem judicis ad quem rescribendo, an suspensivus effectus admittendus, vel rejiciendus veniat juxta diversas clausulas, vel formulas in sua sede videndas, utpote non de facili sub compendio explicabiles.

In diffinitivis autem, præmissa procedit regula, cujus
136 limitationes insinuatas habent quæstiones; In interlocutoriis autem ac provisionalibus regula est in oppositum, ex injustitia, vel gravamina recipiens limitationem.

Tempus ad appellationem interponendam per jus civile, a quo non discordat canonicum, decem dierum præfinitionem habet, a die scientiæ, qua certa, & ex-
137 pressa concurrente nulla cadit excusatio; Ubi vero ficta, vel præsumpta sit, ut in intimatione domi, vel per edictum facta, seu alias quam de persona, quamvis ejusdem termini lapsus attendatur, ut attentatorum vitium in iis, quæ postea gesta sint, excusetur, adhuc tamen appellandi facultas non tollitur, dummodo intra eundem terminum post scientiam.

Modus vero certam non habet regulam, vel formam, minusque scripturam exigit, sed verbis quoque fieri potest, locorum autem, vel Tribunalium styli materiam
138 regulant, facultate tamen in appellante præsupposita, ex vero, vel præsumpto mandato, ubi per alieni negotii gestorem interponatur.

Adhæsionis quoque appellari inspectio cadere solet, ut per eam appellantis excludatur pœnitentia, sive quod in ulteriori instantia neglectam, vel moderatam condemna-
139 tionem appellatus petere valeat, ut ea major sequatur eidemque adhæsioni ad primum præsertim effectum, idem pro regula statutus est terminus; Adhuc tamen Tribunalium stylis materiam regulantibus deferendum est.

Pro Curiæ item stylo, solus non sufficit appellationis actus, qui intra præmissum tempus secutus esset, nisi infra æqualem aliorum decem dierum terminum causæ
140 obtineatur commissio, vel saltim debitæ adhibeantur diligentiæ, ut in sua sede latius, magisque distincte, ibique de altera tedius pro responsione de apostolis, quæ appellanti infra triginta dierum spatium incumbit.

Appellationis legitime interpositæ prosecutio in utraque civili, & canonica lege diversam habet formam; Civi-
141 lis etenim breviorem quadraginta dierum statuit terminum; Canonica vero, ubi de Curialibus agatur causis unius anni, ubi vero extra Curiam, biennii terminum statuit, per Judicem a quo non abbreviandum; Bene tamen per Signaturam Justitiæ abbreviari solitum; Itaque tempora fatalium sortiuntur vocabulum, quorum lapsum justa excusant impedimenta, infirmitatis puta, vel carcerationis, vel paupertatis, alteriusve accidentis; vel infortunii, sive humanum, vel divinum bellum, aut in causis commissariis Apostolicæ Sedis vacatio cum similibus, quibus eadem congruat ratio, ideoque certa, & uniformis non de facili desuper cadit regula facti, circumstantiis singulos regulantibus casus, ideoq; Signaturæ stylus est, elapso etiam tempore appellantem monere, eique brevem terminum ad prosecutionem indulgere.

Actorum prioris instantiæ transportatio necessaria est, ut appellationis Judex ad causæ decisionem legitime pro- 142
cedere valeat; Ea inter Ecclesiasticas, & prophanas causas constituta differentia, ut in prima specie omnium actorum, tam relevantium, quam irrelevantium, ejusdem tamen causæ, non autem diversæ integra requiratur transportatio pro forma a Tridentino Concilio præscripta, in altera vero relevantium tantum sufficiat; Super integritate vero Notarii deferatur attestationi, donec de contrario constet.

In iis autem incidentibus hæc integra transportatio non exigitur, quæ ex aliquo solum actu comprobentur, ut in attentatis præsertim dignoscitur, ac similibus, quibus eadem congruat ratio.

Quamvis item ob clausulas in commissione contentas, vel ob evidentem prioris sententiæ, vel decreti nullitatem frequenter appellationis Judex procedendi ex integro, & tanquam in prima facultatem habeat; Ad alios tamen id prodest effectus, non autem ad istum ab actorum transportatione excusandi.

Fatalibus decursis, nullaque justa excusationis, vel restitutionis in integrum causa accedente, deserta sit appellatio perinde habenda, ac si ea interposita non es- 143
set, ideoque sententia rei judicatæ assumit speciem; Quæstione cadente, an desertio judicis ad quem declaratoria indigeat sententia, magisque recepta est affirmativa, ubi ejusdem accedat inhibitio, cujus moderatio pro Curiæ stylo hujusmodi declaratoriæ vim habet, ut in sua sede latius. e

Ultra præmissa tria nullitatis restitutionis in integrum, & appellationis remedia, non desunt alia rei judicatæ executionem, vel effectum impedientia sub modificativarum exceptionum vocabulis explicari solita, quia nem- 144
pe absque judicati impugnatione, illius tamen impediatur executio, per compensationem puta cum alio credito de jure compensabili, vel per retentionem, quæ sua habeat extrema habilia, f sive per actionum confusionem, ob superventum hæreditarium victoris titulum, aut ob cessationem causæ, vel occasionis debendi, quia debitum occasionale sit cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

Præsertim vero ubi judicatum liquidum non sit, sed liquidatione indigeat, super qua res judicata non prohibet novas assumi quæstiones ipsam liquidationem, non autem judicati substantiam percutientes. g

Vel ubi victi privilegium eam impediat exequendi libertatem, quam alias victor privilegio cessante haberet, ut in iis contingit, quibus reverentia debita sit, vel ubi clericalis, vel militaris ordinis decor, seu privilegium id concedat, vel publici Magistratus ratio suadeat, cum similibus in debiti, & crediti sede recensitis, ac etiam in sequenti executionis Rubrica.

Melioramentorum item exceptio, illius judicati modificativa est, quod rei a tertio possessæ vendicationem percutiat, adeo ut personale victi non importet debitum, ideoque melioramentorum refectio recte petitur, solaque intrat quæstio, an executionem impediat, vel potius cum refectionis cautione tollatur, idque variam habet Tribunalium praxim, diversasque recipit distinctiones in sua sede videndas, utpote sub compendio non de facili explicabiles.

Quamvis item appellationis Judex, juris attenta censura priori instantiæ sententiam confirmare, vel infirmare te- 145
neatur; De commendabili tamen Curiæ stylo re integra, & ante executionem eam reformare potest, excessum resecando; Quinimo ut præmissum est, eandem sententiam, & si omnino nullam eam explicite, vel implicite infirmare, ipsoquemet contextu ex integro, sed tan-

quam

quam in prima, ubi justa sit approbare, nisi nullitatis evidentia, & Partis protestatio causæ initio facta ut superius dictum est, contrarium suadeat, vel jam facta executio.

Quemadmodum autem, reformare, seu minuere prioris instantiæ sententiam potest, ita quoque augere, at-
146 que in plus condemnare, quam prior Judex fecerit ob victoriæ supra enunciatam adhæsionem.

Ea item appellatio, quæ ab interlocutoria incidentia concernente interponatur, ut præmissum est donec superioris accedat inhibitio spernitur, istaque inhibitio a Metropolitano præsertim, alioque Ecclesiastico Superiore con-
47 cedenda non est, nisi irreparabile gravamen interlocutoria sententia contineat, vel diffinitivæ vim habeat, ideoque alias concessa moderanda est; Gravamine vero accedente illum hæc appellatio operatur effectum ut totam devolvat causam, atque prioris Instantiæ Judicem gravantem ulteriori ejus privet cognitione, dum semel illarum gravamen super incidenti justum in gravato timorem, justamque suspicionem futuri majoris gravaminis inducit. *h*

b *disc. 38. hoc tit.* e *d. disc. 38.*
d *de hoc remedio disc. 37.* e *d. disc. 37. per tot.*
f *disc. 41.* g *disc. 33.* h *d. disc. 37.*

XI.

De judicati executione, atque istius variis speciebus, personalis nempe realis, & spiritualis, ac de reali consummatione per subhastationem, vel adjudicationem.

SOla res judicata, adhuc executioni non demandata, nec dominium, nec possessionem a victo aufert, mi-
148 nusque unum, vel alterum transfert in victorem, ideoque executionis actus desiderandus venit, in ea rei judicatæ specie cadente quæstione, quæ Rei conventi contineat absolutionem. An ista juris ministerio, absque illo hominis implicitam habeat executionem, idque varias habet opiniones, variasque recipit distinctiones in sua sede videndas, cum non de facili certa desuper cadat regula sub compendio explicabilis.

Executionis itaque actu desiderato, atque accedere debente, ea triplicem habet speciem, personalem nempe, realem, & spiritualem.

Personalis ea est, quæ in personæ carceratione, vel
149 æquipollenti molestia consistit, Istamque fieri posse generica statuit regula; Pluribus tamen subjecta limitationibus, in debiti, & crediti Sede in magna parte recensitis, quia nempe magnatitia, vel militaris, aut clericalis qualitas prohibeat sive eandem inducat prohibitionem reverentiæ debitum, filii erga parentem, conjugis erga alterum, donatarii, vel beneficiati, erga donatorem, vel benefactorem cum similibus, quibus eadem congruat ratio; Quæstionibus cadentibus respectu fratris, vel soceri, aut generi respective certam non habentibus regulam, cum a locorum, & Tribunalium stylis decisionem recipiat; Idemque in illa hujus executionis exemptione, quam publicus Magistratus, vel gravis ætas, vel sexus, vel nobilitas, sive gradus doctoratus, aliæve similes inducant qualitates; Ideoque deferendum est stylis, ex quibus etiam clericalis, vel militaris, aut reverentialis hæc prærogativa cessat, ob aliquam probabilem ejus inductivam causam, quæ juris communis etiam dispositione attenta, eandem producat limitationem, puta paupertas, majorque commiseratio creditoris, vel debitoris dolus, aliave criminosa causa, ex qua debitum proveniat, cum aliis in sua sede latius, magisque distincte. *h*

150 Ignominiosa quoque bonorum cessio etiam in iis, quibus præmissæ non congruant rationes, istam personalem impedit, vel tollit executionem; Id autem pariter ex locorum, ac Tribunalium stylis normam recipit, ideoque certam, ac uniformem non habet regulam, ubique tamen nimium rara hujus miserabilis beneficii est praxis; Vel quia creditoris non intersit illud exercere, ne melioris fortunæ sibi auferatur beneficium, ideoque huic executioni cedat; Vel quia in magnis præsertim Civitatibus, & Tribunalibus majores Magistratus carcerum visitationem habere soliti, provisiones desuper capiunt juxta varios stylos, quibus est deferendum. *l*

Eandem praxim quoque raram, altera afficit praxis, quæ
151 istius executionis progressum frequenter impedit, quia nempe, Curiæ præsertim praxi ita docente, creditor pauperem debitorem in carceribus detentum, ideoque victum sibi quærere impeditum alere cogatur. *m*

Card. de Luca, Lib. XV.

Ea vero pœnalis luitio in persona, quæ pro civili 152
debito, vel implemento per antiquas leges demandabatur ex regula, vel axiomate, ut qui in ære non habet, luat in corpore, ab aula ubique recessisse videtur in eo practicanda casu, ut debitum aliudve implementum ex crimine, seu criminosa causa manet, ut propterea ipsius criminis pœna sit, quæ ære redimi poterat, ut unam, vel alteram criminosus sentiat pœnam.

Realis item executio plures habet species, quarum una 153
pignoris, vel detentionis rationem habet, ut ita debitor ad debitum implementum impellatur; Altera quæ magis indirecta sit sub gravatoriæ vocabulo explicari solita, quia nempe non in ipsa re, vel facto, quod ex judicato præstari debet, executio fiat, quia forte practicabilis non sit, sed in pecuniaria, vel æquipollenti præstatione singulis temporibus, vel diebus facienda, donec impleat, atque judicato pareat.

Altera quoque indirecta, seu obliqua realis executio est, quæ in una re loco alterius fiat; Quia nempe ipso victo, directe, vel indirecte, judicati directam executionem impediente in ea re, in qua judicatum prodierit, in altera quæ sub exequentis potestate sit sine impedimento executivo fiat per cujusdam repræsaliæ speciem. *n*

Vere autem, ac proprie realis directa executio ea est, quæ in ipsa sequatur re in lite, ac judicato cadente, ut in mere realibus petitorii, vel possessorii judiciis contingit, ut directe Judicis auctoritate Victor controversam rem ex judicato sibi decretam assequatur.

Frequentior vero ea est realis executionis species, quæ revera indirecta, seu mixta est, quia nempe pro personali debito, vel impedimento, creditore, seu victore istam potius realem, quam personalem eligat coactionis, vel adstrictionis speciem, ut debitoris, seu victi bona in prætorium pignus Judicis auctoritate cadere curet, eodemque debitore, seu victo adimplere negligente ad ejusdem prætorii pignoris procedatur venditionem, ut ex pretio debiti soluto sequatur, sive ut solutionis loco, ejusdem rei ipsi fiat adjudicatio. *o*

Super utriusque vero executionis realis, & personalis
cumulo, vel simultaneo concursu quæstiones cadere so- 154
lent; Sive super earum variatione, an unam earum cœptam deserere, atque ad aliam convocare liceat; Vel super ordine in exequendis bonis tenendo, an super mobilibus prius, quam immobilibus; Vel super immobilibus minus pretiosis conspicuis debite proportionatis; Aut super allodialibus prius, quam feudalibus; Atque in eodem feudalium genere, super iis quæ titulo, vel dignitate decorata sint potius, quam dignitatem annexam habentibus cum similibus.

In his vero, certa, & generica, ubique applicabilis regula statuenda non est; Quamvis enim civilis juris rigor creditori optionem præbeat, pro ejus arbitrio, unam, vel alteram executionis speciem sive realem in una, vel altera re, vel in pluribus facere, ut quo magis debitor molestiarum cumulum recipit, eo magis ad debiti solutionem aliudve implementum impellatur; Ex non scripta tamen æquitate judicis intrat officium super istius effrænati arbitrii refrænatione pro locorum, ac Tribunalium stylis, quorum diversitas certam, ac uniformem statui regulam prohibet.

Isto vero officio moderativo non interposito, si effrænatum, quod juris rigor concedit, exerceatur arbitrium
in re, cujus valor longe debitum excedat, non exinde 155
tamen executionis, ejusque consummationis illa resultat infectio, quam excessus etiam in minimis de jure in totum causat, cum quoties loci, vel Tribunalis stylus, ubi dividua sit, eam in summa debita non sustineat; In eo tamen in procedit excessu, qui in sententia, vel judicio consistat, sive in eo Judicis mandato, cujus vigore executio facta sit; Creditore non prohibito, ex rei majoris valoris venditione suum consequi creditum, pretii excessu debitoris cedente commodo, ideoque pro locorum stylo sub deposito ponendo. *p*

Tertii frequentius oppositio super faciendæ execution 156
impedimento, vel jam factæ retractatione quæ præparit, quia nempe alterius quam debitoris Romanæ tendantur, illam adhibendo cautelam, qua autem du- Curiæ Practici, *Angeli*, vulgo appellatæ super facienplicem habet inspectionem; Unam alteram super jam dæ executionis impedimento 15 2 factæ

factæ retractatione; In prima vero specie, quam frequentius debitorum uxores pro dotis cautela practicare solent, illa cadit distinctio, an tertius oppositor dominii, vel potius pignoris, & hypothecæ jus, vel titulum alleget, ut priori casu impediat, si ejusdem tituli talem exhibeat justificationem, vel fumum, ut exaudiri mereatur, ubi possessor, vel detentor sit; Ideoque in praxi creditor, cui tale præstatur impedimentum, tertium oppositorem, qui præmissam adhibeat *Angeli* cautelam moneri curet, ut intra præfinitum tempus ejusdem cautelæ exhibeat justificationem, qua non accedente ad executionis, & consumationis ulteriores procedatur actus.

Ubi vero jure pignoris, vel hypothecæ de retentione potius opponatur, executionem, ejusque progressum id non impedit, anterioritatis, vel potioritatis neglecta allegatione, quinimo justificatione ex juris regula, ut anterior creditor posteriori executionem, ejusque consummationem non prohibeat, ita tamen pretii liberatione, & repartitione augeatur, in qua debitus anterioritatis, ac potioritatis ordo servetur, illam pro Curiæ stylo illius tertii oppositoris favore, qui rem detineat adhibendo praxim, ut interim a possessione, vel detentione non amoveatur, dum compatibile est rem jure pignoris ab ab uno detineri, alteri autem jure creditoris vendi.

Si vero de jam facta retractatione agatur decisio, a facti pendet justificatione, an oppositor non debitoris, sed propria ea bona esse probet, præsumptio vero in debito executioni assistit. q

Legitima vero facta executione, per quam prætorium pignus in executa bonia constitui, Juristæ dicunt ad
157 consummationem, cum ea venditione, quæ ad publicam hastam Judicis exequentis auctoritate fiat, procedendum est, ut ex pretio obtineatur judicati finis, vel effectus.

Istius vero venditionis, cui subhastationis vocabulum tribuitur, ut a voluntaria, seu conventionali distinguatur, forma, vel solemnitas, certam non habet formam, seu regulam, super termino reluitionis, qui debitori assignari debeat, sive super trinæ oblationia necessitate, vel præconis, aut edictorum publicitate, in quibus, aliisque similibus, Tribunalium stylo deferendum est; Idemque stylus alteram decidit quæstionem, super præviæ æstimationis requisito.

Ea tamen juris communis generica habetur regula, ut meliori oblatori deliberatio facienda sit, cum ita Judex, legalis administratoris, debitoria, & creditoris facere potius dicatur partem, ideoque alienum jus remittere, vel diminuere non valeat, minori oblatori bona decernendo.

Ac etiam, ut oblatum pretium prompte, ac numerato solvatur, vel deponatur interdicta ea venditione, quę fiat pecunia credita, nisi creditoris talis accedat assensus, qui illum inducat liberationis debitoris effectum, quem prompta, & numerata pecunia pareret; Magis vero, ubi debitoris quoque consensus accedat.

Eidem creditori, quo petente subhastatio fiat, magis apud modernos receptum est, antiquorum neglecta dubitatione, licitum esse publice, ac palam cujuslibet tertii, vel extranei more licitatoris, vel oblatoris gerere personam, ac partes, nisi Judicis, vel Tribunalis prohibeat stylus totius materiæ in reliquis regulator.

Justo autem non reperto oblatore, cui rem delibe-
158 randam Judex non credat, eidem creditori volenti fit adjudicatio, quam certius æstimatio præcedere debeat; Adhuc tamen certam, ac uniformem, ubique applicabilem, id non habet regulam, cum pariter a Judicis, vel Tribunalis pendeat stylo in ea præsertim deductione, quæ ab æstimato pretio adjudicatarii favore facienda sit; Prout stylus redimendi facultatem in debitore regulat, aliaque desuper cadentia in sua sede latius acta ibique pro opportunitate videnda. r

Executionis, juxta præmissa consummatione secuta,
159 ejusque justa superveniente impugnatione, quia nempe pro indebito eam factam esse debitor, seu victus prætendat; Ea cadit distinctio, an ex ipsis subhastationis actis, quæ tertio deliberatario innotescere possent, de infectione nullitatis, vel claræ injustitiæ ratione constet, quin potius executionem passus ex novis indebitum, vel injustitiam probet; ut priori casu retractationem debitor juste obtineat in extraordinario etiam manutentionis, vel reintegrationis possessorio remedio; In altero vero secus, ideoque tertio deliberatario tute subhastata, ac deliberata bona obtinente ille, qui executionem passus est, adversus creditorem suas diriget actiones pro accepti pretii restitutione; Nisi idem creditor alteram oblatoris, vel deliberatarii personam quoque gesserit, ut tunc quædam non scripta æquitas, eandem suadeat actus retrotractionem.

Quæstio autem cadit, an ultra acceptum pretium ad re- 160
fectionem ejus, quod debitoris intersit subhastationem factam esse indebitus creditor teneatur, qood a bona, vel respective mala fide decisionem expectat; Aliaque certam, ac genericam regulam sub compendio explicabilem non de facili recipientia in sua videnda sont sede. f

Tertia demum ea est executionis species, quæ spiritualis dicitur, atque in animæ laqueo, vel in spiritualium jurium interdictione cum censurarum ecclesiasticarum gladio, seu remedio fieri solita est, ut ita morosus, & contumax 161
debitor ad id, quod debet, solvendum, vel adimplendum, debitamque judicato paritionem implcatur, juxta alibi insinuatas censurarum tres species, excommunicationis, suspensionis, & interdicti; Et quæ pro Curiæ stylo, sub sub declaratoriarum explicatior vocabulo.

Subsidiarium vero istud est remedium, quod in contumaciæ potius, ac proterviæ pœnam, quam pro temporali implemento, adhibetur, ubi nempe aliorum realia, & personalia desint remedia, ex ejusdem debitoris directo, vel indirecto impedimento, ideoque sibi imputent, qui indebitum præstent, vel præstari curent impedimentum; Ubi etenim illud impotentiæ, vel alias justum sit, ab hoc abstinetur executionia modo; Ac propterea plores monitiones, ac terminorum adhibentur præfinitiones apud Practicoa inspiciendæ; Sub propria censurarum sede explicatis earum diversa qualitate, & effectibus. t

i *disc. 38. & 40.* k *de Credito, disc. 188. & seqq.*
l *in Relat. Curiæ, discr. 29. & in ejus adnot.*
m *de Credito, disc. 118. & disc. 253.* n *disc. 40. hoc tit.*
o *d. disc. 40. & in ejus Adnot. ubi de variis declarationibus in hac materia subhastationis.*
p *d. disc. 40.* q *de hac cautela Angeli habetur eod. disc. 40. & in ejus adnot.*
r *d. disc. 40. & in ejus adnot.* f *ibidem.*
t *In Miscell. Ecclesiast. hoc tit. disc. 40.*

XII.

De Attentatis, eorumque effectibus, & revocatione.

QUamvis istud attentatorum crimen, in ipso causæ indecisæ initio, vel progressu objici quoque soleat, ideoque inter dilatorias exceptiones, ista attenta-
torum computetur; Quia tamen frequentiorem hujus 162
materiæ praxim experientia docet in illa attentatorum specie, quæ jam interposita appellatione pendente, vel infra terminum ad eam interponendam, ex judicati executione resultat, ob eam opinionem, ac stylorum frequentem diversitatem, quæ in Tribunalium, ac respective locis vigere dignoscitur, super appellationis effectu suspensivo; Hinc opportune post executionem de omnibus agitur attentatorum speciebus trinum statum habentibus, ob litis scilicet pendentiam, ob alteram pendentiam appellationia, & ob inhibitionem.

Super hac ultima specie magis raræ quæstiones, utpote in re magis clara, minusque limitationibus subje-
cta regula, quod inhibitio sive justa, sive injusta timen- 163
da est, eamque injustitiæ, vel inefficaciæ prætextu spernendi licentia non tribuitur, atque ita se judicem in causa propria constituere, nisi omnino certus, ac notorius esset jurisdictionis defectus, vel nisi illa commissio, a qua inhibentis jurisdictio manat, & cujus vigore secuta sit, moderativas, vel præservativas executionis contineat clausulas.

Super prima vero specie, quamvis certa quoque sit juris regula, quod quidquid lite pendente gestum sit, at-
tentatorum subjaceat vitio, super litis pendentia tamen 164
tanquam primo, ac necessario extremo verificationis quæstiones cadunt; Vel quia legitima litia introductio negetur; Vel quia negetur duratio ob extinctionem, vel cessationem, quæ a peremptione instantiæ, vel a desertione a longissimo resultante silentio; Vel a colligigantia naturali, vel civili morte resultet; Sive a renunciatione; Aut qood litis, & causæ negetur ea triplex personarum, rei, & actionis, quæ copulative desideratur identitas, ut una specie cessante resultet diversitas, quæ istam

tollit

ostit attentatorum speciem; Sive quod ille, cui crimen istud objicitur, collitigantem se neget, sed tertium, quem ista species non afficit, ubi per admissionem ad causam istam adhuc non effecerit propriam, minusque a collitigante jus metiatur, sed ejus dicatur assistens, & comes.

In altera demum specie, quæ ex appellatione resultat, 165 istius interpositio, vel interponendi legitima facultas, ob termini durationem eandem habet vim, ac operationem, ut quidquid gestum sit, huic attentatorum subjaceat vitio, facti vero, seu applicationis frequentiores oriuntur forus quæstiones; In illis etenim causis regula procedit, quæ suspensivam de sui natura appellationem admittant; Secus vero in iis, quæ ex causæ, vel judicii, aut Judicisqualitate, seu privilegio illam excludant, ideoque in unius, vel alterius naturæ, seu qualitatis verificatione cadunt quæstiones ab ea præsertim in possessoriis emanantes differentia, quæ inter canonicum, & civile jus viget, ex qua in Curia Ægidianæ Constitutionis operatio adeo frequentes habet quæstiones; Sive ubi difficilis, ac involuta vigeat legitimi contradictoris quæstio, vel altera meri, seu mixti executorie; Vel quod executivus, ac privilegiatus processus ab ea manet lege, cujus prætendatur inefficacia, ut in iis præsertim contingit legibus, vel stylis fori sæcularis, quæ causis alterius ecclesiastici fori applicentur; Aut quod judicati quamvis executivi, & privilegiati nullitas, vel evidens injustitia privilegium cessare faciat, eidemque suspensive operationi aperiat locum.

Hinc proinde manat, ut certam, ac genericam ista specie non admittat regulam, cum facti potius, & applicationis quæstio sit, decisionem frequentius recipiens in Curia ex Signatura Gratiæ, vel Justitiæ judicio, cui deferendum est, ubi per appellationis simpliciter admissionem, ac ad utrumque effectum, ita causa declaretur appellabilis vim retrotractivam hujusmodi declaratione habente, ut propterea inficiat, atque attentatum reddat quidquid medio gestum sit tempore; Quæstione cadente diversamque habere solita praxim, vel Tribunalium opinionum scissuram, ubi ea emanent rescripta media, ob quæ a futura Judicis ad quem determinatione pendeat appellabilitas, ut in sua sede magis distincte habetur.

Præmissis omnibus attentatorum speciebus, quæ illa generice congrui limitatio, quæ ex commutativi actus qualitate resultat, ex vulgari regula, ut quis continuat, 166 attentare non dicatur; Plures tamen hujusmodi regula declarationes recipiente illam præsertim, ut propria, & privata non autem alterius Judicis auctoritate sequatur continuatio; Ita tamen, ut in forma judicii id sequatur, Secus vero ubi ille, qui sit Judex tanquam vir potens de facto solum opem, ac assistentiam illi præstet, qui propria, ac privata auctoritate continuationis actus explicet pro facti qualitate, & circumstantiis id regulantibus.

Altera item datur declaratio, ut eodem quo prius modo fiat continuatio, non autem diverso, vel alterato cum in alteratione vitium cadat; Ac altera ubi ipsa continuatio, seu prior possessio, quæ continuari prætendatur in principali quæstione sit, utroque collitigante eandem prætendente continuationem, ideoque desuper specialis manet inhibitio, vel provisio.

167 Attentatorum vero juxta unam, vel alteram speciem vitio posito, nullitas gestorum, ac spoliativa qualitas intrat, ideoque attentate gestum tanquam nullum, ac spoliatovum est revocandum cum extraordinario etiam possessorio reintegrationis, vel manutentionis remedio, atque executivum, ac privilegiatum illud reputatur judicatum, quod super attentatorum revocatione sequatur, ubi tamen in summarii, & executivi judicii formam cum interlocutorio decreto fiat; secus vero si per diffinitivam sententiam in forma judicii ordinarii.

Attentati quoque injuncta est pœna denegationis au- 168 dientiæ, donec integer sequatur attentatorum purgatio, quæ privilegiata est, ut ante omnia sequi debeat, ideoque opposita, causæ, vel judicii impediat cursum seu progressum.

Ista vero purgatio, quæ voluntarie, pro audientiæ ob- 169 tentatione, ab attentante offeratur, sive quæ Judicis auctoritate, cum eodem attentante quamvis invito facienda sit, non solum in omnimoda consistit reductione in pristinum eorum, quæ attentante gesta sint, totum id retractando, quod innovatum esset, sed etiam in omnium

Card. de Luca, Lib. XV.

fructuum, & expensarum omniumque interesse refectione, quæ cum effectu sequatur, ideoque sola non sufficit reficiendi oblatio, vel obligatio, nisi ea suffragetur cautela, quæ in sua sede latius habetur.

Istum autem rigorem quandoque temperat Principis Indulgentia, ob quam aliquo justo accedente motivo, illo præsertim paupertatis, vel cessationis doli, ea reservetur in fine litis; Ac etiam aliquando pro eadem protractione judicis intrat æquitativum arbitrium, quod ratio scandali, vel inanis circuitus, aut publicæ deformationis exigat, ubi bonum jus attentanti assistat.

Ea vero hanc materiam regulare solet distinctio an dolosa necne sint attentata, ut primo casu isto denegetur æquitativum arbitrium, idque in ea attentatorum specie verificari dicitur, quæ in expressæ inhibitionis spretum, nulla probabili accedente excusatione, commissa 170 sint, ideoque facti dici solent; Idemque ubi in aliis speciebus eadem cadat ratio, quia nempe, omni probabili credulitate, vel alia cessante justa excusatione, eandem dolum, seu malitiam facti circumstantiæ comprobent, vel arguant, ideoque facti potius quam juris quæstio est certam ac genericam non apta recipere regulam.

In altero autem converso casu, ut dolo, atque malitia cessantibus, justaque accedente credulitate, vel excusatione, ex juris rigore, vel subtilitate attentata manent, quæ proinde juris dicuntur, facilius præmissum intrat æquitativum arbitrium, quod bonum jus, vel alia justa causa exigat.

Eundemque operatur effectum illa implicita hujus privilegii cessio, quæ ex negligentia, vel patientia resultet, quia nempe, qui ea passus est, ubi præsertim de iis minoribus agatur, quæ lite pendente gesta sint, ulteriori causæ, ac progressui, in negotio principali, consensum, 171 vel patientiam præstiterit; Sive quod sententiam, cujus executio intra terminum juris ad appellationem interponendam attentate facta sit, ob appellationem in tem- 172 pore non interpositam, in judicatum transitum fecerit, ut tunc attentatorum actio, vel remedium cesset, nullitatis vero vitio executio laboret.

In executivis quoque, ac privilegiatis judiciis, suspensivam excludentibus appellationem, nedum inhibitio, donec 173 revocetur, executionem sub attentatorum pœnis, prohibet; Verum etiam supersessoria, per eum ad quem pertinet, concessa, donec inspiciatur, an suspensiva quoque appellatio admittenda sit; Quinimo ipsi appellato intimatus recursus ad unam, vel alteram Signaturam aliosve ad quos pertineat Magistratus eundem operatur effectum ubi ipsi Victori, seu appellato id innotescat.

Quæstione cadente in causis extra Curiam quæ sint in partibus, ubi mora fit plurium, an Procuratori facta inhibitio, vel supersessoriæ, seu recursus notificatio principalem absentem in istud attentatorum crimen incurrere faciat; Idque pro regula a verisimili, vel inverisimili 174 notitia, seu certioratione decisionem recipit locorum; vel Tribunalium stylis nimium desuper attendendis.

Item ubi attentata passus est, præjudicialis consensus, vel patientia obstet, non prohibetur Judex, cujus ma- 175 jestas læsa sit ex officio purgationem demandare, atque audientiam denegare, aliasque attentatorum pœnas infligere cum aliis latius magisque distincte in sua videndis sede. u

u *de his omnibus hoc tit. disc.* 18. & 45.

XIII.

De fructuum restitutione, ac expensarum, aliorumque damnorum, & interesse refectione per victum victori facienda.

ATtentatorum, vel spolii accedente crimine nulla percipiendorum fructuum distinctio cadit minusque altera judicialium, & extrajudicialium expensarum, sive pro Curiæ loquendi usu, vivatum, & mortuatum; Omne siquidem damnum, vel interesse, quamvis amissi lucri 176 sit, quod altera Pars passa fuerit, reficiendum venit, sub damnorum, & interesse genere, quamvis sub altero fructuum, vel expensarum genere non cadat; Ideoque omnes præsertim expensas, Advocatorum, & Procuratorum aliorumque defensorum, vel Solicitatorum, & Copistarum; quinimo illæ quas ipse principalis non affectate, sed opportune fecerit, reficiendæ sunt; Idemque ubi æquipollens accedat criminosum impedimentum, cui eadem con-

 gruat

gruar ratio; Ut in eo præsertim frequentior Curiæ praxis docet, quod in Ecclesiasticis, vel spiritualibus causis, sæcularium Magistratuum damnatos præbeat recursus.

Crimine vero cessante, aliave malæ fidei ratione, quæ fructuum, vel damnorum, & interesse refectionem, alias quam litis, vel judicati causa producat, adeout de judi-
177 catis fructibus, & expensis tantum agatur; Quamvis fructuum respectu regula generica statuat restitutionem ob malam fidem quam lis in possessore inducere dicitur; In tempore tamen, non modica est quæstio, consuetam habens opinionum scissuram; Aliquibus eam magis benignam sequentibus opinionem ut ea judicati eventu mala fides possessoris regulanda sit, ideoque sententiæ tempus attendi debeat quasi quod litium eventus incertitudo, atque victoriæ spes per litigantes habita, antiquam bonam fidem adhuc conservet.

Altera vero in oppositum rigorosa opinio est, quam regulariter sequi Romana Curia profitetur ut a die motæ, vel introductæ litis ista mala fides incipiat, ac regulanda sit.

Tertia vero media, magisque rationabilis opinio est ut facti potius, quam juris ista dicatur quæstio, certam, ac genericam non recipiens regulam; Sed pro iis decidendam facti circumstantiis, ex quibus mala fides oriri congrue judicetur, quia nempe talia exhibuerit jura talesve fecerit probationes, vel bene distinctas indicationes ut possessor juste de suo non jure suspicari potuerit, seque non dominum, vel non legitimum possessorem agnoscere, ideoque prudentis Judicis arbitrio remissum id sit, ut in sua sede latius.

Fructuum vero restitutionis obligatione posita, in perceptis tantum, vel in iis, qui pro perceptis de jure habendi sint, quia dolo, vel culpa lata percipere desierit,
178 obligatio cadit, non autem in iis non perceptis, quod diligens, vel diligentissimus percepisset, cum cogi non debeat possessor æmuli, & collitigantis diligentem, vel diligentissimam gerere administrationem.

In iis item fructibus ista cadit obligatio, quod ipsa res, quæ in lite fuerit, produxerit in eo, in quo erat antiquo statu, ad quem actori competeret vendicatio aliave actio, non autem in iis fructibus quos possesso-
179 ris melioramenta vel personalis industria, vel auctoritas produxerit, cum victori quod suum est obtinere sufficere debeat.

Quamvis enim ubi judicatum dominii jure victori rem decernat, inseparabilia melioramenta utpote solo cedentia, sub eodem cadant dominio, meliorator autem æstimationis, vel quantitatis efficiatur creditor, ideoque una opinio, cum rigorosa procedens juris censura, fructus deneget tanquam usurarias prohibitas pecuniarii, seu quantitativi crediti accessiones; Probabilior tamen magisque recepta est altera opinio majori innixa æquitati, quæ ex alieno locupletationem prohibet, ac propterea melioranti decernat.

Extrinsecum, vel accidentale interesse, ob non perceptos fructus, quos tamen a tertio habitos, victor lite pendente amiserit, an per victum reficiendum sit, quæ-
180 stio est negative pro regula decidenda, nisi dolus, vel talis culpa, seu mala fides, quæ dolo, vel spolio æquivaleat, regulæ suadeat limitationem, eundemque præmissum operetur effectum, quem spolium, vel attentata, aliave criminosa impedimenta operantur.

Favorabilis sententia, vel instantiæ peremptio, aut litis desertio, vel res judicata, an bonam restituat fidem, sive eam tollat malam, quæ per litem inducta est, ut
181 instantiæ restauratione superventa, sive ex appellationis, vel restitutionis in integrum beneficio, retractata favorabili sententia, vel re judicata, retrotractivum operetur effectum pro intermedii temporis fructuum restitutione, quæ a litis initio regulanda sit; Idque magis rigorosa credit opinio, quam Romana præsertim Curia sequi videtur; Aspera tamen ea censenda est, discrete potius, vel diversimode, pro facti circumstantiis, justam redolentibus excusationem, vel bonam fidem restitutio regulanda sit.

Eorundem fructuum liquidatio, certam pariter, ac
182 genericam non habet regulam, cum ex eorum diversa pendeat qualitate; Quia tamen difficilis reputatur probationis; Ideirco eam leviorem admittit, atque a consuetudine præsertim, normam accipit; Ea tamen res judicata, vel trium conformium prærogativa, quæ in negotio principali executionem exigat, atque appellationis, vel restitutionis in integrum, quæ executionem impediat, præcludat viam, hujusmodi fructuum, vel expensarum liquidationi impedimentum non præstet, quin ab ea appellationem interponere liceat, quam tamen unam Curiæ stylus præbet.

In judicialibus autem expensis, juris communis attentis regulis, ea cadit distinctio, an victus, justam, vel injustam habuerit litigandi causam, ut propterea reus, vel 183
respective innocens censendus veniat illius temeritatis, cujus punitionem ista expensarum refectio collitiganti facienda continet; Justa namque litigandi causa accedente, quæ temeritatem excuset, ista debet cessare pœna.

Rotæ vero, aliorumque Romanæ Curiæ tribunalium, diversa est praxis, ut generice pro stylo victus victori ad expensas reficiendas condemnetur, nimium raro ista neglecta condemnatione, cujus tamen omissio victori appellandi ansam non præbet, implicitamque absolutionem continet.

Moderationem vero iste rigor in ejus praxi nimiam habet, in præmisso præsertim Rotæ Tribunali, aliisque Curiæ tribunalibus, diverso tamen inter ipsa vigente stylo, ut in judicialibus tantum quæ vitæ appellantur, eisque nimium moderatis taxatio fiat, sportularum præsertim refectionem Rota denegante, aliis autem tribunalibus concedentibus, diverso quoque tento stylo in Advocatorum, & Procuratorum, aliorumque defensorum mercedibus, vel honorariis, ut in sua sede latius, magisque distincte. *x*

x de hujusmodi refectione habetur, disc. 39. hoc tit. & in eis annot. ubi plura de propinarum abusu.

XIV.

De Judiciis executivis, & privilegiatis, tam in prophanis, quam in spiritualibus, vel beneficialibus.

Illa generica utriusque Juris regula, quæ superius in appellationis Rubrica insinuatur, appellationi, atque judiciario ordini in omni causa locum præbet, civilis legis di- 184
spositione attenta, raras habet limitationes, magis autem raras alia spectata Canonica lege, quæ in possessoriis judiciis, eam concedit appellationem, quam lex civilis denegat; Unde propterea in illis causis, quæ Urbem, universamque Ecclesiæ temporalem percutiunt ditionem, ob eam laicalem legem civilis Juris innovativam, quæ Ægidiana dicitur, adeo frequens forus quæstiones audit super fori, vel personarum, seu bonorum Ecclesiastica qualitate admixta, quæ præfatam laicalem legem excludendo, canonicam subintrare facit, ut suspensiva intret appellatio, atque summarius, & executivus excludatur processus, *y*

Donec itaque summarii, & executivi processus præ- 185
tensor de limitatione doceat, ob quam istud competat privilegium, cum præfata procedendum est regula, talis judicii, vel processus exclusiva.

Utriusque autem juris communis attento sensu, in iis 186
hæc limitatio procedit causis quæ celeritatem, promptamque desiderent provisionem, adeout appellationis, atque judicialia tales moræ irreparabile causent præjudicium; Ut præsertim in iis subsidiariis dignoscitur alimentis, quæ ex legia commiseratione, ac judicis officio de præsenti, vel de futuro debita sint; Aliave similia quibus eadem celeritatis, vel irreparabilitatis præjudicii.

Ac etiam alias valida transactio, utpote judicatæ vim habens ex utriusque juris dispositione, vel ratione processum pro ejus observantia exigit executivum.

Deposito quoque magis recepta opinio idem tribuit privilegium, ac etiam famulorum, vel operariorum diurno vel temporaneo salario, quod alimentorum speciem habeat; Illi autem pensioni quam conductor locatori præstare debet, ea magis pariter recepta sententia denegat, illa etiam publicia denegat instrumentis, quamvis jurisjurandi religione sint munita; Alios vero magis raros casus in sua sede perquirere congruit, cum non de facili sub compendiosa cadant explicatione.

Novarum autem generalium, vel particularium legum dispositio, sive consuetudo, aut Partium conventio, majores in hoc produxit limitationes; Atque de prophanis
prius agendo, ut postmodum ad spiritualia, vel Ecclesia- 187
stica deveniatur; Cambiorum literis, domorum habitationis pensionibus, bancorum vel campsorum cedulis, iisque negotiatorum schedulis, quæ numeratæ pecuniæ vicem habent negotiatorum pro commodiori commercio in-

induxit usus, quædam generalis consuetudo, istud executivis processus induait privilegium, ac ordinem.

Conventione item, & pacta, vel aliquæ conventio-
188 num clausulæ eandem frequentius faciunt operationem, ut in Romana præsertim Curia, illa est obligationis forma, quæ Cameræ Apostolicæ, seu cameralis dicitur, atque alibi guarantigia est, vel alia similis.

In iis itaque casibus in quibus ex communi, vel particulari scripta, vel non scripta lege, sive ex illa con-
189 ventionis istud competat summarium, & executivum judicium, præmissus actorum cessat ordo, utpote in ordinariis servandus judiciis, modus vero in eis tenendus, certam, ac uniformem non recipit regulam, cum a diversa tribunalium stylo, vel praxi pendeat, ut in sua sede ad quam recurrendum est, advertitur; z Ac etiam apud mechanicos practicos scriptores qui formulas ponunt, seu registrant.

In spiritualibus vero, sive ecclesiasticis causis, illis præsertim, quæ super morum correctione in visitatione agantur, Tridentinum Concilium eandem summariam, & executivam præscripsit formam; Ideoque ab eodem Con-
190 cilio, & Apostolicis legibus, vel decretis statutum est in iis quæ Ecclesiasticam concernant immunitatem, vel celerem, ac promptam exigant provisionem. a

In beneficialibus vero, ea est provisionum distinctio, ut in iis quæ per inferiores Prælatos, & collatores fiant,
191 ubi de parochialibus agatur per concursum ad formam a Tridentino Concilio præscriptam, quamvis appellationem ab irrationabili judicio prælectio percipiat, atque recepta praxis tribuat prælectum in Curia, vel coram Apostolico delegato, ad novum provocandi examen, non tamen impedienda sit executio cum animarum cura diuturnam non patiatur vacationem, ideoque de iis censenda sit quæ celeritatem desiderant, atque summarium, & executivum habent processum.

In aliis vero beneficiis, quæ istam principalis parochialitatis qualitatem non habeant, quamvis eandem
192 habeant accessoriam, vel consecutivam, quæ prædictæ formæ conciliaris necessitatem non inducat; Ubi de iis agatur, quæ patronali non subjaceant servituti, ideoque liberæ sint collationis; nimium raro forus hujusmodi quæstiones audit cum ordinariorum, aliorumque inferiorum provisiones, non ad supplicationem, sed motu proprio fiant, atque voluntariæ potius quam contentiosæ jurisdictionis actum vel exercitium redoleant extrajudiciali potius, quam judiciali forma nulla pro earum executione requisita justificatione; Quando tamen casus oppositorem præbeat, adhuc regula summario, & executivo assistit processui, quando legitimi contradictoris existentia non suadeat limitationem Apostolicis provisionibus, ut infra frequenter sub judicialis disputationis trutina cadentem.

Ubi vero patronalis accedat servitus ut propterea non liberæ provisionis, vel collationis, sed necessariæ institutionis vocabulum, seu terminus cadat; Quamvis Be-
193 neficialistæ institutionem extrajudicialem potius quam judicialem appellent actum, cui suspensiva appellatio ac ordinarius processus non congruat, in illa tamen executionis specie id procedit, quæ aliam non habet appellationem, nisi eam genericam, quam officii ratione pro libertatis Ecclesiæ indemnitate Promotor Phiscalis facere solet; Ubi etenim alter adsit oppositor, qui eodem præsentationis jure veniet, ideoque majoris numeri vocum quæstio intret, sive quod inter contendentes de jurispatronatus pertinentis sive de jure præsentandi lites, in forma judicii agant, ordinarium, non autem executivum aut summarium processum id exigit. c

In Apostolicis vero provisionibus, generica Apostolicarum literarum promptæ ac paratæ executioni assistit
194 regula eam genericam admittens limitationem, quam legitimi contradictoris existentia inducat; Ideoque earundem literarum executori, ut in sua beneficiali sede magis opportune advertitur duplex congruit species; Una scilicet ejus, qui merus dicitur, cui cessante legitimi contradictoris existentia, præfactus conceditur summarius, & executivus, atque extrajudicialis potius quam judicialis processus per extrajudiciales etiam informationes sine actis, & processus justificationes literarum habendo.

Altera vero species executoris ea est, quæ mixti dicitur cui ob legitimi contradictoris existentiam formalis Judicis potius quam executoris nomen, vel partes congruunt, ideoque summario, & executivo cessante processu, ordinarius, vereque judicialis intret.

Tertia item, seu mixta datur species, quia nempe, in forma judicii, existat oppositor, qui tamen, legitimi contradictoris personam vere non gerat, ideoque executorem vere mixtum non reddat, atque Apostolicarum literarum privilegium super summario, & executivo processu cessare faciat, quia tamen citandus ac audiendus est, magis vero ubi in beneficii possessione de facto sit, eoque audito literarum justificatio in actis est facienda, hinc proinde quasdam Judicis, saltim improprias executor gerit partes, ut cum extrajudicialibus informationibus procedendi non tribuatur licentia sine tamen dicti privilegii præjudicio ac exceptione. d

Præmissa autem theoricæ veritate in abstracto, modicam hodie recipientis quæstionem utpote per moder-
nos, ac Rotæ Romanæ decisiones bene declaratæ, at- 195
que ab antiquiorum æquivocis jam exemptæ; Ejus tamen applicatio adhuc involuta remanet certam proinde, ac genericam non de facili admittens regulam, utpote facti potius quam juris censenda, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decidenda.

Quamvis etenim, ea generica tradatur regula, quæ in præmissa propria sede latius deducta est, e ut ille scilicet legitimus censeatur contradictor, qui parem titulum, ex eodem fonte manantem, foveat, & cui cessante alterius provisionis concursu, idem competeret, summarii, & executivi processus privilegium; Ideoque Capitulum, vel piscatorius certo modo impetrator, sive ab Ordinario provisus, ubi Apostolicæ affectionis, seu reservationis rationem provisio Apostolica habeat, legitimi contradictoris nomine ac effectu indigni reputentur; Atque inter æque pure Apostolicos provisos, frequenter praxis ista legitimi contradictoris verificetur qualitas; Adhuc tamen aliqua inter eos inæqualitas, illaque præsertim, quam gratiosa inducat subrogatio, præmissæ regulæ producit limitationem, ex aliis quoque distinctionibus ac subtilitatibus resultare solitam, ut propterea non de facili certæ, ac genericæ regulæ sub compendio explicabilis materia capax reputetur, ideoque ad suam recurrendum est sedem.

Hujus vero privilegii competentis posita, adhuc diversa 196
est ejus forma, vel praxis ob earundem literarum diversas species; Ubi etenim de iis agatur, quæ in forma brevis, sub piscatorio annulo, non autem in forma literarum sub plumbo, concessæ sint, pro adipiscenda possessione nomine Cameræ, tunc longe facilior, ac expeditior est processus, utpote, sola Apostolicæ reservationis, vel affectionis, atque clericatus provisi justificatione contentus; Ubi vero de alia præmissa literarum sub plumbo specie agatur, tunc aliæ distinctiones intrant, in præfata propria (ad quem recurrendum est) beneficiali sed recensitæ, inter illas, nempe quæ super provisione in forma consueta, & ordinaria sint, & illas, quæ gratiosam provisi subrogationem juris, & possessionem defuncti contineant; Ut isto posteriori casu, valoris, aliorumque narratorum desideranda non sit justificatio, sed reservationis, aut affectionis, & clericatus provisi, ac possessionis defuncti sufficiat; In priori tam valoris, quam aliorum narratorum justificatio necessaria reputetur; Aliæque etiam intrant distinctiones, vel diversæ formæ; an scilicet gratiosa sit, vel potius rigorosa, quæ *dignum* dicitur, forma sit, sive an motu proprio, vel ad supplicationem sit gratia; Et an narrata sint gratiæ pars, ejusque percutiant substantiam, ut magis, vel respective minus exactam exigant justificationem, ut in sua sede latius. f

Super terminorum autem servatione, aliisque hujus summarii, & executivi jam competentis processus ordine servandis, pro ejus validitate, mechanici practi-
ci consulendi sunt scriptores, apud quos collectæ, ac 197
registratæ habentur consuetæ formulæ pro Tribunalium stylo.

Ecclesiasticæ item pensiones, quæ Apostolica auctoritate, valide super Ecclesiasticis beneficiis reservatæ sint,
ex eadem literarum Apostolicarum privilegio, sive ex al- 198
tero alimentorum, aut ex Curiæ stylo, magis forte summarium, & executivum, magisque privilegiatum habent processum, sive de prima reservatione agatur, sive de ea, quæ per translationem fiat, ut in propria pensionum sede, ad quam pariter est recurrendum, latius advertitur. r

Generaliter quoque, pontificiis, aliorumque Principum privilegiativis, & gratiosis, ac etiam onerosis con-

199 cessionibus, idem pro regula summarii, & executivi processus conceditur privilegium, ex oppositoris, vel contradictoria qualitate pariter cessare solitum; Certa tamen, ac generica desuper non cadente regula, utpote ex facti qualitate & circumstantiis, magis vero ex principatuum, vel Tribunalium stylis, quibus est deferendum, decisione pendente, idemque pro casuum opportunitate, ad proprias lationes recurrendum est sedes.

200 Eadem summarii, & executivi processus competentia posita, in his quoque, ac similibus spiritualibus, eædem superius in prophanis executivis, & summariis judiciis recensitæ, intrant declarationes, vel moderationes, quas injustitia, vel nullitas, aut turbiditas producat, ut utramque appellationem, quandoque simpliciter admittant, quandoque vero illam mixtam rescribendi formulam exigant, quæ cum illis fiat clausulis translativis, ob quas prompta quidem impediatur executio, processui tamen executivo, quem Judex ad quem competere agnoscat, non paretur præjudicium, illeque salvus remaneat, ut in suis latius habetur sedibus.

In utroque spiritualium, & prophanarum executivarum causarum genere, longissima triginta annorum negligen-
201 tia istius privilegii tollit competentiam, sive inducit præscriptionem malæ fidei obstaculo non attento; Eundemque operatur effectum illa vulneratio, quæ ex absolutoria procedit sententia, quoties ista non judicii ordinem, vel actionis ineptiam, sed negotii principalis substantiam percutiat, nisi clara nullitas istam ei adimat operationem. *h*

y *disc. 37. & 44. z disc. 37. & 42. hoc tit.*
a *dicto disc. 37. disc. 5. in Annot. ad Sac. Concil. Trid.*
b *tit. de Par. disc. 1. & seqq. & disc. 37. & disc. 43. hoc tit.*
c *tit. de Jurepatr. disc. 51.* d *disc. 43. hoc tit.*
e *tit. de benef. disc. 73. & hoc tit. disc. 43.*
f *locis supra citatis* g *tit. de Pens. disc. 57. 65. & 66.*
h *tit. de Cred. disc. 117. & 124.*

XV.

De judiciis possessoriis, eorumque diversis speciebus ac privilegiis.

202 DIversam esse possessorii causam ab illa petitorii, unumque nil cum altero habere commune, civiles disponunt leges; Possessorium vero tres habet species diversas; Quarum una adipiscendæ; Altera recuperandæ; Et altera retinendæ dicitur, illæque sub interdictorum vocabulo in eisdem explicantur legibus, cum notabili tamen inter ipsas species differentia.

203 Adipiscendæ autem possessorium remedium, vel interdictum plures habet species subalternas, omnes tamen pro Romanæ Curiæ stylo sub generico immissionis vocabulo explicari solitas; Unum etenim illud est adipiscendæ possessorium remedium quod legis similis, vulgo dicitur, atque in vim non aboliti neque vitiati validi testamenti nedum primo scripto hæredi conceditur, ad ea bona quæ defunctus mortis tempore possidebat, sed etiam secundo, vel ulteriori sive directum, sive obliquum seu fideicommissarium jus testatæ successionis habenti, dummodo universale sit.

Particulari namque testato successori, legati, vel particularis fideicommissi jure defuncti bona vendicare volenti, ejusdem possessorii, adipiscendæ, vel immissionis alia duo competunt remedia; Unum nempe, quod salviani dicitur in vim legalis hypothecæ quæ pro legato competit; Et alterum quod quorum legatorum dicitur.

Intestato vero universali hæredi illud competit remedium, quod quorum bonorum interdictum appellatur; Idemque superius enunciatum salvianum interdictum quod ex legali, vel conventionali manat hypotheca, cuicunque creditori illam habenti, cum diverso tamen effectu; Priori etenim legati vel fideicommissi particularis casu in ipsius rei substantia, vel proprietate ita assequenda ejus consistit effectus, in altero autem crediti, ut ex fructibus non autem ex proprietate creditor obtineat satisfactionem administratorio potius jure.

Aliud item creditori, vel alteri cui aliquod præstandum sit implementum pinguius magisque privilegiatum conceditur adipiscendæ remedium, quod associationis dicitur, habenti clausulam constituti, vel pactum seu facultatem capiendi propria auctoritate, aut reservationem dominii,

In beneficialibus quoque in noviter Apostolica, vel ordinaria auctoritate provisis, ad beneficii possessionem adipiscendam, idem adhibet immissionis terminus, qui ecclesiasticis quoque congruit pensionibus, præsertim vero in translationis casu; Ac generaliter, in feudalibus, vel emphyteuticis investituris, aliisque similibus concessionibus, quas testamento Juristæ æquiparant ut idem competat insinuatum remedium quod *legis finalis* dicitur.

In præmissis autem, aliisque speciebus hujus possessorii adipiscendæ generica procedit regula, quod eis tantum competat, qui nunquam possederint; ideoque de omnino 204
nova agatur adipiscenda possessione; Ubi etenim ille, qui possessor fuerit, ejectus sit, vel alias involuntarie dimiserit, ad aliorum duorum, recuperandæ, vel retinendæ remediorum præsidium, pro diversa ejectionis qualitate convolare poterit, non autem ad istud adipiscendæ.

Alterum recuperandæ, seu reintegrandæ remedium, illis 205
competit, qui cum expressa, vel interpretativa vi, de possessione ejecti sint, ut voluntarie illam dimisisse, vel facto proprio ab ea cecidisse dici non valeant; Istis etenim, qui voluntarie dimittant, vel cadant, hoc reintegrandæ, vel recuperandæ, magis vero alterum retinendo possessorium denegatur; Quamvis actus admissionis nullitas prætendatur, cum ex actu etiam nullo, resultet possessionis amissio, illa excepta nullitate, quæ ex consensus defectu resultet.

Hujus remedii præscriptio, non modicam habet opinionum scissuram; Aliquibus, illam indefinite negantibus; Alii vero opinantibus, ut ea longissimi temporis, præscriptio quæ in altero adipiscendæ, omnibusque aliis summariis, & executivis judiciis ut supra intrat, in isto quoque locum sortiri debeat; Istaque posterior opinio in Romana Curia magis recepta est.

Dilatoriarum exceptionum occasione, altera spoliatoris superius insinuata est pœna, vel implicitæ reintegrationis remedium; denegationis nempe audientiæ, usquequo spolii plenaria sequatur purgatio.

Tertium denique retentionis remedium, quod manutentionis vulgo dicitur, illi competit, qui de tempore motæ litis possessor existat; Atque plurium contendentium possessione accedente, illa hoc remedio digna est, quæ anterioritatem habeat, quamvis brevem posteriori, 206
turbativæ vitium habente.

Duplicem hoc remedium habet speciem, illius nempe possessorii, quod summarium, vel summariissimum dicitur, atque ab Hispanis sub interim vel interinationis explicatur vocabulo, & alterum quod plenarium appellatur, Magna inter utrumque in plerisque constituta differentia, præsertim circa summarium & executivum privilegium, ut primo competat, posteriori vero denegetur.

A Romana vero Curia præsertim hæc distinctio exulasse videtur, alia non adhibita distinctione, nisi præmissa magis generica, petitorii, & possessorii; Implicite autem seu æquipollenter ea praxis recipit, ex decernendi modo, ut nempe ubi in summarii judicii vel processus forma, cum interlocutorio decreto concedatur, summarii vel summariissimi vim habeat, non autem ubi cum sententia diffinitiva.

Non solum autem vera, naturalisque possessio de facto, pro ista conservanda, hoc digna est præsidio, sed ea quoque ficta, quam civilem practici dicunt, animo nempe retenta, quamvis altera naturalis de facto non habeatur, quoties expressa, vel præsumpta non accedat diversi animi probatio, quod se pro spoliato, & non possessore habuerit, eamque animo retinere desierit.

Hinc itaque in Romana Curia, alterius reintegran- 207
dæ remedii pene omnimodum prodiit exilium, dum istius, quod ut infra magis privilegiatum, & executivum est, habetur competentia, præmissæ civilis tantum possessionis vigore, alterius naturalis spolio non obstante.

Altera quoque ficta possessio hoc remedio digna reputatur, quæ ex constituti, & precarii clausula, vel ex ususfructus reservatione, juris ministerio translata dicitur; Aliaque magis ficta, quam civilissimam Practici dicunt a statuto possessionis defuncti continuativo in hæredem quoties ea interruptionis vitium non habeat.

Solum possessionis factum pro isto remedio sufficit, ejus titulo, vel bono jure non curato, ideoque de justitia vel injustitia non quæritur, nisi vehemens juria resistentia, eam, quæ temporis considerabilis non sit, inefficacem reddat,

dat, five ab irritante decreto infectionem non patitur,
ubi tamen illud elatum fit, cum in ambiguo facti non
tollat detentationem.

Ac etiam, ut proprio jure, ac nomine, non autem a-
lieno babeatur poffeffio; Ideoque familiaritatis, vel ad-
miniftrationis, aut conductionis, alioque fimili jure,
vel caufa quæ jam ceffaverit, vel refoluta fit habita
poffeffio, ifta indigna eft præfidio: Nifi nova superve-
nerit juris proprii poffidendi caufa, quæ proinde immu-
tata fit; Iftamque immutationem abfque expreffa decla-
rationis neceffitate una præfumit opinio, quam Roma-
na Curia fequitur, nifi contraria probatio, vel fortior
accedat præfumptio, quæ iftam præfumptionem tollat;
Multaque alia fuper ifto retinendæ remedio cadunt non
de facili certam fub compendio explicabilem admitten-
tia regulam, ideoque in fua fede videre oportet.

In eo utrumque canonicum, & civile jus concordat,
ut petitorii, vel boni juris exceptiones, quæ non omni-
208 no claræ neque in promptu probatæ fint, in omnibus
tribus adipifcendæ, recuperandæ, & retinendæ poffeffo-
rii remediis non admittantur: In duobus pofterioribus
aliquo majori quam in primo per hujus regulæ obfer-
vantiæ rigore adhibito.

Ac etiam, ut prius poffefforii caufa tractanda fit, ea-
que fopita, & non alias, illa petitorii agenda, fub
nullitatis pœna, ubi pro petitorii fufpenfione ifta acce-
dat petitio, ut præfertim in ultimo magis privilegiato
retinendæ remedio eft receptum, nifi notabilis poffeffio-
nis turbiditas, vel ea cumulandi facultas quam Prin-
ceps, vel Magiftratus qui hanc habeat facultatem hujus
regulæ fundeat limitationem.

In fufpenfivæ autem appellationis competentia, vel
refpective denegatione, præmiffa difcordant jura, ut in
executivi judicii præcedenti rubrica advertitur; Civile
209 namque, in omnibus illam denegat; Canonicum au-
tem, eam concedit, ut propterea poffefforium a petito-
rio quodammodo non differat; Illa adipifcendæ excepta
fpecie, quæ affociationis, ut fupra dicitur; Ubi tamen
fummarii, & executivi Judicii forma cum interlocuto-
rio concedatur decreto, ut propterea urbanum, & ex-
trajudicialem familiæ conceffionem, ad poffeffionem
propria auctoritate adipifcendam id contineat: Ac e-
tiam illa excepta immiffione quæ Apoftolicarum litera-
rum vigore in Ecclefiafticis beneficiis, vel penfionibus
concedatur.

In tertio item retinendæ remedio, ubi pariter in fum-
marii, & executivi judicii forma per interlocutorium
decretum, non autem per diffinitivam fententiam con-
cedatur canonici quoque juris difpofitione, vel inten-
tione attenta, idem executivum admitti privilegium,
una vult opinio, quam Romana Curia recepit, & fervat.

Adeo item folo civilis poffeffio animo retenta ad
tertium retinendæ remedium, magis vero ad fecundum
recuperandæ, fufficiens reputatur, ut quamvia juris re-
gula ftatuat, ut poffeffio, quæ facto Judicis amiffa fit, 210
iftius deftituta cenfeatur remediis, dum Juftus reputa-
tur poffeffor ille, qui judicialem habeat poffeffionem:
Adhuc tamen, ubi ea actorum nullitas accedat, quæ
ea male fervato judicii ordine refultet, five altera
quam producat evidens, ac notoria injuftitia, eadem
fubintrant remedia, dum privati illiciti fpoliatoris, vel
turbatoris perfonam potius ita Judicem geffiffe cenfen-
dum fit.

Notoria tamen, & clara, quæ nullo valeat offufca- 211
ri velamine injuftitia requiritur ea eifdem, non autem
ex novis actis juftificanda; Ea vero ordinaria non fuf-
ficit, quæ ex appellationis, vel reftitutionis in integrum
beneficio ad judicati fufficeret infirmationem.

Quamvis item (ut hujus rubricæ initio infinuatum 212
eft,) poffefforii caufa ab illa petitorii diverfa fit, nil-
que commune unum cum altero babeat; Non tamen
diverfus fed idem effe debet Judex. De aliis vero, fu-
per quibus collectores magna defuper ordinarunt volu-
mina, fub compendio idcirco non facilem habentibus
explicationem, abfque notabili prolixitatis vitio, in fua
videndum eft fede: i Præmiffis utpote frequentioribus,
magifque practicabilibus ita infinuatis,

i *difc. 44. hoc tit.*

Finis Partis Primæ Libri Decimiquinti:

CARD

CARD. DE LUCA,

Libri Decimiquinti Pars Secunda,

RELATIO ROMANÆ CURIÆ FORENSIS,

Ejusque Tribunalium, & Congregationum.

INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS.

Qui habentur in hac Parte II. Libri XV. De Relatione Curiæ:

DISC.

D I S C. XXIV.

De Congregatione Visitationis Apostolicæ.

D I S C. XXV.

De Congregatione super consultatione negotiorum Status Ecclesiastici, quæ Consulta dicitur.

D I S C. XXVI.

De Congregatione Boni Regiminis.

D I S C. XXVII.

De Congregationibus Aquarum, fontium, & viarum; Et de plerisque aliis, quæ regimen temporale Status Ecclesiastici concernunt, nempe Confinium, & Annonæ &c. & similibus.

D I S C. XXVIII.

De Congregationibus Baronum, & Montium, ac etiam Computorum.

D I S C. XXIX.

De Congregatione Visitationis Carceratorum.

D I S C. XXX.

De Tribunali Signaturæ Papæ, quæ Gratiæ dicitur.

D I S C. XXXI.

De Signatura Justitiæ, ejusque stylis; Et de Prælatis, ex quibus hoc Tribunal constituitur.

D I S C. XXXII.

De Tribunali, seu Auditorio Rotæ.

D I S C. XXXIII.

De Tribunali Cameræ Apostolicæ.

D I S C. XXXIV.

De Auditore Cameræ, ejusque Locumtenentibus, & Tribunali.

D I S C. XXXV.

De Thesaurario Generali, ejusque Tribunali.

D I S C. XXXVI.

De Gubernatore Urbis, ejusque Ministris, & Tribunali.

D I S C. XXXVII.

De Senatore Urbis, aliisque Officialibus fori Capitolini.

D I S C. XXXVIII.

De Tribunali Ædilium, seu Magistrorum viarum, earumdemque viarum Præside.

D I S C. XXXIX.

De Agriculturæ Consulibus, & Tribunali.

D I S C. XL.

De Præfectis Annonæ, & Grasciæ; Ac etiam de Præsidibus, Dohanarum, Riparum, & Zecchæ.

D I S C. XLI.

De Cardinalibus Archipresbyteris trium Basilicarum Patriarchalium; Ac etiam de eorumdem Cardinalium jurisdictione in propriis titulis.

D I S C. XLII.

De Cardinalibus Protectoribus plurium piorum locorum; Et de judicibus, qui per eos deputantur; Ac etiam de Protectoribus, & de Generalibus Religionum.

D I S C. XLIII.

De foro militari, sive de jurisdictione Generalis Ducis S. Romanæ Ecclesiæ; Ac etiam Ducis triremium; Et Custodis Arcis Adrianæ, vel S. Angeli; Et Commissarii armorum.

D I S C. XLIV.

De aliquibus Collegiis, quæ speciem jurisdictionis, ac facultatis saltim voluntariæ habent.

D I S C. XLV.

De Oratoribus Regum, & Principum, & Republicarum, & Civitatum.

D I S C. XLVI.

De Curialibus causidicis, nempe; De Advocatis; De Procuratoribus, sive causarum Patronis; De Sollicitatoribus; Et aliis causarum, vel negotiorum actoribus; Itaque occasione agitur de Collegiis Advocatorum, & Procuratorum Consistorii; Et de Advocatis Fisci, & pauperum; De Procuratore Fisci; De Commissario Cameræ; Et de Procuratoribus pauperum.

Ac etiam de modo scribendi, vel consulendi, tam in facto, quam in jure; Et de modo orandi, sive informandi in voce.

D I S C. XLVII.

De Notariis; Et remissive de aliis pertinentibus ad Curiam Romanam.

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA,

Libri Decimiquinti Pars Secunda,

RELATIO ROMANÆ CURIÆ FORENSIS.

Procemialia, super significatione vocabuli *Curia*, Et ex quibus Romana Curia constituatur; Et de aliis generalitatibus, ad materiam ejusdem Curiæ, & Curialium.

S U M M A R I U M.

1 *ANtiqua Curia Romana duplex erat, & qualis.*
2 *De derivatione hujus vocabuli Curiæ.*
3 *Quod vocabulum Curia sit peculiare Curiæ Romanæ non usitatum in aliis antiquis aulis Regiis.*
4 *Moderna Curia Romana Ecclesiastica est major antiqua temporali, & quare.*
5 *Curia Romana dicitur ille locus, in quo Papa residet.*
6 *Episcopus residere potest, atque tribunal habere in quacunque parte diœcesis.*
7 *De pluribus personis quas Papa gerit, seu repræsentat.*
8 *Etiam in iis quæ concernunt ditionem temporalem Ecclesiasticam, vel Episcopatum Romanum, dicitur Curia Papæ, atque officiales dicuntur Curiales.*
9 *In iis in quibus Papa disponit, vel statuit tanquam Princeps temporalis, vel tanquam Episcopus Urbis non subintelligitur potestas Papalis, nisi dicatur.*
10 *Curia Romana majora tractat negotia, quam quæcunque in Orbis Curia, & de ratione.*
11 *Nomine Curialium quinam veniant.*
13 *De differentia inter Curiam Romanam, & alias circa Tribunalia, & magistratus.*
14 *De pluribus Romanæ Curiæ speciebus, & de qua specie in præsenti agatur.*
15 *De ordine qui teneatur in hac relatione.*

D I S C. I.

1 ANtiqua Romana Curia, quæ totius pene orbis in temporalibus, domina, triumphatrix, atque regulatrix erat, ex duplici specie, seu loco constituebatur: Uno scilicet, in quo sacerdotes, res divina; Altero vero, in quo Senatus, ac populus, aliique Magistratus, publicas res humanas tractabant; Isto Curiæ vocabulo, derivationem habente a curis publicis, quæ in locis præfatis, apud Deos, & apud homines, seu pro cœlestibus ac terrestribus negotiis, pro salute & conservatione Rei- 2 publicæ gerebantur; Ideoque Curia ista, templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput Orbis, ara sociorum, & portus omnium gentium *a Cicerone in oratione pro Milone* appellatur.

Romanæ autem Reipublicæ, vel Imperii, istud Curiæ 3 vocabulum esse peculiare, atque ab ea modernorum Principum sedes residentiales illud mutuasse, nos docet illa quæ omnium historiarum, antiquitate, ac fide mater est, ac magistra, sacra pagina veteris testamenti, dum de quam plurimis Regum ac Principum aulis agendo, in libris scilicet *Regum* de Regibus David, & Salomone, aliisque Regibus Juda, vel Israel; Ac etiam in Exodo agendo de Regibus Ægypti, quando Abraham illam aulam ingressus est; Et quando Joseph supremam annonariam administrationem habuit; Et quando Moyses tot signa in virga dedit, pro dimissione populi; Sive agendo de Regibus Assyriorum, & Medorum *in lib. Ester*, *& in lib. Judith*; Aut occasione agendi de Daniele, Sive *lib.* 1. Machabæorum mentionem habendo de Alexandro magno Macedone aliisque ibi enunciatis Regibus, ac in aliis locis istud Curiæ vocabulum forte adhibitum non legitur.

Agendo vero de Republica Romanorum, eorumque 4 potentia, resque multas bene gestas enarrando in eodem *lib.* 1. *Machab.* occasione duplicis fœderis inter eandem Rempublicam, ac Duces Machabæos, Judam, & Jonatham, hujus vocabuli mentio habetur, quod scilicet eorum respective Oratores Romam missi, *introiverunt Curiam*.

Quamvis autem, illa in temporalibus potentissima, prophana Curia Romana, post Imperii translationem in Græciam, totque barbarorum incursiones evanuerit. Attamen (ut S. Leo Papa admonet,) tanquam per speciem phænicis; ex ejusdem Romanæ Civitatis cineribus, alia in spiritualibus; majoris potentiæ, majorisque existimationis, exorta est Romana Curia Christianæ Reipublicæ, ejusque capitis Summi Pontificis Domini nostri Jesu Christi unici, ac supremi Vicarii, habentis totum mundum pro territorio, totumque humanum genus in spiritualibus, ac in temporalibus habitu subjectum; Adeout recte adaptetur prophetia Oseæ, super longe majori gloria modernioris templi Hierosolymitani, quod materialiter inferius magisque depressum erat, quam antiquioris per Regem Salomonem constructi, cujus absque dubio longe sumptuosior structura materialis erat, in sensu scilicet allegorico, seu mystico, quod licet antiqua Romana Curia belligera, & triumphatrix, in temporalibus longe major esset; Attamen moderna Christiana, seu cœlestis, spiritualiter longe majoris potentiæ, & gloriæ censenda sit.

De ista vero Curia Romana Papæ, in præsenti agitur, quæ, sive in ipsa materiali Romana Civitate, sive in alia 5 qualibet mundi parte sit, dum ibi Papa residet, suamque habet sedem semper Romana dicitur; Talis etenim, dicitur non ab hujus Civitatis præcisa localitate, sed ab origine, quod scilicet in ea B. Petrus cathedram, vel sedem constituit, ab Antiochena Civitate illam transferendo, tanquam in loco, in quo totius Orbis temporalis dominatio sedem habebat, ut ibi hoc majus Imperium spirituale oriretur, atque (ut idem S. Leo Papa admonet,) ea Civitas, quæ omnium errorum, ac gentilium superstitionum mater, ac metropolis erat, pietatis, veræque Religionis mater, ac metropolis efficeretur; Cumque non ipsius Civitatis materialis, sed universæ ecclesiæ Catholicæ, ac Papæ Curia sit, Idcirco non materialiter, sed formaliter Curia Romana dicitur omnis locus in quo Papa resideat, atque de ea leges, quæ de Curia Romana agunt, intelligenda veniunt. *a*

Quemadmodum etenim, in singulis Episcopatibus habemus, ut denominationem acceperint ab ea Civitate, 6 In qua erectio Cathedralis facta est ac sedes Episcopalis initio constituta, adeout Episcopo in alio diœcesis quantumvis remoto loco residentiam, & Curiam seu Tribunal habente (ut ei licitum esse receptum est cum declarationibus, quæ in propriis sedibus recensentur; *b*) Non per hoc tamen Ecclesiæ titulus, vel denominatio immutatur; *c* Ita si Pontifex, qui universum orbem habet pro diœcesi, vel territorio, in quacunque orbis parte resideat, ejus Curiæ primævum vocabulum non immutatur, indeque vulgare prodit dicterium, quod ubi Papa, ibi Roma.

Cum autem Papa, cujus Imperii Aula, seu Curia ista dicitur, quadruplicem pluries enunciatam gerat seu repræ- 7 sentet personam; Unam scilicet jam enunciatam Christi Vicarii generalis, & Episcopi Ecclesiæ universalis; Alteram Patriarchæ Occidentis; Tertiam Episcopi particularis Romanæ Civitatis, quæ particularem diœcesim restrictam habet, attento moderno statu actualiter intra ambitum quadraginta milliarium, qui sub districtus vocabulo explicari solet, habitualiter autem, imo ad certos effectus, etiam actualiter, intra ambitum centum milliarium; ut alibi juxta varias contingentias advertitur; *e* Et quartam demum Imperatoris, vel Principis temporalis Urbis, illiusque Italiæ temporalis ditionis, quæ sub utriusque mediati, ac immediati Status ecclesiastici nomine explicatur; Ac etiam Beneventanæ civitatis intra viscera Regni

Nea-

Neapolitani, quod de dicto Statu mediato, ratione directi dominii dicitur; Nec non Avenionensis Civitatis, & Venaisini comitatus in Gallia.

8 Hinc proinde, quamvis Romana Curia illa proprie dicatur, quæ primæ personæ congruit; Attamen istas quoque alias Curias inferiores complectitur, ob diversas personas formales, quæ in una eademque persona materiali repræsentantur; Ideoque etiam in iis, quæ particularem Urbis Episcopatum, vel temporalem ditionem concernunt; Curia Romana dicitur, atque officiales, vel ministri, quorum munus circa istas inferiores, vel subalternas Curias tantum versatur, absque aliqua participatione regiminis, vel administrationis Curiæ majoris, ac universalis, adhuc Papæ Curiales dicantur, atque leges, quæ de Curialibus agunt, præsertim super beneficiorum reservationibus, vel eorundem Curialium privilegiis, & favoribus, inter quos illum frequentius praxis docet, qui ex Eugeniana Constitutione circa fori competentiam resultat, ut istis quoque Curialibus conveniant.

9 Potissime vero quia, licet dictæ personæ, vel respective Curiæ, inter se diversæ sint, diversamque speciem, seu naturam habeant, adeout in plerisque, in quibus, uti Princeps temporalis, vel uti Episcopus particularis statuit, Pontificiam auctoritatem interposuisse non censeatur, in suis sedibus, juxta casuum contingentias pluries advertitur; f Adhuc tamen, frequens est earundem mixtura, unde propterea ut in singulorum Judicum ac Tribunalium sedibus particularibus inferius advertitur, pleraque sunt Tribunalia, quæ dictæ triplicis Curiæ negotia peragunt; Universalis scilicet Pontificiæ, Particularis, ac subalternæ etiam ecclesiasticæ Episcopalis; Ac etiam prophanæ, seu temporalis ditionis sæcularis; Solumque ipsorum negotiorum qualitas, vel natura hanc distinctionem docet.

10 Exinde vero manat, ut quoad forensia, seu civilia negotia; de quibus, non autem de politicis, vel militaribus, aut cæremonialibus, vel aulicis, meum est institutum, meæque sunt partes agendi, (ut fabrilia tantum agant fabri, neque sutor ultra crepidam judicet;) Ista Romana Curia omnium aliarum forensium Curiarum major, ac major totius christiani Orbis merito dicenda est, longeque majora incomparabiliter peragit, ac decidit forensia negotia (cum longe tamen minori fuco, ac sonitu, vel apparatu, longeque breviori tempore) quam singula Tribunalia Urbis tractent, cum totius catholici Orbis causas ecclesiasticas, vel spirituales universaliter agat: Ac etiam ejusdem Orbis causas temporales, vel prophanas, quæ ratione ecclesiasticæ qualitatis personarum, ab omnibus Episcopalibus, & ecclesiasticis Curiis per appellationem ad eam trahuntur; Nec non causas fori Episcopalis ipsius Urbis, ejusque districtus; Ac etiam causas laicales, vel temporales universi Italici, & Gallici, ecclesiastici Status temporalis, qui magnum constituit principatum, cum hæc mixtura in alia Orbis Curia, vel Tribunali non sit verificabilis.

11 Curialium autem nomine veniunt omnes, qui opera, consilio, labore, aliove munere, Papæ inserviunt, in Ecclesiæ universalis, ac particularis respective, vel temporalis dominii regimine, ac administratione, sicque ex pluribus generibus, vel ordinibus Curiales constituuntur; Primus enim ordo, est Cardinalium; Secundus Prælatorum; Tertius aliorum Judicum, ac magistratuum, qui Prælatura non fulgeant; Quartus Advocatorum; Quintus Procuratorum; Sextus sollicitatorum fori judicialis; Septimus sollicitatorum negotiorum Datariæ, & Cancellariæ, qui Expeditores dicuntur; Octavus eorum, qui negotia gratiosa, vel extrajudicialia peragunt, sive etiam judicialium negotiorum aliquam habentes curam, apud Causidicos assistunt, & qui Agentes vulgo dicuntur; Nonus Notariorum, aliorumque scriptorum; Et decimus Aulicorum, qui Papæ, & Cardinalibus, & Prælatis in aula assistunt, ac inserviunt, & qui vulgo, ad differentiam aliorum, Cortegiani dicuntur g, de quibus omnibus ac singulorum diversis speciebus infra sub propriis, ac particularibus rubricis distincte agitur.

12 Ea vero differentia est inter Curiam Romanam, & alias sæcularium Principum Curias, quod istarum plures, ex ipso Principe tanquam capite, & ex Senatoribus, aliisque Magistratibus, tanquam membris, efformari dicitur, principatus pro solo actu; vel exercitio potestatis, cujus habitus penes universum populum, seu ipsam Rempublicam esse dicitur, adeout omnes Magistratus, ipsam Rempublicam constituere, seu repræsentare dicantur; Atque cum debita proportione, æque concurrant ad ipsius Reipublicæ mysticum corpus efformandum, ipso Principe repræsentante caput; Aliis vero reliqua membra.

Non sic vero in Curia Romana, quæ tota constitui dicitur per solum Papam, qui non a populo, vel a Republica, sed a Deo immediate, in iis quæ ad Ecclesiæ universalis regimen pertinent, potestatem metitur; Ideoque hujus Curiæ Tribunalibus, & Magistratibus, nomen non congruit membrorum, quæ idem corpus cum capite æque efforment, sed potius nomen famulorum, vel ministrantium ei, qui unicus est dominus, ac paterfamilias, juxta majorum, vel minorum munerum qualitatem, ut in singulorum Magistratuum respective Rubricis advertitur; Quod scilicet, cum dominus, vel paterfamilias omnia per se ipsum administrare non valeat, ministros, & operarios adhibet; Ideoque male aliqui nostri practici supponunt unicum corpus, cujus sit caput Papa, Cardinales autem membra; h Nisi juxta declarationes, de quibus *infra*, *disc*. 3. 13

Eadem Curia plures habet species; Alia etenim forensis dicitur, quæ contentiosa, vel gratiosa negotia per tramites juris, pertractat ac decidit; Alia politica, quæ utriusque ecclesiastici, & prophani principatus negotia cum prudentialibus, vel politicis regulis potius agit; Tertia cærimonialis, circa ea, quæ cultum divinum aliaque sacerdotalia, vel Ecclesiastica munia concernunt; Et quarta mere aulica, circa Aulæ temporalis cæremonias, ac ritus. 14

De prima vero tantum specie, meæ sunt partes, meumque institutum agendi, pro fori, seu rerum forensium notitia, & instructione, & aliqualiter de secunda super iis, quæ pariter praxi forensi ac negotiorum directioni congrua sint; Reliquæ autem, cæremoniarum Magistris, sive ecclesiasticorum rituum professoribus, necnon politicis, & aulicis relinquuntur, ut omnes pro sua respective sphera ea tractent, quæ ad propriam pertinent professionem, neque in alienam se ingerant; Sive (ut juristæ dicunt) quilibet in propriam, non autem in alienam messem, falcem immittat; Ideoque obiter potius de aliis speciebus quandoque agi contingit.

Ordo autem qui desuper tenetur, est; Primo agendi de Papa, ejusque potestate, & electione; Secundo de ejus Consistorio, Ac etiam de Consistorii negotiis, & Collegio Cardinalium; Tertiò de officialibus domesticis, vel palatinis, qui in Palatio Apostolico Papæ assistunt; Quartode quatuor primariis officiis cardinalitiis nempe; Vicecancellarii, Camerarii, Penitentiarii, Et Vicarii; Quinto de illis Cardinalitiis Congregationibus, quæ regimen spirituale Ecclesiæ universalis, vel illud Episcopatus Urbis concernunt. Sexto de illis pariter Cardinalitiis Congregationibus, quæ concernunt regimen principatus temporalis. Septimo de Tribunalibus collegiatis; Octavo de aliis Judicibus, & Tribunalibus non collegiatis; Nono de judicibus particularibus aliquarum Ecclesiarum, vel piorum locorum, aut collegiorum, vel artium; Et decimo de Causidicis, aliisque Curialibus: Atque post hæc, aliquæ generalitates ad rem facientes annectuntur. 15

Illud autem advertere placeat quod inter singulas Congregationes, vel Tribunalia, seu judices, ac alios, nullum adhibetur studium, vel diligentia localitatis, vel majoris, aut minoris præeminentiæ, sed ordo provenit a casu, vel memoria, quæ prius unum quam alterum suggesserit.

a *Lib.* 12. *de benef. disc.* 3. *& alibi ibid.*
b *Lib.* 3. *de jurisd. disc.* 22. *& seqq. & lib.* 14. *in annot. ad S.C.T. & alibi.*
c *Disc.* 24. *de jurisd. & disc.* 7. *de preeminent.*
e *Sub tit. de preaminent. disc.* 1. *& lib.* 14. *in Miscellan. eccles. disc.* 1. *& tit. de Regular. disc.* 32.
f *Sub tit. de dote, disc.* 22. *&* 143. *& pluries sub tit. de judic. & infra in hac relatione, sæpius.*
g *de his lib.* 12. *de benef. occasione reservationum Apostolicarum ratione reservationis ex causa curialitatis.*
h *Vestr. in praxi in princ. oper. & aliis moderni.*

ANNOT. AD DISC. I.

De differentia inter Curiam Romanam, & Civitatem Romæ, sive inter Tribunalia Curialia, & Papalia, & illa quæ sint particularia Civitatis, & de effectibus exinde resultantibus, illo præsertim Curialitatis *infra*, *disc.* 46. *& sub tit. de benef. disc.* 142. *& in adnot. ad disc.* 9. *de judic.* Ac etiam videri potest *in opere Italici idiomatis, cui titulus est, Il Dottore volgare l.* 15. *in hac eadem relatione Curiæ in proemiali cap.* 1.

De

De Papa, circa ejus potestatem, ac personas, quas gerit.

S U M M A R I U M.

1 *DE pluribus personis quas Papa gerit, vel repræsentat.*
2 *Quare de persona patriarchali hodie apud forenses non agatur.*
3 *Ad quid etiam hodie ista persona videatur considerabilis.*
4 *De Papa tanquam Episcopo Urbis, & qualis sit ejus districtus, vel diœcesis.*
5 *Qualis sit provincia Papæ.*
6 *De districtu Urbis, antiquo, & moderno.*
7 *A finibus temporalibus non infertur ad spirituales, & e contra.*
8 *Quantum se extendat jurisdictio Cardinalis Vicarii.*
9 *Possunt stare simul, ut inferior præscribat jurisdictionem in aliena diœcesi.*
10 *Ab assensu præstito jure Ordinarii non infertur ad assensum Apostolicum.*
11 *Urbis Vicarius ligatur Constitutionibus Apostolicis, non autem decretis Sacrarum Congregationum, & de aliis ad materiam Papæ tanquam Episcopi Urbis.*
12 *Leges factæ per Papam uti Principem sæcularem habentur tanquam leges laicales.*
13 *Quare plures quæstiones in materia cadentes negligantur.*
14 *De causa, cui referri debeat temporale dominium Ecclesiæ, & Papæ.*
15 *Princeps non potest facere aliquem sibi æqualem, & scindere coronam.*
16 *Quod in hoc Imperator minorem habeat potestatem, quam habeant quidam alii Principes.*
17 *Quare Papa habeat plenum dominium etiam in iis, quæ concessa sint per Principes sæculares.*
18 *Quæ sit vera ratio, cui temporale dominium Papæ referri debeat.*
19 *Quod Papa sit Papa, & Rex.*
20 *An Papa facere possit infeudationes, & concessiones abusivas, vel præventivas.*
21 *De Bulla S. Pii V. de non infeudando.*
22 *De ratione ob quam juramentum dicta Bulla S. Pii V. magis afficiat.*
23 *Quod redditus, & proventus Principatus temporalis diversam habeant rationem, quam illi Pontificatus.*
24 *Quare in Statu Ecclesiastico Clerici, & personæ ecclesiasticæ gabellas, & oneribus laicalibus subjiciantur.*
25 *Canonistæ magis quam theologi potestatem Papæ ampliant.*
26 *De quibus circa potestatem Papæ in præsenti agatur.*
27 *Papa est supra Concilium, & derogat Conciliorum decretis.*
28 *Quare requiratur eorum mentio specialis, & quando.*
29 *Non potest convocari Concilium sine auctoritate Papæ.*
30 *De Capitulis Conclavis, an obligeat Papam, qui cum se ipso non dispenset.*
31 *De gestis in Concilio Constantiensi.*
32 *Quare Concilium apponat manus in dispositione Pontificis.*
33 *De Primatu Petri, & unitate Pontificis, & qualis fuerit potestas Pauli.*
34 *An Papa tollere possit officia, beneficia, & dignitates etiam sine causæ cognitione?*
35 *De quæstione, an Papa habeat jus territoriale in toto mundo, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, vel potius sit jurisdictio in personis, & causis, in territorio alieno late?*
36 *De ratione ob quam Principes sæculares volunt recognoscere literas Apostolicas priusquam executioni demandeatur.*
37 *Quod Papa sit Ordinarius Ordinariorum eosque prævenire valeat.*
38 *De iis quæ soli Pontificiæ potestati sunt reservata.*
39 *Ad solum Papam pertinet erigere Cathedrales, ac diœceses, & territoria dividere.*
40 *Quales leges facere possit, vel qualibus legibus derogare.*
41 *Indicit Concilia generalia.*
42 *Creat Episcopos, & Cardinales, & alia per universum orbem.*
43 *De aliis accidentaliter Pontificiæ potestati reservatis.*
44 *De legibus Papalibus, an & quando obligent, & an possint non recipi?*
45 *De aliis ad materiam.*
46 *De iis quæ concernunt voluntatem utendi potestate.*
47 *Quando debeat sua potestate uti.*
48 *De commutatione ultimarum voluntatum.*

D I S C. II.

REtento eo, qui absque dubio in jure compatibilis est, 1
pro respectuum diversitate, plurium personarum
formalium concursu, in eadem persona materiali; Ut in
præcedenti discursu advertitur, plures in Papa consideran-
tur personæ distinctæ; una scilicet Papæ, & Episcopi Ec-
clesiæ universalis; Alia Patriarchæ Occidentis; Tertia
Episcopi Romani; Et quarta Principis sæcularis Status
Ecclesiastici; Quatenus pertinet ad secundam personam
Patriarchæ, propter occupationem ab infidelibus aliarum
Orbis partium, quæ sub aliis, Constantinopolitano, Ale-
xandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano Patriarchis
cadebant, (unde propterea schismaticorum licentia pro-
diit, in schismate se confovendi,) cessant illæ finium,
vel Patriarchalis potestatis quæstiones, quæ antiquioribus 2
temporibus cadebant; Ideoque in hoc mere practico, ac
forensi opere, inanis labor esset, ac extra propositum, de
illis agere; Unde merito apud Canonistas, præsertim re-
centiores, ista secunda persona, vel jurisdictio Patriarcha-
lis, omnino negligi, solumque ad dictas tres alias distin-
ctio restringi solet.

Ubi autem particulares Apostolicæ Constitutiones non 3
obstarent, illa præsertim recentior Pii IV. tunc ista perso-
na Patriarchalis considerabilis esset, in ordine ad jurisdi-
ctionem, vel potestatem Collegii Cardinalium sede vacan-
te, ut infra disc. 4. advertitur.

Quo vero ad tertiam personam Episcopi particularis 4
Urbis, de illa agitur infra, agendo de Tribunali Car-
dinalis Vicarii, qui istas partes nomine Papæ explicat;
Solumque extra Vicarii jurisdictionem, remanere viden-
tur ea, quæ concernunt ambitum, vel districtum anti-
quum centum milliarum, (stante moderna ejusdem di-
strictus restrictione ad solum ambitum quadraginta mil-
liarium,) id præsertim, ut infra dictum spatium, nul-
lus detur Metropolitanus. *a*

Quamvis enim hoc centesimi milliaris circumdatium, 5
ultra dictum districtum quadragesimi, sub nomine Provin-
ciæ Papæ, aliqui explicare soleant, quasi quod ita cum
Episcopis intra eundem ambitum existentibus Metropoli-
tani personam gerat; Erronea tamen opinio est, quo-
niam, vere, ac proprie, sub nomine Provinciæ Papæ,
veniunt illi Episcopatus, qui sint exempti a quocunque
Metropolitano, per universum Orbem sparsi, Atque Apo-
stolicæ Sedi immediate subjecti, adeout cum eis ipse Papa
ob appellationes, vel recursus, Metropolitani partes ge-
rere dicatur, absque hac finium restrictione, quæ legi diœ-
cesanæ potius referenda est. *b*

Cum etenim moderna restrictio ad ambitum quadragin- 6
ta milliarium sit recens; Et (quod magis est,) præfinita
per moderna Statuta Urbis, edita sub Gregorio XIII. ad
tollendas antiquas controversias, quæ antiquitus cadebant
super eorundem Statutorum Urbis extensione, ac opera-
tione, quæ prætendebatur intrare solum in locis subjectis
oneribus salis, & focatici, ut præsertim in Regalium se-
de advertitur; *c* Receptum vero principium sit, quod a fi-
nibus temporalibus arguere non licet ad spirituales, vel e
contra, ut in jurisdictionali materia, & alibi pluries habe-
tur; *d* Hinc proinde dicti moderni fines laicales in tempo-
ralibus forte ob antiqui Romani Imperii dissolutionem ali- 7
asque temporalis dominationis crebras mutationes, immu-
tari, vel præscripti, præjudicare non debent finibus spiri-
tualibus, qui ab initio statuti sunt.

Et quamvis valde in contrarium urgeat praxis præfacti 8
Tribunalis Cardinalis Vicarii, quod scilicet ejus jurisdictio,
ultra dictum ambitum se non extendit, in ea cumulativa
cognitione causarum etiam in prima instantia, quam ha-
bet cum Episcopis, vel Ordinariis localibus, ut infra in
ipsius Rubrica particulari advertitur; Non tamen exinde
ad amissionem hujus territorii spiritualis inferri potest,
quoniam non implicat, quod Papa consideratus tanquam
Episcopus, sui Vicarii facultates intra hunc breviorem
ambitum restrinxerit; Eandem vero jurisdictionem sine
restrictione pro se retinuerit, cum receptum sit, ut possit
Episcopus, etiam nullum habere Vicarium.

Vel (& probabilius) recte in jure datur, ut intra limites 9
diœ-

diœcesis, vel territorii, inferior Prælatus jurisdictionem etiam generalem, & ordinariam præscribat, Episcopus autem, & Diœcesanus aliquos actus diœcesanos adhuc retineant; e Et sic quod Episcopi locales, qui intra hunc districtum dantur, compatibiliter cum Episcopo Romano, contra istum, ejusque Vicarium alios actus præscripserint, Extra vero præscriptionem remaneat ista prærogativa jurisdictionis in secunda instantia, privative ad quemcunque alium Metropolitanum, potius antiquo jure territoriali, vel diœcesano, quam jure metropolitico, vel pontificio.

10 Illud autem receptum est, ut illi actus, quos Papa, vel per seipsum, vel per ejus Vicarium gerit, hanc personam repræsentando, subjaceant Apostolicis Constitutionibus, aliisque obstaculis, ac prohibitionibus, quibus generaliter alii Diœcesani, seu locorum Ordinarii subjacent, quoties non constet de diversa voluntate, Pontificiam auctoritatem quoque interponendi, atque obstantiis derogandi, Unde propterea, Si (ex. gr.) novæ fundationi Conventus, vel Monasterii in Urbe, vel districtu assensus tribuatur, ita satisfactum censebitur uni ex requisitis consistenti in consensu Ordinarii, Non tamen exinde inferri poterit, ut satisfactum censeatur alteri requisito beneplaciti Apostolici, minusque derogatum, vel dispensatum censeatur Canonum, vel Apostolicarum Constitutionum obstantiis, cum similibus, quibus eadem ratio congruat. f

11 Illud autem peculiare in ista persona Episcopi Urbis dignoscitur, ut ex speciali provisione, non subjaceat decretis generalibus Sacrarum Congregationum, illius præsertim, quæ Episcoporum negotiis præposita est, quibus alii locorum Ordinarii subjacent, dum Papa hanc diœcesim præsens administrat per suum Vicarium, ac etiam in plerisque actibus per particularem S. Congregationem, quæ Apostolicæ Visitationis dicitur, ut advertitur infra, *disc.* 23. & 24. in quibus de ista Congregatione, & de Tribunali Vicarii agitur; In reliquis autem hanc personam concernentibus, sufficiet relatio ad ea, quæ inferius habentur in *dictis disc.* 23. & 24. in quibus de dicto Cardinali Vicario, præfataque Apostolicæ Visitationis Congregatione agitur.

12 Circa quartam personam Principis, ac Domini temporalis Status Ecclesiastici immediati, ac mediati; Quoties de superius enunciata voluntate non constat, interponendi scilicet etiam Pontificiam auctoritatem; Tunc in papalibus legibus, ac ordinationibus præfatum temporale dominium, vel regimen concernentibus, generaliter procedunt omnia ea, quæ de jure statuta sunt in quolibet Principe laico, super exemptione, vel immunitate Clericorum, aliarumque ecclesiasticarum personarum a foro, & legibus, ac oneribus laicalibus; Ideoque omnes quæstiones desuper cadentes, facti, ac voluntatis potius, quam juris dicuntur, an scilicet alteram Papalem, & Apostolicam auctoritatem interponere, & commiscere voluerit, ut in plerisque sedibus frequenter advertitur, atque Ægidianæ præsertim Constitutionis quotidiana praxis docet; Unde propterea receptum est, ut actus jurati etiam inter laicos, laicalibus legibus, ac statutis non subjaceant, quamvis papali confirmatione munita sint, quoties confirmationis actus principatui, vel dominio temporali sit referibilis. g

13 Quatenus itaque pertinet ad hanc personam Principis, ac Domini temporalis; Inter scribentes, plures subjectionis, vel potestatis respective disputantur quæstiones, cum consueta opinionum varietate, inter diversos professores; Theologos scilicet, Canonistas, & Legistas respective, ac etiam inter illos ejusdem professionis, sed diversarum regionum, ultra scilicet, & citra montes; Earum autem reassumptio, ac formalis disputatio, incongrua est huic operi, continenti solum Curiæ Romanæ relationem, ac statum, pro practica instructione fori externi, justa opiniones, quæ in eadem Curia receptæ sint, Ideoque illa argumenta, quæ in contrarium deduci solent, scholarum, sive Academiarum pabulum in eadem Curia reputantur, pro ingeniorum exercitio; Sive feriunt forum internum, de quo ad professorem fori externi agere non pertinet.

14 Potissima vero quæstio est circa hujus dominii temporalis causam, vel originem, & ex qua de consequenti inferri solet ad altum dominium, vel superioritatem, quam penes Imperatorem adhuc superesse, nonnulli, ac præsertim Ultramontani opinantur; Aliqui enim hoc temporale Ecclesiæ, & Papæ dominium referunt, adeo famigeratæ donationi Constantini in Gratiani Decreto relatæ; h Alii concessionibus, ac respective donationibus diversorum Imperatorum, & Principum, præsertim Caroli Magni, Ludovici ejus filii, Pipini, & Comitissæ Mathildæ; Alii vero, (& pro meo judicio probabilius) voluntariæ deditioni populorum, qui per Romanum Imperatorem in Orientalibus partibus residentem, derelicti, atque ab incursionibus infidelium, & barbarorum, justa Principis obligationem non defensi, sed ad barbarorum servitutis jugum redacti, per quod prius Imperium de facto abolitum erat, dum jugum excutientes, pristinæque libertati restituti, alterius Principis dominio, ac protectioni se dare potuerunt; Potissimum vero Summo Pontifici, qui, (ut habetur infra occasione quæstionis territorialis) tanquam Christi Vicarius, habituale dominium totius Orbis habebat.

Quæcunque vero opinio retineatur, etiamsi prima, vel secunda, non exinde tamen resultat dicta consequentia, quam aliqui deducunt, & præsertim Germani, qui Imperiali potestati adulantur, quoniam juris propositiones, cum quibus ipsi procedunt, generaliter, ac in abstracto sunt veræ, manifesta vero fallacia est in applicatione.

Verum siquidem est principium, tam in feudali materia, 15 quam alibi insinuatum, quod nemo potest facere sibi æqualem, quodque Imperatori, vel alteri Principi conceditur facultas faciendi Civitatum infeudationes, aliasque concessiones, dependenter tamen, cum retentione saltem alti dominii, ac illius majoris superioritatis, quæ vulgo *sovranità* dicitur, cum alias Imperium, seu corona, formalem, ac omnimodam scissuram pateretur, quod non licet; i Potissime vero, & clarius id non licet Imperatori; dum est Princeps electivus, atque Imperium non habet ex propria acquisitione cum vi armorum, ut aliqui Reges, & 16 Principes habent; Ideoque ei non congruit titulus dominii, ut sibi congruere prætendunt Principes per conquisitionem, sed potius ille, mariti, vel primi ministri, & gubernatoris Reipublicæ, quæ est domina, & a qua potestatem trahit; Et consequenter in eo clarior est defectus potestatis donandi, ac dividendi pleno jure.

Adhuc tamen clarus est defectus applicationis in Papa, ob diversam peculiarem rationem, quæ aliis inferioribus etiam Ecclesiis concessionariis non congruit, ratione scilicet habitualis dominii totius Orbis, quod Christus Dominus ex ejus claro testimonio ad se traxit, ut latius infra in quæstione territoriali. Et consequenter, quando Imperator, vel alter Princeps, penes quem residet solum actuale Imperium, temporale reddat domino habituali; Tunc iste, non ex concessione cedentis novum jus mereri dicitur, sed proprium tanquam per remotionem obstaculi pleno jure, tam actuali, quam habituali continuare; Ad instar eorum, quæ habemus in refutatione feudi, vel emphyteusis, quæ domino directo fiat; Sive illius cessionis, quam usufructuarius faciat proprietario, cum similibus, in feudali sede insinuatis. l 17

Ab ista vero difficultate, magis exempta est, magisque plana remanet tertia opinio, cui magis adhærent docti, beneque versati Canonistæ; Aliæ siquidem opiniones magis vulgares, seu populares esse videntur. Sed quidquid sit certum est in praxi, ac extra controversiam, ut hoc temporale dominium Papæ, & Ecclesiæ Romanæ omnimodam habeat plenitudinem, ac independentiam; Quæstione remanente in eadem feudali materia peracta, in illis laicalibus concessionibus, quæ inferioribus Ecclesiis factæ sint, ut ibi advertitur. m 18

Altera est quæstio, an Papa, illum considerando tanquam Principem temporalem, seu (ut idem Canones dicunt) n tanquam Regem diversum ab altera persona Summi Pontificis, in puncto juris communis, præscindendo etiam a prohibitione, seu obstaculo Bullæ S. Pii V. de non 20 infeudando, facere possit infeudationes, aliasve concessiones præventivas, vel abusivas, quarum casus post ejus mortem contingat, de tempore successionis, quam ita supplantare videatur; Atque plerique, & præsertim Ultramontani id negant, ex eadem superius insinuata ratione, quod agatur de Principe electivo, quodque diversa sit suprema Pontificia potestas, quæ a quocunque humanæ legis vinculo soluta est ab ista temporali, qua utitur Papa in istis concessionibus, cum eas faciat, non tanquam Pontifex, sed tanquam Princeps a Republica temporali electus. 19

Adhuc tamen Curia diversam sequitur opinionem, 21 quod scilicet hæc ratio prohibitæ supplantationis successoris, Papam non afficiat; o Verum tamen est, quod hodie ista quæstio cadit solum in concessionibus officiorum, aliarumque rerum allodialium, vel indifferentium, dum respectu infeudationum dicta Bulla S. Pii V. quæ in feudali

mate-

materia pluties enunciata est, hujusmodi quæstionum occasionem sustulit. p

22 Ista vero personarum distinctio, Principis scilicet mere temporalis contradistincti a Summo Pontifice, qui circa spiritualem, seu Pontificiam potestatem est idem, quales erant Petrus, Linus, Cletus, Clemens, & alii primi, nullum temporale dominium actuale habentes, magnum producere videtur argumentum ligaminis, difficilius dissolubilis, quod a præfata Piana constitutione de non infeudando, atque a reiteratis juramentis, in conclavi, & extra super ejus observantia præstitis resultat, dum ita id redolere videtur quemdam contractum qualificatum, seu conditionalem, per quem prophana Respublica per Collegium Cardinalium, tanquam per temporalem Senatum repræsentata, in eum transfert prophanum principatum, diversum ab usu clavium, quæ per organum electorum, juxta catholicæ fidei præcepta, ex operatione Spiritus Sancti immediate recipit a Deo. Sicuti enim si alter Princeps, vel privatus, per gratuitum, vel correspectivum contractum, rem suam mere temporalem Papæ concederet, sub aliqua lege, vel conditione, ad cujus observantiam ipse cum juramento se obligaret, tunc omnis justitiæ ratio exigeret, ut ad præmissæ fidei observantiam teneri deberet; Ita pariter dicendum videtur in iis, quæ hoc temporale dominium concernunt, diversum a clavium usu, ac a mere pontificio munere; Super quo tamen nil firmatur, sed integrum locum veritati relinquendo, hæc obiter, ac discursive dicta sint.

Hinc proinde, manifesto laborant æquivoco Moderni,
23 & præsertim aliqui Morales, qui unam personam, vel potestatem cum altera confundentes, pariformiter in utraque, easdem adhibent rationes, vel terminos, super potestate disponendi de officiis, ac redditibus, ac aliquas faciendi elargitiones conjunctis, dum alia sunt ea, quæ ad unum, & alia, quæ ad alterum principatum pertinent.

Et quamvis aliqui hanc diversitatem stricte ponderantes, ex illa scandalum potius concipere soleant, quando vident Ecclesias, & Ecclesiasticos hujus temporalis Ditio-
24 nis, pariformiter cum laicis, absque aliqua discretione, gabellis, aliisque vectigalibus, & oneribus laicalibus subjici, quasi quod Principi sæculari id non liceat; Attamen mixtura alterius pontificiæ personæ, quæ in hoc adhiberi solet, aliquas habet peculiares rationes, in Regalium sede recensitas, ibique videndas. q

Demum quoad primam, ac principalem personam me-
25 re pontificiam, per quam Christi generalis Vicarius, & Ecclesiæ universalis Episcopus, & caput visibile repræsentatur; Quamvis iidem dictarum facultatum professores; cum magna opinionum varietate, præsertim inter Theologos, & Canonistas, quorum primi magis restringunt, posteriores vero magis ampliant pontificiam potestatem, plures disputent quæstiones, quæ ex sequentibus principiis, vel propositionibus desumantur; Attamen eis neglectis, in hac instructiva relatione, illæ insinuantur
26 propositiones, quas Romana Curia recepit, ac practice retinet, ac servat.

Primo siquidem, in adeo famigerata majoris potestatis
27 quæstione, quam præsertim Theologi in scholis, vel circulis frequenter disputare solent inter Papam, & Concilium generale, seu œcumenicum; Hodie extra controversiam in Curia receptum est, quod Papa sit supra Concilium, atque conciliaribus decretis derogare, vel dispensare possit; Ea solum conciliorum generalium peculiari circumstantia admissa, ut non veniant sub derogatoriis generalibus, quarumcunque obstantiarum, sed egeant speciali mentione; Excepto Concilio Tridentino, quod venit sub derogatoriis generalibus. r

28 Hujus autem specialis mentionis necessitas, non percutit defectum potestatis, vel formam præcisam, sed solum præsumptionem voluntatis, quæ in dubio non præsumitur; ideoque si ex verborum amplitudine, sive ex argumentis, vel facti circumstantiis constet de hac voluntate quamvis
29 præsumpta, tunc ea debet attendi; f Prout extra omne dubium est, nullum posse dari legitimum concilium generale absque auctoritate Papæ, ad quem munus convocandi concilia generalia pertinet; Nisi ipso volente alter indicet, sive indictionem factam approbet, atque confirmet.

Item in conclavi sedis vacantis per obitum Urbani VIII.
30 in quo electus fuit Innocentius X. in forma extrajudiciali, apud ipsosmet Cardinales disputatum fuit de celebri puncto, per antiquiores etiam Canonistas, & Morales disputato, circa capitula, quæ in conclavi fieri solent, cum jurata promissione de illis observandis; An scilicet licite illa fieri valeant; Et quatenus sic, an ita afficiant novum Pontificem electum, ut non possit cum se ipso dispensare, seque a jurisjurandi obligatione absolvere? In hoc autem, non modica dignoscitur opinionum diversitas; Magis tamen recepta praxis docet negativam, ut scilicet ea non obligent Pontificem electum, & quatenus obligent, ut possit cum se ipso dispensare; Nisi agatur de capitulis, quæ concernant Ecclesiæ universalis necessitatem, vel magnum profectum. t

Ut ex. gr. dici posse videtur de capitulis conclaviam, in
quibus durante teterrimo schismate, exorto tempore Ur- 31
bani VI. ob electionem Clem. VII. Antipapæ, mortuo eodem Urbano, ejusque successore Bonifacio IX. successive electi fuerunt Innocentius VII. & Gregor. XII. ambo hac lege jurejurando firmata, ut pro Ecclesiæ unitate ineunda, etiam cum Pontificatus abdicatione, operam darent; Et cui legi quoque se adstrinxit Joannes XXII. alias XXIII. sub scripta schedula in Concilio Constantiensi; Quapropter, cum simul viverent dictus Gregor. XII. & Joannes XXII. Atque eodem tempore Benedictus XII. dictus XIII. successor Clementis VII. Antipapæ, in Hispania se gereret pro Pontifice, unde propterea Ecclesia in tres partes diu scissa esset; Hinc ut eidem tandem unio, & tranquillitas redderetur, per idem Concilium Constantiense, declaratum fuit deveniri posse ad novi Pontificis electionem; Non quidem deponendo Pontificem in ratione auctoritativa, sed in ratione declarativa, aperiendo scilicet quod nullus eorum bene occuparet Sedem Papalem, eamque pro vacua habendo; Ac propterea a Collegio Cardinalium in numero viginti octo, qui tunc Constantiæ aderant, atque ab aliis viginti electoribus ex diversis nationibus ab ipso Concilio deputatis, electus fuit Martinus V. Isteque actus ansam præbuit aliquibus sustinendi opinionem, quod Concilium sit supra Papam, dum alias absque superioritate deponi non potuissent præfati Pontifices Gregorius, Joannes, & Benedictus.

Verum non est argumentum, quod concludat, quo- 32
niam ea non fuit auctoritativa depositio ex proprio libito, seu ex ejus facultate tanquam superiori, & domini, sed potius fuit declaratio ejus quod inerat, quod scilicet Benedictus non esset legitime electus, ac proinde respectu illius non cadit quæstio superioritatis Concilii, quia ipse non erat Papa, nec unquam fuit Papa; Alii vero duo, quia in Concilii judicium consenserant, affecti remanerent obligatione renunciandi, quam fecerant.

Sive potius dicendum est, quod tunc aliqua adesset veri, ac legitimi Pontificis incertitudo, aliæque accederent justæ causæ, ob quas ut redderetur Ecclesiæ pax, ad hujusmodi determinationes devenire oportuit; Verum super his integer locus veritati relinquitur, nil firmando.

Circa initia pontificatus ejusdem Innocentii, per aliquos 33
Theologos ultramontanos excitata fuit, seu potius renovata quæstio, an potestas Pauli Apostoli, coæqualis, atque æque principalis fuerit cum illa Petri in Summo Pontificatu, seu in regimine Ecclesiæ universalis; Et partem affirmativam conati sunt defendere, per quamplures Sanctorum Patrum auctoritates male intellectas, ut patet ex libro anonymi Auctoris Gallica lingua conscripto, qui in lucem prodiit de anno 1645. Verum per Congregationem particularem, constitutam ex multis primi nominis Theologis, mature discusso articulo, damnata fuit ista opinio super coæquali potestate, firmando Ecclesiæ primatum individuum fuisse in sola persona Petri; Tum ex eo quod Christus, cum eo solo, in numero singulari locutus est, dicens ibi, *Tibi dabo claves*. Et ivi, *Pasce oves meas*. Tum etiam ex rationibus, quæ in aliis inferioribus Ecclesiis passim assignari solent, monstruositatis scilicet, ac respective absurdi, dandi duo capita in uno corpore, sive duos sponsos unius sponsæ, cum aliis fundamentis plene deductis per eos, qui ista occasione, formales tractationes ediderunt de primatu Petri, & de unitate Pontificatus, quodque propterea Paulus, ab ipso Petro assumptus fuerit, tanquam adjutor, seu Vicarius, cum ampla potestate, non autem, ut esset sibi æqualis, quod facere non poterat, utpote contrarium juri Divino, cui Papa derogare, vel dispensare non potest. u

Sub eodem Pontifice disputatum quoque fuit de potestate 34
Papæ, tollendi, etiam sine probatione causæ, Cardinalibus, & aliis quibuscunque, dignitates, officia, & beneficia, quamvis sæcularia, quæ de sui natura perpetua essent, Atque circa ea, quæ concernunt forum externum, deci-

funt

sum fuit Rotam affirmative, quamvis desuper decisio publice edita non fuerit, dum ea, quæ desuper Canonistæ, magis autem Theologi disputare solent, percutiunt potius forum internum, ut particulariter in Regalium sede advertitur. *x*

Item sub eodem Pontifice, occasione suppressionis parvorum Conventuum, seu monasteriorum Regularium, promulgata fuit quædam scriptura Auctoris anonymi, super assumpto, quod potestas ac jurisdictio Papæ, etiam cum personis, vel in causis ecclesiasticis, extra suam temporalem ditionem, esset potestas in alieno territorio, hoc est in territorio Principis sæcularis, ideoque sine istius placito illa exerceri non valeat, in iis præsertim quæ consistunt in executione reali, ex regulis generalibus prohibentibus exercitium jurisdictionis etiam cum propriis subditis in territorio alieno sine consensu dominii territorii; *y* Verum, valde mature examinato puncto per S. Congregationem universalis Inquisitionis, hæc opinio expresse damnata fuit, atque declarata, non solum temeraria, sed etiam hæresi, vel schismati proxima, quoniam verius est ut jus Papæ sit territoriale; in toto mundo, qui dicitur ejus diœcesis, quodque de consequenti, jus Episcoporum in qualibet diœcesi sit etiam territoriale, non autem in personis, & causis certis.

Et quoniam in dicta anonyma scriptura incerti Auctoris, elaborate quidem, ac ingeniose; (cum aliqua tamen confusione) cumulabantur auctoritates, ac rationes, quæ diversos casus, diversosque effectus percutiunt. E converso autem idem fiebat in aliquibus, pariter nimium elaboratis, ac ingeniosis scripturis, quæ in Curia, & alibi editæ fuerunt super ejus confutatione, juxta frequentiorem modernum vere damnabilem stylum examinandi quæstiones generaliter, ac in abstracto, principaliter immorando in cumulo auctoritatum, absque debita casuum distinctione, ex qua resultat congrua applicatio, & sine qua pernecesse in æquivoca inciditur.

Cum mihi, circa professionis initia, per aliquos ejusdem Congregationis Cardinales, injunctum esset onus examinandi dictas scripturas hincinde, illarumque fundamenta referendi, atque meum votum proferendi, explendo illud munus, quod per Auditores, vel studii adjutores in Curia explicari solet. Hinc proinde in voto desuper edito, advertebam quod in ista quæstione, nimium disputata, tam per Theologos, quam per Canonistas, ac Legistas, ac etiam per Rotam Romanam, occasione agendi de potestate Papæ derogandi concordatis; Omnino procedendum est cum distinctione plurium casuum, quorum singuli diversas habent rationes, ideoque erroneum esse credendum, eandem quæstionem examinare in abstracto, atque auctoritates, quæ pro una, vel altera opinione habentur, in confuso cumulare, ut in dictis scripturis fiebat. *z*

Tres itaque advertebam distinguendos esse casus, quorum primus est in temporali ditione Ecclesiæ, quæ sub nomine Status Ecclesiastici explicatur; Alter in alienis principatibus, & dominiis respectu Clericorum, & personarum ecclesiasticarum utriusque cleri sæcularis, & regularis, sive respectu sæcularium, in causis de sui natura ecclesiasticis, ac mere spiritualibus, ut ex. gr. sunt illæ fidei, vel matrimoniales, ac similes; Et tertius generalis, circa potestatem temporalem, etiam cum personis, vel causis sæcularibus, & in rebus temporalibus.

Super primo casu nulla cadit quæstio, dum Papa est etiam Princeps, unde propterea omnes scribentes, tam Legistæ, & Canonistæ, quam Theologi concordant super libero ac plenario exercitio jurisdictionis, & potestatis, indefinite, etiam cum personis, & causis sæcularibus; Quamvis enim aliqui (ut superius insinuatum est,) occasione agendi de quarta persona Principis sæcularis, quæ in Papa consideratur, excitent difficultatem super alto dominio, ac superioritate Imperatoris, Attamen ubi etiam hæc opinio (vere damnanda, utpote nulli probabili fundamento innixa) ex abundanti admittenda esset, adhuc ista superioritas, seu sovranitas, non impedit exercitium plenariæ jurisdictionis, & potestatis, ac supremi principatus independenter ab ipsomet superiore, ut docet notoria praxis Regnorum, & principatuum, quæ obtinentur jure feudi regalis ac dignitatis, ab Ecclesia, sive ab Imperio.

Quo vero ad secundum casum jurisdictionis, ac potestatis territorialis, cum personis, vel in causis mere ecclesiasticis, ac spiritualibus, a laicali potestate omnino exemptis; adeout nulla competentiæ quæstio intret; Duo erant præfati anonymi scriptoris fundamenta, ex quibus hoc jus territoriale negabat; Primo nempe ob incompatibilitatem dominii ejusdem rei insolidum penes duos eodem tempore, & consequenter cum territorium sit Imperatoris, vel Regnum, & Principum respective; illud non possit esse etiam penes Papam; Et secundo ob inconcussam ac generalem principatuum praxim, & observantiam, quod literæ, aliæque provisiones Apostolicæ, etiam super collatione beneficiorum ecclesiasticorum; vel super provisione Episcopatuum, aliisque rebus, indubitanter ecclesiasticis, executioni non demandantur, nisi per Principem, vel Dominum sæcularem executoriatio concedatur.

Manifestum vero æquivocum ista fundamenta continere 35
observabam; Quatenus enim pertinet ad primum incompatibilitatis plurium dominorum insolidum; Ultra distinctionem, de qua in casu sequenti, dominii actualis, & habitualis; Ubi etiam procedendum esset cum opinione, quæ hanc distinctionem non admittit, sed plenum ac omnimodum dominium, seu jus territoriale, tam actu, quam habitu Principi sæculari defert, ut infra; Adhuc tamen ista incompatibilitas non intrat, cum illa procedat ex eodem respectu, sive pro eodem effectu; secus autem pro respectuum diversitate, pro qua recte dantur eodem tempore plures ejusdem rei domini, ut alibi pluries, & præsertim in materia feudali advertitur; *a* Ideoque stant bene simul, ut unus superior habeat dominium, vel jus territorii pro uno respectu, vel genere jurisdictionis temporalis; Alter vero pro alio genere jurisdictionis spiritualis, ut notoria, & inconcussa praxis docet in Episcopis, aliisque Prælatis habentibus territorium, quod sub nomine diœcesis communiter explicari solet, cum libero exercitio jurisdictionis in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus, independenter a potestate sæculari, cum qua solum quæstiones occurrunt, super competentia vel incompetentia, quando de illis causis agatur, quæ prætendatur, ut ad laicalem potius, quam ad ecclesiasticum forum pertineant; unde propterea istud fundamentum levissimum, vereque contemptibile videtur.

Tale quoque esse dicebam alterum deductum ex contra- 36
ria praxi, vel observantia Principum sæcularium, non permittendi executionem literarum, aliarumque provisionum Apostolicarum, absque ipsorum scientia, & consensu, quoniam, quidquid sit, an id jure, vel injuria sequatur, (super quo integer locus veritati relinquitur;) Etiam illi, qui jure fieri posse sustinent, id non referunt negationi territorii, quodque Papa indigeat communicatione aliqua jurisdictionis, ac potestatis Principis sæcularis in causis ecclesiasticis ac spiritualibus, cum nullus ex catholicis scriptoribus id asserat, etiam ex iis, qui Ecclesiasticæ potestati infensissimi, expresse damnati sunt ab Ecclesia, eorumque lectura est interdicta *b*; Sed id referunt cuidam extrajudiciali notitiæ de facto, quam expedit habere de omnibus iis, quæ in proprio dominio, vel principatu contingunt, ne sub hoc pallio, vel prætextu, publicæ quieti principatus, ac Reipublicæ regimini, & juribus præjudicia generentur, & sic per quandam speciem notitiæ extrajudicialis de facto; Ad instar illius cognitionis, quam pro aliquarum regionum stylis Judices sæculares habere solent de clericatu, vel de usura, sive de matrimonio, ut nudi facti, non autem juris, ac pro sola temporalitate, seu effectibus temporalibus, qui incidenter, & consecutive exinde resultant. *c*

Quinimo in aliquibus principatibus, qui per Principem absentem reguntur per Vicarios, aliosque Magistratus, ut in Italia docet praxis Regnorum Siciliæ, Neapolis, & Sardiniæ, & Ducatus Mediolani, etiam literæ, ac provisiones ipsiusmet Regis, executioni non demandantur, nisi prævia hac notitia, & consensu, qui sub executoriationis termino explicari solet *d*; Atque in ipsomet Statu Ecclesiastico, in illis provinciis, quæ per Cardinales Legatos reguntur, *e* idem praxis docere videtur.

Corruentibus itaque dictis fundamentis, nullum aliud superest, cui hoc assumptum inniti valeat, cum omnia, quæ desuper ponderari solent, percutiant tertium casum, circa temporalia ut infra; siquidem prorsus incongruum esset, ac irrationabile, quod cum ad Pontificem pertineat singulariter, ac privative ad quemcunque alium, territoria in spiritualibus separare, unire, ac assignare, necnon Episcopos, aliosque Prælatos constituere, qui territorium habent, ut infra, ipse territorio carere debeat.

Item quia non verificarentur divina utriusque Testamenti oracula Christo Domino convenientia, & ex ejus persona

Papæ tanquam ejus vicesgerenti in terris; Ut in veteri Testamento ibi, *Possessionem tuam terminos terræ*: Et in novo ibi: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*: Et ibi, *Quodcunque ligaveris, vel solveris super terram, &c.* quoniam si sola jurisdictio in personis pro certis causis data esset, sufficiebat illud oraculum, *Pasce oves meas*.

Objectum autem fieri solitum, quod Christus Dominus non curaverit Regnum terrestre, sed quod cœlesti congruant ea, quæ de ejus Regno, ac dominatione in utroque Testamento habentur; Adaptabile videtur alteri casui potestatis temporalis, de qua infra, sed quoad istud potestatis spiritualis in personis, & causis ecclesiasticis, vel spiritualibus, nulla cadit ratio dubitandi, cum istæ sint extra forum ac potestatem laicalem; Ideoque merito hæc opinio damnata fuit, cum reveta, citra hæresim, vel schisma, negando ecclesiæ unitatem, ejusque caput visibile, a quo cætera membra dependentiam habeant, non sit sustentabilis; Alias etenim esset dare, quod caput a membris, vel superior a subditis dependentiam habere deberet, cum inter Catholicos, quatenus ad spiritualia pertinet, omnes Reges, & Principes Papæ subditi sint.

Quo vero ad tertium casum, potestatis scilicet Papalis in laicos extra temporalem Ecclesiæ ditionem, in aliorum Principum Imperiis, vel dominiis; Ille distinguitur in duas causarum species; Aut enim agitur de illis, quæ concernunt finem spiritualem, ac supernaturalem, quia nempe agatur de rebus pertinentibus ad Fidem conservandam, vel præservandam, sive ad alia concernentia forum, ac salutem animarum, absque tamen consequentiis temporalibus; Et tunc ista species cadit sub secundo casu antecedenti causarum spiritualium, licet personæ sint sæculares.

Aut vero de illis, quæ originem habentes, vel motivum a fide, vel spiritualitate, concernunt meram temporalitatem in consequentiam, sive in executionem; Vel quod etiam agatur de causis, quæ citra dictum finem supernaturalem fidei concernant civile, vel politicum regimen Reipublicæ, quod in consequentiam influat etiam ad conservationem fidei, vel ad salutem animarum, ac extirpationem peccatorum, & scandalorum; Puta in depositionibus Principum, vel in adjudicationibus principatuum, ac dominorum magis uni, quam alteri, ac in bellorum compositionibus, vel prohibitionibus, cum similibus; Et tunc non levis quæstio est inter Civilistas, Canonistas, ac Theologos, quæ adhuc sub Judice pendet, sub dicta determinatione non cadens; An scilicet ea potestas, quæ Papæ desuper tribuitur, dicatur territorialis jure suo, quod in Orbe tanquam in ejus territorio exerceat; Vel potius ipse gerat suam jurisdictionem in causis, declarando scilicet, vel decidendo quid de jure statutum sit, ac si fieri debeat, ad effectum, ut populus, vel ipsa Respublica tanquam territorii, vel Principatus domina habitualis, judicatum exequatur cum potestate sua, adeout potestas Papæ sit judicii, non autem dominii.

Illi etenim Canonistæ, & Theologi, qui majorem Papæ potestatem tuentur, ut scilicet sit jure dominii, vel territorii, id credunt, stantibus illis Evang. verbis, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*; Ac etiam illis; *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*, ut ita penes Christum, ac successive penes ejus unicum Vicarium, qui plenarias ejus vices in terris gerit, resideat dominium etiam temporale totius Orbis abdicatum a Romano Imperatore, aliisque Principibus temporalibus gentilibus; Ita tamen, ut illud sit habituale tantum, concesso Imperatori, aliisque Principibus christianis dominio actuali, sub lege, seu conditione rectæ administrationis, ob cujus defectum ipse Dominus habitualis, illud ei auferre valeat, & alteri concedere; Ad instar concessionis feudorum regalium veræ dignitatis, quod importet quidem in feudatario omnimodum imperium, & potestatem, cum jure Principatus, absque eo quod Dominus directus, qui concessionem fecit, se ingerat, eumque in dictæ potestatis exercitio impediat; Sed si feudatarius male se gerat, non solum circa ea quæ concernunt fidelitatem, sed etiam malam subditorum, ac feudi administrationem, tunc recte Dominus potest declarare caducitatem, ac feudum alteri concedere, juxta notoria exempla Regni Neapolitani, cum similibus.

Atque ad id comprobandum, ponderant exempla, quæ præsertim per Molinam loco supra citato recensentur; nempe circa dismembrationem partis Imperii Orientalis, cum erectione novi Imperii Occidentis factam per Leonem III. Concessionem factam per Gregor. V. principibus Germaniæ juris eligendi Imperatorem subjectum oneri recipiendi confirmationem, & coronam a Papa, cum certis præfinitis legibus, & obligationibus; Necnon concessionem, factam per Zachariam Regi Francorum Pipino, prævia depositione Childerici; Junctis depositionibus factis Henrici IV. Imperatoris per Gregorium VII. & Othonis IV. per Innocentium III. cum aliis pluribus similibus, inter quæ recens habemus exemplum abdicationis Regni Navarræ a Joanne, ejusque uxore, cum ejus concessione Regi Ferdinando Catholico nuncupato. *e*

Alia vero e converso, pro majori parte Civilistæ, ac etiam aliqui Canonistæ, contrariam sequentes opinionem, id referunt; Vel principaliter fini supernaturali fidei; Vel referunt potestati judicii, non autem dominii, aut territorii; Vel, ut credunt Theologi, potestati, quam habet Papa disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum, non quidem directe, sed indirecte, nimirum in ordine ad bonum spirituale, & salutem animarum.

Quidquid autem sit de unius, vel alterius opinionis veritate, cui integer locus relinquitur, sub judicio eorum, ad quos pertinet, (& quæ ita obiter relata sint, nil desuper firmando;) In eo tamen clarum consistere dicebam æquivocum, quod ea, quæ istum tertium casum percutiunt, præcedenti applicantur, sed male, ob longe diversas rationes.

Quamvis item nonnulli Episcopi, aliique Prælati, ac 38 Magistratus, ultra montes, quorum aliquibus, ubi etiam schismatis macula objici non valeat, aliqua tamen proximitas forte congruere videtur, antiquas retineant opiniones, super æqualitate eorum potestatis in propria diœcesi cum Papa, qui non possit citra casus appellationis, ac recursus, in eorum potestatis, ac jurisdictionis exercitio se ingerere, eosque impedire, quasi quod quilibet dicatur Pontifex in propria diœcesi; Attamen, eodem themate retento, conclusive scilicet insinuandi opiniones in Curia jam firmas, ac receptas; Hæc opinio pariter damnata est atque receptum, quod Papa tanquam Ordinarius Ordinariorum, a quo omnis Episcoporum ordinaria jurisdictio immediate descendit, concurrere potest cum quolibet Ordinario, tam in judicialibus, avocando aliquas causas etiam in prima instantia, ut expresse determinatur a Concilio Tridentino, per quod quæstio omnino sopita videtur *f*; Quam etiam conferendo officia, vel beneficia, quamvis etiam non adsint Apostolicæ reservationes, vel affectiones, atque ad liberam Episcoporum, seu Ordinariorum collationem pertineant, quos prævenire potest; Licet nimium raro, ac nonnisi ex magna causa id facere soleat, sed ejus abstinentia effectus est bene regulatæ voluntatis, ac laudabilis congruentiæ, non autem defectus potestatis.

Multa item Papæ potestati singulariter reservata sunt, 39 privative ad Episcopos, aliosque Ordinarios, vel Prælatos, utpote solius Pontificiæ potestatis, itaque sunt de duplici specie; Alia etenim talia sunt naturaliter, & intrinsece jure suo nativo ab ipsa primitiva Ecclesia inducta; Alia vero sunt accidentaliter talia, ob reservationes, quæ de eis per totam Constitutiones, & decreta Summorum Pontificum, vel per Concilia generalia facta sunt.

De prima specie sunt (exemplificative, seu demonstra- 40 tive,) erectiones Ecclesiarum Cathedralium, vel Metropolitanatum, eorumque dismembrationes, divisiones, vel uniones, quæ ad solum Papam pertinent. *b*

Item potestas condendi leges, antiquis legibus, & Cano- 41 nibus positivis contrarias, vel legi positivæ directe dispensandi, aut legem divinam declarandi, seu interpretandi, cum huic dispensandi potestas non competat; Nec non generalia Concilia indicendi; Item Episcopos creandi, seu 42 confirmandi eos, qui ex consuetudine, vel Apostolica concessione a Principibus, vel a Capitulis nominati, vel electi, seu præsentati fuerint; Ac etiam creandi Cardinales, aliaque faciendi per universum Orbem, quæ Episcopis in propria diœcesi tantum circa canonizationes Sanctorum, & indulgentias antiquitus, non autem hodie concedebantur, cum similibus.

De altera vero specie sunt reservationes beneficiorum 43 ecclesiasticorum, ratione temporis, loci, personæ possessoris, vel qualitatis beneficii; Erectiones collegiatarum juxta opinionem, quam Curia Romana tenet, ac servat; Canonizationes Sanctorum, quæ hodie privative ad Episcopos, etiam in propriis diœcesibus, ad Summum Pontificem pertinent; Ampliores concessiones indulgentiarum; Dispensationes matrimoniales super gradibus

prohi-

prohibitis, aliæque dispensationes super incapacitate ad ordines, vel beneficia, cum similibus, quæ non generaliter a tempore primitivę Ecclesiæ, sed specialiter diversis temporibus, per Sacros Canones, vel decreta Conciliorum, aut per Apostolicas Constitutiones Ordinariis locorum interdicta fuerunt, ac Pontifici reservata, juxta regionum varietatem, quod scilicet citra montes forte magis restricta est Episcoporum auctoritas, quam ultra.

44 Super legibus Papalibus quæstiones etiam cadere solent, an scilicet, non acceptatio, vel non usus populorum, ab earum observantia excuset; Atque super hoc non modica dignoscitur opinionum diversitas; Aliquibus indefinite volentibus, quod cum potestas Papæ, non a populo, ut est illa Principum sæcularium, sed a Deo immediate pendeat, idcirco necessarium non sit legum requisitum super populorum acceptatione, vel usu, & consequenter non sit in populorum facultate non acceptare, vel non uti; Alii vero distinguunt, inter leges, quæ concernunt fidem, aliaque supernaturalia, præcise respicientia forum conscientię in his quæ sint intrinsece mala, & peccaminosa, Et illas leges, quæ novam obligationem, vel novam formam inducunt, alias non præcise necessariam super actu, qui etiam sine illa, intrinsece malus, & peccaminosus non esset, ut scilicet primo casu procedat prima opinio; quod in populorum, ac subditorum potestate non sit Pontificiam legem non acceptare, ac non observare; secus autem in altero, in quo non usus, ubi præsertim habeat verisimilem scientiam, & tolerantiam Papæ, attendi solet; Adhuc tamen veritati locus relinquitur, cum desuper meum non sit judicis partes assumere. *i*

45 Nimiam vero prolixitatem huic relationi incongruam, importaret reassumptio omnium eorum, quæ Pontificiam potestatem concernunt, ideoque in reliquis recurrendum erit ad illos Canonistas, & Theologos, qui de illa formiter pertractare professi sunt, cum præmissa insinuasse satis videatur, tanquam notabiliora, pro foro externo practico; Alia vero, vel forum internum, vel cæremonialia, aut politica negotia concernunt, de quibus, ut initio præmissum est, meæ non sunt partes agendi.

46 Posita vero potestate, frequenter in praxi disputari solet de voluntate, an scilicet, & quando Papa voluerit ejus potestate uti; Super hoc autem certa regula generalis cuicunque casui applicabilis statui non potest, cum sit quæstio voluntatis, ideoque facti potius quam juris, ex singulorum casuum circumstantiis decidenda, ac propterea dicitur materia judici arbitraria, quando scilicet, surreptionis, vel obreptionis vitium, aut intentionis defectus adesse dicatur; Idque nimium ex verisimilitudine pendet; Potissime vero ex stylo Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ, & an quando concessum appatet, solitum sit concedi, necne.

In Papa vero id videtur speciale, quod non solum in eo militat eadem regula, quæ generaliter militat in omnium Principum gratiis, & concessionibus, ut scilicet factæ censeantur sine præjudicio juris tertii, sed ob ejus regulam Cancellariæ de jure tertii quæsito non tollendo, istius specialis mentio, vel derogatio necessaria est, neque alias gratia sustinetur; Nisi agatur de gratiis pernecesse, ac de sui natura præjudicialibus, quod sparsim sub diversis materiis adnotatum habetur, cum id certam, ac peculiarem sedem non habeat, idque non pertuat id, de quo in præsenti agitur, super Papæ scilicet potestate. *l*

47 Quamvis autem pro regula generali, circa hujusmodi potestatem, in magis communi, & recepto sensu Canonistarum (quatenus pertinet ad Forum externum, de quo solum agitur.) Papæ concedatur potestas faciendi omnia, quæ juri Divino non adversantur, cum supra illud ejus potestas non extendatur, quando sit clarum, bene tamen illud interpretandi, vel declarandi, quando dubium sit, unde propterea, vulgare prodiit dicterium, quod Papa omnia potest; *m* Adhuc tamen discrete, atque cum debita congruentia hujusmodi potestate uti debet, ne ejus usus scandalum Mundo præbeat; Verum de hoc, soli Deo rigorosam, ac necessariam rationem redditurus est, cum Mundi debitor solum remaneat de facto, idest de existimatione, vel fama bona, seu mala, super qua Principes multum invigilare solent, ac debent, multo vero magis Summus Pontifex, qui debet esse aliorum Principum norma, & exemplar.

48 Commutatio ultimarum voluntatum Papæ specialiter reservata per aliquos creditur; Verum id æquivocum continet, quoniam recte quidem papali potestati reservata est commutatio illarum voluntatum, quæ pietatem concernant, & super quibus potestas laicalis se ingerere non potest, minusque potestas Episcopalis, aliorumque inferiorum collatorum; Generaliter autem derogare, vel dispensare fideicommissis, aliisque dispositionibus temporalibus, ac indifferentibus, ad quemcunque supremum Principem pertinet. *n*

a *Tit. de premin. disc. 1. & lib. 17. Miscellan. Eccles. disc. 1.* b *Eod. disc. 1. de praeminent.*
c *Sub tit. de Regal. disc. 72. & 94. & de praemin. disc. 1.*
d *Tit. de jurisd. disc. 1. cum plur. seqq.*
e *Eod. disc. 1. & seqq. de jurisd.*
f *Sub tit. de Regul. disc. 21. & infr. disc. 24. agendo de Tribunali Cardinalis Vicarii.*
g *De hoc habetur tit. de dote, disc. 22. & 143. tit. de judic. ad materiam Ægidiana, & alibi pluries.*
h *In cap. Constantinus 96. dist. i Tit. de feud. disc. 1. & 60. & tit. de dote, disc. 146. & alibi.*
l *Sub tit. de feud. disc. 60.* m *Dicto disc. 60. de feud.*
n *Relati sub tit. de praeminent. disc. 1.*
o *De hoc agitur sub tit. de Regal. disc. 3. sub tit. de emphyt. disc. 1. & sub tit. de pension. disc. 1.*
p *De hac Bulla Piana sub tit. de feud. disc. 1. & 4. & 61. ac pluries.* q *Sub tit. de Regal. disc. 55. & 56.*
r *Lib. 14. in annot. ad Conc. Trid. disc. 1.*
s *Ibid. & sub tit. de decim. eod. lib. 14. disc. 1. & seqq.*
t *Istam questionem bene disputat* Cardinalis Brancaccius *in ejus dissert. 3. pag. 119. & seqq. ubi referuntur omnes eam disputantes.* u Diana, & de Bellis *in tract. de primatu, seu unitate Petri, & alii.*
x *De hoc agitur sub tit. de Regal. disc. 148.*
y *De ista materia exercitii jurisdictionis in alieno territorio agitur lib. 3. de jurisd. disc. 20. & lib. 14. in Miscellan. Eccl. pluries.*
z *De ista questione agunt pra ceteris alios referentes* Dec. & Navarr. *in cap. novit. de judic.* Covarr. *in reg. peccatum, p. 2. §. 9. n. 7.* Restaur. Gabald. *de Imperatore, q. 50.* Molin. *de just. & jur. tom. 1. q. 29.* Diana *tom. 1. ref. 121.* Matta *de jurisd. p. 1. c. 17. & seqq.* Valasc. *de jure Regni Portug. p. 1. §. 4. cum aliis per add. ad dec. 2. p. 3. rec.* a *Sub tit. de feud. disc. 61. & seqq.*
b *Ut præsertim est* Salgad. *in tract. de retentione bullarum, ac de Regia protestatione, & similes.*
c *Sub tit. de jurisd. disc. 64.* d *Sub tit. de feud. pluries.*
e *Habetur sub tit. de praemin. disc. 29.*
f *Sess. 24. de reform. cap. 20. & in annot. ibid. lib. 14.*
g *De benef. disc. 23.* h *Sub tit. de jurisd. disc. 1. & seq. & sub tit. de praemin. disc. 1. & seqq.*
i *De hoc agitur sub tit. de censibus disc. 1. & alibi.*
l *Præsertim sub tit. de praemin. disc. 9. & alibi pluries.*
m *Disc. 148. de regal.*
n *De ista materia commutationis ultimarum voluntatum apud* Buratt. *decis. 883. & dec. 408. p. 12. rec. in quibus concordantes.*

ANNOT. AD DISC. II.

Frequenter sparsim sub diversis materiis agitur de pluralitate personarum formalium concurrente in persona materiali Papæ, atque tam de hoc, quam de ejusdem Papæ potestate videri etiam poterit in dicta Relatione Curiæ operis Italici idiomatis, & in eodem opere *sub tit. de jurisd.* & sub altero *de praemin. lib. 3.* & in alio opere ejusdem idiomatis adhuc impresso, cui titulus est *il Principe pratico*, ac etiam in alio opere pariter ejusdem idiomatis, neque adhuc impresso, cui titulus est *il Cardinale*; Et in Academico discursu in eodem idiomate super donatione Constantini, sive super origine, & titulo veriori, magisque legitimo potestatis Papæ in Urbe, & principatu temporali Ecclesiæ.

De electione Papæ; Ad quos pertineat; In qua persona cadere valeat; Et quomodo facienda sit, ut valida, & canonica dicatur; Et de potestate Collegii Cardinalium, Sede vacante, vel plena; Et de pluribus speciebus vacationis sedis Papalis.

S U M M A R I U M.

1 *An Papa sibi eligat successorem, & firmatur negativa.*
2 *Ad quem pertineat jus eligendi Pontificem.*
3 *De stylo Religionum eligendi Generalem.*
4 *Quid de Hierosolymitana Religione.*
5 *De restrictione electionis Pontificis ad Collegium Cardinalium, & de istorum origine.*
6 *De eodem.*
7 *De Jure electio Episcopi spectat ad Capitulum.*

8 *Spectat ad Cardinales præsentes collegialiter congregatos.*
9 *Totum jus Capituli etiam in paucis, vel in uno esse, & consolidari potest.*
10 *Non existentes in sacris, non habent vocem in Capitulo, seu in dicta electione.*
11 *Electio facienda est in conclavi, & quid si procedat ante clausuram conclavis mortuo Pontifice.*
12 *De praeminentia, & dignitate Cardinalium sede vacante.*
13 *De ingressu, & clausura conclavis.*
14 *Qui sint custodes fixi, ac principales conclavis.*
15 *De Marescialle, & quare familia Sabellorum hanc prærogativam habeat.*
16 *De personis, quæ remanent in conclavi cum Cardinalibus.*
17 *Cardinalium absentium non fit solemnis convocatio.*
18 *Non admittuntur absentes idest ex Conclave, ad votum per procuratorem.*
19 *Quomodo dent votum infirmi existentes in conclavi.*
20 *Non concludunt electionem nisi duæ ex tribus partibus.*
21 *De forma hujus electionis.*
22 *Qui sint eligibiles, & an soli Cardinales.*
23 *Quare electio cadere soleat in Cardinali.*
24 *De vacatione sedis per mortem, & quid fiat, ista secuta.*
25 *De aperitione carcerum, & libertate carceratorum.*
26 *De vacatione sedis per renunciationem.*
27 *De vacatione ob crimen heresis, & aliud.*
28 *De jurisdictione, & potestate Collegii Cardinalium sede vacante.*
29 *De actibus concernentibus Episcopatum Urbis, quod Collegium gerat vices Capituli Cathedralis.*
30 *De propositione quod Collegium Cardinalium constituit unum corpus cum Papa.*
31 *De eodem, & quod solus Papa est caput Ecclesiæ sine mixtura alterius.*
32 *Dantur exempla intra adjutores voti consultivi, & voti decisivi.*
33 *Declaratur equivocum procedentium cum terminis aliorum Senatuum.*
34 *De distinctione inter Imperatorem Romanum, & alios Principes.*
35 *Quando Papa arctetur a consensu Collegii.*
36 *Quod corpus Ecclesiæ sit penes Ecclesiam universalem, & Concilium generale ad quos effectus.*
37 *Qualis potestas ab Ecclesia sit transfusa in Collegium Cardinalium.*
38 *An Collegium cogat electum in Pontificem ad acceptandam electionem.*
39 *De potestate Collegii in iis, quæ concernunt potestatem Patriarchalem.*
40 *De eadem potestate in concernentibus Principatum temporalem.*
41 *Quomodo ea potestas, quæ Collegio competit sede vacante, sub eo exerceatur.*

D I S C. III.

1 INter problematicas quæstiones, quæ per Theologos, præsertim in scholis, vel circulis disputari solent, ea dignoscitur, an Papa sibi eligere, ac deputare valeat successorem, pluraque argumenta pro utraque affirmativa, & negativa sententia urgere videntur, quæ per plures Scriptores recensentur, & præsertim per modernos, qui de hac materia fortiter agere professi sunt; *a* Practice autem, ista quæstio idealis remanet, cum extra controversiam sit opinio negativa, utpote a continuata praxi comprobata, ab ipso B. Petro usque ad præsens; Ea potissimum circumstantia desuper ponderari solita, quod cum ipsemet Petrus, Clementem successorem sibi destinasset; Attamen illa primitiva Ecclesia, quamvis sub infidelium ac Tyrannorum persecutionibus, in magnæ depressionis statu constituta esset, adhuc ex Spiritu Sancti afflatu, alium elegit Pontificem Linum, deindeque isto mortuo, Cletum, quibus, ex electione, non autem ex Petri destinatione, Clemens successit.

2 Quamvis autem universalis Ecclesiæ viduatæ pastor, ab ipsa etiam universali Ecclesia eligi debuisset; Attamen quia, ob præfatas infidelium, ac Tyrannorum persecutiones, publica, & solemnia comitia generalia practicabilia non erant; Ac etiam quia conventus deputatorum ab universi Orbis Civitatibus, vel Provinciis, nimium incommodus, peneque impracticabilis, etiam de præsenti esset, diuturnamque sedis vacationem causaret, multo magis attenta illorum temporum conditione; Hinc proinde rationabilis inolevit consuetudo, ab Ecclesiæ universalis implicito consensu approbata, ut ejus nomine ac vice, a sola Ecclesia Romana, ex clero & populo fideli constituta ea fieret.

Idque etiam hodie, cum exemplis minoribus praxis docet, quod scilicet quamvis regulariter electio Generalis 3
Prælati Religionis, ad istam universam, ex omnibus provinciis, ac Mundi partibus in destinato loco in comitiia congregatam per provinciarum Discretos, ac Prælatos pertineat, ut frequentior praxis docet, atque in rerum regularium Sede advertitur; *b* Attamen, præsertim insignis, ac primaria Hierosolymitana Religio militaris, quæ vulgo Melevitana dicitur, diversam habet consuetudinem,
quod scilicet secuta vacatione Sedis Magistralis, absque 4
aliqua comitiorum generalium convocatione; Electio fit incontinenti per solos religiosos ad formam illorum stabilimentorum vocem activam habentes, qui in eo Conventu resideant, ut ita quo magis celeriter fieri potest, electio novi Magni Magistri sequatur.

Cum autem tractu temporis, dilatata fide, fideliumque 5
numero longe aucto, præsertim post baptismum Constantini, (ex quo tempore, cessatis persecutionibus, Christianæ Religionis cultus publicus, ac liber, multumque favorabilis esse cœpit *c*; Adeout pene universos populus Christianus effectus esset,) ipsius populi secularis concursus in Pontificis electione pene impracticabilis esset, magnaque produceret inconvenientia; Hinc proinde, rationabiliter, activa electio restricta fuit ad solum clerum Romanum, qui ex illis Parochis, vel designatarum Ecclesiarum Præpositis, & incardinatis Presbyteris, & clericis constitutus erat, quorum loco successerunt Cardinales, eorumque nuncupatio exinde manavit, ut inferius in particulari Collegii Cardinalium rubrica advertitur. *d*

Istaque hodie receptissima consuetudo, a consensu Eccle- 6
siæ universalis, multorum sæculorum spatio comprobata docet, ut electio Summi Pontificis ad solum Collegium Cardinalium pertineat, per quandam speciem illius ele-
ctionis Episcopi, quæ de jure (seclusa contraria consuetu- 7
dine) pertinet ad solum Capitulum Cathedralis, privative ad reliquum clerum, & populum diœcesis, quamvis omnium Prælatus, ac Pastor sit eligendus. *e*

Juxta vero terminos generales sacrorum Canonum, hæc 8
electio ad solos præsentes Cardinales, collegialiter, seu capitulariter congregatos, pertinet, adeout absentium, sive voluntaria, sive legitima sit absentia, nulla ratio habeatur, sed totum jus Collegii, seu Capituli, consolidatur in præsentibus, qui vocem habeant, quamvis essent pauciores, dummodo ea quæ servanda sunt, serventur, eo-
dem modo, quo generaliter in Capitulis, aliisque comi- 9
tialibus conventibus est in jure statutum, ut etiam in duobus, vel in uno, jus Capituli consolidetur. *g*

Unde propterea, etiam in Cardinalibus, pro hujusmo- 10
di electione facienda, procedit idem, quod generaliter in Capitulis, & Collegiis Ecclesiasticis statutum est, ut non existentes in sacris vocem non habeant in Capitulo; *h* Est bene verum, quod in Cardinalibus forte nunquam praxis hujusmodi exclusionem dedit, ob dispensationem, quæ per Pontificem desuper illis, qui non sint in sacris, concedi solet.

In plerisque tamen juris communis regulæ per Aposto- 11
licas Constitutiones super hac electione Pontificis alteratæ sunt, adeout ista electio aliquam peculiarem naturam habeat; Primo, nempe circa restrictionem in Conclavi clauso, extra quod electio celebranda non est, unde propterea, defuncto Pontifice, fiunt pro eo novendiales exequiæ; atque in singulis diebus, in quibus pro hujusmodi exequiis peragendis Cardinales non impediti in Basilica Vaticana conveniunt ante earum celebrationem, congregari solent in ejusdem Basilicæ sacristia, ut Principum Oratores, ac etiam officiales, & Magistratus audiant, aliasque congruas præbeant provisiones super iis, ad quæ Collegii auctoritas (ut infra) se extendat, pro utriusque principatus regimine, ac etiam pro Conclavis ordinatione; Atque in
hoc novendiali spatio magis quam quovis alio tempore, 12
elucet cardinalitia dignitas, non solum circa formam habitus, quia scilicet per Urbem incedunt cum rocchetto discooperto, & mozetta, eo modo, quo in signum jurisdictio-

dictionis incedit Papa pee universum Orbem, & Episcopus in propria diœcesi, vel Cardinalis in propria Ecclesia titulari; Verum etiam ob magna obsequia, quæ ab Oratoribus Regum, & Principum propriæ domi singulariter recipiunt, atque ubi collegialiter in dicta sacristia sunt congregati, Oratores prædictos aliosque magnates genuflexos audiunt, ita Pontificiæ dignitatis imaginem repræsentantes.

13 Decima vero die, post celebratam in eadem Basilica Missam de Spirito sancto, Cardinales, qui juste non impediti, reperiantur in Urbe, processionaliter Conclave ingrediuntur, quod in destinata parte Palatii Apostolici prope eandem Basilicam esse solet, atque postquam iste solemnis ingressus est secutus, qui non de omnibus præsentibus esse solet, cum nonnulli privatim sero ingrediantur.

Eisque existentibus in cellis, quæ per sortem absque aliqua personarum acceptione distribuuntur, per totam illam diem liber patet aditus Principum Oratoribus, ac Magnatibus, & Prælatis, aliisque omnibus, tam nobilibus, quam popularibus, conclave peragrandi, atque benevolos Cardinales in cellis visitandi, & præsertim Principum, & Republicarum Oratores, & Magnates totum Collegium visitant, eisque obsequia præstant, atque felices faciunt adulatorias augurationes.

14 Omnibus vero de sero exclusis, præter eos, qui in Conclavi cum Cardinalibus remansuri sunt, illud ad formam rigorosæ clausuræ undique redactum, clauditur per ejusdem Conclavis custodes, qui duo sunt fisi, ac principales; Ille scilicet Prælatus, qui ab eodem Collegio ante ingressum electus fuerit, qui Conclavis Gubernator dicitur; Et alter sæcularis, qui Conclavis Mareschallus nuncupatur; Istudque munus hæreditario jure, diuturno tempore obtinuit, ac obtinet ille, qui primam figuram facit, seu (ut dici solet) est caput nobilis, ac pervetustæ familiæ Sabellorum, & qui autem præsenti
15 ftaut est Albani Princeps; Istaque adeo qualificata prærogativa fertur concessa in præmium adeo proficuæ inventionis Conclavis, quo mediante praxis non tribuit illas diuturnas, & scandalosas Sedis Apostolicæ vacationes, quas chronicæ narrant; Alii vero custodes sunt Prælati, ac etiam respective Conservatores Populi custodientia rotas, per quas victualia, aliaque necessaria transmittuntur ad formam clausuræ Monasteriorum Monialium; Dictique custodes per turnum deputari soliti singulis diebus, invigilant ne Apostolicis Constitutionibus contraveniatur circa allocutiones, vel literarum transmissionem; Dicti vero custodes principales retinent claves portæ majoris, per quam habeatur ingressus, & egressus ad prædictorum Monasteriorum formam.

16 In Conclavi itaque sub clausura, ultra Cardinales remanent regulariter duo cujuslibet Cardinalis familiares, qui vulgo conclavistæ nuncupantur, pro eorum servitio, solumque Cardinalibus senibus, vel infirmis, ac etiam iis, qui de Principum genere sint, indulgetur tertius familiaria, vel conclavista, ratione majoris servitii, quo indigere dignoscatur, atque ab ejusdem Collegis judicio, ac determinatione pendet an ille, qui tertium conclavistam petit, eo sit, necne dignus.

Ultra istos familiares, remanent quoque alii officiales, vel ministri, nempe; duo Magistri cæremoniarum; Sacrista Pontificis; Aliquis religiosus vir, qui tam Cardinalium, quam conclavistarum sacramentales confessiones audiat, eisque pœnitentiæ Sacramentum ministret, ac etiam aliquas statutis temporibus faciat conciones; Necnon aliqui medici, chirurghi, pharmacopolæ, & barbitonsores, pluresque inferiores ministrantes, pro vilibus, & sordidis ministeriis necessariis, qui recensentur in Constitutione 63. Pii IV. cum qua proceditur, & quos in parte registrant dicti moderni. *l*

Et licet praxis doceat admissionem majoris numeri ministrantium, quam dicta Constitutio præcipiat; Attamen id provenit, necessitate ita exigente ob excretum numerum Cardinalium sub Sixto V. ut infra, *disc.* 5.

Cardinalium absentium solemnis convocatio facienda
17 non est, eo modo, quo de jure in aliis electionibus, & actibus capitularibus fieri debet, *l* quoniam ipsa subjecta materia convocationem præsefert, dum, mediantibus celeribus cursitationibus, vacatio Sedis intra breve tempus, per universum Orbem catholicum notoria redditur, atque illi Cardinales, qui in Conclavi intervenire in animo habeant, cum nimia diligentia, & celeritate id peraguot, dum semper in eo admittuntur, quamvis post clausuram, ad Urbem accedant, quoties ad huc electio integra sit rarique sunt casus, in quibus Cardinales etiam ultra montes existentes id negligant.

Existentes autem extra Conclave, quamvis in Urbe 18
præsentes essent, atque ex quavis legitima causa impediti, votum non habent; Minusque in hac electione admittitur illa facultas, quæ de jure in aliis comitiis, vel Capitulis conceditur legitime impeditis proferendi votum per procuratorem *m*, cum solum in ipsomet Conclavi existentibus, quibus non concedatur potestas se collegialiter congregandi in capella, in qua scrutinia celebrantur, concedatur jus proferendi votum, non qui- 19
dem per procuratorem, vel substitutum, sed per se ipsos, reponendo schedulam in quadam arcula clausa, quæ per tres Cardinales singulis diebus deputari solitos, (& qui Infirmarii nuncupantur,) asportatur ad cellas infirmorum, atque in ipso loco scrutinii publice aperitur, ipsæque schedulæ inter alias præsentium reponuntur, & scrutationes fiunt, ut in Constitutionibus Greg. XV. & Urbani VIII. forma præscribitur.

In eo quoque ista electio differt ab aliis, atque in ea ge- 20
nerales regulæ juris alteratæ sunt, quod scilicet generaliter electio concluditur a majori parte, quæ minorem suffocat, seu ad se attrahit, perinde, ac si ab omnibus facta esset; Major vero pars illa dicitur, quæ comparatione omnium congregatorum votum habentium, excedat medietatem, adeo ut sufficiat excessus in dimidio voto, quod scilicet ex quindecim vocalibus, octo sufficiant, ut in electionis peculiari sede advertitur. *n* Secus vero est in Summi Pontificis electione, quoniam nonnisi duæ ex tribus partibus, non computato voto ipsius electi, eam concludunt; Unde propterea, quando in scrutinio vota adamussim concludunt duas tertias absque alio voto excedente, aperiri debent schedulæ ad effectum inspiciendi, an adsit votum electi, necne; sed si adsint in excessu, adeo ut quamvis adesse posset votum sui ipsius, adhuc electio conclusa remaneret, tunc nulla subest necessitas adhibendi hanc diligentiam, neque attenduntur ea, quæ in aliis electionibus de voto ipsius electi de jure habentur. *o*

Quatenus vero pertinet ad modum; Antiquitus, ad terminos juris communis sufficiebat; ut quilibet ex tri- 21
bus modis adhiberetur, per acclamationem scilicet, per scrutinium, & per compromissum, absque necessitate servandi præcise formam scrutinii secreti, unde propterea (ut chronicæ, & diaria docent) aliqua inconvenientia, & forsan scandala audiri solebant in Conclavibus; *p* Quare moderna Constitutio Gregorii XV. clarius explicata, & in aliquibus suppleta per alteram Urbani VIII. certam præscripsit formam in eisdem Constitutionibus quoque delineatam, Ideoque cum in eis inspici valeat, inane opus esset illam recensere; Conclusaque electione, eaque per electum acceptata, alii actus sunt potius ceremoniales. *q*

Quo vero ad electionem passivam; Continuata trium
circiter sæculorum observantia, ab Urbano scilicet sex- 22
to citra, qui electus fuit in statu Archiepiscopi Barensis, absque Cardinalitia dignitate, docet, quod semper electio secuta est in persona Cardinalis; Atque hinc vulgus credit, quod qui non est Cardinalis, non sit eligibilis; Quinimo in aliquibus libris aliqua circumferuntur decreta id præscribentia; Verum erronea opinatio est, quoniam generaliter quilibet mentis compos, & fidelis, qui hæresis macula non laboret, seu non sit adeo notorie criminosus, ut scandalum toti Mundo produceret, est eligibilis, Idque aliqui extendunt, etiam ad uxoratos, & ad cæcos, ita tamen, ut primo casu, uxor professionem in Monasterio emittat, atque in altero, licet DD. agendo de capacitate cæci ad publica munera, cum distinctione procedant, ut superveniens cæcitas munera, vel officia jam adepta non tollat, impediat vero ne alia de novo assequatur, Attamen quatenus ad hanc electionem pertinet, si de facto illa sequeretur, sustineri deberet. *r*

Est bene verum, quod istæ videntur ideales quæstiones, cum non de facili hujusmodi casus sint contingibiles; Atque exclusionem dictæ restrictionis comprobat praxis in omnibus fere conclavibus; in quibus aliqua vota esse solent in personis, quæ Cardinalitia dignitate non fulgeant, sed de ratione Prælaturæ sint viri rumium qualificati.

Dicta vero diuturna observantia, casui potius referen- 23
da est; Non absque tamen prudenti, ac laudabili consilio,

ad instar eorum, quæ ex aliquibus S. Congregationis declarationibus habentur in materia electionis Vicarii capitularis sede vacante, quod scilicet commendabile potius reputetur, ut ea cadat in persona de corpore, seu gremio ejusdem Capituli, quando in eo adsint capaces, & idonei. f In illis enim, qui in Cardinalitia dignitate jam constituti sunt, pro frequentiori contingentia supponenda est major peritia, & experientia; Tum ob munera in statu prælaturæ exerceri solita, tanquam præparatoria ad hujus dignitatis assecutionem; Tum etiam ob experientiam, ac negotiorum Sedis Apostolicæ notitiam, occasione tot Sacrarum Congregationum Cardinalitiarum.

Sedis autem papalis vacatio, pluribus modis contingere potest; Primo nempe, pro communi, ac frequentiori 24 contingentia, per mortem naturalem Papæ, qua secuta, ejusdem cadaveris per Cardinalem Camerarium, cum interventu Tribunalis Cameræ, facta recognitione per publicum instrumentum, frangitur annulus piscatoris ab eodem Camerario, cui consignatur per illum intimum familiarem, cujus fideli custodiæ Pontifex vivens eum commiserat, ac propterea tunc publicatur per sonum lugubrem majoris campanæ Capitolii; Istoque secuto toleratur quædam antiqua consuetudo, ut Conservatores populi Romani, qui aliquam (licet valde superficialem) imaginem 25 jurisdictionis, cum omnimoda tamen dependentia a S. Collegio, reassumunt, aperiant carceres, atque carceratis libertatem tribuant, non tamen liberationem; Bene verum est, quod respectu carceratorum pro causis criminalibus, id pro frequentiori contingentia non sequitur, sed solum in iis, qui pro levibus causis carcerati reperiantur, cum respectu carceratorum pro causis gravibus, ex diligentia, & mandato Cardinalis Superintendentis generalis, ac etiam Gubernatoris Urbis, aliorumque magistratuum, imminente Pontificis morte, illi transmittuntur ad Arcam Adrianam, seu sancti Angeli.

26 Alia species vacationis contingere potest per dimissionem, seu renunciationem Pontificatus, quam ipse Pontifex ex ejus libero, ac determinato consensu faciat, ut fecit Cælestinus quintus; quem Ecclesia tanquam sanctum veneratur; Verum hucusque istud remanet exemplum singulare, adeout frequentius in Imperatore, & in Regibus id practicatum esse, historiæ doceant; Quamvis enim eo tempore, quo præfata dimissio secuta est, non modica excitata fuerit quæstio potestatis: Eam tamen expresse determinavit Bonifacius Octavus ejusdem Cælestini immediatus successor, per ejus Constitutionem in corpore juris insertam, cum qua DD. passim procedunt. f

27 Tertia species vacationis, (quam Deus ex ejus misericordia avertat,) contingere potest ex crimine hæresis, quod Papa incurrat, vel ex alio simili, per quod magnum, ac notorium scandalum in toto Mundo generetur, juxta debitas magisque receptas declarationes desuper traditas per decreta conciliaria, vel Apostolica; Sive per magis communem, ac receptum canonistarum, ac Theologorum sensum, quibus in hoc relatio habeatur, cum ad privatum scriptorem non pertineat, super his judicium proferre. t

28 Quatenus vero pertinet ad potestatem, seu jurisdictionem Collegii Cardinalium sede Papali vacante; Alias desuper per quosdam Cardinales consultus fui occasione aliquarum disputationum, quæ inter eosdem habitæ fuerant in diuturno conclavi post mortem Clementis Noni, ad quatuor menses, & ultra protracto, in quo Clementis X. electio secuta fuit, quoniam licet per Constitutionem Gregorii X. in Concilio Lugdunensi, registratam in 6. Decretalium *in capit. cum periculum 3. de election*, clarius vero per Constitutionem 63. Pii IV. (quæ latius disponit,) statutum sit, ut Collegium nullam omnino potestatem, aut jurisdictionem habeat, tam in concernentibus gratiam, quam Justitiam, idque rationabiliter, ad accelerandum electionem; Attamen cum in eisdem Constitutionibus limitatio contineatur, ubi scilicet necessitas urgens, vel grande periculum immineat; Hinc proinde super hujus limitationis applicatione, seu verificatione, quæstiones cadere solent.

In hoc itaque dicebam mihi videri, quod in primis recurrendum esset ad observantiam, quæ in omnibus ambiguis reputari solet optima interpres, ac interpretationum regina, tam in viventium, & morientium privatis dispositionibus, quam etiam in legibus, & Statutis; u Ubi vero casus esset omnino novus, adeout hæc via deficeret; Tunc dixi quod non de facili certa regula generalis cuicunque casui applicabilis desuper statui potest, cum totum pendeat a particularibus circumstantiis, ex quibus judicandum est, an verificetur, necne ratio dictæ limitationis, quæ principaliter attendi debet, potius quam cortex, & figura verborum, juxta illas regulas, seu terminos generales, quos habemus in illis provisionibus, quæ permittuntur Judicibus, etiam postquam eorum jurisdictio per appellationem, vel recusationem, autem recursum suspensa esset cum similibus.

Ut autem facilius, vel respective difficilius, arbitrium super hac interpretatione interponatur; Dicebam quod re- 29 flectendum est ad personarum diversitatem, seu pluralitatem *disc. præcedenti* enunciatam, quod scilicet; Aut agitur de negotiis pertinentibus ad Episcopalem, ac ordinariam Jurisdictionem Papæ, non tanquam Papæ, sed tanquam Episcopi particularis Urbis, ejusque districtus; Et tunc latior fieri debeat interpretatio, atque major videtur potestas, dum Collegium Cardinalium, vere, & proprie (considerando illam personæ) repræsentare seu constituere videtur Capitulum Cathedralis, quod etiam vivente Episcopo, æque principaliter cum eo concurrit ad efformandum mysticum corpus cathedraticum, cujus Episcopus est caput; capitulares autem sunt reliqua membra, sive ipsum Capitulum est reliquum corpus, cum habituali jurisdictione, cujus exercitium totum esse solet penes Episcopum, vel partim penes unum, & partim penes alterum, juxta naturam actuum, vel observantiam; Deficientoque capite, totum exercitium, jure consolidationis, vel jure non decrescendi, remanet penes reliquum corpus, ut occasione jurisdictionis Capituli sede vacante, aut simultaneæ collationis beneficiorum sede plena, sive pro alia præeminentiis, pluties alibi advertitur. x

Atque in hoc sensu, sive ista persona attenta, sustentabile est assumptum aliquorum antiquorum Canonistarum, cum quibus, pro consueto stylo, more ovium, vel a- 30 vium, quod una volante, vel saltante aliæ sequuntur; Aliqui moderniores inconsiderate procedunt, quod scilicet, Papa, & Collegium Cardinalium, constituant unum corpus, cujus caput sit Papa, Collegium autem formet reliquas partes. y

Id etenim recte procedit in hac persona Episcopi Urbis, ac etiam Patriarchæ Occidentis, eodem modo, quo Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ, una cum Archiepiscopo, non solum efformat corpus cathedraticum propriæ Ecclesiæ, propriæque diœcesis, in qua Prælatus gerit personam Episcopi, & Ordinarii loci, sed etiam efformat corpus metropoliticum, cum jurisdictione in suffraganeos, totaque provincia, in qua pariter Capitulum sede vacante succedit.

Nullatenus vero dictum assumptum verificabile est in altera persona Pontificia, quoniam mysticum, seu politicum corpus Ecclesiæ universalis constituitur a Papa tan- 31 quam capite, & ab Ecclesia totius Orbis, efformante reliquum corpus, ad alios tamen effectus, non autem ad illum potestatis, vel exercitii usus clavium, dum residet penes solum Pontificem, cui singulariter, ac immediate Christus dedit potestatem in persona Petri ut supra, *disc. præced.* insinuatur; Ideoque Collegium nullam habet jurisdictionem, vel potestatem nativam, ac habitualem, quæ deduci valeat ad exercitium, sicuti habet Capitulum Cathedralis, sed solum habet illam participationem nudi consilii, & adjutorii, quam ipse Papa dare voluit; Eo modo, quo paterfamilias habens amplum patrimonium, quod *per se* ipsum administrare non potest, assumit aliquos servos, vel familiares in ejus adjutorium, ac participationem administrationis pro voto consultivo, non autem necessario, & decisivo, atque jure ministerii potius quam jure condominii; Ideoque magna differentia est inter unum casum, & alterum.

Juxta exemplum practicum, quod habemus in Religio- 32 nibus, quod scilicet aliquæ reguntur per diffinitorium generale constitutum ex Prælato generali, tanquam capite, & ex diffinitoribus, & consultoribus, tanquam membris, coæquali jure efformantibus idem corpus Religionis, cum voto decisivo & necessario, adeout si Generalis abeat in unam sententiam, Diffinitores autem pro majori parte abeant in alteram, ab istis concludi dicitur actus diffinitorii, z E converso autem in aliis, puta in Societate Jesu, Generalis est solus Prælatus, & caput, habet autem Socios, vel Assistentes in adjutores, & consiliarios, cum voto consultivo, quod potest non sequi.

Atque non discedendo a foro; Habemus in Curia practicum

cicum exemplum utriusque Signaturæ Gratiæ, & Justitiæ, quoniam utrumque Tribunal pariformiter constituitur a capite, & membris, dum in Signatura Gratiæ præsidet tanquam caput ipsemet Papa, & inveniuntur etiam duodecim seniores Prælati, qui supponendi sunt periti rerum legalium, ac forensium, pro causis decidendis; Et in illa Justitiæ, tanquam caput præsidet Cardinalis Præfectus, cum eodem interventu duodecim antiquorum Prælatorum: Cum hac tamen differentia, quod in primo casu, votum est mere consultivum, quod Papa potest non petere, atque petendo potest non sequi, ut quotidiana praxis docet; In altero autem est necessarium, & decisivum, atque votum Præfecti venit in numero cum aliis. *a*

In hoc autem versatur æquivocum originatum a consuetæ simplicitate, vel inepria Legistarum procedendum cum solis Majorum traditionibus, eas in cæca fide sequendo, vel transcribendo, absque debito discursu, vel ratiocinio, quod scilicet considerant Collegium tanquam Senatum, cum exemplo Moysis, & Romuli, ac etiam Romani Im-
33 peratoris, ita confundendo triticum cum palea, dictosque vel similes casus prophanos pariformiter tractando, non autem distinguendo diversas species.

Longe siquidem diversus est casus Imperatoris Roma-
34 ni, saltim utriusque ad ea tempora, in quibus tyrannice ac de facto, spreta auctoritate Senatus, & Populi, Sedes Imperialis, occupari cœpit, cum vi armorum, vel ea electione exercitus Prætoriani, vel postquam effectus est principatus hæreditarius, quoniam primævis temporibus, jurisdictio, ac potestas erat penes Rempublicam, cujus nomine, ac vice, illam exercebat Senatus, a quo, sive jure, sive ea injuria, loco Consulis, vel Dictatoris annalis, deputari cœpit Dictator perpetuus, qui assumpsit nomen Imperatoris (quod erat potius ministeriale, nempe Ducis exercitus, longeque minus, quam illud Regis, vel Principis,) sed ipse in figura capitis erat unum ex membris politici corporis Reipublicæ, vel Senatus, eo modo, quo (ex. gr.) est hodie perpetuus Dux Reipublicæ Venetæ, cum similibus.

Non sic est casus Moysis, & Romuli, quoniam solus Moyses a Deo electus fuit Dux populi, ipse vero pro ejus adjutorio & consilio, ex ipso populo subdito, assumpsit septuaginta seniores, jure ministeriali potius, quam jure condominii; Ita pariter Romulus postquam sub prætextu Religionis, vel inobservantiæ legum, occiso Remo fratre (pro regulari natura Imperii non patiendi socium, vel æqualem) effectus fuit Rex, & Dominus, pro ejus adjutorio, & consilio, in eadem ratione ministeriali, ex populo sibi subdito assumpsit centum seniores, quibus Patrum nomen datum est; Eo modo quo Christus Dominus in socios, & adjutores assumpsit Apostolos, jure ministerii, non autem coæqualis dominii cum se ipso; Unde propterea dixit, *non vos elegistis me, sed ego elegi vos &c.* Atque hodierna praxis docet hanc diversitatem, quod in aliquibus Regnis, corpus Regni, vel reipublicæ æque principaliter constituitur a Rege, tanquam capite, & a Senatu, vel Parlamento tanquam reliquo corpore, cum voto decisivo, & necessario, sine quo Rex, bella indicere, vel fœdera inire, aliaque graviora negotia peragere non potest; In aliis autem Regnis est Monarcha, & Dominus, habet autem Parlamentum, vel Consilium, aut Senatum, pro voto consultivo, ac jure ministerii, non autem Condominii: Et hic est casus Papæ cum Collegio, unde propterea, seclusa etiam restrictione dictarum Apostolicarum Constitutionum, Collegium nullam habet participationem jure proprio in potestate Pontificia, eo modo quo habet in potestate, vel jurisdictione Episcopali, seu cathedratica, cum Ecclesiasticum regimen universale sit vere monarchicum.

35 Et licet praxis doceat, quod in aliquibus actibus, ejus potestas quodammodo restricta videatur a consensu Collegii, ut (ex. gr.) habemus in Constitutione S. Pii V. de non infeudando, & in altera Sixti V. super usu pecuniæ existentis in Arce S. Angeli, cum similibus: Attamen (quid quid sit de qualitate, seu natura dictæ restrictionis, & an sit physica, & præcisa, vel solum moralis, super quo locus veritati relinquitur:) Attamen id duplici causæ referri potest: Vel scilicet vinculo juramenti per ipsum præstiti, quod ejus personam afficiat, juxta ea, quæ supra, *disc. præc.* habentur de capitulis Conclavis; Vel quod hæc, & similia non percutiant usum clavium, ac personam, vel potestatem Pontificiam, sed potius principatum temporalem, & in quo diversa militat ratio, ut infra.

Card. de Luca, Lib. XV.

Quinimo, licet Ecclesiæ universali, quæ per Concilium generale repræsentari solet, conveniat dictum attri- 36
butum corporis, cujus Papa sit caput; Attamen id non procedit generaliter ad omnes effectus, sed solum ad aliquos, puta vacante Sede papali, eligendi novum Pontificem, cujus electorem, vel nominatorem dare oportet, & quæ potestas ab ipsa Ecclesia de consuetudine attributa fuit Collegio Cardinalium; Unde propterea quando contingat vacatio, adhuc durante Concilio generali, legitime congregato, intrare solet quæstio excitata in Concilio Con- 37
stantiensi, & sopita cum temperamento enunciata *disc. præc.* de qua meum non est agere.

Ac etiam residet alia potestas, non quidem deponendi in ratione auctoritativa, sed declarandi in ratione judicativa, an ille qui de facto sedem Papalem occupat, sit legitimus, necne; Ideoque non est exercere jurisdictionem cum Papa uti Papa, & cum ipsa dignitate, sed cum illa privata persona, & an sit talis, qualem se fecit; Istamque potestatem consuetudo non communicavit Collegio Cardinalium, quod propterea ad id procedere non potest sine Concilio, juxta eam sententiam, quæ probabilior videtur; *b* relinquendo in his, & similibus locum veritati, cum ad privatum Doctorem non pertineat ea decidere.

Super hac eadem potestate Collegii, præsertim in Con- 38
clavi, quæstionem reassumunt dicti moderni de Pontificia electione tractantes, *c* an Collegium jurisdictionem habeat cogendi Pontificem jam electum ad declarandum an acceptare velit electionem, de se factam; Attamen id non importat exercitium jurisdictionis, cum Pontifice, (ut aliqui æquivocando opinari videntur) sed potius importare videtur certificationem actus conclusionis electionis, ex quo pendet, an ille sit Pontifex, necne, dum pro hujusmodi conclusione, seu perfectione, copulative requiritur uterque consensus activus eligentium, saltim pro duabus ex tribus partibus, ut supra; Et passivus ex parte electi, ne alias res remaneant in incerto; Ideoque non est cogere Pontificem, sed personam privatam, ad declarandum an velit esse Pontifex, atque assumere illam potestatem necne.

His autem stantibus, quod scilicet in iis, quæ concer- 39
nunt usum clavium, ac potestatem Pontificiam, Collegium nullam habet jurisdictionem, jure suo, eo modo quo habeat in jure Episcopali Urbis, ut supra; Hinc motivabant aliqui timoratæ conscientiæ Cardinales, quod male Collegium se ingerebat, dando Secretario Congregationis Concilii, vel alteri Episcoporum & Regularium, seu Nuntiis aliquos ordines in concernentibus potestatem Ecclesiasticam, seu Pontificiam, extra districtum Urbis, ad quem se produit potestas Episcopalis. Verum dicebam, quod id ubi necessitas, vel justa causa ad prædictarum Constitutionum præscriptum exigeret, recte fieri valeat ex potestate Patriarchali, intra partes sub hoc Patriarchatu sine dubio cadentes, atque ita tolli dicebam difficultatem.

Demum quod ea, quæ concernunt dominium, vel 40
principatum temporalem; Sed ipse referatur donationibus & concessionibus Constantini, aliorumque Imperatorum, & Principum juxta enunciata *disc præcedenti*, Sive deditioni populorum, vel alteri cuicumque titulo; Cum Papa consideratur, tanquam Princeps temporalis, regulandus jure aliorum Principum temporalium; Hinc sequitur ut habitualis potestas residcat penes Rempublicam, cujus Princeps dicitur maritus, vel primus minister & regulator: Et per consequens ut eo naturaliter, vel civiliter mortuo, ipsa reassumat suæ potestatis exercitium; Sed quoniam istud impossibile est explicari per universam Rempublicam, omnesque populos; Hinc proinde, de generali Principatuum consuetudine, illum transfusum est in aliquem Senatum, vel in aliud cœtum comitialem, qui sit totius Reipublicæ repræsentativus; Eo modo quo (ex. gr.) in praxi Diffinitores, & alii Vocales congregati in Capitulo generali repræsentant universam Religionem, illamque regunt; idque adaptabile est Collegio in comitiis coadunatis pro electione Principis: Ideoque in hac parte ejus potestas latius patet.

In iis autem casibus, in quibus respective, ut supra, ju- 41
risdictio, vel potestas intrat durantibus exequiis ante ingressum conclavis, negotia explicantur in congregationibus quotidie haberi solitis ut supra: In conclavi autem, ob Collegii continuas occupationes in binis scrutiniis, quæ de mane & de sero fiunt pro futura electione, explicantur per tria

Capita ordinom, quæ quotidie per circulum deponuntur idque ritualia potius concernit; Aliaque ad banc materiam insinuant dicti Moderni de hac electione tractantes, cum ista non sit formalis tractado, sed simplex relatio rerum magis practicabilium.

a Passerio. *de electione Pontif. q. 4. & in aliis praecedentibus*. b *Tit. de Regular. disc. 2. & seqq.*
c *Tit. de praemin. disc. 3.* d *Infra, disc. 5.*
e *Tit. de praemin. disc. 2. & de Canon. & capit. dis. 27. & 28.*
g *Tit. de benef. disc. 23. & tit. de Canon. & Capit. disc. 27. & seqq. in annot. ad Conc. Trid. pluries.*
h *In annot. ad Conc. Trid. disc.*
i Passerin. *d. tract. de elect. Pontif. q. 11.*
l *Tit. de Canon. & Capit. disc. 27.*
m *Dict. tit. de Canon. & Cap. disc. 17. & 28.*
o *Dict. tit. de Canon. & Cap. disc. 24. & seqq. & in annot. ad Conc. Trid. disc. 37.* o *Eod. tit. de Canon. & cap. disc. 26.* p *Recensent. idem* Passerin. *d. tract. c. 23.*
g Passerin. *ubi supra cap. 24.* r *De qualitatibus electi, aliis relatis plene* Passerin. *d. tract. q. 30. & in specie de caeo,* Paris. *de resignat. lib. 5. q. 9. n. 45.*
r *In Annot. ad Conc. Trid. disc. 31.*
s *Cap. 1. de renuncias. in 6.* Passerin. *d. tract. q. 8 n. 15.*
t *Agit.* Passerin. *aliorum relator. d. tract. q. 42.*
u *Dec. 59. n. 12. p. 10. rec. & in omni materia sapissime.*
x *Sub tit. de praemin. disc. 17. & seqq. tit. de benef. disc. 30. tit. de Canon. & cap. disc. 24. & seqq. & in annot. ad Conc. Trid. disc. 31.* y Velt. & add. *in prax. in privc.* addit. ad Oldrad. *conf. 63.* Lotter. *de benef. p. 1. q. 8. cum aliis enunciatis, tit. de jurisd. disc. 43.*
z *Tit. de Regular. pluries.* a *Infra disc. 30. & 31. agendo de his tribunalibus utriusque Signatura.*
b *De hoc etiam agit aliorum relator.* Passerin. *d. tract. q. 6. & 31.* c Idem Passerin. *d. tract. q. 31.*

ANNOT. AD DISC. III. cum plur. seqq.

SUper contentis in his discorsibus super electione Papæ, & prærogativis Cardinalium, & aliis videri possunt deducta in superius insinuato opere Italici idiomatis, cui titulus est *Il Cardinale*.

Quomodo Papa suam jurisdictionem, vel potestatem exerceat in omnibus ejus principalibus, vel personis, tam per ipsum, quam per ejus officialem, & Magistratus? Et quinam isti sint? Et præsertim de Legatis, & Nuntiis.

SUMMARIUM.

1 *ANtiquitus Papa solus suum munus explebat, & quare.*
2 *De origine, sive introductione Cardinalium.*
3 *De communicatione regiminis facta Cardinalibus, & introductione Consistorii.*
4 *De Vicario aliisque Cardinalibus Officialibus Papæ, & de aliis officialibus.*
5 *De eodem, & de distinctione officialium in Curia & extra.*
6 *De consisturio Cardinalium.*
7 *Qui sint judices, & officiales in Curia, & Congregatione Cardinalium.*
8 *De officialibus, & tribunalibus tam Principatus temporalis, quam Ecclesiastici.*
9 *De officialibus Palatii, seu particularibus.*
10 *Patriarcha, Archiepiscopi, & Episcopi sunt etiam officiales Papæ, & de ratione.*
11 *De Legatis de latere, eorumque jurisdictione, & potestate, ac praeminentiis.*
12 *De Legati ordinarii Provinciarum Status Ecclesiastici.*
13 *Auditor, vel locumtenens generalis Legati quam potestatem habeat.*
14 *De potestate legatorum ordinariorum, & an statuant contra jus.*
15 *De Vicelegato ejusque potestate.*
16 *De Nuntiis Apostolicis, & Internuntio, vel Collectoribus.*
17 *De Gubernatoris, & Præsidibus Civitatum provinciarum Status Ecclesiastici.*
18 *Quod isti sint magistratus saeculares, sed quandoque communicatur jurisdictio cum Clericis, & Ecclesiasticis.*
19 *De occupationibus Papæ in singulis diebus, & horis.*
20 *De bonis effectibus exinde resultantibus, bonoque civili regimine hujus principatus.*
21 *Quod bonum regimen proveniat ab integritate Officialium, & ministrorum.*
22 *De gubernio tempore pestis.*
23 *Quando attendi debeat potius causa virtutis quam ipsa virtus, & quando e contra.*

DISC. IV.

1 QUamvis illa eadem potestas, ac jurisdictio, quam habet, & exercet hodie Papa, saltem juxta duas, vel tres distinctas Ecclesiasticas personas, Episcopi scilicet Ecclesiæ universalis, & Patriarchæ Occidentis, ac etiam Episcopi particularis Urbis, esset quoque penes illos primativæ Ecclesiæ Pontifices, qui in cryptis, & speluncis, vitam ducente, ac pontificias partes occulte explere coacti erant, in summa etiam paupertate vivendo, atque carceribus, & tormentis, ac martyrio subjecti; Attamen, cum ob gentilium ac tyrannorum persecutiones, & oppressiones, exiguumque fidelium numerum, eorum munus circa mere spiritualia, & sacramentalia, pro frequentiori exercitio consisteret, per epistolas solum ab aliarum Mundi partium Episcopis consulti, super rebus ad fidem spectantibus, super Sacræ Scripturæ interpretatione; Et quandoque (licet raro & occulte) aliquod Episcoporum Concilium celebrantes; Hinc proinde, per se ipsos, absque tot officialium, ac magistratuum opera, vel adjutorio, dictas mere spirituales partes, explicabant.

2 Excreto autem paulatim fidelium numero in Urbe, eadem tamen infidelium persecutione adhuc durante, ut inter Clericos, & Ecclesiasticos ministros confusiones tollerentur, atque oves proprios, ac distinctos cognoscerent pastores, & e converso isti eas cognoscerent, Primo, S. Dionysius I. occasione divisionis universalis totius Orbis in diœceses, deindeque S. Pontifex Marcellus I. plurium Ecclesiarum, formalium potius, quam materialium in numero vigintiquinque distributionem fecit in Urbe sub nomine titulorum, dum tunc publicus usus, vel cultus Ecclesiarum consecratarum non permittebatur usque ad tempora Constantini, sed in aliqua domo, vel crypta, occulte fideles ad sacrificia, aliaque divina peragenda congregabantur, ac propterea fuit potius distributio regionum, vel contratarum, tanquam per speciem subalternarum diœcesum, ut fideles in ea contrata, vel in certis finibus viventibus, ita suam Ecclesiam Parochialem constituerent; Cumque excrescente fidelium numero, illi, qui tanquam parochi, seu pastores præpositi fuerant, in omnibus supplere non possent, unde propterea inferiores Clericos, & ministros in adjutores assumere oportuit; Hic proinde, ipsi principales Clerici, seu parochi, fixe addicti, seu incardinati, clerum repræsentare cœperunt, atque Pontificem eligere, ita incardinatorum, seu cardinalium nomen, seu vocabulum assumendo.

Postquam vero, suscepto per Constantinum magnum baptismate; sub Pontificatu S. Silvestri, tranquillitas Ecclesiæ secuta est, materialium Ecclesiarum consecratarum usus publicus haberi cœpit, peneque universus Orbis fidem suscepit; Necnon (juxta unam opinionem) ex donatione Constantini, Pontifex temporalem principatum quoque adeptus est; Hinc excretis negotiis, & occupationibus, cum formali determinatione causarum, eosdem parochos, vel Cardinales, quos ut supra, prædecessores Pontifices in depresso persecutionum statu, socios & adjutores assumpserant pro sacramentorum, & divinorum administratione, Pontifices successores, in hoc statu meliori, assumpserunt etiam in sacris, & adjutores, seu consiliarios, pro causarum, ac negotiorum Ecclesiæ determinatione; unde propterea invaluit usus Consistorii, idest congregationis Papæ, cum Cardinalibus pro dictis negotiis explicandis; Adinstar illius prophani consistorii, quod Princeps, vel Imperator, cum senam constituebat; Incertumque est in illis primævis temporibus, an statutis diebus, vel solum quando necessitas, vel opportunitas exigeret, id sequeretur; Unde propterea relinquendo locum veritati, super hoc primævo rerum statu, de quo ad antiquarios potius, curiositatis, vel eruditionis gratia, agere pertinet, quam ad forenses; In posteriori tamen tempore, de quo Juristæ loquuntur, a usus erat, quod bis in hebdomada fiebat consistorium, in quo in forma judicii, prævia discussione, per Parcum Advocatos, & procuratores, omnes causæ, etiam contentiosæ

giosæ inter privatos decidebantur, eo modo quo de præsenti fit per Rotam, aliaque Tribunalia; *b* Atque propterea inolevit usus Advocatorum, & Procuratorum Palatii seu Consistorialium, ne scilicet cuique ignoto, ac non probato causidico pateret aditus ad causas, quæ in Consistorio Papæ, & Cardinalium tractabantur, ut infra in Procuratorum & Advocatorum Rubrica advertitur.

Magis autem crescente existimatione auctoritatis Pontificis, ac etiam Cardinalitia dignitate, graviores solum causæ tractari cœperunt in Consistorio, quod proinde semel tantum in hebdomada habere cœpit, alias vero causas idem Pontifex cognoscebat, ac decidebat in Cappella, cum voto & interventu ejus Cappellanorum, unde prodiit Tribunal Rotæ, ut infra in ejus particulari rubrica habetur. *d*

Atque sicuti aliæ Ecclesiæ Cathedrales, & Metropolitanæ suos officiales habebant fixos, quorum unus esset adjutor, seu Vicarius Episcopi in temporalibus, nempe Archidiaconus, & alter in spiritualibus; nempe Archi-
4 presbyter, ac etiam babeot Cancellarium, & OEconomum; *e* Ita Papa Episcopus Ecclesiæ universalis pro exercitio jurisdictionis temporalis, babebat in Vicarium Cardinalem Archidiaconum, & pro illo spirituali Cardinalem Pœnitentiarum, necnon Cancellarium, qui tanquam notarius, vel secretarius explicaret acta Consistorii & alia, quæ per Papam gerebantur; Ac etiam Cardinalem Camerarium, qui gereret eas partes, quas in inferioribus Ecclesiis gerit OEconomus major, seu generalis mensæ Episcopalis, unde propterea magna erat auctoritas Archidiaconi, & Pœnitentiarii; Verum suppresso postmodum officio, vel dignitate Archidiaconi, ejus auctoritas in temporalibus, paulatim pene tota transiit in Camerarium, cujus munus in magna parte hodie explicant Auditor Cameræ, & Gubernator Urbis, ac etiam Tribunal Cameræ, ac alia ipsiusmet hodierni Camerarii, & Thesaurarii generalis, ut inferius in particularibus eorundem Tribunalium rubricis insinuatur,

Attento vero præsentis temporis stato, (de quo ad rem agere pertinet;) Retentaque pluries insinuata distinctione Personarum in Papa, nempe Summi Pontificis, & Principis temporalis Status Ecclesiastici, ac etiam Episcopi
5 particularis Urbis: Idem Papa duas habet species officialium, ac ministrorum pro hujusmodi regimine, unam scilicet in Curia, & alteram extra; Et quamvis in plerisque Tribunalibus, vel officiis, dignoscatur personarum, vel principatuum distinctio; Attamen in plerisque aliis ea non dignoscitur; sed promiscue negotia pertractantur, ad omnes dictas personas respective pertinentia, ut in singulorum Tribunalium ac magistratuum, vel officiorum particularibus rubricis advertitur.

6 Agendo itaque de illis Curiæ Romanæ, Papa præsente; Omnium primum, ac majus, & supremum, quod omnia negotia omnium principatuum, vel personarum habitualiter complectitur, est præfatum Consistorium Papæ, cum omnibus Cardinalibus; Licet actualiter, seu in exercitio aliqua tantum graviora negotia in eo tractentur, ut infra, *disc. seqq.*

Post Consistorium vero, sunt hodie nonnullæ Congre-
7 gationes Cardinalium, quæ ignoræ fuerunt antiquis scriptoribus, qui de Romanæ Curiæ praxi agere professi sunt, utpote postmodum erectæ, ex eodem Cardinalium Collegio, vel cætu constitutæ, quales sunt; Congregatio universalis Inquisitionis, quæ sancti Officii, vulgo dicitur; Concilii Tridentini, Episcoporum & Regularium; Consistorialis: Rituum Ecclesiasticorum; Immunitatis Ecclesiasticæ, Fabricæ S. Petri; Indicis librorum; Consultæ; Aquarum; Confinium, & viarum; Indulgentiarum, & Reliquiarum, Propagandæ fidei, Boni Regiminis, Visitationis Apostolicæ, reformationis Regularium; Ac etiam quandoque illa Status; Aliæque extraordinariæ, & particulares, quæ per Papam particulariter pro aliquibus negotiis deputari solent; Ultra multa Tribunalia mere forensia, quibus mediantibus idem Papa omnes causas, ad utrumque principatum, atque ad Episcopatum respective pertinentes cognoscit, ac decidit, ut infra.

8 Distinguendo autem eas Congregationes vel Tribunalia, quæ peculiaria sunt, sive distincta singulorum principatuum ab iis, quæ sunt communia, seu promiscua; Quatenus pertinet ad personam Episcopi particularis Urbis, negotia hujus fori Episcopalis pertractantur per Cardinalem Vicarium, aliosque hujus Tribunalis officiales, ac etiam per Sac. Congreg. Visitationis Apostolicæ.

Negotia vero pertinentia ad principatuum temporalem, absque mixtura alterius figuræ, vel Episcopatus in Urbe, ejusque districtu, vel personæ Pontificiæ, tractantur per Tribunalia Gubernatoris, & Senatoris, forique Capitolini, Generaliter vero per universum Statum, sunt Congregationes Consultæ, & Boni regiminis, & Aquarum, Confinium, ac Viarum; Ac etiam in Urbe adsunt aliqua Tribunalia particularia pro certo genere causarum, cum aliqua majori amplitudine; Ut sunt (ex. gr.) Gubernator Burgi, & alia Tribunalia, quæ recensentur infra sub Tribunali Cameræ; Ultra infinitum pene numerum Judicum particularium aliquarum Ecclesiarum, vel locorum piorum, vel collegiorum, & artium; Ut quoad forum Ecclesiasticum sunt Archipresbyteri trium Basilicarum Patriarchalium, & Cardinales titulares in suis respective titulis; Et respectu fori temporalis sunt judices artium & collegiorum, seu ministrorum.

Quo vero ad majorem dignitatem Ecclesiasticam, seu Pontificiam, pro regimine Ecclesiæ universalis, sunt superius enunciatæ Congregationis; Inquisitionis universalis, Concilii Tridentini; Episcoporum, & Regularium; Consistorialis; Rituum Ecclesiasticorum; Immunitatis Ecclesiasticæ; Propagandæ fidei; Indicis librorum, & Indulgentiarum, Fabricæ, & aliæ, utpote percutientes negotia Ecclesiæ in universum.

Tribunalia vero magis contentiosa, quæ promiscue tractant causas, & negotia utriusque principatus, Ecclesiastici & temporalis, ac etiam Episcopatus Urbis, pro instantiarum diversitate respective, sunt illa; Utriusque Signaturæ Gratiæ, & Justitiæ, Rotæ, Cameræ, Auditoris Cameræ; Thesaurarii; Et Camerarii; ac etiam quædam Tribunalia pro regimine Urbis, quæ eandem habent mixturam utriusque potestatis Ecclesiasticæ, & temporalis, ex persona scilicet Episcopi, & Principis, ac etiam quandoque extra districtum, ex persona Pontificis, ob communicatas facultates etiam cum personis Ecclesiasticis; Ut est Tribunal Ædilium, seu Magistrorum viarum, Ac etiam sunt Præsidentes Annonæ, Grasciæ, Zecchæ, Riparum, & viarum ac similes.

Habet item Papa plures particulares officiales, ac mi- 9
nistros pro suis respective muneribus, ac personis ut supra explicandis, ut nempe sunt; Cardinalis super intendens generalis Status Ecclesiastici, primusque, ac magis intimus, & fiduciarius Papæ minister, qualis est ille, qui sive per veritatem, sive per electionem, Cardinalis nepos dicitur, & qui apud vulgus *Patronus* nuncupatur; Item Secretarius Status; Datarius, Secretarius brevium, Domesticus Auditor & Palatii Præfectus; Et ejusdem Palatii magister; Ac etiam sunt; Vicecancellarius, Pœnitentiarius major; Et Camerarius, quorum singuli dependentes, ac subordinatos habent officiales, & ministros, ideoque aliquam constituunt speciem tribunalis; Ultra alios ministros aulicos, qui non soli servitio personæ addicti sunt, sed etiam regimini dictorum principatuum, puta Secretarius literarum, vel brevium ad Principes, Secretarius memorialium, Eleemosynarius, Secretarius cifrarum, & similes.

De singulis autem dictis magistratibus, & officialibus, vel Tribunalibus agendo, insinuatur, in quibus eorum munus versetur, & quando eorum vivæ vocis oraculo deferatur.

Extra Curiam vero, spectata majori, seu principali 10
persona Summi Pontificis, in concernentibus regimen Ecclesiæ universalis, sub nomine officialium, & adjutorum Papæ, juxta unam opinionem, veriorem receptam, ac in Curia (quam tamen ut alias dictum est, aliqui ultramontani non de facili admittunt,) large seu mediate, recensentur; Catholici Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi; Et Episcopi, aliique inferiores Prælati, spiritualem, seu quasi Episcopalem jurisdictionem habentes; Cum etenim Papa dicatur Episcopus Ecclesiæ universalis, ac Ordinarius Ordinariorum, habens universum mundum pro diœcesi, ut supra, *disc.* 2. advertitur; Hinc pernecesse danda est hæc subordinatio, quod scilicet alii Prælati, quamvis in pontificali dignitate, vel ordine constituti, censendi sint quidem pastores sibi commissorum gregum, vel ovilium, ita pro meliori regimine distributorum, sed subordinati primo pastori, a quo, vel cum cujus auctoritate præpositi sunt, juxta illam proportionem, quæ cadit inter Episcopum, & Parochos, vel plebanos singulorum locorum diœcesis: Si etenim hæc subordinatio non adesset, non potuisset Papa interdicere Episcopis, ac Prælatis provisiones beneficiorum, quæ sub Apostolicis

reser-

reservationibus, vel affectionibus cadunt, aliaque multa eis prohibere, sibique reservare, quæ inspecta jurisdictione nativa, & antiquorum Canonum dispositione, sunt juris Episcopalis.

Magis proxime autem, magisque immediate, inspecta eadem persona pontificia, ejus vicarii, seu officiales sunt;
11 Primo loco extraordinarii Legati Apostolici, qui justa modernam praxim, nonnisi constituti in Cardinalitia dignitate deputari solent, & qui de latere dicuntur, apud Reges, & magnos Principes pro bellis componendis, vel pro fœdere adversus infideles, vel hæreticos, similibusque gravioribus negotiis; Antiquiori autem tempore historiæ docent, quod etiam non constitutis in Cardinalitia dignitate, hoc munus demandari solebat.

Istorum Legatorum extraordinariorum, qui ut supra de latere dicuntur, magna esse solet auctoritas, ea tamen certam ac uniformem non habet regulam; Generaliter, etenim pro regula statui potest, ut eis in sibi commissa provincia, vel regione, competant omnes illæ facultates, quæ competunt Episcopis in eorum diœcesibus; *g* Et ulterius Papa solet multas facultates ei communicare circa collationem beneficiorum reservatorum, & concessionem aliquarum dispensationum, aliarumque gratiarum & indulgentiarum, in magis, vel minus ampla forma, adeout hujusmodi Legati habent formalem Datariam, eisque plures Prælati, tanquam officiales & ministri assignari soleant, & præsertim unus ex Rotæ Auditoribus, qui Datarii, & consiliarii partes expleat, ut tanquam peritus, consulere valeat, quænam pro Sedis Apostolicæ stylo concedi, vel respective denegari debeant, atque ad hunc effectum eisdem etiam assignantur aliqui inferiores ministri versati in Dataria, & Cancellaria Apostolica.

Item hujusmodi Legatorum in loco legationis magna est præeminentia super omnes Prælatos, ac etiam supra Cardinales, quamvis antiquiores, ac alias digniores; Ad instar illius Canonici, qui gerendo munus Vicarii generalis, vel officialis Episcopi, alios Canonicos, vel Dignitates majores præcedit; Ideoque eo præsente, ad ipsum pertinet pontificales solemnitates, vel præeminentias explicare, tam circa præeminentem sessionem in throno elato, quam circa impartitionem solemnis benedictionis populi, ac erectionem crucis, cum similibus, a quibus Episcopus in propria diœcesi abstinet. *h*

12 Alter est species Legatorum ordinariorum, qui pariter nonnisi ex Cardinalium Collegio, justa hodiernam praxim, deputari solent pro regimine, vel supremo vicariatu aliquarum Provinciarum, vel ditionum Status Ecclesiastici; Ut attenta pariter hodierna praxi, sunt Legati, Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis, Urbinatensis, & Æmiliæ, seu Romandiolæ; Quamvis in ista ultima provincia, legatio non sit fixa, sicuti sunt aliæ, dum nostra ætate, sub Urbano VIII. & Innocentio X. illa committi consuevit regimini Prælati sub nomine Præsidentis; Et quandoque (licet raro) in guberniis præsidialibus, seu provincialibus; Marchiæ, cujus civitas residentialis est Maceratensis; Et Umbriæ cujus civitas residentialis est Perusina; Et Patrimonii, cujus civitas residentialis est Viterbiensis, Cardinalis Legatus deputari consuevit, prout temporum opportunitas exigeret.

Ista vero Legatorum species percutit potius alteram personam Principis temporalis, dum eorum munus principaliter concernit regimen temporale, ideoque censendi sunt Præsides, seu Vicarii provinciarum principatus temporalis; Eo modo, quo (exempli gratia) Rex Catholicus in Italia deputat Proreges, vel Gubernatores, & Vicarios in principatibus ejus monarchiæ annexis; Vel (magis proxime) erant illi Præsides provinciarum Regni Neapolitani, qui sub nomine Proregum, & Vicariorum deputabantur, quando dictum Regnum proprium Regem ibi residentem habebat.

Bene verum est, quod in hujusmodi Legatis verificatur
13 illa eadem mixtura utriusque, regiæ, & Pontificiæ potestatis, quæ ut supra practicatur in pluribus Tribunalibus, ac Magistratibus Curiæ, quod scilicet quamvis principaliter præponantur regimini temporali juxta dicta exempla, adeout eorum Auditor generalis, qui est Judex ordinarius causarum ad ejus forum pertinentium, dicatur potius Judex laicus, ut quandoque practicavi in Signatura; Attamen Papa, aliam pontificiam personam induendo, plures eis communicat Ecclesiasticas, seu spirituales facultates, majores, vel minores, juxta temporum opportunitates, illos præsertim constituendo Judices appellationum, & recursuum ab Ordinariis, aliisque Prælatis, cum eisdem præeminentiis Ecclesiasticis, de quibus supra, juxta diversam praxim, seu observantiam, cui nimium in hoc deferendum est.

Istorum vero Legatorum potestas magis restricta est, 14
adeout, legibus canonicis, vel civilibus derogare, vel dispensare non possint, neque illa concedere, vel statuere, quæ sint eis contraria; Unde propterea in casu contingentia pluries per Rotam decisum fuit, ut Constitutiones Legatorum, seu localia Statuta cum eorum auctoritate confirmata, attendi non debeant in iis, quæ de directo sunt contra jus; Nisi antiqua recepta consuetudo, pro ipsarum legationum diversis moribus, aliter suadeat. *i*

Hujusmodi Legatis alter officialis per Papam, adjungi 15
solet, in Prælaturæ statu constitutus, qui Vicelegatus nuncupatur, isque ex quodam recepto usu, tamquam Legati Vicarii generalis, easdem exercet facultates indefinite, Legato absente, ut praxis docet in Vicelegato Avenionensi, dum ea legatio committi solet dicto Cardinali primo ministro, qui nepos dicitur, atque continuo residet in Curia apud ipsum Papam, atque ipso Legato præsente, adhuc aliquas habet facultates juxta cujuslibet legationis praxim, vel observantiam, cui deferendum est. *l*

Habet etiam Papa tanquam Papa aliam speciem officia- 16
lium, & magistratuum extra Curiam, nempe Nuntios assistentes, apud Imperatorem, ac Reges, aliosque supremos Principes; Eisque, juxta pariter diversos stylos, vel temporum, ac rerum contingentias, jura, seu facultates Legati conceduntur; Tam circa collationes aliquorum beneficiorum, ut præsertim occasio facultatum Nuntii Hispaniarum, conferendi beneficia non excedentia valorem 24. ducatorum, frequenter disputari contingit, *m* Quam etiam circa aliquas dispensationes, aliasque gratias, Ac etiam juxta diversos stylos, quibus deferendum est, sunt Judices appellationis, & recursus ab Ordinariis locorum; In iis vero Regnis & principatibus, in quibus ipse Princeps non resideat, sed ejus Vicarius, vel alter supremus Magistratus, Papa deputat officiales sub nomine Collectorum, vel Internuntiorum, seu Residentium, qui quandam Nuntiorum imaginem habent, ejusque facultates majores, vel minores communicari solent juxta diversos stylos.

In principatu temporali, qui sub nomine *Status Eccle-* 17
siastici explicatur, deputat etiam Præsides, & Gubernatores, qui magistratus mere sæculares reputantur, iique pro frequentiori contingentia, in Prælaturæ statu constituti sunt, exceptis parvis Civitatibus, & locis, in quibus deputantur simplices rogati cum illa subordinatione, de qua habetur infra, agendo de Tribunali Consultæ. *e*

Aliquando tamen in casibus particularibus eisdem Gu- 18
bernatoribus communicari solet facultas procedendi etiam contra Clericos, & personas Ecclesiasticas, unde propterea dicta mixtura utriusque potestatis verificatur, ut etiam in Gubernatore Urbis praxis frequenter docet, ut loco citato advertitur.

Ipsius autem Papæ, magna, & continua est occupatio;
adeout nimis laboriosum, ac onerosum munus reputetur; 19
Siquidem ultra adeo frequentes, & longas occupationes spirituales in cultu divino, in Capellis scilicet, & processionibus, aliisque functionibus hujusmodi singulis diebus, ordinarias, & extraordinarias habet occupationes, quæ totam pene diem absorbent; Qualibet enim die, postquam missam celebravit, atque divinum officium recitavit, audit Datarium pro beneficiorum provisionibus, aliisque negotiis pertinentibus ad Datariam de quibus infra in ejus Rubrica, & supplicationes signat; Et expedito Datario, audit Secretarium brevium, aliaque expedit negotia pertinentia ad istam Secretariam, de quo pariter infra in ejus Rubrica agitur, signando minutas: Istaque occupatio est continua singulo quoque mane, quando non sint dies solemnes, in quibus Capellis, aliisque divinis vacandum sit.

Prout singulis diebus, post prandium, vel alia statuta hora, audit dictum Cardinalem superintendentem generalem tanquam primum, magisque fiduciarium ministrum, atque cum eo de gravioribus negotiis agit, necnon Secretarium Status; Denique Secretarium memorialium, & Auditorem domesticum aliosque audit Palatii officiales, pro negotiorum qualitate; Istæque occupationes sunt continuæ singulis diebus.

Discontinuæ vero sunt; Die Lunæ de mane tenetur

Consi-

Consistorium, in quo, ut in Consistorii rubrica sequenti, advertitur, Cardinales audit; Ut etiam eos audire solet in aliis cardinalitiis Congregationibus, de quibus infra; die Martis, alternatim habetur Signatura Gratiæ, & Congregatio examinis Episcoporum; Die Mercurii est audientia generalis officialium, nempe Gubernatoris Urbis, Auditoris Cameræ, Thesaurarii Generalis; Senatoris Urbis, Vicesgerentis; Secretariorum Congregationum; Præfectorum annonæ, & grasciæ, pluriumque aliorum officialium pro negotiorum qualitate; Die Jovis, habetur coram eo Congregatio Inquisitionis universalis, quæ S. Officii dicitur; Die Veneris audit plures Oratores Principum, juxta eorum ordinem, ac distributionem; Die Sabbati audit quoque plures alios Principum, & Civitatum Oratores, necnon denuo audit dictos officiales, vel eorum aliquos pro negotiorum urgentia; Et die dominico, quando Capellæ impedimentum non adsit, audit Episcopos venientes ad limina, ac etiam Generales aliosque superiores Religionum; Atque in singulis diebus in iis spatiis, quæ supersint, privatas præstat audientias; Ultra audientias extraordinarias Oratorum Principum, Cardinalium, & officialium; Ac etiam ultra extraordinarias Congregationes, quæ coram eo haberi solent in aliquibus anni temporibus super Canonizationibus, vel Beatificationibus; Aut in negotiis pertinentibus ad Congregationem Propagandæ fidei; Vel in negotiis Status, aut publicæ annonæ cum similibus, Et quandoque juxta diversos Pontificum stylos (nimium quidem commendabiliter,) ex improviso coram eo evocari solent, Rota, Camera, Signatura Justitiæ, & alia Tribunalia, ut audiat quomodo causæ bene examinentur, ac justitia ministretur, Ideoque (ut præmissum est) occupatissimum, & laboriosissimum est munus, quod exercetur, vel quod exerceri debet, Mutantur autem quandoque dies aliquarum enarratarum functionum, præsertim Consistorii, & Examinis Episcoporum, ob impedimenta, quæ in consuetis diebus contingant, sive quod ita exigat negotiorum urgentia, ob quam Consistorium extraordinarium convocare congruat.

Atque ultra dictas occupationes, alias plures patiatur, pro extraordinariis contingentiis, pro quibus, etiam singulis diebus, & horis, epistolas, seu apodissas certioratorias recipit a Cardinalibus, & ab Oratoribus Principum, ac etiam ab officialibus prædictis, & præsertim a Gubernatore Urbis; Imo aliqui nimium vigilantes Pontifices studere solent, atque soliciti esse, ne ab officialibus, & ministris circumveniantur, etiam a privatis civibus, vel a religiosis viris, ita per hujusmodi certioratorias literas, vel apodissas, occulte certiorari de iis quæ contingant; Ac etiam Procuratorem fiscalem, & Barisellum, aliosque inferiores ministros, utpote bene informatos ad audientiam admittere quandoque solent, quoniam Principes omnia scire debet quæ contingunt, quamvis plurium notitiam non habere, frequenter dissimulare expediat.

Ex hac autem continua audientia, & applicatione Pontificis per se ipsum; Ac etiam ex eo quod sit Princeps, qui
20 a statu privato, per gradus, ad illum apicem evectus est, ideoque bene informatus, valde proficui resultant effectus, atque revera optimum est hujus principatus regimen civile, seu pacificum (non tamen in belligeria, in quibus clericorum, & ecclesiasticorum, nullæ, vel parum felices esse solent partes, ita forte ipso Christo Domino disponente;) Raræ siquidem forte invenientur magnæ, ac metropoliticæ Civitates, quæ tot magnates ac nobiles, & potentes viros habeant, in quibus nulla audiatur pauperis, ac popularis oppressio, sed quod æqualiter cuilibet jus suum tribuatur, atque a maximo ad minimum, æqualis sit Justitiæ, & obedientiæ sarcina (Cum ea tamen circumspectione, quam ubique, ea quadam congruentia praxis docere videtur in Oratoribus Principum, ut infra in eorum particulari rubrica advertitur;) Atque per universum Statum Ecclesiasticum, illum præsertim, qui immediate regitur per Gubernatores, & Præsides, sub directione illius valde proficuæ Congregationis, quæ Consulta dicitur, de qua infra in ejus particulari Rubrica p, recte verificatur id, quod sacra scriptura de temporibus Salomonis refert, quod scilicet quilibet libere vivat sub ficu sua & sub vite sua, (quod facit Deus ut semper conservetur, ut conservandum speratur, Pontificibus in hac vigilantia perseverantibus.)

Nimium quoque pro hoc optimo, vereque exemplari civili regimine, prodest eximia qualitas ministrorum, ac
21 operariorum, ac præsertim Præsidum, & Gubernatorum localium, qui præsidatus, & gubernia non affectant, neque emunt, ac lucrum, & ditationem, ut Justitiam vendant, vel criminum punitionem delinquentes cum pecunia redimant; dum sunt viri nobiles, & divites in Prælaturæ statu constituti, hujusmodi munera assumentes, & exercentes pro solo merito, atque ut ita gradus sibi constituant ad majora munera, primariasque dignitates, non autem ut in guberniis, cum ipsorum emolumentis vivant, vel lucrentur; Quinimo potius de proprio, magnas, ac notabiles summas erogando, non solum pro eorum condecenti, & honorifica substentatione, atque pro Principum, & Magnatum splendidis hospitationibus nomine Papæ, eorum sumptu: sed etiam quandoque notabiles summas de proprio erogando in diligentiis, pro habendis, ac puniendis malefactoribus, ac delinquentibus. Ut etiam in Curia tot Prælatis, qui munera & judicaturas exercent, praxis docet, ut agendo præsertim de Tribunalibus utriusque Signaturæ, ac Rotæ, & Cameræ inferius advertitur; Itaque revera est in aliquibus principatibus pestis scandalorum, quod scilicet, Judices, & Gubernatores, ac Præsides, aliique officiales, munera, & officia affectant, ad solum lucrum & ditationem, quod manifestam habet implicantiam cum recta Justitiæ administratione, rectoque regimine Reipublicæ.

22 Præsertim vero, nostra ætate istam comparationem docuit casus pestis, quæ aliquas Italiæ partes adeo vexavit, dum in Urbe, quamvis nimium grassata esset, nullum penitus inconveniens visum, vel auditum est, tam circa omnium victualium consuetam affluentiam, liberumque comercium, absque aliqua pretiorum alteratione, quam etiam circa infirmorum curationem, & mortuorum sepulturam, de nocte, absque aliquo clamore, vel tumultu, adeout, in tam notabili strage hujus divini belli, nec unum quidem cadaver visum fuerit per Civitatem; Idque ex vigilantia Congregationis desuper constituta, ex iis Cardinalibus, qui occasione legationum, vel gubernitorum magnam habebant peritiam in regimine hujus temporis calamitosi, occasione alterius belli divini, quod aliquas Italiæ superiores partes prius vexaverat; Ac etiam, ob nimiam vigilantiam, & assistentiam Prælatorum, qui desuper deputati fuerant in Lazareto & in singulis regionibus, & contratis, dum non solum exactissimam adhibebant personalem operam, ac diligentiam, omnino gratuitam, absque minima, ne quidem imaginabili utilitate; Verum etiam erogabant notabiles summas de proprio ære, in eleemosynas, ac subventiones indigentium; Nimium quoque cooperante omnimoda æqualitate exactissimæ obedientiæ, in qua Magnates, ac primarii viri infimos, ac plebeos vincebant; Ac etiam ob severam irremissibilem punitionem aliquorum inferiorum operariorum, qui non bene in proprio munere se gererent; Et in summa, ut ab officialibus, ac regentibus absint sordes, quorum mixtura nunquam bonum regimen Reipublicæ producere potest.

23 Et licet, ab aliquibus dici soleat, quod istæ bonæ Prælatorum operationes, non ex virtute charitatis, & Justitiæ, sed ab ambitione proveniunt; Eis tamen replicari potest, quod pro bono Reipublicæ gubernio, ac Justitiæ administratione effectus attendi debet, non autem causa, dum apud Deum, & in foro interno, ex Sanctorum Patrum testimonio, non virtus, sed causa virtutis attendi debet, sed apud homines, atque in foro externo, effectus, vel exercitium virtutis, non autem causa desideratur.

a Vestr, & add. *in prax principio*.
b *de his agitur infra, disc. seqq. & tit. de jurisd. disc. 34. & in prima, disc. Card. de Albicis impress. post eundem tit. de jurisdict.*
c *inf. in discur. in quo agitur de Curialibus*.
d *infra, disc. 32.*
e *de preeminen. disc. 20.*
f Cavalet *dec. 15. n. 2.*
g *de his & aliis Gambar. de potestate legati Vermigliol. cons. 442. Surd. cons. 403. ambo in eadem casu an Legatus dispenset ab ordine subdiaconatus, & an dispenset contra jus Rot. dec. 171. p. 5. rec. dec. 207. n. 34. apud Posth. de subbast. & apud Bich. dec. 381.*
i *apud* Bich. *d. dec. 381. d. dec. 207. apud Posth. de subbast.* Dunoz. *dec. 527. n. 4.*
l Grat. *discept. 166. n. 1. dec. 73. p. 5. rec. n. 28. & tit. de donat. disc. 2.*
m *sub tit. de benef. pluries*.
n *de Nuntiis Apostolicis cum dicta distinctione, tit. Miscellan. Ecclesiast. disc. 22. & 23.*
o *infra, disc. 25.* p *infra dicto disc. 25.*

De

De Consistorio, & de causis, ac negotiis, quæ in eo tractari solent; Ac etiam de Collegio Cardinalium, eorum jurisdictione, & prærogativa, & de Congregatione consistoriali.

S U M M A R I U M.

1 *DE vocabulo Consistorii quid significet.*
2 *De duplici specie Consistorii.*
3 *De Consistorio solemni publico.*
4 *De functionibus quas in eo faciant Advocati consistoriales.*
5 *De Consistorio semipublico.*
6 *De Consistorio secreto, & qua die celebretur.*
7 *De modo accessus ad Consistorium.*
8 *De audientia quam Papa præstat Cardinalibus in Consistorio.*
9 *De negotiis quæ tractantur in Consistorio, & præsertim de promotione.*
10 *Quando dicantur veri & perfecti Cardinales.*
11 *De aliis solemnitatibus in promotione Cardinalium.*
12 *Quæ personæ soleant ad hanc dignitatem promoveri.*
13 *Quare Regulares aliquando promoveantur.*
14 *Et de eorundem promotione ad Episcopatum.*
15 *De provisione Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum.*
16 *De Episcopatibus titularibus in partibus infidelium.*
17 *De modo promotionis Episcoporum actualium.*
18 *Monasteria consistorialia providentur in Consistorio.*
19 *De traditione pallii.*
20 *De dimissione Episcopatuum.*
21 *De creatione Legatorum Apostolicorum.*
22 *De novis erectionibus, vel unionibus Cathedralium.*
23 *De quibus aliis negotiis in Consistorio tractetur.*
24 *De Congregatione Status.*
25 *De Congregatione Consistoriali, & quæ negotia tractet.*
26 *De Cardinalium Collegio, jurisdictione, & præeminentiis, & aliis Cardinalium indultis & privilegiis.*
27 *De numero Cardinalium.*
28 *De sex Episcopatibus Cardinalitiis.*
29 *De illorum optione, & de Decanatu Collegii.*
30 *An Cardinales Diaconi dent benedictionem.*
31 *De optione inter Cardinales.*
32 *De præcedentia, & præeminentiis supra Prælatos.*
33 *De aliis privilegiis, & prærogativis.*
34 *De rotulo, seu distributione Cardinalium.*
35 *De præsentia in Curia.*

D I S C. V.

1 QUamvis istud Consistorii vocabulum, in latiori grammaticali significatione, cuilibet simplici adunantiæ, vel congregationi congruere videatur, adeout in aliquibus partibus, Tribunalia adsint collegiata, quæ istud nomen, seu vocabulum adhuc retinent, ut præsertim in Regno Siciliæ praxis docet; Atque legaliter, attento præsertim jure civili novo, post Imperii translationem in Græciam, illi congruat adunantiæ, quæ ex Principe, ejusque consiliariis fiat; Cum Consistorium proprie sit locus, in quo consultandi gratia, homines consistunt, atque consistoria dicuntur palatia Augustalia; Attamen quidquid sit de vocabuli significatione, de qua ad scholasticos potius, quam ad forenses, stricte, ac rigorose inquirere pertinet; Ob communem christianorum Principum usum, istud vocabulum singulariter illam significat adunantiam, seu congregationem, quæ per Papam, cum Collegio Cardinalium in forma Senatus in ejus Apostolico Palatio fit, adeout, quamvis aliæ in eadem Romana Curia sequantur adunantiæ per eundem Papam cum eodem Collegio, vel cum aliqua ejus parte, ut in Capellis pontificiis, vel in aliquibus Congregationibus contingit, in illis præsertim Sancti officii, & Signaturæ Gratiæ, ac Examinis Episcoporum, & quandoque Rituum pro canonizatione Sanctorum, ac in aliis, non tamen istud, sed alia adhibentur vocabula.

Duplex autem est Consistorii species; Aliud enim est extraordinarium, magisque solemne, quod præter Cardina-
2 les, alios admittit Prælatos, & ministros, ac etiam Principum Oratores, aliosque Magnates, qui in Papæ solio assistant, quod publicum dicitur; & quandoque cum pontificalibus paramentis, pro functionum diversa qualitate celebratur; Aliud vero est ordinarium, quod in forma minus solemni fit cum solo interventu Cardinalium pro negotiis pertractandis, quod secretum dicitur.

Prima species, solemnis, seu cæremonialia potius quam
forensia, vel curialia concernit, ut contingit quando præ- 3
vio Consistorio secreto, in quo conclusa sit alicujus servi Dei canonizatio, servatis iis quæ infra, agendo de Rituum Congregatione insinuantur; aliud publicum, & solemne Consistorium fiat, cum interventu omnium Episcoporum præsentium in Curia, ac etiam Protonotariorum Apostolicorum, & Auditorum Romæ, & quorundam aliorum Prælatorum, quoniam omnium, tanquam per quandam imaginem Concilii generalis, votum exquiritur; Sive quando prævia creatione Cardinalium, in alio Consistorio secreto cum solitis cæremoniis, galerus cardinalitius eis conceditur; Aut quando Reges & Principes, vel eorum extraordinarii Oratores, qui obedientiæ dicuntur, ad solemnem & publicam Papæ audientiam, pro obsequio, & obedientia admittuntur; Istaque species ad Curiam cæremonialem potius, quam ad forensem pertinet; Solumque aliqua forensis mixtura in eo dignoscitur, quod in illis spatiis, in quibus, accedentibus novis Cardinalibus
ad Capellam per solemni præstatione juramenti; Sive 4
quod ob alias cæremonias contingat, ut Papa in solio otiosus remaneat, ne otium in eo, ne quidem temporis momento detur, Unus, vel plures ex Consistorii Advocatis interim orare soleat pro canonizatione alicujus servi Dei, ejus virtutes, ac merita enarrando; Moderna vero est hæc introductio, orandi super meritis alicujus servi Dei, quoniam antiquitus proponebantur in his spatiis causæ concernentes Justitiam, & potissimum criminales; Quinimo proponebantur casus ideales, & figurati valde horrendi, ex testimonio Gomesii in compendio utriusque Signaturæ, quod inconveniens videbatur.

At etiam datur quædam species mixta, quæ sub semipu- 5
blici Consistorii vocabulo explicari solet, quia nempe, partim sequatur cum solis Cardinalibus secrete, & partim publice cum aliorum interventu; Sed pariter ista species, ad ritualia potius, quam ad forensia pertinere videtur.

Quatenus itaque ad ordinarium secretum Consistorium pertinet (ut præcedenti discursu insinuatum est,) illud antiquiori tempore bis in hebdomada teneri solebat; Medio vero semel, pro brevioribus causis in forma contentiosa etiam cum interventu Procuratorum, & Advocatorum utriusque partis decidendis per Papam, cum voto Cardinalium *a*; Atque ex hujusmodi decisionibus aliqua pars canonum registratorum in quinque libris Decretalium est desumpta, alia vero ex decisionibus Rotæ. *b*

Hodie vero, rarius illud habetur ad Papæ placitum, 6
prout negotiorum urgentia exigat; Pro frequentiori autem praxi, bis in mense, atque ordinaria dies est illa feriæ secundæ, vulgo lunæ de mane; Quamvis aliquando ob dictæ diei impedimentum, vel necessitate exigente in altera die, & quandoque etiam post prandium, seu de sero, (ut aliquando nostra ætas vidit,) cum totum pendeat a Papæ placito, ac arbitrio.

Præcedente itaque singulorum Cardinalium in Curia præ- 7
sentium, die præcedenti per publicum Cursorem destinatæ Consistorii celebrationis notificatione, cum expressione diei, & horæ, in qua Sanctissimus sit interventurus; In consueta Palatii aula magna, vel in alia Papæ placita singuli Cardinales cum solemni comitatu, & obsequio ad illud accedunt, more Regio, adeout in hac functione, magis quam in aliis Romanæ Curiæ majestas elucere videatur,
atque ita verificari id quod antiqui Scriptores de profa- 8
næ triumphantis Romanæ Reipublicæ Senatoribus dicere solent, ut scilicet tot Reges reputari mereantur.

Postquam vero Cardinales, in convenienti numero, statuta hora, in Aula congregati sint, in scamno, seu banco lineo cappa magna, rocchetto, & birreto induti sedendo; Papa ad suam consuetam sedem aliqualiter elatam, sub throno, seu baldachino in habitu privato, cum rocchetto scilicet, & mozzetta, ac biretto pontificio accedit, ibique, donec omnium Cardinalium accessus sequatur, vel etiam eo secuto, ad sui placitum, januis adhuc apertis, adeout omnibus nobilibus, & qualificatis viris, ac Prælatis aditus pateat, singulis Cardinalibus petentibus privatam auricularem audientiam præstat, super propriis, vel Principum, aut amicorum, vel familiarium precibus, ac instantiis, aliisque negotiis; Atque in hac functione præsertim Papæ majestas dignoscitur, quoniam licet Cardinales, in præsentia Papæ sedeant, in dicto banco cooperto capite, cum biretto cardinalitio; Attamen ubi singuli Papam ibi publice alloquuntur coram eo, stant capite discooperto cum magno obsequio, ac reverentia, quamvis magnorum Principum filii sint, vel Cardinales

magnæ

magnæ existimationis, qui eundem Pontificem in minoribus in eorum famulam, vel obsequio habuerint, ejusque promotores fuerint; Dictaque audientia, pro Papæ placito expleta, omnes ab aula ejiciuntur, solis Cardinalibus cum Papa remanentibus, in proxima aula solum assistentibus, Collegii Secretario, & Clerico, aliisque ministris, ut prompte accurrant, ita tamen ut Consistorii secreta audire non valeant.

Negotia vero, quæ hodie in Consistorio explicantur, forensem, contentiosam formam amplius non habent, sed solum gratiosam, vel politicam, ut Principis supremum Senatum decet; Omnium autem primaria functio, reputatur illa novæ creationis Cardinalium, in locum defunctorum; Atque (quidquid sit de antiquo stylo,) hodier-
9 nus est, quod Papa vel in Consistorii initio priusquam alia pertractentur negotia, vel frequentius in fine, dicit Cardinalibus quod habent fratres, atque nominando illos quos in Collegium cooptare velit, eos interrogat quid ipsis videatur, eisque approbantibus, ac laudantibus, fit decretum promotionis, quæ illico publicatur extra Consistorium per Curiam; Quandoque tamen exprimendo numerum eorum, qui promoveantur, aliquorum nomina publicare non solet, sed ea (ut dicitur) rescribat in pectore; *a* Et quamvis illa quandocunque etiam extra actum Consistorii, aperire valeat; Quinimo ex integro Cardinalium promotionem ita facere, cum omnia pendeant a jure, vel formalitate positiva, dum ut *disc. præc.* advertitur, Cardinalium interventus & consensus est voluntarius, & consultivus; Attamen observantia huc usque dedit, quod, tam promotio, quam publicatio jam promotorum, nonnisi in Consistorio fieri consuevit, unde propterea hodie non
10 audiuntur illæ quæstiones, quas apud nostros majores disputatas esse habemus de Cardinalibus occulte creatis. *b*

Secuto vero dicto actu publicationis in Consistorio; Quamvis in alio publico Consistorio, præviis juramenti præstatione, aliisque solemnitatibus, Cardinalia insignia solemniter præbeantur, atque in alio Consistorio sequenti, ut vulgo dicitur, eis aperiatur, istud, quod habilitantur ad votum proferendum; Attamen istæ sunt ceremoniæ, vel solemnitates, quæ non percutiunt substan-
11 tiam, vel perfectionem actus, quoniam secuta promotione, ut supra, illi sunt veri, ac perfecti Cardinales, ideoque (quidquid alias dubitatum fuerit,) votum habent in Conclavi in electione Pontificis, omnesque alias Cardinalitias jurisdictiones, & præeminentias, ut moderna praxis docuit, ultimæ promotionis Clementis Noni octo Cardinalium, in quorum numero fuit immediatus successor Pontifex Clemens Decimus, qui per dies in statu Cardinalitio, dictis solemnitatibus non adhibitis, stetit.

In hujusmodi autem promotionibus, pro temporum, vel
12 rerum opportunitate, ac etiam quandoque, ac Imperatoris, & aliquorum Regum, vel Rerum publicarum preces, ac instantias, assumuntur Prælati, aliique qualificati, ac meriti viri, ex omnibus Orbis Catholici nationibus, & frequentius illi, qui per gradus publica Sedis Apostolicæ munera exercuerint, illa præsertim Nuntiorum apud Reges, & Principes, dum hoc munus magnam præbet politicorum & publicorum negotiorum peritiam, quæ in Cardinalibus nimium necessaria est, ut distinguendo Curialium classes inferius agendo de Causidicis advertitur. *c* Ac etiam illi Episcopi, qui diu, ac laudabiliter, in sibi commissarum Ecclesiarum regimen versati fuerint, aliique Curiæ Officiales, & Magistratus, & præsertim ex majoribus; Collegiatis Tribunalibus Rotæ, & Cameræ; Atque quoad eas ignari vulgi oblocutiones, quæ fieri solent super promotionibus eorum, qui officia venalia possideant, late agitur alibi, ubi videri potest. *d*

Solent autem (ita etiam Apostolicis Constitutionibus monentibus) nullo dictorum publicorum munerum exercitio præcedente, ad hanc dignitatem promoveri aliqui privati Regulares in cella reclusi, tanquam insignes Sacræ Theologiæ professores; Non quidem principaliter ob hanc
13 professionem, dum in ea habentur quoque Prælati, aliique seculares togati peritissimi, atque huic primario muneri magis apti, utpote majorem politicarum, & publicarum rerum experientiam habentes, sed ex bono, & commendabili fine, Ita honorandi quoque clerum hierarchicum, ordinem Regularem, in Ecclesia Catholica valde proficuum, atque ita cum hujus præmii spe, multos ad sacrarum literarum studia alliciendo.

Atque ex eadem ratione, iidem Regulares ad Episco-
14 patus commendabiliter promoveri solent, quamvis illarum diœcesum, in quibus procul ab hæreticis, catholica fides proficuum statum habet, eorum regimen non valde opportunum reputari soleat, ob deficientiam rerum sæcularium peritiam; Id autem desiderandum videretur, ut omnino inhabiles, ac indigni reputati deberent illi religiosi, qui Episcopatum ambiunt, ac affectant, quique non petentes in eorum Religionibus valde probati, ac commendati, ex officio promoveri debent, ut B. Joannes Theutonicus dicere solebat; Atque P. Stephanus de Luca meus patruus ordinis Minorum conventualium Romanæ Sapientiæ Theologus nescio an ex proprio sensu, vel ex Sanctorum Patrum traditione hujusmodi religiosos, qui Episcopatum petunt, atque ita inordinate ambiunt, apostatas mentales appellabat.

Altera Consistorialis functio est provisio Ecclesiarum 15
Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium vacantium, de Prælato, seu Pastore; Itaque provisio est de duplici specie; Una scilicet Ecclesiarum titularium tantum absque residentia, & administratione, eo quia diœcesis de facto occupata sit ab infidelibus, vel hæreticis, aut schismaticis; Et altera de Ecclesiis habentibus actualem jurisdictionem, & administrationem in diœcesi catholica.

Prima species provisionum fit solo nutu, & placito Papæ, cum quandam honorificam præeminentiam solum importare videatur, constituendo personam in ordine pontificali, absque aliquo pontificalium exercitio jure proprio, sed solum jure alieno; Unde propterea de consuetudine Curiæ receptum est, ut per hujusmodi provisiones non resultet vacatio aliarum Ecclesiarum, vel beneficiorum incompatibilium, ut in promotis ad Episcopatus actuales absque dispensatione super retentione resultat, ut in beneficiali materia advertitur. *e*

Ubi vero agitur de altera specie provisionum actualium,
tunc prævia respectu Ecclesiarum Italiæ, & Insularum ad- 16
jacentium solemnitate examinis, de qua infra in particulari sede Congregationis examinis Episcoporum: *f* Sive promovendus electus sit per Papam; Sive per Capitulum; Aut nominatus per Principem respective, pro regionum diversis usibus, coram Cardinali ad id per Papam deputato, per Notarium particularem his actibus generaliter deputatum, efformatur processus, super vita, moribus, legitimis natalibus, ætate, gradu, aliisque necessariis requisitis pro Episcopatu, ac etiam super statu Ecclesiæ, Istoque processu completo, idem Cardinalis in primo Consistorio, facit Ecclesiæ, ac personæ providendæ præconizationem tam oretenus in ipso Consistorio omnibus Cardinalibus audientibus, quam cum memorialibus, seu brevibus informationibus antecedenti die transmissis per manus singulorum Cardinalium, super omnibus, quæ in processu continentur, ac justificata sunt, ad effectum ut in eo intermedio spatio usque ad alterum Consistorium, extrajudiciales informationes per Cardinales haberi valeant, super iis quæ in contrarium eis obstare possint, atque de tempore propositionis opponi; In sequenti vero Consistorio, idem Cardinalis proponit Papæ illam personam electam tanquam idoneam, ut eam Ecclesiæ viduatæ præficiat, atque nemine aliquid habente in contrarium, Papa desuper in ipso Consistorio interponit decretum, ideoque ex tunc provisus dicitur Episcopus, atque obtinet ea, quæ sunt jurisdictionis, non autem ea quæ sunt ordinis Pontificalis, pro quibus necessaria est consecratio, quæ ritualia potius, vel cæremonialia concernit; Optimum quidam nimiumque commendabile est institutum, sed desideranda videretur aliqua melior ejus praxis, quoniam, ut quandoque fert fama, sive vera, sive falsa, citra Papæ rectam intentionem, sequuntur hujusmodi electiones in personis parum dignis, quarum mali mores, vel alii defectus innotescant; Et tamen ex quodam usu, vel ex alia causa, nemo loquitur, adeo ut illud optimum, nimiumque proficuum institutum quando practicaretur, ad formalitaté redactam videatur.

Quandoque autem, ubi agatur de provisione persona-
rum, conspicuæ, ac notæ qualitatis, ipsemet Papa pro- 17
positionem facit, atque illico (si nil opponatur) fit decretum, absque necessitate præconizationis.

Consistorialiter quoque providentur aliqua Monasteria
regularia, quæ propterea apud beneficialistas Consistoria- 18
lia, nuncupantur; *g* Ac etiam coadjutoriæ cum futura successione, tam Cathedralium, & Metropolitanarum, quam dictorum Monasteriorum Consistorialium. *h*

Atque ubi agatur de Ecclesiis Metropolitanis, vel de
quibus Cathedralibus hanc prærogativam habentibus, (ut 19
in Italia sunt Episcopatus Papiensis, & Lucensis,) quod scilicet eis congruat usus pallii, tunc in altero immediato, vel mediato subsequenti Consistorio, pallium conceditur,

ipsius

ipsiusque provisi procuratore supplicante, atque pro eo orante
uno ex Advocatis Consistorialibus.

Cumque unumquodque solvi debeat eo modo quo liga-
20 tum est; Hinc proinde, si provisus de aliqua Ecclesia Ca-
thedrali, vel Metropolitana per dimissionem liberam, vel
per translationem ad alteram liberari cupiat, id pariter in
Consistorio sequitur, per quandam speciem dissolutionis
hujus matrimonii spiritualis, prævio processu super justis
causis, ex quibus hujusmodi dissolutio petatur.

Legatorum Apostolicorum, extraordinariorum ad Re-
21 ges, & Principes, qui de latere dicuntur, ac etiam ordi-
nariorum pro regimine aliquarum Provinciarum Status
Ecclesiastici juxta distinctionem, de qua *disc. præc.* deputa-
tiones in Consistorio pariter fiunt.

22 Prout etiam novæ erectionis Cathedralium, vel Metro-
politanarum, cum dismembratione territorii, novæ Ec-
clesiæ assignandi, ab una, vel pluribus adjacentibus diœ-
cesibus, sive earundem Ecclesiarum uniones, vel divisio-
nes in Consistorio fiunt, atque causæ Consistoriales dicun-
tur, omnium vero hujusmodi actorum Secretarius est Car-
dinalis Vicecancellarius, ut in ejus Rubrica advertitur. *k*

Item in eodem Consistorio, Papa cum Cardinalibus agit
23 de gravioribus Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ universalis,
vel Principum, spiritualibus, ac temporalibus negotiis,
juxta eorum qualitatem & circumstantias; Cumque non
24 semper expediat de illis publice coram omnibus Cardinali-
bus loqui, hinc isto casu, Papa, pro eorundem negotio-
rum consultatione ac directione aliquorum Cardinalium
particularem Congregationem deputare solet, quæ *Status*
dicitur, istaque proinde non est Congregatio fixa, & con-
tinua, sicuti sunt aliæ, de quibus infra, sed in singulis oc-
currentiis particulariter deputari solet, variando in quali-
bet Cardinales, aliosque ministros pro negotiorum quali-
tate, vel temporum opportunitate.

Quia vero in plerisque ex dictis actibus consistorialibus,
interessati oppositores adesse solent, adeout formam, vel
25 disputationem contentiosam habere oporteat, eaque pru-
denter, ob majorem Consistorii majestatem, ab eo (ut su-
pra) exulavit; Hinc proinde erecta fuit particularis Con-
gregatio, dictorum consistorialium negotiorum præpara-
toria, seu Consistorii consultrix, quæ proinde *Consisto-
rialis* nuncupatur, constituta ex aliquo competenti nume-
ro Cardinalium, ac etiam peritorum Prælatorum, cum
proprio Secretario, qui juxta hodiernam observantiam
non est Prælatus, sed peritus rogatus; Atque in ista Con-
gregatione prius formiter examinantur materiæ, Partibus
opponentibus auditis in forma mere contentiosa, propor-
tionata tamen stylo Congregationum Cardinalitiarum,
citra formalitatem telæ judiciariæ; Præsertim vero ubi a-
gatur de Ecclesiarum unionibus, vel divisionibus, seu
dismembrationibus, novisque erectionibus, an scilicet ve-
rificentur justæ causæ, vel requisita desuper necessaria, de
quibus habetur particulariter actum in materia præeminen-
tiarum, ubi videri poterit. *l*

Ac etiam agitur de confirmatione electionis factæ de
Prælato a Capitulo, vel Monasterio, an valida, & cano-
nica sit; Sive de concessione coadjutoriæ, an justa causa,
aliaque requisita concurrant; Aut de nominatione, vel ju-
re nominandi prætenso per Principes, vel Universitates,
ad Cathedrales, seu Metropolitanas, de quibus habetur
particulariter actum in suis sedibus, præsertim in materia
electionis, vel coadjutoriæ. *m*

Prout etiam in ista Congregatione examinantur causæ,
ac requisita, sine quibus Episcopus admitti non debet,
nec solet ad dimissionem Ecclesiæ, atque ab ejus vinculo
solvi, quoniam quando agitur de eorundem Episcopo-
rum pœnali absolutione per viam privationis, tunc ad
consultationem alterius Congregationis Episcoporum id
sequi solet.

Et in summa ista Congregatio Consistorialis, est i-
psius Consistorii pars, seu membrum, aut ejusdem Con-
26 sistorii Consultor, vel Assessor, adeout nonnisi de ejus
voto negotia consistorialia, quæ controversiam pati va-
leant, explicentur.

In reliquis vero concernentibus ipsum Collegium Car-
dinalium, de ipsorum introductione, ac jurisdictione in
universum, seu participatione in regimine & administra-
tione Ecclesiæ universalis, actum est supra, *discurs.* 3.
Ac etiam in materia jurisdictionali, ubi etiam late, & ex
professo habetur actum de singulorum Cardinalium ju-
risdictione, & præeminentiis in eorum Ecclesiis titulari-
bus, sive Archipresbyterorum in Ecclesiis patriarchali-
bus; *n* Ac etiam in materia beneficiali habetur actum de
indultis, quæ ipsis concedi solent pro collatione beneficio-
rum, Apostolicis reservationibus, vel affectionibus non
obstantibus. *o*

In eadem jurisdictionali materia quoque habetur actum
de exemptione familiarum, vel respective domorum Car-
dinalium, vel circa eorum Cardinalium forum *p*. Atque
in materia testamentorum, & ultimarum voluntatum ha-
betur de indultis testandi, quibus Cardinales potiri solent;
q Ideoque in præmissis, aliisque locis, in quibus de Car-
dinalibus, eorumque præeminentiis egisse occasio præbue-
rit, videri poterit, cum eorum reassumptio nimiam redo-
leret evagationem. *r*

Super antiquo numero Cardinalium, valde certarunt
antiqui tam Juristæ, quam Chronistæ *f*. Sed quæstionem 27
sustulit Constitutio Sixti V. per quam statutus est nume-
rus septuaginta, sumpto exemplo a Moyse, ex quibus sex
antiquiores constituti sunt in ordine Episcopali, atque
sex actuales obtinent Episcopatus, quales sunt, Hostien-
sis, & Veliternus, qui obtinentur a Decano, habente
proinde prærogativam consecrandi, & coronandi Ponti-
ficem; Portuensis; Prænestinus; Sabinensis; Tuscula-
nus; Et Albanensis.

Super his Episcopatibus, diversis temporibus, ac etiam 28
nostra ætate quæstiones ortæ sunt, an id instar aliorum
Episcopatuum actualium, obligaret ad residentiam, for-
tius vero an essent cum alio Episcopatu etiam actuali resi-
dentiali compatibiles; Atque pro compatibilitate, &
non obligatione residentiæ resolutum fuit, talisque est
praxis. *t*

Inter eos autem non dignoscitur ordo majoritatis, sed 29
omnes sunt æquales, cum facultate seniorum, quando
alter vacat, illum optandi, & relinquendi illum quem ob-
tineat, excepto Hostiensi & Veliterno, qui annexus est
Decanatui, civili potius quam naturali; vidimus enim
nostra ætate Cardinalem, qui juxta ordinem naturalem
promotionis erat omnium antiquior, ac naturaliter De-
canus, & tamen obiit in statu primi Presbyteri, eo quia,
vel ex defectu præsentiæ, vel ex alio accidenti, non opta-
vit Episcopatum; Et de hac distinctione inter decanatum
fictum, vel civilem, & naturalem in Capitulo Cathedra-
lis, vel collegiatæ habetur in sua sede. *u*

Alter est ordo presbyteralis, constitutus est quinquagin- 30
ta Cardinalibus, qui presbyteri dicuntur; Et alter diaco-
nalis constitutus ex quatuordecim Cardinalibus, qui di-
cuntur Diaconi, Atque in hoc posteriori ordine nostra pa-
riter ætate quæstio orta est, an facultas in propria Ecclesia
Cardinali Diacono competat impartiendi solemnem ac pon-
tificalem benedictionem sub throno elato pontificali more;
atque affirmativa prodiit resolutio; atque super hoc puncto,
ac etiam super materia capellarum privatarum Cardina-
lium eleganter ac erudite scripsit, suosque labores posterita-
ti tradidit insignis Cardinalis Episcopus Portuensis. *x*

Inter omnes dictos ordines respective, sive de uno ad 31
alterum, datur optio, quia scilicet ille, qui ordinem E-
piscoporum ingressus est, juxta ordinem antianitatis,
pro ejus arbitrio in proximo Consistorio post vacationem
optare potest alium Episcopatum; Sive primus Presbyter
optare ultimum Episcopatum vacantem; Aut inter ipsos
Presbyteros, vel Diaconos respective meliorare titu-
los, aut ab ordine diaconali facere transitum ad presbyte-
ralem cum prærogativa saltus, occupando locum juxta
ordinem antianitatis super alios, qui prius fuerint in ordi-
ne presbyterali, perinde ac si ab initio in eo constitutus es-
set; Dum modo tamen sint præsentes in eo Consistorio,
cum absentes optandi jus non habeant, nisi Papæ dispen-
satio accedat.

Super præcedentia, majoribusque præeminentiis Car-
dinalium supra Patriarchas & Archiepiscopos, vel Episco- 32
pos apud antiquiores quæstio fuit. *y* Hodie tamen sine du-
bio decisa est, & practicata ad favorem Cardinalium, eo
quia licet inferiores in ordine censeantur, majores tamen
& digniores censendi sunt ratione cujusdam superioritatis
ac jurisdictionis super eos tanquam supremi Senatores Pa-
pæ, quandam participationem cum eo habentes in regi-
mine Ecclesiæ universalis; Et ex qua ratione magnas quo-
que obtinent præeminentias, & honorificos tractatus cum
Regibus, & Principibus, aliisque Magnatibus; *z* Et de
aliis ad eorum materiam videndum erit apud eos, qui for- 33
males tractationes desuper habere professi sunt, cum
hæc pro informativa relatione sat videatur insinuasse; Et
de aliquibus Cardinalium exemptionibus in Regalium se-
de habetur. *a*

Habet quoque Collegium, ad instar Capitulorum, &
Col-

Collegiorum inferiorum, quandam massam communem
34 administrari solitam per Cardinalem, qui per turnum singulo quoque anno, vel biennio mutari solet, atque Camerarius appellatur, diversus tamen a Cardinali Camerario in officium, de quo infra, Itaque massa continet emolumenta galeri cardinalitii, quæ sub vocabulo *rotuli* explicantur, atque a judicio Collegii pendent majora, vel minora emolumenta aliorum officialium Curiæ, dum ad Collegium pertinet facere gratiss in toto, vel in parte de aliquibus expeditionum emolumentis; Ad instar autem distributionum, de illis participant solum Cardinales præsentes in Curia, quales dicuntur ad hunc effectum illi, qui in duobus anni temporibus veris, & autumni in Curia etiam per modicum tempus fuerint; Ideoque Cardinales, qui resident in proximis Episcopatibus pro hac participatione bis in anno per paucos dies ad Urbem redeont; Diversa etenim est illa præsentia, quæ magis rigorose exigitur, ut eis aliquæ Regulæ Cancellariæ, seu privilegia suffragantur. *b*

a *Vestr. in praxi in principio. Lotter. de benefic. libr.* 1. *quæst.* 8. b *infra disc.* 32.
b *Jas. cons.* 145. *lib.* 2. *quem refert Cyriac. contr.* 312. *n.* 33. *& seqq.* c *infra in eo disc. in quo agitur de Curialibus.*
d *tit. de Regal. disc.* 2. e *de pension.* 58. *&* 75.
f *infra disc.* 21. g *de benef. disc.* 4.
h *De Canon. & Capit. disc.* 27. *& de Regul. disc.* 53.
i *de praeminentiis, disc.* 1. *cum seqq. & disc.* 6. *& infra disc.* 10. l *de praemin. disc.* 6.
m *De Canon. & Cap. disc.* 27. *&* 28. *de Regul. disc.* 53.
n *de jurisd. disc.* 34. *&* 35. *& in disceptationibus Card. de Albicis ibidem registratis.* o *de benef. disc.* 1. *cum seqq.* p *de jurisd. disc.* 67. 70. *&* 80.
q *sub tit. de testam. disc.* 6. *& seqq.*
r *Cohell. qui alios refert de orig. Cardinalium.*
s *Vestr. in prax. in princ. Lotter. de benef. lib.* 1. *quæst.* 8. *Cohell. ubi supra, & in dictis disceptationibus Cardinalis de Albicis.* t *Cardinalis Brancat. dissertat.* 2. *tit. de pension. disc.* 58. *&* 75.
u *de Canon. & Capit. disc.* 15.
x *dictus Cardinalis Brancatius, dissert.* 1. *&* 7.
y *Chassan. in catal. glor. mundi.*
z *Lotter. de benef. dicta quæst.* 8. *lib.* 1.
a *De regalibus, disc.* 55. b *de benef. disc.* 11.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XII.

CONSTITUTIO MODERATORIA

Indultorum testandi S. R. E. Cardinalibus Romani Pontificis consanguineis, & forsan aliis etiam non Cardinalibus, nec consanguineis in forma ampliori, & extraordinaria concessorum, & concedendorum, cum reductione hujusmodi Indultorum ad terminos, & formam illorum omnibus aliis Cardinalibus concedi solitorum, & respective confirmatoria motu proprii Clementis IX. super extensione hujusmodi Indultorum ad favorem omnium Cardinalium.

INNOCENTIUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

UT judicium nostrum de vultu Dei prodeat, & oculi ejus videant æquitates, acceptionem personarum, quæ apud eundem Deum non est, nullius humilitatis nostræ suffragantibus meritis, sed quantum Nobis ab Alto concessum est, arcere impense studuimus, illamque etiam a quibusdam Indultis, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa accepimus, seu quæ imposterum concedentur, congrua moderatione eliminare desideramus; Nam cum unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, grave videri non debet, si qui in Ecclesia uni Domino famulantur, una eademque libertate congaudeant, & qui præsertim in eodem gradu sunt constituti, aliquando providis sanctionibus ad æqualitatem reducantur, ut sicut pari dignitate præfulgent, dispari nimis privilegio, seu indulto non distinguantur: Pondus enim, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.

Cum itaque præfati Prædecessoris nostri S. R. E. Cardinalibus, qui pro ipsius Ecclesiæ status salubriter dirigendo assidue laborare non cessant, facultatem de fructibus Ecclesiasticis, & de bonis earumde, seu alias quæsitis disponendi tam in ultima voluntate, quam alias, & respective eorum hæredibus ab intestato in præmissis succedendi, sub quadam tamen moderata, & congrua forma de benignitate Sedis Apostolicæ concedere consueverint; Vice autem versa nonnulli ex iisdem Prædecessoribus hujusmodi moderationem, seu formam ampliantes, suis, sive veris, sive adscitis consanguineis, vel affinibus, & forsan etiam nonnullis aliis S. R. E. Cardinalibus longe majora indulta, & cum amplioribus facultatibus, modis, circumstantiis, clausulis, cautelis, & derogationibus concesserint; Et propterea sicut aliis nostris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo decimo Kal. Julii expeditis literis modum circa donationes, & redditsuum Ecclesiasticorum distributionem in consanguineos, vel affines Romani Pontificis pro tempore existentis inviolabiliter servandum salubri moderatione præscripsimus, ita etiam hujusmodi Indultorum ampliationibus seu differentiis, ut præfertur, inter ejusdem S. R. E. Cardinales hac nostra speciali Constitutione occurrere, & opportune providere cupientes; Motu proprio non ad cujusdam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, quæcunque, & singula Indulta testandi, seu alias disponendi, & respective ab intestato succedendi, omnibus, & singulis Cardinalibus præfatorum Romanorum Pontificum Prædecessorum, qui illa concesserunt consanguineis, vel affinibus, seu illorum loco adjectis, vel adscitis, & forsan etiam nonnullis aliis quomodocunque, qualitercunque, & quandocunque, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, modis, cautelis, circumstantiis, qualitatibus, & cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, & ex quacunque causa, etiam meritorum, seu remunerationis laborum, & onerum, & alias quomodolibet insimul, vel ad partes, & semel pluries, & quantiscunque vicibus, & modis concessa, innovata, & confirmata, eorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene, & sufficienter expressis habentes, prorsus, omnino, & irrefragabiliter moderamur, & ad terminos, modum, tenorem, & formam ordinariam indultorum testandi, seu alias disponendi, & respective ab intestato succedendi, omnibus aliis ejusdem S. R. E. Cardinalibus concedi solitorum penitus, omnino, ac in omnibus, & per omnia reducimus: Revocantes, cassantes, ac irritum prorsus, & inane remanere, & fore mandantes quidquid in indultis ad favorem Cardinalium consanguineorum, seu affinium, & forsan nonnullorum aliorum, ut præfertur, contra, præter, vel ultra modum, & formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in prædictis servari solitam fuerit quoquo modo concessum, indultum, seu elargitum, perinde ac si præfata indulta ad favorem prædictorum Cardinalium consanguineorum, vel affinium, & forsan aliorum, ut præfertur, in hac parte, seu in his partibus non emanassent.

Ad hæc cupientes super præmissis, & circa ea similiter in posterum provideri motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus statuimus, decernimus, & ordinamus, quod illum idem, quod superius circa concessa indulta constituimus, & mandavimus, similiter in quibuscunque indultis, & facultatibus hujusmodi, quæ deinceps singulis ejusdem S. R. E. Cardinalibus Romani Pontificis pro tempore viventis, ut præfertur, consanguineis, vel affinibus, sive veris, sive adjectis, & adscitis, & forsan etiam nonnullis aliis etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, dictamque Sedem Apostolicam pro tempore concedentur, omnino, & ad unguem debeat observari. Quodque hujusmodi indulta, seu omnes literæ Apostolicæ desuper tam per Cancellariam, quam per Cameram Apostolicam, ac etiam per viam secretam, sive de Curia, vel sub Annulo Piscatoris, sive alias absque moderatione, reductione, aliisque præfatis, ac alias præter, vel contra formam, & tenorem præsentis Constitutionis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam præsentiom speciali, & expressa derogatione, ac sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoria-

rum

rum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie pro tempore concedendæ, seu expediendæ, in ea parte, seu in illis partibus, quæ erunt contra, præter, vel ultra formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in prædictis servari consuetam, nullius sint roboris, & momenti, nec cuiquam, ac si non emanassent, suffragentur.

Cæterum perpendentes, universum ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegium tanquam Senatum universalis Ecclesiæ in excolenda Vinea Domini Nobiscum assidue collaborare, ac propterea operæ pretium, & congruum fore, ut omni personarum acceptione sublata, eosdem omnes, & singulos Cardinales potius amplioribus privilegiis, & gratiis circa indulta hujusmodi pariformiter complectamur, & communiamus. Cum itaque fel. record. Clemens Papa IX. Prædecessor Noster privilegia, & facultates testandi præfatorum S. R. E. Cardinalium ad illos etiam fructus extenderit, & ampliaverit, qui si naturales essent, & a solo, in quo sunt producti, legitime, & jusis rei naturalem fuissent sublati, & a manibus Colonorum, vel aliorum quorumcunque debitorum percepti, licet in horreis Ecclesiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum Cardinalium bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati reperirentur, si vero civiles essent, postquam dies solutionis advenisset, fuissent per quoscunque debitores quomodolibet persoluti, & ad manus Cardinalium, vel ad eorum Ministros pervenissent, seu in aliquo loco publico ad eorundem creditum fuissent depositi; Idque etiam idem Prædecessor servari voluisset in terminis quomodolibet debitis pro affictibus bonorum, & jurium quorumcunque, quos in dictis facultatibus comprehendi voluit, & mandavit, si modo quo supra fructus tam civiles, quam naturales Conductoribus, & Affictuariis locati, & concessi, per illos fuissent percepti, quamvis termini solutionis affictuum per Locatores fuissent posticipate conventi, & alias, prout in eisdem Clementis cedula Motus proprii sub Dat. pridie Kal. Martii, Pontificatus sui anno primo uberius continetur; Hinc est, quod motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus præfatam cedulam Motus proprii cum omnibus, & singulis in ea contentis, nedum amplissime, & plenissime confirmamus, & approbamus, sed quia accepimus, eandem cedulam non fuisse pacifice observatam, seu illius executionem per varias interpretationes fuisse controversam, & retardatam, omnino volumus, & quibuscunque non obstantibus mandamus, illam inviolabiliter observari, & sublata quacunque contraria interpretatione omnimodæ executioni demandari, præsentibus, & pro tempore existentibus Cameræ nostræ Thesaurario generali, Clericis Præsidentibus, Commissario pariter generalis, cæterisque dictæ Cameræ Officialibus, & Ministris, & quibuscumque aliis enixe prohibentes, ne in totum, vel in aliqua parte etiam minima effectum, & executionem memoratæ cedulæ Motus proprii, necnon præsentis nostræ Constitutionis in hac parte quoquo modo impediant, vel retardent, minusque ad supradictorum fructuum in præfata cedula Motus proprii, ut præfertur, contentorum incamerationem procedant, nec pro illis aliquam compositionem, ratam, portionem, seu quantitatem etiam minimam quomodolibet sub quovis prætextu, causa, quæsito colore, & contraria interpretatione consequi, seu prætendere valeant. Et nihilominus ad majorem cautelam omnia, & singula, quæ in eadem cedula continentur, ac in perpetuum valitura Constitutione iterum, & ex integro plenissime, & amplissime servari mandamus, decernimus, & sancimus, salva tamen, & firma in cæteris, quæ præfactæ cedulæ dicti Clementis Prædecessoris non adversantur, remanente Constitutione piæ memoriæ Urbani Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri quoad fructus beneficiorum inexactos sub Dat. quinta Aprilis anno Domini millesimo sexcentensimo vigesimooctavo, & Pontificatus sui quinto, quam motu scientia, & potestatis plenitudine paribus in omnibus, & per omnia plenissime, & amplissime præsentium tenore confirmamus, approbamus, & innovamus.

Quod si forsan aliqui quacunque etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia qualibet dignitate, gradu, vel munere fungentes, seu functuri, hujusmodi, vel etiam in aliqua parte similia indulta, seu facultates quomodocumque, qualitercunque, & quandocunque, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & ex quacunque causa etiam meritorum insimul, vel ad partes, & semel, vel pluries ab eadem Sede Apostolica ante hac assecuti fuerint, seu imposterum assequentur, convenire pariter existimamus, ne iidem majoribus favoribus, & gratiis, quam prædicti S. R. E. Cardinales, potiantur, & gaudeant. Ideoque motu, scientia, & potestate plenitudine paribus, si quid in hujusmodi concessis, seu concedendis indultis, forsan contineretur, quod memoratis Cardinalibus concedi, ut præfertur, non consueverit, in omnibus, & singulis, illis partibus, in quibus aliquid ultra, seu contra tenorem, & formam ordinariam eum dd. Cardinalibus servari solitam, fuerit, quomodolibet concessum, seu concedetur, iisdem nos modo, forma, & cum revocationibus, aliisque præmissis moderamus, & ad terminos, seu limites, & formam ordinariam dd. Indultorum omnibus Cardinalibus, ut præfertur, concedi solitorum, in omnibus, & per omnia tenore præsentium reducimus.

Decernentes, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo, quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, præminentiæ, & dignitatis in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quacunque quantumvis pia, juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, causa, & occasione, colore, seu prætextu, titulo etiam oneroso; & capite etiam in corpore juris clauso ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali, & formali, aut incogitato defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullatenus posse, sed ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcunque semper, & perpetuo firma, valida, efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, dictæque Cameræ Præsidentes Clericos, & alios quoscunque quavis auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & quandocunque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alteri judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & signanter illa, quod Cardinales in Constitutionibus, & Regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illæ eorundem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ edendæ Constitutiones de illorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, ac etiam alia de jure quæsito non tollendo, illisque omnibus, quæ præfati Urbanus, & Clemens Prædecessores in memoratis Constitutione, & Cedula motus proprii respective voluerunt non obstare, necnon recol. mem. Pii Papæ IV. pariter Prædecessoris Nostri de gratiis qualecunque interesse Cameræ prædictæ concernentibus, in eadem Camera, ejusque libris intra certum inibi expressum tempus præsentandis, insinuandis, & registrandis, itaut easdem præsentes literas ibidem præsentari, insinuari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, &

dictæ

dictæ Cameræ, aliisque quibuslibet decretis, statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, & indultis, & literis Apostolicis quibuscunque sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiscunque vicibus innovatis; quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quælibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter, ac exactissime expressis, insertis, servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum moderationum, reductionum, revocationis, cassationis, mandatorum, statuti, decretorum, ordinationis, confirmationum, approbationum, voluntatum, prohibitionis, sanctionis, innovationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio Idibus Octobris, Pontificatus nostri anno Tertio.

B. Card. Prodatarius.

I. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die vero decima sexta mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papa XII. Anno Tertio supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Jo. Lateranensis, Basilica Principis Apostolorum, & Cancellaria Apostolica, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Jo. Baptistam de Comitibus ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papa Cursorem.

Franc. Antonius Simoncellus Cur. Magister.

Altera Constitutio Innocentii XII. quod de cætero officia & loca Montium vacabilia Romanæ Curiæ cujuscunque qualitatis sint, per assumptionem ad Cardinalatum minime vacent, habetur impressa post Cap. XIII. tractatus de officiis venalibus vacabilibus Romanæ Curiæ.

De Cardinali superintendente generali, seu primo Ministro Papæ.

S U M M A R I U M.

1 *DE istius Cardinalis introductione, ejusque munere.*
2 *Cui data proportione assimiletur.*
3 *De aliquibus officiis Regni Neapolitani.*
4 *De causa introductionis hujus ministri, & quas partes expleat.*
5 *De eodem, & qua persona ad hoc munus assumi soleant. Card. de Luca, Lib. XV.*
6 *Quod in negotiis status vel Principatus temporalis ejus munus principaliter versetur.*
7 *In quibus se ingerat respectu Pontificatus, & Principatus Ecclesiastici.*
8 *Prebet etiam audientiam Oratoribus, & officialibus, ac aliis.*
9 *Habet vivæ vocis oraculum generale, & circa quæ.*
10 *De facultate subscribendi nomine Papæ per concessum.*
11 *Esse solet etiam Legatus status Avenionensis, & de istius Legationis negotiis ejusque Vicelegato.*
12 *Est item Gubernator Principatus Firmani.*

D I S C. VI.

IN ordine hierarchico Magistratuum, & Officialium Papæ, & Curiæ, non reperitur iste officialis, vel Minister 1
utpote pendens a consuetudine particulari cujuslibet Pontificis, qui potest, & quandoque solet, illum non habere, ut nostra ætate, in aliquibus Pontificatibus (saltem ad tempus) praxis docuit, adeout comparative, seu cum debita proportione, huic Ministro, seu Officiali, adaptari posse videantur termini Vicarii Generalis Episcopi, qui in ordine hierarchico antiquorum Canonum non reperitur, quoniam ut alibi insinuatur *a*, antiquitus ea quæ Episcopus per se ipsum explicare non poterat, explicabat per duos fixos Adjutores seu Vicarios, id munus habentes in dignitatem, 2
per Archidiaconum scilicet temporalia, & per Archipresbyterum spiritualia; Sed quoniam casus frequenter dabat diffidentias, & inconvenientia inter Episcopum, & has Dignitates, quæ utpote id obtinentes independenter ab Episcopo ex administratione perpetua & necessaria, atque non pendentes ab ejus nutu, frequenter contra eum erigebant caput, idcirco paulatim inolevit consuetudo particularis aliquorum Episcoporum, quæ deinde effecta est generalis, quod scilicet, Episcopus apud se haberet fiduciarium ministrum, qui ejus vice multa ad utramque jurisdictionem spectantia explicaret, atque ita jurisdictio seu potestas Archidiaconi, & Archipresbyteri evanuit, restrictaque est ad quædam cæremonialia, adeout hodierni, quandam solam imaginem antiquæ dignitatis obtinere videantur.

Idque in plerisque principatibus sæcularibus quoque contigisse docemur, quoniam (exemplificando in Regno Nea- 3
politano tanquam principatu viciniori, & Italiæ notabiliori, cujus aliqua major notitia a me habetur,) antiquitus ille Rex omnia militaria, politica, & civilia negotia explicabat per septem officiales, id habentes in dignitatem, ut sunt; Comestabilis; Justitiarius; Cancellarius; Camerarius; Protonotarius; Admiratus maris, Et Senescallus, Verum ob eadem inconvenientia, inolevit usus, quod istorum potestas, vel præeminentia, ad nudas intitulationes, aliasque cæremonias, vel respective ad aliquas modicas antiquæ potestatis reliquias redacta est, cum omnia quæ ab eis explicari solebant, explicentur per Vicarium seu Proregem tanquam ministrum fiduciarum ad nutum amovibilem, & per alios inferiores ministros, & officiales; Quinimo, licet ipse Rex pro negotiis supremæ Cancellariæ Regiæ, fixum, & perpetuum deputet officialem, substitutum dicti Cancellarii, cui Secretarii Regni nomen tribuitur; Adhuc tamen, aliqua potius forensia negotia per hunc solum explicantur; Politica vero, & gratiosa, ac etiam aliqua forensia, & civilia, Vicarius seu Prorex explicat per ejus privatos, ac fiduciarios aulicos Secretarios ad ejus nutum deputatos, ac amovibiles, quorum unus, Justitiæ pro negotiis civilibus; Alter vero belli, pro militaribus, vel politicis, appellantur, cum similibus.

Ita dici posse videtur in hoc magno Principe, duos principatus, ac respective unum magnum præsulatum administrante, juxta illam personarum pluralitatem, quæ alibi supra insinuata est *b*, quoniam post supremam antiquam magnæ potestatis, & administrationis dignitatem Cardinalis 4
Archidiaconi (qualis in primitiva Ecclesia fuit S. Laurentius, qui ut ejus martyrii acta docent, omnem temporalem administrationem illi depresso statui proportionatam habebat, omnia negotia explicabantur, quoad præsulatum Urbis per Cardinalem Vicarium, & quoad utrumque principatum, ecclesiasticum, & prophanum per Cardinalem Pœnitentiarium, tanquam Vicarium in spiritualibus, & per Cardinalem Camerarium tanquam Vicarium & œconomum in temporalibus, ac per Cardinalem Cancellarium, seu Vicecancellarium, tanquam secretarium; Verum ob eadem inconvenientia, usus invaluit, quod Papa, pro fiduciariis negotiis, tenere cœpit privatum aliquem Secretarium, qualis est ille, qui hodie Secretarius Status appellatur, aliosque deputare ministros, & offi-

ciales tanquam substitutos, & adjutores dictorum majorum officialium id habentium in dignitatem, nempe, Gubernatorem Urbis; Auditorem Cameræ; Thesaurarium, Secretarium status; Et alios Secretarios literarum ad Principes, & Brevium, aliosque similes, adeout quædam publica, & forensia negotia per dictos primarios Officiales vel Dignitates explicentur, ut infra in singulorum magistratuum vel officiorum particularibus rubricis, seu discursibus advertitur.

Sed quoniam (ita omnium fere Principum in omnibus sæculis praxi docente) quædam, si non præcisa, moralis tamen necessitas, eos cogere videtur, habendi unum, vel plures ministros vel assistentes magis confidentes, quibus tutius eorum secreta pandere valeant, atque per eos magis fideles rerum informationes obtinere, aliaque explicare, quæ non expedit inferioribus ministris, & officialibus communicari, ut hodiernorum temporum, ac Principum praxis docet, in eo fiduciario ministro, cui pro principatuum diversis moribus, privati, vel primi ministri, aut Secretarii nomen dari solet; Omnique ævo servatum esse docent chronicæ, ac etiam ipsamet sacra pagina veteris Testamenti, præsertim de Aman & de Joseph ac aliis; Hinc eadem necessitas ad idem
5 impulit Papam, qui forte præ omnibus magis indiget majoris fiduciæ ministro, cum non proprii principatus tantum negotia tractet (ut alii Principes faciunt,) sed tanquam omnium Catholicorum Principum pater, qui æquali paterno amore tractare solet de negotiis omnium Principum, quorum aliqui inter se æmuli esse solent, unde propterea magna circumspectio, magnaque fiducia necessaria est; Hinc propterea assumere consuevit personam secundum carnem magis conjunctam, cui Cardinalis nepotis vocabulum dari solet; Atque ubi casus præbeat, quod Pontifex nullum habeat per agnationem vel cognationem conjunctum, tunc alium affinem, vel extraneum assumere solet, quem in propriam cooptat familiam, eique illam tribuit denominationem, quam ipse in statu Cardinalitio habebat, dum experientia docuit congruum esse, ut iste fiduciarius minister deputetur, unde propterea bonus quidem, & commendabilis est stylus in genere, quandoque tamen parum commendabilis esse solet, ob aliqua accidentia, quæ ex humana conditione vel fragilitate resultant.

Hujus primi ministri munus, jurisdictionis seu publicum, cum actuali alicujus vicariæ jurisdictionis, & potestatis
6 etiam forensis, principaliter versatur circa regimen dominii seu principatus temporalis; Ideoque dicitur superintendens generalis Status ecclesiastici, unde propterea subscribit literas, aliasque provisiones quæ nomine Papæ dantur, pro dicti principatus temporalis regimine, & administratione, tam per Secretarium status, quam etiam per Congregationes Consultæ, & Boni Regiminis, & alias, quæ pro eodem temporali gubernio erectæ sunt, ut infra, in singulis Ministratuum, & Congregationum Rubricis.

Bene verum quod etiam (licet rarius) se ingerit circa ea,
7 quæ majorem principatum ecclesiasticum, seu pontificium, concernunt; Non quidem circa usum clavium, ac mere spiritualem administrationem, ut (exempli gratia) sunt collationes beneficiorum, provisiones Ecclesiarum, & dispensationes, ac similia; cum hæc pro organa Datariæ, & Cancellariæ, & Secretariæ Brevium, sive per illa Sacrarum Congregationum explicari soleant, sed circa ea, quæ concernunt politica, ac etiam aliqua civilia, cum Regibus, & Principibus, eorumque Vicariis, & Magistratibus majoribus, ac etiam cum ipsius Apostolicæ Sedis Legatis, & Nunciis, aliisque ministris; Et quandoque etiam cum Episcopis, & Metropolitanis, pro Papæ placito, ac arbitrio.

Prout etiam in Curia; Regum, & Principum Oratores, ac etiam ejusdem Curiæ Officiales, & Magistratus, qui statutis diebus ad Papæ audientiam admittuntur, illa expleta,
8 huic primo ministro immediate, ejusdem Papæ oracula, & sensus, vel respective, eorum preces, ac instantias communicant; Ac etiam illi officiales, vel personæ privatæ, qui ad audientiam Papæ non admissi, aliquid ab eo petant, vel ei communicare velint, cum hoc primo, ac fiduciario ministro tractant; Unde propterea contingit, quod a Prælatis, & a nobilibus viris, etiam ordinis magnatitii, aliisque curialibus, & aulicis, in horis audientiæ, magnum ei præstetur obsequium, cum assistentia in aula exteriori, quæ vulgo *anticamera* dicitur; Quod etiam aliorum magnorum Regum & Principum primis ministris, frequentius est commune.

In isto autem primo adeoque qualificato ministro, extra quæstionem est vivæ vocis oraculum generale, quod in aliis officialibus, & magistratibus est sub quæstione, vel est restrictum ad pertinentia ad officium tantum, ut infra in eorum singulis Rubricis advertitur; iis tamen exceptis, quæ
regulariter per dicta organa, sive per supplicationes Papæ 9
manu signatas, explicari solent, quoniam stylo in hujusmodi rebus nimium deferendum est; Unde propterea, quando ob infirmam valetudinem, vel ob aliud impedi-
mentum Papæ, hujusmodi negotia, pro consueto stylo ex- 10
plicari non possunt, tunc idem Pontifex, huic ministro, vel alteri benevisæ personæ, facultates communicat subscribendi ejus vice, ac nomine, ut vulgo dicitur, *per concessum*, de quo agitur infra in Rubrica Datarii.

Iste Cardinalis nepos, qui in Palatio Apostolico apud Papam, cum secreto fiduciario ingressu, moratur, & assistit, pro frequentiori usu, obtinet etiam Apostolicam legationem Status Avenionensis, & Comitatus Venaisini in Gallia, eamque ibi exercet per Prælatum ejus substitutum, qui non ab ipso, sed a Papa deputatur, cui Vicelegati nomen tribuitur, isque omnia jura, & facultates Legati ibi exercet, etiam in aliquorum beneficiorum reservatorum collatione. [c]

Ab eo tamen dantur appellationes, vel recursus ad ipsum Legatum, qui proinde, per ejus Auditorem, vel per se ipsum, aut per alios particulares delegatos, causas appellationis cognoscit, earum aliquas graviores in Rota quoque committendo; Atque ab alio moderno tempore, Congregatio ex aliquibus Prælatis, & Curialibus erecta est, quæ Avenionensis dicitur, pro illis Principatus negotiis melius pertractandis.

Obtinere quoque solet regimen, & administrationem
Principatus Firmani, quem pariformiter regit per Præla- 11
tum substitutum, sub nomine Gubernatoris, cum appellationibus, & recursibus ut supra, ob diversos stylos; Aliaque obtinet munera, pro Papæ placito, ac majori, vel minori benevolentia vel fiducia, ea qua hujus ministri major vel minor auctoritas pendet, ut omnium aliorum Principatuum praxis docet. [d]

a *supra disc. & de praem. disc.* 20. b *supra disc.* 2.
c *sub tit. de benef. disc.* 27. *ubi de ista collatione.*
d *vide novam Constitutionem moderatoriam Innocentii XII. impressam hoc tit. post disc.* 43.

De Secretario Status: Ac etiam de Secretario Brevium: Aliisque Secretariis, qui Papæ assistunt in Palatio: Et de Collegio Secretariorum Apostolicorum.

SUMMARIUM.

1 *In quo consistat officium Secretarii Status.*
2 *Quibus personis illud conferri seu committi soleat.*
3 *Quod ab hoc officio de facili fieri soleat transitus ad purpuram, ac etiam ad supremam thiaram, & dantur exempla.*
4 *De ratione cur id sequi soleat.*
5 *De hujus Secretarii adjutoribus, & ministris, & præsertim de Secretario cifrarum.*
6 *Quare hoc officium non sit in ordine hierarchico Curiæ, & de collegio secretariorum.*
7 *De secretario Brevium.*
8 *De negotiis, & gratiis quæ expediuntur per hanc secretariam, & per literas in forma brevis, & de aliis, quæ per bullas sub plumbo per Cancellariam.*
9 *Quare proprie dicantur brevia, & de differentia inter brevia, & bullas.*
10 *Reservationes, & affectiones Apostolicæ beneficiorum introduci cœperunt in Gallia.*
11 *De aliis expeditionibus.*
12 *De brevibus Pœnitentiariæ.*
13 *De brevibus de capienda possessione nomine cameræ.*
14 *De brevibus commissionis causarum appellationis in partibus.*
15 *De minutis originalibus, & registris brevium.*
16 *In quibus negotiis dictæ diligentiæ non adhibeantur.*
17 *De emolumentis, quæ solvuntur pro expeditione brevium.*
18 *De Secretario brevium seu literarum Principum.*
19 *De Secretario memorialium ejusque munere.*
20 *Memoriale seu rescriptum in eo contentum non tribuit jurisdictionem, & quas faciat operationes.*

DISC. VII.

Officio Cardinalis Nepotes, de quo agitur *disc. præcedenti*, proximum est illud Secretarii Status, quod in plerisque cum eo symbolizat, in eo præsertim quod non est

est in ordine hierarchico officialium, ac magistratuum Papæ, & Romanæ Curiæ, & tamen est summæ confidentiæ, & auctoritatis, magnamque in Curia figuram facit, atque de facto, secundum locum occupare videtur, in iis quæ concernunt politicam, ac etiam in parte civilem utriusque Status administrationem, dum graviora negotia majoris confidentiæ, cum Regibus, & Principibus, ac etiam cum Legatis, & Nuntiis Apostolicis, per hoc organum junctum cum altero Cardinalis Nepotis pertractantur; Et quandoque etiam in civilibus, & ecclesiasticis negotiis, Ordinariis locorum, vel Gubernatoribus aliisque officialibus, & Magistratibus Status Ecclesiastici, oracula, & mandata Papæ explicantur.

Istudque officium, utpote summæ fiduciæ per novum Pontificem pro tempore creatum, committi solet ejus majori fiduciario, vel viro, qui apud ipsum sit magnæ existimationis, quandoque in Cardinalitia dignitate constituto, ut nostra ætate praxis docuit, in Innocentio X. & Clemente IX. qui Cardinalium opera in hoc munere usi fuerunt, frequentius vero, qualificato Prælato, qui per Papam purpuræ proxime destinatus fuerit, ut currentis seculi praxis docuit in omnibus aliis Pontificatibus, etiam in actuali Clementis Decimi.

Cum ea Circumstantia, consideratione digna, quod dum Secretarii Status, unus post alterum in statu prælaturæ ad
3 hoc munus assumpti, eoque durante, brevi spatio temporis, ad purpuram evecti, fuerunt immediati successores Pontificum eos promoventium, nempe Alexander VII. qui a Nuntiatura Germaniæ inferioris evocatus per Innocentium X. circa finem Pontificatus ad hoc munus, vacatum per mortem Cardinalis possessoris, atque intra breve tempus Cardinalitia dignitate donatus, ejus immediatus successor fuit in Pontificatu; Et Clemens IX. qui post plura munia expleta, illud præsertim Nuntii Apostolici apud Regem Catholicum, & Gubernatoris Urbis sede Papali vacante, per Alexandrum ad hoc munus evocatus, atque intra breve tempus Cardinalis creatus, ejus immediatus successor fuit; Ideoque rationabiliter, quoniam cum hoc officium committi non soleat nisi Prælatis peritis, multumque expertis in negotiis Principum, (ut etiam praxis actualis hujus Pontificatus docet in qualificato Cardinale Borromæo, S. Caroli ex fratre pronepote hoc munus explente, qui ad
4 illud in statu Prælaturæ ab eadem Nonciaturæ Regis Catholici evocatus fuit, cum prius quamplura alia munera exercuisset, illud præsertim Nuncii Apostolici apud Helvetios, & alterum Gubernatoris Urbis) ipsumque munus de per se magnam hujusmodi negotiorum peritiam inducat, & scholam præseferat; Hinc merito quandoque ab eo ad supremam sedem fit transitus.

Habet autem iste Secretarius multos in hoc munere adjutores & ministros, quorum aliqui sunt viri peritissimi in hoc munere secretarii, ac etiam probatæ fidei, qui litteras, ac
5 instructiones in negotiis gravioribus majoris confidentiæ scribunt, quandoque ad dictamen ipsius Secretarii, & quandoque ipso revidente, eorum minutas seu litteras præparatorias; Et aliqui sunt nudi scriptores, vel transcriptores, in quibus boni characteris peritiam habentibus, nimium commendabilis, ac existimanda est intellectus crassities, vel imbecillitas, ut vel non percipiant, vel memoria non retineant id, quod transcribunt, ita prudenter, & commendabiliter exigente hujusmodi negotiorum qualitate; Inter ministros autem, primus ac majoris fiduciæ, merito est ille, qui cifrarum interpretationi, ac respective compositioni est præpositus, cui Secretarii cifrarum titulus vulgo tribuitur, atque nonnisi viri in hoc munere peritissimi summæque fiduciæ assumi solent.

Nullam autem figuram in ordine hierarchico officialium
6 Curiæ facit iste officialis, ex eadem ratione, quæ *disc. præcedenti* in Cardinali nepote, generali superintendente assignata est; Antiquiori enim tempore, istud munus, omniaque alia, quæ per alios Secretarios, & officiales, hodie, ut infra exercentur, explebantur per Cardinalem Vicecancellarium, qui erat Secretarius Papæ; Cumque excrescentibus negotiis, plures ministros adjutorium habere oporteret, ut in hoc Secretario Status, ut supra praxis docet; Hinc nimium commendabile inolevit institutum, erigendi Collegium viginti quatuor Secretariorum Apostolicorum, qui has partes explerent, & ex quo assumi solebant Secretarii, & consiliarii Legatorum, & Nunciorum Apostolicorum ad Reges, aliosque magnos Principes, atque frequenter iidem, eorum excrescentibus meritis, ad ipsum Nunciaturæ munus assumebantur tanquam viri in politicis negotiis Principum, ac etiam in civilibus, ista occasione, versatissimi; Atque pro eorum congrua sustentatione, Pontifices aliquam participationem emolumentorum Secretariæ Brevium; & Cancellariæ Apostolicæ, eis concesserunt; Sed quoniam hujusmodi emolumentorum ratione, inolevit usus, qui pluribus aliis officiis effectus est quoque communis, ut in *Regalium* sede agendo de officiis venalibus, particulariter advertitur *a* adeo ut in solo spatio meæ vitæ forensis, officiorum istius Collegii valor in duplo creverit; Hinc Pontifices prudenter, & commendabiliter expedire non judicarunt, hujusmodi emptoribus, tam ex defectu peritiæ, quam fiduciæ, hujusmodi negotia committere, ideoque periit, seu evanuit adeo celebris, & commendabilis schola Nunciorum, & Consiliariorum, aliorumque Sedis Apostolicæ ministrorum, qui ex isto Collegio manabant.

Idem contingit in Secretario Brevium, quoniam istud officium de jure est penes hoc Collegium, quod proinde no- 7
tabilem habet participationem illorum emolumentorum, quæ pro Brevium expeditione solvi solent, pro eorum diversa qualitate, & taxa; Sed quoniam est officium, quod pariter exigit magnam peritiam Canonum, & Conciliorum, & Apostolicarum Constitutionum, nec non Sedis Apostolicæ; & Curiæ stylorum, ne contingat concedi ea, quæ non debent, nec solent; Ideirco Pontificum stylus est varius, quandoque scilicet assumendi unum ex eodem Collegio, in quo utraque qualitas prædicta peritiæ ac fiduciæ verificetur (ut nostra ætate praxis docuit in pontificatibus Urbani VIII. & Innocentii X. in celebri Canonista, & peritissimo rerum Ecclesiasticarum viro Moraldo, cujus aliqua vota, pro negotiis præsertim consistorialibus circumferri solent, dum prius in munere causarum Patroni, & postmodum celebris Advocati diu versatus, aliud magnum Datarii munus sub Paulo V. & Gregorio XV. exercuerat;) Et quando in Collegio virum ad id aptum, vel Papæ gratum non adesse casus præbeat, tunc alter assumi solet, sine tamen præjudicio Collegii circa participationem emolumentorum; Unde propterea quandoque Cardinali (qui etiam Secretarius Status erat) & quandoque Auditori Papæ, vel alteri Prælato, hujus muneris exercitium comendari, seu committi consuevit; Et quandoque etiam per notabile tempus, nullo existente Secretario in capite, illud exerceri consuevit per ejusdem Secretariæ primum ministrum, vel auditorem, qui substitutus appellatur, & qui frequentius est vir in hoc ministerio peritissimus, diuque versatus, probatæque fidei, ipsa vero Brevia per hunc substitutum cifrata, vel signata, subscribi consueverunt per unum ex Secretariis dicti Collegii, puta per Decanum, vel per alium turnarium, pro eorum stylo, nimium autem rara est hæc praxis.

Per organum hujus Secretarii Brevium expediuntur illæ litteræ Apostolicæ, quæ dicuntur in forma brevis, signatæ, 8
cum alias insinuato adeo fiduciario annulo piscatorio *b* qui per ipsummet Pontificem, sive per magis intimum probatæque fidei familiarem cum summa diligentia custoditur, isteque dicuntur litteræ in forma Brevis, ad differentiam aliarum litterarum, quæ sub plumbo expediuntur per organum Cancellariæ, ut infra, isteque vocantur Bullæ, pro diversa negotiorum qualitate, quoniam per Cancellariam sub plumbo expediuntur litteræ provisionum Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, aliarumque dignitatum, & beneficiorum secularium, & aliquorum Regularium, ac etiam nonnullorum officiorum vacabilium, vel non vacabilium Romanæ Curiæ; Prout etiam dispensationes matrimoniales, & beneplacita Apostolica super alienationibus, aliisque conventionibus bonorum, & jurium Ecclesiæ, quando valor excedat summam seu redditum decem ducatorum auri de camera, & aliquæ dispensationes puta super bigamia, vel super publica irregularitate seu legitimis natalibus pro beneficiis, & dignitatibus, aut super pensionibus Ecclesiasticis, cum similibus.

Per hanc vero Secretariam, atque per has litteras in diversa forma brevis, expediuntur dicta beneplacita super alienationibus bonorum Ecclesiæ infra dictam summam decem ducatorum Cameræ in redditu, necnon dispensationes super ætate, vel super interstitiis, aut super defectu natalium, promovendorum ad Ordines, non autem ad dignitates, & beneficia, cum istæ dispensationes super defectu natalium vel ratione bigamiæ, aut alterius irregularitatis vel incapacitatis, ut supra, expediri soleant pariter per Cancellariam sub plumbo; Necnon per hanc viam Brevis expediuntur indulgentiæ, & aliæ similes gratiæ.

Quamplures aliæ gratiæ, etiam in gravioribus, & primi ordinis negotiis conceduntur per hanc Secretariam, atque per istas litteras, quæ dicuntur in forma brevis sub annulo Piscatoris; Nempe indulta, quæ conceduntur Regibus, & Principibus, & Cardinalibus, ac Legatis, & Nuntiis Apostolicis, nec non Dignitates, vel sæculares, Principum, Ducum, & Marchionum, & Comitum; Ac Magistratus & officia, tam Ecclesiastica, quam sæcularia; & tam civilia, quam militaria, necnon abolitiones delictorum, & aliæ gratiæ, vel dispensationes; Et in summa omnia ea, quæ per Papam concessa, ex regulis Cancellariæ, vel ex stylo, non exigant necessitatem litterarum sub plumbo per viam Cancellariæ.

Aliud vero, per exteros generaliter advertendum est, quod nomen, seu vocabulum brevium Apostolicorum, non convenit omnibus illis expeditionibus, quæ in membranis pelliceis, vel de corio, a Romana Curia expediuntur, sed solum illis litteris, quæ per hanc Secretariam expediuntur sub annulo Piscatorio; Aliud enim genus litterarum Apostolicarum, quæ expediuntur per Cancellariam, non sub dicto annulo, sed sub plumbo seu sigillo plumbeo pendente ex cordulis, diversum habet nomen seu vocabulum, quoniam, ad differentiam istorum brevium; Bullæ nuncupantur, longeque diversam habent formam, tam circa species membranarum, quoniam pro brevibus in usu sunt membranæ subtiles, & albæ, pro bullis autem membranæ magis nigræ; & rudes seu grossæ, quam etiam in charactere, quoniam brevia inscribuntur in charactere latino, nitido, & eleganti, ac intelligibili; In bullis autem retinetur antiquus stylus caracteris gallici, eo quia in Gallia de tempore quo Sedes Apostolica residentiam habebat in Civitate Avenionensi, magis practicari cœperunt reservationes, & affectiones
10 Apostolicæ beneficiorum, cum expeditione bullarum, & cum solutione annatarum, aliorumque emolumentorum; Fuit etenim illa introductio Gallorum, ut de hac introductione latius infra in Cancellariæ rubrica advertitur. *c*

Aliæ vero expeditiones Curiæ, quæ ratione qualitatis chartæ de corio, generaliter ab exteris in Curia non versa-
11 tis; brevia Apostolica creduntur, & nuncupantur; (& utinam istam credulitatem ac nuncupationem non imperitent illi mali causidici, qui exteros non informatos decipiunt supponendo esse brevia Apostolica, sunt monitoria Auditoris Cameræ, sive inhibitiones Rotæ, aliorumque Tribunalium, aut processus fulminati, & similes expeditiones Judicum & Tribunalium.

Adhibetur etiam in Curia vocabulum brevium in illis
12 expeditionibus, quas ut plurimum pro foro interno, ac etiam pro externo pro absolutionibus a censuris, & ab aliquibus irregularitatibus, concedit Tribunal Pœnitentiariæ, sed istæ expeditiones longe diversam habent formam, diversumque sigillum, adeout redoleant diversitatem notoriam. *d*

Etiam in provisionibus Cathedralium, & Metropolitanatum, vel dignitatum, & beneficiorum, super quibus expediri solent, ac debent litteræ sub plumbo per Cancellariam,
13 expediri solent istæ litteræ in forma brevis sub annulo piscatorio, ad certum effectum provisionalem, adipiscendi scilicet possessionem, etiam litteris non expeditis, quia nempe expediat ex pluribus respectibus, pro casuum qualitate illarum expeditionem, per aliquod tempus differre; Eaque dicuntur brevia de capienda possessione nomine Cameræ, quæ tamen non eximunt ab obligatione expediendi dictas alias litteras, sed potius expresse ad id obligant, sub decreto annullativo gratiæ, infra terminum sex mensium; De hujus vero termini initio vel decursu quæstiones in foro audiri solent, quoniam licet in verbis dicatur a die datæ præsentium, de stylo tamen, terminus currit a die pacificæ effectuationis, ut infra in hujusmodi Brevium particulari rubrica advertitur. *e*

Datur quoque, circa forensia contentiosa, quædam spe-
14 cies brevium Apostolicorum, per organum cujusdam officialis, qui Secretarius brevium dicitur, sed est officium venale, extra Palatium, & sine assistentia apud Papam, pro illis brevibus, seu litteris, quas expedire oportet, pro commissionibus vel delegationibus causarum appellationis vel restitutionis in integrum, quæ extra Curiam, seu in partibus, diriguntur Episcopis viciniotibus, vel Judicibus synodalibus, aut aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis; Sed hujus officialis inspectio cadit potius sub Tribunali Signaturæ. *f*

15 Cumque (ut præmissum est) per dictum Secretarium Brevium, majora, & graviora negotia Papalia expediantur, ipsaque brevia, aliud non habeant signum authentici, nisi subscriptionem Secretarii, & impressionem dicti sigilli piscatorii in cera rubea, de facili delebili, vel amovibili; Hinc, pro certitudine expeditionis, bene provisum est, non solum cum registratione in libris seu registris, diligenter tentis, & custoditis ut etiam fit de aliis litteris Cancellariæ sub plumbo, sed cum minutis seu matricibus subscriptis manu ipsius Papæ, quæ per Secretarium conservantur, pro ejus indemnitate, ac etiam pro certificatione veritatis gratiæ, atque pariter suis statutis temporibus, in Archivio Apostolico diligenter custodiuntur; Illas forsan gratiis vel brevibus exceptis, quæ conceduntur super rebus consuetis, modicique momenti, adeout pene nemini negentur, unde propterea generalis commissio seu probata fides Secretarii, ac impressio dicti annuli piscatorii sufficientes videntur, Ut (ex. gr.) sunt, brevia super dispensatione interstitiorum pro suscipiendis sacris Ordinibus in tribus diebus festivis, aut super dispensatione ætatis tresdecim mensium ad suscipiendum Ordines sacros, sive quædam species Indulgentiarum, quæ sub certa forma omnibus conceduntur; Puta pro altari privilegiato in una die hebdomadæ, & in octava mortuorum; An pro indulgentia plenaria in una tantum so- 16
lemnitate totius anni alicujus Ecclesiæ, cum similibus gratiis, quæ sub certa, & generali formula inalterabili, cuique petenti conceduntur, quoniam, cum fraudis seu falsitatis timor desuper verisimiliter non cadat, idcirco superfluæ videntur dictæ majores diligentiæ; Potissime ob hujusmodi expeditionum multiplicitatem, magnamque copiam, unde propterea, quando desideretur aliquid speciale & alterativum formulæ consuetæ, tunc dictæ diligentiæ intrant, pro diversa negotiorum qualitate, diversisque stylis, quibus in his materiis deferendum est.

Circa vero emolumenta, quæ pro substentatione officialium, & secretariorum ut supra, solvuntur, non de facili regula statui potest, bene tamen adsunt taxæ determinatæ, 17
non alterabiles; Siquidem pro indulgentiis, aliisque spiritualibus, nihil penitus solvitur, sed omnino gratis conceduntur, adeout Secretaria eroget de proprio expensas membranarum, & Scriptorum; Solumque in aliquibus casibus extraordinariis solvi solet quoddam modicum determinatum emolumentum, forsan pro dictarum expensarum refectione; Alia vero brevia suas habent taxas, quoniam (ex. gr.) pro dispensatione super interstitiis solvuntur quatuor ducati de camera, pro quibusdam aliis dispensationibus, vel pro beneplacito Apostolico super alienatione bonorum Ecclesiæ, cum similibus, solvuntur quinque; In aliis autem gravioribus negotiis taxa est difformis, pro eorum qualitate sed nimium moderata.

Quantum vero unus ducatus cameræ importet, explicatur infra in rubrica Cancellariæ *g* ad evitandum quo magis fieri potest earumdem rerum repetitionem.

Alium habet Secretarium Papa, in Palatio sibi assistentem, qui officialis Aulæ potius, quam Curiæ, figuram fa- 18
cere videtur, & per cujus organum aliquæ consimiles litteræ in forma brevis, in pelliceis membranis eodem latino idiomate inscribuntur, super litteris scilicet responsivis, vel invitativis, aut monitivis, quæ per Papam scribantur Regibus, & Principibus, sive Principum Vicariis, ac supremis Magistratibus, vel aliquibus magnatibus, & nobilibus viris, seu magnis Prælatis, quibus Papa ita scribere soleat, cum stylus in hoc deferatur, istudque munus nil pertinet ad forensia.

Demum aliam quoque Secretarium in Palatio, & apud se assistentem Papa habet, qui pariter Aulæ potius, quam
Curiæ officialis figuram facit, isteque dicitur Secreta- 19
rius memorialium, quia nempe memorialia, vel supplices libelli, qui Papæ porriguntur, per istum Secretarium statutis diebus, & horis Papæ referuntur, per extensum, vel in compendio, pro negotiorum qualitate, atque ejusdem Papæ oracula vel provisiones, in ejusdem supplicis libelli dorso, per eum annotantur, ad effectum ut desuper expediantur brevia vel aliæ provisiones, sive quod, ubi agatur de negotiis forensibus in Curia, iidem supplices libelli cum dicto rescripto ab ipso Secretario per ejus ministros dirigantur Judicibus, & magistratibus, ad quos negotia pertineot, cum ut plurimum sint rescripta excitativa ordinariæ, vel delegatæ aliax competentis jurisdictionis; Atque in Curia tamquam receptum circumfertur axioma, quod hæc memorialia non
tribuunt jurisdictionem ei, qui non habeat, dum jurisdi- 20
ctio communicari solet per commissiones, ut in Signaturæ rubri-

rubrica advertitur; Solumque de consuetudine, per hæc memorialia, seu rescripta, aliqua tribui solet major facultas; Puta, quod Judex ordinarius, vel delegatus non teneatur pro executione judicati parere aliquibus inhibitionibus, quæ per debitores obtineri solent ad defatigandos creditores, ac impediendam executionem, cum similibus; Aut habilitari solent officiales, & administratores piorum locorum, ut facere valeant ea, quæ ex eorum locorum Statutis, vel stylis facere non possunt; Et generaliter in iis, quæ respiciunt, potius accidentalia, quam substantialia jurisdictionis, & potestatis, pro negotiorum qualitate, ac stylis.

a *sub tit. de Regal. disc.* 2. b *supra, disc.* 3. c *disc.* 10.
d *infra disc.* 12. e *infra in eo disc. in quo de executione litterarum Apostolicarum.*
f *infra, disc.* 30. & 31. g *disc.* 10.

De aliis Palatii Apostolici & Papæ officialibus, & ministris; Et præsertim de ejusdem Palatii Præfecto; Et de Magistro; Et de Auditore Papæ, & aliis.

S U M M A R I U M.

1 *DE Præfecto Palatii Apostolici, qui Major domus dicitur.*
2 *Quale sit ejus munus, & cui personarum generi conferatur.*
3 *Est Judex omnium familiarium, & ministrorum Palatii.*
4 *Est etiam Gubernator civitatis Tusculanæ, & Arcis Gandulphi, & qualis sit ejus jurisdictio.*
5 *De Magistro ejusdem Palatii, & de ejus munere.*
6 *Quando antiquitus tanquam Canonista quoque exerceret munus Auditoris.*
7 *De ejus loco, vel sessione in Capella.*
8 *De jurisdictione, & officio circa impressionem librorum, & prohibitionem.*
9 *De aliis ejus præeminentiis, & prærogativis.*
10 *De auditore domestico Papæ, ejusque munere.*
11 *De eodem alibi remissive.*
12 *De aliis Palatii Officialibus, & præsertim de Præfecto cubiculi.*

D I S C. VIII.

1 PRæfectus Palatii Apostolici est tanquam quidam Gubernator dicti Palatii & rector, ac provisor familiæ Papæ, isteque ab aliquo moderno tempore, honestiori vocabulo nuncupari cœpit Major domus, cum prius, retinendo antiquam simplicitatem, appellaretur Magister domus, unde propterea lepidissimus Boccalinus *in parnasianis discursibus*, ingeniose desuper ludit in persona eximiæ nobilitatis Cardinalis de Acquaviva, qui sub Gregorio XIV. istud obtinuit munus, a quo ad purpuram breviter
2 evectus fuit.

Est pariter munus, potius privatum quam publicum, seu potius aulicum, quam curiale, seu forense, juxta Curiæ Magistratuum hierarchicum ordinem, qui apud scriptores habetur; Adhuc tamen de facto est munus magnæ existimationis, ac de illis primi ordinis, utpote pen frequentiori contingentia, ex ultimis, seu magis proximis gradibus ad purpuram; Unde propterea regulariter esse solet penes qualificatos, ac emeritos Prælatos, qui per alios gradus, etiam Nunciaturarum, aliorumque publicorum munerum transierint; Neque in ordine Episcopali, vel Archiepiscopali constitutus esse solet, adeout si per Papam ad hoc officium assumatur simplex Prælatus, ista occasione creatur Episcopus titularis in partibus.

3 Aliquam tamen notabilem jurisdictionem habet, adeout speciem Tribunalis considerabilis constituat, habendo Auditorem, aliosque ministros, quoniam est (privative ad omnes alios Curiæ judices, & Tribunalia) Judex in omnibus causis civilibus, criminalibus, & mixtis, non solum totius familiæ actualis Papæ, idest eorum, qui in Palatio vivunt, Papæ servitio, in majoribus, minoribus, & infimis muneribus addicti, sed etiam omnium, qui in Urbe, vel extra, propriæ domi vivendo, mediate seu remote, Papæ, seu Palatio Apostolico, ejusque villis, vel membris inserviunt; Ut (ex. gr.) sunt provisores carnium, tam civilium, quam silvestrium, ac piscium, & olerum, aliorumque victualium; Nec non sunt mercatores subministrantes ea, quæ necessaria sunt ad vestitum; Ac artifices, medici, chirurgi, barbitonsores, & alii similes.

Est etiam Gubernator Tusculanæ Civitatis, & Arcis Gandulphi, tanquam locorum destinatorum servitio Papæ, quando rusticari velit, præsertim in consuetis temporibus, veris, & autumni; Ideoque in his locis particulares 4
deputat gubernatores, & cancellarios, aliosque officiales, a quibus ad ipsum habentur recursus, vel interponuntur appellationes; Non tamen præcise, & ex necessitate, cum etiam ad auditorem Cameræ, vel per viam commissionis in Rota, seu coram Prælatis appelletur, ideoque est Ordinarius in temporalibus primæ instantiæ, sicut est Episcopus in spiritualibus; Habet tamen aliquid plus, quam Episcopus in eo, quod a Vicario non appellatur ad Episcopum, cum sit idem & unum Tribunal, & tamen ab his localibus officialibus, qui sunt ejus Vicarii, ad ipsum appellatur, vel habentur recursus; Istasque causas ulterioris instantiæ, quandoque (licet raro) cognoscere solet per se ipsum, & quandoque particulariter alicui Prælato, vel qualificato Curiali committere; frequentius autem per ejus Gubernatorem eas cognoscit, & judicat.

In eodem Palatio quoque residet, atque inter Papæ aulicos familiares, recensetur unus religiosus ordinis Sancti Dominici, S. Theologiæ eximius professor, cum socio pari- 5
ter ejusdem facultatis professore, qui speciem ejus Vicarii, seu adjutoris in munere, præseferre videtur, ultra conversos, qui pro eorum servitio sint necessarii; Isteque gerendo munus Theologi Papæ, sive sit tanquam Papæ, seu magis proprie tanquam Episcopi Urbis, nuncupatur magister S. Palatii, in sua origine probabiliter assumptus ad effectum, ut in rebus, quæ ad fidem pertinent, in privatis occurrentiis Papam informet, tanquam per speciem consultoris in his materiis; Eo modo, quo data proportione, tenent Theologorum plures Archiepiscopi, & Episcopi, ac etiam Cardinales; potissime antiquioribus temporibus antequam sub Paulo III. erigeretur Congregatio Inquisitionis, vel Sancti officii, quæ hodie in iis quæ pertinent ad Ecclesiam universalem, & Papam uti Papam, istas gerit partes, ut infra in ejus rubrica. *a*

Istud autem officium dici meretur magis publicum & curiale, quam aulicum, in ordine hierarchico Curiæ ejusque magistratuum; Ideoque tam ratione antiquitatis, quam ratione dicti muneris, quod ante erectionem præfatæ Congregationis exercebat, valde considerabilis erat ejus auctoritas, illudque præsertim exercuit Sanctus Raymundus qui de mandato Gregorii IX. fuit compilator quinque librorum Decretalium; Ac propterea non Theologiæ tantum, sed etiam juris Canonici antiquitus eximius professor erat & per consequens etiam peritus in Jure Civili, 6
dum vix dari potest bonus Canonista sine hac peritia, ut alibi advertitur; *b* Unde propterea commendabilis videbatur usus antiquus, quod aliqui religiosi, ut huic muneri se aptos redderent, non solum Theologiæ, sed Canonum studiis æque principaliter vacarent, ut docent opera præsertim Cardinalis de Turrecremata, qui fuit etiam hujus ordinis Prædicatorum professor, pluresque antiqui primi ordinis Canonistæ, ac nostri Preceptores fuerunt monachi, seu regulares, & tamen magis Canonistæ, quam Theologi; Ideoque nimium probabile est, quod idem Magister gereret, eas partes, quas hodie gerit domesticus Auditor Papæ,
dum antiquum cæremoniale, seu praxis capellæ Pontifi- 7
ciæ, ante ejus reformationem sub Alexandro VII. docet, quod reputabatur tanquam unus ex Rotæ Auditoribus, Imo omnium major ac dignior, præter Decanum, sub quo supra alios, quamvis antiquiores sedebat; A tempore vero dictæ reformationis secutæ sub præfato Alexandro VII. per quam Rotæ Auditores subdiaconi creati fuerunt prærogativa rocchetti; unde propterea ita decisa remansit antiqua his præcedentiæ inter Auditores Rotæ & Clericos Cameræ, forsan ratione symmetrici, vel hierarchici ordinis, & ne inter indutos habitu Clericorum sæcularium interseccarent induti habitu regulari, juxta ea quæ in materia præeminentiarum, ac alibi habentur; *c* nunc sedet quidem cum Auditoribus Rotæ, sed post eorum ultimum.

Hodiernum autem munus hujus Magistri, principaliter 8
consistere videtur in revisione operum, seu librorum in Urbe, ac districtu imprimendorum, cum impressio prohibita sit, sine prævia licentia Cardinalis Vicarii, seu ejus Vicesgerentis, quæ concedi solet sub conditione revisionis, & approbationis hujus Magistri, qui quandoque per se ipsum, vel per ejus socium hanc revisionem facit, & quandoque, ac frequentius, in libris legalibus, vel aliarum facultatum, quarum ipse, ejusque socii non sint professores, revisionem committit alicui probato professori, ad cujus relationem ipse licentiam impartitur, ut docet praxis adeo frequens libro-

rum, qui in Urbe imprimuntur; Quinimo neque ista licentia sufficit, sed postquam liber est impressus, desideratur altera ejus licentia super publicatione, cujus occasione, per Impressorem tres ei traduntur ejusdem libri copiæ impressæ, una scilicet pro se ipso, altera pro socio, & altera pro dicto Vicesgerente.

Retinet quoque facultatem, quam forte solus exercebat ante erectionem dictæ Congregationis Inquisitionis & alterius, quæ dicitur Indicis librorum prohibitorum, de qua etiam infra in sua sede, *d* revidendi scilicet (ubi velit) libros alibi impressos, qui in Urbe, ejusque districtu vendantur, seu legantur; Ac etiam concedendi licentias personis non suspectis, legendi libros prohibitos, ad aliquem bonum finem, ideoque ex ista etiam causa ante dictarum Congregationum erectionem, longe majorem faciebat figuram, Atque in hujus officialis praxi verificatur id quod alibi advertitur *e*, quod scilicet diœcesis particularis Urbis extenditur ad centum milliaria, dum ultra hodiernum districtum breviorem 40. milliarium, intra dictum majorem ambitum in præmissis suum officium exercet, aliasque habet prærogativas.

9 Adhuc tamen in hierarchia regulari est officium magnæ existimationis; Tum ob præmissam jurisdictionem, & ob annexum munus fixi Consultoris dictæ Congregationis, seu Tribunalis Inquisitionis; Tum etiam quia cum ad præscriptum Apostolicarum Constitutionum, ad decorandum clerum regularem, contingat aliquos religiosos Cardinalium Collegio cooptare, iste reputari solet gradus valde proximus huic dignitati, ut praxis pluries probavit; Ac ultra præmissa, est etiam fixus, & continuus concionator Palatii, seu familiæ Papæ in consuetis prædicationis temporibus, Adventus scilicet, & Quadragesimæ.

10 Officium Auditoris domestici Papæ est de jure, potius aulicum, seu privatum, quam publicum, vel curiale, dum apud antiquos Practicos, aliosque Doctores, mentionem facientes de officialibus Papæ, & Curiæ, de hoc ministro non agitur, quoniam in sensu aliquorum Auditor Papæ est Auditor Cameræ, (licet probabilior videatur sensus aliorum, quod Auditor Cameræ esset potius Auditor Camerarii, ut in sua sede) *f*. Istasque partes privati Auditoris Papæ, antiquitus probabiliter implebat dictus Magister S. Palatii, ut supra.

Istius autem officialis munus, principaliter consistit in adjuvando Pontificem in studiis, quando interveniat in Congregationibus, sive in aliis negotiis per se ipsum explicandis in Consistorio, vel in Aula, sive in Signatura Gratiæ, eo modo quo faciunt omnes Auditores Cardinalium, ac etiam Prælatorum; Atque ab aliquo moderno tempore, nostra ætate illi injuncta est cura se informandi de qualitatibus eorum, qui Papæ proponantur pro regimine Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum.

11 In forensibus autem, juxta pariter modernam introductionem, ejus munus principaliter versari videtur in iis, quæ concernunt recursum ad Signaturam Gratiæ, ideoque de hoc agitur infra in dictæ Signaturæ rubrica particulari. *g*

Alii vero aulici officiales; ut sunt Præfectus cubiculi, Pincerna, Dapifer, Eleemosynarius, & alii, nullam habent jurisdictionem, ac propterea nullam figuram faciunt in ordine hierarchico Curiæ Romanæ; Bene verum quod primum præsertim munus Præfati cubiculi, esse solet magnæ existimationis, & quandoque exerceri per seniorem, nimiumque qualificatum Prælatum, qui transierit per gradus, & munera, etiam majora, ideoque mereatur dici proximus purpuræ, ad quam ab hoc munere transitum fieri frequens praxis docet; Ut præsertim nuper ea docuit in Clemente X. qui alteri Clementi immediato prædecessori post plura etiam primaria munera laudabiliter exercita Episcopi Camerinensis; Nuntii Neapolis; Nuntii Collegii Cardinalium ad Principes Italiæ; Et Secretarii Congregationis Episcoporum, & Regularium, ad hoc munus assumptus, fuit successor immediatus; Ideoque ad Curiam aulicam potius, quam ad forensem, istorum, & aliorum officialium munera pertinet.

a *infra, disc.* 14.
b *in annot. ad S.C.T. disc.* 32. *& tit. de jurisdict. & infra, disc.* 22. *agendo de Judiciis occasione tribunalis Rotæ.*
c *sub tit. de præminent. disc.* 24.
d *infra, disc.* 19.
e *supra, disc.* 2. *& de præminent. disc.* 8.
f *infra, disc.* 32. g *disc.* 30.

S U M M A R I U M.

1 *DE Auditore domestico Papæ, & quod expediat istum esse quoque Secretarium memorialium.*
2 *Senior, & primarius Advocatus, vel Procurator ad hoc munus eligendus esset.*
3 *De congregatione erecta per Innoc. XI. super electione Episcoporum.*

ANNOT. AD DISC. VIII.

PRacticare ad plures annos occasio dedit aliqua ex contentis *in hoc disc.* super Auditore domestico Papæ, atque circa gesta in hoc munere videri possunt in annotationibus *ad tit. de judic. & in plerisque discursibus, vel votis contentis in eod. tit. & in aliis insinuatis in indice posito in principio hujus quartæ partis*. Melius autem videtur fuisse hujus muneris exercitium hucusque in me, quam in prædecessoribus ob admixtum aliud munus Secretarii memorialium, quoniam ita magis opportune calumniis, & subterfugiis, aliisque inconvenientibus occurri potest; ideoque experientia me docuit, ac docet, quod hæc mixtura nimium opportuna, & quodammodo necessaria est, dummodo tamen ad hoc munus Papa motu proprio assumat aliquem ex senioribus, ac primariis theorice, & practice nimium peritum, & integrum Advocatum, vel Procuratorem, non autem illum, qui in statu Cardinalis erat ejus Auditor domesticus, vel qui cum favoribus procuret, ita namque negotia congrue, opportune suis Judicibus, & Tribunalibus distribui poterunt, atque calumniæ, & subterfugia resecari, partim cum rescriptis memorialium, & partim cum decretis in audientia, e converso autem istorum munerum divisio, inconvenientia parere solet, cum sæpius ita practicetur vulgare dicterium, quod erigitur altare contra altare, unde resultat magnum calumniarum, & subterfugiorum aliorumque inconvenientium fomentum; Et de pertinentibus ad Auditorem Papæ in Signatura Gratiæ agitur infra, *disc.* 30. ubi de hoc Tribunali. 1 2

Commissum quoque est Auditori negotium electionis Episcoporum, prudenter autem, nimiumque laudabiliter Pontifex Innoc. XI. juxta meum desiderium ab annis insinuatum in opere Italici idiomatis, cui titulus est, *Il Vescovo pratico*, erexit desuper Congregationem constitutam ex quatuor Cardinalibus & duobus Prælatis, quorum unus seu Ego, tanquam Auditor gerens partes secretarii, & duo probatissimi Clerici sæculares, ut Congregatio examinet qualitates eligendorum, atque approbet tanquam aptos aliquos, ex quibus Papa unum eligat juxta formam concursus ad parochiales, ut insinuatur *infra disc.* 21. agendo de Congregatione examinis Episcoporum, ubi de plerisque ad hanc materiam. 3

De Dataria, ac aliis Datariæ Officialibus.

S U M M A R I U M.

1 *DE agentibus de hac materia Dataria, & de vocabulo Datarii.*
2 *Quale sit institutum Auctoris in universa hac relatione.*
3 *Quare expediat antiquum statum scrutari, & scire.*
4 *In quo consistat æquivocum scriptorum, de quibus nu.* 1.
5 *In quo proprie consistat munus Datarii, & quod ipse non conficiat litteras.*
6 *Quæ sint negotia, quæ transeunt per Datariam.*
7 *Quæ negotia antiquitus per Papam explicabantur.*
8 *Et per quæ organa hodie dicta antiqua negotia transeant.*
9 *Quæ concessiones fiebant per Pœnitentiariam, & hodie fiunt per Datariam.*
10 *Multa negotia quæ expediuntur per Datariam, sunt moderna.*
11 *De origine, & introductione reservationum, & affectionum Apostolicarum in beneficiis.*
12 *Quod per reservationes pene annihilata sit potestas Ordinariorum in collatione beneficiorum.*
13 *De quo tempore, & ubi cœperint reservationes Apostolicæ beneficiorum.*
14 *De causa introductionis officii Datarii.*
15 *Gratia anterior prævalet, ac attendi debet.*
16 *Quale item sit munus, vel officium Datarii.*
17 *De etymologia vocabuli, vel nominis Datarii.*
18 *Quibus personis hoc datarii munus injungatur, & præsertim Rotæ Auditoribus.*

19 *Car-*

19 *Cardinales non vocantur Datarii, sed Prodatarii*,
20 *De Subdatario, & per obitum.*
21 *De munere Datarii in præparando negotia Papæ proponenda, & de signatura supplicationum.*
22 *De eodem Subdatario.*
23 *De data, quæ apponitur supplicationibus signatis.*
24 *De primo, & secundo revisore aliisque officialibus, & quod isti aliqua cancellent.*
25 *De registratione quæ gratiam perficit.*
26 *Datarius potest lacerare supplicationes, signatas ante registrationem.*
27 *Sola supplicatio sine litteris non sufficit, & quando secus.*
28 *Ex stylo Datariæ, & Cancellariæ desumitur voluntas Papæ, & regulatur materia subreptionis.*
29 *De stylis Datariæ.*
30 *De conclusione, quod in Papa non detur ignorantia juris, unde derivet.*
31 *De controversiis forensibus, & contentiosis, quæ in Dataria habentur.*
32 *Datarius declarat voluntatem Papæ.*
33 *Contra assertiones Datarii non admittantur probationes.*
34 *An credatur attestationibus Datarii post dimissum officium?*
35 *De transumptis litterarum Apostolicarum, eorumque forma hodierna.*
36 *De gratiis quæ signantur in forma* Concessum.

DISC. IX.

1 MOdernus rerum Datariæ scriptor *a*, agendo de hujus vocabuli Datarii, etymologia, hujusque muneris antiquitate, seu introductione, & an antiquitus hic officialis diversus esset a Vicecancellario; Ad hanc diversitatem probandam, multa recenset antiqua diplomata Apostolica, in quorum subscriptionibus, ille Cardinalis, qui cancellarii, vel scribæ munus gerebat, non semper Cancellarium se enuntiat, sed quandoque bibliothecarium, & quandoque scriniarium, vel sub aliis titulis, & nuncupationibus.

2 Quamvis autem meum non sit, istas, ut plurimum superfluas antiquitatis quæstiones assumere, dum institutum directum solum est ad publicam utilitatem, ex solo motivo charitatis, præsertim erga exteros, ut acturi negotia in Curia Romana, sciant quam viam aggressuri sint; Sive ut ab eadem Curia in partibus, expeditiones habentes, earum speciem, seu qualitatem agnoscant, atque a malis Curialibus, vel crumenarum iniquis tortoribus non decipiantur; Hinc propterea, neglecta antiqui rerum status indagatione, pro dicto instructivo fine, congrua solum, ac sufficiens reputatur practica enarratio status præsentis; In hoc tamen, Datarii munere, vel Datariæ Tribunali (ut etiam in aliquibus aliis Tribunalibus) pro eodem instructivo fine, ac regulatione rerum præsentium, non in-
3 congruum est, aliquid super origine, vel antiquo statu perscrutari, ut ad meliorem officii, vel tribunalis cognitionem deveniatur.

Æquivocum itaq; videtur illud præfati Moderni scriptoris, ex dictis diversis antiquorum diplomatum subscriptionibus, inferre ad hoc munus Datarii, quoniam, quidquid sit de diversitate, inter antiqua munera, Archidiaconi, Can-
4 cellarii, Archiviarii, Scriniarii, Scribæ, Bibliothecarii vel similia; Non tamen exinde inferri potest, ad antiquitatem hujus officii Datarii; Tum quia, attento antiquo statu, Curia Papæ, nullum fere expediebat negotium, ex iis, quæ hodie ad Datariam pertinent ut infra; Tum etiam quia, ex lectura Indultorum Apostolicorum, aliarumque concessionum, quæ per litteras in forma bullarum, seu privilegiorum concessa appareat, ad hoc munus Datarii inferri non potest.

Siquidem, attento etiam hodierno statu, ipsamet negotia, quæ per organum Datarii a Papa explicantur, reducuntur
5 ad dictam formam litterarum Apostolicarum, per diversum organum Cancellariæ, cum subscriptionibus (pro negotiorum diversa qualitate) Vicecancellarii, aliorumque Cancellariæ officialium, non autem Datarii, ejusque officialium, quorum munus est solum circa supplicationes originales, in quibus gratiæ per Papam concessæ continentur; Et ex quibus, postquam per omnia Datariæ organa, legitime transierunt, adeout perfectæ, & authenticæ matrices dici valeant, Vicecancellarius, ejusque officiales, litteras solemnes, quæ bullæ vulgo dicuntur, conficiunt, tanquam per speciem illius publici instrumenti, quod in publicam formam producitur, a matrice, seu ab originali imbreviatura, in forma, magis lata, & solemni, per Notarium redactum sit, ot partibus tradatur, ad probationem & executionem, ita fingendo duos ejusdem contractus, vel dispositionis Notarios diversos; Unum scilicet, ad quem pertineat rogitum, vel stipulationem facere in matrice, vel protocollo; Et alterum ad quem pertineat, ex eadem materia, vel protocollo publicum reassumere instrumentum in forma solemni, Et per consequens clarum æquivocum est ex antiquarum bullarum subscriptionibus, ad istud Datarii munus inferre,

Potissime quia (ut præmissum fuit,) in illis antiquioribus temporibus, quæ ab eodem Scriptore expenduntur, Papa forte nihil, vel parum, se ingerebat in illis negotiis, cir- 6
ca quæ pene totum Datarii munus hodie versatur; Ut ecce sunt collationes beneficiorum reservatorum, vel affectorum; Necnon reservationes pensionum super eisdem; Ac dispensationes matrimoniales, aliæve dispensationes, puta super natalibus, vel super irregularitate, aut super bigamia, vel super ætate, & similes; Ac etiam sunt Apostolica beneplacita super alienationibus bonorum Ecclesiæ; Vel concessionis officiorum venalium, & similia, quæ omnia moderna sunt, dictis antiquis temporibus incongrua, quando Papa uti Papa, non autem uti Episcopus particularis Urbis, solum se ingerere videbatur in provisionibus Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliquarum Monasterialium; Sive in novis earundem Cathedralium, & Metropolitanarum erectionibus; Aut in earum, & aliquorum Monasteriorum exemptionibus, a Metropolitano, vel Ordinario respective, recipiendo sub immediata B. Petri; ac Sedis Apostolicæ jurisdictione, & protectione; Aut in illis indultis, & privilegiis, quæ pro bono fine, ita illorum temporum conditione exigente, etiam circa spiritualia, Principibus sæcularibus, vel Rebus publicis, aliisque Universitatibus concedebantur; Et ex quibus deinde in abusum transeuntibus, tot eidem Sedi damna, & præjudicia irrepsere; Atque super his, antiqua diplomata Apostolica circumferuntur.

Ista vero non sunt negoria Datariæ, neque per Datarii or- 7
ganum explicantur; Siquidem, Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliquorum Monasteriorum provisiones, novæque erectiones, vel uniones, aut divisiones, vel concessiones pallii, expediuntur per viam Consistorii, & sic per organum Vicecancellarii, a quo expediuntur litteræ; Atque alia indulta, de quibus supra, hodie, vel pariter per Consistorium, & sic per organum Cancellariæ, non autem Datariæ, vel per alterum organum Secretarii Brevium expediuntur. *b*

Moderna vero sunt, fere omnia negotia, quæ ad Data- 8
riam pertinent; Siquidem præfatæ dispensationes, tam matrimoniales, quam aliæ (aliquibus gravissimis & insolitis casibus exceptis,) usque ad recentia tempora Pii IV. adeo ut, unius tantum sæculi decursus accedat, concedebantur per organum Pœnitentiariæ, ut infra in ejus particulari ru-
brica advertitur; Idemque sequebatur in beneplacitis Apo- 9
stolicis super alienatione bonorum Ecclesiæ, vel in aliis Apostolicis assensibus, seu confirmationibus. *c*

Collationes vero beneficiorum reservatorum, exceptis illis Urbis, quæ a Papa conferebantur tanquam Episcopo, 10
& loci Ordinario, sunt recentes, ob recentem usum reservationum, & affectionum Apostolicarum; Magisque recentes sunt reservationes pensionum Ecclesiasticarum super eisdem beneficiis, vel super Cathedralibus, Metropolitanis ac Monasteriis; Ac etiam modernus est usus venalium, vel gratuitarum concessionum aliquorum officiorum Romanæ Curiæ.

Quatenus enim, ad beneficiorum reservationes, vel affectiones Apostolicas, & successive ad reservatorum collatio-
nem pertinet; Juris communis, vel sacrorum Canonum dis- 11
positione attenta, omnia Ecclesiastica beneficia, tam curata, quam non curata, cujuscunque qualitatis, etiam dignitatem præferentia, quocunque tempore, in quocunque loco, & ex cujuslibet possessoris morte naturali, vel civili vacent, pertinent ad Episcopum, vel Ordinarium, in cujus diœcesi, vel territorio sita sint, nisi lex fundationis, vel antiqua consuetudo, aut alter legitimus titulus, alteri inferiori ac privato collatori extraordinariam, seu accidentalem facultatem tribuat. *d* Adeout Papa, præter provisionem Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliquarum Monasterialium, seu Collegiatarum, cum territorio separato per viam propriæ electionis, vel creationis, seu per viam confirmationis electionis, vel nominationis,

aliam non haberet collationem beneficiorum, nisi ordinariam ratione particularis Episcopatus Urbis, vel aliam nimium raram jure devolutionis, tam ab Ordinario, quam a Metropolitano; Paulatim vero ad preces ejus familiarium, aliorumve Aulicorum, vel Curialium, cupientium provideri de beneficiis in propria diœcesi existentibus, inolevit usus, quod Papa illos Ordinariis collatoribus commendaret, præsertim postquam irrepsit usus dandi Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas, ac etiam Monasteriales, in commendam Cardinalibus, & Prælatis, aliisque Romanam Curiam sequentibus, absque onere residentiæ; Unde propterea dici cœperunt provisiones ordinariæ, ad commendationem Papæ; multumque rari erant casus, in quibus, Ordinario collatore inciviliter Papæ commendationem parvifaciente, ipse uteretur ejus alibi insinuata potestate Ordinarii Ordinariorum, præveniendo locales Ordinarios in collatione beneficiorum, alioque exercitio ordinariæ jurisdictionis, ac potestatis. *e*

Ab hoc initio ortum duxerunt omnes Apostolicæ reservationes, & affectiones, per quas, vel ratione temporis, vel ratione personæ, aut ratione rei, seu qualitatis
12 beneficii, aut ob accidentalem appositionem manuum Papæ, occasione resignationis, vel coadjutoriæ, præfata Ordinariorum jurisdictio, seu facultas valde restricta est; Siquidem translata Sede Apostolica in Galliam, in Civitate Avenionensi circa annum 1324. introduci cœpit reservatio personalis, & realis, aliquorum scilicet nimium qualificatorum beneficiorum, seu dignitatum, dum prius
13 vigebat localis eorum, quæ vacarent in Curia Papæ, vel per mortem aliquorum ejusdem Curiæ qualificatorum Officialium; Deindeque paulatim per regulas Cancellariæ secutæ sunt aliæ reservationes, illa præsertim major magisque generalis temporis, octo scilicet mensium cujuslibet anni; Idque de consequenti, vel introduxit, vel nimium ampliavit reservationes pensionum Ecclesiarum super eisdem beneficiis.

Cum itaque hujusmodi provisiones, non publice in Consistorio, sed privatim in aula, per supplices libellos, aut per supplicationes, manu Papæ signatas, fierent; Casus
14 autem præberet, quod idem Papa, ex negotiorum multiplicitate, non valens omnia memoria retinere, eadem beneficia pluribus personis conferret, unde propterea continua oriebantur jurgia, super temporis anterioritate, quæ etiam in beneficialibus, atque in gratiarum concessionibus attendenda est, quod scilicet gratia anterior posteriori præfertur. *f* Idcirco quendam privatum potius, seu fiduciarium ministrum, tamquam per speciem Secretarii,
15 ad id deputare congruum fuit, qui curam hujusmodi supplicationum expeditiorem haberet, atque postquam Papa, per ejus signaturam, gratiam perferit, ipse annotaret tempus, seu diem, ut ita dignosceretur, quænam essent gratiæ anteriores, & quæ posteriores; Ac etiam (& fortius) ut ita convinci posset, an congruo tempore gratia petita, & respective concessa esset, eo quia, absque verisimili notitia mortis, beneficia adhuc non vacata, quando recens vacatio spectabatur, extorqueri solebant, ut etiam hodierna proxis quandoque docet.

16 Idemque minister, vel officialis, qui hanc habebat curam, annotandi scilicet datam temporis, tanquam rerum beneficialium peritus, gerebat quoque munus Consiliarii, vel Auditoris Papæ, ad effectum inspiriendi, eidemque consulendi, an illa vacatio caderet, necne, sub ejus reservationibus, ac provisione; Seu quomodo pro beneficiorum qualitate provisio facienda esset; Aut an oratores, qui supplicationes porrigebant, essent digni, ac idonei, necne.

17 Exinde propterea prodiit hoc Datarii nomen, seu vocabulum; Non quidem a verbo *dare*, quoniam non ipse, sed Papa dat beneficia, aliasque gratia, sed ab alio barbaro, ac linguæ latinæ professoribus ignoto vocabulo *Datare*, quia scilicet annotabat datam, quæ in Principum legibus, ac provisionibus, & gratiis, ab antiquo tempore adhiberi consuevit, ut docet tenor plurium Imperialium Constitutionum in Codice, ac etiam docent Apostolicæ Constitutiones, aliaque diplomata, etiam antiqua.

18 Dictæque circumstantiæ, circa quas Datarii munus versatur, præsertim Consiliarii, summique fiduciarii Papæ causant, ut hoc munus, Prælatis nimium qualificatis, atque in materia beneficiali bene versatis injungi soleat; Illudque præfert quoque gradum, pro frequentiori contingentia purpuræ proximum; Atque pro nostræ ætatis, seu recordationis praxi continuatus fuit stylus sex Pontificum, a Gregorio scilicet Decimoquinto, ad regnantem Clementem Decimum, quod Datarius assumptus fuerit ex Rotæ Auditoribus; Sub Gregorio enim Decimoquinto, hoc munus exercuit Merlinus, talis doctrinæ, qualem decisiones probant, & qui ob nimiam Pontificatus brevitatem, ad majora non transiit; Sub Urbano VIII. successor, assumptus fuit Cavaletius, cujus decisionum quoque volumen habemus, qui purpuram assecutus est; Sub Innocentio Decimo successore, fuit Datarius Cecchinus, pariter Auditor, brevi assumptus ad cardinalitiam dignitatem, in qua etiam continuavit in officio. Sub Alexandro VII. successore, idem officium commendatum fuit Corrado, jam qualificato, & docto Cardinali, creato per Innocentium prædecessorem, qui etiam per plures annos Rotæ Auditor fuerat; Idemque secutum est sub Clemente IX. successore, in pariter qualificato & docto Cardinali Otthobono, qui Corradi promotione collega fuit, cujus decisionum volumen habemus; Atque sub Clemente X. regnante ac successore, ad hoc munus evocatus fuit in statu Auditoris Rotæ Carpineus, nunc pariter qualificatus & doctus Cardinalis, ac Urbis Vicarius, qui in ejusdem muneris exercitio continuat.

Ea vero dignoscitur differentia inter Datarios, qui sint in statu Prælaturæ, & eos, qui Cardinalitia dignitate jam polleant, quoniam isti posteriores, non Datarii, sed Prodatarii vocantur, forte quia non congruat eximiæ Cardinalitiæ 19
dignitati, assumere officium inferius, ac prælatitium, quod ita provisionaliter, seu jure cujusdam commendationis, per Cardinalem administrari non incongruat.

Ac etiam, in eadem nostra ætate, seu recordatione, sub Urbano VIII. ab eodem Rotæ Auditorio, assumi vidimus ad munus Datarii Cardinalis Barbarini nepotis, in Legatione de Latere ad Reges Catholicum, & Christianissimum, pro pace inter eos ineunda, bellisque componendis, Pamphilium, qui Cardinalis etiam creatus, ejusdem Urbani successor fuit, sub nomine Innocentii X.

Habet item Datarius plures auditores, & officiales, cum distributione inter eos munerum ad eundem finem tendentium, ut ita occurratur fraudibus, quodque adeo gravia ne- 20
gotia fideliter, & bene administrentur, ex quibus duo primi, seu majores, unus vocatur, *Subdatarius*, qui ex ordine Advocatorum, vel Patronorum, in materia beneficiali bene, tam theorice, quam practice peritus assumi solet; Et alter vocatur *Per obitum* assumi solitus ex ordine Procuratorum, seu expeditorum Datariæ, in eadem beneficiali materia, aliisque Datariæ negotiis, practice nimium peritus; Istique habentes supplicationes, aliaque negotia sed bene distributa, esse videntur quidam Assessores, vel consiliarii Datarii, qui cum eorum consilio, in congregationibus quotidie haberi solitis, auditis Patrium, vel Expeditorum instantiis, & quandoque etiam contradictoriis, ac examinatis prætensorum qualitatibus, ita bene præparat negotia proponenda Pontifici, cui in audientia, quam habet singulis diebus non impeditis, proponit personas, quæ pro vacantibus beneficiis supplicent, eorum qualitates fideliter referendo, ut Papa inter plures eligat; Istaque ele- 21
ctione secuta, eidem porriguntur supplicationes eorum, qui prælecti sunt, ac etiam aliæ, quæ sine hac discussione, vel concursu porriguntur, super resignationibus, vel coadjutoriis, aut dispensationibus, vel provisionibus officiorum, aliisque gratiis, quas Datarius consultat esse concessibiles, ac stylo non adversari, quas Papa manu sua signat, seu subscribit, huicque functioni assistere solet Subdatarius, qui Papæ in aliquibus operibus subscribendi intervenit tanquam primus Datarii minister bene informatus, & qui in casu infirmitatis, vel alterius impedimenti Datarii, dictas ejus vices cum Papa explet.

Unde propterea quandoque praxis docuit quod per mortem, vel per dimissionem, defecto Datario, Pontifex istum 22
ministrum ad principale Datarii munus assumere consuevit, utpote jam fiduciarium, & jam informatum, ut pro nostra pariter recordatione praxis docuit in Urbano VIII. & Innocentio X.

Signatis supplicationibus manu Papæ, Datarius ad proprias regrediens mansiones, in eadem die, vel in altera, 23
prout sibi, pro negotiorum qualitate, opportunum videatur, datam adjicit, quam aliquando, ex superventis melioribus informationibus, negare solet, ac potest, unde propterea supplicatio, quamvis signata inanis remaneat; Secuta vero data, supplicationes illorum negotiorum, pro quibus componenda solvatur, transeunt per manus illi, qui componendæ officialis, vel administrator sit, ne alias illorum negotiorum expeditio sequi valeat, deindeque istæ, ac aliæ in

qui-

quibus hic officialis se non ingeris, per organum cujusdam
alterius officialis, qui *Missus* dicitur, transeunt per manus
aliorum duorum officialium, qui sint hujusmodi negotio-
24 rum valde practici, & qui primo, scilicet unus, deindeque
alter omnes supplicationes revident; ideoque nuncupan-
tur primus, & secundus Revisor, istique easdem suppli-
cationes quamvis signatas, & datatas, in plerisque corri-
gunt, ac reformant, clausulas addendo, vel minuendo,
& pleraque etiam cancellando, seu interlineando, etiam
ea, quæ narrari debent pro validitate gratiæ, sed pro sty-
lo, incongruum reputatur enarrari in literis desuper ex-
pediendis *g*. Et postquam per istos approbatæ, & corre-
ctæ sint, transeunt ad manus alterius officialis, qui Re-
gistrator, seu magister registratorum dicitur, isque eas
bene recognitas, quod scilicet per manus ut supra transie-
rint, distribuit registratoribus inferioribus, qui eas fide-
liter registrant in libris, seu registris bene ordinatis, quæ
in tempora in Apostolico Archivio reponi solent; Aliique
adsunt officiales, & præsertim illæ parvæ datæ, & qui-
dam particularis revisor dispensationum matrimonialium,
qui gerit eas partes in hoc gratiarum genere super revisio-
ne, ac reformatione supplicationum, quas generaliter di-
cti alii revisores gerunt.

Per hunc autem registrationis actum, sequi dicitur o-
mnimoda gratiæ perfectio, adeout jus quæsitum dicatur
25 gratiato, non autem prius *h* dum antequam ista perficia-
tur, gratia esse dicitur, potius in via, quam in termino;
Adinstar eorum quæ habemus in materia testamentorum,
donec sunt in via, non adhuc redacta ad ultimum termi-
num testandi, *i* dum non solum isti officiales supplica-
tiones jam signatas, & datatas, corrigere, seu reforma-
re possunt, addendo, vel minuendo, & aliqua cassando;
Verum etiam Datarius habet in facultatibus eas etiam pro
libito lacerandi, vel alias retinendi *l*. Secutoque dicto
registrationis actu perficiente, consignantur expeditori-
26 bus, ut per officiales, de quibus *disc. seq.* expediantur lit-
teræ, quæ pro gratiæ executione ac effectu, necessariæ
sunt, & sine quibus, ex regula Cancellariæ de non judi-
cando juxta formam supplicationis, ipsæ supplicationes
quamvis perfectæ, & registratæ, ut supra, non suffragan-
27 tur; Aliquibus casibus exceptis, in quibus id receptum sit,
puta ubi agatur de exiguis beneficiis duorum ducatorum
valorem non excedentibus, aut de pensionum cassationi-
bus, sive de provisionibus aliquorum officiorum vacabilium
minoris ordinis, juxta stylum, qui totum facit, atque
Datariæ, & Cancellariæ regulator dicitur.

Unde propterea conclusionem habemus, quod Dataria,
& Cancellaria dicuntur organa Papæ, atque ex earum
28 stylis, ejusdem Papæ voluntas metiri, seu regulari solet in
quæstionibus subreptionis, vel obreptionis, aut defectus in-
tentionis. *m*

Qui autem, & quales isti styli sint, non de facili sub
29 ista compendiosa relatione videtur explicabile, cum ni-
miam redoleret evagationem, cum integrum exigat tra-
ctatum; De eis autem agunt dicti moderni scriptores, qui
de praxi, & stylo Datariæ agere professi sunt, ac etiam
alii qui praxim dispensationum Apostolicarum pertracta-
runt; aliique beneficialistæ, apud quos videndum erit;
Atque aliqua in rerum beneficialium, vel pensionum an-
notationibus insinuantur. *n*

Ea tot officialium autem interventu, ac diligentiis, ma-
nat ea recepta conclusio, quod in iis quæ juris sunt, in Papa
non datur ignorantia, quodque concedendo ea quæ juri ad-
versantur, ita implicite illi derogare, seu dispensare dica-
30 tur; Non quod in Papa, qui est homo, ut sunt alii, suppo-
nenda sit perfecta, & promptatorius juris scientia, quæ na-
turaliter est impossibilis, potissima quia aliquando sunt
Pontifices, in aliis quidem scientiis, & facultatibus ver-
sati, non tamen Juristæ; sed ea ista ratione assistentiæ tot
officialium, qui in suis respective materiis sint peritissimi,
quod generaliter cuicunque alteri Principi congruit.

Quamvis autem hoc Datariæ Tribunal, gratiosum po-
tius, quam contentiosum sit, dum gratiæ, quæ per Papam
31 conceduntur per hoc organum explicantur; Adhuc tamen
forma contentiosa frequenter in eo dignoscitur, non tamen
cum formali tela judiciaria, sed in quadam forma summa-
ria etiam cum interventu Advocatorum, & Procurato-
rum oretenus, & in scriptis, præsertim super concernenti-
bus officia Curiæ, ac etiam in materiis beneficialibus, vel
in dignoscendo, an suffragentur indulta concessa Cardina-
libus, & aliis Prælatis; Vel an suffragetur, beneque facta
sit acceptatio alternativæ per Ordinarios, quæ fit per Da-
tarium, unde propterea ejus liberi defertur; Sive circa pi-
scatorias impetrationes certo modo, an concedendæ sint,
necne, ac super aliis, quæ concernant declarationes men- 32
tis Papæ, quam, Datarius tanquam minister informatus
ejusque organum declarat. *o*

Isque in suo munere tantæ fidei ac auctoritatis reputatur,
ut ejus attestationibus, vel declarationibus, aliisque gestis 33
adeo deferatur, ut neque concedatur facultas probandi
contrarium *p*. In iis tamen quæ asserit, vel declarat duran-
te officio, non autem post illud expletum quando regula-
riter ei non defertur, nisi in casu quo pro facti qualitate, 34
& circumstantiis, Rota, vel alter Judex, ex officio illum
interroget, ideoque regula desuper statui non potest, cum
materia arbitraria sit. *q*

Prout neque regula statui potest circa stylos, dum in
dies, pro casuum, & inconvenientium contingentiis per 35
Constitutiones Apostolicas, vel per decreta variæ fiunt
provisiones, ut præsertim nostra ætate, sub Innocentio
Decimo, praxis docuit super solemnitatibus adhibendis
in transumptis literarum Apostolicarum, de quibus in be-
neficiali sede agitur, cum similibus. *r*

Quia vero nimis incommodum, ac tædiosum esset, ut
Papa negotiorum tanta multitudine pressus, cogatur ma-
nu sua signare, ac singulariter recognocere omnes suppli-
cationes etiam super illis gratiis levioribus, vel minoribus, 36
quæ de stylo omnibus concedi solent, ac nemini denegari;
Hinc proinde ad instar eorum, quæ superius agendo de
Secretaria brevium insinuata sunt ea quadam generali de-
legatione ipsius Papæ Datario, eo ipso quod huic videa-
tur, quod gratia concedi possit, vel debeat, supplicatio-
nes per eum, aliosque officiales, ac revisores, ut supra
recognitæ, vel respective recognoscendæ pro negotiorum
diversa qualitate, nomine Papæ signantur per quendam
officialem in forma *concessum*, quod scilicet dicitur *conces-
sum* per Dominum Papam, tanquam per viam attestatio-
nis, ut e converso supplicationes, quæ signantur per i-
psummet Papam, habent diversam formam per verbum
fiat ut petitur, ac juxta illam diversam subscriptionem com-
missionum forensium, si fiat per viam Signaturæ Gratiæ
ac alteram Signaturæ Justitiæ, ut in istorum Tribunalium
particulari rubrica inferius advertitur.

Iste vero modus signandi commissiones per concessum,
quandoque in gravioribus etiam gratiis & negotiis, in qui-
bus supplicationes signantur manu Papæ, practicari solet,
quando Papa infirma valetudine, vel alio impedimento de-
tentus id per se ipsum commode explicare non potest, atque
cum hoc munus alicujus Cardinali, vel alteri nimium qua-
lificata fiduciariæ personæ per ipsum Papam committi so-
let, neque de potestate dubitare fas est.

a *Amayden. de stylo Dataria, capitul. 1. & 2.*
b *disc. praeced.* c *Infra, disc. 12.*
d *tit. de benef. disc. 1. & seqq.* e *supra disc. 2.*
f *Buratt. & ad dec. 421. & passim.*
g *juxta casum enunciatum tit. de benefi. disc. 39.*
h *de benef. disc. 42.* i *de testam. disc. 13. cum seq.*
l *dicto tit. de benef. disc. 42.* m *Mantic, dec. 214. Greg. & add. dec. 150. dec. 115. p. 10. rec. & sæpius.*
n *Amayden. de stylo Dataria, Corrad. in praxi dispensa-tionum, Lotor. & Gonzal. de benef. & sub tit. de benef. & sub tit. de pension. ac etiam sub tit. de judic. agendo de executione litterarum Apostolicarum.*
o *Buratt. dec. 883. in fin. dec. 115. n. 4. & seqq. 10. rec.*
p *dec. 68. num. 8. & seqq. part. 5. rec.*
q *Buratt. dec. 835. n. 14. dec. 5. n. 12. p. 10. rec. & insinua-tur tit. de Regal. disc. 14. & de benef. disc. 76.*

De Cardinali Vicecancellario; Et de Cancellariæ Apostolicæ officialibus, eorumque muneribus.

SUMMARIUM.

1 *Quod istud officium sit antiquissimum, & de ratio-ne.*
2 *De nomine, seu vocabulo Vicecancellarii, & cur ita di-catur.*
3 *Quod sit officium magnæ existimationis, & utilitatis.*
4 *Habet titulum fixum Sancti Laurentii in Damaso, & ibi annexum insigne Palatium.*
5 *Quæ munera exerceat, sive in quo ejus officium versetur.*
6 *Notabilia producit emolumenta, & quæ sint magis con-siderabilia.*
7 *De cedulis consistorialibus super provisionibus Eccle-siarum, & aliis.*

8 *In*

gratis, alicui conjuncto, vel familiari concedere; Eorumque aliqua annexum habent exercitium, per ipsosmet officiales, aliqua vero per eorum substitutos, qui in eo ministerio sint periti; Venalitas autem non provenit ratione administrationis, sed ratione participationis annatarum, aliorumque emolumentorum, quæ pro litterarum expeditionibus solvuntur, juxta hujusmodi officiorum venalium relationem, quæ in Regalium sede habetur.

11 De annatarum vero, aliorumque emolumentorum introductione, ac ratione, habetur actum in sede rerum beneficialium, occasione agendi de quindenniis, quæ loco annatarum pro beneficiis unitis, penes manus mortuas solvi debent. *f*

12 Tribus itaque cujuslibet hebdomadæ feriatis, ac non impeditis diebus, in præfati palatii Cancellariæ aula magna, aliisque adjacentibus ad id destinatis aulis, de mane congregantur dicti Cancellariæ officiales, Prælati, & non Prælati, in valde copioso numero, quorum singuli, pro suorum collegiorum qualitate, vel eorundem collegiorum secretarii, aliique ministri, quibus capellanorum vocabulum de consuetudine congruit, habent bancos, vel pulpitos distinctos, in quibus litteras subscribunt, vel registrant, aliaque gerunt, quæ de stylo, vel ex Apostolicis decretis in literarum expeditione gerenda sunt, ista occasione percipiendo emolumenta, quæ ad eos pertinent; Et consequenter interveniunt etiam Cameræ, vel ejusdem Cancellariæ Notarii, qui recipiunt consensus, vel obligationes necessarias, vel consuetas; Ac etiam interveniunt negotiorum Datariæ procuratores, vel solicitatores, qui expeditores, vel speditionarii nuncupantur, pro earundem literarum expeditionibus; Et cum eis frequenter, ipsimet principales provisi, vel eorum procuratores, seu negotiorum gestores, qui Agentes vulgo dicuntur, adeout species magni, & qualificati Tribunalis efformari videatur.

In eadem quoque prima aula magna hujus Palatii, quæ vulgo, ad differentiam aliarum inferiorum aularum *sala* nuncupatur, habentur etiam illæ publicæ disputationes, quas cum interventu Collegii Cardinalium, pluriumque

13 Prælatorum, & Curialium, ac etiam Aulicorum, & nobilium virorum, cum magna cæremoniali majestate, sustinent illi, qui Rotæ Auditorio, vel Advocatorum Consistorialium Collegio sunt cooptandi, ut in eorum particularibus rubricis infra advertitur.

14 Atque in dicto Rotæ Auditorio iste Cardinalis Vicecancellarius, quandam licet solum habitualem, ac remotam præsidentiam habere videtur; Tum ob istam functionem, ac alias, quæ coram eo, sive in ejus palatio, circa admissionem novi Auditoris fiunt; Tum etiam quia in singulorum annorum Rotalium fine, in die scilicet, in qua habetur ultima, vel penultima Rota ante vacationes generales æstivas, ipse Vicecancellarius prandium Rotæ Auditoribus in ejus Palatio, ac mensa præbet, ultima aliud prandium, quod eis tribuitur in Palatio Apostolico nomine Papæ, & in quo eis eodem nomine præstatur quædam laborum recognitio scutorum centum auri, duplicatam portionem præstando Decano.

15 Regens item Cancellariæ, aliquam participationem habere quoque videtur in negotiis Rotalibus, aliisque forensibus causis commissariis, quoniam in singulis commissionibus, quæ in utraque Signatura respectiva signantur, ad ipsum pertinet, nomen Auditoris, vel Cardinalis, seu Prælati respective, cui causa committitur, adjicere; atque ita Cardinalitias, Rotales, ac Prælatitias causas, inter hujusmodi Collegiorum, vel ordinum personas distribuit.

16 Generaliter quoque notabilis est Vicecancellarii, ejusque officialium potestas, dum pleraque in litterarum Apostolicarum extensione addere, vel accommodare valent, quæ in supplicatione non contineantur; Quoties tamen hujusmodi additiones, vel reformationes non percutiant ea substantialia, quæ pendeant a voluntate Papæ, sed clausulas, quæ de stylo adjici solent, sive alia accidentalia, quæ ex quadam generali ejusdem Papæ commissione implicita, apponenda videantur pro meliori litterarum extensione; His enim officialibus quoque congruit idem, quod *disc. prec.* insinuatum est de Dataria, quod scilicet Cancellaria est etiam organum Papæ *g* juxta exemplum *disc. prec.* insinuatum, nempe Notariorum, adjiciendi in extensione Instrumenti publici, quod partibus tradendum est, clausulas, cautelas, & formulas, quæ substantiam voluntatis contrahentium non alterent, quamvis in matrice, seu originali imbreviatura non contineantur. *h*

17 Cumque in plerisque gratiis adjici soleat decretum præcise obligatorium ad expeditionem litterarum infra certum terminum, puta sex mensium, sub pœna nullitatis gratiæ ipso jure incurrenda, ut præsertim praxis docet, in brevibus de capienda possessione nomine Cameræ, ac etiam in reservatione pensionis voluntariæ beneficio pleno; Hinc in isto præsertim posteriori casu, occasio recens mihi præbuit disputare in Rota, an Vicecancellarius, ejusque Cancellariæ officiales, facultatem habeant, istum terminum prorogandi; Atque prodiit affirmativa resolutio; Tum ex stylo; Tum etiam ex ratione, a qua idem stylus originatur videtur, quod scilicet hujusmodi decreta adjici solent in gratiam Annatistarum, aliorumque Cancellariæ officialium, pro eorum emolumentis, quæ obtinent ea causa onerosa, dum officia sunt venalia, & consequenter, ut non sit forma præcisa pro solemnitate, sed pro interesse tertii, qui potest suo juri cedere; Quamvis e converso non desint probabilia fundamenta in contrarium. *h*

Emolumentorum item major, vel minor assecutio, præsertim in gravibus, ac majoribus expeditionibus consistorialibus Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, vel Monasteriorum, (ut agendo de Consistorio, & Collegio Cardinalium supra insinuatum est,) magnam habet dependentiam a Collegio Cardinalium, in cujus facultate, vel arbitrio repositum est, an gratiosa condonatio annatarum, aliorumque emolumentorum, ex aliqua justa causa, in toto, vel in parte facienda sit, ut præsertim praxis docet in expeditionibus Ecclesiarum ultramontanarum præsertim Galliæ, & Germaniæ, aliarumque regionum, in quibus, hæreticorum, vel schismaticorum, aut infidelium molestias, & jacturas Ecclesiæ passæ sint; ob quas in aliquo paupertatis, vel angustiæ statu sint constitutæ, idque hujusmodi gratiis, & condonationibus initium, seu ansam dedit, quamvis, cessata etiam causa, ex quodam stylo, prætendatur continuatio. 18

Quid vero importent ducati auri de Camera, in quibus Datariæ, & Cancellariæ, ac etiam Secretariæ brevium emolumenta solvuntur, & quid importent floreni, sub quorum vocabulo, in libris Cameræ, Ecclesiæ Cathedrales, & Metropolitanæ, & aliqua Monasteria taxata reperiuntur, in valore, in materia beneficiaria, ac alibi insinuatur, ubi videri potest, *l* Ideoque superflua digressio esset id repetere. 19

Quamvis item, pene omnia emolumenta expeditionum, taxam uniformem habere videantur, a modernis scriptoribus de rebus Datariæ insinuatam; *m* Aliquæ tamen materiæ, seu gratiæ graves, & extraordinariæ (quæ arbitrariæ dicuntur) istam taxam non habent, sed ea est major, vel minor, pro ipsarum gratiarum, vel personarum, aut temporum qualitate, & ex aliis circumstantiis, ut præsertim praxis docet in dispensationibus matrimonialibus in gradibus nimium proximis, super quibus raro, & cum difficultate concedi solent, juxta ea, quæ insinuantur per dictos scriptores praxis Datariæ, ac alios scriptores praxis dispensationum. *n* 20

Quamvis autem de hac solutione, ignarum, vel iniquum vulgus obloqui soleat, quasi quod constituenda non sit differentia inter divites, & pauperes, vel inter nobiles, & ignobiles, seu magnates, & privatos, cum apud Deum, & in spiritualibus non detur acceptio personarum, quodque si gratia est concedibilis, vel respective denegabilis, omnibus pariformiter deneganda, vel respective concedenda sit gratis, juxta naturam rerum spiritualium, non admittentium mixturam, vel commutationem temporalium, ut quod gratis acceptum est a Deo, gratis dari, vel dispensari debeat; Attamen, ignorantiæ, vel nequitiæ effectus, vere ista oblocutio est, cum hujusmodi emolumenta, pro laudabili stylo, nunquam, vel nimium raro violari solito in privatam alicujus utilitatem non cedant, sed applicentur piis operibus, illis præsertim, quæ fidei Catholicæ, & Ecclesiæ universalis conservationem, vel servitium concernant, adversus infideles, vel hæreticos, aut schismaticos, ita id exigendo, tanquam speciem mulctæ, seu pœnæ delicti a potentibus, non autem ab impotentibus, cum quibus practicatur pœna luitionis in corpore, mediante accessu ad Urbem, ac personali etiam sordido, & mecanico servitio, in fabrica Ecclesiæ Sancti Petri, vel in alio simili opere pio, ita quoque cum hoc exemplo mulctæ personalis, vel pecuniariæ respective, alios terendo, vel coercendo, ut ab ista consuetudine contrahendi matrimonia cum conjunctis abstineant, ideoque revera injusta oblocutio est. 21

De aliis vero, istam Cancellariam concernentibus, ad

Expe-

Expeditores potius, & puros practicos pertinet, nimiaque digressio forte nauseativa esset, minutatim ea omnia recensere, eaque a stylo, ut plurimum pendent, qui variari solet.

a *supra, disc. 3. & 4.* b *infra in eo disc. in quo agitur de Collegio Prothonotariorum.*
c Vestr. *in prax. in c. 4. par. 1.* Amayden. *de stylo Dataria, cap. 2. d. disc. 5.*
a *de his officiis venalibus late habetur sub tit. de Regalibus, disc. 2. qui videatur loco relationis.*
f *sub tit. de benef. disc. 89.* g *dec. 115. par. 10. rec.* Bich. *dec. 234. n. 10. & in loco proxime infra.*
h *sup. tit. de judiciis, disc. 26. & 27.*
h *tit. de pension. in Romana pensionis.* i *supra, disc. 5.*
l *de benef. disc. 5. & 89. & tit. de credit. disc. 140.*
m Amayden *de stylo Dataria.* n Amayden. *ubi sup. &* Pitt. Corrad. *in praxi dispensationum.*

De Cardinali Cameratin, ejusque officialibus & Tribunali.

S U M M A R I U M.

1 *DE origine, & antiqua potestate hujus Cardinalis Camerarii.*
2 *De officialibus, & ministris, quos habebat subordinatos.*
3 *De diminutione ejus auctoritatis, & qualis hodie sit.*
4 *In quibus causis se non ingerat, dum eas cognoscunt A.C. & Gubernator Urbis.*
5 *Quare dicti officiales sedeant in Camera, & cum quo voto.*
6 *De praeminentia Gubernatoris Urbis.*
7 *Quam præsidentiam habeat Camerarius in Tribunali Cameræ.*
8 *De auctoritate in Studio, vel Sapientia, & in jure doctorandi.*
9 *De potestate concedendi usum situum plateæ Agonis, aliorumque publicorum locorum Urbis.*
10 *Quod sit officium magnæ existimationis apud populum Urbis, & quare.*
11 *De Auditore Camerarii, ejusque jurisdictione, & quod cognoscat causas fiscales, seu Camerales, & Appaltatorum.*
12 *De causis retractuum, ac viarum, & publici ornatus.*
13 *Cognoscit causas mercatorum, & campsorum.*
14 *Item causas hebræorum, & quas alias causas.*
15 *Proceditur in hoc Tribunali per viam monitorii, & juxta praxim aliorum Tribunalium.*
16 *Recipit propinas, quod damnatur.*
17 *De quibus aliis causis cognoscat.*
18 *De auctoritate, & præeminentia Camerarii sede vacante.*
19 *Quod quandoque istud officium soleat esse venale.*
20 *De ratione hujus venalitatis, quæ in aliis officiis primariis Cardinalitiis non practicatur.*

D I S C. XI.

1 POst extinctam, alias magnæ potestatis, dignitatem Cardinalis Archidiaconi; Cum Papa, occupatus in cognitione causarum consistorialium, ac etiam aliarum, quas in capella cum Capellanis cognoscat, vacare non posset administrationi ejus Cameræ, seu fisci, & cognitioni causarum fiscalium, quam cum aliquibus Clericis habere solebat; Hinc ejusdem Cameræ administrationem, seu præsidentiam, una cum dictis Clericis, commisit Cardinali, qui Camerarius proinde appellari consuevit; Verum paulatim iste officialis, juxta rerum, ac temporum contingentias, ob Papæ commissiones, antiquam Archidiaconi potestatem pene in omnibus reassumpsit, præsertim circa temporale regimen immediatum Urbis, ac districtus; Ac etiam circa mediatum regimen ditionis temporalis, seu Status Ecclesiastici, in causis appellationum, vel recursuum; Quinimo ejus auctoritatem extendere cœpit, etiam in cognitione causarum prophanarum fori ecclesiastici in gradu appellationis, vel recursus ab Ordinariis locorum, & a Metropolitanis, quas Papa in Consistorio, vel respective in Capella cognoscere nolebat, utpote leviores, vel criminales, in quibus ipse Camerarius, speciem Vicarii Papæ gerere videbatur; Cumque omnibus per seipsum vacare non posset, hinc aliquos deputare cœpit adjutores, & officiales subordinatos, & præsertim pro cognitione causarum appellationum, vel recursuum, ut supra, undique etiam extra temporalem Ecclesiæ Ditionem, venientium, habebat Auditorem, qui dicebatur Cameræ, idest hujus Cardinalis Camerarii Auditor; Ac etiam pro immediato gubernio 2
temporali Urbis, ejusque districtus, alium habebat ministrum, seu adjutorem, cui, ad differentiam Auditoris, dabatur nomen Vicecamerarii, & Gubernatoris Urbis, quod adhuc hodie retinet; Prout etiam, pro conservatione pecuniarum Cameræ, ac administrationa negotiorum ejusdem, sive pro cognitione aliquarum causarum cameralium minorum, pro quibus, Clericorum judicium, seu votum exquirere non videbatur adeo necessarium, alium habebat ministrum, cui dabatur Thesaurarii nomen, quod etiam hodie adhuc retinet, aliosque habebat ministros, & officiales; Quinimo (ut nonnulla diaria docent) iste Camerarius, officium quoque Datarii quandoque exercere consuevit.

Verum, ex eadem forte ratione, ob quam ex alibi supra 3
insinuatis, dignitas Archidiaconi suppressa fuit, hujus officialis auctoritas quoque paulatim diminui cœpit, quoniam Pontifex manus apposuit in deputatione dictorum officialium, nempe Auditoris, Gubernatoris, & Thesaurarii, qui utpote independentes a Camerario, tribunalia propria efformata cœperunt, cum Papa immediate communicando ea, quæ in gravioribus negotiis contingebant, adeout a Camerario nullam haberent dependentiam; Atque hinc secutum est, ut tractu temporis, ejus auctoritas restricta sit ad quandam potius honorificam præsidentiam, seu præfecturam Cameræ Apostolicæ, seu fisci utriusque Principatus ecclesiastici, & temporalis, dum actualis administratio (juxta hodiernam praxim) residet penes dictum Thesaurarium, & penes collegium, seu Tribunal præfatorum Clericorum, ut infra in eorum particularibus rubricis advertitur. a

Nullatenus vero se ingerit extra negotia cameralia, seu 4
fiscalia, nempe in causis indifferentibus, civilibus, & criminalibus, primæ instantiæ Urbis, & districtus, vel ulterioris instantiæ utriusque principatus, dum illæ respective cognoscuntur per dictos Auditorem, & Gubernatorem, qui propterea quamvis non sint Judices competentes dictarum causarum ad Cameram Apostolicam pertinentium, adhuc tamen eandem retinent, & continuant consuetudinem, sedendi in Camera, una cum Clericis, ut etiam facit Thesaurarius, cum voto tamen consultivo tantum, quia scilicet antiquitus, tanquam ministri Camerarii interveniebant; Adinstar illius infra insinuandi interventus hodierni, domestici Auditoris Cameræ, & alterius Auditoris 5
Thesaurarii in aliquibus Congregationibus in suis respective particularibus Rubricis advertitur.

Quinimo, Gubernator retinet quoque nuncupationem 6
Vicecamerarii, & tanquam talis, pluribus potitur honorificis præeminentiis tam in sessionibus, quam in equitationibus Pontificis, cum præsidentia non solum supra Prælatos, sed etiam supra Principum Oratores, ac Pontificis nepotes, aliosque Magnates, qui pollent præeminentia assistendi in solio Papæ; Incedendo etiam per Urbem cum quadam pedestri familia armata, quæ Allabarderiorum dicitur, tanquam per imaginem Principis, vel majoris magistratus; Id enim huic muneri Vicecamerarii refertur, ut infra in ejus particulari rubrica habetur.

Actualiter vero Cardinalis Camerarius, vivente Ponti- 7
fice, aliquas retinet, prioris auctoritatis, & jurisdictionis reliquias, tam circa præsidentiam, ac interventum pro ejus libitu in Tribunali Cameræ Apostolicæ, de quo infra, cujus caput, & Præfectus est, unde propterea ad instar eorum, quæ *disc. preced.* insinuata sunt, de Vicecancellario præbente statutis temporibus prandium Rotæ Auditoribus, ita idem agit Cardinalis Camerarius cum Clericis, aliisque officialibus Tribunalis Cameræ, dum quibusdam statutis temporibus, seu alias juxta contingentias, in ejusdem Cardinalis domo congregari solent, pro aliquibus negotiis, quæ in dies administrantur per unum ex eodem Collegio, quando de generalibus, vel gravioribus determinationibus agatur; Puta (ex. gr.) pro grascia Urbis, quam unus Cameræ Clericus administrat, sub nomine Præsidentis; Vel circa taxam pretii carnium diversarum, quæ pro diversis respective temporibus in usu sunt, aliorumque victualium, quam facere congruat, seu alias provisiones sumere super viis publicis, & fontibus, aliisque similibus negotiis.

Habet etiam præfecturam gymnasii, seu studii publici 8
Urbis, quod sub nomine Sapientiæ, vulgo appellatur, sub administrationa Collegii Advocatorum Consistorialium, habentium facultatem doctorandi in utroque jure; Prout alia Collegia Theologorum, & Medicorum ejusdem Sapien-

pientiæ, habent conferendi eundem gradum in dictis aliis facultatibus, sed cum præsidentia cujusdam officialis, qui deputari solet per Camerarium illeque solet esse Prælatus, atque pro moderna frequentiori praxi esse solet Rotæ Auditor, qui aliquam obtinet participationem emolumentorum, quæ per doctorandos deponuntur.

9 Prout etiam, præfecturam, & auctoritatem habet concedendi, seu distribuendi usum aliquorum situum, seu locorum publicorum Urbis pro venditione victualium, aliarumque rerum, & præsertim in magna platea Agonis, non autem ad perpetuam occupationem, & usum privatum, cum id fiat per aliud organum, ut infra in rubrica Ædilium; *b* Aliasque retinet facultates, ac præeminentias hujusmodi; Unde propterea magnum confert numerum officiorum,
10 ex quo sequitur, ut istud officium sit præ cæteris magis populare, idest, quod ob dependentiam tot personarum, quæ ab eo obtinent hæc minora officia, aliquod emolumentum præbentia, est magnæ existimationis apud populum.

Quo vero ad exercitium forensis, vel contentiosæ jurisdictionis illud habetur per Auditorem particularem, ad hoc deputari solitum, qui ut plurimum est Prælatus, sed quandoque etiam Curialis, ac frequentius diversus ab illo domestico, seu Aulico Auditore, quem quilibet Cardinalis habet, tanquam consistorialem, seu studiorum auditorem, pro negotiis consistorialibus, & Sacrarum Congregationum, vel pro causis commissariis, aliisque occurrentiis; Proindeque iste, qui dicitur Auditor Camerarii, seu Camerarius, regit, ac repræsentat Tribunal Camerarii; qui volens non prohibetur facere per se ipsum, id quod facit, per dictum Auditorem, sive aliquas causas particulariter committere aliis, tanquam per imaginem Episcopi, & Vicarii generalis.

11 Hoc autem Tribunal, pariformiter, cum altero ejus filiali, Thesaurarii generalis, de quo infra in ejus particulari rubrica, dicuntur Judices fisci Apostolici in prima instantia, dum Tribunal Cameræ est judex in secunda instantia; Et per consequens, juxta ea, quæ favore fisci in jure statuta sunt, cognoscit, non solum de causis, quæ sint immediate cum fisco Actore, vel Reo (illis exceptis, quæ specialiter, ac privative, per Apostolicas Constitutiones, illam præsertim Sixti V. commissæ sunt Thesaurario, ut (ex. gr.) sunt causæ spoliorum ecclesiasticorum, & locorum montium, & aliæ, de quibus infra in ejusdem Thesaurarii particulari rubrica; Sed etiam, ubi, fiscus habet interesse connexum, vel mediatum, ut sunt causæ appaltuum, dohanarum, & gabellarum, aliorumque publicorum vectigalium, ac jurium fiscalium, seu regalium, Ac etiam prius frequentius (hodie vero rarius, ob erectionem Congregationis Boni Regiminis) est judex causarum Communitatum sæcularium status ecclesiastici.

12 Major vero cognitio hujus Tribunalis versari videtur partim absque alio adjuncto, & partim cum Ædilibus Urbis, qui vulgo magistri viarum dicuntur, de quibus infra in sua particulari rubrica, super causis retractus prælativi, & coactivi, seu alterius ornatus Urbis, aut refectionis viarum
c ad præscriptum constituti Gregorii XIII. *c*

Item est Judex competens in causis publicorum campso-
13 rum, seu bancheriorum, aliorumque publice negotiantium circa ipsam negotiationem, quasi quod fisci intersit non deficere istorum publicam fidem; Ac etiam est Judex competens Hebræorum, eorumque universitatis, eo modo
14 quo est etiam Cardinalis Vicarius, ut infra; Prout cognoscit de controversiis, quæ oriantur super usu publicarum platearum, vel situum, quem ipse Camerarius, ut supra, concedit, pro venditione victualium, aliisque commoditatibus.

In hoc autem Tribunali proceditur etiam per viam mo-
15 nitorii, non autem libelli, eodem modo, quo in illo A. C. ac generaliter in aliis Tribunalibus Urbis, excepto foro Capitolino; In eo autem dignosci videtur parum com-
16 mendabilis usus ac etiam in Tribunali Thesaurarii, & in illo Vicarii, quod cum sit Judex primæ instantiæ, sive delegatus ad certa genera, sive universitatem causarum, quod cum ordinario fraternizat, habeat usum sportularum, seu propinarum, quæ pro meo sensu, in illis præsertim Tribunalibus quæ ab unico Judice regantur, adeout non sint collegiata, damnabiles videntur, pluriumque inconvenientium productivæ.

17 De plerisque aliis causis, quoque recognoscere solet, vel ex stylo, vel ex capitulis appaltuum, vel ex Apostolicis commissionibus, & præsertim in decimis Papalibus, quandoque praxis docet; *d* Sive in aliis Constitutionum, vel edictorum contraventionibus, ubi præsertim de iis agatur, quæ aliquam habeant connexionem, cum juribus fiscalibus vel regalibus, sive cum publica annona, vel grascia, ut quandoque praxis docet, *g* adeout non de facili omnino certa regula desuper statui valeat.

Major autem hujus Cardinalis Camerarii authoritas di- 18
gnoscitur sede Papali vacante, sive vacatione imminente, quia nempe Papa in mortis articulo sit constitutum, cum isto tempore, repræsentare dicatur imaginem antiqui Camerarii adeo magnæ auctoritatis, quoniam ubi fama sit, quod Papa sit graviter infirmus, atque in mortis articulo constitutus, sibi denegari non potest aditus, sive ingressus ad ipsius Papæ cubiculum, ad effectum se certificandi, de vita, vel de morte, pro juribus, & interesse Cameræ; Apponendo etiam quando velit in eo statu, jam imminentis mortis, custodes in palatio.

Secuta vero morte Pontificis, coram ipso, & cum interventu Tribunalis Cameræ constituti ex Clericis, aliisque annexis, fit recognitio cadaveris, sibique consignatur annulus piscatorius, qui ab ipso publice frangitur, adeout ejus usus amplius haberi non possit; Ac etiam suscipit gubernium, & administrationem Palatii Apostolici, quam distribuit inter Cameræ Clericos, quorum singuli sua habent ejusdem palatii officia; Puta: Unus circa aulam Pontificiam; Alter circa ærarium supellectilium vulgo guardarobba; Alter circa cellam vinariam; Alter circa rem frumentariam, seu furnum; Alter circa stabulum; Alter circa viridaria, cum similibus.

Ac etiam jus, vel administrationem habet in constructione Conclavis, juxta formam tamen a Collegio Cardinalium præscriptam, plures desuper deputando officiales, & assistentes cum pinguibus emolumentis, unde propterea (ut præmissum est) tam ob ista, quam ob alia superius enunciata officia, quæ concedit, seu distribuit, illud est munus magis populare, seu apud populum majoris existimationis, & adhærentiæ (Quoties qui illud obtinet, generose, ac judiciose, exercere sciat;) Ipseque Camerarius pro tempore, quo durant novendiales exequiæ Pontificiæ, usque ad clausuram conclavis, habitat in ipso Palatio Apostolico, atque per Urbem incedit more Principis præcedentibus illum militibus Papæ, custodiæ Præpositis, nationis Helveticorum, qui vulgo Allabarderii, seu Svizzeri nuncupantur, atque in hoc majestas officii dignoscitur, quoniam adhibentur iidem, qui Papæ inserviunt, cum eisdem armis, & vestibus, & licet cum aliqua moderatione circa numerum, adeout dignoscatur differentia, ab ea militum custodia, quam habet omnibus temporibus, etiam sede plena, Gubernator Urbis, tanquam ejus Vicarius, ut supra.

Quandoque autem istud officium, tanquam mere pro- 19
phanum, seu temporale, ac ratione mere temporalium emolumentorum, pro sedis, & Cameræ Apostolicæ indigentiis, consuevit esse venale, ut etiam nostra ætate, sub Gregorii XV. Pontificatu, praxis docuit, Recensque est memoria ejusdem praxis sub aliis Pontificibus, & præsertim sub piissimo, & candidissimo Apostolici patrimonii administratore, Sancto Pio V. id practicatum fuit pro servitio Christianæ fidei, pro expensis scilicet classis navalis contra Turcas, per quam celeberrima victoria reportata fuit; Semper tamen in personis in Cardinalitia dignitate jam constitutis; Itaque venalitas, seu pretium non refertur muneris administrationi, sed emolumentis mere temporalibus, juxta ea quæ generaliter agendo de venalitate Clericatuum Cameræ aliorumque officiorum Curiæ, contra oblocutionem, ignari, vel maligni vulgi, latius deducta habentur in regalium sede, occasione agendi de materia officiorum venalium. *f*

Id autem practicari non solet in aliis pariter majoribus
muneribus, Vicecancellarii, Pœnitentiarii, & Vicarii, 20
quamvis respective, notabilia habeant annexa emolumenta, cum sint officia principaliter ecclesiastica, & spiritualia Papæ, tanquam Papæ, vel respective tanquam Episcopi Urbis; Illud vero officium principaliter est temporale, seu prophanum Papæ, tanquam Principis temporalis, pro administratione Cameræ, seu fisci laicalis, quamvis accessorie, & consecutive aliqua quoque annexa sit administratio alterius fisci ecclesiastici, seu Papalis; Ideoque longa differentia est inter istud officium, & dicta alia tria; Eademque propterea differentia dignoscitur inter Clericatus Cameræ, & Auditoratus Rotæ, & quare illa, & non ista officia sint venalia, dum ista quoque promptissimos inve-

nirent

pircnt emptores pro pretio valde notabili.

a *infra disc. 33. & 35.* b *disc. 34.*
b *in disc. in quo agitur de Præside, & Magistris viarum;*
c *de multis causis hujusmodi actis in hoc Tribunali sub tit. de servit.* d *insinuatur sub tit. de benef. disc. 10.*
e *insinuatur sub tit. de jurisd. disc. 85.*
f *tit. de Regal. disc. 2.*

De Cardinali Pœnitentiario: Et de ejus Tribunali Pœnitentiariæ.

S U M M A R I U M,

D I S C. XII.

1 QUamvis ap d antiquitatis professores, cum consueta opinionum varietate, multum obscura videatur hujus officii introductio; Nimium tamen probabile videtur, ut ea quoque fuerit in Ecclesia primitiva, sub persecutionibus infidelium; Cum enim ex eis resultarent, in iis, qui minus constantes essent, apostasiæ, aliave gravia peccata, quorum absolutio, in resipiscentibus solius Pontificiæ potestatis erat, Pontifex autem per seipsum hoc absolutionis munus cum injunctione pœnitentiæ salutaris, ob alias occupationes, solus explicare non posset; Hinc proinde, ministrum, seu adjutorem in hoc munere quoque assumpsisse, probabile est, ita istum Vicarium in spiritualibus deputando, eo modo quo in temporalibus Archidiaconum, etiam circa ea tempora deputavit.

2 Quidquid autem sit de ista, vel de aliis opinionibus, in quæstione, quæ in praxi parum proficua est; Illud certum est, quod hujus quoque officialis in spiritualibus, non solum interni, sed etiam externi fori, magna erat potestas; unde propterea, ut (agendo de Datario, ac de Secretario brevium supra advertitur,) magna pars illorum negotiorum, quæ per Datariam, atque per hanc Secretariam hodie expediuntur, tunc per hoc Pœnitentiariæ Tribunal explicabantur, cum magno numero Procuratorum, & Scriptorum, aliorumque officialium.

3 Ista vero potestas majorem habuit durationem, quam habuerit illa Camerarii, prope scilicet nostrorum parentum ætatem, dum sub Pontificatu Pii IV. imminente Concilii Trid. perfectione, & publicatione, Pœnitentiarii facultates, super expeditionibus fori externi, magnam, peneque omnimodam reformationem passæ sunt. *a*

4 Siquidem ab eo prius concedebantur dispensationes matrimoniales, pro gradibus prohibitis, ac etiam aliæ super legitimis natalibus, vel super ætate, aut super irregularitate, vel bigamia, aliisque defectibus; Necnon concedebantur beneplacita Apostolica super alienationibus bonorum Ecclesiæ, & aliis in quibus Apostolicæ sedis placitum necessarium esset; Ac etiam indulgentiæ, aliæque gratiæ, & expeditiones vice ac nomine Papæ; quas recensent plures Auctores, qui ante hanc reformationem scripserunt, & præsertim illi, qui in tempore proximo, sub Pontificatu Pauli III. Rom. Curiæ praxim posteritati scriptam reliquerunt,

Hodierno vero statu attento; Quatenus ad publicas, vel 5
fori externi facultates, & expeditiones pertinet, ejus potestas pene annihilata est, dum solum aliquæ modicæ supersunt reliquiæ, quodammodo potius ceremoniales, circa minores dispensationes matrimoniales, super remotioribus gravibus, quæ expediuntur in Cancellaria Apostolica, per
illos Procuratores Pœnitentiariæ, quorum officium quoque 6
ad instar aliorum, est venale illaque modica emolumenta, quæ pro hujusmodi dispensationibus solvuntur, destinata sunt sustentationi ipsius Pœnitentiarii, ejusque ministrorum, & officialium, de quibus infra qui regunt hoc Tribunal fori interni, seu pœnitentialis.

Notabilia tamen adhuc reputantur hujus officii emolu-
menta (quamvis comparative ad statum antiquum, pene 7
pro nihilo habeantur,) præsertim ex eo, quod ultra participationem quotidianam dictorum emolumentorum provenientium ex hujusmodi expeditionibus, aliqua ex dictis venalibus officiis procuratorum sunt ad ejus provisionem, atque singula notabilem habent valorem.

Quatenus itaque pertinet ad munus, In quo propriæ partes Cardinalis Pœnitentiarii, ejusque ministrorum versantur; Illud (ut præmissum est,) restringitur ad absolutiones, ac dispensationes censurarum, & irregularitatum, aliorumque Papæ reservatorum, in foro interno, istiusque muneris explicatio fit per duplicem speciem ministrorum.

Una est illorum Sacerdotum, qui Sacramentum Pœni-
tentiæ, prævia auriculari confessione, ministrant in tribus 8
Patriarchalibus Basilicis Urbis; Istique sunt Religiosi certarum Religionum, ad hoc destinatarum, qui Pœnitentiarii vulgo nuncupantur, quibus idem Tribunal Pœnitentiariæ ex dictis emolumentis, victum, aliaque necessaria suppeditat, in domo propriæ Basilicæ respective proxima, in qua, sub obedientia unius eorum, qui superior deputatur, regulari more, tanquam in claustris vivunt: Atque in pertinentibus ad hoc munus sunt subjecti Pœnitentiario, ejusque visitationi, & correctioni; In iis vero quæ concernunt disciplinam regularem, sunt subjecti Prælato propriæ Religionis; Aliqua controversia remanente inter Pœnitentiarium, & Superiorem Religionis in actibus indifferentibus, qui concernant vitam, & mores: quod diversam habet praxim, in singulis respective Religionibus.

In Lateranensi siquidem Basilica sunt Ordinis minoro- 9
rum observantium reformatorum; In Vaticana Societatis Jesu; Et in Liberiana, seu S. Mariæ Majoris Ordinis Prædicatorum; Istique sedentes in confessionariis, in signum hujus potestatis, virgam in manibus tenent; Atque aliquibus potiuntur prærogativis, præsertim quod in solemnibus processionibus Pontificiis, & potissimum in illa Corporis Christi, incedunt parati cum planetis, post universum clerum sæcularem, & regularem, prope Episcopos; Atque ejusdem generis videntur Pœnitentiarii Almæ Domus Lauretanæ, qui sunt Religiosi Societatis Jesu, cum aliqua diversitate, vel controversia circa jurisdictionem Pœnitentiarii, & respective Præpositi Generalis, aliorumque superiorum in eorum personis.

Alia species officialium est illorum, qui regunt pœniten-
tiariam, per quandam speciem Tribunalis, audiendo scili- 10
cet supplicationes super petitis absolutionibus, & dispensationibus; Et super quibus, ubi concedantur literæ Apostolicæ in forma brevis expediuntur sub diversa tamen forma, diversoque sigillo, peculiari ab illo brevium Pontificiorum, quæ dicuntur sub annulo piscatoris.

Statutis enim diebus, sive pro arbitrio Cardinalis Pœni-
tentiarii, pro negotiorum urgentia, seu qualitate, in ejus- 11
dem Pœnitentiarii Palatio congregantur isti officiales, nempe ille qui, aliorum major, dicitur Regens pœnitentiariæ, & qui videtur facere partes Vicarii Generalis pœnitentiarii, habens facultatem concedendi aliquas absolutiones, vel dispensationes, quæ negari non solent, unde propterea necessaria non est authoritas ipsius Summi Pœnitentiarii; Atque prævia discussione collegiali, cum aliis officialibus ejus consiliariis supplicationes signantur, vel rejiciuntur.

Regens autem esse solet unus ex Auditoribus Rotæ; Aliique officiales sunt, nempe; Sigillator brevium, & Summator, qui Prælati esse solent; Et alter Doctor in decretis, (qui Canonista nuncupatur,) quandoque Prælatus, & quandoque simplex togatus; Atque ultra istos, assumitur unus Religiosus Sacræ Theologiæ professor, qui Theologus pœnitentiariæ nuncupatur, unde propterea cum istorum voto Pœnitentiarius determinat, an & quæ absolutiones, vel dispensationes concedi possint, & quatenus possint,

an de

an debeant; Atque ubi potestatis dubium oriatur, ipsemet Pœnitentiarius, vel quandoque Regens, Papam adit, atque ab eo tam baculum, quam auctoritatem recipit.

12 Ultra istos officiales majores, qui Tribunal constituunt, atque de gratiæ concessione, vel denegatione respondent; Adsunt alii officiales inferiores; Nempe tres Procuratores, in hac materia bene periti, qui per turnum inter se distribuunt supplices libellos, qui porriguntur sine nomine, sub aliquo signo, vel cifra, ut dignoscantur ab iis, qui negotia gerunt, ipsique Procuratores desuper efformant (juxta stylum Tribunalis) supplicationes efformari solitas, quas in Congregatione, ut supra, proponunt, certiorantes officiales, an pro stylo Tribunalis, supplicatio signari, vel rejici debeat, sive cum quibus clausulis, vel restrictionibus muniri; Et postquam supplicatio signata est, alii officiales minores, qui scriptores dicuntur, de commissione procuratorum, literas, vel brevia, juxta formam supplicationis, scribunt, ut postmodum subscribantur, & claudantur, ac sigillentur, oratoribus, vel eorum agentibus consignanda,
13 gratis omnino, absque alicujus emolumenti, seu mercedis solutione, dum omnes isti officiales menstruum habent determinatum salarium, consequendum ex dictis emolumentis expeditionum publicarum.

14 Omnia vero ista officia gratis conferuntur, atque minora procuratorum, & scriptorum conferuntur per concursum publicum, ad instar provisionis Parochialium habendum coram Pœnitentiario, dictisque aliis officialibus, ad effectum, ut magis idonei assumantur, istaque minora solum conferuntur per ipsum Pœnitentiarium, quoniam licet etiam majora, ex motu proprio S. Pii V. super reformatione pœnitentiariæ, ad ejus collationem, vel nominationem pertineant, attamen Papa ea conferre solet pro ejus libito.

15 Negotia vero, quæ cum dictis brevibus ab hoc Tribunali esplicantur, sunt, Dispensationes super occultis irregularitatibus, ex causa homicidii, vel illegitimorum natalium, aut alterius defectus; Ac etiam revalidationes matrimoniorum, habentium impedimentum dirimens occultum; Seu revalidationes simoniacarum provisionum, beneficiorum, aliarumque provisionum, in quibus simoniaca labes cadat, sive absolutiones a censuris, præsertim ab excommunicatione majori incursa ob percussionem Clerici; Istoque casu, per hoc Tribunal conceditur absolutio,
16 etiam si negotium sit publicum, atque excommunicatio judicialiter declarata sit per publicos cedulones; Quoties illi, qui eam contraxerunt, ad sacrorum canonum præscriptum, ad Urbem accedant, quoniam obtenta absolutione sacramentali, ab uno ex dictis Pœnitentiariis Basilicarum,
17 super ea conceduntur literæ pro foro externo; Et quando ex causa inimicitiarum, aut ætatis, vel infirmæ valetudinis, seu alterius justi impedimenti, censuratus non possit accedere ad Urbem, conceditur pariter per breve facultas Ordinario, ut a probato confessario, satisfacta parte offensa, absolutionem in forma Ecclesiæ consuetam ei concedere valeat, istoque casu cognoscitur ab eadem Congregatione, an causa impedimenti sit justa, necne.

18 In reliquis autem, dantur solum absolutiones, vel dispensationes pro occultis, cum in publicis concedantur per Datariam, vel per Secretariam brevium; Ac etiam in occultis, ubi præsertim agatur de dispensatione irregularitatis ex causa homicidii voluntarii, cum magna difficultate ea concedi solet, post plures denegationes, atque nonnisi ex aliqua causa, quæ excusatione, vel commiseratione digna sit, in jam promotis; In promovendis autem, qui statum sæcularem assumere possunt, nimium raro, & nonnisi ex magna causa.

19 Ubi vero agatur de revalidationibus provisionum beneficialium, vel spiritualium ea labe simoniaca, vel alia simili infectione, demandari solet restitutio fructuum, vel eorum compositio cum Camera, vel cum aliis, ad quos pertineant cum aliis stylis, quos nimis evagatorium esset reassumere.

20 Concedit item Pœnitentiaria facultatem in eadem forma brevis Religiosis utriusque sexus, ut jam approbatum confessarium eis bene visum sibi eligere valeant pro absolutione a reservatis, quæ timeant, etiam per viam confessionis pandi confessariis ordinariis, vel illis ejusdem Religionis, cum similibus provisionibus, quæ forum internum, seu pœnitentialem concernant, sub diversis stylis, pro diversa negotiorum qualitate.

21 Omnes tamen expeditiones, (ut præmissum est,) conceduntur gratis, absque aliqua solutione, nec quidem mercede dictorum Procuratorum, & Scriptorum; Ideoque aliud solvendum non est, nisi aliquid modicum correspondenti, qui negotii curam habuit pro solo labore personali, cui est varius, major, vel minor pro negotiorum qualitate, ac difficultate; Et ad quod adverti debet, ne ab iniquis Curialibus crumenarum terroribus, qui furibus, vel crassatoribus assimilari debent, decipiantur, cum assertione quod expensas pro hujusmodi expeditionibus facere oportuerit.

a *Constitutio* 53. *Pii IV.* b *Vestr. in prax. lib.* 1. *c.* 12.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Constitutio super facultatibus Majoris Pœnitentiarii.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex omnium Christi fidelium Pater, & Pastor ejus, qui ut peccatores pretiosi sui sanguinis profusione redemptos salvos faceret, semetipsum exinanivit, vices gerens in terris, ad ea per quæ sibi cœlitus commissi gregis saluti uberius consulitur, præcipuis debet, & indefessis studiis incumbere, sibique in Petro Apostolorum Principe attributam potestatem, qua infallibi Christi Domini testimonio, quidquid solverit super terram, erit solutum & in Cœlis, per se, & respective per alios provida dispensatione exercere.

Hujus considerationis intuitu Romani Pontifices Prædecessores Nostri Pœnitentiariæ Apostolicæ officio, & Majori Pœnitentiario quamplures, & amplas facultates concesserunt, aliasque aliquando, in iis præsertim, quæ forum internum non concernebant, reformarunt, & quandoque ampliarunt, immutarunt, prout rerum, & temporum circumstantiis, opportunitatibus, & vicissitudinibus attente pensatis consueverunt In Domino salubriter expedire.

Alias siquidem post antiquiores officii hujusmodi status fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor Noster Officiorum, & Tribunalium Romanæ Curiæ reformationi Pastorali sollicitudine intentus, ad ejusdem Pœnitentiariæ officium, in quo morum censura, & animarum salus præcipue vertitur, considerationis suæ oculos direxit, habitaque desuper cum tunc existentibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, ipsoque Majore Pœnitentiario, ac ejus Officialibus auditis, ac omnibus mature consideratis, de eorundem Cardinalium consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens Major Pœnitentiarius, Reges, Correctores, Scriptores, Procuratores, ac alii quicunque ejus Officiales, & Ministri ab eorum omnium, quæ in tunc confectis capitulis, & prohibitionibus continebantur, & forum internum, sed Pœnitentialem plerumque non respiciebant, concessione, & commissione penitus cessare, & abstinere deberent, per quasdam suas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo quarto nonas Maji Pontificatus sui Ann. tertio expeditas literas auctoritate Apostolica statuit, & ordinavit.

Successive rec. mem. S. Pius Papa V. etiam Prædecessor Noster tempus, & necessitatem, suique instituti rationem postulare perpendens, ut in multis Romanæ Curiæ rebus novam deinceps formam proponeret, ejusmodi vero curam ipsum impensius solicitare, ut ad ea in primis incumberet, quæ salutem, & periculum respiciebant animarum, ac a Præfato Pœnitentiariæ officio initium capere, novamque illi pro futuris facultatem statuere volens, de Apostolicæ potestatis plenitudine omnem, & quamcunque ejusdem officii, & Pœnitentiarii Majoris auctoritatem, jurisdictionem, & potestatem ordinariam, & delegatam, ac omnia, & quæcunque privilegia, facultates, & indulta illis, cæterisque omnibus dictæ Pœnitentiariæ tunc existentibus Collegiis, & personis ab ipsius officii institutione per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores suos, ac seipsum, & Sedem Apostolicam etiam motu proprio, & ex ipsius certa scientia, deque prædictæ potestatis plenitudine in genere, quam in specie, ac ex mandato speciali, & expresso etiam vivæ vocis oraculo emisso, & ex quibuscunque causis concessa, confirmata, ac etiam pridem a memorato Pio IV. Prædecess-

deceſſ..e reformata, reſtricta, & moderata, quibuſcunque concepta formulis, ac etiam reſtrictivis, derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & efficacioribus etiam vim contractus inducentibus clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis ſuffulta, quorum omnium tenores haberi voluit pro expreſſis, quæcunque eſſent, (poteſtate Minorum Pœnitentiarum ſuorum, & ordinationibus de illis, eorumque ſtatu tunc pridem editis literis ſalvis, & integris remanentibus) revocavit, ſuppreſſit, & abolevit, & alias prout in ejuſdem S. Pii V. Prædeceſſoris quarto Kalen. Maji Anno præfatæ Incarnationis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono, & Pontificatus ſui quarto deſuper expeditis literis uberius continetur.

Utque memoratus S. Pius V. Prædeceſſor habita de Miniſtrorum qualitate, numero, functionibus, & Officiis ratione explicita, novam futuris formam de integro præſcribere valeret, qua ipſum Pœnitentiariæ officium certis quibuſdam facultatibus, quæ aliis officiis magis conveniebant, exoneratum, atque expeditum, deinde eas, quæ animarum ſalutem præcipue concernebant, attentiore ſtudio proſequeretur, quinto decimo Kalend. Julii ejuſdem Anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi noni duas edidit Conſtitutiones, in quarum prima, quæ incipit, *In omnibus rebus*, Miniſtrorum qualitatem, numerum, functiones & officia impoſterum ordinavit; in alio vero, quæ incipit, *Ut bonus Paterfamilias*, Pœnitentiariæ hujuſmodi officium nonnullis ibidem relatis facultatibus dumtaxat, quas pœnitentialis muneris maxime proprias, ac gentium Chriſti fidelium remedio accomodatas cenſuit, communivit.

Deinde nihilominus idem S. Pius V. Prædeceſſor, ejuſque ſucceſſores Romani Pontifices quampluribus vivæ vocis oraculis, & piæ memoriæ Gregorius Papa XIV. pariter Prædeceſſor Noſter etiam ſuis in forma Brevis die decima Aprilis Anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi primi expeditis literis, reformatas, ut præfertur, memorati officii facultates multoties ampliarunt, extenderunt.

Verum hujuſmodi facultatibus valde, ut præfertur, multiplicatis, & adauctis, ſanctæ memoriæ Urbanus Papa VIII. etiam Prædeceſſor Noſter memoratum Pii IV. & S. Pii V. Prædeceſſorum veſtigiis inhærens, per ſuas die decima ſeptima Septembris Anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi quarti, Pontificatus ſui duodecimi in forma Brevis pariter expeditas literas, prævia, quoad inibi deſcripta capita quarumcunque facultatum, ſeu Indultorum, ac vivæ vocis oraculorum deſuper conceſſorum, & aliter emanatorum, quæ iiſdem literis adverſarentur, revocatione. Motu proprio ex certa ſcientia, & matura deliberatione ſuis, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuit, ordinavit, quod de cætero perpetuis futuris temporibus Major Pœnitentiarius, & ejuſdem Pœnitentiariæ Regens, cæterique ejus Officiales, & Miniſtri pro tempore exiſtentes, a particularium caſuum, & negotiorum inibi expreſſorum conceſſione, commiſſione, & expeditione, quæ alias nullæ eſſent eo ipſo, penitus ceſſare, & abſtinere deberent.

Adhuc tamen, & poſt hujuſmodi particularem reformationem alia Romanorum Pontificum ad hæc uſque tempora vivæ vocis oracula facultates hujuſmodi amplianatia, & reſpective moderantia ſupervenerunt.

Hinc Nos Animarum ſaluti, ac facultatum unicuique Officio, & Tribunali competentium, ordini, & diſtinctioni, quantum Nobis ab Alto conceditur, conſulere volentes, ac propterea literarum Apoſtolicarum, & vivæ vocis oraculorum præfatorum multiplicitatem, varietatem, & immutationes ſedula meditatione penſantes, Noſtræ Pœnitentiariæ, ac Majoris Pœnitentiarii facultates ſeligere, & ſelectas, cæteris excluſis, compilare, & in unum redigere decrevimus, ut quouſque facultates hujuſmodi extendantur, ac quomodo, & in quibus caſibus exerceri poſſint, & debeant, certe, prompte, & diſtincte ſua unica, & omnium comprehenſiva ſanctione innoteſcant.

Omnium itaque, & ſingulatum literarum, & oraculorum hujuſmodi, ac aliarum, & aliorum, quæcunque ſint, & ſi quæ ſint, tenores pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ac ſalvis, & in ſuo robore, & ſtatu permanentibus iis, quæ in altera ex præfatis ejuſdem S. Pii V. Prædeceſſoris Conſtitutionibus incip. *In omnibus* ſuper Miniſtrorum Pœnitentiariæ præfatæ qualitate, numero, functionibus, & officiis ordinata fuerunt, ac etiam ſalva ſemper Majoris Pœnitentiarii facultate Romanum Pontificem in quibuſcunque particularibus caſibus, tametſi per præſentes noſtras literas non conceſſis, imo prohibitis, conſulendi, itaut ipſi Major Pœnitentiario de Romani Pontificis ſpeciali mandato deſuper vivæ vocis oraculo ſibi facto procedere aſſerenti, indubia fides debeat adhiberi, Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine infraſcriptas tantum facultates eidem Pœnitentiariæ, & Majori Pœnitentiario de cætero competere, ac in illa, & ab illo in hunc, qui ſequitur modum, exerceri poſſe hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, ſtatuimus, atque decernimus.

Noſtro itaque, & pro tempore exiſtenti Majori Pœnitentiario concedimus, ut omnes, & ſingulos cujuſcunque qualitatis, dignitatis, & gradus, eccleſiaſticos, ſæculares, & cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, Regulares, necnon laicos quoſcunque utriuſque ſexus tam præſentes, quam abſentes, ab omnibus, & quibuſcunque culpis, criminibus, & exceſſibus quantumcunque gravibus, & enormibus tam publicis, quam occultis quandocunque, & quomodocunque commiſſis, perpetratis, necnon ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis præmiſſorum occaſione latis, & per illos incurſis, etiam in caſibus nedum Superioribus Regularibus, & Ordinariis, ſed etiam nobis, & Sanctæ Sedi ſpecialiter, ac etiam per literas, quæ die Cœnæ Domini quotannis promulgantur, reſervatis, injuncta ſemper iiſdem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ fuerint de jure injungenda, abſolvere, & abſolvi mandare poſſit, & valeat: Regulares nimirum a culpis, & cenſuris præmiſſis in utroque foro; & eccleſiaſticos ſæculares, necnon laicos a prædictis culpis, & cenſuris in foro conſcientiæ tantum; Eoſdem vero eccleſiaſticos ſæculares, nec non laicos tunc in utroque foro abſolvere, & abſolvi mandare poſſit, quando agitur de excommunicatis, & ſuſpenſiva ſententia generali, vel ſpeciali delegatorum, aliorumque Judicum, quorum juriſdictio expiraverit, ſeu etiam de illis, quorum abſolutio per eoſdem Judices, aut alios fuerit ad Romanum Pontificem, & ad dictam Sanctam Sedem remiſſa, ſeu pariter de iis, qui legitimo impedimento detenti præſentiam Judicum, vel illorum, qui eos excommunicarunt, aut ſuſpenderunt, aut alium, ſeu alios adire non potuerint.

Ita tamen, ut prædicti a cenſuris ab homine latis, ſeu declaratis in utroque foro, ut præfertur, abſolvendi ſuis congruis caſibus reſpective judicato paruerunt, & parti ſatisfecerint, vel quamprimum potuerunt, alioquin in eaſdem cenſuras reincidant, ſatisfaciant; Eadem vero parte oblatam convenientem ſatisfactionem, quæ tamen in ſententiis, ſeu decretis individuata non ſit, irrationabiliter recuſante, poſſit Major Pœnitentiarius Judicis, coram quo cenſuratum cauſa pendet, conſcientiæ remittere, ut convenientem ſatisfactionem arbitretur, illaque per reum oblata, & per aliam partem irrationabiliter recuſata, valeat, adhuc firma remanente hujuſmodi oblatione ad abſolutionem procedere..

Romam quoque advenientes ab omnibus per quemcunque Judicem, vel alias quomodocunque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, ſeu alibi promulgatis, & in eadem Curia notoriis cenſuris, ad effectum dumtaxat, ut indulgentias, Sacras Urbis loca pie, ac religioſe inviſentibus conceſſas, libere, & licite conſequi valeant, ita ut ſtatim, ac indulgentias præfatas conſecuti fuerint, iiſdem, quibus antea cenſuris, conſtricti teneantur, abſolvere, & abſolvi mandare poſſit, & valeat. Quod ſi cenſuris ab homine nominatim ligati pro abſolutione Romam advenerint, ſed pro illa obtinenda fuerint ad eorum Judices remiſſi, & probabile mortis periculum in itinere pertimeſcunt, poterit Major Pœnitentiarius ad congruum tempus ab ipſo pro hujuſmodi itinere agendo arbitrandum, ſub conditione, ſi hujuſmodi periculum immineat, & cum reincidentia, ſi præfati idem periculum evaſerint, in foro conſcientiæ tantum abſolvere, & abſolvi mandare.

Nequeat tamen in ullis caſibus publicis, qui in præfatis literis die Cœnæ Domini legi conſuetis continentur, etiamſi Sede Apoſtolica tunc vacaret, aut Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam cauſam ita fuiſſet impeditus, ut celeriter conſuli non poſſet, Principes, & alios Jus Imperii etiam Vicario nomine habentes, ac Dominio, & Reſpublicas, ſeu perſonas illarum, & illarum adminiſtrationem haben-

habentes, vel habere solitas, necnon Episcopos, & alios superiores Prælatos absolvere, & absolvi mandare.

Minusque possit etiam in occultis etiam in foro conscientiæ tantum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & alios cujuscunque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui vivente Romano Pontifice de quopiam eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint, seu Sede Apostolica vacante in censuras, seu pœnas in fel. rec. Gregorii Papæ XV. & præfati Urbani VIII. etiam Prædecessorum nostrorum super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, decimoseptimo Kalen. Septembris, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimoprimo, & quinto Kalen. Februarii, Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo vigesimo quinto respective emanatis literis contentas, quomodolibet inciderint, absolvere, & absolvi mandare.

Nec pariter possit etiam in occultis etiam in foro conscientiæ tantum eos cujuscunque qualitatis, status, dignitatis, præeminentiæ, & conditionis fuerint, qui Astrologia judiciaria, vel aliæ per se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, inquirentes, ejusdem Urbani Prædecessoris pridie Kalen. Aprilis, Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo trigesimo primo, contra illos editis literis contravenerint, absolvere, & absolvi mandare.

Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis violatæ immunitatis, seu libertatis ecclesiasticæ ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.

Eos tantum hæreticos in foro conscientiæ duntaxat, absque alia abjuratione coram Ordinario, aut Inquisitore facienda, absolvat, seu mandet absolvi, qui cum nemine de suis hæresibus locuti sunt, & omnino sunt occulti, etiamsi aliquos extrinsecos actus fecerint, ex quibus argui potuissent hæretici, dummodo tamen ad eosdem actus, quamvis de sui natura noscibiles, seu ad notoriam deducibiles, quantum ipsi sciant, & prout credunt, nullus advertit; Apostatas quoque a fide Catholica, & hæreticos in eodem foro conscientiæ duntaxat absolvat, seu absolvi mandet in iis solum casibus, in quibus necesse non est complices denunciare, quando nimirum iidem complices mortui, seu ex regionibus palam infectis sunt, & in illis degunt, non tamen quando complices Itali, vel Hispani, seu ex aliis regionibus essent, in quibus Inquisitionis Sancti Officii auctoritas viget; omni alia facultate ab hæresi, vel apostasia hujusmodi absolvendi in cæteris, præterquam in casibus, in quibus S. Inquisitionis Officium ad Majorem Pœnitentiarium absolvendos remitteret, interdicta.

Munera a Regularibus contra recolen. mem. Clementis Papæ VIII. pariter Prædecessoris Nostri Anno Incarnationis præfatæ 1594. tertiodecimo Kalen. Julii editam Constitutionem ultra valorem decem scutorum monetæ, recipientes, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi; Infra vero prædictum valorem, nonnisi facta arbitrio ipsius Majori Pœnitentiarii, seu per eum eligendi Confessarii eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi.

Moniales, & quascunque personas, quæ in casibus publicis clausuram earundem Monialium ad malum finem violaverint, & respective ausæ fuerint violare, non absolvat, nec mandet absolvi, nisi in casibus, in quibus ipsi Episcopi, seu Ordinarii pro ipsis deliquentibus supplicaverint, & casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam deducti non fuerint.

Confessarios Monialibus nullatenus concedat, & Capuccinos in illis regionibus, in quibus iidem Confessionibus audiendis operam dare non solent, in Confessarios non deputet.

Ad hæc super quacunque irregularitate, & inhabilitate ex quocunque delicto, etiam homicidio voluntario, & ex quocunque defecto proveniente, in casibus tamen occultis, & in foro conscientiæ tantum, prævia in gravioribus casibus matura discussione facienda in Pœnitentiariæ Signatura, dispensare, vel dispensari mandare possit tam cum Ecclesiasticis sæcularibus, quam cum Laicis respective, cum quibus expediens videbitur, ut Ordinibus initiari, & in susceptis etiam sacris, & Præsbyteratus Ordinibus ministrare, & ad superiores conscendere, ac dignitates etiam Cathedrales, & Metropolitanas, ac quæcunque beneficia Ecclesiastica quandocunque ante dispensationem alioquin canonice obtentas, vel obtenta, retinere, necnon hujusmodi beneficia, & dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant.

Cum Hæreticis, & Apostatis a Fide Catholica, quando hæresis, & apostasia hujusmodi nullatenus est propalata, & casus gravitas non suadet, Pœnitentes ad S. Inquisitionem remittendos esset, super quacunque irregularitate, inhabilitate, & infamia exinde contracta tam ad Ordines sive susceptos, sive suscipiendos, quam ad beneficia dispensare, & dispensari mandari possit, & valeat.

Cum male promotis occultis, non obstante ejusdem memoriæ Sisti Papæ V. etiam Prædecessoris Nostris Anno Incarnationis prædictæ millesimo quingentesimo octogesimo nono, nonis Januarii edita Constitutione; & signanter cum promotis per saltum etiam prætextu licentiarum de promovendo extra tempora, vel non servatis interstitiis, vel sine literis dimissorialibus proprii Ordinarii, non dispenset, nisi in foro conscientiæ quando periculum adesset gravium scandalorum; tunc enim possit in forma Pœnitentiariæ consueta dispensare, ut scilicet omissos ordines secrete recipiant a quolibet Catholico Antistite gratiam, & communionem cum Sede Apostolica habente, & tunc, & extra tempora, & non servatis interstitiis, & absque præfatis dimissoriis.

Cum promotis ad Sacros Ordines, qui simoniam cum Episcopis promoventibus commiserint, dispensare, & dispensari mandare possit in occultis duntaxat, & in foro conscientiæ tantum; cum clausula, monitis monendis, & injuncta gravi pœnitentia, ac re præsertim discussa in Signatura.

A dispensationibus, seu convalidationibus titulorum etiam in foro conscientiæ tantum, etiam in occultis casibus abstineat, cum agitur de simonia reali scienter contracta, & de beneficiis, super quibus contracta est ipsa simonia; An si illa contracta fuisset ignoranter etiam ignorantia juris inculpata, possit Major Pœnitentiarius in occultis, & in foro conscientiæ tantum dispensare, & beneficiorum post simoniam obtentorum titulos convalidare, modo orator de eadem simonia certior factus quamprimum commode potuerit, petierit dispensationem, omni alia facultate in cæteris simoniæ casibus, & præsertim publicis, interdicta.

Titulos beneficiorum in concursu obtentorum in foro conscientiæ tantum in occultis convalidare possit, quando tamen inhabilitas provenit ex aliqua censura, vel quia illa irretitur, impetrans administravit.

A convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abstineat quoad illos, qui de Ecclesiis Cathedralibus provisi, infra præfinitum tempus munus consecrationis non susceperint.

A compositione pariter, & condonatione fructuum beneficialium, & Ecclesiarum Episcopalium, ac etiam distributionum quarumcunque quovis modo male perceptarum in casibus non occultis, abstineat: In occultis vero possit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus componere, vel etiam condonare, injuncta eisdem pœnitentibus erogatione eleemosynæ ipsius Majoris Pœnitentiarii, vel Confessarii ab ipso deputandi arbitrio limitandæ. Cum reliquis autem videlicet, Italis, Hispanis, Lusitanis, & adjacentium Insularum personis discrete compositionem concedere, & ea mediante fructus condonare, pecuniis exinde exactis receptori emolumentorum Datariæ nostræ integraliter consignatis: Pauperibus tamen, quorum inopia compositionem non admittit, possit condonare, injuncta eleemosyna modo supradicto, quæ nihilominus sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere, vel non decrescere debeat, sit, & censeatur ordinata.

Cum Regularibus autem super irregularitate quorumcunque criminum quandocunque perpetratorum, vel incursus in censuras occasione, vel quia iidem sic ligati suos Ordines, non tamen in contemptum clavium, exercuerunt, aut illis se immiscuerunt, seu aliter quomodolibet contracta; ut eadem irregularitate, & quibuscunque aliis defectibus non obstantibus, susceptis Ordinibus, &

eorum privilegiis, uti, ac in illis etiam in altaris ministerio ministrare, & Ordines non susceptos suscipere, & in iisdem similiter etiam in altaris ministerio ministrare, necnon quæcunque, quotcunque, & qualiacunque suorum Ordinum, & Congregationum alioquin canonice obtenta officia, beneficia regularia, munia, præeminentias, dignitates, & prælaturas etiam majores, & principales, retinere, & exercere, necnon eadem, seu easdem (non tamen Generalatum) iidquæ, seu quas in futurum canonice, & justa eorundem Ordinum, & Congregationum regularia Instituta, eligentur, vel aliter assumentur, recipere, assequi, gerere, & libere exercere etiam licite valeant, dispensare, eosque in pristinum, & ad eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum, & ad vocem activam, & passivam restituere, reponere, & plenarie reintegrare, & pœnas illis gratiose remittere, & condonare, necnon pro majori abolitionum, & dispensationum præstitarum firmitate, quibusvis Constitutionibus, ordinationibus, statutis, & privilegiis quomodolibet obstantibus sufficienter derogare, Major Pœnitentiarius præfatus possit, & valeat.

Volumus tamen, ut in hujusmodi casibus occultis in foro conscientiæ tantum, publicis vero casibus in utroque foro, auditis tamen, & supplicantibus Superioribus, bonumque testimonium de ipsis Regularibus ferentibus, gravata in iis eorundem Superiorum conscientia, & matura circumspectione semper adhibita, cum iisdem Regularibus, ut præfertur, dispensare, & dispensari mandare valeat.

Cum homicidis, bannitis, aliisque delinquentibus, qui memorati Sixti Prædecessoris Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo octogesimo septimo sexto Kalen. Decembris expeditis literis, Religionem ingredi, & in ea professionem emittere inhabilitantur, si expedire videbitur, habilitare, & habilitari mandare, ac cum iis, qui homicidia voluntaria commiserint, ut etiam uti Clerici aliquam ex approbatis Religionibus ingredi, ibique profiteri in utroque foro, quando sic expedire videbitur, dispensare, & dispensari mandare valeat, ea tamen lege, ut sic habilitandi, seu dispensandi Fiscum, & Partem prius concordaverint, & professionem emittant, nec ante professionem hujusmodi in susceptis Ordinibus ministrare, nec ad superiores Ordines ascendere possint.

Quoad Apostatas, & transitum Regularium de una ad aliam Religionem, citra aliquam innovationem interim faciendam, an, & quales facultates Majori Pœnitentiario remanere, reformari, seu concedi conveniat, de nonnullorum S. R. E. Cardinalium desuper a Nobis deputatæ Congregationis consilio suis loco, & tempore decernemus.

In matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius in foro conscientiæ tantum super impedimentis occultis, quæ matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare; At a dispensationibus super quocunque impedimento ex quovis gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiæ tantum, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat.

In contractis vero matrimoniis a dispensatione, seu matrimonii revalidatione in gradibus primo, & secundo, seu secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita etiam in occultis pariter abstineat, præterquam si in hujusmodi secundo tantum gradu impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, & oratores simul publice contraxerint, & convixerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem, & quarto gradibus occultis possit dispensare, ac etiam in iisdem tertio, & quarto gradibus publicis revalidare matrimonia nulliter contracta ex causa subreptionis, vel obreptionis occultæ literarum Apostolicarum, præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen antea non intercesserat.

Quod si oratores, qui obtinuerint a nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito tam in primo, & secundo, quam in secundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto, tacita copula inter eos secuta, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujusmodi taciturnitatis, petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem matrimonii contracti, possit idem Major Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, in foro conscientiæ tantum concedere, facta quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantum gradu compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum, ut inconcussi moris est, erogandi in eleemosynas, nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum, quo casu etiam hæc gratia absque ulla compositione similiter expediatur.

Si vero oratores, qui obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, & secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis, seu affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita, occulta, & malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius habendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis recurrant ad dictam Pœnitentiariam, possit idem Major Pœnitentiarius desuper dispensare cum miserabilibus personis explicite affirmantibus se uti tales, & sub illa expressa qualitate, & forma miserabilium dispensatione, a Dataria obtinuisse. Cum iis vero qui non tanquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres fuerint similiter ab eadem Dataria dispensati, idem Major Pœnitentiarius non dispenset, nisi solita prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa cum Datario pro tempore existente concordanda, Quod si supplicantes sint pauperes, itaut vere, & realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere nequeant, præfatus Major Pœnitentiarius insimul cum eodem Datario opportune provideat.

Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescunque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis in foro conscientiæ tantum, quoties vero affinitas hujusmodi post contractum matrimonium supervenerit, ut debitum peti possit, in eodem conscientiæ foro dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat neutro machinante commissum, possit tam in contrahendis, quam contractis matrimoniis, dispensare: Si vero crimen hujusmodi fuisset utroque, vel altero machinante patratum, possit dispensationem concedere, raro tamen, & quando necessitas postulaverit ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

Declaramus tamen, quod facultates præfatæ a Nobis Majori Pœnitentiario, & ejusdem Pœnitentiariæ officio concessæ circa dispensationes matrimoniales, locum habeant, etiam si gradus, & impedimenta hujusmodi multiplicia sint quæcunque, & quotcunque multiplicata, Volentes in literis hujusmodi dispensationum matrimonialium posse prolem, ubi opus erit sive susceptam, sive suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiæ tantum, legitimatam decernere, necnon apponi clausulam *nullis &c.* prout in hujusmodi materiis hactenus ipsa Pœnitentiaria servare consuevit.

Vota simplicia quæcunque quomodolibet emissa, tametsi privato juramento confirmata, etiam castitatis, religionis, visitationis liminum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli de Urbe, Sepulchri Domini, & S. Jacobi de Compostella, possit idem Major Penitentiarius in alia pietatis opera commutare, votorum implementum differre, ab illorum transgressionibus absolvere, & cum iis, qui matrimonium contrahendo votum castitatis transgressi sunt, ad licite debitum conjugale petendum, dispensare, & respective commutari, differri, absolvi, & dispensari mandare semper in foro conscientiæ tantum possit, & valeat, consideratis causis commutationum, dilationum, absolutionum, & dispensationum hujusmodi, & adjectis clausulis, quas apponere, iisque injunctis, quæ injungere hactenus Pœnitentiaria laudabiliter consuevit.

Super recitatione divini officii, seu horarum canonicarum propter aliquam impossibilitatem, seu moralem difficultatem cum commutatione in alias preces, vel orationes, seu illarum injunctionem facultatem habeat dispensandi.

Juramenta quæcunque, in quibus exploratum erit, nullum cujusquam agi præjudicium, facultatem habeat in foro conscientiæ dumtaxat relaxandi.

Quoad male ablata, vel retenta, quando Domini sunt inter-

incerti, & casus sunt occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus, si eorum qualitate, & necessitate pensatis, ita videbitur, remittere, seu condonare, vel remitti, seu coodonari mandare possit, residuum vero pauperibus, vel io pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata, extorta, seu usurpata sunt, distribui, seu converti mandet.

Cum puellis, quæ virgines non sunt, & dotes petunt, seu obtinuerunt a Confraternitatibus, aut aliis locis, vel dispensatoribus piis, quibus injunctum est, ut illis Virginibus tantum dent, seu distribuant, in occulto, & in foro conscientiæ, tantum, quatenus illæ imposterum honeste vivant, facultatem habeat dispensandi.

Dubia in materia peccatorum, seu forum pœnitentiale alias quomodolibet concernentia cum consilio Doctorum, & Theologorum suorum valeat declarare.

Commissiones Majoris Pœnitentiarii, etiamsi committens, illis nondum præsentatis, reintegra desinat quomodocunque Pœnitentiarius existere, non expirent.

Sede Apostolica vacante Major Pœnitentiarius, ejusque officiales ea tantum facere, & expedire valeant, quæ ad forum conscientiæ pertinent, in reliquis eorum officium conquiescat, & a quibuscunque matrimonialibus, & aliis dispensationibus, ac absolutionibus, & declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus forum foti mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstineant.

Quotiescunque Procuratores, & Scriptores Pœnitentiariæ secretæ aliqua mala valetudine detineantur, vel ex aliqua legitima causa Major Penitentiarius expediens judicaverit, possit alios in eorum loco durante infirmitate, seu causa subrogare, seu substituere, præstito solito juramento, & cum iisdem obligationibus, quibus alii Procuratores, & Scriptores titulati adstringuntur.

Nullus Minor Penitentiarius trium Basilicarum Urbis possit admitti, seu recipi ad officium, nisi prius a Majori Penitentiario, ac Penitentiariæ Congregatione, seu Signatura fuerit examinatus, & approbatus, & postquam admissus fuerit, nequeat sine ejusdem licentia discedere, seu dimitti, idemque servetur quoad Minores Penitentiarios Lauretanos, quibus, & aliis supradictis Major Penitentiarius possit facultatem addictum concedere, & restringere, & quorum examen possit in absentia etiam Episcopo in partibus sibi bene viso, committere.

Omnibus Christifidelibus, qui ex veteri, & laudabili instituto Penitentiarium Majorem munere suo statutis diebus in hebdomada majori solemni ritu fungentem pie, reverenterque adierint, seseque penitentiali virga tangendos submiserint in centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis penitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxandi perpetuam facultatem eidem Majori Penitentiario confirmamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus.

Decernentes præsentes literas etiam ex eo, quo Major Penitentiarius, ac præfatæ Penitentiariæ Regens, & Officiales prædicti, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de causa quantumvis legitima, & juridica de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari nullatenus posse, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & a Majori Penitentiario, Regente, & Officialibus prædictis, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, quidquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, & in aliis quibuscunque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & dictæ Penitentiariæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus quibuscunque, ac quibusvis vivæ vocis oraculis, privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, ejusque Penitentiariæ Officio, illiusque Majori Penitentiario, ac Officialibus, & Ministris, & quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & alias quomodolibet per Prædecessores nostros Romanos Pontifices, ac etiam per Nos concessis, innovatis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permansuris, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum compilationis, concessionum, prohibitionum, decretorum, statuti, voluntatis, declarationis, confirmationis, derogationis, aliorumque præmissorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Tertio nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

B. Card. Prodatarius.

I. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione decimaquinta, die vero decima nona Septembris Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno Secundo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Petrum Cannamelinum ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

M. Aurelius Pellicia Curs. Magister.

De Cardinali Vicario, ejusque Tribunali.

S U M M A R I U M.

1 *De qualitate hujus officii.*
2 *In quo illud consistat, & quam jurisdictionem habeat cum exemptis.*
3 *Quid in titulis Cardinalium.*
4 *De ratione jurisdictionis etiam in istis.*
5 *Ei diriguntur expeditiones Apostolicæ, & quæ.*
6 *Est Judex, & superior meretricum & Judæorum.*
7 *De jurisdictione intra districtum.*
8 *De alia jurisdictione etiam cum non districtualibus.*
9 *Et coram eo fit examen concurrentium in Urbe etiam extra districtum.*
10 *Non est visitator generalis Civitatis, & diœcesis.*
11 *Neque habet collationem beneficiorum.*
12 *Beneficia Urbis sub qua reservatione cadant.*
13 *Præeligit in concursu ad parochiales.*
14 *De Vicesgerente, ejusque munere, & jurisdictione.*
14 *De cura, & custodia Reliquiarum.*
16 *De jurisdictione pro impressione librorum.*
17 *Est Prælatus in ordine Episcopali.*

18 *De duobus Locumtenentibus, civili, & criminali & de Deputato Monialium.*
19 *Quod id servetur in aliis Episcopatibus.*
20 *De aliis officialibus, & ministris inferioribus.*
21 *De congregatione, quæ per Vicarium, ejusque officiales teneatur.*
22 *De stylo hujus Tribunalis.*
23 *Quod accipit propinas.*
24 *An conferat ordines non distrilluatiter.*

D I S C. XII.

1 OFficium hoc, licet etiam antiquum sit, non tamen cardinalium, neque perpetuum prius erat, ut de sui natura, a multis sæculis fuerunt alia tria officia, de quibus in præcedentibus actum est, quoniam alicui Episcopo ad nutum amovibili, illud committi solebat, eo modo quo hodierna praxis docet in Vicesgerente; A sæculo autem citra, & plus, & dicto statu cardinalitii, & perpetui constitutum est, illudque est magnę existimationis, eo modo, quo sunt prędicta alia, quoniam licet emolumentum sit inferius, adhuc tamen est notabile, ac etiam suppletur a prerogativa jurisdictionis pene universalis, quam exercet in Urbę, & districtu.

2 Siquidem est Vicarius generalis Papę, non tanquam Papę, sed tanquam Episcopi particularis Urbis, vel Ordinarii loci, qui per hunc officialem repræsentatur, unde propterea regit Curiam Episcopalem, cum omnibus Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis non exemptis; Ac etiam, habet delegatam jurisdictionem a Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus, cum Ecclesiis, & personis exemptis, regularibus, vel sæcularibus, in concernentibus curam animarum, & administrationem sacramentorum, sive ecclesiasticam immunitatem, aliaque plura, quę sub hac delegata Ordinarii jurisdictione veniunt, & pręsertim cum Monasteriis monialium exemptis (dum non exempta sub Ordinarii jurisdictione cadunt; Aliquibus paucis Monasteriis, vel Ecclesiis, seu piis locis exceptis, quæ alicujus Cardinalis regimini, ac protectioni commissa sint per indultum particulare, quod ab hac delegata jurisdictione quoque eximat, ut infra occasione agendi de Archipresbyteris Basilicarum, & de aliquibus Protectoribus advertitur.

3 Et quamvis in titulis cardinalitiis, in puncto juris, probabilior forte videatur opinio (a contradictoribus tamen non immunis,) ut illi ab hac jurisdictione delegata quoque exempti sint ob præminentiam cardinalitiæ dignitatis, ac etiam quia quandam speciem diœcesis, vel territorii separati improprii, vel intellectualis constituere videntur; Ex particularibus tamen decretis, vel declarationibus Pontificiis, contrarium praxis docet A. Ex eadem ratione, ob quam, etiam cum Ecclesiis, & personis exemptis, congrua est Ordinarii jurisdictio, ratione scilicet medii, seu
4 occasionis curiæ populi, & cleri secularis, in ejus territorio viventis, sibique commissi, ut in jurisdictionali materia, & alibi sæpius advertitur. *b*

5 Hinc proinde Apostolica beneplacita, quæ in forma commissaria, vulgo *si in evidentem*, super alienationibus bonorum Ecclesiæ, aliisque similibus conceduntur aut dispensationes matrimoniales, vel monitoria pro relevationibus habendis, & similia, aliæque expeditiones Apostolicę, quæ ordinario loci dirigi solent, in Urbe Vicario diriguntur; Et in summa gerit omnia, quæ quilibet Episcopus, vel Ordinarius gerit in sua diœcesi, etiam cum sęcularibus, in causis mixtis fori, ac in aliis, in quibus forus Episcopalis sit competens, vel prorogabilis.

6 Istaque ratione est etiam Judex, & super ordinarius meretricum, aliarumque mulierum inhoneste viventium, ad quas, statutis temporibus accessus prohibetur; Ac etiam personarum viventium extra gremium Ecclesię, ut in Urbe sunt Judæi.

Item quamvis intra Urbis districtum plures adsint Episcopatus, & præsertim sex Cardinalitii, & alii; Attamen, ut in præcedentibus, ac alibi insinuatur, in eodem districtu, tanquam in territorio, vel diœcesi Urbis, ordinariam ac etiam delegatam Episcopalem jurisdictionem in prima instantia, cumulative cum eis habet, adeout inter eos præventio, quasi quod isti Episcopi non sint sicut alii cum propria diœcesi, vel cum territorio, quod ab altero territorio divisum sit, sed tanquam coadjutores, vel Suffraganei istius adeo qualificati Episcopi Urbi intra ejus diœcesim. *c*

Deberet de jure ista jurisdictio protendi ad latiorem antiquum Urbis districtum centum milliarium, qui respectu hujus jurisdictionis spiritualis adhuc durat, dum moderna restrictio intra ambitum quadraginta milliarium, ex Statutis laicalibus provenit, atque temporalem potius jurisdictionem concernit; *d* Verum contrarium praxis docet, ex consuetudine, vel præscriptione quoad exercitium jurisdictionis hujus officialis, firmis tamen remanentibus aliis effectibus, vel prerogativis districtualibus.

Occasione autem exercendi Episcopalem jurisdictionem cum propriis diœcesanis, plura sibi committuntur, etiam cum non subditis; Et præsertim, per Papam committi solet, ut faciat edicta, seu præcepta residentiæ iis, qui tale onus habentes, in Urbe morentur, quamvis extra districtum ipsiusque Vicarii jurisdictionem. 8

Ac etiam coram eo, ejusque examinatoribus, examinantur illi, de quorum idoneitate Dataria vult certificari in collatione beneficiorum Ecclesiasticorum in forma gratiosa; Sive ubi contingat, quod in concursibus ad parochiales, juxta formam Concilii Tridentini, per appellantea ab irrationabili judicio Ordinarii, fiat provocatio ad novum examen in Curia, juxta ea, quæ in rerum parochialium sede habentur. *e* 9

Duo tamen huic Vicario per Papam commissa non sunt, sed sibi reservata; Primo nempe visitatio generalis ipsius Civitatis, & diœcesis, vel districtus, quam pro ejus placito facere solet per organum Congregationis particularis, quæ Apostolicæ Visitationis dicitur, de qua infra in ejus particulari rubrica *f*, & in qua etiam idem Vicarius intervenit; Ipsoque, vel ejus Vicesgerens, est etiam Judex, & ordinarius executor decretorum ejusdem Congregationis. 10

Et secundo, in collatione beneficiorum Urbis, quam ipse Papa facit per organum Datariæ; Idque est pene generale in omnibus Episcopatibus, quod scilicet, excepto casu diuturnæ absentiæ in remota regione, ut contingere solet in iis Episcopis, qui Prælati, vel Notarii Apostolici munus suscipiunt ultra montes, Vicario generali non communicatur ista facultas conferendi beneficia, quæ non venit in mandato generali, sed indiget nota speciali. 11

Istam itaque collationem beneficiorum Urbis, Papa non facit uti Papa, sed tanquam ordinarius collator, nisi intrent Apostolicæ reservationes personales, cum in his beneficiis non intrent aliæ species reservationum & præsertim locales; quoniam licet reservata sint omnia beneficia vacantia per obitum in Curia, vel infra duas dietas; Non tamen sub hac reservatione veniunt beneficia Urbis, quamvis in ea obitus possessorum sequatur, dum alias esset omnino annihilare jus ordinariæ collationis, non solum quoad Papam, cujus respectu nil refert an uno, vel altero modo conferat, sed respectu tot inferiorum collatorum in eadem Urbe existentium, ut sunt Cardinales in eorum titulis, ac etiam Archipresbyteri trium Basilicarum Patriachalium, & respective earundem Basilicarum, aliarumque Ecclesiarum collegiatarum Capitula. 12

Bene tamen in istis intrat reservatio personalis; Puta ratione officiorum; Vel familiaritatis Papæ seu Cardinalium; Aut ratione Curialitatis; Ac etiam ratione vacationis apud sedem, quæ diversa dicitur a vacatione in Curia, ut in tali beneficiali materia habetur. *g*

Adhuc tamen in beneficiorum etiam provisione, Vicarius aliquam potestatem, seu participationem habere videtur, ubi scilicet agatur de Ecclesiis parochialibus, quæ juxta formam Concilii Tridentini, & constitutionis S. Pii V. provideri debent per concursum, qui coram eo, tanquam Ordinario haberi debet, ob prælectionem dignioris, quæ sibi competit; Quod etiam verificatur in aliquibus Vicariis perpetuis aliquarum collegiatarum Urbis, quę ex specialibus Apostolicis decretis, per concursum provideri debent, quamvis provisio fieri debeat per Datariam ad nominationem Cardinalis Titularis, vel Capituli, cum ad Vicarium, tanquam Ordinarium declarare pertineat, quisnam ex concurrentibus magis dignus reputari mereatur, unde propterea, spectato effectu, suum videtur jus conferendi hanc speciem beneficiorum. *h* 13

Plures quoque adjutores, ac officiales Vicarius habet, ex quibus ejus Tribunal, seu Curia Episcopalis constituitur; Quorum primus est ille, qui dicitur Vicesgerens; Iste enim (fingendo Cardinalem Vicarium tanquam Episcopum) gerere dicitur partes ejus Vicarii generalis, tam circa exercitium jurisdictionis Episcopalis, ordinariæ, & delegatæ, in omnibus causis, civilibus, criminalibus, & mistis ejus fori, quam etiam circa exercitium Pontificalium, in collatione ordinum, in consecratione ecclesiarum, & altarium, & sacrorum vasorum, & in 14

administratione Sacramenti confirmationis, dum omnia hæc munia exercet Vicarius perhunc ministrum majorem seu generalem.

Item ad eum pertinet cura, ac respective extractio, concessio, & authenticatio sacrarum reliquiarum existentium in catacumbis, & cœmeteriis, quamvis etiam quædam Congregatio moderno tempore desuper erecta sit, de qua infra. i Nec non concessio licentiarum pro impressione li-
16 brorum, quæ in Urbe facienda sit, vel catta per Auctores in Urbe existentes, sive impressorum prohibitio, conjunctim cum Magistro S. Palatii, ut superius, agendo de hoc officiali Palatii Apostolici. *l*

17 Atque hinc sequitur, quod hæc officium Vicesgerentis demandatur personæ constitutæ in ordine, seu dignitate Episcopali.

18 Habet item Vicarius tres alios Vicarios particulares; Unum scilicet pro cognitione causarum civilium, sub quarum genere juxta communem usum loquendi veniunt tam temporalea quam spirituales, quæ non sint criminales, ut in judiciorum sede advertitur; *m* Isteque est etiam Prælatus Signaturæ, & quandoque etiam in ordine Episcopali constitutus; Et alterum pro cognitione causarum criminalium, qui solet esse togatus, istique *Locumtenentes* dicuntur, & alterum Vicarium, pro regimine Monasteriorum monialium, qui *Deputatus* dicitur.

19 Id autem, non solum in Urbe, sed etiam in aliis amplis diœcesibus practicari solet, ut præsertim docet praxis Archiepiscopatus Mediolanensis, quod scilicet adsunt isti Vicarii particulares, civilis, criminalis, Monialium, ac etiam Vicarius generalis, qui cognoscit de omnibus, de quibus isti particulares cognoscere possunt.

20 Necnon, more aliarum Curiarum Episcopalium, habet Cancellarium, cui Secretarii nomen tribuitur, ad differentiam Notariorum actitantium; Ac etiam Barisellum, cum sua familia armata; Non tamen habet particularem promotorem Fiscalem, eo quia, Advocatus, & Procurator Fiscales generales pauperum, in isto quoque Tribunali, has partes gerunt; Ideoque interveniunt in Congregatione, quam in qualibet hebdomada, pro consueto usu, in die Lunæ, Vicarius coram se ipso, in ejus Palatio, cum interventu dictorum officialium habere solet pro discussio-
21 ne causarum graviorum, aliorumque gravium negotiorum, in qua Partes, earumque Advocati, & procuratores audiuntur; Et quem stylum quoque tenent plures Episcopi, & Archiepiscopi, & præsertim Archiepiscopus Neapolitanus.

22 Stylus hujus Tribunalis videtur esse uniformis cum illo Auditoris Cameræ procedendi per monitorium, & conficiendi alia acta; Aliqua vero styli differentia dignosci videtur circa admissionem Clericorum ad beneficium *capit. Odoardus*, quod scilicet, quando de hoc agitur coram A. C. proceditur cum aliquo majori rigore, ratione obligationis cameralis, vel ob aliam circumstantiam; In hoc autem Tribunali Vicarii facilius illud admitti solet *n*, cum aliquibus aliis diversitatibus levibus tamen, quas nimia digressio esset minutatim reassumere.

23 Habetur etiam in hoc Tribunali idem pro meo sensu patrum commendabilis stylus participationis pœnarum, ac propinarum, insinuatus *disc. praced.*

Invaluerat etiam quædam consuetudo, quod Vicarius conferebat cæteris in Urbe morantibus tonsuram, aliosque
24 Ordines etiam sine literis dimissorialibus proprii Ordinarii; Verum ab aliquo tempore, ob pleraque inconvenientia, quæ exinde resultare praxis docuit; Vel id est prohibitum; Vel nimium parce, ac circumspecte proceditur.

a *sub tit. de jurisdict. disc. 34.*
b *sæpius sub tit. de jurisd. disc. 1. & seqq. & in Miscell. eccles. ac etiam in adnot. ad Sacr. C. Trid. lib. 14.*
c *supra, disc. 1. & tit. de jurisd. disc. 50. & de praeminent. disc. 2.*
d *locis proxime citatis, & tit. de Regal. disc. 72. & 64. ubi de hoc districtu.* e *de hoc sub tit. de paroch. disc. 6. cum duobus seqq.* f *infra, disc.*
g *tit. de benef. disc. 20.* h *sub tit. de paroch.*
i *infra, disc. 23.* l *supra, disc. 8.*
m *tit. de judic. disc. 1. & in aliis.*
n *de hoc sub tit. de credito, disc. 119. & seqq. de jurisd. disc. 118. & seqq.*

S U M M A R I U M.

1 *De Cardinali Vicario, ejusque jurisdictione infra districtum, quando extendatur.*
2 *De differentia inter districtum Urbis in temporalibus, & alterum pro spiritualibus, & quantum ambo se extendunt.*
3 *Quales sint Episcopatus Cardinalitii.*

ANNOT. AD DISC. XIII.

IN proposito Cardinalis Vicarii Urbis, de quo in hoc di- 1
scursu agitur, circa ejus jurisdictionem ordinariam etiam in prima instantia cumulativa cum locorum Ordinariis infra districtum, videtur deducta *disc. 147. de benef.* occasione agendi de jure conferendi beneficia competente sex Cardinalibus Episcopis, & in aliis Cardinalibus in eorum titulis, & diaconiis, ubi etiam agitur, de quo districtu id intelligitur, quod scilicet ad tollenda æquivoca nimium frequenter, nimiumque de facili aperta, reflectendum est ad veram, ac receptam distinctionem, de qua *disc. 1. cum pluribus sequentibus sub tit. de jurisd.* & alibi inter fines temporales, & spirituales, ideoque ab uno ad alios inferre, seu arguere non licet, ac propterea, quod alius sit Urbis districtus in temporalibus pro regulanda observantia statutorum Urbis, & jurisdictione Senatoris, & Gubernatoris, ac Ædilium, & Consulum Agriculturæ, ac similium Tribunalium, vel Magistratuum secularium particularium Urbis, & alius sit districtus in spiritualibus pro regulatione hujus jurisdictionis Cardinalis Vicarii.

In temporalibus itaque licet antiquus districtus Romæ triumphatricis esset centum milliariorum in circuitu *ad text. in l. 1. §. initio, ff. de offic. Prafect. Urb. cum concord. disc. 5. de praeminen. n. 6.* & in aliis locis ibi relatis, ac alibi pluries, & merito, cum immo exiguus videretur hic ambitus habita proportione amplissimi populi, quem tunc Roma habebat; Attamen postquam antiquum Imperium in Occidente periit, eademque Civitas tot passa est devastationes, & calamitates, quas notæ historiæ docent, adeo ut quandoque pene ad illum statum redacta sit, ut ei congrueret id quod Italus Poeta Gothifredo, seu Hierosolyma liberata canit de Carthagine, istius restrictus periit memoria, omnisque jurisdictio, ac prærogativa abolita fuit, solummque a temporibus, in quibus Romanus populus quandam exiguam, nimiumque remotam imaginem antiquæ potestatis reassumpsit, præsertim de tempore, quo Sedes Apostolica in Gallia residentiam habuit, introductus fuit quidam restrictus non habens certum uniformem ambitum, utpote consistens in illis locis, quæ solverent salem, & focaticum, ac proptercà dabat casus, quod aliqua loca remota essent de districtu, & non essent valde proxima, & adjacentia; Sed quoniam id inducebat aliquam confusionem, idcirco sublata dicta differentia salis, & focatici per illas modernas reformationes statutorum sub Greg. XIII. cum quibus hodie vivitur, statutus est restrictus uniformis ambitus, vel circuitus 40. milliarium, ut advertitur *sub tit. de fideicomm.* & alibi pluries.

Quo vero ad districtum spiritualem, quamvis *in dicto discurs. 1. de praeminent.* ac etiam supra, *disc. 2. & in hoc disc. 13.* & alibi dicatur, quod adhuc viget in eodem antiquo ambitu, seu circuitu centum milliarium; Attamen id non procedit ad hunc effectum jurisdictionis ordinariæ, & Episcopalis Vicarii, & sic in ratione diœcesis propriæ, & immediatæ, sed potius ad alium effectum Provinciæ, seu juris metropolitici, ut in hoc spatio Papa consideretur, etiam tanquam particularis Metropolitanus, unde propterea alter Metropolitanus in eo non detur, sed ad effectum diœcesis propriæ, & immediatæ pro jure Episcopali, & ordinario in prima instantia, verius videtur, quod restrictus, idest diœcesis restringatur ad sex Episcopos Cardinalitios nempe Hostiensem, Portuensem, Albanensem, Tusculanum, Prænestinum, & Sabinensem, ut etiam comprobat praxis Congregationis visitationis Apostolicæ, atque advertitur *d. disc. 145. de Benef.*

SS. D. N.

INNOCENTII. PAPÆ XIII.

Constitutio super suppressione, abolitione, & abrogatione Tribunalium, & Judicum Urbis ex privilegiis Constitutorum, & reductione privilegiorum, & Tribunalium ad Jus commune, & ad Judices ordinarios Romanæ Curiæ.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex curæ agri Dominici more diligentis patrisfamilias indesinenter invigilans, ut juxta verbum propheticum noxia evellat, & destruat, utilia vero plantet, & ædificet, ea etiam quæ alias rationabilibus tunc suadentibus causis a Sede Apostolica concessa fuerunt ex aliis validioribus, seu supervenientibus rationibus, quibus rapidi tim faciliori, ordinario, & juridico justitiæ cursui in Romana Curia cæterarum magistra uberius consulitur, ad viam juris reducere, moderari, immutare, & revocare non desinit, & in his sollicitudinis suæ studium interponit, quando, & prout in Domino conspicit salubriter expedite.

Hinc est quod Nos sedula meditatione pensantes, privilegia privativarum, seu cumulativarum jurisdictionum, etiam cum facultate proprios, seu bene visos Notarios habendi, seu deputandi, quampluribus præfatæ Curiæ particulariter institutis Judicibus, seu Tribunalibus a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris aliquorum sæculorum spatio concessa, ita paulatim quidem, sed in immensum excrevisse, ut Judicum, & Tribunalium ordinariorum jurisdictio magnopere decreverit, & desuper hujusmodi jurisdictionum conflictu, & Judicum competentia frequentes contentiones, expeditam causarum terminationem cum Litigantium damno, & Causidicorum incommodo differentes, irrepserint; Ac propterea inter alia, quæ circa eandem Curiam emendanda, reformanda, & rectius ordinanda suscepimus, quantum Nobis ex Alto conceditur, hujusmodi absurdis occurrere, ac præfatæ Curiæ, ejusque Judicum, & Tribunalium majori decori, & ordini, sicut Justitiæ ratio, & publica utilitas postulant, hac nostra speciali Constitutione prospicere volentes, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum dilectorum filiorum ejusdem Curiæ Prælatorum, & Vicariorum pietate, doctrina, prudentia, & rerum usu præstantium ad hunc effectum de mandato nostro plories congregatorum consilio, omnia & singula hujusmodi particularia Tribunalia, & speciales Judices vigore privilegiorum præfatorum in eadem Curia hactenus constituta, seu constitutos, tenore præsentium penitus, & omnino supprimimus, abolemus, & abrogamus, & propterea ad viam Juris redigimus omnia, & singula indulta, facultates, & privilegia habendi, seu deputandi tam in prima, quam in ulterioribus instantiis omnes prædictos particulares Judices quocunque nomine nuncupatos, ac etiam Assessores, Congregationibus etiam S. R. E. Cardinalium, Ecclesiis, & Basilicis etiam Patriarchalibus, Monasteriis, Abbatiis, Collegiis etiam Nationalibus, etiam sub cura, & administratione Presbyterorum, seu Clericorum Regularium Societatis Jesu existentibus, Archihospitalibus, & Hospitalibus etiam S. Spiritus in Saxia, & Neophytorum, Archiconfraternitatibus etiam Annunciationis B. M. V. Montium etiam Pietatis, Monasteriis etiam Mulierum Pœnitentium, Ordinibus, Congregationibus, & institutis etiam Societatis Jesu, Curiis, & Judicibus etiam Burgi, & Arcis S. Angeli, Militiis etiam S. Joannis Hierosolymitani, quibuscumque Universitatibus, & Consulatibus etiam Artium, Conservatoriis, Domibus Piis, etiam Almæ Domus Lauretanæ, Capellis etiam ad Præsepe Jesu Christi, & Imaginis Beatæ Mariæ Virginis in Basilica S. Mariæ Majoris, Altaribus, cæterisque aliis locis Piis quocunque pariter nomine nuncupatis, seu Cardinalibus eorum Protectoribus, Archipresbyteris, Abbatibus, Vicariis, aliisque Administratoribus quibuscunque, ac Præfectis etiam Palatii nostri Apostolici, in quibusvis causis civilibus, criminalibus, aut mixtis, activis, & passivis dictarum Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliorumque ut supra, nec non eorum Officialium, Dignitatum, Canonicorum, Beneficiatorum, Affictuariorum, Emphyteutarum, Colonorum aliorumque quomodolibet inservientium iisdem Locis Piis, illorumque bonis, & tenutis, etiam cum quibusvis facultatibus, & auctoritatibus eligendi Notarios sibi bene visos, ac procedendi summarie, de plano, sola facti veritate inspecta, sine strepitu, & figura judicii, manu regia, ac quacunque appellatione, reclamatione, recursu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seu cum aliis similibus, aut majoribus facultatibus, etiam per Nos, & quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & Principum quorumlibet preces, & instantiam, seu eorum contemplatione & intuitu, ac etiam in limine fundationis, seu ex quacunque causa, non tamen vere onerosa, videlicet congruæ, & effectivæ solutionis Cameræ Nostræ legitime factæ, & non alias, vel pro bono publico spirituali, aut temporali, etiam ex causa studii, & Catholicæ Fidei, ac alias, quomodolibet in contrarium præsentium concessa, confirmata, & approbata, ac plories, & quantiscunque vicibus innovata, quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita, & certa forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, servatis & specificatis respective habentes, perinde ac si præfata indulta, facultates, & privilegia concessa, confirmata, & innovata non fuissent, ad effectum præsentium specialiter expresse, plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus.

Iisdem pariter modo, & forma omnia, & quæcumque Indulta, facultates, & privilegia dilecto filio nostro, ac pro tempore existenti in Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali sub quibusvis formis, decretis, clausulis, aliisque supradictis per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & præsertim per fel. rec. Clementem Papam V. etiam Prædecessorem Nostrum quibusdam suis Prid. Idus Augusti Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo expeditis literis concessa, ad statum in quo erant ante literas piæ memoriæ Pauli Papæ V. pariter prædecessoris Nostri Kal. Martii Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo undecimo super reformatione Tribunalium Urbis editas, & respective juxta easdem in judicibus reducimus.

Liceat tamen Judicibus, ut supra suppressis, & abrogatis, qui vigore privilegiorum, ut præfertur, processerunt, causas coram iisdem hactenus jam instructas, seu alias legitime contestatas, prædictis non obstantibus, per totum mensem Decembris proxime venturi, prout juris fuerit, expedire, ita ut eo tempore elapso, hujusmodi causæ ad Judices ordinarios, & competentes Romanæ Curiæ in statu, & terminis ipso facto devolvantur.

Quod si hujusmodi causis interim expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut restitutio in integrum peti contigerit, appellationes hujusmodi, reclamationes, supplicationes, recursus, & restitutionis in integrum petitiones non amplius ad Tribunalia antiquorum privilegiatorum, sive per Protectores, Archipresbyteros, aliosque ut supra, sed ad Signaturam Justitiæ, & respective ad suos Superiores, & Ordinarios, prout in cæteris causis per Judices ordinarios expeditis servatur, devolvantur, & devolutæ sint, & esse censeantur.

Similiter etiam in casu appellationum, reclamationum, supplicationum, recursuum, ac restitutionis in integrum petitionum a sententiis, & decretis Judicum per eosdem privilegiatos extra Curiam præfatam deputatorum, seu deputandorum, imposterum interponendarum, eædem appellationes, reclamationes, supplicationes recursus, ac restitutionis in integrum petitiones non amplius ad su-

pra

prà nominatos cujuscunque dignitatis etiamsi Cardinalitiæ sint, qui etiam ratione Episcopatuum, Gubernatorum, Abbatiarum, Commendarum, aut ex alio quovis titulo, vel privilegio hujusmodi jurisdictionem tum in committendo, tum in decernendo, vel in judicando usque ad præsens in Urbe per se, vel per alios exercuerunt, sed ad Judices Ordinarios, & competentes ejusdem Romanæ Curiæ devolvantur indifferenter, & pari modo sicuti in cæteris causis per alios Judices de partibus expediris servatur, nulla habita ratione privilegiorum, & antiquorum facultatum.

Habentes autem facultatem eligendi in partibus Judicem secundarum instantiarum, teneantur illum ibidem per unicam, & universalem deputationem ad omnes hujusmodi causas constituere; Et si vel super recusatione, vel super modo procedendi coram d. Judice deputato emergat controversia, ad Signaturam Justitiæ, prout in cæteris causis, & negotiis fieri solet, recurratur. In tertiis vero, seu ulterioribus instantiis eo modo, quo in causis appellationum a Judicibus de partibus ad Romanam Curiam legitime devolutarum procedi solet, observetur.

Quo ad Consulatus Artium, & Universitates etiam Medicorum, & Mercatorum, sublatis omnibus Assessoribus, & abrogata in judicialibus quacunque Consulum, & Universitatum jurisdictione, itaut eorumdem, & earundem jurisdictio ex nunc etiam quod ad causas instructas, & legitime contestatas penitus, & omnino cessare debeat, & cessasse intelligatur, succedant, & procedant competentes Judices Ordinarii juxta eorum ordinarias facultates, nulla ut supra habita ratione privilegiorum, & antiquarum facultatum, inter quos sit locus præventioni, adhibitis, quatenus Judicibus ipsis opus videtur, iisdem Consulibus solummodo tanquam Peritis in rebus, & negotiis eorum artem concedentibus. Excipimus tamen, & sub præsenti nostra Constitutione comprehensos esse nolumus tum Consules Agricolturæ, illorumque Assessorem, tum Notarios Curiæ Burgi, Mercatorum, & Aromatariorum pro eorum Officiis titulo oneroso acquisitis, seu administratis, donec aliter provideatur.

Ad hæc Basilicæ, Collegia, Hospitalia, cæteraque memorata Loca pia, quæ ex concessione Apostolica, vel inveterata consuetudine electionem, & usum proprii Notarii in primis, & ulterioribus instantiis habebant, imposterum in causis, in quibus agitur de vero, ac proprio interesse Ecclesiarum, & Locorum piorum, non teneantur ad aliquam solutionem extractus, seu registri, sed Notarii quorumvis Tribunalium debeant in dictis causis, & in qualibet instantia conficere Instrumentum actorum prout jacent, nihilque ab eis ultra quartam partem ejus mercedis, quæ solvenda esset pro extractu, seu registro, pro dicto Instrumento Actorum sub quovis prætextu etiam excessivitatis scripturæ, petere, vel exigere valeant.

Postremus declaramus, per præsentes nostras literas nullatenus ademptam esse Cardinalibus Archipresbyteris, Titularibus, seu Protectoribus, eorumque Vicariis, aliisque deputatis facultatem, seu Jurisdictionem in iis, quæ servitium Ecclesiæ, seu loci pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam, & morum correctionem duntaxat concernunt; Minusque sub iisdem præsentibus Tribunalia Cameræ Apostolicæ, Legatum Avenionensem, Judicem Fabricæ S. Petri, neque ipsas Congregationes in solito libericulo, seu Elencho Congregationum, ac Tribunalium Urbis descriptas comprehendi.

Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod omnes, vel singuli supradicti, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocati semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ vel interesse habentium consensu, alioque quolibet etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos quamvis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quamvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, & quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, & pariter quatenus opus sit, recol. mem. Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris Nostri de gratiis qualecunque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in dicta Camera intra certum inibi præscriptum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes in ea præsentari, & registrari nullo unquam tempore, vel modo necesse sit, necnon aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Urbis nostræ, dictarumque Ecclesiarum, omniumque, & singulorum supradictorum quibus etiam juramento, vel alia quavis firmitate sub quibuscunque verborum tenoribus, formis, clausulis, decretis, aliisque supradictis in contrarium præmissorum roboratis, seu confirmatis, & innovatis statutis, ac usibus, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, quibus pariter modo forma, & tenore præmissis, ad effectum præsertim, illis aliàs in suo robore permansuris, amplissime, ut præfertur, derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum suppressionis, abolitionis, abrogationis, reductionum, derogationum, voluntatis, mandati, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo quintodecimo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno secundo.

B. Card. Prodatarius.

I. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione decimaquinta, die vero decima octava Septembris Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno Secundo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joanni Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Petrum Cannamelinum ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

M. Aurelius Pellicia Curs. Magister.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Constitutio super sportulis Tribunalis, & Judicum Urbis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta Romani Pontificis providentia nihil relinquit incertum, nihil præterit inordinatum, sed omnia suo Pastorali commissa officio, quoties opus est,

est, certa lege determinat, ac ne quis fines rebus provide, & accurate præscriptos transgrediatur, ordinationes desuper editas innovat, confirmat, declarat, & ampliat, prout rationabiles causæ persuadent, & in Domino conspicit salubriter expedire. Præsertim vero ut lites in hac Alma Urbe, ad quam Christianus Orbis pro justitia jugiter confluit, moderatis, & minoribus, quibus par est, & fieri potest, expensis agantur, casus in quibus ille debentur, ordinate præscribit, ac etiam debitos limites congruæ moderationis concludit. Cum autem inter hujusmodi expensas sportulæ Judicum delegatorum connumerentur, earundem quoque determinationi, & moderationi particulariter prospicit, ac determinationem, & moderationem hujusmodi, rerum & temporum circumstantiis attente pensatis, Apostolicæ confirmationis, declarationis, & ampliationis, seu novæ provisionis munimine corroborat.

Alias siquidem felicis recordationis Pius IV. in suis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, sexto Kal. Januarii super reformatione Causarum Palatii Apostolici Auditorii, alias Rotæ Romanæ, & Paulus V. Romani Pontifices Prædecessores nostri etiam in suis Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo undecimo, Kalen. Martii super Reformatione Tribunalium Urbis præfatæ sub titulo de Auditorio Rotæ respective expeditis literis statuerunt, & decreverunt eodem verborum tenore, qui sequitur. Ut debitus modus sportulis imponatur, non possit Auditores a partibus per se, vel alium quovis modo sportularum nomine aliquid petere, vel exigere, sed nec a sponte dantibus ultra taxam infrascriptam accipere, videlicet in Causis pecuniariis, seu prophanis, aut quæ alias pretio quoquo modo æstimari possint, si æstimatio rei, de qua agetur, non excedat summam mille ducatorum, aureos decem; A mille vero usque ad decem millia, viginti quinque; A decem millibus usque ad viginti millia, quinquaginta; Ab inde supra usque ad quamcunque summam, centum, In beneficialibus vero si redditus annuus, de quo agetur, non excedat summam centum ducatorum, similiter decem; A centum vero usque ad mille, viginti quinque, A mille usque ad tria millia, quinquaginta; Ab inde vero supra, centum aureos pro sportulis cujuscunque sententiæ diffinitivæ duntaxat, ut præfertur, recipere valeant. Si vero causa æstimationem non facile accipiat, sportulæ moderatæ pro rerum, & personarum qualitate juxta taxas prædictas recipi possint. Nec aliquid ultra non solum ipsis Auditoribus, sed nec eorum familiaribus, vel consanguineis, aut aliis quibusvis personis directe, vel indirecte quovis quæsito colore, vel ingenio, exceptis esculentis, & poculentis, quæ triduo consumi possint, ipsarum sententiarum, aut Auditorum intuitu præstari possit. Quas quidem sportulas juxta taxam prædictam apud Notarium causæ post subscriptam sententiam, & Notario traditam, & non antea, deponi, & Auditori consignari, volumus, quodque Notarius depositionem, & consignationem hujusmodi in actis notare, & specificare teneatur.

Similiter idem Pius Prædecessor in aliis suis literis super reformatione Tribunalis Auditoris Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ sub Dat. Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, quarto Nonas Junii infrascriptis verbis, reassumptis in memoratis Pauli prædecessoris literis sub titulo de Auditore Cameræ, & ejus Tribunali, ita sancivit. In Causis ordinariis Auditor prædictus, seu ejus in Civibus Locumtenens non recipiat sportulas, neque Notarius aliquid pro nota sententiæ, sed in causis commissariis, & declaratoriis contumacialibus tantum. Et ibi: In causis quæ ordinarie secundum Auditoris facultates in ejus Tribunali introductæ fuerint, vel introduci potuerint, sive post cœptam causam superveniat commissio, sive ante impetrata sit, sive in prima, sive in ulteriori instantia, nulla in re augeat impensam, sed quoad hoc habeatur semper causa pro ordinaria, itaut etiam ratione sententiæ, neque Notarii, neque Judices quicquam propterea accipiant, ultra id quod accipere potuissent, si commissio non adesset. Permittimus tamen ejus in Civilibus Locumtenenti in causis per commissionem ab initio introductis etiam sui natura ordinariis, ob magnam laborum assiduitatem, & emolumentorum tenuitatem sportulas moderatas juxta præsentem Constitutionem recipere. Declarantes nihilominus in reliquis omnibus causas intelligi ordinarias, nec Notarios quicquam amplius exigere posse, aut debere, quam in aliis ordinariis præmissum est.

Iisdem memoratus Paulus Prædecessor in præfatis ejus literis super reformatione Tribunalium Urbis ad alias infrascriptas determinationes in materia sportularum devenit: sub titulo scilicet de Capitulo, & ejus Officialibus per hæc verba: Capitaneus appellationum pro revocatione, seu determinatione quarumcunque inhibitionum, sportulas nullo pacto accipiat: Sub titulo vero de Judicibus Criminalibus Urbis, ut infra: Judices Criminales Urbis, seu Locumtenentes, & eorum Substituti, quibus certum a Nobis salarium est constitutum, illo contenti, nihil prorsus aut pecuniæ, aut alterius cujuscunque rei etiam minimæ quantitatis a quoquam etiam sponte dante accipiant, neque pro sportulis, seu propinis sententiarum, vel pro decretis, absolutionibus, aut relaxationibus quibuscunque in quibuscunque causis etiam delegatis, & commissariis, neque quovis alio modo, titulo, vel nomine etiam muneris, vel regaliorum, quamvis esculentum, vel poculentum, etiam in casibus alioquin de jure, vel quacunque Constitutione permissis, sub privationis Officii, & inhabilitatis imposterum ad quodlibet judicandi munus, & aliis nostro, & successorum nostrorum arbitrio infligendis pœnis. Camerarius, Thesaurarius, & Præsides Cameræ, item Hospitalium, Confraternitatum, ac aliorum locorum piorum, seu Collegiorum Rectores, & alii quicunque habentes in Urbe jurisdictionem criminalem, & facultatem Judices deputandi, non deputent in criminalibus causis alios Judices, quam aliquem ex ordinariis sibi bene visum, qui nullas debeat recipere sportulas, ut supra sancitum est. Rursus sub titulo de Judicibus in causis civilibus: Mandata de manutenendo in possessorio summarissimo nullus Judicum det, nisi per viam decreti, non autem cedulæ, nec quidquam sportularum, aut propinæ pro eis etiam a sponte dantibus accipiatur. Denique sub titulo de sportulis, seu propinis: Nullus Judicum Ordinariorum Urbis, & Romanæ Curiæ cujuscunque dignitatis etiam speciali nota dignus in causis civilibus ordinariis ratione sportularum, sive propinarum aliquid prorsus accipiat etiam a sponte dare volentibus. In commissariis autem pariter civilibus, ubi de summa scutorum viginti quinque agitur, & intra, nihil prorsus: A viginti quinque usque ad centum inclusive scuta tria: A centum usque ad ducentum scuta sex: Ad ducentum usque ad quamcunque summam scuta decem, & non ultra. Pro quacunque sententia declaratoria ob non paritionem monitorii in contumaciam, non ultra julios septem cum dimidio. Pro declaratoria in vim literarum, aut alias habente vim diffinitivæ, si summa sit certa, accipiant juxta taxam prædictam, si vero incerta, sed agatur ad ipsarum literarum executionem, accipiant justa causæ, & personæ qualitatem, dummodo non ultra quinque aureos. Pro quacunque interlocutoria, sive decreto ante sententiam diffinitivam, nihil omnino. Similiter & pro decreto mandati de manutenendo, item decreto moderationis inhibitionis, & multo magis pro decreto taxationis expensarum nihil omnino recipiatur. Capitaneus autem appellationis Curiæ Capitolii recipiat sportulas juxta taxam ei constitutam ab Urbis Statutis, non tamen in casibus sibi hac Constitutione interdictis. At prædictas sportulas, sive propinas, ut supra taxatas Judicibus non nisi de manibus Notarii causæ, & sententia prius ab ipsis subscripta accipere ullo modo liceat; Debeantque propterea Notarii librum habere, in quo dd. sportulas, seu propinas notent, cum pro Judicibus deponuntur, ubi cum postea lata sententia Judici persolvuntur, ipse Judex manu propria notario deposito subscribat, se illam recepisse, quæ sicut supra Judici data, deinceps inter expensas litis taxandas, ac reficiendas omnino ponatur, & victori reficiatur, usu quocunque contrario non obstante.

Postrem. recol. mem. Innocentius Papa XI. etiam Prædecessor noster in suis super confirmatione Decretorum Congregationis Reformationis Tribunalium Urbis anno præfatæ Incarnationis millesimo sexcentesimo octuagesimo nono, quarto Kalend. Junii expeditis literis inter alia Decretum ejusdem Congregationis sub titulo de sportulis, vel propinis, confirmavit & inviolabiliter servari mandavit, cujus Decreti tenor sequens est: Cum inter cætera quæ disponuntur per Constitutionem sanct. mem. Pauli V. super Reformatione Tribunalium, illud præsertim enixe præcipiatur, ut nullus Judicum Ordinariorum Urbis, & Romanæ Curiæ cujuscunque dignitatis, etiam speciali nota

dignus

dignus in causis civilibus ratione sportularum, seu propinarum aliquid prorsus accipiat etiam a sponte dare volentibus. In commissariis autem pariter civilibus ubi de summa scutorum viginti quinque agitur, & infra, nihil prorsus: a viginti quinque supra usque ad centum inclusive scuta tria: a centum usque ad ducentum scuta sex: a ducentum usque ad quamcumque summam scuta decem & non ultra. Aliquæ vero litigantium querelæ ad aures Sanctissimi pervenerunt adversus ejusdem Constitutionis in hac parte inobservantiam; Idcirco de ejus mandato, re mature, ac pluries examinata, decretum, & declaratum fuit, præfatam Constitutionem prohibentem sportulas Judicibus Ordinariis, in omnibus Judicibus, qui non sint vere Commissarii, observari debere justa universalitatem literæ, ac verborum, quacunque limitatione, vel interpretatione, sive argumento, aut contraria consuetudine sublatis, ac rejectis. Judices vero Ordinarios esse omnes illos, qui uni deputati ad aliquam universitatem, vel aliquod genus causarum, adeout Commissarii sint solum illi, qui per commissionem specialem deputati sunt ad certas, & particulares causas, istosque teneri pariter observare dictam Constitutionem, ut summas propinarum per eam taxatas nullatenus excedere, atque plus exigere valeant. Ut autem omnis dubitandi, vel contraveniendi occasio tollatur, Censuit Congregatio exprimere, ac recensere, quinam sint Judices ordinarii Urbis, & Romanæ Curiæ, iique sunt infrascripti, aliis non exclusis quatenus adsint; eis tamen nullatenus præjudicatum censeatur quoad illas sportulas, vel propinas, quæ expresse, ac literaliter, non autem per argumenta, vel illationes, & interpretationes, aut per subauditos intellectus eis deferuntur, ac tribuuntur per eandem Constitutionem Pauli V. sive per privilegia, & concessiones Apostolicas particulares, non autem per consuetudinem, iique sunt sequentes, cum declaratione, quod per descriptionem non censeatur statutus ordo aliquis, nec alicui præjudicatum. D. Cardinalis Camerarius, ejusque Auditor, & Judices deputati etiam in criminalibus. D. Cardinalis Vicarius, ejusque Vicesgerens, & Locumtenens, aliique Judices ab eo deputati. DD. Cardinales Archipresbyteri trium Basilicarum Patriarchalium, eorumque Vicarii, & Auditores, aliique deputati. DD. Cardinales Titulares in eorum Titulis Urbis, & in sex Episcopatibus Cardinalitiis, eorumque Vicarii, Auditores, & alii deputati. DD. Cardinales Protectores Collegiorum, Monasteriorum, Hospitalium, & Locorum Piorum, eorumque Auditores, & alii Judices, & deputati. D. Gubernator Urbis, ejusque Locumtenentes, ac Judices civiles unus, vel plures &c. D. Auditor Cameræ, ejusque Locumtenentes, & Judices deputati. D. Senator Urbis, ejusque Collaterales, & Capitaneus Appellationum, & alii deputati. D. Thesaurarius Generalis, ejusque Auditor, aliique Judices ab eo deputati etiam in criminalibus. DD. Præsides, & Præfecti respective Viarum, Grasciæ, Zecchæ, Riparum, Annonæ, Archivii, & Carcerum, eorumque Auditores, aliique deputati. D. Præfectus Sacri Palatii Apostolici, ejusque Auditor, & Locumtenentes, ac alii deputati tam quoad Palatinos, quam quoad Tusculum, & Arcem Gandulphi, & Villas. D. Commissarius Armorum, ejusque Auditor, vel alii deputati. D. Judex, vel Auditor Confidentiarum. Judex Fabricæ Sancti Petri, Judex Militum. Judex Castri S. Angeli. Judex Triremium, seu Classis Maritimæ, Assessores Ædilium; seu Magistrorum Viarum, Consulum Agriculturæ, Camerarii Riparum, Protomedici, & Consulum Artium, vel Mercatorum, & Duhanarum. Ea declaratione adjecta, quod hujusmodi dispositio locum habeat, etiam si dicti Judices, seu Deputati procedant in gradu recursus, seu in secundis, vel aliis instantiis, quæ præfatis Tribunalibus competerent. Omnesque præfatos, & alios Judices ordinarios ad normam ejusdem Constitutionis adhuc esse tales, atque in præfata prohibitione comprehensos esse, quamvis, eis commissio superveniat, vel quod eis injungatur, ut procedant de, vel cum Voto Rotæ, sive alterius Tribunalis, vel personæ, aut quod procedere profiteantur pro executione literarum Apostolicarum, sive in vim cujuscunque disputationis generalis, & quoties non sit expressa, & specialis deputatio ad certas, & particulares causas, unde dici valeant veri Commissarii, ut supra, salva tamen quoad Auditorem Cameræ dispositione d. Constitutionis Pauli V. in titulo de Auditore Cameræ, §. *Permittimus tamen*. Atque alias quidquid etiam sponte solutum esset, illicitum censeri debeat; Ideoque tam Judices, quam Notarii recipientes incurrere censeantur pœnas inflictas per Constitutiones Apostolicas, neque ita solutum veniat sub condemnatione, & taxa expensarum, quinimo, ut eisdem quis solverunt, competat repetitio tam a Judice, quam a Notario ad eorum electionem, absque eo quod aliqua consuetudo in contrarium ullo unquam tempore induci valeat, & quam irritam, cassam, & reprobatam esse decretum, & declaratum fuit. Quodque illi Judices tam ordinarii, quam commissarii, quibus per eandem Constitutionem Pauli V. vel per speciale indultum conceditur, posse exigere sportulas, ut supra, non possint in tota causa exigere nisi unicam propinam juxta taxam ut supra, quamvis plures essent personæ in causa, adeout si victoria ambas, vel plures partes tangat, omnes proportionabiliter, & pro rata concurrant ad dictam unicam propinam solvendam, neque divisio sententiarum, vel punctorum, eorumque reservatio in hoc quidquam suffragari valeat, adeout idem Judex in eadem causa unicam tantum propinam percipiat, Hactenus decretum in præfatis Innocentii Prędecessoris literis confirmatum.

Cupientes itaque tot litigantium ad Urbem præfatam confluentium indemnitati etiam in hac parte uberius consulere, ac controversias, & gravamina circa hujusmodi sportulas, quantum Nobis ab Alto conceditur, dirimere, & arcere, necnon totius Curiæ Romanæ decori, & dignitati plenius prospicere, ut illius Judices, Causidici; & litigantes ipsi, ea quæ a Nobis, & a supradictis Prædecessoribus nostris desuper statuta, & declarata fuerunt, in unum redacta commodius, & facilius habere, ponderare, & executioni demandare valeant: Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicę potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum dilectorum filiorum ejusdem Romanæ Curiæ Pręlatorum, & Virorum pietate, doctrina, prudentia, & rerum usu præstantium ad hunc effectum de mandato nostro congregatorum consilio, præfatas Pii, Pauli, & Innocentii prædecessorum literas hujusmodi, in iis, quæ cum infrascriptis nostris declarationibus, seu decretis compatibilia sunt, tenore pręsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, penitus, & sub inibi contentis per contrafacientes incurrendis pœnis, & cum omnibus inibi desuper decretis quorum tenores pręsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum inserti essent, haberi volumus, observari statuimus, atque decernimus.

Non intendimus tamen per relationem, seu enumerationem Judicum, & Tribunalium in pręinsertis dictarum literarum Pauli, & Innocentii prædecessorum particulis, ut præfertur, confirmatis, quoquo modo, seu in aliqua etiam minima parte recedere a suppressione, abolitione, & abrogatione nonnullorum ex iisdem Judicibus, & Tribunalibus, quas in aliis nostris Anno Incarnationis pręfatæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, quintodecimo Kalendas Octobris, expeditis literis statuimus, & ordinavimus, sed easdem suppressionem, abolitionem, & abrogationem cum omnibus inibi contentis salvas, illæsas, & intactas, & illibatas remanere, ac in omnibus, & singulis earum partibus inviolabiliter, & inconcusse attendendas, observandas, & exequendas fore, & esse, omnino volumus, & mandamus.

Præterea ad dirimendas quotidianas controversias, quæ ex litigantium, & præcipue succumbentium importunitate emergere solent super interpretatione præinsertarum Pii, Pauli, & Innocentii prædecessorum literarum in taxandis sportulis, & honorariis Judicum delegatorum, & Tribunalium dictæ Urbis, in ea præsertim parte, in qua determinatur; quod ubi causa æstimationem non facile accipiat, sportulæ moderatæ pro rerum, & personarum qualitate juxta taxas in iisdem literis constitutas, recipi possint, Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, necnon de simili dictorum Prælatorum, & Virorum consilio ad infrascriptas declarationes, seu sanctiones religiose servandas in omnibus causis in posterum expediendis devenire decrevimus.

Et primo in causis quarumcunque servitutum urbanorum, & rusticorum prædictorum, retractuum, seu juris congrui taxatio sportularum fiat ad mensuram ipsius servitutis, seu juris in litem deducti, illiusque æstimatio desumatur tantum ab eo, quod ratione dictæ servitutis, aut juris minui, seu augeri de jure solet de valore rei controversæ.

Secundo in causis adoptionum, arrogationum, legitimatio-

irrationum, fillalionum, & similium sportulæ regulari debeant a valore rei pariter in judicium deductæ, nempe a valore hæreditatis, si petatur hæreditas, a valore alimentorum, si petantur alimenta, & sic de aliis,

Tertio in causis præcedentiarum, aliarumque præeminentiarum, vel jurium inter privatas personas tam Ecclesiasticas, quam Sæculares taxatio sportularum excedere non possit aureos viginti quinque, inter Magnates vero, Collegia, Capitula, Universitates, & similes, aureos quinquaginta, vel centum, inspecta tamen rerum, & personarum qualitate.

Quarto in causis Jurispatronatus, si lis sit inter præsentatos, sportulæ nullum recipiant augmentum, etiam si Patroni sint in causa, adhærendo, seu assistendo eorum præsentatis, Ubi vero patronus, seu patroni institerint apud acta pro canonizatione eorum juris in petitorio, tunc quoties in sententia sequatur petita canonizatio, valor sportularum commensuretur a valore beneficii; Idemque servetur in causis, in quibus agatur de jure instituendi, eligendi, nominandi, seu conferendi unum, aut plura beneficia, vel alio jure simili.

Quinto in causis alimentorum, pensionum Ecclesiasticarum, atque in aliis juribus vitalitiis, æstimatio sportularum fiat juxta mensuram *textus in l. hæreditatum 68. ff. ad l. Falcid.*

Sexto in causis, in quibus agatur de jure decimandi, quotizandi, aut perpetuo exigendi aliquam annuam præstationem, sive in re, sive in pecunia, non excedatur in exigendis Sportulis taxa, seu æstimatio, quæ corresponderet capitali ipsius annuæ præstationis, nulla habita ratione ad annuas præstationes, seu fructus decursos lite pendente.

Septimo ubi pendente judicio coram Judice ordinario supervenerit commissio, ut ille procedat de, seu cum Voto Rotæ, sive alterius Tribunalis, sive Congregationis, tunc idem Judex ordinarius in prolatione sententiæ aliqua sportulas accipere non possit; si vero fuerit Judex delegatus, sportulæ ab ipso accipiendæ non excedant aureos decem.

Octavo eandemque mensuram scutorum decem auri excedere non valeat quilibet Prælatus, aut Judex ordinarius dictæ Romanæ Curiæ in causis vere delegatis, seu commissariis, etiamsi fuerit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro tempore Camerarius, in Urbe, ejusque Districtu Vicarius in Spiritualibus Generalis, præfatæ Urbis Gubernator, Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, d. Urbis Senator, vel dictæ Cameræ Thesaurarius Generalis, sub prætextu, quod agatur de re magni valoris, aut quod ita in eorum Tribunalibus passim, vel pluries servatum fuerit.

Nono hoc idem servetur in causis commissis Congregationi plurium Prælatorum, vel cum, seu de ejusdem, sive eorumdem voto, nam licet causæ sint de majoribus, non possint tamen a singulis accipi majores sportulæ, quam scutorum decem auri.

Decimo si fuerit inter partes concordatum, aut alio modo recessum a lite, etiam ab altera partium, per viam tamen puræ, & liberæ renunciationis in qualibet instantia, & in quacunque parte judicii ante sententiam diffinitivam, non possint litigantes ullo modo compelli ad expediendam sententiam, seu ad solvendas sportulas.

Undecimo, hujusmodi declarationes respective serventur, tam in Rota, quam in Camera, aliisque quibuscunque Tribunalibus, & Judicibus præfatæ Urbis, quibus ex Constitutionibus Apostolicis, aliisque ordinationibus non est prohibitum accipere posse sportulas, seu propinas.

Duodecimo pro declaratione reformationum, seu literarum Pauli, & Innocentii præfatorum utrobique sub titulo de sportulis, seu propinis, volumus, & decernimus, quod nullus Judex ordinarius Urbis præfatæ in causis, & negotiis, in quibus agatur de executione, & verificatione decretorum Nostrarum Congregationum, quidquam prorsus accipere valeat ratione sportularum etiam a sponte dare volentibus, neque in causis, & negotiis prædictis liceat Notariis conficere regesta, sed omnia tam a Judicibus, quam a Notariis expleantur jure ordinario, prout in cæteris causis, & negotiis eorum Tribunalis.

Tertiodecimo postremo ubicunque in hac sportularum materia quæstio aliqua emerserit super interpretatione, declaratione, aut executione præsentium, & præfatarum literarum, ut præfertur confirmatarum, Pii, Pauli, & Innocentii prædecessorum standum esse sancimus judicio, & declarationi dicti Gubernatoris Urbis, & duorum digniorum in ordine succedentium ex Congregatione reformationis tribunalium dictæ Urbis, qui si ita videbitur, possint etiam votum ejusdem totius Congregationis exquirere, omni alio recursu, & appellatione sublatis.

Decernentes easdem præsentes literas, & in eis respective contenta quæcunque, etiam ex eo, quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque, in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni existimant, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, alioque quolibet etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque Juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed easdem literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari; sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & dictum S. R. E. Camerarium, aliosque Cardinales, etiam de latere Legatos, nec non Cameræ præfatæ Præsidentes Clericos, aliosque officiales, & ministros, cæterosque quoslibet quacunque auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, illisque omnibus, quæ præfati Pius, Paulus, & Innocentius prædecessores in memoratis eorum literis respective voluerunt non obstare, ac præmissis circa ea quæ præsentibus adversantur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quibuscunque etiam præfatorum Tribunalium decretis, statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, & indultis, & literis Apostolicis quibuscunque sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter; alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, ac etiam pluries, & quantiscunque vicibus confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatum, statutorum, decretorum, mandatorum, sanctionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario

cun-

contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimosexcentesimo nonagesimo tertio. Pridie Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno tertio.

B. Card. Prodatarius,

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione prima, die vero quinta Decembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris; & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno Tertio, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joanni Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Græcum ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

Thomas Orlandus Curs. Magister.

De Sacra Congregatione, ac de Tribunali universalis inquisitionis, vel Sancti Officii.

S U M M A R I U M.

1 *De antiqua, & continua hæresum vexatione, quam Ecclesia passa est, & de ratione, ob quam Deus id permiserit, ac permittat.*
2 *De introductione hujus Tribunalis, ac nominis Inquisitionis.*
3 *Quis fuerit primus Inquisitor.*
4 *De antiquis officialibus Inquisitionis.*
5 *Episcopi sunt Inquisitores cumulative cum Inquisitoribus localibus.*
6 *De erectione hujus Congregationis.*
7 *Ex quibus dicta Congregatio constet.*
8 *De Commissario Sancti officii, & Assessore, aliisque officialibus.*
9 *De Consultoribus.*
10 & 11 *De prima Congregatione preparatoria, & de secunda Cardinalium, & tertia coram Papa, & quid in eis agatur.*
12 *Ista Congregatio cognoscit quoque de librorum prohibitione.*
13 *De aliis causis indifferentibus quas ista Congregatio cognoscit.*
14 *Quod Advocati non soleant se ingerere in negotiis hujus Congregationis.*
15 *De ejusdem Congregationis stylo.*

D I S C. XIV.

1 Ad ipsosmet Apostolos, ac primos Discipulos instituendos suamque Ecclesiam imposterum, omni tempore informandam, Christus Dominus, antequam ad cœlos ascenderet, id prædixit, quod omni pene ævo, Ecclesia Catholica experta est, ut scilicet oporteret hæreses esse, dum istæ in ipsomet initio, Apostolis, ac primis Discipulis adhuc viventibus, jam irrepserunt; Unde propterea, Petri primi Pontificis, ac Vicarii Christi auctoritate, ex tunc Concilia, pro fidei quæstionibus decidendis, ac hæresi extirpanda, celebrata fuere; Quodque summam quidem admirationem præbet, illud esse dignoscitur, quod apud Ecclesiasticarum historiarum, ac annalium probatos scriptores cernitur, quam frequentes scilicet, ac variæ fuerint hæreses, in illis primis sæculis, in quibus sub gentilium diris persecutionibus, in summa paupertate, ac depressione, sub continuis tormentis, ac patibulis, vivebatur; Id autem idem Dominus misteriose permisit, ad obturandum fœtida ora obloquentium contra Romanam Curiam, Romanosque Pontifices, quod scilicet ejusdem Curiæ vitia, depravatique mores, hæreses foveant, vel eis causam præbuerint, dum tunc, ista somniata radice omnino cessante, illæ majores, magisque frequentes erant, præsertim in Africa, & in Asia, atque in orientalibus partibus nostræ Europæ, in quibus maior hæresum origo, ac sedes fuit, ut Concilia, & Ecclesiasticæ chronicæ docent: Et tamen tunc, Romanus Pontifex in antris, & speluncis, sub persecutionibus, Romæ delitescentes, ejus universalem supremam potestatem habitualem cum aliquibus literis monitoriis, vel decisoriis, aut consolatoriis vix exercebat; Et postquam Deo placuit, post baptismum Constantini, Ecclesiæ tranquillitatem concedere, atque fidem per universum orbem ita dilatare, cum gentilitatis, ac idololatriæ extirpatione; Adhuc tamen in dictis orientalibus partibus, jam exorta hæresis Ariana, sub ipsomet Constantino, atque in successivis proximis temporibus, adeo dilatata fuit, ut nonnullos habeamus Sanctos Patres ingemiscentes, quod totus mundus Arianus effectus esset; Adeout Ecclesia Catholica, majora forte passa sit damna, & præjudicia, ab hæreticis, quam a gentilibus; Ideoque manifestę ignorantię, vel malignitatis, ac nequitiæ effectus est assertio, ut aliquę heręses, modernis temporibus exortæ, seu verius antiquarum sub quadam diversa superficie excitativæ, Romanæ Curiæ moribus, vel aspetitatibus referri debeant, cum iste videatur effectus humanæ fragilitatis; Adinstar illius corruptionis, quam singulis pene sæculis, terra, vel aer, pro regionum diversa qualitate, quasi per circulum, pati solet; Sive ea Dei judiciis, quæ nobis occulta sunt.

Ad hæreses igitur, jam natas extirpandas, sive ad occurrendum, ne aliæ orirentur, curativa, & præservativa reme- 2
dia adhibendo; Romanus Pontifex, Ecclesiæ Catholicæ caput, & Episcopus, tum omni tempore, per se ipsum, ejusque ministros, diligenter invigilare consuevit, varios adhibendo modos, prout temporum, vel contingentiarum ratio exigeret; In iis autem modernioribus temporibus, quorum certiorem memoriam, seu traditionem habemus; Cum in duodecimo sæculo, in nostratum occidentalium partium aliquibus regionibus, ac etiam in ipsamet Italia, quæ est catholicæ Ecclesiæ sedes, præsertim vero in ea istius Provinciæ regione, quæ montibus magis proxima, apud antiquiores, sub diversis Galliarum vocabulis appellabatur, nunc autem Lombardiæ, & Pedemontis nomen sortitur, hæresis lues irrepsisse; Hinc Sedes Apostolica, inter plures ministros, hujusque mali medicos spirituales, quorum cura esset, de dicta hæresi infectos, vel de infectione periclitantes, inquirere, ut jam infirmos curarent, periclitantes autem præservarent, adeo zelantem, ac proficuum operarium adhibuit S. P. Dominicum, Ordinis Prædicatorum fundatorem, cui primo Inquisitoris nomen, seu titulum attributum esse, scriptum habemus, dum antiquiori tempore, alii idem munus exercentes, diversam forte nuncupationem 3
habebant; Atque ita, post dictum Sanctum, aliis ejus alumnis, dictique sui Ordinis professoribus idem munus committere Sedes Apostolica consuevit, inter quos, immediatus, vel mediatus successor fuit Petrus Veronensis, qui ab hæreticis pro fide catholica occisus, Sanctorum Martyrum catalogo meritò per Ecclesiam adscriptus fuit; Atque ita isto Inquisitionis, seu Inquisitoris nomine ubique dilatato, in Curia, Inquisitionis Tribunal per ipsummet Pontificem, cum iis ministris, & adjutoribus, quos juxta opportunitates assumere in tempora videbatur, regebatur; Et præsertim cum opera, & consilio aliquorum ejusdem Or- 4
dinis alumnorum, & quorum unum sub nomine Magistri Sacri Palatii tanquam consiliarium & assessorem habere consuevit, ut superius advertitur. *a* Ac etiam alium sub nomine Commissarii hujus inquisitionis; Deindeque unum ex Cardinalibus, pro ejus majori adjutorio desuper præfecit, cui propterea, Præfecti Inquisitionis nomen, seu vocabulum tribuebatur; Singularum vero diœcesum, vel provinciarum inquisitionis ministris inferioribus, ac subordina- 5
tis idem Inquisitoris nomen dari cœpit, qui cumulative cum Episcopis (qui semper fuerunt, ac sunt suarum diœcesum nativi Inquisitores, & Catholicæ fidei defensores, & conservatores) idem munus exercerent.

Cum autem circa initia decimiquinti sæculi, Lutherana 6
hæresis, antiquioris Hussitanæ, (aliqua mutata superficie) innovativa, in Germania exorta, & dilatata, aliquas Italiæ partes, quoque inficere cœpisset; Hinc Pontifex Paulus III. istam Sacram universalis Inquisitionis Congregationem erexit, pro dicti Tribunalis S. Officii, vel inquisitionis regimine, ac meliori, magisque auctoritativa directione. *b* Aliique successores Pontifices eam approbarunt, ac facultates respective auxerunt.

Constat itaque ista Congregatio ex aliquo considerabili numero Cardinalium, quos in literis, ac experientia, fideique zelo, magis aptos, Papa judicet, in majori, vel minori numero, pro ejusdem Papæ placito; Hisque adjuncti sunt

sunt plures Prælati, ac Religiosi, ac etiam quandoque Clerici sæculares, qui Canonum, & Conciliorum, ac Sacræ Theologiæ peritissimi, Consultores appellantur, ultra ordinarios officiales, qui hoc Tribunal regunt, & administrant, in actuali jurisdictionis exercitio, ac processuum
7 formatione, reorumque examine, urbano, vel rigoroso, quorum unus qui judicis ordinarii partes gerit, est ille, qui Commissarius Sancti Officii dicitur, ejusdem Ordinis S. Dominici professor, ex dicta Provincia Lombardiæ; Is-
8 que in Consiliarium, seu Assessorem habet unum dogmatum, & Canonum professorem Prælatum, vel Clericum sæcularem, qui Assessor dicitur, aliosque inferiores officiales & ministros, ut sunt Fiscalis, Notarius socius, & alii; Atque inter præfatos Consultores regulares, qui ex diversis religionibus assumi solent pro Papæ libito, fixum
9 locum occupant alii duo ejusdem Ordinis professores, nempe Magister generalis ejusdem Ordinis, & Magister S. Palatii; Ac etiam alter professor ordinis Minorum Conventualium, cui tanquam fixo invariabili, congruit singulariter nuncupatio Consultoris S. Officii, habens, hoc munus magis peculiariter, illudque præ cæteris Consultoribus exercet.

10 Ut autem tantæ importantiæ negotia, cum ea qua decet maturitate, coram ipso Summo Pontifice, in cujuslibet hebdomadæ statuta die examinentur, ac decidantur, duæ præparatoriæ Congregationes præcedere solent; Siquidem in qualibet feria secunda, in ejusdem Tribunalis loco, seu palatio (quod sancti Officii dicitur) prope Basilicam Vaticanam, in quo continuam habent residentiam præfati Commissarius, Assessor, Fiscalis, Notarius, & alii inferiores ministri; Ac etiam Divinæ majestatis rei carcerati detinentur; Congregantur omnes præfati Consultores, Prælati, & Religiosi, coram quibus processus leguntur, ac etiam Episcoporum, ac localium Inquisitorum literæ, vel relationes, aliaque examinantur negotia pro majori instructione Assessoris, qui ea relaturus est in alia Congregatione, in qua interveniunt Cardinales; Ista vero sequitur qualibet die Mercurii de mane in Conventu ejusdem ordinis S. Dominici prope Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam, in aulis ad id destinatis, immutata quandoque die, vel hora, ob festorum impedimenta, vel alia accidentia, ita tamen, ut Congregatio nunquam intermittatur.

11 Congregatis itaque Cardinalibus, solus Assessor, stando tanquam minister, negotia currentia refert, processus etiam ac literas, vel relationes, de verbo ad verbum legendo; Et postquam inter ipsos Cardinales, eis bene visa discussio secuta sit, in ea admittuntur dicti Consultores, qui interim assistunt, ac expectant, in aula exteriori, eorumque consilium, seu votum exquiritur, atque ita determinantur negotia, quæ jam mature examinata, & discussa, Sanctissimo proponi debere videantur; Itaque Congregatione expleta, in die Jovis immediate sequenti, pariter de mane (quoties accidentalia impedimenta horæ mutationem non exigant) alia habetur eorundem Cardinalium Congregatio coram ipso Papa, cui compendiose, ut decet, referuntur ea quæ in externæ diei Cardinalitia Congregatione discussa fuerunt, ipsius etiam Congregationis votum referendo, ut ipsius Papæ oracula recipiantur; Atque in ista etiam Congregatione, post hujusmodi relationem, quandoque pro negotiorum qualitate, admitti solent præfati Consultores, qui pariter interim in proxima exteriori aula assistunt; Atque ex his resolutionibus prodeunt commissiones, quæ localibus Inquisitoribus, vel respective Episcopis dantur, super his negotiis Fidei.

12 Ista Congregatio, ac respective hujus Tribunalis Commissarius, cumulativam facultatem quoque habet, cum Magistro S. Palatii, & cum Congregatione Indicis, super lectura librorum prohibitorum; Eademque Congregatio, ac respective Tribunal, ejusque Ordinarii Judices, & officiales ut supra, ultra causas Fidei, quarum cognitio suprema ad hoc tribunal ubique pertinet, cognitionem quoque habent omnium aliarum causarum indifferentium, civilium, criminalium, & mixtarum, tam spiritualium, quam prophanarum, omnium officialium, & ministrorum localium sancti officii, necnon conductorum, vel administrantium bona, & jura, quæ pro hujus tribunalis peculio assignata fuerunt, ut ex fructibus, ejus fixi officiales, & ministri, ac etiam carcerati, sustentari possint, aliæque
13 parari expensæ necessariæ; Ac etiam super solutione illarum Ecclesiasticarum pensionum, quæ pro sustentatione Inquisitorum localium super aliquibus Cathedralibus, vel Metropolitanis Ecclesiæ per Apostolicam Sedem reservatæ fuerunt, ut in plerisque materiis advertitur super quæstionibus, quas forensi amore in eadem Congregatione disputare mihi occasio dedit. d

De hujus autem Congregationis, vel respective Tribu- 14
nalis stylis in causarum cognitione, ac processuum efformatione ipsorumque reorum læsæ Divinæ majestatis punitione & abjuratione, vel rigorose examinare, meum non est agere, dum pro Curiæ stylo in Advocatorum, aliorumque Curialium rubrica insinuato, nunquam hæc negotia tractaverim.

Illud autem certum ac indubitatum est (quidquid igna- 15
rum vulgus indebite, & absque fundamento opinetur,) quod stylus est nimium placidus, ac benignus, omnique majori claritate, & circumspectione plenus, adeout nonnisi magna urgente necessitate, & quando compertum sit, quod exactissime occultæ diligentiæ non proficiunt, hujusmodi negotia publice pandantur.

a *supra, disc. 8.* b *Const. 34. Pauli III.*
c *Const. 74. Sixti V. Congregatione prima, ubi aliæ constitutiones recensentur.* d *de his habetur tit. de servitut. disc. 24. tit. de locat. disc. 1. tit. de pension. disc. 34.*

S U M M A R I U M.

1 *Congregatio reformationis Tribunalium Urbis, ex quibus personis constituatur.*
2 *Super Congregatione universalis Inquisitionis, an se ingerat Auditor Papæ, & Signatura? cum seqq.*
3 *Familiares, & Ministri S. Officii, an gaudeant exemptione Fori, etiam in causis privatis, & indifferentibus?*
4 *Et ad quem spectet decisio quæstionis super competentia, vel incompetentia Tribunalis in causis indifferentibus.*
5 *Et quid in causis fidei.*

ANNOT. AD DISC. XIV. cum plur. seq.

Ex isto discursu incipiunt Congregationes Cardinalitiæ, 1
& aliæ, ut ex sequentibus discursibus patet, omissum vero fuit agere de Congregatione reformationis Tribunalium Urbis, eo quia raro, vel nunquam nunc tenebatur, adeout in oblivionem quodammodo transiisset; Nunc autem de mandato Pontificis Innoc. XI. me super ejus executione invigilante tenetur semel in mense, pluresque hucusque ab ea prodierunt bonæ resolutiones recensitæ *in annot. ad tit. de judic.* ubi videndum est, atque speratur, quod in dies capientur meliores, ut quo magis fieri potest, & quantum humanæ conditioni conceditur, tollantur abusus, atque justitia bene administretur.

Ista Congregatio reformationis Tribunalium constat ex plerisque Prælatis, & Togatis, per quorum personas constitui, seu repræsentari dicitur tota Curia Forensis (dum Sac. Congregationes Cardinalitiæ, sub hoc genere venire non videntur;) Nempe ex Gubernatore Urbis, qui dicitur ejus caput, tanquam V. Camerarius, & in cujus domo tenetur, ex Auditore Cameræ, uno ex Auditoribus Rotæ, ex Clericis Cameræ ille, qui est Præses Carcerum, ex Auditore Camerarii, ex Auditore Papæ, ex Locumtenente civili Cardinalis Vicarii, Advocato pauperum, & Commissario Cameræ, ex Subdatario, ex uno Collateralium Fori Capitolini, ac etiam interveniunt Prælatus S. Hieronymi charitatis ratione carceratorum, & Decanus Collegii Procuratorum; De plerisque vero hujus Congregationis provisionibus agitur *in annot. ad dictum tit. de Judiciis*, ac etiam in istis annotationibus Relationis Curiæ, in quibus videri potest.

Quatenus vero pertinet ad Congregationem universalis
Inquisitionis, de qua in hoc discursu agitur; Cum conti- 2
gisset casus competentiæ Fori, de quo *in annot. ad disc. 3. de Judic.* Quamvis ex quodam motivo reverentiæ, ac obsequii erga adeo magnum, & qualificatum Tribunal, remiserim eidem Congregationi, ut declararet, an prætensa declaratoria subsisteret, necne; Attamen dicebam, quod de stricto jure non videbatur fundata prætensio aliquorum officialium ejusdem Tribunalis, quod Auditor Papæ, vel Signatura non possit in hoc se ingerere, quoties agatur de causis mere prophanis, ac indifferentibus, adeout nulla quæstio fidei cadat, atque desuper brevem edidi discursum eidem Congregationi communicatum ad exquirendam veritatem, cujus tenor est, ut sequitur.

In causa declinationis Fori Auditoris Cameræ factæ per quendam Cursorem S. Officii; Quæstio non est super justitia,

tia, vel injustitia istius declaratoriæ, quoniam ex rationibus alias insinuatis, absolutum videtur illam non intrare, adeout, sive ad unum, sive ad alterum pertineat declaratio, illa semper negative facienda sit.

Minusque agitur de quæstione, de qua proprie agunt Carleval. *de Judic. tom. 1. ex n. 508. usque ad n. 524.* Narbona *ad leges Regias*, a quo totum desumunt Carleval. & Fermosin. *p. 2. alleg. 1. 13. & 16.* Del bene *de immun. tom. 1. c. 4. dub. 14.* & alii apud eos, an scilicet familiares, & Ministri Sancti Officii gaudeant tam in criminalibus, quam in civilibus exemptione Fori, etiam in causis privatis, & indifferentibus, quæ non pertineant ad negotia Tribunalis, quoniam neque id ponitur in quæstione, sed potius præsupponitur exemptio omni meliori, ac pleniori jure.

Quin imo in hoc puncto non videtur quantum bonum consilium sit, ut ex parte Sancti Officii constituatur fundamentum in Narbona, & in Carleval. & Fermosin. aliisque Hispanis, quoniam isti totum fundamentum constituunt in privilegio Regio, quod in plerisque causis est restrictum, unde potius procedendum videtur cum auctoritatibus Italorum, de quibus apud Del bene *ubi supra*, procedentium cum terminis familiarium, & officialium Episcopi, quando præsertim assistit observantia.

4 Sed punctus, de quo agitur est, quando ista quæstio competentiæ, vel declinationis Fori oriatur, ad quem pertineat ejus decisio; Atque in hoc pariter malum consilium videtur, ex parte Sancti Officii deducere præfatos auctores Hispanos, quoniam ut patet ex Carleval, *ubi supra nu. 524.* illa praxis est, quod tam ex parte Tribunalis Sancti Officii, quam Tribunalis sæcularis, cum quo est contentio, transmittuntur informationes ad Curiam Regiam ubi deputatur Congregatio constituta, partim ex Officialibus, & Ministris Inquisitionis, & partim ex Consiliariis Regis, & quando non sunt concordes, decisio remittitur ad ipsummet Regem, ad quem patet directas esse allegationes Formosini; Ideoque istæ auctoritates potius sunt præjudiciales Tribunali, utpote admittentes competentiam Principis sæcularis in hoc decidendo.

Agendo itaque punctum cum terminis generalibus, atque præsupponendo, quod nulla adsit mixtura fidei, sed quod agatur de causis mere privatis indifferentibus; Quando contentio est inter forum laicum, & Ecclesiasticum, atque in loco alter adest Judex, vel Tribunal, cui tanquam tertio incumbat hujusmodi quæstiones decidere, & tunc cognitio pertinet ad Forum Ecclesiasticum tanquam digniorem, cujus judicio minus dignus subjacere debet; ut passim habemus in materia cognitionis Clericatuum, ex deductis *in Theatr. disc. 65. de jurisd.* & alibi pluries, vel si sit inter duos Foros æque Ecclesiasticos puta Inquisitorem, & Ordinarium loci, tunc admitti potest, quod ad istam Sac. Congregationem pertineat declaratio, eo quia non adest alter Judex, vel superior, qui declaret.

Sed si Papa, qui est utriusque Fori, vel Tribunalis Superior, & Princeps deputat aliud Tribunal, vel alium officialem, cui particulariter commissæ sint istæ partes decidendi quæstiones super competentia Fori, & an causa ad unum, vel alterum Judicem, vel Forum pertinere debeat, ut in Curia sunt utraque Signatura Gratiæ, & Justitiæ, ac respective Auditoria Papæ, & Cardinalis Præfecti; Tunc nulla lex, nullave auctoritas, vel ratio suadere videtur, cur ista declaratio pertinere debeat ad unam partium contendentium, cum potius adversentur lex, & ratio, ut unus contendentium debeat esse Judex in causa propria; Atque super hoc cuperem audire aliquam adæquatam responsionem, dum in Hispania inquisitio in hac parte subjaceat judicio Principis sæcularis, quod scilicet Signatura Gratiæ, vel Auditorium Papæ, aut etiam Signatura Justitiæ in hoc non habeat jurisdictionem, dum nulla lex, nullaque ratio id suadet.

5 Et quamvis ista Congregatio videatur habere aliquam majorem potestatem, tam ratione materiæ, de qua tractat, quam etiam, quia ipsemet Papa personaliter in ea qualibet hebdomada præsidet, atque nimium urgeat consideratio, quod incongruum est, ut causæ pertinentes ad sanctam Inquisitionem audiantur in aliis Foris, & Tribunalibus; Attamen omnes istæ considerationes percutiunt casum, in quo agatur de causis fidei, sive ad illam quomodolibet, pertinentibus, sed in istis mere profanis, in quibus eadem Congregatio est per accidens Judex competens, & quod magis est, quod non cognoscunt per ipsam, sed per judicem ab ea deputatum, illæ nullatenus intrare videntur; Dicebam tamen hæc in sola forma discursiva ad ostendendum, quod non essent adeo fundatæ conquæstiones, quodque non esset ponere os in cœlum desuper manus apponere, protestabat tamen integrum relinquere locum veritati.

De Sacra Congregatione Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum.

S U M M A R I U M.

1 *De primæva erectione hujus Sac. Congregationis per Pium IV.*
2 *De ampliatione per Sixtum V.*
3 *Quod aliqui male loquantur, quod Congregatio se extendat ultra interpretationem.*
4 *De qua causa, seu ratione dubiorum, quæ oriantur super intelligentia decretorum Concilii Tridentini.*
5 *In qua proprie, ac principaliter versetur munus hujus Congregationis.*
6 *Quod facultas interpretandi sit singularis, & privativa, non autem exequendi.*
7 *De aliis, quibus ista Congregatio agit, & præsertim super residentia.*
9 *De reductione missarum, vel susceptione novi oneris.*
9 *De restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii pro reclamatione adversus professionem.*
10 *Super dispositionibus ab irregularitate, & aliis impedimentis.*
11 *De materia matrimoniali.*
12 *Non cognoscit causas particulares contentiosas.*
12 *Quam cognitionem habeat in causis beneficialibus unionum, & concursuum.*
14 *De visitatione liminum facienda per Episcopos, & de quæstionibus jurisdictionalibus.*
15 *Omnes expeditiones dantur gratis omnino.*
16 *Ex quibus constituatur, & de mercede Præfecti, & Secretarii.*
17 *De stylo, & an executionem præbeat suis resolutionibus.*

D I S C. XV.

POstquam sub Pio IV. per ejus Constitutionem, Sacrum Concilium Tridentinum, absolutum, atque confirmatum, & publicatum fuit; Idem Pontifex, ad aliquos menses, pro ejusdem Concilii executione, & observantia, nulla interpretationis facta mentione, Congregationem deputavit aliquorum Cardinalium, illorum præsertim, qui in ipso Concilio intervenerant, ejusque mentis, occasione discussionum habitarum in sessionibus, bene conscii erant; Unde propterea circa ea initia, quamvis Congregatio ut supra, super executione, & observantia tantum, non autem super interpretatione, deputata esset; Adhuc tamen aliqua oriente dubietate, istæ partes, interpretandi quandoque (licet rarius) assumebantur. *a* 1

Cum autem Sixtus V. ut celerius, quamplura utriusque, pontificii, ac profani principatus negotia, expedirentur, litiumque diuturni, & frequenter scandalosi anfractus tollerentur, per ejus Constitutionem, *b* quamplures Cardinalium Congregationes erexerit; Inter illas, istam, ac alteram Inquisitionis, vel Sancti Officii jam erectas, quoque descripsit, eas confirmando, atque aliquas etiam majores facultates eis tribuendo, huic præsertim illa interpretandi idem Concilium in iis, quæ concernunt reformationem, aliaque indifferentia, non autem fidei catholicæ dogmata, cum in his, interpretationem sibi, ejusque successoribus reservaverit; Unde propterea, ista S. Congregatio sortita est nomen, seu vocabulum Congregationis Cardinalium S. Concilii Interpretum. 2

Hinc censores, non bene callentes utramque facultatem, tam facilis super interpretatione, quam etiam antiquiorem, super executione, ac observantia, solam rerum, seu vocabulorum superficiem attendentes (juxta frequentiorem consuetudinem hujusmodi generis hominum, qui nihil bene sciendo, cum aliqua superficiali tinctura, omnium mundi rerum, seu negotiorum Judices, aliorumque magistros, ac censores faciunt,) scandalum concipiunt, quod ista Congregatio casus particulares, in forma contentiosa disputandos, ac decidendos assumat, quasi quod ejus partes essent solum præstandi oracula in abstracto super alicujus decreti conciliaris interpretatione, quando plurium intellectuum capax esset; Quod (ut alibi advertitur,) *c* quandoque sequi solet ex ea potissimum 3

causa,

causa, quod decreta extensa non fuerunt a perito jurista forensi, qui haberet loquendi formulas juridicas, & magis significativas ab æquivocis magis alienas, sed a doctissimo quidem ac primario humanarum literarum professore, qui elegantiæ sermonis, vel grammaticorum regulis obsequi voluit; Dum (ut præmissum est,) antiquior ac originaria, ideoque magis propria est altera pars demandandi executionem, & observantiam.

5 Bene verum, quod juxta frequentiorem stylum, ejus principale institutum versatur in hac parte interpretandi, atque præstandi oracula in abstracto, super dubiis, quæ proponantur.

6 Ultra istas partes interpretandi, aliaque decernendi, quæ dicti Concilii observantiam concernunt; Et super qua parte interpretativa, aliæ Congregationes se non intromittunt, unde propterea ista facultas est privativa, altera vero executionis, vel observantiæ, est cumulativa cum aliis, & præsertim cum proxime sequenti Congregatione Episcoporum, & Regularium.

7 De plerisque peculiariter agit, quæ ab eodem Concilio etiam dependentiam habent; Puta, super Episcoporum, aliorumque beneficiatorum residentia, tam circa licentias super absentia, ex aliqua justa causa, cum moderationibus tamen contentis in Apostolicis Constitutionibus, illa præsertim Urbani VIII. super residentia Episcoporum, in quantum moderationum casu, eadem Congregatio per organum ejus Præfecti, vel Secretarii, Pontificium oraculum exigere solet; Quam etiam super declarationibus, an & quando absentia sit licita, vel saltim excusabilis, tam ad effectum fructuum, quam respective distributionum quotidianarum, ac pro evitandis pœnis contra non residentes, a sacris Canonibus, & ab eodem Concilio inflictis; Unde propterea illi, qui ex causa studiorum, vel ex alia justa causa, a residentia se excusabiles reddere volunt, ab ista Congregatione petant licentiam, quæ ad tempus, cum nimia moderatione pro negotiorum qualitate, concedi solet, quandoque indulgendo etiam distributiones, pro frequentiori tamen stylo reservando tertiam partem favore interessentium. *d*

8 Item cum locorum Ordinariis, post Concilii editionem, per Apostolica decreta prohibita sit Missarum reductio ex causa decrescentiæ fructuum, ac redditTuum, pro earum celebratione destinatorum, ac etiam per ejusdem Congregationis decreta generalia, quæ de *celebratione Missarum* dicuntur, ob Apostolicam confirmationem in Bullario quoque inserta, e certa forma præscripta sit, super nova susceptione hujusmodi onerum in perpetuum, & præsertim super investimento pecuniarum in bona stabilia fructifera, prohibito investimento in censibus consignativis; Idcirco, tam facultatem reducendi onera antiqua, quam aliam facultatem suscipiendi onera nova, præter dictorum decretorum formam, ista Congregatio concedit pro qualitate causarum, seu pro moribus regionum.

9 Item, licet ab eodem Sixto particularis Congregatio super negotiis Regularium erecta fuerit, de qua in proxime sequenti discursu; Attamen, quando regulares professi utriusque sexus, juxta formam a Concilio præscriptam, adversus professionem reclamare velint post quinquennium, unde propterea necessaria sit specialis commissio Papæ, super restitutione in integrum adversus quinquennii lapsum, ista commissio concedi non solet Ordinario, & superiori locali, nisi prævia consultatione hujus S. Congregationis, cui desuper porrectæ supplicationes diriguntur consulendæ; Licet quandoque, sed nimium raro, praxis docuerit quod alteri Congregationi Regularium directæ sint, ideoque in ea disputatur de causis restitutione in integrum dignis, necne.

10 Idem sequitur in illis supplicationibus, quæ Papæ porriguntur pro dispensatione ab aliqua irregularitate publica, & præsertim ex causa homicidii voluntarii, quod scilicet supplicationes diriguntur hujus Congregationis consultationi; Quod etiam aliquando fit super illis dispensationibus matrimonialibus, quæ per Datariam concedi non solent, & super aliis arduis ac dubiis gratiis, vel negotiis practicatur.

11 De materia matrimoniali quoque in ista Congregatione frequenter agi solet, utpote dependente a plerisque decretis Conciliaribus, tam circa formam contrahendi, quam circa impedimenta resultantia a vinculo consanguinitatis, vel affinitatis, aut ab altero publicæ honestatis, sive a raptu, cum similibus; Decidendo etiam casus particulares contentiosos; Vel ex mutuo Partium consensu, ubi præsertim quæstio restringatur ad solum punctum juris; Vel ad interpretationem decretorum Concilii; Vel quod Partium inopia ita exigat, ut litem in judicialibus Tribunalibus, per tramites juris, cum tela judiciaria, sustinere non valeant; Vel quod ita Papa ex aliqua justa causa mandet, præsertim pro evitandis scandalis, quæ in hujusmodi controversiis oriri solent, quando cum judicii tela, seu formalitate agantur. *g*

12 Extra enim istos casus, tam in ista materia matrimoniali, quam in quibuscunque aliis, ad ejusdem Sixtinæ Constitutionis præscriptum generaliter Sacræ Congregationes, una Partium reluctante non agunt causas contentiosas, quæ processum formalem, cum probationibus hinc inde faciendis exigant, ideoque ad judices ordinarios, istæ causæ ab eisdem Congregationibus remitti solent; Quod tamen quandoque non practicatur pro Congregationum arbitrio.

13 Prout in materia beneficiali, non se ingerit in cognitione causarum particularium inter contendentes de pertinentia beneficii; Bene tamen in ea frequenter agi solet de validitate unionum, quæ ex forma decretorum conciliarium fiant præbendis canonicalibus, vel Ecclesiis parochialibus, aut seminario; Et quandoque Ordinarii, antequam eas faciant, cautius agendo ab eadem Congregatione oraculum petunt, ut ita firmior actus existat, quamvis neque ista causa sufficiens aliquando esse soleat; *h* Ac etiam super validitate concursus in parochialibus; *i* Et generaliter ita in quibuscunque aliis, quæ a Concilii decretorum interpretatione, vel observantia pendeant.

14 Eidem Congregationi quoque incumbit materia visitationis liminum, quam Episcopi ad præscriptum Constitutionis Sixti V. facere tenentur, istaque occasione referre statum Ecclesiæ, unde propterea, occasione responsionis, quam desuper reportant, monita eis dantur, super quibus providere debeant; Idque præbere solet occasionem decidendi quæstiones jurisdictionales cum Prælatis inferioribus super jurisdictione activa, vel cum exemptis super visitatione ac jurisdictione passiva in concernentibus curam animarum, & alia hujusmodi. *l*

15 Generaliter autem, tam in ista, quam in quibuscunque aliis Cardinalitiis Congregationibus, nulla pecuniarum, vel solutionis emolumentorum mixtura dignoscitur, sed omnes expeditiones dantur gratis omnino, adeout neque aliquid petere, vel recipere liceat per inferiores ministros, & operarios, sub prætextu nudi laboris, vel operis personalis in scriptura; Solumque Partium correspondentibus, qui negotiorum curam habent, aliqua moderata merces, seu recognitio laboris debita est pro negotiorum qualitate, ac pro expensis copistarum, sive pro honorariis Advocatorum, & Procuratorum, quando eorum operam adhibere qualitas negotii exigat.

16 In ista Congregatione nulla adest mixtura Prælatorum, uno excepto, qui Secretarii munus gerat, atque unus Cardinalis ejus habet Præfecturam pro subscriptione literarum, & decretorum, ipsiusque Congregationis cura, & directione; Atque huic Præfecto Sedes Apostolica pro recognitione laboris solvit menstrua scuta centum auri, ex quibus ipse suppeditat aliquam ratam Secretario, pro mercede scribarum, & operariorum inferiorum, ac pro expensis chartæ, atramenti, ut omnia gratis dentur; Istaque Congregatio qualibet hebdomada vel bis in mense pro negotiorum numero, vel qualitate in die Sabbati hodie in Apostolico Palatio habetur, prius vero habebatur in domo Cardinalis antiquioris.

17 Quando super dubio quod proponitur, alias prodierint resolutiones, cum istis procedi solet, atque aliquando absque aliqua discussione rescribi, quod dentur resolutiones alias factæ; Id autem non semper bene procedit, cum solum servandum sit in decretis, vel declarationibus generalibus, & in abstracto, quasi per viam legis, non autem in resolutionibus casuum particularium, cum diversæ singulorum casuum circumstantiæ diversam exigere valeant resolutionem, ut alibi advertitur. *m*

Ejus autem resolutionibus, vel decretis, ipsa Congregatio executionem non præstat, neque in judicibus se ingerit, sed ad Judices ordinarios, ac Tribunalia contentiosa Ecclesiastica, & competentia id pertinet. *n*

a *habetur in anno. ad Conc. Trid. l. 14. disc. 1.* b *Const. 74.*
c *d. disc. 1. in annot. ad Conc.* d *ista licentia insinuatur sub tit. de ben. plur. & sub tit. de Canon. disc. 13. & alibi.*
e *Const. 43. Urbani VIII.* f *tit. de regular. disc. 41.*
g *sub tit. de matr. disc. 1. & 3.* h *sub tit. de benef. disc. 46. & in aliis.* i *tit. de paroch. disc. 1. & in aliis.*

l de

b de his, tit. de jurisd. disc. 4. & seqq. & Miscell. Eccl. & in annot. ad Conc. Trid. in disc. 1. in annot. ad Conc. Trid. lib. 14. n. d. disc. 1. ex const. 74. Sixti V.

De Sacra Congregatione super negotiis Episcoporum, & Regularium.

S U M M A R I U M.

1 *De istius Congregationis erectione.*
2 *Quod decretis non deferatur nisi in forma authentica.*
3 *De quibus negotiis in ea tractetur.*
4 *Qua die teneatur.*
5 *De stylo deputandi Ponentem.*
6 *Non admittitur recusatio ex Capite suspicionis, & quid ubi Cardinalis habeat interesse.*
7 *Quomodo cognoscat causas.*
8 *De stylo, seu modo recipiendi informationes, & decidendi.*
9 *De modo exequendi resolutiones.*
10 *Quomodo procedatur contra Episcopos.*
11 *De eodem, & deputatione Vicarii Apostolici.*
12 *De deputatione Vicarii, sede vacante.*
13 *De potestate Capituli sede vacante.*
14 *De aliis ad materiam negotiorum, agitur in hac Congregatione.*
15 *De negotiis concernentibus monasteria monialium.*
16 *Quod hac negotia dirigantur Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, etiam in Monasteriis exemptis.*
17 *Quomodo cognoscantur causa Regularium.*
18 *De eodem, & quod causa Regularium tractanda sunt summarie, in forma extrajudiciali.*
19 *De stylo capiendi informationes in negotiis, & recursibus Regularium.*
20 *Ad istam Congregationem privative pertinent nova erectiones, vel suppressiones Monasteriorum, & Conventuum.*
21 *De Congregatione reformationis Regularium.*
22 *Concedit ista Congregatio beneplacitum super alienationibus.*
23 *De aliis negotiis hujus Congregationis.*
24 *De eodem, & quod cognoscat de negotiis pertinentibus ad alias Congregationes.*
25 *Adhibet regulas prudentiales, neque semper legalibus agnoscit subjectam.*
26 *Omnes expeditiones dantur gratis.*

D I S C. XVI.

1 ISta Congregatio per Sixtum V. cum plerisque aliis, per particularem Constitutionem erecta est. *a* Illaque solum cardinalitia est, aliorum mixturam non habens, nisi unius Prælati, qui Secretarii munus gerat, a quo literæ & decreta scribuntur, vel subscribuntur, cum subscriptione, & sigillo unius ex Cardinalibus, qui Præfectus dicitur, & sine quibus copulative subscriptionibus, ac sigillo, expeditiones authenticæ non dicuntur; quamvis agatur de decretis, vel resolutionibus, quæ aliarum causarum occasione jam factæ sint, & quæ coram inferioribus Judicibus ad probationem, sive auctoritatem pro alicujus similis casus determinatione allegentur, quoniam sive agatur de
2 resolutionibus istius Congregationis, quam illius Concilii, & aliarum, speciali decreto cautum est, ut non nisi ista forma munitæ, authenticæ dicantur; Et per consequens earum Curiam deferendum non est attestationibus hujusmodi resolutionum, vel declarationum, quas aliqui, commendabiles quidem in sua sphæra, pro publica commoditate, faciunt elaborati ac diligentes Collectores; In Curia vero ista solemnitas, vel forma desiderari non solet; cum de facili defensores alterius Partis, contra quam resolutiones allegentur, de illarum veritate certificari valeant; ea registris, quæ diligenter conservantur in Apostolico Archivio, ut alibi etiam insinuatur. *b*

3 Duo diversa negotiorum genera peragit ista Congregatio, quæ propterea, quoad negotia curialia fori Ecclesiastici, quæ non concernunt fidem, sed ad Christianæ Reipublicæ regimen spirituale pertineant, videtur omnium major, ideoque majorem habere solet numerum Cardinalium, ob majorem negotiorum multiplicitatem.

4 Ea, quoties festorum impedimenta alias non suadeant, sine intermissione tenetur in feria sexta cujuslibet hebdomadæ in Palatio Apostolico; De mense vero Martii, ex eo quod feria sexta est dies festivus, vel magnæ devotionis, ob commemorationem passionis Domini Nostri, tenetur feria quinta, excepto tempore vacationum generalium æstivarum, quandoque aliquanto rarius teneri solet, juxta negotiorum majorem, vel minorem multiplicitatem, seu contingentiam.

Ubi agatur de contentiosis causis, quæ sub formali disputationis trutina cadunt, stylus est hujus Congregationis, deputandi pro singulorum causarum propositione aliquem Cardinalem, qui causam sibi commissam proponat, ad instar Tribunalium collegialium, de quibus infra, isteque Ponens appellatur. Quod etiam in plerisque aliis Congregationibus practicatur, non autem in illa Concilii, in qua omnia negotia proponuntur per Secretarium, prævia tamen dubiorum, ac negotiorum, saltim graviorum descriptione in folio, quod per plures dies antea transmittitur per manus singulorum Cardinalium Congregationis. 5

Non admittuntur autem recusationes ex capite suspicionis, quod etiam in aliis Cardinalibus votare debentibus procedit; Quinimo si agatur de causa Ecclesiæ Cathedralis, vel Monasterialis, cujus aliquis ex Cardinalibus, qui in Congregatione interveniunt, sit Præsul, vel Commendatarius, aut Protector, non inde tamen invitus a Congregatione excluditur, ut pluries practicatum vidi; Est tamen bene verum, quod frequentius discreti Cardinales, aliquod interesse in causa habentes, sive scientes quod Pars eos habeat suspectos, ex causa, ob quam de jure rigore Judex recusari posset, sponte abstinent, atque hujusmodi dubitationi ansam non præbent; Id que prudenter fit etiam pro causæ servitio, atque ad captandum illud arbitrium, quod citra justitiæ præjudicium cadere valeat, cum quandoque praxis docuerit, ut quo magis aliquis Cardinalis pro interesse affectionis ratione protectionis in Congregatione intervenire voluit, ut jura illius Partis tueretur, eo magis, ab aliorum constanti integritate acriorem succumbentiam causa passa sit; Licet quandoque e converso, ista præsentia prodesse consueverit, juxta casuum contingentias; Commendabilibus tamen est, ut abstineant, ut libenter aut frequenter tam in his Congregationibus, quam in aliis Tribunalibus sequi solet, etiam in casibus, in quibus de stricta juris censura, recusatio non intratet; Hinc proinde illæ suspicionis disputationes, quæ in aliquibus regionibus, & Tribunalibus adeo frequenter disputantur, pro calumniæ fomento ad causas æternandas, in Curia, nunquam, vel nimium raro audiuntur. 6

Distinguenda itaque negotia Episcoporum ab illis Regularium; Quatenus pertinet ad primam speciem; Vere, & proprie hujus Congregationis Institutum est, ex mente erectoris, ut summarie, ac in forma extrajudiciali audiantur subditorum recursus, vel querelæ adversus oppressiones, & gravamina Episcoporum aliorumque Prælatorum, ac Vicariorum, & officialium, non autem ut peragantur causæ privatæ contentiosæ, quæ processum ac telam judiciariam exigunt inter partes, quoniam istis non concordantibus, sed una earum reluctante, remitti debeant ad suos Judices ordinarios petentes, ut frequentius praxis docet (licet aliquando non observetur.) 7

Habito igitur recursu per eos, qui se gravatos sentiant, per viam supplicis libelli in forma extrajudiciali; Stylus est quod scribitur epistola familiaris subscripta a Præfecto, & Secretario in nomine Congregationis, Episcopo, vel alteri Superiori, cum insertione copiæ libelli desuper porrecti, ut super contentis in eo, Sac. Congregationem informet; Habitaque informatione, si ea fidelis existat, adeoutque currentes in facto non discordent, unde propterea quæstio reducatur ad punctum juris, tunc negotium proponitur in S. Congregatione, atque emanat resolutio, pro cujus executione, vel observantia, etiam per epistolas familiares, illi Episcopo, vel Superiori directas, procedi solet; Et quandoque ubi causæ qualitas id exigat, executio committitur Metropolitano, seu viciniori, vel alteri Prælato; etiam in hac forma extrajudiciali per epistolas familiares; Sive aliquando datur decretum in supradicta forma authentica, Præfecti, & Secretarii subscriptione, ac sigillo munitum, ut Partes interessatæ ordinarios Judices adeant pro judiciali observantia, & executione, ideoque desuper expediuntur monitoria Auditoris Cameræ, & quandoque etiam literæ Apostolicæ confirmatoriæ in forma brevis, sub annulo Piscatoris, per organum Secretarii Brevium, de qua supra actum est, *e* ut ita servatis servandis, in forma judiciali, cum remediis temporalibus mulctarum, vel cum spiritualibus censu- 8 9

censurarum, contumaces ad observantiam compellantur.

10 Ubi vero ille, a quo informatio petitur, eam dare negligat, sive prætendatur, quod altera, minusque vera data sit; tunc committi solet alicui Episcopo viciniori, vel Metropolitano, aut alteri personæ qualificatæ in partibus, ut desuper se informet, atque Sacræ Congregationi referat; Ac etiam quandoque pro negotiorum qualitate committi solent Prælatis, ac etiam religiosis, aliisque probatis viris informationes, ac relationes secretæ; Et e converso ubi de Episcoporum, vel aliorum Superiorum criminosis gestis agatur, tunc facto verbo cum Sanctissimo, ad præscriptum Concilii Tridentini, ac Apostolicarum Constitutionum, committitur alicui Prælato in partibus formalis processus informativus, sive injungitur Auditori Cameræ, ut Commissarium deputet, juxta negotiorum qualitatem, & contingentiam; Ideoque certa regula generalis desuper statuta non habetur, cum totum pendeat a Congregationis arbitrio, & frequenter ab illo Pontificis, pro istius, magis, vel minus rigorosa natura, vel stylo.

11 Quando itaque dignoscatur adesse gravamina, tunc super eis dantur provisiones opportunæ, tam pro revocatione eorum, quæ secuta sint, quam etiam ut occurratur futuris, suspendendo quandoque jurisdictionem, & deputando Vicarium Apostolicum, sive eximendo illam personam ab ejus superioritate, illi dando in superiorem aliquem Episcopum ex vicinioribus, & quandoque revocando Episcopum, vel alium superiorem ad Curiam, atque si rei qualitas exigat, illum detinendo carceratum in aliquo Monasterio, seu alias puniendo, aut remittendo Auditori Cameræ, ut servatis servandis, eos puniat, etiam cum privatione Præsulatus, vel cum translatione pœnali ad Ecclesiam inferiorem, adeout certa regula desuper statui non valeat.

12 Sede autem Episcopali vacante, in ista Congregatione frequentes (licet quandoque, sed rarius in illa Concilii) habentur quæstiones super deputatione Vicarii Capitularis; Atque ubi dignoscatur, quod ea ad præscriptum Concilii Tridentini, vel decretorum S. Congregationis facta non sit, variæ oriri solent provisiones; Quandoque etenim, ubi nullitas non proveniat ex vitio personæ, quam constet esse dignam, & idoneam, tunc ipsa deputatio revalidatur eo modo quo, (ut infra) frequens praxis docet in electionibus Prælatorum regularium; Quandoque vero ipsa Congregatio Vicarium deputat, cum oraculo Papæ, & qui propterea Apostolicus dicitur; Et quandoque mandatur, ut Capitulum denuo ad electionem procedat, sive Metropolitano, aut Viciniori id committitur (quod tamen rarum est) cum frequentior stylus sit, vel confirmandi deputatum, vel deputandi Vicarium Apostolicum. *d*

13 Si vero deputatio sit valida, sed facta sit ad tempus, aut cum aliquibus restrictionibus, (ut Capitulorum frequentior stylus esse videtur,) tunc ipsa Congregatio, quatenus contingat, desuper per eundem deputatum eam certiorari, eidem rescribit, ut pro toto tempore vacationis, ejus munus exerceat, cum universa jurisdictione, neglectis sibi factis restrictionibus, quas improbat; Et aliquando eidem Vicario Capitulari aliquam communicare solet facultatem, qua ipse careat, puta concedendi literas dimissoriales, ad ordines suscipiendos intra annum, cum similibus; Quod tamen nonnisi pro casibus, vel personis particularibus, & ex justa causa, & quandoque prævia informatione, concedi solet.

Et de plerisque aliis, de quibus in ista Congregatione
14 agi solet, actum habetur in instructivo discursu, de quo *in Miscellan. Ecclesiastic.* ubi videre facile est, cum alias nimia esset digressio. *e*

15 Quamvis autem negotia concernentia regimen Monasteriorum monialium jam fundatorum, sive eorundem Monasteriorum novas fundationes, Regularium materiam potius concernant; Attamen sub ista Episcoporum potius cadere videntur, quoniam nimium raræ sunt quæstiones, quæ in hac Sacra Congregatione disputentur, inter moniales, & viros regulares, sub quorum regimine ipsum Monasterium sit, licet quandoque id casus præbeat, ut alibi advertitur in sua materia. *f* Sed omnia negotia, quæ ad moniales pertinent, agi solent cum Episcopis, aliisque locorum Ordinariis; Vel quia ipsæ moniales, tanquam exemptæ impugnent Ordinarii jurisdictionem circa visitationem, & alia, de quo etiam in Sac. Congregatione Concilii disputari solet. *g* Vel quia eædem moniales prætendant ab Ordinario gravari; Sive, quod præter antiquum, vel consuetum institutum, nimium eas restringi, ac reformari prætendatur, cum similibus;

Eidem quoque Ordinario rescribere solet; Vel circa vitam communem; Vel circa numerum præfixum; Aut circa receptionem plurium sororum, contra dispositionem decretorum Apostolicorum; Sive circa receptionem corruptarum, cum præfinitione augmenti dotis; Necnon circa concessiones majoris, vel minoris numeri conversarum, tam in communi, quam aliquibus monialibus in particulari; Nec non super admissione puellarum gratia educationis; Aut super concessione Confessariorum extraordinariorum, quando Ordinarius deneget, cum similibus negotiis, quæ hoc monialium regimen concernant, dum regulariter pertinent ad hoc organum.

Item per illud organum explicari solet beneplacitum Apostolicum, super novis fundationibus, prævia diligenti informatione, ac discussione requisitorum, sed hæc & similia cum Episcopis, vel Ordinariis peragi solent, quibus etiam diriguntur literæ, vel provisiones in controversiis, quæ oriantur inter ipsas moniales in electione Abbatissæ; Aut in ejusdem prorogatione ultra triennium, quamvis agatur de Monasteriis exemptis; Nisi particularis consuetudo contrarium suadeat, istamque necessitatem tollat, quia nempe, respectu exemptorum, hoc munus pertinere soleat ad aliquem Ecclesiasticum Prælatum, qui sit Nuntius, vel commissarius Apostolicus, cui recte congruat ratio ejusdem fiduciæ, quæ habetur de Ordinario, non autem de aliis inferioribus, sub quorum regimine sit Monasterium, puta pro frequentiori contingentia de Regularibus. *h* 16

Quo vero ad alteram speciem negotiorum Regularium, non intrat superius insinuata propositio, quæ intrat in negotiis Episcoporum, vel sæcularium, quod scilicet in privatis causis contentiosis, cum processu & ordine judiciario peragendis, una Partium reluctante, ista Sacra Congregatio se non ingerat, sed eas remittat ad suos Judices; Quoniam causas regularium, non solum publicas super regimine Religionis in universum, sive inter unam Religionem & alteram, sed etiam privatas inter ipsos religiosos, super electionibus, officiis, & prælaturis, aut super præcedentiis, aliisque præeminentiis, cæterisque occurrentiis, generaliter hæc S. Congregatio cognoscit, & determinat, summarie, & de plano, sola facti veritate inspecta, quandoque cum extrajudicialibus probationibus, vel cum sufficientibus justificationibus, per scripturas, nullo tamen adhibito formali processu, cum Notario, & cum tela judiciaria, quoniam Secretarius, vel Cardinalis Ponens conservat scripturas, & recipit informationes, ita quodammodo faciendo etiam partes Notarii. 17

Merito autem, ac prudenter, in causis regularium ita proceditur, quoniam non solum ex dispositione dictæ Sixtinæ Constitutionis, super hujus Congregationis erectione, sed etiam ex antiquorum Canonum, & Canonistarum sensu receptum est, incongruum esse claustralibus religiosis strepitum fori, ideoque eorum causæ cognosci non debent in ordinariis Tribunalibus contentiosis sæcularibus, sed intra ipsam Religionem, atque per ejus Superiores, absque figura judicii, & cum religiosa simplicitate; Si vero agatur de recursibus a gravaminibus ipsorum Superiorum, in eadem extrajudiciali forma cognoscuntur; Vel per Cardinalem Protectorem Religionis; Vel per istam Congregationem, cum ita quoque intra, non autem extra Ordinem cognosci dicantur. *i* 18

Stylus autem est, quod quemadmodum in dicta alia specie negotiorum Episcoporum & Clericorum sæcularium, & monialium, habito recursu per viam simplicis libelli extrajudicialis, scribitur Episcopo pro informatione, eique transmittitur tenor libelli porrecti; Ita in istis negotiis Regularium, rescribitur Procuratori Generali Religionis, qui semper in Curia assistit, & quandoque eidem Generali pro informatione, qua habita, si una Partium illam impugnet, atque alteratam prætendat, aliæ capiuntur informationes, & adhibentur diligentiæ pro veritate indaganda. 19

Ad istam quoque Congregationem privative pertinet agere de novis fundationibus Monasteriorum, vel Conventuum, ac decidere causas super oppositionibus aliorum Regularium, & quandoque etiam Clericorum sæcularium, nisi Papæ videatur aliquam causam committere in Rota, vel alteri Congregationi. *l* Prout etiam cognoscit super Conventuum suppressione, quoniam licet adsit alia moderna Congregatio Cardinalium, cum Secretario etiam Prælato super statu & reformatione Regularium, ab Innocentio X. erecta, de cujus voto, seu consilio secuta fuit 20

ejus-

ejusdem Innocentii Constitutio super suppressione parvorum Conventuum; Attamen ista est Congregatio particularis super dicta reformatione in universum, quæ compatibilis est cum ista ordinaria, & generali, ejusque facultates non impedit.

22 Cumque ab Urbano Octavo revocatæ, vel respective moderatæ fuerint amplæ facultates, quæ ex Apostolicis Constitutionibus habebant Prælati regulares, super alienationibus bonorum, & jurium alias cadentium sub prohibitione *Extravagantis Ambitiosæ, de rebus Ecclesiasticis non alienandis*; Unde propterea necessaria est solemnitas beneplaciti Apostolici: Idcirco in Religiosis, præsertim ne pauperes cogantur subire sumptus, qui desuper necessarii sunt pro expeditionibus Datariæ, vel Secretariæ Brevium, illud beneplacitum concedi solet per organum istius Congregationis, ac etiam per illud alterius Congregationis Concilii; Idque aliquando in Monialibus etiam practicari solet, quando Monasterii paupertas ita exigat.

23 Et in summa omnia peragit, quæ Religionum, ac Regularium bonum regimen, ac directionem concernunt, unde propterea dicitur Congregatio occupatissima, atque in negotiorum multitudine omnium major, ob faciles recursus, querelas, & contentiones Regularium, qui non habentes necessitatem cogitandi ad propriæ personæ, ac familiæ victum, & vestitum, aliasque indigentias, se totos occupare solent in dissensionibus inter se ipsos, ita humana conditione, vel infirmitate exigente, pro qua curanda sufficiens medicamen adhuc non habemus. *m*

24 Habet item ista Congregatio laxas habenas, agendi etiam de illis negotiis, quæ aliarum Congregationum peculiaria sunt, unde propterea (ut Urbanus Octavus dicere solebat) ista videtur Congregatio quodammodo universalis, exceptis causis, quæ directe Fidei quæstiones concernant, sive formalem interpretationem Concilii Tridentini; In reliquis enim, licet adsit dicta Congregatio Concilii, attamen de iis quæ concernunt executionem, vel observantiam ejusdem Concilii, ejusque decretorum cognoscit; Prout etiam licet adsit Congregatio Rituum, cujus peculiare munus est cognoscere, ac decidere controversias, super præcedentiis, aliisque Ecclesiasticis præminentiis, inter Clericos sæculares, & regulares, ac etiam super iis, quæ prætendantur per laicos in functionibus Ecclesiasticis, adhuc tamen ista Congregatio istas causas cognoscit; Ideoque privativa singularis cognitio dictæ Congregationis Rituum, versatur in præscribendo ritus super Divinis Officiis, ac etiam super canonizatione Sanctorum. *n*

Ac etiam licet adsit particularis Congregatio super controversiis jurisdictionalibus, ac super Ecclesiastica Immunitate, a qua denominationem, seu vocabulum sortitur, de qua infra: *o* Adhuc tamen ista Congregatio occasione agendi de negotiis, ad Episcopos, & Ordinarios locorum pertinentibus, de hac negotiorum specie cognoscit, quando casus præbeat, ut ad eam recursus habeantur.

25 Et quamvis generaliter hujusmodi Cardinalitiæ Congregationes, tanquam summarie cognoscentes sibi commissa negotia, se gerant nomine Papæ, potius more Principis, vel supremi Senatus, quam more Judicis, vel Tribunalis contentiosi, ideoque non subjaceat rigori regularum, & propositionum juris, eo modo quo contentiosa Tribunalia subjacent; Præ cæteris tamen ista Congregatio, quæ quoddam universale, ac politicum regimen utriusque cleri sæcularis, & regularis, aliarumque rerum Ecclesiasticarum habet, huic restrictioni non subjacet, sed cum regulis, seu legibus prudentialibus pro negotiorum qualitate, vel temporum, ac rerum contingentiis procedere solet; Semper tamen, & in quibuscunque quantumvis gravibus negotiis gratis omnino, etiam quoad scripturam, adeout Partes alia non graventur sumptu, nisi (ut alias dictum est) illa recognitione laboris personalis, ac diligentiæ correspondalium, qui negotiorum curam habeant; Et quandoque, quatenus negotii qualitas exigat, pro honorario Advocatorum, & Procuratorum, ac pro expensis copistæ pro informationibus quæ dentur; Reliquum vero totum quod ad suggestionem Agentium, & correspondalium a Partibus detur, furtum, & illicita extorsio est eorum, qui negotia peragunt, vel aliquorum reproborum inferiorum ministrorum mechanicorum, qui fidem ab eorum dominis habitam fraudent.

a *const. 74. Sixti V.*
b *disc. 1. in annot. ad Conc. Trid.*
c *supra, disc. 7.*
d *de hac materia Vicarii Capitularis, sub titulo de Canonicis, & Capitulo, discurs. 24. cum pluribus sequentibus, & in annotat. ad Sacr. Concil. Trid. disc. 31.*
e *libr. 14. titul. Miscellaneo Ecclesiast. discurs. 1. lib. 14.*
f *sub tit. de Regular. disc. 24.*
g *de his quæstionibus, sub titulo de jurisdict. discurs. 26. & sequentibus, & in annot. ad Conc. Trid. disc. 5.*
h *dicto discursu 26. de Regular. & dicto discursu in annot. ad Conc. Trid.*
i *tit. de Regular. disc. 1. & 22.*
l *tit. de Regular. disc. 29. & seq.*
m *de his habetur, disc. 1. tit. de Regular.*
n *infra, disc. 19.*
o *disc. seqq.*

De Sacra Congregatione Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ.

S U M M A R I U M.

1 *DE hujus Congregationis erectione.*
2 *Quinam in ea interveniant.*
3 *Prælati sunt relatores causarum, & processuum.*
4 *Quare habeatur in ista Congregatione usus processuum, & de immunitate locali.*
5 *De immunitate personali, & de alia immunitate reali.*
6 *Mechanicum est videre processus.*
7 *Quando teneatur, & de quibus negotiis tractet.*
8 *An fuerit expediens eam erigere?*
9 *Quod stylus hujus Sacræ Congregationis sit potius contra delinquentes, qui ad immunitatem recurrunt.*
10 *Unde proveniat quandoque rigor.*
11 *De remissione confugientium sub lege, ut non condemnentur ad pœnam ordinariam.*
12 *De stylo dandi omnes expeditiones gratis.*
13 *Et de alio stylo procedendi in forma extrajudiciali.*
14 *Cognoscit privative de causis immunitatis, & Metropolitanus se non ingerit.*
15 *In quo proprie consistat munus hujus Congregationis, & quales causas remittat judicibus competentibus.*
16 *De aliis ad materiam remissive.*

D I S C. XVII.

MOderna est ista Congregatio, utpote erecta circa initia Pontificatus Urbani VIII. Incertum tamen est; An vivæ vocis oraculo; Vel per literas in forma Brevis; Aut per decretum consistoriale; Sive etiam per Apostolicam Constitutionem, quæ in Bullario non sit impressa; Ideoque super ejus facultatibus, ac restrictionibus respective discurri non potest, eo modo, quo de facultatibus aliarum Congregationum, super quibus Constitutiones in Bullario habemus, fieri potest. 1

Habet ista Congregatio, cum competenti numero Cardinalium mixturam aliquorum Prælatorum pro Papæ arbitrio, ex quibus quatuor videntur fixi: Unus nempe, qui Secretarii munus gerat; Unus ex Rotæ Auditoribus; Unus ex Clericis Cameræ, & Advocatus fiscalis; Alii vero sunt in majori, vel in minori numero, ut Papæ videatur etiam ex dictis Rotæ & Cameræ Tribunalibus assumi solitis. 2

Isti vero Prælati, ut plurimum; sunt relatores causarum (qui in Curia Ponentes dicuntur;) Potissime

3 quia hujus Congregationis negotia frequenter secum
ferunt processus voluminosos, qui per Ordinarios lo-
corum, vel per alios judices, & magistratus de parti-
bus transmittuntur; Potissime in causis concernentibus
Ecclesiasticam immunitatem localem, ad effectum in-
spiciendi qualitatem, ac probationem criminis, pro ca-
sibus exceptuatis per Constitutionem Gregorii Decimi-
quarti; Sive qualitatem loci capturæ, super quo sit
controversia, an sit immunis necne; Aut super ejus-
dem capturæ modo, qui immunitatem excludat; Pu-
ta (exempli gratia) quod captus in loco non immu-
ni, violenter in eo actu, secum trahat capientem,
qui cum detinent, adeout ad proximum locum immu-
nem accedat, cum tunc non suffragari Immunitatem
Sacra Congregatio respondere consueverit, cum simili-
bus. *a*

4 Prout etiam, processus, & acta de partibus, trans-
mitti solent in causis aliarum specierum immunitatis,
personalis scilicet, & realis, quando ad ipsam Sacram
Congregationem recursus habeatur per eos, qui præ-
tendantur immunitatis, vel jurisdictionis violatores,
& tanquam tales ab Ordinariis censuris innodati sint,
sive illæ comminentur, cum similibus, quoniam,
cum Cardinales in tot Congregationibus, ac etiam in
5 Consistoriis, & Cappellis Pontificiis, aliisque gravi-
bus negotiis, præsertim cum Principum Oratoribus
occupati, vacare non possint lecturæ processuum,
qui quandoque voluminosi esse soleant; Ac etiam quia
indecens videtur Cardinalium majestatis, cum id sape-
re videatur quid mechanicum, ut agendo de advoca-
tis, seu Procuratoribus inferius in eorum Rubrica ad-
6 vertitur, *b* Idcirco Prælatis injungitur, qui compen-
diose referant ea, quæ in processibus & in actis con-
tineantur, ut servat quoque Congregatio Consultæ, de
qua infra. *c*

Teneri ea solet in Palatio Apostolico in die martis
bis in mense, nisi negotiorum contingentia aliter sua-
deat: Eaque solum agit de negotiis concernentibus
materiam jurisdictionis ecclesiasticæ, & ne illius exer-
citium Magistratibus sæcularibus permittatur, ac etiam
de materia dictæ triplicis immunitatis, localis, perso-
7 nalis, & realis, & de quibus speciebus, ac successive
de negotiis in dicta Congregatione pertractari solitis,
in Ecclesiastico Miscellaneo compendiose agitur: Ideo-
que ibi videri potest, ne eadem absque necessitate re-
petantur. *d*

8 De his autem insensibiliter, seu minus clamorose,
cognoscere solebat altera Congregatio Episcoporum,
de qua discursu proximo præcedenti agitur, eaque
cum regulis prudentialibus, quas præ cæteris (com-
mendabiliter quidem) adhibere solet, forsan (ut aliqui
opinantur) melius eadem negotia dirigebat, unde pro-
pterea adhuc sub Judice, etiam apud bonos, ac ze-
lantes ecclesiasticos, remanet quæstio, quæ vere pro-
blematica est, habens hinc inde probabilia argumen-
ta, an hujus Congregationis erectio, ecclesiasticæ im-
munitati, ac jurisdictioni, proficua, vel præjudicialis
fuerit. *e*

Potissime quia bonus quidem, sed forte indiscre-
9 tus, vel asper zelus aliquorum, qui circa initia
eam regebant, aliqua produxit inconvenientia præju-
dicialis, atque asperitatis, vel nimium exactæ, &
exorbitantis defensionis opinionem impressit apud sæ-
culares (quæ pro hodierna praxi vere erronea est)
quoniam ut pro meæ diuturnæ forensis vitæ praxi,
ingenue testari possum, utpote utrumque antiquum,
seu primævum, & hodiernum stylum expertus, quod
rectissima est intentio, ad restrictionem potius immu-
nitatis præsertim localis propensa: Eatenus vero illum
stylum adhibere oportet, qui rigorosus, vel asper re-
putatur a sæcularibus, quatenus ipsi ad id cogant,
vel provocent, quia nempe, se Judices facere velint
hujus materiæ, cujus juxta regulas catholicæ Fidei sunt
incompetentes: Ideoque, ut pluries in *Ecclesiastico
Miscellaneo*, occasione agendi de dicta triplici immu-
nitate, ac etiam in materia jurisdictionali advertitur.
f Pro ut etiam in illa feudorum, *g* & altera rega-
lium, *h* & alibi, vitia est in utroque extremo, supe-
riorum Officialium, & Magistratuum utriusque fori,
adeout inconvenientia potius resultent ex modo, quam
ex substantia.

Potissime vero, inter alia multa, hodierna Con-
gregatio non laudat antiquum sensum circa immunita- 10
tem localem, in illis casibus exceptuatis, de stricto
jure non cadent, sed scandalosa sint, publicæque
quieti præjudicialia, unde propterea non possint
confugientes libere tradi Curiæ sæculari, minusque
debeant relinqui in libertate, sed potius ad extraor-
dinariam pœnam triremium tanquam per speciem de- 11
tentionis, & custodiæ pro publica quiete condemna-
ri; Quoniam non est condemnatio, quæ fiat per ju-
dicem ecclesiasticum auctoritate sua de laico delin-
quente, cum quo nullam habeat competentiam, cir-
ca criminis punitionem, vel cognitionem, sed solum
circa punctum immunitatis, an competat necne: Sed
est prudens, & commendabile temperamentum, per
quandam speciem concordiæ cum Magistratibus sæcu-
laribus, ut ita mediam viam eligendo, concorditer
ipsi abstineant a pœna ordinaria hujusmodi delinquen-
tium, qui eis tradantur; Atque ita non violetur im-
munitas, publicæ autem quieti consulatur; *i* Verum
condemnatio fiat per ipsos Magistratus sæculares com-
petentes, tanquam per speciem (ut præmissum est) pru-
dentis, & commendabilis concordiæ: Verum Episco-
pi, aliique ecclesiastici superiores ad eam devenire non
possunt, inconsulta ista Congregatione, quæ ad id
devenire non solet, nisi facto verbo cum Papa, a
quo oraculum accipit, dum nostræ ætatis praxis do-
cuit, quod Ordinario delinquentes laicos transmitten-
te ad Principis sæcularis triremes, Magistratus sæcula-
ris eos ita in loco non immuni repertos carceravit,
atque ad pœnam ordinariam ultimi supplicii condemna-
vit, secuto effectu.

In reliquis autem, hujus Congregationis stylus est
uniformis, ac aliarum; Tam circa omnimodam alie-
nationem a sordibus, atque ab emolumentorum aliqua
solutione, pro expeditionibus, aliisque actis, quæ gra-
tis omnino conceduntur, ac fiunt; Quam etiam, 12
circa modum procedendi in forma extrajudiciali, ut
de aliis Congregationibus Concilii, & Episcoporum
supra dictum est, scribendo scilicet per epistolas fami-
liares Ordinariis locorum, vel Nunciis Apostolicis,
aliisque Ecclesiasticis Prælatis, ad quas pertineat, 13
tam circa informationes super recursibus, quam cir-
ca executionem suorum decretorum, ac resolutio-
num.

Privativam cognitionem hujusmodi controversiarum
habet; ad quoscunque alios competentes Judices, ap- 14
pellationum, vel recursuum; Ideoque per ejus de-
creta, Pontificio oraculo comprobata, inhibitum est
Metropolitanis, ac Nunciis, aliisque Judicibus appel-
lationis, vel recursuum ab Ordinariis locorum, ne
inhibitiones concedant, vel impedimenta, præstent:
Talisque videtur praxis inconcussa in specie immuni-
tatis localis. *m*

Secus autem in aliis duabus speciebus immunitatis
personalis, vel realis, quoniam munus Congregatio- 15
nis, proprie, ac principaliter versatur in protectione,
ac defensione ecclesiasticæ jurisdictionis, & immuni-
tatis, & ne de facto illa usurpetur, vel respective
violetur a Magistratibus, vel Communitatibus sæcu-
laribus, aut gabellarum, aliorumque laicalium one-
rum Appaltatoribus, & exactoribus, ita assistentiam,
ac auctoritatem præstando Ordinariis locorum, qui
præsertim pro Italiæ moribus, in exiguis, ac pauperi-
bus Ecclesiis, potentiali oppressioni sæcularium de
facili subjacent; Secus autem ubi cessante hac op-
pressione de facto, prætendatur per tramites juris,
quod illa causa, vel persona respective sit sæcula-
ris, non autem ecclesiastica, Ideoque ad forum sæcu-
larem pertineat, juxta eorundem sacrorum canonum
dispositionem; Sive quod illa immunitas realis de ju-
re competere non debeat; Vel quatenus in substantia
competat, ista non controvertatur; sed sola quæstio sit
super modo, vel super quantitate, aliisque acciden-
tibus, quoniam ista cognitio non prohibetur, immo
fieri debet coram ordinariis Judicibus competentibus,
cum immunitatis ecclesiasticæ substantiam, vel genus
non percutiant; Ideoque debent eis hujusmodi causæ
remitti, ut in forma judiciaria per tramites juris
decidantur, eo modo, quo aliæ causæ privatæ con-
tentiosæ peraguntur; Potissime vero quando opor-

teat

teat facete probationes per testes, qui servatis servandis examinandi sint, stante insinuato stylo, tam istius quam aliarum Congregationum, gerendi potius partes Principis, vel Supremi Magistratus, in forma extrajudiciali, quam illas Judicis, in forma contentiosa. *n*

Et de aliis ad istam Congregationem pertinentibus videri poterit in enunciato *Ecclesiastico Miscellan.* ac etiam in materia jurisdictionali, & in illa regalium, occasione agendi de gabellis, & vectigalibus, præsertim pro immunitate reali, &c. *o*

a *de istis causis immunitatis localis, lib. 14. in Miscell. Eccles. disc. 9. & seqq.*
b *infra in disc. in quo agitur de Advocatis, & procuratoribus.*
c *de his controversiis super immunitate reali, dicto Miscellaneo Ecclesiastico, libr. 14. disc. 2. & sequentibus, & titulo de Regalibus, a disc. 50. ad 62. Et de immunitate personali, titulo de jurisdictionib. a disc. 58. ad 68. 92. & 94. & in aliis, & supra de judic. disc. 3.*
d *locis supra cit.*
e *insinuatur etiam dicto discurs. 2. Miscellaneo Ecclesiastico.*
f *locis supra cit.*
g *tit. de feud. disc. 60.*
h *locis supra citatis.*
i *agitur de hoc stylo Miscell. Eccles.*
m *insinuatur etiam dict. disc. 2. Miscell. Eccles. & tit. de judiciis, disc. 3. & alibi.*
n *de his causis remissis ad suos judices, tit. de Regal. disc. 50. cum plurib. seq. & agitur etiam in dicto Miscell. Eccles. disc. 2. & seqq.*
o *in locis relatis.*

De Sacra Congregatione Rituum.

S U M M A R I U M.

1 *De istius Congregationis erectione, ejusque duplici specie.*
2 *De personis ex quibus ea constituitur.*
3 *Que negotia in ea peragantur; distinguitur inter contentiosa, & non contentiosa.*
4 *Quenam sint non contentiosa.*
5 *De receptione alicujus Sancti in Protectorem.*
6 *De quæstionibus contentiosis, que super ista protectione cadere solent.*
7 *De quæstionibus contentiosis preeminentiarum inter Ecclesiasticos.*
8 *De aliis quæstionibus similibus cum secularibus.*
9 *De stylo procedendi in forma extrajudiciali, omniaque faciendi gratis.*
10 *Quod quandoque formatur processus, & adhibet quandam formam judicialem.*
11 *In his materiis preeminentiarum defertur consuetudini, & quando.*
12 *An ceremoniale impediat consuetudinem?*
13 *Quod soleant etiam ista causa commisti in Rota, vel de ejus voto.*
14 *De alia specie Congregationis super Canonizatione Sanctorum, & quinam interveniant.*
15 *Adhibentur etiam medici, & alii professores, & quare.*
16 *De Congregationibus que habentur coram Papa, ac etiam de Consistoriis, in hac materia.*
17 *De aliis que hanc materiam concernant remissive, & quare non omnes Advocati hec negotia pertractent.*
18 *De stylo propinarum, aliorumque emolumentorum in hac materia.*
19 *De precedentia inter Sanctos.*

D I S C. XVIII.

DUplex videtur ista Congregatio, a Sixto Quinto cum aliis pluribus per eandem Constitutionem quoque erecta; *a* Una scilicet ordinaria, pro Ri- 1
tibus Ecclesiasticis, aut pro decidendis controversiis præcedentiarum, aliarumque præeminentiarum: Et altera extraordinaria, super canonizatione Sanctorum, seu beatificatione, & cultu aliquorum Servorum Dei, dum diversus est personarum interventus, seu participatio in una, quam in altera in ordine ad Prælatos, aliasque personas, extra illas Cardinalium, qui pariformiter in utraque interveniunt eo ipso, quod ex oraculo Papæ, huic Congregationi Rituum in genere adscribuntur; Quare de eis distincte, ut decet, agendum.

Quatenus pertinet ad primam speciem Congregatio- 2
nis ordinariæ; Ea ex solis Cardinalibus constituta non est, quoniam, ultra ipsorum competentem numerum, qui (prout in omnibus aliis Congregationibus) non est determinatus, sed major, vel minor pro Papæ libito, interveniunt plures Prælati, quorum unus est Secretarius, ac etiam aliqui Religiosi Theologiæ professores, & præ cæteris Magister Sacri Palatii, & Sacrista Papæ, qui ambo sunt Regulares, unus Ordinis Prædicatorum, & alter Eremitarum Sancti Augustini; Ac etiam unus, vel plures Magistri cæremoniarum Papæ.

In ista Congregatione duo negotiorum genera per- 3
aguntur; Unum scilicet contentiosorum inter Partes; Et alterum gratiosorum, seu pacificorum ex officio, vel ad supplicationem, in iis quæ sacros ritus, & cæremonias, vel divinum cultum concernunt.

De hoc secundo genere sunt ea, quæ (ut supra,) 4
respiciunt cultum divinum, ad ritus, & cæremonias ecclesiasticas, sine contradictore, vel tertii præjudicio; Puta super concessione facultatis celebrandi officium, vel missam, sub simplici, vel semiduplici, aut duplici ritu alicujus Sancti, vel Beati; Aut celebrandi octavam, aliave similia faciendi, sive declarandi aliquod dubium cæremonialis, vel quibus diebus alicujus majoris solemnitatis, celebrari possit missa votiva alicujus Sancti in propria Ecclesia, vel ubi adsit aliqua reliquia insignis, cum similibus; Nec non concedendi licentiam assumendi aliquem Sanctum in protectorem, cum facultatibus, vel consequentiis, quæ
exinde resultant, quando ista qualitas tutelaris cano- 5
nizata sit ab hac Sacra Congregatione, & sine cujus licentia hodie id fieri non potest ex Apostolicis decretis.

Super hoc autem in specie, nostra ætate, in ple-
risque Italiæ, ac Hispaniarum Civitatibus, iste pun- 6
ctus practicatus fuit in forma contentiosa, an scilicet, potius unus, quam alter Sanctus recipi deberet in protectorem; Sive an recipi posset ille, cui permissum sit, præstari cultum tamquam Beato; sed adhuc non esset solemniter canonizatus; Et quamvis in plerisque aliis Civitatibus, & locis, praxis hujusmodi quæstiones docuerit in forma contentiosa, præsertim vero in Civitate Pampilonensi; Attamen, frequentius, quam alibi id sequitur in Civitate Neapolitana, ubi, ob nimiam illius Populi devotionem, & ob religiosorum magnas æmulationes spirituales, hujusmodi quæstiones frequenter audiri consueverunt, tam circa inclusionem unius, in exclusionem alterius, inter Ordines, vel Religiones, ex quibus illi Servi Dei fuerint, quam etiam circa multiplicitatem, adeout Ordinarius, de cujus consensu hujusmodi protectiones, & non alias concedi solent, excusari soleat, quod non adesset amplius locus in insigni capella Civitatis, in quo statuæ reponi valeant. *a*

Quinimo, etiam quoad eos, qui jam recepti sint in Protectores, frequentes (& quidem scandalosæ) controversiæ audiri consueverunt, inter religiosos diversarum Religionum, super præcedentia statuarum, vel Imaginum; Sive inter illos ejusdem Religionis originariæ, quæ in plures filiales, vel reformationes divisa sit, super habitu statuæ, vel Imaginis illius Sancti, ut præsertim contigit de Sancto Antonio Pa-

tavino, an habere deberet capuccium pyramidatum quo utuntur Capuccini, vel rotundum, seu quadratum, quo utuntur Conventuales, vel Observantes; Sive ad quos in publicis processionibus pertinet illam statuam associare, & præsertim inter calceatos, & discalceatos Carmelitas, circa statuam Sanctæ Teresiæ, moderna praxis docuit; *b* cum similibus æmulationibus, seu levitatibus; Ideoque etiam pro zelo majestatis ac existimationis Civitatis, & populi, & pro servitio cultus, ac devotionis, prudens, atque commendabile videretur consilium, ut forsitan per sæculum in his omnimodum silentium ibi imponeretur.

7 Alterius generis contentiosi negotia sunt, quæstiones præcedentiarum, aliarumque præeminentiarum in processionibus, aliisque publicis functionibus, inter sæculares, & regulares; Vel respective inter utriusque Cleri diversa Capitula, vel Monasteria, seu Conventus; Aut inter ejusdem Capituli dignitates, vel Canonicos, aliosve clericos, & præsertim inter dignitates in Cathedrali, vel Metropolitana, super jure faciendi primarias, & Pontificales functiones, cum similibus.

Aut etiam super jure funerandi, vel celebrandi officium super cadavere in funere; Aut super jure prohibendi celebrationem ejusdem solemnitatis; Vel prohibendi jam celebrari solitam; Vel super jure prohibendi novas erectiones Congregationum, & Confraternitatum. Nec non super modo assistendi Episcopo, vel alteri Prælato, eique occurrendi, vel associandi respective; Aut super usu Pontificalium, quem habent nonnulli Prælati inferiores, præsertim regulares, & cum qua moderatione uti debeant, cum similibus controversiis inter ecclesiasticos. *c*

Vel ubi agatur de controversiis præeminentialibus in-
8 ter Ecclesiasticos & sæculares, vel respective inter ipsosmet sæculares super præeminentiis & honorificis tractatibus, qui Principibus, vel Baronibus, aut Gubernatoribus, aliisque publicis Magistratibus, aut Patronis, vel aliis qualificatis viris sæcularibus debeantur, vel respective congruat, throni scilicet elati, seu baldachini, vel sedis, aut scamni; *d* Et in summa de omnibus quæ concernunt ea, quæ Ecclesiarum cultum, & Ecclesiasticum ritum percutiunt.

In omnibus tamen utriusque generis negotiis, idem
9 adhibetur stylus, qui in aliis Congregationibus, est insinuatus, procedendi scilicet per viam summariæ, ac extrajudicialis cognitionis, prævìis eisdem extrajudicialibus informationibus, ab Ordinario loci, vel a Superiori Regulari respective; Omnesque expeditiones, & provisiones concedendi gratis omnino.

Bene verum, quod ista Congregatio, magis quam
10 aliæ, aliquam Tribunalis contentiosi imaginem habere videtur, formando scilicet processus, cum examine testium in Curia, per Notarium, quo uti solet in causis, vel actis beatificationis, & canonizationis Sanctorum; Ac etiam concedendo remissoriam in partibus; Et super qua, ad instar ejus, quod quotidiana Rotæ praxis docet, formales disputationes haberi solent, per tramites juris, & cum eisdem regulis, de quibus, *sub titulo de judiciis* in materia remissoriæ, & in altera compulsoriæ, seu extractionis scripturarum; *e* Id autem ex ea ratione provenit, quod cum in hac materia præeminentiarum, consuetudini nimium deferendum sit, præsertim vero ubi ea sit immemorabilis, qua accedente, in jure admittitur, ut
11 minus dignus præcedat magis dignum, majoresque habeat præeminentias; Pro casibus tamen particularibus, non autem pro regula universali, cum tunc corruptela potius talis consuetudo dici mereatur; Hinc proinde, hujusmodi assertæ consuetudinis probationes, etiam in ipsa Sacra Congregatione facere oporteat. *f*

12 Prout etiam super hujusmodi consuetudinibus disputari solent quæstiones juris, quando scilicet adversentur cæremoniali Romano, ratione clausularum contentarum in Constitutione Clementis Octavi ejusdem cæremonialis confirmatoria, quarum clausularum virtus, & operatio est, inficere quamcunque contrariam possessionem; vel observantiam, unde de consequenti tollitur, vel impeditur consuetudo, inter cujus requisita illud possessionis est præcipuum, ac substantiale; Adhuc tamen hujusmodi clausularum obstaculum evitari solet; Vel ratione non comprehensionis; Vel quia consuetudo sit potius interpretativa casus dubii; Aut quod jam introducta esset de tempore editionis cæremonialis. *f*

Dantur tamen frequentes casus, quod in hujusmo- 13
di causis contentiosis, in quibus formales probationes facere oporteat, Pontifex demandet, ut cognoscantur de voto Romæ, in forma judiciaria; Sive quod eas avocet a Congregatione, atque committat in Rota, decidendas prout de jure; Id autem certam non habet regulam, vel praxim, cum sit materia arbitraria, pro facti qualitate, & circumstantiis regulari solita; Et quandoque Papa hoc arbitrium regulare solet cum voto Prælatorum Signaturæ Gratiæ, ad quam una Partium, quæ de judicio Congregationis conqueratur, recurrere solet, ut etiam quandoque praxis docet, in negotiis aliarum Congregationum Episcoporum, & Regularium, vel Concilii, sive Immunitatis. *g*

Quo vero ad aliam speciem Congregationis, quæ tractat solum negotia canonizationis, vel beatificationis servorum Dei, illa constituitur ex eisdem Cardinalibus, & Secretario aliisque Prælatis, & officiali- 14
bus, vel Theologis, de quibus supra. Verum aliorum quoque Prælatorum, & religiosorum, ac officialium superadditionem recipit; Promotoris scilicet Fidei, cujus officium, non ex necessitate, sed ex frequentiori usu, annexum esse solet officio Advocati fiscalis; Necnon interveniunt tres antiquiores Rotæ Auditores, tanquam supponendi periti Canonistæ, qui partes Assessorum ita gerere videntur; Ac etiam unus ex Protonotariis participantibus, cui illa causa injuncta, seu distributa sit, siquidem isti Protonotarii, circa initia primitivæ Ecclesiæ, sub Clemente Primo deputati fuerunt pro hoc munere scribendi acta Martyrum: Ac etiam adhibentur alii Theologi, qui Consultores, vel respective Qualificatores dicuntur, ut res tantæ importantiæ, tam super compilatione processuum, quam super discussione probationum, & aliis, quæ contingunt cum nimia maturitate, atque cum consilio quamplurium peritissimorum virorum, in omnibus licentiis, & facultatibus examinetur.

Hinc proinde adhiberi quoque solent, pro consilio, probatissimi, ac periti medici, & philosophi, aliique professores, ad effectum discutiendi, an illæ operatio- 15
nes, quæ miraculis referuntur, dici mereantur supernaturales, vel provenire possint a potentia naturali, quamvis difficili, & rara.

Postquam vero probationes, respectu beatificationis, vel respective canonizationis, bene ac mature discussæ sunt, adeout negotium in pluribus Congregationibus bene præparatum sit, tunc super eo, magis solemnis Congregatio habetur coram ipso Papa, qui audito voto Congregationis, decretum interponit, super beatificatione, vel super concessione cultus, ac simili- 16
bus functionibus, præter canonizationem, sive adscriptionem catalogo Sanctorum, utpote obligatoriam de fide; Ideoque postquam negotium examinatum est, etiam in ista magis solemni Congregatione coram Papa, examinatur etiam in pleno Consistorio secreto, deindeque aliud habetur Consistorium magis solemne, & publicum, in quo interveniunt omnes Archiepiscopi, & Episcopi, qui in Curia præsentes reperiantur, qui omnes votum proferunt per quamdam imaginem Concilii.

Quales vero sint formulæ, quæ in hujusmodi processibus adhibeantur, & quid præcedere debeat, priusquam hujusmodi probationes admittantur, meum non est peragere, cum ex quodam antiquo Curiæ stylo, ita exigente quoque natura, seu qualitate hujusmodi negotiorum, quæ viros minus occupatos, eique pene 17
in totum addictos, exigere videtur, classici, & occupati Advocati non de facili in eis se ingerere soleant; Ideoque dedecet, ut non bene versatus, in his se ingerat, potissime quia libercult particulares super decretis Apostolicis, vel S. Congregationis, aliisque formulis habentur, qui facile est videre.

In qua vero negotiorum specie, quidam habetur antiquus 18
stylus singularis, qui in aliis Congregationibus non viget, quod scilicet Cardinalibus Congregationis, aliisque offi-
ciali-

cialibus, ac operariis, ratione magni laboris, qui desuper adhibendus est in dubio, ac revolutione valde voluminosorum processuum, super probationibus, solvuntur propinæ, seu sportulæ, aliaque emolumenta; Ideoque ad probos, ac zelantes viros, problematica est quæstio, an iste usus, quamvis antiquus, atque de stricta juris censura licitus, aboleri debeat, necne; Multisque placet opinio affirmativa, ad tollendas occasiones oblocutionum vulgi ignari, vel maligni, ac æmulorum Romanæ Curiæ, dum ex dicto Apostoli, *sapientibus, & insipientibus debitores sumus*; De hoc autem, meum non est agere, ideoque totum reservatur judicio eorum, ad quos pertinet.

In nuperrima vero quinque Sanctorum canonizatione per Clementem X. facta, etiam inter ipsos Sanctos, pro
19 nostra capacitate, vel consolatione, præcedentiæ quæstio in ista Congregatione disputata fuit, de qua in *Ecclesiastico Miscell.* agitur. *h*

a const. 74. Sixti V. a de ista capella sub tit. de praem. disc. 12. & tit. de Regul. disc. 20.
b de hoc sub tit. de Regul. disc. ibid.
c de his, sub tit. de praem. fere per tot. & in Miscell. eccles. ac etiam tit. de Regul. disc. 19. d tit. de praem. disc. 26. & 27. & tit. de jurepatr. disc. 52. & alibi.
e tit. de jud. disc. 28. & 31. f eod. tit. de praem. disc. 18. ad 22. & in Miscell. Eccles.
g eod. tit. de praem. & Miscel. Eccles. pluries.
g pluries, d. tit. de praem. & d. Miscel. Eccl. & alibi;
h disc. 40.

ADNOT. AD DISC. XVIII.

CUm in materia Beatificationis, & Canonizationis servorum Dei, de qua in hoc discursu agitur præter, imo contra intentionem Summorum Pontificum, & majorum officialium, ex culpa ministrorum inferiorum aliqui irrepserint abusus, non quidem circa ipsum actum beatificationis, vel canonizationis; sed circa modum conficiendi, vel præparandi probationes, & processus, sive circa informationes, quæ per defensores conficiuntur, ac similia præparatoria, vel incidentia; Hinc Pontifex Innoc. XI. ad eos abolendos deputavit particularem Congregationem Cardinalium, ex eodem cœtu ipsius Congregationis generalis, atque actu pendet examen eorum, quæ aliqua reformatione digna reputantur, bonæque expectantur desideratæ provisiones, quarum aliquæ in discursu indicantur, atque Deo dante in fragmentis forte dandis enunciabitur quid desuper secutum sit.

De Sacra Congregatione Indicis Librorum.

S U M M A R I U M.

1 *QUod non sit vera propositio, quod moderno tempore libido scribendi creverit.*
2 *Sed quare id certificetur de facto.*
3 *Græcia prius literata, & Italia barbara.*
4 *In quibus Italiæ partibus literæ initium habuerint.*
5 *Roma habuit leges a Græcia.*
6 *Deinde Græciam opibus bonis, ac literis spoliavit.*
7 *De regressu literarum, & artium in Græciam cum privatione Italiæ, aliarumque adjacentium regionum.*
8 *Et de alio regressu in Italiam aliasque regiones cum privatione Græciæ.*
9 *Quod semper mundus fuerit, ac futurus sit idem.*
10 *Antiquus est Sedis Apostolicæ usus prohibendi libros.*
11 *Qualis erat usus antiquus in hac materia.*
12 *De cura, & officio Magistri Sacri Palatii in Urbe circa libros.*
13 *Quando super hac materia Tribunal erectum sit.*
14 *Quales libri prohiberi soleant, ac debeant, etiam illi circa mores, & alia extra fidem, & de ratione.*
15 *Quod caute, & circumspecte in hoc procedi debeat, & quare.*
16 *De erectione Congregationis Indicis.*
17 *Remanet tamen eadem potestas penes Congregationem universalis Inquisitionis.*
18 *Quinam interveniant in ista Congregatione, & quid in ea agatur.*
19 *Ordinarii locorum non concedunt licentiam legendi libros prohibitos, & qui dent licentiam.*
20 *Omnia fiunt gratis, & extrajudicialiter.*
21 *An ex bono fine liceat legere libros prohibitos sine licentia.*
22 *De aliis quæstionibus in hac materia cum magistratibus sæcularibus cur non agatur.*

Card. de Luca, Lib. XV.

D I S C. XIX.

QUamvis (pro meo sensu,) vera non sit illa propositio, 1
quæ nedum per vulgatium, sed etiam per plurium sensatorum ora volitat, ac circumfertur, quod scilicet, scribendi libido, ac successive librorum copia, nostris temporibus nimium, ac in excessu creverit, cum in omni tempore ex dicto Sapientis eadem fuit humana conditio, iidemque mores; *a* Atque de hoc in specie Cicero, aliique antiqui scriptores etiam conqueruntur; Et in nostra legali facultate comprobat adeo venerandum, ac necessarium Justiniani testimonium, quod leges, quæ ex ejus compilatione, detractis glossis, vix unum conficiunt volumen, tunc ultra duo millia volumina constituebant. *b*

Attamen, regulando rerum cursum, tanquam per speciem novi Orbis, ab illis quinque, vel sex sæculis, a quibus, excusso barbarorum servitutis jugo, Italia, & Hispania, aliæque nostræ Europæ communicabiles partes antiquas literas, & artes restituere cœperunt, dicta proposi- 2
tio verificatur: Non quod humana conditio diversa fuerit, cum semper eadem extiterit, ac futura sit; Sed quia literarum cultura, quæ per plura sæcula deserta fuerat, atque in oblivionem pene abierat, paulatim reassumpta, quo magis crevit, eo majores produxit fructus, atque in dies producet; Juxta naturale exemplum terræ, quæ antiquioribus temporibus nimium felix, & fecunda, si diu absque cultura, deserta remaneat, atque ita spinis, ac vepribus repleatur, non nisi paulatim longo temporis decursu, antiquæ amœnitati, ac fertilitati restituitur. Sed postquam restituta est, majores producit fructus, quam prius faceret; Non quod terra non sit eadem, sive quod priorem naturam immutaverit, sed quia pro qualitate culturæ majores, vel minores fructus producit.

Idque in hac ingenii materia, tam in literis, quam in artibus, neglectis antiquioribus exemplis, Chaldeorum,
Arabum, Ægyptiorum, & Judæorum, ac aliarum na- 3
tionum; Atque more Legistarum, aliorumque humanarum literarum professorum, id exemplificando, inter literas græcas, & latinas; Sive inter Græciam, & Italiam; Ex Historicorum, aliorumque scriptorum communi, ac certo testimonio, Græcia literarum, & artium florida mater, & cultrix erat, omniumque nationum magistra; Italia vero barbara ac omnino inculta; Adeout primævis temporibus, ante Urbis Romæ adeo fortunatam, ac fatalem ædificationem, aliqua literarum initia, in Apuliæ & Calabriæ extremitatibus, tamquam in re-
gionibus, quæ Græciæ magis adjacent; In Sypontina 4
scilicet, Tarentina, & Crotonensi Civitatibus, ab Archytis, & Pythagoricis, ac aliis habuerit.

Ipsaque Roma, post tertium suæ fundationis sæcu-
lum Regum dominatione expulsa, atque in statu jam 5
crescentis Reipublicæ constituta, quamvis adhuc non adulta, ab ipsa Græcia leges recipere coacta fuit.

Eadem vero Republica, adulta, atque robusta effecta, 6
Romanorum, ac Italorum potentia ipsam Græciam, prius opibus, & artibus, aliisque pretiosis & conspicuis rebus desertavit, eisque Italiam ditavit; Deindeque literas quoque ad se traduxit, juxta Rhodianæ Academiæ declamationem, quæ audito Cicerone in græcis literis perorante, facta est; Ideoque Italia effecta fuit literarum, ac artium fecunda mater, aliarumque nationum magistra; Græcia vero pene inculta, ac barbara evasit.

Verum (ita rerum vicissitudine exigente) translata per
Constantinum Imperiali sede ad Byzantinam Civitatem 7
(quæ ita mutato nomine, Constantinopolitana dicta est,) ad illam Græciæ partem, Romanarum literarum, & artium denuo translatio, seu restitutio secuta est; Ipsaque Roma, & Italia, aliæque occidentales provinciæ, ob tot barbarorum incursiones, qui literarum, ac bonarum artium acerrimam, & capitalem profitebantur inimicitiam, omnino barbaræ, & incultæ per plura sæcula remanserunt.

Postea vero, per quandam alternativam, eadem Græ- 8
cia per barbaros, ac literarum infensos Turcas, occupata, ipsa Italia, aliæque adjacentes provinciæ, priori literarum bonarumque artium culturæ paulatim restitutæ fuerunt, atque in dies magis restituuntur, donec (quod Deus semper avertat,) ejusdem alternativæ, seu vicissitudinis casus fiat; Unde propterea (ut quidam sapiens bene dicere solebat,) Orbis terrarum semper fuit, ac futurus est idem, ob

æ creatione, quam sacræ literæ veteris Testamenti nos
docent, usque ad illam destructionem, quam ex aliis
sacris literis novi Testamenti, ex Christianæ Religionis
professione constanter credimus, eademque est humana
conditio; Mores autem, de una in aliam partem, vel
9 nationem pro ejusdem Orbis connaturali vicissitudine,
transeunt; Juxta illud naturale exemplum, quod tradi
solet de terræmotu, qui per partes probat, ut terra moveatur,
& concutiatur, & tamen illa in universum,
semper in eadem firmitate permanet.
10 Verificata igitur in hoc nostro Mundo communicabili,
præfata communi opinione, seu traditione, quod
scilicet modernis temporibus, scribendi libido, atque librorum
copia creverit, ob majorem præsertim facilitatem,
quæ post artis imprimendi novam inventionem,
vel restitutionem, secuta est; Cum in illis primis hujus
restitutionis temporibus, modicus esset scriptorum
numerus, atque major esset Episcoporum, aliorumque
Prælatorum zelus, & vigilantia, Hinc proinde, quamvis
ex antiquorum Sanctorum Patrum testimonio, præsertim
D. Hieronymi, antiquissimus esset Ecclesiæ Catholicæ,
sedisque Apostolicæ usus, super prohibitione usus,
ac lecturæ illorum librorum, qui sanam doctrinam
non continerent, dum omni tempore, catholica Fides,
11 ejusque Metropolitica Romana Ecclesia hæresum turbationes
passa est, illam præsertim omnium majorem,
quam vix adulta, ab Arianorum sequacibus, ac fautoribus
sensit; Attamen cum Episcopi, aliique locales Prælati
recte suum munus in hoc explerent, nulla subesse
videbatur necessitas, Tribunal peculiare desuper erigendi,
dum ipsemet Pontifex per literas, ab Episcopis consultus,
sive eosdem desuper monendo, ita recte provi-
12 debat; Atque pro ejus particulari Episcopatu Urbis, ac
districtus, per sui Palatii Theologum, seu Magistrum,
hoc munus particulare sufficienter explebat. e
13 Episcoporum vero, aliorumque Prælatorum charitate
frigescente, præsertim autem ex abusu negligendi residentiam,
atque obtinendi plures Cathedrales, & Metropolitanas
Ecclesias in commendam, ad solam utilitatem,
adinstar simplicium beneficiorum; Exortaque Lutherana
hæresi, & a qua iniqua matre, adeo iniquiores
filiæ prodierunt; Erectaque superius insinuata Congregatione
Inquisitionis universalis, ista in vigilare cœpit,
super prohibitione, ac extirpatione librorum, qui
sanam doctrinam non continerent, atque catholicæ fidei
dogmatibus, aut bonis moribus, naturalibus, vel
ecclesiasticæ potestati, aut Christianæ pietati adversarentur,
seu præjudiciales esse possent.
14 Quamvis etenim, ignarum, vel iniquum vulgus hanc
prohibitionem, ad solos libros, qui fidei dogmata contineant,
restringere satagat, quasi quod ea, quæ mores,
vel pietatem, sive ecclesiasticam potestatem, seu libertatem
concernunt, ad fidem non pertineant, prorsus
tamen erronea est hæc opinio, quæ ignorantiæ,
vel malitiæ filia dici meretur, quoniam ista sunt hæresum,
vel schismatum semina, vel radices, aut præparationes;
Ideoque prudentis medici partes sunt, præservativæ
magis, ne morbus nascatur, vel crescat, incumbere,
atque ita futuro malo occurrere, quam expectare
morbi jam exerti, ac dominantis curationem, quæ
non semper, vel non adeo de facili sequi potest.
15 Id autem apud omnes commendabile reputatur, ut
quo magis fieri potest, parce, ac circumspecte in hac
prohibitione procedatur, ne facilitas, vel frequentia vilipendium
causet, aliaque producat inconvenientia eo
modo, quo in Ecclesiasticis Censuris Canones, atque
Concilia docent, ac monent. f
Cum autem malo crescente, dictaque Congregatione
in gravioribus actualibus negotiis Fidei magis occupata,
ista materia revisionis, ac prohibitionis librorum,
16 forsan non adeo diligenter, & accurate ageretur; Hinc
Sixtus V. in sæpius enunciata multarum Congregationum
erectione, istam quoque Indicis librorum, tanquam
dictæ alterius Congregationis S. Officii in hac
parte, vicariam, seu adjutricem erexit. g
Eadem primæva potestate, penes ipsam matrem, adhuc
17 remanente, dum ex eadem Dominicana Religione deputatus
sui Secretarius, qui in omnibus Cardinalitiis Congregationibus
magnus est minister & operarius.
Constituitur autem ista Congregatio ex competenti
18 Cardinalium numero vario, pro Papæ placito, habens ut
supra, Secretarium religiosum Ordinis Prædicatorum;
Ac etiam in primarium, & fixum consultorem, habet
præfatum Apostolicum Palatii Magistrum, cujus antiquitus
in Curia singularis ista cura erat; Et ulterius magnum
quoque habet numerum, Theologiæ, aliarumque
literarum professorum, qui frequentius, omnes, vel pro
majori parte, sunt religiosi diversarum Religionum, sub
nomine, seu vocabulo Consultorum, quorum partes sunt
diligenter revidendi, ac examinandi libros, quorum suspicio
habeatur, juxta distributionem, quæ per Secretarium
eis fieri solet, ad effectum referendi, & examinandi
in plena Congregatione, quæ statutam diem non habet,
sed pro negotiorum numero, vel urgentia, in aliquibus
anni temporibus haberi solet, ita in ea determinando,
an liber debeat, necne prohiberi; Interdicta locorum
Ordinariis, aliisque Prælatis facultate concedendi 19
licentiam legendi libros, qui ab ipsa Congregatione,
vel ab altera Inquisitionis prohibiti fuerint, ideoque ad
eas privative ista facultas restricta est. Ac etiam ad dictum
Magistrum S. Palatii, cum aliquorum librorum exceptuatione,
quam ipsæmet Congregationes patiuntur,
dum aliquorum librorum respectu, ipsi Papæ, singulariter,
ac privative, ista potestas reservata est, præsato
Apostolici Palatii Magistro ejus primævam continuante
auctoritatem conjunctim cum Vicario, seu ejus Vicesgerente,
revidendi per seipsum, vel per alios a se deputatos,
libros, qui in Urbe, & districtu imprimendi sint,
atque imprimendi facultatem, nec non jam impressorum
publicationem concedendi, ut superius in aliquorum
Palatii Apostolici officialium rubrica advertitur. h
Idemque hujus Congregationis est commendabilis stylus,
omnia gratis peragendi, rigorose prohibita Consultoribus,
ac Revisoribus cujuscumque mercedis recognitione,
etiam sub prætextu magni laboris, vel expensarum, 20
quas facere oporteret pro eadem revisione; Omnes etenim
Sacrarum Congregationum operarii, præsertim istius
ac alterius supra enunciatæ S. Officii, necnon Rituum,
mere gratuiti sunt, laborum mercedem, a Sede Apostolica
cum Episcopatibus, vel Religionis muneribus, pro
eorum qualitate, ac temporum opportunitate, recipientes,
omniaque explicantur in eadem forma extrajudiciali,
& summaria, nulla judicialis telæ mistura accedente,
eodem modo quo de aliis Congregationibus est dictum.
Super ista vero librorum prohibitorum lectura, Scribentes,
potissime vero morales, varias quæstiones disputare
solent, & præsertim an, & quando, etiam absque superiorum
licentia, ea licita sit spectato fine, vel causa, quia 21
nempe ad bonum finem, atque pro ejusdem Catholicæ fidei,
vel sedis Apostolicæ, aut ecclesiasticæ potestatis servitio,
vel defensione fiat; Meum vero non est, juxta ea,
quæ in omni materia, omnibusque laboribus utriusque
idiomatis protestata sunt, agere de iis, quæ concernunt
forum internum, cujus judex est Deus, qui videt in
corde, sed solum de iis, quæ in foro externo judicant
homines, qui vident in facie, non autem in corde; Atque
in hoc foro receptum est, illicitum esse sibi ipsi jus
dicere, atque sub hoc prætextu superiorum præcepta spernere,
cum alias nimium lata via fraudibus, ac legum,
& prohibitionum elusioni locus fieret; Excusatione a
pœnis admitti solita, ubi locorum, quæ prohibitioni
causam dederunt, cancellatio accedat. i
Prout, eisdem prohibentibus regulis prudentialibus,
quæ multa, & præsertim in jurisdictionali materia, exa- 22
minare, ac decidere prohibent, studiose negliguntur illæ
quæstiones, quæ circa participationem, vel dependentiam
laicalis potestatis, super hac prohibitione librorum
disputari solent. l

a Salomon. lib. Eccl. c. 1. b l. 1. & 2. C. de vet. Jur. enucl. c supra, disc. 8. f in annot. ad C. T. pluries g Constit. 74. Sixti V. h d. disc. 8. i de his agit Vermil. cons. 186.
l de aliquibus discurrit scriptor modernus in responsione in materia Inquisitionis.

De Sacra Congreg. Fabricæ, ejusque Tribunali.

SUMMARIUM.

1 *De erectione Tribunalis Fabricæ, & deputationis judicis.*
2 *Duæ sententiæ conformes habent vim trium.*
3 *De antiquis facultatibus, præsertim circa invalidas alienationes bonorum Ecclesiæ.*
4 *De hodierno statu hujus Congregationis.*
5 *De duplici Congregatione generali, vel particulari.*
6 *Ad quid hodie restrictæ sint fabricæ facultates.*

7 Quod

7 *Quod hæc erectio dicenda sit potius commendabilis, & de ratione.*
8 *Episcopi sunt legales executores piarum dispositionum.*
9 *Expedit adesse plures executores, & visitatores.*
10 *De facultatibus Fabricæ circa munus executoris piarum dispositionum.*
11 *De applicatione incertorum.*
12 *De casu insufficientiæ bonorum ad operis implementum.*
13 *De casu incapacitatis legatarii.*
14 *Testamenta, & ultimæ voluntates proveniunt a jure positivo, ideoque Princeps potest derogare, vel dispensare.*
15 *Quod Episcopus etiam de jure, possit applicare aliis piis operibus dispositiones in opus destinatum non applicabiles.*
16 *De ratione conclusionis.*
17 *De differentia inter derogationes, vel dispensationes Principum sæcularium, vel Papæ.*
18 *In quo consistat exorbitantia, quæ practicari solet.*
19 *De absurdis, & inconvenientibus in observantia legum.*
20 *De aliquibus exemplis exorbitantiarum, & quomodo incertæ dispositiones intelligendæ sunt, vel in casu insufficientiæ.*
21 *Quod etiam apud Gentiles commendabile esset supremas pias dispositiones impleri.*
22 *Quomodo intelligi debeant dispositiones favore incapacium.*
23 *De exorbitantiis commissariorum, & inferiorum ministrorum.*
24 *De negotiis quæ in hac duplici Congregatione tractantur.*
25 *De ordine cum quo cognoscuntur causæ contentiosæ.*
26 *Legata regulariter sunt executiva.*
27 *Quod aliquando istæ causæ sint Rotales, & quomodo.*
28 *Fabrica habet privativam, ubi adsit mixtura ejus interesse.*
29 *Quando causæ disputentur in Congregatione generali.*
30 *Non tenet præceptum testatoris, quod fabrica non possit se intromittere.*
31 *Quando etiam favore religiosorum incapacium dispositiones substineantur.*
32 *De decreto Alexandri VII. circa dispositiones incertas favore pauperum.*
33 *De dispositionibus fiduciariis occultis, & ad aures confessarii, vel alterius.*
34 *Ut intrent facultates ratione insufficientiæ, requiritur monitio.*
35 *De compositionibus super occultis dispositionibus, idest Fabricæ ignotis.*
36 *De hoc tribunali Fabricæ in Regno Neapolitano, & quomodo regatur.*

D I S C. XX.

AD Principis Apostolorum Vaticanam Basilicam, pe-
1 ne collabentem, restaurandam; Sive ad eam redigendam, in eam adeo magnificam, & sumptuosam structuram, quam hodie cernimus; Julius secundus quamplura concessit, de Ecclesiæ thesauro, dona spiritualia iis, qui pro dictæ Basilicæ fabrica, eleemosynas, ac oblationes facerent, vel mitterent, aliquos Commissarios, citra, & ultra montes deputando; *a* Atque Leo X. amplas concessit facultates ejusdem fabricę Administratorum Collegio, exequendi pia legata, piasque dispositiones, atque ex eis aliquam partem ipsi Fabricæ applicandi (quod aliqua inconvenientia Catholicæ Ecclesiæ præjudicium produxisse aliqui dicunt;) Verum Clemens VII. quamplures ex hujusmodi concessionibus moderando, pro meliori ejusdem Fabricæ administratione numerosum Collegium sexaginta qualificatorum virorum deputavit, cum pluribus facultatibus, illa præsertim deputandi unum judicem,
2 ut Fabricæ debitores cogere, atque causas ad eam pertinentes summarie decidere valeat; *b* Atque duas sententias ad favorem fabricæ emanatas, vim trium habere postmodum indulsit S. Pius V. *c* Qui etiam duas alias fabricæ, ejusque Collegii prædicti favore Constitutiones edidit super piarum dispositionum executione, & alicujus partis respective applicatione. *d*

3 Necnon per aliam Constitutionem, facultatem concessit revidendi, ac rescindendi quascunque bonorum ecclesiasticorum alienationes male factas, earumque retractatione secuta, fructus decursos, & aliquam portionem sortis, fabricæ applicandi, cum ampla facultate hujusmodi causas cognoscendi, ac etiam desuper transigendi, vel componendi; *e* Atque Sixtus V. occasione concedendi quandam jurisdictionem aliasque facultates dictæ Basilicæ Cardinali Archipresbytero, huic superioritatem in dictæ Fabricæ Collegium concessit, cum potestate reformandi officiales, & ministros, ac etiam cognoscendi causas, vel Judicem deputandi. *f*

Sub Clemente vero VII. novus, ac diversus impressus 4
est rei status, quoniam ad instar illius erectionis plurium Cardinalitiarum Congregationum, quam idem Sixtus prædecessor fecerat, istam fabricæ, ex Cardinalium competenti numero pro Papæ placito, Congregationem erexit, pluribus etiam justa hodiernam praxim adjunctis Prælatis; Nempe Auditore Cameræ; Thesaurario Generali; Uno ex Rotæ Auditoribus; Et uno ex Clericis Cameræ, ac aliquibus aliis Prælatis, pro ejusdem Papæ arbitrio; Ultra ordinarios officiales, qui Prælati, vel respective togati esse solent, ut nempe sunt; Judex Ordinarius, Oeconomus generalis; Secretarius Congregationis & Advocatus; Itaque Congregatio, certam non habet diem, sed pro negotiorum qualitate, ac urgentia haberi solet.

Hinc loquendo pro hodierna praxi, quæ dici solent in 5
Curia Fabricæ Congregationes. Una scilicet major, & Cardinalitia, cum Prælatorum mixtura ut supra, cui Congregationis generalis nomen tribuitur, ad differentiam alterius minoris, vel particularis, quæ frequentius haberi solita est, constituta ex dictis officialibus, & ex antiquiore dictæ Congregationis majoris Cardinali, qui videtur ejus caput, seu Præfectus.

Reformata vero dicta facultate per S. Pium V. concessa, 6
circa revisiones, ac rescissiones alienationis bonorum ecclesiasticorum, omnique abolita applicatione emolumentorum, quæ ex indulgentiis, aliisque spiritualibus donis, justa concessiones Julii II. & Leonis X. præcipiebantur. Ad piorum legatorum, aliarumque piarum dispositionum executionem, ac respective applicationem, Fabricæ facultates restrictæ videntur.

Quidquid autem sit de hujus Tribunalis, vel introductionis commendatione, sive illa censura, quam inferiorum ministrorum, & Commissariorum asperitates,
vel facultatum quandoque indiscretus usus producere vi- 7
dentur. Id abstracte considerando, commendabile potius opus videtur, ut scilicet, ita ingrati hæredes suorum auctorum, ac benefactorum obliti, eorum pia vota exequantur, ac impleant.

Quemadmodum etenim ex juris communis dispositione 8
hoc munus demandatum est Episcopis, qui piarum dispositionum legales dicuntur executores, & curatores; *g* Ita nil prohibet, ut eorum facultate firma manente, hic alter, forte majoris auctoritatis, & vigilantiæ, detur executor, dum quo majores adsunt vigiles, & executores, eo magis pia vota, & opera adimplentur, ut ita quod unus negligit, vel non videt, alter videat ac suppleat; Ad instar eorum, quæ circa visitationem Monasteriorum monialium, vel circa animarum curam, & Sacramentorum
administrationem, circa superiorum, ac visitatorum mul- 9
tiplicitatem in suis sedibus advertuntur. *h*

Circa plura itaque hujus Congregationis, ejusque offi-
cialium munus versatur; Primo nempe circa dictum exe- 10
cutoris, & curatoris dispositionum, quæ ad pias causas factæ sint, ut suum sortiantur effectum, fructus decursos sibi applicando, ut istud fabricæ opus, loco illorum operum, vel suffragiorum, quæ fieri debebant, ex ecclesiastici thesauri plena potestate Apostolica succedat.

Secundo, ut exigat, sibique applicet pias dispositiones 11
incertas, sive ad incerta pia opera factas.

Tertio, ut pariter exigat, sibique applicet illa lega- 12
ta, quæ facta sint pro certo opere individuo, pro quo bona relicta non sufficiant, ne alias cum indebito hæredis lucro apud eum bona remaneant.

Et quarto, quod ubi Ecclesiæ, seu loca, aut personæ, quarum favore dispositio facta sit, ex instituto incapaces, existant (ut ex. gr.) sunt Capuccini, & Minores Observantes, ac etiam Jesuitæ quarti voti, eorumque Domus professæ, & similes, tunc Fabrica totam dispositionem sibi ipsi applicet, sive cum quibusdem compositionibus parte accipiat, & partem remittat. *i*

Quamvis autem (loquendo in abstractu, atque per tra- 13
mites juris) istæ facultates non contineant illam exorbitantiam, quam communis hominum opinio credit, dum apud catholicæ fidei professores, de potestate Papæ nefas est

dubitare; Tum ob usum amplum clavium a Christo Domino sibi concessum; Tum etiam quia (ut in hac materia ultimarum voluntatum pluries advertitur, *l*) illarum subsistentia, vel necessaria observantia, non provenit a jure divino, vel naturali, cui dispensari, vel derogari non valeat, sed provenit a jure mere positivo; Adeout in temporalibus, vel prophanis dispositionibus Principi sæculari potestas detur, non solum illas commutandi, sed etiam derogandi, & abrogandi; Ergo multo magis in dispositionibus piis, vel ecclesiasticis, id concedendum est Papæ, cujus absque dubio, longe major est potestas.

15 Tum clarius, quoniam si de jure in casu incertitudinis, vel insufficientiæ, aut incapacitatis, seu alterius impedimenti, ob quod pium opus a disponente volitum, præcise impleri non possit, etiam Episcopo, vel alteri Ordinario superiori ecclesiastico, datur ista facultas, applicandi illam dispositionem aliis operibus piis, vel ecclesiasticis usibus, pro ejus bene regulato arbitrio; Multo magis id est concedendum Papæ. *m*

Ex ea congrua ratione, pluries in eadem materia ulti-
16 marum voluntatum insinuata, *n* quod scilicet substantia piarum dispositionum consistit in genere piorum operum, sive in pietate erga Deum, pro animæ propriæ, vel suorum suffragio, & peccatorum remissione; Unius vero, vel alterius operis species, concernit potius modum, vel accidentia, quam substantiam; Ideoque magna differentia est inter illas derogationes, vel dispensationes prophanarum dispositionum, quas concedunt Principes sæculares, & istas commutationes, vel applicationes, dum istæ non destruunt substantiam, ut illæ faciunt; Adeout ut bene ad hæc reflectendum, apud viros literatos, ac alios qui rem examinent cum debito ratiocinio legali, id nullam redoleat exorbitantiam, vel asperitatem.

17 Adhuc tamen (cum paucis detur ita ratiocinari) major pars hominum forte scandalum aliquod concipit, idque provenit potius ex aspero, & indiscreto usu, vel intelligentia hujusmodi facultatum, provenire videtur, quam ex ipsis legibus, quæ illas concedunt; Adinstar eorum quæ in simili ponderantur circa bullam Baronum *lib. 1. de feudis*, quod scilicet exorbitantia non sit in lege, quando ea practicetur discrete, atque ad limites rationis, quæ probabiliter legislatorem movere potuit, sed consistat in indiscreta, & aliquando irrationabili intelligentia, vel praxi, ut in omnibus aliis legibus, & provisionibus contingit.

18 Omnes etenim leges, vel saltim pro majori frequentia, ex justo, ac rationabili motivo, seu fine editæ sunt; Irrationabilitas autem, vel exorbitantia resultat a mala praxi, sive ab ejus intelligentia, vel interpretatione lite-
19 rali, ad sonum verborum, pro damnabilissimo pragmatico abusu, ex quo omnia mundi mala proveniunt, non reflectendo ad rationem, seu finem, qui a legislatore habitus fuit, præsupponendo (ut decet) eundem legislatorem, virum justum, & rationabilem, non autem injustum, ac bestialem.

Quando etenim opera pia, per disponentem volita, ve-
20 re sunt omnino incerta, & impracticabilia, tunc nil refert, an uni, vel alteri pio operi bona relicta applicentur, cum sufficiat adimpleri pium votum in genere erga Deum; Sed quando revera sint certa, atque tanquam talia, disponens ea demandare juste crediderit; Incertitudo autem deducatur ex verborum rigorosa criticatione; Puta (exemplificando in eo casu, qui nostra ætate aliquam non modicam nec improbabilem dedit scandali occasionem) quod demandante quodam Prælato, qui erat etiam prius sacerdos ut ejus divites, & æque pii hæredes, menstrua scuta quinquaginta omni tempore in septem opera misericordiæ erogare deberent, ista reputata fuerit dispositio incerta, ideoque sorta principalia hujus annuæ perpetuæ præstationis, Fabricæ erogata sit.

Sive quod testatore cupiente, aliquod opus pium in ejus patria, pro illius subventione, vel honorificentia, quod frequentius, ex motivo naturali erga patriam potius quam ex illo solo pietatis sequi solet; Puta pro constructione Monasterii Monialium, aut pro erectione Ecclesiæ collegiatæ, cum similibus; Quod si illud opus ex bonis relictis perfici non possit, sive quod ex alio impedimento opus non perficiatur, debeant bona ad hunc effectum relicta, applicari in fabricam Ecclesiæ in Urbe, quam nunquam testator cogitavit, vel contemplatus est; Siquidem pietatis, humanique discursus ratio exigit quidem, ut non caducetur dispositio, neque illa inutilis remaneat, pro hæredis locupletatione, quodque pia voluntas impleri debeat circa erogationem bonorum, quæ disponens Deo ejusque animæ applicavit; Id etenim etiam apud gentiles, pium & commendabile reputatum fuit, unde propterea in antiqua Romana Republica, Tribunal Epulonum erectum fuit; Verum erogatio fieri debebat in opera approximantia, atque in eadem patria, adeout si non præcise, saltem æquipollenter impleatur finis, vel effectus a disponente consideratus.

Prout si testator idiota, hujusmodi legalium subtilitatum ignarus, relinquat (ex gr.) aliquam annuam, vel men- 21
struam præstationem ejus patriæ, vel alterius certi loci
Capuccinis, vel Minoribus observantibus, ac similibus, 22
qui ex eleemosynis vivunt, & quas ipse vivens subministrare solitus erat, tanquam per quandam speciem continuationis per successores post ejus mortem, de eo, quod ipse faciebat in vita; Tunc asperum, ac exorbitans reputari solet, ut ob religiosorum incapacitatem, Fabrica debeat relictum sibi applicare, quoniam substantia voluntatis ea esse videtur, ut id practicari debeat, eo modo quo potest, & licet, ac etiam solet, ut scilicet ita hæredes in hoc opere pietatis eleemosynaliter continuent; Neganda quidem est ipsis religiosis actio in judicio experibilis; Atque ubi hæredes negligant, recte apponuntur manus, atque applicantur Fabricæ decursæ annualitates, non autem applicanda est sorta, ac destruendo radicem pii operis, ne in futurum sequatur, cum similibus exorbitantiis.

Ea præsertim, de qua in rerum Regularium sede habetur; quod scilicet illa dispositio, quæ favore aliquorum Regularium, sine aliquo onere valida esset, inutilis reputata sit, atque Fabricæ applicata, ob desideratam a disponente celebrationem aliquarum missarum, & anniversariorum, cum aliis casibus, qui in diversis respective materiis insinuantur. *o*

Hinc proinde, multi probi, ac zelantes dicunt, & bene, quod leges sunt quidem commendabiles, bonoque fine editæ, ipsaque introductio in genere, indebite censuras patitur, sed quod exorbitantia, & irrationabilitas quandoque consistit in usu, vel praxi.

Majores autem exorbitantiæ, vel scandala resultant
ab illis inferioribus ministris, qui vulgo commissarii dicun- 23
tur, præsertim ob facilem usum, vel abusum censurarum, adeout, adinstar eorum, quæ alibi de commissariis Nunciorum, & Collectorum Apostolicorum insinuatur, *p* more pyratarum, vel grassatorum, diœceses, ac provincias cursitare profiteantur, ad proprium lucrum, & extorsiones, absque eo quod ipsa pia opera impleantur; Licet enim superiores, nimium justas, beneque regulatas instructiones præbeant, adeout theorica sit optima, optimaque, & sancta superiorum intentio; Praxis tamen mala, & scandalosa est ob malitiam, & improbitatem inferiorum operariorum, ita humana conditione exigente; Quæ tamen omnia ita discursive dicta sint, ex bono animo, ac zelo erga sedem Apostolicam, referendo id quod alii dicunt, ut inconvenientibus occurratur, nihil desuper firmando.

In utraque igitur dictarum Congregationum respective, 24
adinstar Congregationis Rituum, de qua supra, de duobus negotiorum generibus agi solet; De contentiosis scilicet; cum defunctorum hæredibus, vel aliis, ad quos pertineat propriarum dispositionum executio; Aut cum legatariis, qui incapaces prætendantur, sive quod altas in eorum exclusionem intrent fabricæ facultates; Et de œconomicis, pro fabricæ guberniis, & administratione, ac meliori directione; dispungendo etiam computa, & rationes ministrorum, & operariorum.

Quatenus itaque pertinet ad primum genus negotiorum, 25
seu controversiarum in forma contentiosa; Stylus est pro negotiis Urbis, & Status ecclesiastici, quod causæ in prima Instantia cognoscuntur in forma contentiosa, & judiciaria, eo modo quo coram aliis Judicibus ordinariis, per dictum Judicem, & quando hic esset suspectus, per unum ex Prælatis Congregationis, qui deputari solet a dicto Cardinali antiquiori, qui partes Præfecti gerere videtur; Atque ubi agatur de causis, quæ de jure sunt appellabiles ad utrumque effectum, idem servatur in secunda, & respective in ulteriori instantia, quando incurraret, per deputationem unius ex dictis Prælatis; ac etiam quandoque unius ex Cardinalibus, servato in reliquis ordine juris, seu processu judiciali; Quando vero causa sit de jure executiva, non admittens appellationem, ad effectum suspensivum, ut præsertim regulariter sunt legata pia, dum etiam prophana, juxta veriorem opinionem Angeli, quæ in omnibus Curiæ Tribunalibus

est

est recepta; q; quoties facti circumstantiæ limitationem non suadeant (excepta Rota, quæ in reverentiam anti-
26 quitatis, adhuc persistit in sensu insequendi opinionem Alexandri;) Multo vero magis ubi sint pia; Disputari solet, prius coram dicto Cardinali antiquiori, & in Congregatione particulari, & quando partes non acquiescant in dicta Congregatione Cardinalitia (quæ ad differentiam dicitur generalis) super modo committendi appellationem, etiam ad utrumque, vel potius ad unum tantum; Adinstar quotidianarum disputationum Signaturæ, ex motivo injustitiæ, ob quam prætendi solent appellabiles etiam illæ causæ, quæ de earum natura sint executivæ.

27 Et aliquando, ubi agatur de causis gravibus, committuntur illi Rotæ Auditori, qui est de Congregatione, & quandoque etiam alteri ejusdem Rotæ Auditori, etiam per plures instantias, unde propterea hæc dicitur causa Rotalis, quoad modum disputandi, quamvis revera sit extra Rotam, stante stylo hujus Tribunalis, ut ipsi Auditores etiam singulariter deputati, in causis non Rotalibus, nihil decidant, absque disputatione dubii in Rota, præviisque decisionibus, more causarum Rotalium. r

28 Iste autem ordo mere contentiosus pro frequentiori contingentia, haberi solet in illis causis, quæ principaliter agantur inter partes interessatas potius, quam cum sola Fabrica, quæ causam ad suum Tribunal traxerit, ex dictis ejus facultatibus, & privilegiis, ob mixturam sui juris, vel interesse, ad instar fisci, cujus privilegia sortitur; Unde propterea habet privativam, cum facultate avocandi causas a quibuscunque Judicibus, & Tribunalibus, nisi Papæ aliter videantur in Signatura Gratiæ, in qua frequenter istæ quæstiones remissionis causarum disputari solent.

Quando etenim, non adsit mixtura alterius Partis in-
29 teressatæ, adeout causa sit inter Fabricam, & hæredem, vel alium, qui teneatur adimplere piam dispositionem, sive inter Fabricam, & eum, cujus favore dispositio facta sit, adeout principalis quæstio sit, an intrent, necne ejus facultates pro applicatione, tunc pro frequentiori contingentia, altera Pars exquirere solet votum Congregationis generalis, in qua Judex primæ, vel ulterioris instantiæ causam proponit, ut; Vel reportet resolutionem pro absolutoria, cum declaratione quod facultates non intrent; Vel quod emanet rescriptum admissionis ad aliquam honestam concordiam, quæ solet esse finis frequentior hujusmodi controversiarum, quando sint cum sola Fabrica sine mixtura alterius interessati, ob stylum in hoc nimium benigne agendi, ut etiam superius enunciatæ Apostolicæ Constitutiones innuunt; Isteque ordo, etiam quandoque sequi solet in dicta Congregatione parva, seu particulari pro casuum qualitate, ac Partium sensu, vel acquiescentia.

30 Facultatea autem in suis casibus intrant, neglecto quocunque disponentis præcepto; ut Fabrica in ejus dispositionibus se ingerere non valeat; Quamvis etenim Rota, circa hujus sæculi initia deciderit, quod hoc præceptum esset validum & operativum, atque cum hoc sensu aliqui DD. procedant; Contrarium tamen per istam Congregationem determinatum fuit, atque resolutio Pontificio oraculo comprobata fuit, ideoque ista praxis. s

31 Ex dictis autem Capitulis supra recensitis; Incapacitatis scilicet legatarii; Incertitudinis; Et insufficientiæ; Primum habes solum disputationes juris, an incapacitas adsit, necne, cum etiam in illis casibus, in quibus regula sit pro incapacitate, plures cadere soleant limitationes, ut in rerum regularium sede advertitur, & alibi. t

32 Alterum caput incertitudinis, ab Alexandro VII. sui Pontificatus initio, magnam recipit restrictionem, respectu legatorum; quæ fierent pauperibus in genere, dum isti sunt semper certi, juxta dictum Evangelii, *quod pauperes semper vobiscum habetis*; Verum fabricæ officialibus valde conquerentibus, quod exinde magnum resultaret præjudicium, ac facultatum restrictio. Forteque magis efflagitante nimium sumptuoso opere Theatri columnarum, quod in ejusdem Basilicæ atrio, seu platea ipse Pontifex assumpsit, peneque perfecit, quædam ejusdem Pontificis prodiit moderatio, seu declaratio, quæ primam provisionem pene ad nihilum redegit.

33 Atque circa illud caput incertitudinis; Quando agatur de illis dispositionibus fiduciariis, quarum executio oretenus committatur confessario, vel alteri fiduciario, sub præcepto, quod non teneatur alicui ejus voluntatem patefacere; Quamvis super hujusmodi dispositionibus, utpote aliquando captiosis, & fraudolentis disputationes cadant, in sua sede examinatæ; Attamen illas (commendabiliter quidem, ad tollendam omnem scandali occasionem Fabrica assumere non solet, bene tamen exigit ab eo fiduciario juratam declarationem, an sibi commissa opera sint certa, vel incerta; Eoque declarante quod sint certa, abstinet, atque aliud non agit. u

Et quoad tertium caput insufficientiæ; Ad hoc, ut facultates intrent, præcedere debet monitio hæredis, vel alterius, ad quem pertineat; Ex ea congrua ratione, quod 34
potest ille dicere se velle supplere; Atque ubi altera pars interessata sit in causa, quæ dispositionis implementum ejus favore petat, negando verificationem insufficientiæ, a qua pendet, an facultates intrent, necne, tunc assumi solent disputationes quæstionis adeo inter DD. controversæ, an scilicet certa designatio stet taxative, vel demonstrative, in suis sedibus non semel peracta; x Aliaque plura occurrunt, quorum reassumptio nimiam evagationem redoleret, ideoque præmissa, pro aliqua hujus Congregationis notitia adnotasse, videatur satis.

Sub altero item genere non contentioso negotiorum, 35
quæ in utraque Congregatione tractantur, circa reconomicam administrationem ut supra; Cadunt quoque inspectiones super compositionibus, quæ affectantur super piis dispositionibus occultis, quarum scilicet notitia per Fabricam non habeatur suppressis nominibus, juxta eandem praxim negotiorum fiscalium, seu cameralium, an, & quomodo admitti debeant.

Omnia hæc procedunt in Urbe, & in Statu Ecclesiasti- 36
co, in Regno vero Neapolitano, in quo hoc Fabricæ Tribunal quoque receptum est, ac viget, Congregatio ista, directe se non ingerit in cognitione causarum contentiosarum, sed solum ibi deputat Judices, aliosque officiales inferiores; Verum Judices ita deputati in causarum cognitione, ac decisione, (juxta concordata in ejusdem Tribunalis receptione, seu admissione) non cognoscunt causas, nisi de voto aliquorum Assessorum sæcularium, qui deputantur per Regem, vel per ejus Vicarium, in omnibus tribus instantiis; Atque pro frequentiori praxi esse solent regii Consiliarii illius Consilii, quod S. Claræ, seu Capuanæ dicitur; Sive alterius Consilii, quod dicitur Collaterales; Aut Præsidentes Regiæ cameræ, de quorum numero fuit Rovitus, qui in ejus decisionibus, de aliquibus hujus Tribunalis causis agit; Locales vero, seu diœcesani commissarii, pariter habere debent Assessorem sæcularem per loci Communitatem nominandum; Ideoque respectu dicti Regni, in his Congregationibus respective agitur solum de dicto genere negotiorum non contentiosorum; Nempe de compositionibus, ad quas partes absque contradictore admittenpiant, quando agatur de negotiis gravibus, ad quæ non se extendant facultates illius œconomi, seu Commissarii Generalis, (qui quandoque Prælatus, & quandoque togatus esse solet) dum habet in plerisque potestatem limitatam, inconsulta Congregatione.

Quandoque tamen praxis me docuit, quod per viam relationis, vel extrajudicialis informationis, de causis ibi per omnes tres instantias jam tractatis, ius ista Congregatione disputatum fuit. y

In origine item differunt istæ Congregationes ut supra, quoniam particularis, seu minor est antiqua, tanquam residuum illius magni & numerosi Collegii, quod Clemens VII. instituit; Generalis autem, Cardinalitia, & Prælatitia, adinstar ejus quod Sixt. V. prædecessor de tot aliis Congregationibus fecit recentius instituta fuit per Clementem VIII. ut supra initio advertitur.

a *Julii II. Constit.* 15. b *Const.* 3. *Clem. VII.* c *Const.* 94. *S. Pii V.* d *Const.* 96. & 97. e *Const.* 98. f *Constit.* 102. *Sixti V.* g *tit. de testam. disc.* 24. h *tit. de jurisdict. disc.* 26. & *tit. de Regular.* & *Miscellan. Eccl.* & *alibi sepius*, i *de istis fabricæ facultatibus, sub tit. de testam. disc.* 23. *sub tit. de fideic. disc.* 108. *sub tit. de legat. disc.* 27. & *sub tit. de Regular. disc.* 63. & *alibi pluries* l *sub tit. de testam. disc.* 72. & *sub tit. de fideic. disc.* 14. m *sub tit. de testam, disc.* 23. n *eod. tit. de testam. disc.* 38. o *d. disc.* 63. *de test.* & *in aliis locis ibi insinuatis*, p *in Miscell. Eccl. lib.* 14. q *sub tit. de legat. disc.* 6. *ac etiam sub tit. de judiciis*, & *alibi*, r *infra, disc.* 32. *ubi de Rota Auditoria*, f *sub tit. de test. disc.* 45. t *sub tit. de Regul. disc.* 63. & *in annot. ad C. T. disc.* 35. u *sub tit. de test. disc.* 56. & *sub tit. de Reg. disc.* 63. x *tit. de legat. disc.* 14. & *in Miscell. Eccles. disc.* 30. & 33. y *in casu, de quo tit. de Regul. disc.* 35.

De

De Sacra Congregatione Examinis Episcoporum,

S U M M A R I U M.

1 *DE constitutione Gregorii XIV. super examine Episcoporum.*
2 *De congregatione examinis ejusque introductione, & a quibus constituatur.*
3 *In qua professione fiat examen.*
4 *De modo examinandi,*
5 *De ratione hujus introductionis, & quod sit commendabilis.*
6 *In contrarium, quod non sit commendabilis,*
7 *Quod per hoc examen non obtineatur finis.*
8 *De secunda opinione, de qua num. 6. & quomodo illa procedat.*
9 *Quod in provisione Episcopatuum adhiberi debeant eadem diligentia, qua in Cardinalium creatione, & de ratione.*
10 *Quod etiam in provisione Parochialium sola literatura non attendatur.*
11 *Datur exemplum electionis militum, & electionis Ducis militiæ.*
12 *De judicio Auctoris, & quomodo hoc examen debeat practicari.*
13 *De eodem, & super quibus quæsita fieri deberent.*
14 *De praxi quando aliquis reprobetur, quia nescierit respondere.*
15 *Quinam eximi soleant ab hoc examine.*
16 *Qualis debeat esse numerus examinandorum.*
17 *De stylo cum personis ordinis primarii, qua ad Episcopatum promoveantur.*

D I S C. XXI.

1 CUM Gregorius XIV. (qui tanquam Episcopus Cremonensis, ante purpuræ assecutionem, in Concil. Tridentino interfuerat,) præfati Concilii sensuum conscius esset, circa diligentem inquisitionem eorum, qui ad Ecclesias Cathedrales, vel Metropolitanas essent promovendi; Hinc ad Summi Pontificatus apicem evectus, Constitutionem desuper edidit, præscribendo formam in hac inquisitione, ac examine, tam de doctrina, quam de vita, & moribus, habendo in Curia, vel respective extra ea; Atque huic sensui inhærendo Clem. VIII. immediatus successor publicum, ac solemne examen, coram se ipso, & Cardinalium Congregatione habendum introduxit, ut ita secuta assumendi approbatione, alia fierent acta consistorialia, superius in Consistorii rubrica insinuata. *b*

2 Ita ergo introducta est ista Congregatio, quæ constat ex competenti Cardinalium numero vario pro Papæ arbitrio, ac etiam ex aliquibus Prælatis, & Religiosis, qui sint Canonum, & Theologiæ professores, istique examinatores dicuntur, quorum aliqui sunt fixi, nempe, Rotæ Decanus, vel Vicedecanus, Vicesgerens; Et Magister S. Palatii; Alii vero Prælati, vel religiosi assumuntur pro Papæ libitio, distributis inter istos muneribus pro qualitate, seu professione examinandorum in propria professione canonum, seu decretorum, & Theologiæ scholasticæ, vel respectiva moralis; Ad istam vero ultimam facultatem, pro frequentiori praxi, examen hodie restrictum videtur, 3 cum ipsorum examinandorum optioni remissum sit unam, vel alteram ex his facultatibus eligere.

4 Istud vero examen fieri solet ad interrogationem trium examinatorum, duorum scilicet inferioris ordinis, ut supra, & unius Cardinalis, pro eo tempore, quod Papæ placeat; Quod scilicet introductus per Vicesgerentem ille, qui est examinandus, ante conspectum Papæ, dictorumque Cardinalium, & aliorum examinatorum, genuflexus interrogatus super aliquibus dubiis, vel quæsitis, eam facultatem concernentibus; Atque peracto examine, exquiritur per Papam votum Congregationis, an ille approbari, vel reprobari mereatur, per quandam speciem, seu imaginem illius examinis, quod juxta formam præscriptam a C. T. haberi debet in provisione Parochialium. *c*

5 Problematica vero, atque adhuc sub Judice indecisa est quæstio inter viros sapientes, ac zelantes, an ista introductio commendatione digna sit necne? Aliqui enim affirmativam tenent, ex rationibus in præfata Gregoriana Constitutione assignatis, atque ut ita eorum, qui ad tantum munus assumendi sunt, experimentum fiat; Ducto etiam argumento a dicta forma introducta per Sac. C. T. in provisione Parochialium; Fortius vero, eoque magis in tam graviori provisione ejus, qui deputandus est Parochus Parochorum.

Alii vero inclinare videntur in negativam, quasi quod duplex ita inferri dicatur injuria, tam ipsi Pontifici eligenti, quam Curiæ Romanæ, imo toti Italiæ literarum floridissimæ, quod scilicet Itali, qui ad Episcopatus, & Archiepiscopatus assumendi sunt, atque per ipsum Papam eliguntur, (paucis exceptis Ecclesiis, quæ sint ad Principum nominationem) exponi debeant huic examini, quodque ab eo exempti sint illi aliarum nationum ultra montes, qui ut plurimum per Principes sæculares, vel per Capitula eliguntur, seu nominantur; Fortius vero quia, non exinde obtinetur finis, vel intentum, ut scilicet idonei, ac habiles ad tantum munus assumantur, ideoque adesse videtur malum, absque compensatione boni, dum istud examen practicari solum videtur more scholarium, super aliquibus paucis interrogatoriis, ad breve tempus, & præsertim in theologia morali, ad quam illud pro frequentiori praxi ut supra, restrictum videtur, eo modo quo, me per plures annos id practicante, etiam in parvis Civitatibus, & locis, interrogari solent adolescentes, qui promovendi sint ad ordines minores, vel sacros respective, aut illi qui approbandi sint ad Sacramentum pœnitentiæ ministrandum. 6

Id autem non præbet sufficiens experimentum; quoniam non videtur quid commune habeat, aliquam ostendere notitiam hujusmodi hodie facilium, & manualium propositionum moralium, quas etiam adolescentes in scholis addiscunt, recteque callent, cum regimine Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, dum istud non consistit principaliter in actuali exercitio curæ sacramentalis, vel administrationis sacramentorum, cum hæc peragantur a Parochis, aliisque Clericis, & operariis, qui per examen super hac idoneitate approbari solent; Sed consistit principaliter in exercitio curæ jurisdictionalis; pro qua idoneitas literaturæ, in diœcesibus præsertim ab hæretica lue immunibus, versatur circa notitiam Canonum, & Conciliorum; Imo neque ista theorice, vel scholastice sufficit, sine forensi praxi ecclesiastica, in Sacris Congregationibus, aliisque Curiæ Romanæ Tribunalibus. 7

Et ulterius ista videtur minor pars idoneitatis, quæ pro isto gravissimo munere est necessaria, dum ea commode suppleri potest per Vicarium Generalem peritum, vel per assessores, aliosque adjutores, & officiales; Sed punctus principalis consistit in probatione morum, & in exemplaritate vitæ, ac etiam in prudentia, eaque politica ecclesiastica, & pia, quæ viro ecclesiastico & Prælato conveniat, tam circa ministrorum, & operariorum electionem, quam circa morum correctionem in subditis, ac restitutionem, vel conservationem christianæ disciplinæ, & pietatis in clero, & Populo: Principaliter autem in dexteritate, ac prudentia cum Principibus, & Magistratibus sæcularibus, circa concernentia ecclesiasticam jurisdictionem, & immunitatem, ut eas quidem (ut decet) custodiat; & conservet quo magis pacifice fieri potest, non autem, ut, vel ex indiscreto zelo, vel turpis lucri gratia, aut ex imprudentia, ita in his se agat, ut exinde eidem jurisdictioni, vel immunitati magna potius præjudicia resultent, ut frequens praxis docet, cum similibus politicis, ac prudentialibus partibus, quæ in ista specie principatus, atque in jurisdictione potius habituali, & universali, quam actuali per inferiores officiales, & ministros exercenda requiruntur; Ideoque non videtur quale experimentum desumi valeat, ex eo quod in examine quis respondere sciat ad duo, vel tria interrogatoria, quæ frequentius, circa res faciles, & notas consistere solent; Et quandoque praxis docet, ut bonæ responsiones potius casui, vel cuidam præcedenti introductioni, quæ per peritos fieri solet, referri mereantur, tanquam per speciem illius sapientissimi responsi, quod dedit fatuus Parisiensis. 8

Hinc proinde illi, qui hanc posteriorem sequuntur opinionem, laudant quidem, imo necessarium putant examen, ad præfatæ Gregorianæ Constitutionis præscriptum. Verum eis non satisfacit istud solum materiale, ac momentaneum examen pro quadam formalitate circa literaturam, sed circa omnia alia præmissa.

Et licet ad ejusdem Constitutionis præscriptum fiat alterum examen consistoriale; attamen, ut dicta Consistorii rubrica advertitur, istud videtur potius cæremoniale ad quandam formalitatem, ideoque desideraretur illud facti, idest longa negotiorum ac mundi rerum experientia, occasione aliorum munerum inferiorum; Puta in Vicariatibus generalibus apud qualificatos, & probatos

Præ-

Prælatos, quorum atteſtationibus probabiliter deferendum ſit; Aut in munere Auditoris, vel adjutoris ſtudiorum per tempus notabile alicujus docti, probatæque fidei Cardinalis; Vel in munere bene notæ curialitatis tam circa doctrinam, quam circa vitam & mores, ac prudentiam; Et reſpectu Regularium, inquirere a ſuperioribus Religionis eorum prudentiam, ac habilitatem in provincialitatibus, vel in prælaturis localibus, aliiſque muneribus.

9 Iſtud vero dicunt, ſeu cupiunt opportunum examen, quod in proviſione Epiſcopatuum adhibendum eſt, illam habendo applicationem, quæ regulariter, (paucis exceptis limitationibus) haberi ſolet in promotione Cardinalium, quæ fieri non ſolet niſi de perſonis, quæ per gradus, ac munera publica idoneitatem, ac notoriam fidem habeant; Quinimo, quod major diligentia in proviſione Epiſcopatuum, & Archiepiſcopatuum adhibenda videatur, quoniam licet, non in ratione Ordinis, ſed in ratione officii, ac adminiſtrationis, pro hodierna praxi, longe majus reputetur munus Cardinalitium, quam Epiſcopale, vel Archiepiſcopale, ob ſuperius in ſua ſede inſinuatam participationem in adminiſtratione Eccleſiæ univerſalis; Attamen, ob magnum Cardinalium numerum, & copiam virorum literatorum, ſive bene expertorum in rebus politicis, ac publicis, qui ſunt in Sacro Collegio, non adeo præjudicialis videatur aliquorum ex eis modica ſufficientia, dum alii ſupplere poſſunt; Neque Cardinales ſingularia munia habent, ſed ut plurimum plures eorum, collegialiter Papæ conſultationes, aliaque negotia explicant; Secus vero eſt in Epiſcopis, & Archiepiſcopis, quoniam eis ſingulariter, diœceſis, & provinciæ committuntur; Ideoque ab eorum prudentia ac vita & moribus totum regimen pendet; Ad iſtum autem effectum, non videtur quid referat ſcire, vel non ſcire prompte reſpondere in eo temporis momento aliquibus memoriæ, vel ingenii quæſitis ſuper iis, quorum viri imprudentiſſimi, malèque morigerati, peritiſſimi eſſe poſſunt, dum pro frequentiori praxi, illi qui valde ingenioſi, ac ſtudioſi ſunt, præfatis defectibus, cumulative, vel alternative laborare ſolent.

10 Hinc habemus, quod etiam in longe minori cura, & adminiſtratione parochiarum, circa dictam formam concurſus, quæ ad præſcriptum C. T. ſervanda eſt, ſoli majori literaturæ, quamvis in gradu eminenti, deferri non debeat, quodque mediocris, dummodo ſufficiens literatura juncta cum prudentia, & cum vitæ exemplaritate, aliiſque partibus moralibus prævalere debet magnæ literaturæ, quæ aliis partibus deſtituta ſit c; Multo igitur magis in Eccleſiis Cathedralibus, & Metropolitanis.

11 Magna etenim differentia dignoſcitur inter belli Duces, & ſingulos milites eligendos; Ubi enim privatus miles adſcribendum eſt militiæ, ſit ejus examen, vel experimentum materiale, an ſcilicet ſcit emittere ſclopum, & evaginare, ac exercere gladium, aliaſque gerere partes, quæ in privato milite pugnaturo requiruntur, cum non oporteat aſſumere adoleſcentes, ſeu viros novos, adhuc in eo munere non expertos; Prorſus autem vanum eſſet, & contemptibile, ut ex hoc eodem experimento, emiſſionis ſclopi, vel evaginationis gladii, regulari deberet electio Ducis exercitus, vel militiæ, cum non in ea parte, ſed in prudentia, magnaque peritia rei militaris, iſtud munus verſetur; Adeout frequens praxis doceat, quod inſignes, ac peritiſſimi belli Duces ex infirma valetudine, vel ex aliis accidentibus, ad pugnam perſonalem omnino ſint inhabiles, in militibus etenim privatis deſideratur robur in brachiis, & pedibus, aliiſque partibus corporis; Robur autem Ducis conſiſtit in capite, ſeu in ingenio; Itaque eſt differentia inter Epiſcopos, & Archiepiſcopos, & Clericos inferiores, quibus ſolum exercitium divinorum, & ſacramentorum committendum eſt; Ideoque laudatur hoc examen circa literaturam, ſed quod injunctum ſit cum dicto alio examine potius facti, quam ſolemnitatis.

12 Iſti ſunt diſcurſus, qui in hac problematica quæſtione a ſapientibus ac zelantibus viris fieri ſolent, quorum ſola relatione contentus, meum deſuper non profero judicium, cum ad ſæcularem virum, in vitæ forenſis ſtrepitu verſantem, atque contentioſa negotia peragentem, de his judicare non pertineat; Eodem tamen diſcurſivo, non autem determinativo themate retento, hæc poſterior opinio, cum inſinuata moderatione, ſeu conciliativa diſtinctione, probabilior videtur; Ut ſcilicet, fiat quidem iſtud ſolemne, ac cæremoniale examen, ſuper idoneitate literaturæ, vel ſuper partibus intellectus, ita hunc jam inductum ſtylum conſervando, ſed quod prius, ac principaliter præcedat jam dictum alterum examen rigoroſum, & accuratum, ſuper alia inſinuata idoneitate, dum proceſſus conſiſtorialis, juxta notoriam praxim ad nihilum deſervit, ſed eſt mera formalitas; d Quo vero ad iſtud examen, circa literaturam, cuperem quod religioſi, non ingenioſe, ut ſe ipſos potius coram Pontifice examinarent, atque ad propriæ doctrinæ oſtentationem, ſuper quæſitis ſcholaſticis, vel ſuper ſimplicibus caſibus conſcientiæ, qui ut ſupra congruunt promovendis ad Ordines, aut deputandis ad ſacramentorum adminiſtrationem, inſiſterent; Minuſque Prælati canoniſtæ, ſuper juris canonici ſcholaſticis quæſtionibus, aut ſuper iis, quæ ad Judices pro cauſis contentioſis decidendis deſerviunt; Sed quod illi Cardinales, qui fuerunt Epiſcopi, aut quod bene verſati ſint in Sacris Congregationibus Epiſcoporum, & Concilii, ac etiam Immunitatis, non per viam quæſitorum in abſtracto, & more ſcholaſtico, ſed per viam practicæ, & familiaris allocutionis, ab eis exquirerent, quomodo ſe gererent in aliquibus caſibus figurandis; Puta (ex. gr.) circa eccleſiaſticam juriſdictionem, vel immunitatem, vel circa diœceſis viſitationem; Aut Eccleſiarum Parochialium proviſionem; Sive circa beneficiorum collationes; Aut circa regimen Monaſteriorum monialium; Vel ſuper gravibus inimicitiis, aut motibus popularibus componendis, vel ſedandis, aut ſuper tollendis abuſibus circa matrimonium, vel ſuper iis quæ concernunt ſuperſtitiones, & ſortilegia, cum ſimilibus, quæ concernunt munus Epiſcopale; Et præſertim ſuper iis, quæ conſtet quod a Conc. Tr. in Epiſcopis magis deſiderentur, non autem ſuper iis, quæ ſimplicibus Clericis, vel ſcholaribus congruunt, ut ſupra. 13

Et quamvis, ubi dignoſcatur, quod hic teneretur ſtylus nec in iſto genere verſarentur Inſtructores: Adhuc tamen notabilis profectus exinde reſultaret, dum ita illi, qui examinandi ſunt, bene inſtruerentur de decretis Concilii Tridentini, ac de aliis, quæ peculiariter pertinent ad munus Epiſcopale.

Docet autem praxis (quamvis nimium rara) quod aliqui reprobantur; Verum quia aliquando contingit, quod viri periti ſſimi, ac notoriæ idoneitatis, ab illius magni conſenſus majeſtate territi, intellectus offuſcationem in eo actu patiantur; Adeout frequenter major ſit timor literatorum, quam imperitorum, (cum petulantia ut plurimum ſit ignorantiæ comes;) Hinc licet tunc ille, tanquam idoneus non approbetur; Attamen admitti ſolet ad novum privatum examen, coram aliquibus Cardinalibus, vel eorum aliquo arbitrio Papæ. 14

Item aliquando idem Papa (& quidem commendabiliter) aliquos qualificatos, notoriæque idoneitatis Prælatos, qui ad Eccleſias promoveantur, quia nempe in Nuntiaturis, aliiſque gravibus muneribus, vel in Judicaturis in Curia verſati ſint, in ejus conſpectu pro examine præſentatos (ut ita cum omnibus pariformiter id ſequatur,) eos dimittit, atque non patitur, ut Examinatorum quæſitis ſubjaceant. 15

Examinandorum numerus, juxta currentem praxim, eſſe non ſolet minor, quam trium, neque major quam quatuor, ideoque ubi non adſint, ſaltem tres examinandi, non ſolet iſta Congregatio convocari; Niſi aliter Papæ videatur, quia nempe agatur de aliqua conſpicua perſona promovenda, quam congruat ſingulariter abſque aliorum mixtura admitti, & cum qua ſolet nimium benigne & circumſpecte procedi, eo modo quo in prædictis qualificatis, ac etiam probatæ idoneitatis Prælatis practicatur; Ut præſertim, noſtra ætate, ſub Urbano VIII. praxis docuit, in germano fratre Ducis Mutinæ, promoto ad Eccleſiam Rhegienſem, quam eo defuncto poſtea, aliquo tempore adminiſtravit, etiam adeo qualificatus Cardinalis Eſtenſis alter ejus frater. Siquidem ſufficiens reputari ſolet examen, quod hujuſmodi perſonæ illi conſpectui ſe præſentent, atque ſe examinandos exponant; Super hoc tamen certa regula non habetur, cuicunque caſui applicabilis, cum totum reſideat in Papæ arbitrio ex ſingulorum caſuum circumſtantiis regulando. 16 17

a *Conſt. 6. Greg. XIV.* b *ſupra diſc. 5.* c *ſub tit. de Paroch. diſc. 37. & in annot. ad C. T. diſc. 32. & d. diſc. 37. de Paroch. & in aliis ibi enunciatis, & in annot. ad C. T. diſc.* a. d *ſupra diſc. 5.*

S U M M A R I U M.

1 *Electi ad Epiſcopatus ſuper quibus materiis eſſent interrogandi cum ſeqq.*

2 *Quænam ſcientia deſideranda veniat in Epiſcopis.*

3 De

3 *De eadem Congregatione, de qua n. 6.*
4 *Ex Regularibus quinam promovendi essent ad Episcopatus cum seqq.*
5 *Denegantur Prelatura honores, & munera per Breve.*

ANNOT. AD DISC. XXI.

1 EA quæ in hoc discursu ex solo zelo melioris directionis insinuantur, primo aspectu, ita quibusdam malignix insinuantibus, in malam partem capta fuerunt, unde propterea iste liber positus fuit sub examine, ac trutina Sac. Congregationis Indicis librorum, de qua *supra, disc.* 19. sed compertum fuit esse malignantium calumniam, vel invidorum livorem; Atque adhuc in eodem sensu persisto cupiendi meliorem, magisque proportionatam examinis formam, quod scilicet examinandi deberent interrogari super iis, quæ pertinent ad bonum Ecclesiæ, & subditorum regimen, ac bonam administrationem justitiæ, non autem super quæstionibus theologicis, vel idealibus, nil ad hoc munus pertinentibus, etiam ubi agatur de Regularibus, qui Theologiam scholasticam profitentes, super ista examinari petunt, quoniam juxta distinctionem, de qua in opusculo Italici idiomatis, cui titulus est *Il Vescovo pratrico* occasione agendi, an Regulares theologiæ professores ad Episcopatus assumi debeant, necne; peritia in theologia scholastica nimium quidem opportuna, imo necessaria est in illis Ecclesiis, quæ admixtos habent hæreticos, vel schismaticos, sive cum eis confinant, sed in illis regionibus, in quibus fidex catholica, omnino pacifica est, adeout officium Episcopi principaliter versetur in regimine civili tam ecclesiastico, quam profano Ecclesiarum, & cleri, ac populi, & in administratione justitiæ, non videtur ad quid deserviat peritia in facultate theologica, & scholastica, quinimo neque in simplici morali, dum Episcopi hodie pro frequentiori uso non concionantur, minusque confessiones audiunt, vel aliam animarum curam actu exercent, ideoque necessaria videtur illa scientiæ practica mixta, quæ participat de utraque theologia dogmatica, & morali, & de facultate canonica pro recta administratione justitiæ per se ipsos, quam ut sciant, quomodo illam administrent Vicarii, & ministri, ac etiam pro bono exercitio curæ animarum, bonaque administratione Sacramentorum, & quomodo se gerant Parochi, & Confessarii, ac pro conservatione, & defensione Ecclesiasticæ immunitatis, & libertatis, peritia principaliter consistere deberet, non solum in sacris canonibus, quorum scientia theorica, & abstracta neque sufficit, sed etiam in Conciliis, præsertim in Tridentino, & in Apostolicis Constitutionibus, & in decretis, ac declarationibus S. Congregationum cum notitia praxis in procedendo, ideoque super his, ac similibus examen cadere deberet, nun autem in theologia scholastica, vel in morali, quæ Parochis, & Confessariis potius congruit, quam Episcopis pro dicto regimine.

Et quamvis in Regularibus præsertim, qui ad Episcopatum assumuntur, non videatur ista species examinis practicabilis, eo quia ipsorum modernum institutum est vacandi studiis Theologiæ scholasticæ, in quibus examinari petunt, adeout indecorum reputent examinari in morali, Canonum vero, & Conciliorum, atque Constitutionum Apostolicarum studium, iis exceptis, quæ ad fidem pertinent, abhorrere potius profiteantur, adeo, ut nimium rari sint illi, qui in his aliquam habeant peritiam. Non tamen exinde solvitur argumentum, allegando inconveniens, quoniam recte illis dici potest, quod quando cœperunt ambire, vel sperare Episcopatum, debuerunt etiam cogitare ad se reddendum ad hoc munus habiles, & idoneos cum præfato studio.

2 Ac ulterius esset optima medicina, cum qua occurratur moderno Regularium malo, quod in adeo magno numero exercti, atque morantes in regionibus, in quibus catholica religio omnino pacifica, & immunis est, neque cogitantex ad munus Missionariorum in regionibus infidelium, vel hæreticorum, seu schismaticorum, huic soli studio scholastico toti se dederint non ad alium effectum, nisi illam faciendi ostentationem ingenii in scholis, novasque introducendi opiniones, & chimeras cum catholicorum aliqua perturbatione, & inquietudine, obliti antiqui, ac medii instituti Regularium prædecessorum, qui laudabiliter vacando studiis theologiæ magis utilis, & practicæ circa dogmata, aliaque Ecclesiæ Catholicæ, ac Sedi Apostolicæ magis proficua, vacent etiam dicto studio Canonum, & Conciliorum, ac etiam Constitutionum Apostolicarum, & decretorum Sacrarum Congregationum, non solum circa materias fidei, sed etiam circa concernentia civile, & politicum ecclesiasticum regimen Ecclesiæ, & populorum, eo modo quo fecerunt Innocentius, S. Raymundus, Hostiensis, Butrius, Abbas, Lapus, Jo: Manachus, Zabarella, Turrecremata, Sanchez, Molina, Castropalao, & alii quamplures similes Religiosi, qui fuerunt docti Theologi, ac etiam docti Canonistæ, dum ita allicerentur ad hoc studium, quod videtur eis congruentissimum.

Inconveniens quoque majus videtur, ut illi Prælati, aliique Clerici sæculares, qui forensem vitam in guberniis, & judicaturis, & vicariatibus generalibus, vel in munere Curialium duxerunt, atque in utroque jure Canonico, & civili doctoratum habent, examinentur in theologia morali, & tamen nostra ætate vidimus id practicari in quodam Prælato, qui per annos 40. in Curia fuerat prius Advocatus Consistorialis; postmodum vero Rotæ Auditor, res quidem omnino impropria.

Omnium vero melior modus examinis videtur ille, qui in discursu insinuatur, ac etiam in opusculo Italici idiomatix, cui titulus est, *Il Vescovo prattico*, super examine scilicet formali potius, quam isto materiali, quod quodammodo cæremoniale videtur, inquirendo nempe ante electionem idoneitatem personæ eligendæ; Ideoque nimia commendatione digna est provisio, juxta meum desiderium ab annis insinuata in dicto opere, in quo agitur de Episcopo practico, ipso initio pontificatus prudenter, ac sancte capta per Innoc. XI. super institutione Congregationis pro Episcoporum electione constitutæ ex aliquibus Cardinalibus, & Prælatis, aliisque probissimis viris, in qua tanquam per speciem illius concursus, qui per Conc. Tridentinum inductus est in Parochialibus per viam diligentium secretarum informationum, absque eo quod detur locus aliquibus favoribus, quales illi sint, eligantur viri docti, probi, & idonei, qui pro qualibet Ecclesia denuncientur Pontifici in aliquo competenti numero trium, vel quatuor, & ultra si videatur, ut ex eis Pontifex unum eligat, adhibendo præsertim particulare studium, ac diligentiam perquirendi eos, qui non petunt, & non ambiunt, imo neque cogitant, adeout frequenter casus præbeat, quod electi, utpote omnino insperato, vel constanter recusent, vel oporteat eis præcipere, ut acceptent, ut pluries in hoc primo anno expertus sum, magnum reputando demeritum expresse petere, majus vero favores adhibere, ex utroque clero sæculari, & regulari, magis autem ex primo, ex eisdem rationibus deductis in dicto opere de Episcopo: electiones fiant in sæcularibus præcipue inspiciendo, an in statu Prælaturæ laudabiliter se exercuerint in guberniix, & Nunciaturis, vel judicaturis aliisque commissis muneribus, & adhuc stantibus in statu togato, an bene se exercuerint in Vicariatibus generalibus, vel guberniis, & judicaturis, ac etiam in Curia in omnibus Advocati, vel Procuratoris, sive Auditoris alicujus Cardinalis, vel simili, omnino abhorrendo promotiones per saltum, dum ita longe melius fieri potest examen, tam circa mores, quam circa literaturam, ac prudentiam, aliasque partes, quæ in gubernante requiruntur.

Et quoad Regulares, licet in hoc statu haberi non possit superius insinuatum intentum assumendi bene versatos in illis rebus, quæ præsertim in Italia, ut supra necessariæ sunt pro recta administratione Episcopatuum, circa nempe peritiam in Canonibus, & Conciliix, & Constitutionibus Apostolicis, ac decretis, & declarationibus Sac. Congregationum, nec non circa experientiam negotiorum sæcularium, quæ obtinetur cum exercitio munerum Prælati, Gubernatoris, vel Nuncii, Vicarii Generalis, vel Auditoris alicujus Cardinalix in Curia, sive alias nimium probati Curialis; Attamen curatur, ut id concurrat per æquipollens in iis, nempe qui habuerint in propria Religione qualificata munera Generalit, vel Prioris generalis, & similia, sive quod in Curia versati fuerint in muneribus Consultorum aliquarum Sacrarum Congregationum, ut Sancti Officii, sive Rituum, aut Indicix cum similibus. 3

Quamvix enim negotiorum, ac regiminis diversæ sint regulæ, adhuc tamen eorundem exercitium, & occasio aliqualiter instruit, adeout non sint in negotiis sæcularibus, tam Curiæ, quam Diœcesis omnino nuvi, ac rudes, vel innocentes, magis vero in istis rigorose practicando (quantum tamen humanæ imbecillitati adversus humanam malitiam concedi potest) exclusionem petentium, vel ambientium, tum ad moderandum, si omnino tolli non potest immoderatum

ratum

ratum ambitum, qui quandoque in istis dignosci solet, tum etiam ad eos alliciendum ad faciendum se emeritos in propria Religionis, potissime nunc quod idem Pontifex adeo commodabiliter, & bene regulam inconcussam observavit denegandi Prælaturas, & munera, vel honores per Breve, ac mediantibus dispensationibus, quæ Religionibus nimium ex omnium sensu præjudicialia sequuntur; Et quidem ut in superius insinuato opere pluries advertitur, prorsus improprium ac damnabile censendum est, ut ad istud longe majus opus Episcopatus assumi debeant illi Religiosi non bene cogniti, sed efficacibus favoribus, & quandoque Deus scit cum quibus meritis commendati, dum propria Religio ipsorum mater, quæ ab adolescentia eos educavit, & nutrivit, pene intrinsece cognoscit non reputari dignos, & idoneos ad ea exercitia, vel munere exercenda, & in quorum exercitio experimentum fieri potest tam idoneitatis, & prudentiæ, quam etiam integritatis, aliorumque morum ex vulgati dicterio, quod Magistratus virum ostendit.

Problematicum vero adhuc est, an commendabile, vel potius damnatione dignum sit ad Episcopatum promovere hujusmodi Prælatos Regulares, quoniam pro commendatione urgent superius insinuata motiva, E converso autem pro damnatione urget, quod exinde duo resultare possint inconvenientia; Unum nempe quod ita avaritiam magis colant pro comparanda pecunia, quæ ad hunc effectum pro expeditione literarum, ac aliis expensis notabilibus, in hac mutatione status necessaria est, & secundo quod cum ita exeant a Religione, ac sciant non debere subjacere syndicatui, aliisque incomodis in statu subditi post expletum officium majorem sibi assumant licentiam. Quia vero in omnibus hujus mundi rebus intellectualibus impossibile est ita exigente humana imperfectione dare opus, undequaque perfectum, & bonum absque aliqua mixtura mali, cum soli Deo id reservatum sit, unde propterea eligere oportet id, quod magis præponderat in bono, idcirco dum istam hierarchicam quoque cum hac dignitate honorata congruit ex rationibus deductis in eodem opere, seu tractatu de Episcopo, minus malum reputatur istud in concursu præfati majoris boni, quam sit eligere, vel assumere Religiosos, qui nullum exercuerint munus considerabile in propria Religione, nullamque habeant regiminis, & negotiorum experientiam considerando, quod quando dicta mala, & inconvenientia in illo Prælato regulari verificentur, tunc utique bonum non habebit testimonium, dum Religiosi subditi esse soleant nimium quesuli, neque de facili occulios teneant defectus, & imperfectiones Superiorum, ideoque cessabit occasio eos assumendi, eo quia se non bene, & laudabiliter gesserint in eorum muneribus & Prælaturis, dum istud est principale, ac essentiale requisitum. Advertere tamen quandoque consuevi, sedendo in præfata Congregatione, atque gerendo illas partes, de quibus supra *in annot. ad disc.* 8. quod commendabilis quidem sit hæc regula eligendi illos, qui Prælaturas, & munera in propria Religione per viam electionis, potius quam per breve assecuti sint, præsertim primariam Generalis, vel aliam ex majoribus, magisque conspicuis, secus ubi id sequatur post jam terminatam Prælaturam, & postquam per aliquod tempus vixerint tanquam subditi sub novo Generali, aliisque novis Prælatis, & superioribus, dum ita patuisse videntur syndicatui, atque si qui defectus adfuerint in Prælaturæ, vel muneris exercitio, detegi melius potuerunt.

An autem expediat practicare translationes ab uno Episcopatu ad alium, & quando, vel quomodo id practicandum sit, sufficit habere relationem ad deducta *in Misc. Eccl. disc.* 50. ubi agendo de materiis spectantibus ad istam Congregationem Consistorialem, de hoc magis ex professo agitur; ibique *disc.* 10. cum pluribus sequentibus, & in aliis remissive insinuatis in calce *disc.* 54. videri possunt pleraque ad istam Congregationem Consistorialem pertinentia.

De Congregatione Reformationis Regularium.

S U M M A R I U M.

1 *DE occasione erectionis hujus Congregationis.*
2 *De suppressione parvorum Conventuum.*
3 *De applicatione bonorum Conventuum suppressorum.*
4 *Quare ista Congregatio adhuc continuet, & quæ negotia tractet.*
5 *Quod expediat adesse Regulares in oppidis, & locis.*
6 *De quibus in ista Congregatione disputari consueverit.*

D I S C. XXII.

MOderna, & extraordinaria potius ista Congregatio
est, cum ea quæ cleri regularis regimen ac di-
rectionem concernunt, commissa sint Congregationi Re- 1
gularium, quæ unita est cum altera Episcoporum, ut
superius in ejus particulari Rubrica advertitur. *a*

Cum autem praxis doceret, quod in parvis Conventi-
bus, vel Monasteriis, disciplina Regularis non bene ser- 2
varetur, unde propterea, quamplura resultarent inconve-
nienda, ipsis Religionibus, vel universo Ordini regulari
præjudicialia; Atque dicta Congregatio, ob negotiorum
multiplicitatem, adeo vacare non posset, huic parvorum
Monasteriorum, vel Conventuum, ac etiam aliquarum
parvarum religionum, vel Congregationum reformationi
(dum eadem ratio relaxationis disciplinæ Regularis, quæ
inter religiosos ejusdemmet religionis viget in parvis con-
ventibus, vel Monasteriis, proportionabiliter & compa-
rative militat quoque in Religionibus in universum;)
Hinc proinde, sub Innoc. X. erecta fuit ista Congrega-
tio, ad instar aliarum, ex aliquo Cardinalium compe-
tenti numero constituta, cum mixtura aliquorum Præ-
latorum, quorum unus est Secretarius; Atque per istam
Congregationem, habita diligenti informatione status,
ac redituum omnium Monasteriorum, & Conventuum,
aliarumque domorum regularium, nec non aliquarum
parvarum Religionum, seu Congregationum, ad ejus-
dem Congregationis consultationem, prodiit ejusdem In-
noc. Constitutio, *b* super suppressione omnium Mona-
steriorum, Conventuum & Domorum, in quibus ad
minus sex Religiosi condecenter substentari non possent,
subjiciendo Ordinariorum superioritati, & jurisdictioni
illos conventus, ac Monasteria, vel Domos, in quibus
non adessent saltim 12. Religiosi ad præscriptum Con-
stitutionis Urbani VIII. *c*

Applicando hujusmodi Conventuum, vel Monasterio- 3
rum suppressorum redditus, & bona Ecclesiis Parochia-
libus, vel seminario, aliisque piis usibus, vel operibus,
Ordinariorum arbitrio, vel ad eorum relationem, per
ipsam Congregationem.

Quamvis autem, edita dicta Constitutione, videretur
quod finis, ob quem ista Congregatio erecta fuit, adim-
pletus esset, ideoque eam resolvi, vel cessare debere, ali-
quorum opinio esset; Attamen continuavit, & continuat
(quamvis tamen raro habeatur,) ob contingentias circa 4
idem; Vel scilicet, quod supplicantibus, præsertim po-
pulis & communitatibus, atque aliquam suppletionem
offerentibus, seu ex alio justo motivo, ex pontificio ora-
culo, aliqui Conventus suppressi reintegrari solent, in
illis præsertim exiguis oppidis, vel castris, in quibus ille
conventus regularium esset unicus, cum expediat, quod
ultra parochum, & clericos sæculares, aliqui adsint re-
gulares, qui ministrent quoque divina, & sacramenta,
illud præsertim Pœnitentiæ, ex rationibus quæ alias oc-
casione novæ fundationis conventus in Regularium sede
insinuantur; *d* Sive e converso, quod expediat aliquem 5
Conventum, tunc non suppressum supprimere, ob incon-
venientia, quæ praxis doceat, ab ejus existentia resulta-
re, cum similibus contingentiis; quæ examinare expe-
dit; Puta instantibus locorum Ordinariis, vel aliis ad
quos pertinet, circa variationem applicationis bonorum,
ac redituum hujusmodi Conventuum suppressorum, quia
nempe tempus doceat magis expedire, ut uni potius,
quam alteri operi applicatio congruat.

Speciem Tribunalis contentiosi circa illa prima tempora 6
suppressionis, ista Congregatio habuit (pro stylo tamen
extrajudiciali & summario pluries insinuato aliarum Con-
gregationum,) quod scilicet Communitates, vel locorum
Domini, qui pro Conventuum, vel Domorum regularium
fundatione, bona elargiti fuerunt, prætensionem excita-
runt, ut tanquam ex cessante causa, concessio evanescere
debuisset, ac propterea bona donata ad eos reverti; Ve-
rum exauditi non fuerunt præterquam in casibus, in
quibus expressum pactum resolutivum assisteret. *e*

a *supra disc.* 16.
b *Constit.* 50. *Innoc. X.*
c *de his agitur sub tit. de Regul. disc.* 32.
d *d. tit. de Regul. disc.* 31.
e *tit. de donat. disc.* 12. *& seqq.*

De

De Congregatione propagandæ Fidei, plusibusque aliis ecclesiasticis, vel spiritualibus Congregationibus, puta, Cæremonialis; Indulgentiarum; Reliquiarum, & similium; Et de Congregatione Consistoriali remissive.

S U M M A R I U M.

1 *Quomodo antiquitus hec materia propaganda, vel conservanda fidei ageretur.*
2 *De eodem.*
3 *De introductione, & propagatione fidei in novo Orbe.*
4 *De erectione hujus Congregationis propaganda fidei.*
5 *De erectione Collegii ejusdem propaganda fidei, ejusque instituto.*
6 *In quo consistat munus hujus Congregationis.*
7 *An & quas controversias contentiosas tractet, & decidat inter missionarios, & alios?*
8 *De aliis causis profanis, quas cognoscit,*
9 *In qua die, & quando teneatur.*
10 *Quando aliquando fiat coram Papa, & quare.*
11 *Retinet typum pro impressione librorum in omnibus linguis.*
12 *De aliis Congregationibus, puta Indulgentiarum, & Reliquiarum, & similibus.*
13 *De Congregationibus, que cessare solent cessante causa.*
14 *De Congregatione Hierosolimitana Religionis.*
15 *De Congregatione Consistoriali remissive,*

D I S C. XXII.

1 QUemadmodum ab initio nascentis Ecclesiæ, Summus Pontifex Romanus, ejusque Curia, semper studuit ac invigilavit supes Catholicæ fidei conservatione, illam præservando, seu respective restituendo, adversus hæreticam, vel schismaticam labem, vel paganicam superstitionem; Non tamen quindecim sæculorum spatio, usque ad Pontificatum Pauli III. formale Tribunal collegiatum, seu Cardinalitia Congregatio desuper erecta fuit: Sed ipse Pontifex, cum opera & adjutorio Episcoporum, aliorumque localium Inquisitorum, ac zelantium, & piorum operariorum, eas partes explevit, juxta seriem in universalis Inquisitionis, vel Sancti Officii Congregationis relatione recensitam. *a*

Ita pariter, ab ipso initio, sub magis diris, & crudeli-
bus persecutionibus tyrannorum, & infidelium, idem
2 Pontifes, ejusque Curia, dictæ fidei propagationi semper
studuit, mediante pariter opera Episcoporum, & prædi-
catorum, aliorumque operantium in vinea Domini, cum-
que præsertim in XIV. sæculo, novæ, seu nostræ memo-
riæ ignotæ, per navigationem maris Oceani detectæ es-
sent partes, vel regiones, quæ sub vocabulo Indiarum,
3 vel novi Orbis, sive sub quartæ partis orbis Americæ
nomine nuncupantur; Idem Pontifex sollicitus fuit eo
transmittere plures missionarios, ex diversis Religioni-
bus; unde propterea, ad instar illius primitivæ Ecclesiæ
post Christi Ascensionem, in hac nova Mundi parte cum
tot martyrum sanguine, Ecclesia plantata, & irrigata
est, jam incipiens producere paradisi rosas, aliosque flo-
res, quamvis Ecclesiæ judicio adhuc non detectos, sicu-
ti prima Rosa jam detecta est.

Nostra vero ætate, sub Gregorio XV. cujusdam pii, ac
religiosi viri generosa dispositione occasionem ad id præ-
4 bente; adinstar dictæ alterius Congregationis, quæ super
jam exortæ fidei conservatione, & expurgatione antece-
denti sæculo erecta fuerat, ista Congregatio ex Cardina-
libus competenti numero variis, aliorumque Prælatorum,
ac inferioris ordinis officialium mistura, erecta fuit;
Ex Secretario scilicet Prælato; Ex Assessore S. Officii;
Ex uno Prothonotario Apostolico; Et aliquibus aliis Præ-
latis, eique Propagandæ fidei nomen attributum, dein-
deque sub Urbano VIII. (Dei gratia) hoc pio, & com-
mendabili opere nimium crescente, adinstar Collegio-
rum, quæ pro Græcis, ac Germanis, & Anglis, aliis-
que nationibus, quæ hæretica, vel schismatica labe in-
fectæ sunt, & quæ sub Gregorio XIII. aliisque Pontifi-
cibus erecta fuere, cum magno, & conspicuo ædificio,
ad formam Insulæ, ad radices Pincii montis, erectum
fuit Collegium, cui pariter idem genericum nomen, pro-
pagandæ fidei attributum est, ut ibi educari, sacrisque li-
teris, ac sana doctrina catholica imbui valeant adolescen-
5 tes illarum partium, qui ad catholicam fidem conversi
fuerint, ad hoc ut in eisdem partibus idonei operarii, &
propagatores esse valeant; Ac etiam ut missionarii, qui
ab eisdem partibus regredientes, Romanam Curiam ad-
eunt, ut Summum Pontificem, ipsamque Congregationem melius informare valeant, opportunaque suggerere media ejusdem propagationis, in præfato Collegio habitationem, ac victum, pro Congregationis arbitrio recipiant.

6 Istius itaque Congregationis munus est, propagationis fidei operarios, quibus Missionariorum nomen tribuitur, dirigere, ac transmittere, & distribuere per regiones, ut ex personarum, vel Religionum qualitate opportunum reputatur, eisdemque necessarios sumptus, ex ipsius operis peculio, a piorum oblationibus conflato, aliisque piis eleemosynis, & subventionibus, suppeditare; Consulendo etiam Summo Pontifici, seu proponendo, ut ex dictis Missionariis huic operi addictis, aliquos præficiat Episcopos, vel Archiepiscopos, ac respective provinciarum, vel regionum Vicarios Apostolicos, unde propterea utramque œconomicam spiritualem, & temporalem potius quam forenses, seu jurisdictionales partes, ista Congregatio administrare videtur.

7 Adhuc tamen, adinstar præsertim Congregationis Regularium, ab aliquo tempore, aliqua forensia, vel contentiosa negotia peragere, ac decidere, cum eodem Congregationum summario, & extrajudiciali stylo, consuevit; Vel scilicet quia pro consueta humana conditione, seu fragilitate, etiam inter ipsosmet Missionarios, & Operarios diversarum Religionum, vel Institutorum, æmulationes, & quæstiones oriri soleant, quod ex Epistolis Pauli, & ex actibus Apostolorum, aliisque sacris literis edocemur in ipsa quoque primitiva, & nascenti Ecclesia contigisse; Sive quod eædem contentiones, vel æmulationes oriuntur inter Missionarios, & Parochos, aliosque Clericos nationales, qui pro fidei jam propagatæ culmsa, & animarum cura, aliorumque divinorum ministratione deputati sint; Aut cum earundem Religionum Superioribus, circa jurisdictionem, ac directionem illorum cujuslibet Religionis respective alumnorum, qui huic operi destinati, sive addicti sint, ideoque Congregationis potius subditi censeri veniunt.

8 Ac etiam (adinstar præfatæ Congregationis S. Officii) forensem profanam cognitionem habet, civilium, criminalium, & mixtarum causarum, ejusdem Congregationis, vel collegii ministrorum & operariorum, seu quæ respiciant bona temporalia ejusdem operis, vel collegii, ex quorum fructibus missionum sumptus, ut supra, erogantur.

9 Determinatam autem diem non habet ista Congregatio, ut habent aliæ superius recensitæ, quæ pro currentium negotiorum discussione, ac determinatione erectæ sunt, sed pro negotiorum urgentia & qualitate, in die præsertim lunæ, quando Consistorium non impediat, vel in altera sequenti Martis, singulis mensibus, & quandoque brevios ea haberi solet, in eisdem collegii supra recensitis ædibus; Atque, vel Secretario, qui est Prælatus, & in eisdem ædibus cum aliis inferioribus officialibus & ministris, tanquam fixus & continuus director habitationem habet; Vel ipsis Cardinalibus, juxta distributionem inter eos fieri solitam, referentibus negotia, tam contentiosa ut supra, super quibus pluries ego de jure respondendi occasionem habui, quam etiam œconomica & prudentiaria, pro operis profectu, ac bona administratione, oriuntur resolutiones, atque dantur opportuni ordines, & instructiones. In ali-
quibus vero anni temporibus, ista Congregatio, coram
ipsomet Papa haberi solet, tantum ut ipse certioratus rema-
neat de rerum statu, quam, ut juxta opportunitatem, cum
ejus oraculo, illas communicet facultates, atque impartia- 10
tur gratias, ad quas ipsius Congregationis potestas non ex-
tendatur; Quod etiam extra hujusmodi Congregationes,
ad relationem Secretarii, vel alicujus ex Cardinalibus
ejusdem Congregationis, pro negotiorum urgentia, &
qualitate sequi solet.

11 Istud itaque est institutum hujus Congregationis, quæ in eadem domo collegii typum diligenter procussum tenet pro impressione librorum, & scripturarum, quæ idem institutum propagationis, vel conservationis fidei concernant pro omnibus linguis pro omnium nationum usu, & commoditate.

12 Quamplures aliæ habentur in Curia Cardinalitiæ Congregationes, cum Prælatorum, aliorumque operariorum mixtura, ad præmissarum instar, puta; Super Indulgentiis, & Reliquiis, quæ moderno tempore erecta est; Aut super cæremoniali; Vel super Hispaniarum laminis; Aliisque similibus negotiis, Ecclesiam catholicam in universum, sive Pontificium regimen, concernentibus su-

pes

per quibus facile non est certam statuere regulam, sive relationem dare, cum in dies pro negotiorum qualitate, ac rerum contingentia, novæ Congregationes erigi, sive jam erectæ expletis negotiis, earumque causa cessata, supprimi, vel terminari soleant, potissime quia istæ videntur extra propositum relationis Curiæ forensis.

13 Quando enim urgebant in Germania quædam graves scissuræ, super eis erecta fuit particularis Congregatio, quæ dicebatur Coloniæ, & altera quæ dicebatur Palatinatus, quæ postmodum forte cessarunt, ob cessationem ejus causæ, cum similibus.

Præsertim vero adest, quoad negotia particularia Congregatio competentis numeri Cardinalium pro negotiis
14 Hierosolymitanæ Religionis, in universum, quod scilicet concernat regimen, & conservationem ipsius Religionis, non autem super causis privatis in concursu Commendarum, & Dignitatum, vel super admissione ad habitum, cum de his agatur in Rota, & in Signatura Gratiæ. *b*
15 Adest quoque Congregatio Consistorialis; cui particularis Sedes, vel Rubrica non tribuitur, dum occasione agendi de ipso Consistorio, de ista quoque ibi actum est. *c*

a *supra, disc.* 14. b *habetur infra, disc.* 30. c *supra disc.* 5.

De Congregatione Visitationis Apostolicæ.

S U M M A R I U M.

1 *Circa quæ versentur partes Congregationis.*
2 *De obligatione Episcopi visitandi diœcesim.*
3 *De erectione hujus Congregationis, & ex quibus constituatur.*
4 *V. Gerens est Judex & executor decretorum hujus Congregationis.*
5 *Quomodo per istam Congregationem fiat visitatio Ecclesiarum Urbis, & districtus.*

D I S C. XXIV.

1 Quamvis ista Congregatio adinstar præcedentium, ecclesiasticum, seu spirituale regimen quoque concernat; Non tamen, circa munus pontificium, pro Ecclesia universali versatur, sed explet illas partes, quæ Papæ, tanquam Episcopo particulari Urbis ejusque districtus, incumbant, eodem modo, quo de Cardinali Vicario superius dictum est. *a*

Cum etenim, ad sacrorum Canonum, strictius vero
2 Sac. Conc. Tridentini præscriptum, Episcopi debeant singulis annis, vel aliquibus statutis temporibus, sibi commissam diœcesim personaliter ubi commode fieri potest, visitare, sin minus per Vicarium, vel alios idoneos viros ad id deputatos; *b* Papæ vero, jam enarratæ magnæ occupationes non permittant in hoc ejus particulari Episcopatu, istas adimplere partes, quæ sub ordinariis facultatibus Vi-
3 carii non videntur comprehensæ; Hinc præsertim nostra ætate sub Urbano VIII. pro hoc munere explicando, aliquorum prædecessorum vestigiis quoque inhærendo, erecta fuit Congregatio, ex aliquorum Cardinalium, aliorumque Prælatorum, & operariorum competenti numero constituta; cui propterea Visitationis nomen datum fuit, cum circa id ejus munus versetur, visitandi scilicet Urbem, omnesque ejus Ecclesias, & Monasteria, piaque loca, eo modo quo Episcopi, in singulis respective diœcesibus agunt. Fixum locum in eadem Congregatione habentibus, Vicario, ejusque Vicesgerente, qui est ordinarius Judex, vel executor decretorum, aliarumque determinationum ejusdem Congregationis, quæ more aliarum, de
4 quibus supra, pariter in forma extrajudiciali, & summaria, ac etiam gratis, pleraque contentiosa negotia tractat, ac decidit, ad ipsam visitationem pertinentia, sive percutientia observantiam ejus decretorum; Quandoque vero committitur V. Gerenti tanquam judici ordinario, & executori decretorum ejusdem Congregationis, ut in forma judiciaria, Partibus auditis, procedat; Sive ipsemet, una Partium instante, tanquam Judex & executor, ut supra, id peragit.
5 Visitatio autem personalis, seu materialis Ecclesiarum, seu locorum ecclesiasticorum, aut piorum, explicabilis non est per ipsam Congregationem, cum ea more aliarum juxta negotiorum qualitatem, vel casuum contingentiam, aliquibus anni temporibus habeatur recipiendo relationes visitatorum particularium, qui ab eadem deputati sint, sive eosdem deputando, aliaque decreta, vel provisiones faciendo; Visitatio itaque localis fit in Urbe per unum ex Cardinalibus ejusdem Congregationis, cui adjungitur unus ex Prælatis juxta distributionem factam ab eadem Congregatione; Illa vero Ecclesiarum districtus fieri solet per plures Prælatos ab eadem Congregatione distributos, atque ad id peragendum assumi solent illi Prælati, qui fuerunt Episcopi, deindeque dimisso Episcopatu morantur in Curia, sive etiam Episcopi actuales, qui occasione visitationis liminum, seu alias in Curia ad aliquod tempus morentur, tanquam in hoc munere versati; Ac etiam eidem Congregationi Pontifex remittere solet aliqua graviora negotia spectantia ad idem munus Episcopale, puta circa Monasteria Monialium, & similia, quando videatur quod non sint negotia, quæ expediat pertractari in Tribunali Vicarii in forma judiciali, sed quod potius cum regulis prudentialibus terminari debeant ab ista Congregatione in forma extrajudiciali, super quo certa regula generalis dari non potest, cum totum pendeat ab arbitrio Papæ.

a *supra disc.* 13. b *in annot. ad S. C. T. disc.* 5. *lib.* 14.

De Congregatione super consultatione negotiorum Status Ecclesiastici, quæ Consulta dicitur.

S U M M A R I U M.

1 *Quæ sint Congregationes concernentes regimen Principatus temporalis.*
2 *De erectione hujus Congregationis Consulta, & ex quibus constituatur.*
3 *De munere Prælatorum, qui in ea interveniunt.*
4 *In quibus diebus habeatur.*
5 *Etiam tempore Sedis Papalis vacationis, & a quibus habeatur.*
6 *Circa quæ versetur hujus Congregationis munus.*
7 *Quomodo ipsa consuli soleat, ac debeat per Gubernatores ac Præsides.*
8 *De aliquibus ejus constitutionibus, vel decretis.*
9 *Quare Rector non tractet materias criminales.*
10 *De causis civilibus, quas cognoscit, & decidit.*
11 *De eodem, & circa negotia politica.*
12 *Cognoscit etiam de quæstionibus confinium.*
13 *Audit recursus vassallorum adversus Barones.*
14 *Quare in Statu Ecclesiastico non detur in Baronibus mala præsumptio concussionis.*
15 *Est tribunal sæculare, & quomodo aliquando se ingerit cum ecclesiasticis.*
16 *Ad quæ loca se extendant facultates hujus Congregationis.*
17 *De hujus Congregationis Præfecto.*
18 *Quod omnia expliceantur gratis.*

D I S C. XXV.

Illæ congregationes, de quibus actum est supra, concernunt regimen spirituale, seu pontificium Ecclesiæ universalis, vel respective particularis Urbis; Ista vero, & aliæ sequentes antequam ad forensia Tribunalia deveniatur, respiciunt regimen temporale Status ecclesiastici, ideoque dicuntur Tribunalia sæcularia, quamvis eorum aliquibus specialiter per Papam, jure cujusdam delegationis, communicata esset aliqua potestas, etiam cum ecclesiasticis. 1

Erecta igitur fuit in pluries enunciata Constitutione Sixti V. *a* ista Congregatio, quæ tamen diversam habet formam ab ea, quæ in dicta Constitutione legitur; Constituta siquidem est ex copioso numero Cardinalium, ad hoc ut aliis impeditis, nunquam desit aliquis eorum numerus competens, cum Secretario, qui est ut plurimum qualificatus 2
Prælatus, istudque reputatur munus, ex magis considerabilibus, adeout nostra ætate, sub Innocentio X. & Alexandro VII. duos ab eo munere ad Purpuram evectos viderimus; Ac etiam, ultra dictum Secretarium & Advocatum fisci, nec non Procuratorem generalem in criminalibus, qui Fiscalis Urbis per antonomasiam dicitur, ad differentiam aliorum Procuratorum fiscalium inferiorum, Plures interveniunt Prælati, qui pariformiter cum Cardinalibus votum habent decisivum; Istique frequentius esse solent illi, qui plura gubernia exercuerint, tanquam in eo munere 3
versati; Atque illorum munus est idem, quod insinuatum est supra, agendo de Congregatione Immunitatis ecclesiasticæ, quod scilicet, cum ad istam Congregationem per Gubernatores, ac Præsides transmitti soleant voluminosi processus criminales, qui attente videndi, atque in plena Congrega-

gregatione referendi sunt, neque id Cardinalibus congruat; Tum ob alias occupationes; Tum etiam ob majestatem dignitatis, ut in instnnato loco quoque advertitur; Hinc proinde, id commissum est Prælatis, inter quos distributæ sunt provinciæ, seo gubernia respective, adeout quilibet se ingerat in negotiis pertinentibus ad sibi commissam provinciam, quæ vulgo *Ponentia* dicitur.

Congregatur in Palatio Apostolico indeficienter bis qualibet hebdomada, in fixis diebus martis, & veneris de mane, quocunque impedimento non obstante, & quamvis in ea die magnam solemnitatem celebrare oporteat; Duabus tan-
4 tum, totius anni diebus exceptis, nempe feria sexta parasceve, seu passionis Domini, & in ultima die carnis privii.

Quinimo, singulariter ad omnes alias Congregationes Cardinalitias, neque intermittitur de tempore Sedis Papalis vacantis, quando Cardinales reclusi suot io Conclavi, quooiam tenetur per solos Prælatos, & alios officiales ut supra, resolutionea vero in gravioribus negotiis, per Secre-
5 tarium participari solent (juxta stylum aliorum graviorum negotiorum) illis tribus Cardioalibus, qui ea die, vices totius Collegii caplent, & qui Capita ordinum dicuntur, ut supra agendo de Conclavi, advertitur.

Præcipuæ igitur partea hujus Congregationis sunt, non solum recipiendi recursus, & querelas subditorum adversus
6 Gubernatores, & Præsides, eorumque Locumtenentes, ac Notarios, & Baricellos, aliosque officiales; Tam durante officio, ne subditi graventur, vel opprimantur, sive adstringantur ad illa emolumenta, quæ de jure iodebita sint; Quam etiam finito officio, super eorum syndicatibus, quando una Partium a syndicatoribus se gravatam credat, sive super modo dandi syndicatum.

Verum etiam, ac potissimum in eo, quod Gubernatores, ac Præsides tenentur eam certiorare, & consulere de omnibus causis criminalibus gravibus, in quibus intret pœna ordioaria, vel etiam extraordinaria gravis, corporis afflictiva, tam vera contra præsentes, qui io fortiis habeantur, quam ficta contra absentes in contumaciam; Quinimo aliquando, & frequenter, ea consulitur (Partibus recurrentibus) super ordine processus, & examinis, super modo scilicet transmittendi monitorium inquisitis absentibus, & an pœnæ, quæ in eo comminantur, proportionatæ sint delicto; Et respectu præsentium, super modo examinis rigorosi, cum tormentis, & quæ species adhibenda sit; Potissime vero disputari solet de illa, quæ omnium major, Vigilia dicitur, non nisi in atrocibus cadens.

Prout etiam, circa viatica commissariorum, & officialium, an ab accusatis, vel ab accusatoribus, seu adhærentibus solvi debeant? Et in summa super iis omnibus, quæ bonum gubernium, rectamque justitiæ administrationem concernunt, ut subditorum oppressionibus, ac molestiis indebitis, tam in ære, quam in corpore occurratur.

7 Modus autem consulendi est, quod Gubernatores, vel eorum Locumtenentes criminales, compilato processu, servatisque iis, quæ de jure, vel de stylo servanda sunt, transmittunt summarium processus Secretario, seu Prælato Provinciali, qui dicitur Ponens ut supra, cum eorum voto; Atque ubi Partium recursus adsit, in causis præsertim gravibus, demandari quondoque solet transmissio totius processus; Relatoque vero in Congregatione, rescribitur, illud approbando, vel improbando, sive pœnam minuendo, & quandoque etiam augendo, pro criminum qualitate.

8 Idemque faciendum est quando contingat, ut deveniat ad manus Curiæ ille, qui jam condemnatus est in contumaciam, adeout aliæ non sint partes Judicis nisi in exequendo, facta recognitione personæ, quoniam licet bannum prodierit, ax ejusdem Congregationis oraculo, & approbatione: adhuc tamen, illa consulenda est in executione: Ibique solent esse frequentiores disputationes, ob nullitates processus contumacialis, cum quibus executio condemnationum evitari solet.

Hinc proinde, ad occurrendum his subterfugiis, atque ad instruendum Locumtenentes criminales, qui ex imperitia hujusmodi nullitates committere solent, ipsa Consulta edidit quædam decreta, sive instructiones, quæ circumferuntur impressæ, super modo citandi, aliaque acta opportuna gerendi; Super his autem, ac etiam super ejusdem Con-
9 gregationis plerisque stylis particularibus, tam circa ordinatoria, quam etiam circa decisoria, cum ista materia criminalis pena ubique ad leges ac stylos particulares locorum redacta videatur) meum non est agere, dum ex jam insinuatis in procemio, judiciorum civilium, & ecclesiasticarum causarum occupationea, ac etiam genium, & quidam Curiæ stylus prohibuerunt criminales causas agere.

Bene tamen in ista Congregatione frequenter disputatur graves causas civiles percutientes Civitatum, ac oppidorum, & locorum bonum regimen politicum (cum de
œconomico agat altera Congregatio boni Regiminis, de 10
qua, *disc. seq.*) ubi scilicet agatur de consiliis, vel parlamentis pro confectione bussoli, ex quo extrahendi sunt magistratus; Aut ubi agatur de controversiis præeminentialibus circa præcedentiam, aliosque actus honorificos & in summa ista Congregatio invigilat super iis omnibus, ex quibus tumultus, vel inimicitiæ, aut alia inconvenientia resultare valeant, tanquam Tribunal politicum, quod invigilat, non solum super punitione criminum jam patratorum, sed etiam super præservativa ne committantur, sive ne sequantur occasiones, & concussiones tam ab officialibus, quam etiam a potentibus, ne minus potentes opprimant, vel concutiant. *c*

Est quidem Tribunal vigilantissimum, nimiumque pro- 11
ficuum pro bono subditorum regimine, ac justitiæ administratione in præmissis negotiis, quæ publicam quietem, illudque civile regimen, quod de politico participat, concernant, cum in causis civilibus mere privatis, non se ingerat, sed intrent Judices appellationis; nisi agatur de talibus causis, ex quibus scandala, & inconvenientia resultare possint, cum præjudicio publicæ quietis; Ut puta (ex. gr.) ubi agatur de quæstione confinium inter duo loca, aut
inter duos Barones, cum similibus; Quamvis etenim ad- 12
sit Congregatio particularis confinium ut infra; Quia tamen ea raro haberi solet, adeout pene ignota sit in Curia, idcirco ista Congregatio, ex dicto motivo occurrendi inconvenientibus quandoque manum apponi. *d*

Audit etiam libenter, atque cum summa vigilantia, re- 13
cursus & querelas vassallorum adversus Barones, & Domicellos, eorumque officiales; Quinimo quandoque praxis me docuit, juxta Pontificis, seu Cardinalis superintendentis generalis, genium, ac majorem, vel minorem zelum, quod etiam ex officio inquirere solet super concussionibus vassallorum, qui recurrere, vel reclamare non audeant; Ideoque ob hanc vigilantiam, pluries Rota respondere
consuevit, quod in Statu Ecclesiastico non intrat illa 14
usurpationis, vel concussionis præsomptio, quæ in aliquorum principatuum Baronibus cadere solet, ut alibi in suis sedibus advertitur. *e*

Dicitur istud Tribunal mere sæculare, quod gerit vices 15
Principis temporalis, ideoque se non ingerit in causis, & personis Ecclesiasticis; Bene verum, quod ubi in aliqua causa gravi laicorum, unius, vel plurium Clericorum, vel aliarum ecclesiasticarum personarum, adsit mixtura; unde propterea, vel ratione connexionis, juxta regulas juris, tota causa remitti debeat digniori foro ecclesiastico; Vel quod quolibet cognoscente suum subditum, ob causæ dividuitatem, adhuc tamen unus processus possit alteri præjudicare; Hinc per organum Secretarii, vel Cardinalis supra intendentis generalis, fieri solet verbum cum Sanctissimo, atque ab eo obtineri potestas committendi Gubernatori cognitionem causæ, etiam cum personis ecclesiasticis; Potissime, quia licet hujusmodi Gubernatores, & Præsides, spectato munere sint Magistratus sæculares; Attamen attenta qualitate personæ suot Clerici, & Prælati, quibus propterea ista commissio non omnino incongruit. *f*

Hujus Congregationis facultates se protendunt ad uni- 16
versum Statum Ecclesiasticum immediatum, ioclusa etiam Civitate Beneventana; Excepta Urbe, in cujus causis sa non ingerit, dum habet suum Gubernatorem, qui occurrentia negotia communicat cum Papa; Eo modo quo de aliis Congregationibus ecclesiasticis insinuatum est supra, agendo de Cardinali Vicario; Ac etiam se non ingerit in illis provinciis, vel Civitatibus, quæ habeant Cardinales Legatos; In legationibus scilicet; Avenionensi; Bononiensi; Ferrariensi; Urbinatensi; Et Æmiliæ, seu Romandiolæ.

Hujus autem Congregationis Præfectus est Cardinalis
superintendens generalis, de quo supra est actum *g*; 17
ipseque subscribit literas, & ordines, qui dantur Gubernatoribus, & Præsidibus, aliisque officialibus.

Omnia, pariter in ista Congregatione, gratis omnino explicantur, adeout magni, peneque incredibiles sint labores, quos isti Prælati in dictorum processum studio, & relatione, aliisque negotiis peragendis supportant, absque aliquo stipendio, vel emolumento, quod neque indirecte per viam munerum obtineatur, sed pro frequentiori Regula candidissime. *h*

a *Const. 74. Sixti V.* b *supra, disc. 4.* c *de his quæstionibus sub tit. de præemin. disc. 30. & 31.*

d *In*

d *In quæstione quæ habetur apud Paccichell. in tract. de distantia, cap. 11. & dec. 34. post eundem.*
e *Tit. de feud. disc. 65. & alibi pluries. sicut de benef. disc. 72. & alibi.* g *supra, disc. 6.* b *insinuatur infra, disc. 31.*

SS. D. N. INNOCENTII PAPÆ XII.

Confirmatio, extensio, & moderatio respective Constitutionum Pii II. Sixti IV. Clementis VII. Pii IV. & S. Pii V. super prohibitione quamcunque remissionem, compositionem, vel gratiam homicidiis, illorumque fautoribus, auxiliatoribus, consultoribus, vel complicibus, necnon Ministrorum Justitiæ, querelantium, & testium offensoribus concedendi absque Romani Pontificis speciali mandato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Viros sanguinum, & dolosos, qui in humana sævitia, iræ, seu vindictæ furore succensi nedum corporibus mortem dare, sed non raro etiam Salvatoris Nostri Jesu Christi pretiosissimo Sanguine redemptis animabus, si non sint armis spiritualibus, Divina præveniente gratia, præmunitæ, æternam perditionem procurare non perhorrescunt, cum Domino abominantes, Nostrorumque, & Sanctæ Sedis etiam in temporalibus immediate, & mediate subditorum tranquillitati, & paci, ac eorundem, & ministrorum justitiæ majori securitati, ejusdemque justitiæ liberiori exercitio, quantum Nobis ex Alto conceditur, consulere cupientes, inter alias Apostolicæ sollicitudinis curas, quibus incessanter urgemur, in illam præcipue incumbimus, ut perditos nequitiæ filios, qui a quorumcunque homicidiis, & a Rectorum, & Ministrorum justitiæ, necnon querelantium, & testium offensionibus virtutis amore abstinere detrectant, formidine saltem pœnæ, & quidem irremissibilis retrahamus. Cumque ex spe remissionis, compositionis, gratiosæ rebannitionis, cassationis processus, seu banni, aut alterius gratiæ assequendæ delictorum hujusmodi facilitatem, & frequentiam etiam procedere, experientia rerum magistra docuerit, ut hanc quoque detestabilem, & perniciosam spem magis, magisque adimamus, & recidamus, ac delicta hujusmodi, quantum fieri potest, arceamus, ea quæ a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus desuper statuta, & provide ordinata fuisse comperimus, ut eo majorem obtineant firmitatem, quo sæpius fuerint Apostolico præsidio communita, nostræ confirmationis patrocinio roboramus, eaque de novo statuimus, seu alias ampliamus, immutamus, & in honore eximiæ S. R. E. Cardinalium de latere Legatorum dignitatis respective moderamur, prout rationabiles causæ persuadent, & in Domino conspicimus salubriter expedire.

Alias siquidem fel. record. Pius Papa II. Prædecessor Noster, ad cujus audientiam pervenerat, quod in Terris, locis, & Tenimentis tunc sibi, & Romanæ Ecclesiæ mediate, & immediate subjectis, quamplurima etiam ex levibus causis commissa esse reperiebantur homicidia, idcirco tunc suos, & Ecclesiæ Romanæ prædictæ mediate, & immediate subjectos pacificos fore, & modestos, ac loca prædicta sicariis, homicidis, & malefactoribus expurgare desiderans, inter cætera statuit, & decrevit, quod omnes illi, qui pro delicto homicidii fuissent condemnati, seu alias de Civitate aliqua, & districtu illius banniti, non possent ad Civitatem, seu districtum hujusmodi quocunque tempore redire, seu in eis, vel eorum altero moram trahere, etiam habita pace ab hæredibus, vel consanguineis, seu filiis ipsius occisi, vel Legatus etiam de latere, aut Gubernator, qui pro tempore fuisset, vel quivis alius posset auctoritate Apostolica, seu ex Officio suæ Legationis aliquem homicidam sic exbannitum rebannire, reducere, seu revocare ad Civitatem, seu districtum, aut eorum alterum, seu ei licentiam, vel salvum conductum concedere redeundi, seu morandi in eis, vel eorum altero in perpetuum, vel ad tempus modicum, sive magnum, nec etiam per diem unum, sive noctem. Quod si secus per quemquam ex prædictis factum fuisset, incideret in pœnam excommunicationis ipso facto sine ulteriori Sententia declarationis, a qua per alium, quam per Summum Pontificem, & tunc facta de hoc speciali expressione, non posset absolvi, ac reductio, licentia, revocatio, salvus conductus, & cassatio processus, & banni hujusmodi essent ipso jure nulla, nulliusque roboris, & momenti, adjectis aliis pœnis, inhabilitationibus, censuris, & decretis, & aliis, prout in ejusdem Pii, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, quinto Kal. Februarii, Pontificatus sui anno quarto expeditis literis plenius continetur.

Et successive rec. mem. Sixtus Papa IV. similiter Prædecessor Noster accepto per eum, quod contenta in literis Pii Prædecessoris hujusmodi a certis temporibus tunc elapsis non fuerant observata, & ex illorum non observantia subditi prædictæ Ecclesiæ procliviores erant ad homicidia committenda, jamque fere passim homicidia quotidie perpetrabantur, & homicidæ præfati ideo ad illa committenda promptiores existebant, quia sperabant latere, & suorum excessuum remissionem consequi facile posse, ad detestabilem, & horrendam talium Sicariorum nequitiam ad aliorum cautelam opportunis juris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habita super his cum Fratribus suis prædictæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, & de illorum consilio per suas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Kalen. Aprilis, Pontificatus sui Anno Nono expeditas literas, Statuta, & Decreta Pii Prædecessoris hujusmodi, & prout illa concernebant, omnia, & singula in dd. literis ejusdem Pii Prædecessoris contenta, Apostolica auctoritate approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit, ac voluit, & præfata auctoritate de eorundem Fratrum consilio statuit, & ordinavit, quod condemnati eatenus, & quos imposterum condemnari contigisset ubilibet in Civitatibus, Terris, & locis Romanæ Ecclesiæ mediate, & immediate subjectis pro homicidio, sive ut principales, sive ut consilium, auxilium, & favorem præstantes, suarum condemnationum remissionem, aut contra illas salvum conductum, & licentiam secure in loco patrati criminis, vel ei infra quinquaginta milliaria, ut præfertur, propinquo, nullatenus obtinere possent ab alio quam a Romano Pontifice, qui pro tempore esset, & alicujus alterius etiam Legati de Latere remissio nemini suffragaretur. Et si forsan contingeret, eundem Romanum Pontificem ad remissionem, seu salvum conductum hujusmodi procedere, talis remissio per præoccupationem processisse censeretur, & nemini prodesse posset, nisi in illa vere earundem literarum Sixti Prædecessoris hujusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes, insertus foret, ac specifica, & determinata causa exprimeretur, quæ eundem Romanum Pontificem induceret ad derogandum iisdem literis Sixti Prædecessoris, quæ cum tam matura deliberatione ab eodem Sixto Prædecessore emanaverant.

Deinde piæ mem. Clem. Papa VII. etiam Prædecessor Noster facti notorietate edoctus, plures Urbis, Civitatum, Terrarum, Castrorum, Tenimentorum, partium, & locorum tunc sibi, & dictæ Romanæ Ecclesiæ mediate, & immediate subjectorum contra eorundem, & aliorum Prædecessorum literas elata cervice devenire, ac censuras, & pœnas in illis contentas sensu reprobo parvipendere non vereri, sceleratorum insolentiis salubriter reprimendis intendens, & criminosorum temeritatem ultrice justitia cohibere, ne literæ prædictæ, quæ provida deliberatione ab ipsis Prædecessoribus emanaverant, contemptibiles redderentur, sed excessuum perpetratores animadversione punirentur, opportunis remediis providere volens, inter cætera Motu proprio singulas præfatorum, & aliorum Prædecessorum inibi relatas literas cum omnibus, & singulis in eis contentis pari auctoritate approbavit, & innovavit, & per singulos, quos literæ ipsæ concernebant sub censuris, & pœnis in eis contentis, quas contravenientes eo ipso incurrerent, perpetuo inviolabiliter observari decrevit; Illasque etiam ad hoc, ut homicidæ, sicarii, exiliosi, criminosi, rebelles, aliique infames propter homicidia, & alia nefanda per eos perpetrata excessus crimina, & delicta in Civitatibus, Terris, Castris, vel locis eorum, seu in quibus tunc morabantur, banniti, & condemnati, etiam habita pace ab hæredibus, filiis, seu consanguineis occisorum, aut partium læsarum, non solum a locis circumvicinis usque ad quinquaginta milliaria, sed etiam ab omnibus, & singulis Civitatibus, & Terris, Castris, locis, & partibus tunc sibi, & dictæ Romanæ Ecclesiæ quomodolibet mediate, vel immediate subjectis, banniti, & exules essent, & esse censerentur; nec in illis, seu eorum aliquo, etiam prætextu cujusvis licentiæ, salvi conductus, remissionis, reductionis, revocationis, vel alterius gratiæ per eos desuper quomodolibet

pro tempore obtentæ, moram trahere possent, & si in eis resedissent, vel reperti fuissent, capi, detineri, & incarcerari, ac juxta criminum, & excessuum per eos perpetratorum qualitatem, & literarum Pii Prædecessoris hujusmodi tenorem, sub pœnis in iisdem literis contentis, per Officiales Civitatis, Terræ, Castri, vel loci, in qua, vel in quo deprehensi fuissent, debitis pœnis plecti, seu inde educi, & ad forum, seu Officiales, ad quos criminum, & excessuum eorundem punitio de jure, vel consuetudine pertinebat, remitti deberent, extendit, & ampliavit, Et nihilominus omnia, & singula prout per Pium, Sixtum, & alios Prædecessores prædictos statuta, ordinata, inhibita, & declarata fuerant, itaut Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicarii, Feudatarii, Capitanei, Magnates, Principes, Communitates, Cives, Officiales, & personæ, ac alii, quos ipsius Clementis, & aliorum Prædecessorum præfatorum literæ concernerent, ac ipsorum singulis literas, & in eis contenta hujusmodi non observantes, & illis quomodolibet directe, vel indirecte contravenientes, & eis adhærentes, eorumque fautores, & complices, singulas censuras, & pœnas prædictas eo ipso absque alia declaratione incurrerent, & incurrisse censerentur de novo. Et ne facilitas veniæ incentivum præberet delinquendi, quibusvis dictæ Sedis Legatis etiam de latere, ac Nuntiis, & Provinciarum Rectoribus, necnon tunc suis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicariis in temporalibus pro tempore existentibus, & præfatis Communitatibus omnem super absolutionibus homicidiorum hujusmodi per eundem Clementem, ejusque Prædecessores Romanos Pontifices, ac Sedem eandem sub quavis forma, & verborum expressione concessam, approbatam, & innovatam auctoritatem, & facultatem revocavit, cassavit, irritavit, & annullavit, & si quando similes absolutiones per eundem Clementem, ejusque successores Romanos Pontifices, ad Sedem præfatam concedi contigissent, illas per Judices, & Officiales, ad quos pertinerent, nisi trinæ literæ Apostolicæ sub intervallo unius mensis pro singulis literis hujusmodi cum expressa derogatione earundem ipsius Clementis Prædecessoris literarum desuper emanassent, nullatenus admitti, vel observari voluit, & alias prout in ejusdem Clementis literis, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto, Pridie idus Junii, Pontificatus sui Anno Primo desuper expeditis uberius continetur.

Postmodum ejusdem memoriæ Pius Papa IV. pariter Prædecessor noster habita super his cum Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, & de illorum unanimi consilio, & assensu, iisdem modis, & forma prædictis, quibus idem Clemens Prædecessor literas suorum Prædecessorum confirmaverat, & extenderat, ipse pariter literas memoratas ejusdem Clementis, & aliorum Prædecessorum cum eadem expressione, & extensione, & cum simili, ut præfertur, revocatione, cassatione, irritatione, & annullatione omnis auctoritatis, & facultatis dictæ Sedis Legatis etiam de latere, aliisque prædictis super absolutionibus homicidiorum hujusmodi per eundem Pium Papam IV. ejusque Prædecessores Romanos Pontifices, ac Sedem eandem sub quavis forma, & verborum expressione concessæ, approbatæ, & innovatæ, necnon cum eadem, ut præfertur, voluntate, seu decreto, si & quando similes absolutiones per eundem Pium IV. ejusque Successores, & Sedem prædictam concedi contigisset, per quasdam suas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, octavo Idus Januarii, Pontificatus sui Anno secundo expeditas literas approbavit, & innovavit.

Cumque idem Pius Prædecessor accepisset, nonnullos ex Gubernatoribus, & Officialibus per eum in diversis Civitatibus, Terris, & locis Status Ecclesiæ constitutis, & deputatis, forsan suæ voluntatis ignaros, aut alias prætendere pœnarum remissionem inquisitis, bannitis, & condemnatis super homicidiis per eos tempore perpetratis per eos remitti, gratiamque fieri, & exinde ab eis compositionem exigi posse, Idcirco ad tollen. omne dubium, quod exinde oriri potuisset, & ne Gubernatores, & Officiales prædicti, ac quicunque alii ignorantiæ ejusdem suæ voluntatis, aut quovis alio prætextu in illis se intromittere præsumerent, veriores dictarum suarum literarum tenores, ac si de verbo ad verbum insertæ fuissent, pro expressis habens, decrevit, & declaravit, gratias, seu remissiones, aut compositiones quibusvis inquisitis, condemnatis, aut bannitis, ex causa, vel occasione homicidii animo deliberato, vel casu fortuito, aut in rixa, vel alio quovis modo pro tempore perpetrati, pro quo pœna ordinaria, vel extraordinaria imposita, vel imponenda fuisset, per quoscunque in Civitatibus, Terris, & locis prædictis Sedis Apostolicæ Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, vel alios Officiales deputatos, & deputandos, fieri imposterum nullatenus posse, & illas tantum compositiones, & gratias cum inquisitis, condemnatis, & bannitis hujusmodi, ut supra, ab inde faciendas valere, illisque suffragari, qui habuissent supplicationes desuper sua manu signatas, & per Datarium pro tempore existentem datas, prout in Cedula Motus ejus proprii, sub Datum sexto Kalen. Maji, Anno Pontificatus ipsius quinto, continetur.

Posthæc similis memoriæ Pius Papa V. habita super his cum Venerabilibus Fratribus suis ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum unanimi consilio, & assensu, inter cætera ibidem per ipsum decreta, & sancita, singulas prædictorum Pii II. Sixti, Clementis, & Pii IV. & aliorum prædecessorum literas, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, Apostolica auctoritate approbavit, confirmavit, & innovavit, illisque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjecit, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernebant penitus, ac sub ibi relatis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis pœnis, observari voluit, & decrevit, & alias prout in ipsius Pii V. Prædecessoris desuper, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Tertio Nonas Julii, Pontificatus sui Anno Primo emanatis literis, quarum, & præfatarum eorundem Pii II. Sixti, Clementis, & Pii IV. Prædecessorum literarum, & Cedulæ tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habere volumus, uberius continetur.

Nunc vero Nos nequitiis hujusmodi salubriter reprimendis, ne criminosorum invalescat præsumptio, illorumque perversitas quoquo modo remaneat impunita, quin ultrice justitia perpetuo retundatur, sedulo intendentes, ac insimul quieti, & tranquillitati præfatorum nostrorum, & ejusdem Sedis in temporalibus subditorum, nec non majori justitiæ Officialium securitati, ac ejusdem justitiæ liberiori exercitio providere volentes, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, singulas eorundem Pii II. Sixti, Clementis, Pii IV. & V. Prædecessorum literas hujusmodi, cum omnibus, & singulis, quæ præmissa, & infrascripta concernunt, & concernere possunt, tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, penitus, & sub inibi contentis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis pœnis, & censuris, & cum omnibus inibi decretis, & sancitis observari volumus, atque decernimus, firmis, & in suo robore, & statu remanentibus cæteris in iisdem literis, statutis, sancitis, & decretis.

Et nihilominus hactenus inquisitos, processatos, condemnatos, aut bannitos, sive uti principales, sive uti mandantes, vel mandatarios, sive uti complices, aut auxilium, vel consilium, vel favorem præstantes, ex causa, vel occasione homicidii, pro quo pœna ordinaria, vel extraordinaria imposita fuerit, vel erit, seu imponenda foret, & quos quibuscunque futuris temporibus similiter inquiri, processari, condemnari, seu banniri contigerit ubilibet in quibuscunque Civitatibus, Terris, & locis Nobis, & Sanctæ Sedi mediate, & immediate subjectis, comprehensis etiam quatuor Legationibus, & Civitatibus Bononiensi, Ferrariensi, Beneventana, aliisque etiam specialem, & individuam expressionem, & nominationem requirentibus, nullo unquam tempore, vel modo ex aliqua gratia, seu compositione, vel per viam cassationis processus, remitti, seu quoquo modo gratiose rebanniri, habilitari, seu dispensari, minusque illis aliquem salvum conductum, præterquam pro vero, reali, & necessario servitio justitiæ, & tunc pro eo duntaxat tempore, quod hujusmodi servitio congruat, concedi per quoscunque locorum, & Civitatum Gubernatores, & justitiæ Officiales, provinciarum Rectores, dictæ Romanæ Ecclesiæ in temporalibus Vicarios, & quoscunque

cunque

cunque alios quantumvis speciali, & in individua nota dignos, ac etiam ipsos de Latere Legatos, salva tamen quoad eosdem Legatos infrascripta distinctione, seu moderatione, etiam pace ab hæredibus, vel consanguineis, aut filiis occisi habita, sine nostro, & Romanorum Pontificum pro tempore existentium speciali mandato, omnino prohibemus; Ita tamen, ut pro hujusmodi mandato certa, seu præcisa forma non requiratur, prout in superius relatis literis, quibus in hac parte opportunè derogamus, & derogatum esse volumus, cavebatur, sed quocunque legitimo modo illud apparere, seu probari sufficiat.

Ad hæc omnes, & quaslibet facultates quibuscunque locorum, & Civitatum Gubernatoribus, justitiæ Officialibus, Provinciarum Rectoribus, dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicariis in temporalibus, & quibuscunque aliis quantumvis speciali, & individua nota dignis, ac etiam ipsis de Latere Legatis, salva tamen quoad eosdem Legatos infrascripta distinctione, seu moderatione, super hujusmodi gratiarum, compositionum, cassationum processuum, remissionum, habilitationum, dispensationum, & salvorum conductuum concessione, etiam per Nos, & Prædecessores Nostros, ac Sedem eandem sub quavis forma, & verborum amplitudine concessas, innovatas, & approbatas, omnino revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, & pro revocatis, cassatis, irritis, & nullis, ac si concessæ non fuissent, haberi volumus, & decernimus, & quascunque facultates, si quas imposterum concedi contigerit, servata hujus nostræ Constitutionis forma, intelligi, & observari debere omnino volumus, & mandamus.

Verum quia in relatis Prædecessorum Nostrorum literis cæteris omnibus Officialibus, & personis præfatis æque, ac ipsis de Latere Legatis hujusmodi gratiæ, & actus indistincte prohibeotur, omniumque facultates pariformiter revocantur, sive de homicidiis animo deliberato, sive casu fortuito, vel in rixa, vel alio quovis modo patratis agatur; Nos eximiam Legatorum de Latere S. R. E. Cardinalium dignitatem præ oculis habentes, eosque facultatibus ea qua decet circumspectione, usuros esse sperantes, præfatas Constitutiones moderari, illasque, & præsentem nostram sanctionem apud præsentes, & pro tempore existentes de Latere Legatos ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinales locum habere decernimus pro homicidiis animo doloso, & præmeditato commissis, iidemque de Latere Legati, ut sibi concessis, seu concedendis facultatibus, quas Nos juxta præscriptam in iisdem præsentibus formam etiam harum serie opportune concedimus, quoad gratias, & actus prædictos uti possint, & valeant, quotiescunque de homicidiis casu fortuito, vel in rixa, seu alias similiter sine dolo, & præmeditatione commissis agi contigerit, iisdemque Constitutionibus in hac parte amplissime derogamus, & opportune derogatum esse volumus, & mandamus, firmis tamen, & in suo robore quoad quoscunque alios remanentibus omnibus, & singulis, quæ in præfatis, & præsenti nostra Constitutionibus, quoad omnia homicidia etiam in rixa, vel alias commissa statuuntur, & decernuntur.

Volentes præterea delinquentibus, eorumque fautoribus occasione tum homicidiorum, tum aliorum delictorum ansam eo magis amputare, ne Curiæ, & Fisco eosdem inquirendi, & processandi, condemnandi, banniendi, & quoscunque justitiæ actus explendi impedimentum præbeant, & è converso Nuntios, Birruarios, Notarios, Promotores, seu Procuratores Fiscales, Judices, cæterosque Justitiæ officiales, & ministros ad eorum operam attentius navandam, ac querelantes ad opem justitiæ tutius imploranda, & testes ad veritatem liberius propalandam, spe, & præsidio majoris securitatis excitare, præfatas, & præsentem nostram Constitutiones sic extendimus, & respective locum habere mandamus, ut omnes, & quicunque ad pœnam ultimi supplicii, vel ad triremes perpetuo condemnati ex causa præfatorum justitiæ ministrorum, & officialium, seu partis querelantis, vel testium offensionis, a nemine ex prædictis Gubernatoribus, Officialibus, Rectoribus, Vicariis in temporalibus, & quibuscunque aliis speciali, & individua nota dignis, & nec ab ipsismet de Latere Legatis S. R. E. Cardinalibus remitti, seu ullam ex gratiis, & actibus superius expressis, minusque aliquem salvum conductum, præterquam pro vero, reali, & necessario servitio justitiæ, & tunc pro eo duntaxat tempore, quod hujusmodi servitio congruat, sine expresso, ut præfertur nostro, seu Romani Pontificis pro tempore existentis mandato obtinere ullatenus possint, & valeant, omnesque, & quascunque facultates quoquomodo concessas, quæ præsentibus adversarentur, penitus, & omnino ut præfertur, revocamus, & annullamus, istoque casu, & ad hunc effectum, ut indiciis ad transmittendam inquisitionem sufficientibus ex processu resultantibus, judices ad quos spectat, servatis solitis terminis ad condemnationem delinquentium hujusmodi expedite procedere teneantur, omnino volumus, & decernimus.

Mandantes hujusmodi nostram Constitutionem; ac omnia, & singula in eis contenta, per quoscunque etiam speciali nota dignos inviolabiliter observari sub omnibus censuris, & pœnis, quæ in superius relatis Prædecessorum nostrorum literis imponuntur, & continentur, sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque judices tam ordinarios, quam delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, quidquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Non obstantibus præmissis, & aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, quibuscunque consuetudinibus, ac omnibus, & singulis illis quæ dicti Prædecessores in præfatis eorum literis voluerunt non obstare, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuscunque aliis privilegiis, facultatibus, indultis, & literis Apostolicis etiam motu proprio sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, & alias, quomodolibet per Prædecessores nostros Romanos Pontifices, ac etiam per Nos concessis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem quod lapsis viginti diebus, postquam præsentes Valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem nostris Cursoribus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & singulos tam in Urbe, quam in Statu præfatis existentes perinde obligent, & arctent, ac si unicuique eorum personaliter, & nominatim intimatæ fuissent; Quodque earum transumptis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur; quæ eisdemmet præsentibus, si exhibitæ, vel ostensæ fuissent, adhiberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatis, decreti prohibitionis, derogationis, revocationis, cassationis, irritationis, annullationis, mandati, concessionis, & extensionis infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, septimo Idus Maji, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Loco ✠ plumbi.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus,

Registrata in Secretaria Brevium.

De Congregatione Boni Regiminis.

S U M M A R I U M.

1 *DE bonis directionibus Sixti V. & Clem. VIII. in Statu Ecclesiastico.*
2 *De erectione hujus Congregationis, & ex quibus constet.*
3 *Quod ista sit filia alterius Congregationis Consultæ,*
4 *De mala consuetudine nobilium, & literatorum vivendi super communitate,*
5 *Non possunt imponi gabellæ, vel collectæ sine licentia hujus Congregationis,*
6 *De solemnitatibus de jure requisitis in alienatione bonorum communitatis.*
7 *De quibus causis ista Congregatio cognoscat.*
8 *Est tribunal laicale, inspecta ejus originali natura, sed quod habeat etiam jurisdictionem cum Ecclesiasticis, & quomodo.*
9 *De ratione ob quam Ecclesiastici in Statu Ecclesiæ subjacent oneribus laicalibus.*
10 *Cum quibus communitatibus, vel locis se non ingerat.*
11 *De Agentibus communitatum.*
12 *De alia Congregatione Levaminum.*
13 *De commentariis super negotiis ad communitates pertinentibus.*

D I S C. XXVI.

PRo bono regimine œconomico Communitatum, qua-
1 rum regimen civile politicum commissum est Congregationi Consultæ, ut *disc. præcedenti*, Clemens VIII. Siati V. pene immediatus successor (ob nimium breves tres Pontifices intermedios) ejus vestigiis in plerisque inhærendo, atque bonas arbores politicas ab eo plantatas, accurate irrigando, & colendo; Unde propterea solidas fecerunt radices, multosque produxerunt bonos fructus pro publica quiete, rectaque justitiæ administratione, ejusdemque justitiæ debito timore, qui revera magis, quam benignitat pro hodiernis motibus, & fere semper, est melior Reipublicæ gubernator, ac regulator; Istam instituit
2 Congregationem, quæ juxta præsentem statum, ad instar dictæ alterius Congregationis Consultæ, constituitur ex competenti Cardinalium numero vario, cum Secretario Prælato, qui Communitatum major director, ac regulator videtur, utpote huic curæ pene totus addictus, cum aliquibus competentibus emolumentis pro suæ sustentationis subsidio; Ac etiam ex pluribus utriusque Signaturæ Prælatis, qui causas, vel negotia Communitatum, vel regionum inter eos distributarum proponunt in Congregatione, quæ pariter sub præfectura, seu præsidentia est Cardinalis superintendentis generalis, qui subscribit literas, & decreta, aliasque provisiones ab isto Secretario scriptas, eodem modo quo de Consulta dictum est, adeout ista dici valeat illius filia, seu adjutrix, ex eo quod, cum illa, omnia communitatum negotia a Siato V. in ejus erectione sibi commissa, explicare non possit, idcirco sibi retentis iis, quæ publicam quietem, ac regimen politi-
3 cum, seu ethicum concernunt, huic alteri Congregationi, œconomicum dimisetit.

4 Hujus itaq; Congregationis partes sunt, recognoscendi singulatum communitatum statum, eisque præscribendi modum, seu formam œconomicæ administrationis, ut publica onera opportune supportentur, atque non fiant sumptus inutiles, minusque privati potentes suffocent impotentes, istos, juxta frequentem usum fere totius Orbis, gravando ad privatam utilitatem cum collectis seu cum contributionibus ultra indigentiam; dum pene generalis consuetudo videtur virorum nobilium, & literatorum, se onutriendi cum pauperum, ac miserabilium sanguine, occasione administrationis Communitatis.

5 Quare non solum Magistratui ordinario, penes quem residet actualis administratio, sed etiam Magistratui magis generali repræsentanti universum populum, cui Consilii generalis vocabulum tribui solet, cum administratione habituali, prohibitum est, gabellas, & collectas, seu contributiones indicere, absque hujus Congregationis participatione, ac licentia, quæ non nisi causa bene cognita, prævia que diligenti recognitione status Communitatis, concedi solet, certam formam præscribendo.

6 Prout etiam, alienationes bonorum stabilium, vel æquipollentium, sive censuum impositiones, vel æris alieni contractatio, aliive contractus, ex quibus perpetuum, ac notabile resultat præjudicium, fieri non possunt, absque ejusdem Congregationis licentia, quæ non nisi causa cognita, concedi solet, ita innovando juris communia dispositionem, circa Principis placitum, quod recensetur inter plures alias solemnitates, quæ in alienationibus bonorum Civitatis requiruntur, illud præstandum per organum hujus Congregationis. *a*

Occasione autem solutionis collectarum, & contribu- 7
tionum, aliorumque onerum, stante istorum distinctione, seu diversa qualitate, inter ea scilicet magis publica, quæ cum Principe supportantur, ideoque cameralia dicuntur, & alia, quæ magis de privato participant, & quæ dicuntur communicativa, pro illius populi particularibus usibus communicativis, ob notabilem eorum differentiam, quod scilicet quamplures cives, & incolæ, vel exteri, bona possidentes, præsertim vero Ecclesiastici, ab una onerum specie sunt exempti, non autem ab altera; Hinc frequentes resultant quæstiones, & controversiæ disputari solitæ in ista Congregatione, cum consueto tamen aliarum Congregationum pluties enunciato stylo summario, & extrajudiciali, adeout formalis, & contentiosi Tribunalis speciem ita redoleat. *b*

Eademque occasio produxit, quod quamvis, ad instar 8
dictæ alterius Congregationis Consultæ, ista percaiat regimen temporale, unde propterea, spectata ejus origine, ac natura, sæcularis potius, quam Ecclesiastici Tribunalis, vel magistratus speciem redoleat; Attamen cum in hoc principatu (cujus supremus regulator utrumque gladium in manibus habet) Ecclesiastici pluribus subjaceant laicalibus oneribus, a quibus in aliis principatibus, & ditionibus exempti sunt, ex illis congruis rationibus
peculiaribus, quæ in Regalium sede insinuantur, occasio- 9
ne agendi de gabellis aliisque vectigalibus: *c* Hinc proinde Pontifex, aliquas facultates cum Ecclesiasticis circa hujusmodi collectas, & contributiones ei communicare cœpit, adeout paulatim, ac insensibiliter, ita quoddam Tribunal mixtum, in hoc genere causarum effectum videatur.

Eodem tamen modo, quo de dicta alia Congregatio- 10
ne Consultæ dictum est, non se ingerit in communitate Urbis, quæ sub nomine Curiæ populi Romani explicatur, dum ejus Administratores, qui Conservatores dicuntur, aliique officiales, quando opus est, immediatum habent Papæ oraculum; Minusque se ingerit in Civitatibus, vel provinciis, quæ per Cardinales Legatos reguntur, ut pariter de dicta alia Congregatione insinuatur; Quinimo per aliquos Barones, & Domicellos prætenditur, quod in eorum locis, & castris, ista Clementina Constitutio usu recepta non sit, ideoque Communitates, ipsorum Baronum, non autem hujus Congregationis regimini ac directionis subjaceant; Verum id certam non recipit regulam, cum totum pendeat a locorum particulari, & individua observantia.

Ut autem Communitatum negotia in Curia, tam apud istam Congregationem, quam apud alios Magistratus non negligantur, introductus fuit usus certi numeri Agentium Communitatum, cum distributione provinciarum, ut ita quilibet sciat quales sint sibi commissæ Communitates, quæ e converso pariter sciant quisnam sit suorum negotiorum gestor, quem certiorare debeant, certo statuto stipendio, ex earundem Communitatum pro earum qualitate, proportionata contributione suppeditando; Optima quidem est, & commendabilis introductio; Sed quia nullum in hoc mundo datur bonum, quod alicui non subjaceat corruptioni; Idcirco quandoque praxis docet, quòd istud munus, aliquibus minus idoneis, ad complacentiam collatum, potius ut provideatur persona, quam officium, ab eis retineatur in forma beneficii simplicis; unde propterea singulæ Communitates coguntur, alios habere particulares Agentes, seu negotiorum gestores; Pro frequentiori autem contingentia solent esse valde idonei, ac diligentes, unde propterea referri solet fato habere magis, vel minus idoneum, quod in omnibus mundi rebus contingit.

Pro earundem Communitatum, (saltem pro majori 12
parte,) nimis oppressarum, pro consueto effectu temporum, quæ passa sunt tot calamitates utriusque belli divini, & humani, ut nostra ætate universa Italia, imo universa Europa experta est, (& utinam magis in futurum non experiatur;) Clemens IX. cum magna applicatione, particularem Cardinalium, & Prælatorum, aliorumque pe-

ritorum

ritorum virorum Congregationem instituit, quæ Levaminum appellata est; Verum, sive ob Pontificatus brevitatem; Sive quia naturaliter est impossibile validum, ac robustum reddere illud corpus, quod jam exsangue, & emaciatum sit cum eisdem antiquis viribus propriis, absque nova illarum refectione, quinimo cum novis evacuationibus, vel emissionibus; Idcirco nullus huc usque effectus visus est, cum impossibile sit curare morbum contractum, nisi cesset causa productiva ejusdem; Idque pendet a Dei misericordia, restituendo scilicet pacem, & tranquillitatem, a qua pendet Communitatum restauratio.

13 Super hujus autem Clementinæ Constitutionis, ac hujus Congregationis praxi, commentaria ad id proficua, aliasque instructiones edidit quidam modernus Urbevetanus, qui dictum munus unius ex Agentibus generalibus Communitatum aliquo notabili tempore exercuit. *d*

a *tit. de alien. & contract. probib. disc.* 23.
b *tit. de Regal. disc.* 48. 57. & 92. & *tit. de Regal. disc.* 26. & *tit. de Regal.* c *tit. de Reg. disc.* 55. & 56. & 57.
d *Cohell. ad Bull. boni regimin.*

ANNOTAT. AD DISC. XXVI.

De controversiis oriri solitis super competentia istius Congregationis boni Regiminis videnda sub ea, quæ habentur *in disc.* 47. *n.* 18. *sub tit. de judic.*

De Congregationibus Aquarum, fontium, & viarum; & de plerisque aliis, quæ regimen temporale Status Ecclesiastici concernunt, nempe Confinium, & Annonæ, &c. & similibus.

S U M M A R I U M.

1 *De pluribus Congregationibus, quarum aliqua non sunt in usu.*
2 *De illis Annona, & grascia.*
3 *De Impressione Camerali.*
4 *De Congregatione viarum, & pontium.*
5 *De Congregatione aquarum, earumque materia.*
6 *De quibus non referat inspicere in ista relatione, & de illius fine.*
7 *De Congregatione confinium.*
8 *De altera reformationis Tribunalium.*

D I S C. XXVII.

1 QUamplures alias Congregationes, pro regimine principatus temporalis, in eadem Constitutione, *a* Sixtus V. erexit, quarum aliquæ non sunt in usu, & aliquæ si sunt, attamen adeo raro fiunt, ut pene pro non extantibus videantur; Nempe classis maritimæ, seu triremium, dum istarum curam habent in Curia Thesaurarius generalis, & quidam alii ministri Camerales; Prout pariter non extat Congregatio studiorum, vel sapientiæ, cujus administrationem, & curam habet Collegium Advocatorum Consistorialium, de quo agitur infra, agendo de Advocatis, & Procuratoribus aliisque Curialibus; Congregatio vero Annonæ, quamvis extet, adhuc tamen quodammodo, pro non extanti, in Curia haberi videtur, præsertim quoad forensia, dum ea est sub regimine Præfecti, ut infra in ejus particulari rubrica advertitur, *b* ubi insinuantur fo-
2 renses quæstiones, quæ coram eo super annonaria materia contingere solent; Idemque respectu grasciæ Urbis, quæ regitur etiam per Præsidem, de quo pariter habetur in dicta rubrica. *c* Unde propterea nonnisi penuriæ temporibus audiri solet hujus Congregationis nomen, vel convocatio pro œconomicis potius, quam pro forensibus.

Prout etiam in usu non est Congregatio typi, seu impressionis cameralis, dum ad unum ex appaltibus cameralibus, ea redacta est, pro lucro quod resultat a jure privativo imprimendi Constitutiones Apostolicas ac banuimenta, aliasque publicas provisiones, necnon Rotæ decisiones, & informationes, quæ pro causarum defensione dandæ sunt in Tribunalibus; unde propterea, cum res redacta sit ad mercimonium, seu appaltum, pene corrupta est antiqua Vaticana, adeo celebris impressio.

3 Item aliqua major eorum, ad quos pertinet, applicatio ex zelo desideranda videtur circa impressionem Bullarii, ut scilicet bene distinguerentur illæ Constitutiones, quæ respiciunt Principatum Ecclesiasticum, seu regimen Ecclesiæ universalis, ab illis, quæ respiciunt Principatum temporalem, segregando eas quæ non sint in usu, vel moderatæ; Ac etiam non permittendo impressionem aliquorum privilegiorum particularium, vel confirmationem aliquarum constitutionum Religionum cum similibus rebus, quæ illi operi nimium incongruæ sunt.

Congregatio vero viarum, & pontium, quamvis vigeat, nimium tamen raro fit, adeout pene ignota in Curia videatur, cum se non ingerat in Urbe, & districtu, sed pro reliquo Statu; Unde propterea forenses controversiæ audiri solent in Tribunali Ædilium, seu Magistrorum viarum, & coram earundem viarum Præside, qui jurisdictionem habet, & cognitionem hujusmodi causarum per universum Statum extra districtum in prima instantia; In Urbe vero, & districtu in secunda, & in gradu appellationis a præfatis Ædilibus, alia vero instantia pertinet ad Tribunal Cameræ, ut in dictorum Ædilium, & Præsidis particulari rubrica inferius habetur, ibique enunciantur forenses controversiæ, quæ in ista materia cadere solent. *d* 4

Aquarum vero Congregatio, ex aliquibus Cardinalibus, & Prælatis, cum mixtura aliquorum peritorum constituta est, illaque viget quidem, sed raro habetur, eamque adesse in Curia causant solum continuæ controversiæ inter Bononienses, & Ferrarienses super diversione aquarum cujusdam parvi fluvii, seu torrentis, qui Rhenus dicitur, & qui ratione situs uni, vel alteri territorio hiemali tempore cum ejus inundationibus præjudicia causare solet; Idque præsertim magis forte confovere videtur illam æmulationem inter has duas Civitates, quæ pene generalis, & connaturalis est ubique, & præsertim in Italia, inter respective magnas, vel medias, aut parvas civitates adjacentes; Seclusa enim ista controversiarum occasione, quamvis in aliis partibus Status Ecclesiastici, & præsertim in ea, quæ Clanarum dicitur, a quibus inundationes Tiberis Urbi, & agro Romano, adeo præjudiciales resultare solent, eædem controversiæ oriantur; Attamen istud, politicum, seu prudentiale potius, quam forense negotium videtur; Forenses autem controversiæ, quæ inter privatos contingunt, super usu, vel diversione aquarum, tractantur coram Judicibus, vel in Tribunalibus ordinariis more aliarum privatarum forensium quæstionum, ut in materia servitutum advertitur, ubi de quampluribus causis concernentibus hanc materiam aquarum. 5

Idemque dici potest de aliquibus aliis Congregationibus extraordinariis, vel ordinariis ignotis, quæ habeantur pro eodem regimine temporali; Unde propterea, parum, imo nihil refert eas diligenter inquirere, vel referre, præsertim quia hujus relationis finis, vel effectus est, instruere forenses, quibus in Romana Curia contingat, causas peragere, ut sciant, earum proprias ac meliores vias, & ne a malis causidicis, vel negotiorum gestoribus decipiantur; Ideoque dictas Congregationes illaque Tribunalia refert examinare, in quibus negotia forensia, vel respective granosa agantur. 6

Adest quoque quædam alia Congregatio, quæ Confinium dicitur, constituta ex uno Cardinali, & ex Thesaurario generali, & Advocato, & Commissario Cameræ, cum mixtura aliquorum Prælatorum, pro Papæ arbitrio, pro decidendis illis controversiis, quæ inter Communitates, vel Barones oriri solent super confinibus territoriorum. Nimium autem raro teneri solet, adeout pene ignota pariter videatur; Ea tamen speciem judicialis, & contentiosi Tribunalis habere videtur, disputando formiter cum Advocatis, & Procuratoribus in contradictorio, & cum compilatione processus, super probationibus hinc inde, in illis controversiis, quæ (licet raro,) super ista confinium materia cadunt, ut quandoque practicavi. 7

Adest etiam quædam Congregatio super reformatione Tribunalium, ut omni ævo Pontifices facere consueverunt; Ac præsertim, ultra antiquiores Constitutiones Alexandri VI. & aliorum, habemus recentiores Pii IV. & Pauli V. cum quibus Tribunalia reguntur; Sed quamvis plurium annorum spatio de hac reformatione actum sit, & agatur, nihil tamen huc usque conclusum est. 8

a *Ejus Constit.* 74.
b *Infra in eo disc. in quo agitur de variis Præsidibus.*
c *Ibidem.*
d *Infra in d. disc. in quo agitur de Præsidibus.*
e *Tit. de servit. disc.* 25. *cum seq.*

De Congregationibus Baronum, & Montium, ac etiam Computorum.

S U M M A R I U M.

1 *Congregationes montium, & Baronum sunt diversæ, sed tractantur unitæ.*
2 *Ex quibus constituantur.*
3 *An Auditor Thesaurarii habeat votum?*
4 *De Congregatione Baronum, & quale sit ejus munus, & de quibus cognoscat, & ubi tractetur de ejus materia.*
5 *De Congregatione montium, & de quibus cognoscat, & ubi tractetur de ejus materia.*
6 *De eisdem disputationibus Congregationis Baronum.*
7 *Qua die teneantur.*
8 *De Congregatione computorum.*
9 *Ad quem ab istis Congregationibus appelletur.*

D I S C. XXVIII.

1 Congregatio Baronum, & Montium; Quamvis omnino diversæ sint, diverso tempore institutæ, diversaque agunt negotia; Attameo, ad instar cardinalitiarum Congregationum, Episcoporum, & Regularium, pro unica vulgo haberi videntur, eoquia ex eisdem personis constitutæ sunt, eademque die, ac in eodem loco habentur, atque utriusque materiæ negotia audiuntur, & deciduntur.

2 Constituuntur etenim, ex Thesaurario generali, qui est utriusque caput, seu Præfectus, & in cujus domo fiunt; necnon ex aliquo numero vario (pro Papæ arbitrio) Clericorum Cameræ, & ex Advocato fisci; ac etiam ex Commissario Cameræ, & ex Auditore Thesaurarii, de quo sub Judice lis est, an habeat votum decisivum, vel consultivum tantum; Curialibus peritis in diversas abeuntibus sententias, super retroacti temporis praxi; Recens autem, &
3 actualis præsefetre potius videtur, ut habeat quoque votum decisivum, quod cum aliis numerandum sit, pro resolutione capienda.

4 Cum autem de Congregatione Baronum erecta pro executione, & observantia Constitutionis Clement. VIII. contra Barones, ut ad propria, vel eorum majorem debita dissolvenda cogantur, fideicommissis, & investituris, aliisque juribus propriis non obstantibus, & quæ Constitutio; vulgo Bulla Baronum appellatur, particulariter ac plene actum sit sub materia feudali; Idcirco ibi de ejus Instituto, & praxi, ac de quæstionibus cadentibus super ejusdem Bullæ interpretatione, facile est videre, ne adeo longa superflua repetitio fiat eorum, quæ jam dicta sunt, ac prorupte in dicta sede habentur. *a*

5 Quo vero ad alteram Congregationem montium pro ipsorum reductione, ac natura, & privilegiis pro libertate, seu commercio, pariter actum habetur in sede Regalium, quoniam cum sint jura cum Principe, inter Regalia merito recensentur. *b* Verum quia eorum rector, seu curator est Thesaurarius generalis, sine cujus licentia, in judiciali, vel conventionali commercio, ac distractione, vel translationa de persona ad personam, non sunt; Idcirco super eorum translatione, vel pertinentia, aut super creditorum concursu, & prælatione, sive super vinculorum deletione, vel respective appositione, frequentes in Curia audiuntur forenses controversiæ, quæ in forma judicii, per ipsum Thesaurarium, vel ejus Auditorem examinantur, ac deciduntur; Verum aliquando, ubi agatur de casibus valde dubiis, seu exemplaribus, ipse Thesaurarius exquirere solet votum Congregationis, in qua proinde, cum Advocatis, & Procuratoribus puncti in quæstione cadentes disputantur in forma contentiosi Tribunalis; Atque in istis Congregationibus habetur idem usus contradictoriorum, qui habetur in Tribunali Auditoris Cameræ, & in quibusdam aliis inferioribus Tribunalibus, vel coram Judicibus particularibus, seu commissariis, non autem in Sac. Congregationibus, vel in primariis collegiatis Tribunalibus, utriusque Signaturæ, ac Rotæ, & Cameræ.

6 Frequentiores autem disputationes cadunt super negotiis pertinentibus ad dictam Bullam Baronum; Tam occasione plurium quæstionum, quæ contingunt super ejus interpretatione, ut supra; Quam etiam super avocationibus pecuniarum, quæ creditoribus primo venientibus, ex pretio castrorum, & bonorum Baronum ab eadem Congregatione solutæ sunt cum solita cautione de restituendo prioribus, & potioribus; Ideoque ista Congregatio, quamvis more aliarum cardinalitiarum, summarie, simpliciter, & de facto, more Principis potius quam Judicis procedat, absque necessitate servandi telam, seu ordinem judiciarium, cui Judices subjacent. *c* Anamen speciem Tribunalis contentiosi, & judicialis præsaferre videtur, cum proprium, ac particularem habeat Notarium, ac sententias proferat, seu causas in forma judiciaria disputet, ut latius in dicta sua peculiari sede.

Non habet autem diem certam, ac determinatam, sed arbitrio Thesaurarii pro negotiorum urgentia convocari solet; Pro ordinaria vero, seu frequentiori praxis habetur in die martis. 7

Coram eodem Thesaurario, & in ejus domo alia, pro negotiorum contingentia, haberi solet similitudinaria Congregatio, pariter constituta ex aliquibus Cameræ Clericis, & ex præfatis Advocato, & Commissario Cameræ, necnon ex duobus ejusdem Cameræ ratiocinatoribus, qui vulgo computistæ nuncupantur; Non tamen in ea intervenit præfatus Thesaurarii Auditor; Atque adinstar præfatarum aliarum Congregationum montium, & Baronum in forma contentiosa, & contradictoria cum Advocatis, & Procuratoribus disputantur puncti, seu quæstiones cadentea in revisione, ac solidatione computorum inter ministros camerales, & appaltatores, sive administratores dohanarum, gabellarum, aliarumque jurium, & appaltuum cameralium, super aliquibus partitis dati, vel accepti; Frequentius vero super defalchis, vel remissionibus, aut refectionibus, quæ pro appaltatorum stylo prætendi solent; Sive super rationibus, quas reddunt Nuntii, & Collectores Apostolici, ac etiam ipsemet Thesaurarius generalis, sive depositarius generalis Cameræ, juxta plures quæstiones, quæ habentur in regalium, vel jurisdictionalium sedibus. *d* 8

Ab hujus vero Congregationis computorum resolutionibus appellationes interponuntur ad Cameram, tanquam a sententiis, vel decretis Thesaurarii Judicis primæ instantiæ, adeout ad instar enunciatæ Congregationis Montium, Congregatio, personam assessoris, vel Consultoris Thesaurarii illa gerere videatur; Hæc autem appellatio non datur a resolutionibus Congregationis Baronum, adversus quas alter non superest recursus nisi ad Signaturam Papæ, seu Gratiæ. 9

a *sub tit. de feud. disc. 73. & seqq.* b *tit. de Regal. disc. 23. & seqq.* c *eod. tit. de feud. disc. 95.* d *sub tit. de Regal. & tit. de jurisd. pluries.*

Sequentes Constitutiones, ac facultates concessas a S. M. Clemente VIII. ac Urbano VIII. Congregationis Baronum, hic adjungimus.

Sanctæ Memoriæ Clementis Papæ Octavi.

Deputatio Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Domini Bartholomæi S. Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis Cesi nuncupati, & aliorum super executione mandatorum, ad instantiam creditorum, ex quavis occasione, vel causa, omnium, & singulorum Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, aliorumque Baronum, & Domicellorum quorumcunque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditorum, in urbe, ejusque districtu, necnon toto Statu Ecclesiastico existentium, contra eos, seu illorum bona, a quibusvis Judicibus relaxatorum, cum libera, & ampla facultate, universas illorum civitates, Terras, Castra, & alia loca, & bona stabilia pro satisfactione dictorum creditorum, subhastandi, & vendendi.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

Justitiæ ratio, & publicæ fidei causa postulat, ut eorum, qui pecunias nostris, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditis crediderunt, seu quibus aliquid ab eisdem, quavis occasione, vel causa debetur, indemnitati pro munere nostro, opportuno remedio consulamus. Cum igitur multorum querelis jamdiu ad nos perlatum sit, & quotidianis ex postulationibus perferatur, nonnullos Barones, & Domicellos nostros, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditos tam in Urbe, ejusque districtu, quam in universo Statu nostro Ecclesiastico existentes, contracto variis de causis ære alieno, nullam prorsus inire rationem illud dissolvendi, imo nec annuas fructuum præstationes idcirco debitas, maximo credi-

torum

torum incommodo persolvere; ipsosque adeo creditores, dum eorum credita a dictis Baronibus, & Domicellis exigere conantur, magnos sumptus facere, & variis litibus implicati, & nihilominus credita ipsa nullo modo consequi posse, fidejussores etiam, qui pro eisdem Baronibus, & Domicellis sese, & bona sua quoquomodo obligarunt, ab eorum obligationibus minime posse liberari; præterea licet alias ad eorundem Baronum, & Domicellorum res aliquo pacto sublevandas, a nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ac etiam forsan a nobis ex speciali gratia concessa fuerit facultas, quosdam pecuniarum montes super eorum civitatibus, Terris, Castris, Casalibus, & aliis bonis stabilibus, ad diversas summas ascendentes, erigendi cum obligatione etiam per ipsos Barones facta, fructus hoc nomine singulis annis conventos solvendi, ac certis modo, & forma, Montes erectos intra præscriptum tempus extinguendi; eos tamen, qui pecunias in dictis Montibus posuerunt hactenus annuas fructuum præstationis a nonnullis ex dictis Baronibus, & Domicellis consequi non potuisse, neque adhuc posse, ac præterea aliquos etiam Barones, & Domicellos eosdem Montes, vel eorum partem juxta eorum obligationem, statuto tempore non extinxisse, nec forsan ulterius de illorum extinctione cogitare, quo fit, ut iidem creditores sub fide publica hactenus magno detrimento affecti fuerint, & in dies magis, ac magis afficiantur. Nos hisce malis pro officii nostri munere occurrere, & debitæ supradictorum creditorum (inter quos plerique pauperes, complures etiam pupilli, & viduæ sunt) satisfactioni expedita aliqua ratione providere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dilectum filium nostrum Bartholomæum Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem Cæsium nuncupatum, necnon dilectos filios Tiberium Cerasium Cameræ Apostolicæ Clericum, Paulum Coperchium fisci, & dictæ Cameræ Advocatum, Paulum Æmilium Zachiam ejusdem Cameræ Commissarium Generalem, ac Rodulphum Bonfiolum Senatorem Bononiensem ad infrascripta omnia, & singula facienda, Apostolica auctoritate tenore præsentium constituimus, assumimus, & deputamus, ac eisdem liberam, amplam, & plenam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur, ut conjunctim omnes, seu saltem idem Bartholomæus Cardinalis, & major ipsorum pars, omnibus, & singulis tam instrumentariis, sive hypothecariis, quam chirographariis, ac etiam legatariis, & ratione mercedis, cibariorum, & vestiarii, seu alias quovis modo privilegiatis, vel mercium, sive aliarum rerum occasione, aut etiam ex causa fidejussionum pro eisdem Baronibus, seu Domicellis, ac pro qualibet summa, & quantitate quorumcunque Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, aliorumque Baronum, & Domicellorum nostrorum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditorum in urbe, ejusque districtu, & in universo Statu nostro Ecclesiastico existentium cujuscunque status, gradus, conditionis, & ordinis fuerint, etiamsi dignitate quacunque Ecclesiastica, etiam Cardinalatus honore præfulgeant, aut ipsorum parentum, seu antecessorum, vel auctorum quorumcunque creditoribus, etiamsi eorum vassalli, & subditi, aut alii quicunque fuerint, qui de ipsorum creditis ex quavis causa, & ad quamcunque summam, ut præfertur, ascendentibus per mandata executiva a quibusvis Judicibus Urbis, aut alterius loci Status prædicti decreta, & relaxata docuerint, ipsaque mandata exhibuerint quamprimum absque ulla dilatione, non obstantibus quibuscunque inhibitionibus, dilationibus, supersessoriis in forma non gravetur, aut alias quomodolibet ab iisdemmet, vel aliis judicibus, aut etiam forsan a nobis, sive de ordine, ac mandato nostro emanatis, & emanandis, quas omnes, & singulas ex nunc auctoritate præsentium revocamus, annullamus, & irritamus, infrascriptis modis, & formis caveant, mandent, & cum effectu faciant, videlicet prædictorum Deputatorum Congregatio, exhibitis mandatis prædictis absque alia citatione, & tela Judiciaria, & sine ulla causæ cognitione super veritate crediti, vel discussione justitiæ, aut nullitatis mandatorum relaxatorum, tanquam meri, & puri executores, & propria auctoritate, & mandato, & sine vitio spolii, attentatorum, aut nullitatis omnium, & quarumcunque Civitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, Palatiorum, & aliorum bonorum immobilium, tam in urbe, ejusque districtu, quam alibi, ubicunque in nostro Statu Ecclesiastico existentium ad ipsos Principes, Duces, Marchiones, Comites, vel Barones, aut Domicellos quoscunque contra quos, vel eorum auctores, parentes, & quosvis antecessores, seu hæreditaria eorum bona, quæcunque mandata hujusmodi, ex quavis causa, ut supra dictum est, relaxata fuerint, vel eorum partem, arbitrio ipsius Congregationis, pertinentium, & per eos quocunque titulo habitorum, & quovis modo tentorum, & possessorum, realem, actualem, & corporalem possessionem nomine Cameræ Apostolicæ capi, & retineri ad commodum tamen, & utilitatem eorundem creditorum per mensem duntaxat immediate sequentem a die captæ possessionis, a qua die omnis ipsorum Principum, Ducum, Marchionum, Baronum, seu Domicellorum, aliorumque prædictorum jurisdictio, & illius exercitium, atque administratio penitus cesset, & cessare debeat; ita quod ipsi non possint per se, vel alios in Civitatibus, Terris, Castris, Casalibus, Palatiis, & aliis locis, & bonis prædictis sese ingerere, aut aliquo pacto intromittere, sed illorum jurisdictio, & administratio penes dictam Congregationem, seu personas ab ea deputandas remaneat, omnino curent, & re ipsa præstent, quo mense elapso Civitates, Terras, Castra, Casalia, Palatia, & alia bona hujusmodi subhastanda proponant, & plus offerenti, omissa penitus omnia alia solemnitate, & sine solita etiam subhastatione, & deliberatione per manus Cursorum, seu alias fieri consueta, & absque aliarum expensis, prævia duntaxat unius edicti per dies quindecim in locis publicis, affixione ad deliberationem plus offerenti cum cedula bancharia idonei Mercatoris, servata tamen quoad personas, quæ Civitates, Terras, Castra, & alia bona hujusmodi emere voluerint, forma Constitutionis fel. record. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri super prohibitione alienandi Castra, & alia bona stabilia in Statu Ecclesiastico existentia, sine Sedis Apostolicæ licentia, aliis personis, quam vassallis ejusdem Status, deveniant, illasque, & illa deliberent, & vendant, ac instrumentum, & instrumenta quæcunque, & alia desuper necessaria, & opportuna, obligando etiam personas Principum, Ducum, Marchionum, Baronum, & Domicellorum prædictorum, & bona eorum pro evictione, etiam in forma ejusdem Cameræ Apostolicæ celebrent, & celebrari faciant, ac pretium inde redigendum, in satisfactionem dictorum creditorum, juxta eorum anterioritatem, & potioritatem, recepta prius ab eis jurium cessione ad favorem emptoris, prout eidem Congregationi visum fuerit, præstita etiam ab ipsis idonea cautione, seu facta obligatione de eodem pretio restituendo prioribus, & potioribus ad omne mandatum sui Judicis, consignent, & consignari faciant; inter oblatores autem, Cameram Apostolicam, seu ejus commissarium, si offerre voluerit, ad offerendum admittant, sed si intra dictos quindecim dies nullus oblator reperiatur, tunc Congregatio prædicta, Civitates, Terras, Castra, & alia bona prædicta eidem Cameræ nostræ Apostolicæ adjudicet, deliberet, ac vendat, & ipsa Camera nostra Apostolica, prævia æstimatione per unum, vel plures æstimatores ab ipsa Congregatione deputandos pro illo pretio, quod æstimatum fuerit illas, & illa pro se accipere debeat, & de dicto pretio omnino supradictis eorum creditoribus satisfacere teneatur. Declaramus autem si inter dictos creditores reperiantur aliqui, qui occasione quorumvis tam Montium, quam censuum intuitu, & contemplatione ipsorum Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & Domicellorum, vel eorum auctorum, & prædecessorum supradictorum erectorum, & impositorum respective creditores fuerint, & quibus de fructibus idcirco debitis hactenus integre satisfactum non erit, vel in futurum non satisfiet, in præmissis eum servari debere modum, & ordinem, ut capta summaria informatione etiam extrajudiciali per dictam Congregationem de lapsu temporis, & satisfactione non secuta, absque ulla, ut dictum est, causæ cognitione, ad subhastationem, deliberationem, venditionem, & adjudicationem supradictarum Civitatum, Terrarum, Castrorum, & bonorum, pretio, ut supra æstimando modo, & forma prædictis, & ulterius ad extinctionem dictorum Montium, & censuum, ac satisfactionem dictorum fructuum usque ad diem dictæ extinctionis decursorum, ipsa Congregatio omnino deveniat, idemque servari volumus, & mandamus quoad illos Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & Domicellos, qui licet dictos fructus suo tempore quotannis solverint, supradictos tamen Montes, ut præfertur, erectos, vel cen-

sus impositos, & venditos intra tempora in erectione ipsorum montium, aut in impositione, & venditione censuum fidejussoribus promissa, vel alias conventa, non extinxerint, aut in futurum debitis temporibus non extinguent, seu etiam alia pacta in eisdem montium erectionibus, & censuum impositionibus, & venditionibus apposita, & alias conventa, seu in quibuscunque contractibus, in quibus, seu quorum vigore dicti Barones, & Domicelli, aut eorum auctores, seu antecessores debitores existunt, adjecta non adimpleverint, vel non observaverint, aut in futurum non observabunt, sive adimplebunt in toto, vel in parte, ipsa Congregatio eos ad dictorum montium, & censuum integram extinctionem, debiti solutionem, ac creditorum satisfactionem, etiamsi dies totius montium, & censuum extinctionis, vel debiti solutionis non advenerint, cogat, & compellat. Volumus etiam, & pari motu, ac potestate decernimus, Principes, Duces, Marchiones, Barones, & Domicellos supradictos, seu illorum quoscunque pro tempore successores, subhastationem, deliberationem, venditionem, & adjudicationem, & alia prædicta impugnare, impedire, vel retardare non posse, nec adversus ea aliquo modo se tueri, aut pro illorum revocatione quocunque tempore instare, etiam ea ratione, vel prætextu, quod ipsi in Castris, & bonis prædictis sint hæredes cum beneficio legis, & inventarii, vel non succedant illis, qui debita prædicta contraxerunt, sed quod loca, & bona supradicta ex antiquis investituris, concessionibus, fideicommissis, donationibus, vel ex contractibus, etiam ex causa dotium, vel quacunque alia de jure privilegia consecuti fuerint, vel ad ea vocati sint, mandatave a Judicibus fuerint tantummodo decreta, seu relaxata contra bona hæreditaria illorum, qui debitum hujusmodi contraxerunt, sed satisfit, & sufficiat, quod iis, qui debitum contraxerunt, dicta bona quovis titulo, & modo tenuerint, & possederint, seu quod ipsi Barones, & Domicelli simili modo illa teneant, & possideant, aut ex eo, quod creditores ex causa montium, & censuum restitutionem sortis principalis petere non possint, vel etiam ex eo, quod fidejussores non dicantur proprie creditores, & petere non possint se a fidejussione eximi, quibus, & aliis quibuscunque allegationibus, seu subterfugiis non obstantibus ad executionem nihilominus subhastationis, & deliberationis, & aliorum præmissorum supradictarum Civitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum deveniri omnino debeat, illaque robur perpetuæ firmitatis sortiantur, & obtineant. Ut autem præmissa omnia, & singula ad favorem omnium creditorum prædictorum statuta, & disposita statim sine ulla mora, aut aliquo impedimento executioni demandari possint omnibus, & quibuscunque investituris, concessionibus, donationibus, fideicommissis, primogenituris, & alienandi prohibitionibus, necnon pactis de succedendo tam in contractibus, quam in ultimis voluntatibus purificatis, & purificandis super Civitatibus, Terris, Castris, Casalibus, Palatiis, & aliis bonis immobilibus hujusmodi per quoscunque ascendentes, seu collaterales, ac penitus extraneos, ac forsan ipsos etiam Romanos Pontifices prædecessores nostros, etiam motu proprio, & consistorialiter emanatis, & sub quibusvis clausulis, vinculis, & cautelis quomodolibet factis, & confirmatis, quorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, ac etiam Regulæ nostræ de non tollendo jure quæsito, motu, scientia, & potestate similibus, plenissime, ac latissime derogamus, ac derogatum esse volumus; quod si forsan iidem Principes, Duces, Marchiones, Barones, & Domicelli aliqua alia bona stabilia nullæ investituræ, concessioni, donationi, fideicommisso, primogenituræ, vel alienandi prohibitioni, aut pacto de succedendo, aliisque prædictis subjecta, vel alias immunia, exempta, & libera quoquo modo possederint, nos pari motu, & auctoritate, eadem bona investituræ, concessioni, donationi, fideicommisso, primogenituræ, prohibitioni, & pacto prædictis in locum bonorum venditorum prædictorum, in omnibus, & per omnia subjicimus, substituimus, & subrogamus, & per eandem Congregationem, secuta venditione prædicta subjici, substitui, & subrogari debere decernimus, & mandamus. Declarantes nihilominus Civitates, Castra, & bona sic, ut supra vendita, & assignata, semper, & quocunque tempore penes illorum emptores, & Cameram præfatam, ac successores eorundem ab omnibus fideicommissis, primogenituris, prohibitionibus, pactis, donationibus, necnon nexibus, oneribus, vinculis, hypothecis, obligationibus, ac aliis prædictis libera, & semper exempta remanere debere, itaut nullo unquam tempore, prætextu prædictorum fideicommissorum, primogeniturarum, prohibitionum, pactorum, donationum, nexuum, onerum, circulorum, hypothecarum, obligationum, vel successionum tam ex testamento, quam ab intestato, emptores, camera, & successores prædicti molestari, seu inquietari quomodolibet possint, salvis tamen responsionibus, canonibus, censibus, ratione directi dominii, seu cujuslibet alterius superioritatis occasione dictorum bonorum eidem cameræ debitis. Cæterum volumus, & eidem Congregationi pariter mandamus, ut si ex pretio bonorum vigore præsentium vendendorum, aliquid, solutis debitis superesset, id quod superfuerit, si bona vendita alicui fideicommisso, prohibitioni, vel alteri cuicunque oneri, seu vinculo subjecta esse constiterit, in aliorum bonorum stabilium, vel locorum montium non vacabilium, quæ eidem fideicommisso, prohibitioni, oneri, & vinculo in locum bonorum venditorum omnino subjaceant, converti curent, & faciant, eorumque fructus singulis annis in aliorum similium bonorum, vel locorum montium emptionem investiri debere declarent, & cum effectu investiri faciant, donec ad valorem, & summam bonorum venditorum ascenderint, quæ pariter omnia fideicommisso, prohibitioni, oneri, ac vinculo hujusmodi in omnibus, & per omnia, prout bona vendita hujusmodi antea erant subjecta existant. Si vero bona eadem vendita nulli fideicommisso, prohibitioni, seu oneri, & vinculo obnoxia fuerint, Congregatio ipsa partem, quæ superesset, ex pretio hujusmodi solutis debitis, ut præfertur, ipsis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Baronibus, & Domicellis solvi, & consignari faciant, Civitates vero, Terras, Castra, & loca jurisdictionalia per Cameram Apostolicam in vim præsentium emenda, & acquirenda in Constitutione felicis recordationis Pii Papæ Quinti Prædecessoris nostri de Civitatibus, Terris, Castris, & locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non infeudandis, per triennium a die earum venditionis computandum, minime comprehendi debere declaramus. Decernentes sic, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & cameræ prædictæ Præsidentes, Clericos, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarios, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac legibus municipalibus urbis, necnon Civitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum supradictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, ac investituris, etiam in remunerationem, aut ex quavis alia causa onerosa, aut ex contractu erectionibus dignitatum, aliisque quibusvis concessionibus dictis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, & Domicellis sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & irritantibus, ac aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, necnon fideicommissis, ac ultimis voluntatibus, donationibus, pactis quorumcunque, aliisque præmissis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, & forma illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, & ad effectum omnium, & singulorum præmissorum specialiter, & expresse, ac latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, assum-

ptio-

ptionis, deputationis, concessionis, impartitionis, revocationis, annullationis, irritationis, subjectionis, substitutionis, subrogationis, declarationum, volontatum, mandatorum, decretorum, & derogationum infringere, vel ei ausu temeratio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, septimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

L. Cardinalis Prodat.
M. Vestrius Barbianus.
A. de Alexiis.
Registrata apud Mercellum Secretarium.

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, Indictione nona, die vero ultima mensis Junii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ Octavi, anno quinto, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis Basilicarum Principis Apostolorum Sancti Joannis Lateranensis, ac in acie Campi Floræ, ut moris est per nos Catherinum Meaandi, & Patrum Aloysium Peregrinum Cursores.
Prosper Spada Magister Cursorum.

Reverendissimo Cardinal Cesi: Acciò più facilmente si possino spedire li negozi della Congregazione de' Baroni, e de' creditori, che ad essa ricorrono. Però di nostro moto proprio, certa scienza, pienezza, potestà con il presente nostro chirografo vi diamo piena autorità di potere in tutto quello à voi parerà per conto della Bolla de' Baroni da noi fatta sostituire uno delli Deputati nella predetta Bolla ogni volta, e quello, che piacera con facoltà, che insieme con gl' altri Deputati, o almeno con un altro di essi possa fare, & eseguire totalmente quanto si dispone, e contiene nella medesima Bolla, e si come potrià fare la sudetta Congregazione tutta insieme con la persona vostra congregata. Volendo, che le spedizioni si debbiano sottoscrivere da due di loro congregati, e sotto il nostro sigillo, non ostante detta Bolla, & ogn' altra cosa che facesse in contrario, a' quali tutte per questa volta espressamente deroghiamo, avendo il tenore loro qui per espresso, & inserto etiam de verbo ad verbum, ed in ogni miglior modo.

Dato nel nostro Palazzo Apostolico, questo dì 31. di Marzo 1599.

CLEMENS PAPA VIII.

Reverendissimo Cardinal Cesi: Avendo Noi agl' anni passati per li molti lamenti, e querele, che sentiamo di diversi creditori de' Baroni, & altri, che hanno giurisdizione, voluto provedere, che con facilità potessero conseguire i loro crediti, deputammo la Congregazione sopra ciò avanti di voi, con facoltà, che presentati li mandati ottenuti de' crediti, detta Congregazione procedesse sommariamente, & manu regia all' esecuzione di essi, & altramente, si come nella Bolla sopra di ciò spedita sotto dì 25. di Giugno 1596. quale qui abbiamo per inserta, & essendo che dalla predetta Congregazione, o da alcuni Deputati in essa per esecuzione della detta Bolla si è proceduto in varie cause contro diversi Baroni, & altri sopradetti alla deputazione de' Commissarii, publicazione, & affissione di editti, subbastazione, e deliberazione di molti Castelli, & altri loro beni, & ancora con l'occasione di eseguire la medesima Bolla si è proceduto alla cognizione delle cause, liquidazioni di frutti, o interessi, od'altre pretensioni, e ne sono succeduti senza far processo, nè tela di giudizio, e senza servare termine alcuno etiam sostanziale, ma sommariamente manu regia diversi decreti, sentenze, ordini, mandati esecutivi, esecuzioni, assegnamenti, e divisioni di quelli frà creditori, & anco si è venuto ad altri atti, istromenti, e scritture, e molte volte senza citazione alcuna, o non valida, avendo solo ascoltate le Parti, & Agenti di esse così estragiudizialmente, e si come consta negl' atti di Marc' Antonio Bruto Notaro deputato, le quali cose tutte, ed il tenor di esse etiam de verbo ad verbum vogliamo qui si abbiano per espresse, ed inserte. E perchè il tutto è stato fatto per facilitare l'esazioni, & esecuzione de detta Bolla, conforme all' ordine nostro più volte datovi a bocca, & avendo inteso adesso, che alcuni per prolongare, & intrigare, o altrimente si va opponendo della giurisdizione, e della invalidita delle cose predette. E volendo noi togliere via ogni dubio, e che potesse nascere sopra la validita di tutte le cose fatte così da voi in Congregazione; come da ciascheduno deputato etiam fuori di Congregazione solo, o in compagnia d' altri. Però di nostro motu proprio, certa scienza, & de plenitudine potestatis con il presente chirografo, conformandoci con l' intenzione nostra primeva sudetta tutti, e singoli atti, decreti, sentenze, processi, divisioni, ripartizioni, mandati esecutivi, esecuzioni, & altre cose sopradette contro qualsivoglia Barone, e persona fatti da detta Congregazione, o da alcuno di loro Deputati da essa, approviamo, e confermiamo, dandogli ogni vigore, e fermezza necessaria, & opportuna, supplendo ad ogni diffetto in ogni miglior modo &c. Et oltre di cio con questo dichiarando più la mente nostra, diamo piena potestà à voi, e detta Congregazione, & a chiunque della Congregazione predetta, che sarà da voi deputato a vostro arbitrio, che per l' avvenire ancora oltre l' altre facoltà datevi possiate in tutte, singole, e sopradette cause con tutti incidenti, dependenti, emergenti, annessi, e connessi, così unitamente, come divisamente, e tanto mosse, quanto da moversi, attive, e passive, ed in ogni modo frà ciascheduna persona de i predetti, o per occasione delle cose sopradette contro qualsivoglia persona, e si come meglio parerà a voi con potestà anco di avocarle da ciaschedun Tribunale, e Giudice, etiam dell' Auditor della Camera, possiate dico conoscerle, sentenziarle, far decreti, rilasciar mandati, & esseguirli, e far tutto quello, che in cio sarà necessario, & opportuno, con facolta di procederci sommariamente manu regia, sola facti veritate inspecta, senza processo, tela giudiziaria, e termine alcuno etiam sostanziale ogni giorno, & ogni ora, eccetto le feriate in onor di Dio, non ostante le ferie forse indette, e da indirsi, & omni, & quacunque appellatione remota; volendo ancora che in tutte le cause, e differenze pendenti, e rimesse a voi, ed al q. Cardinal Silvio Savello, nella Concordia fra Marzio Colonna, & altri Creditori de' Savelli fatta con detti Savelli, e Lucrezia loro Madre, & altri, possiate deputare uno, o più delli Deputati di detta Congregazione, nel quale, o quali si concordino avanti di voi le Parti, & in caso di discordia, o che una delle Parti citata non elegesse da deputarsi da voi per conoscere come di sopra, decidere, terminare, & eseguire quelle con tutti incidenti, dependenti, emergenti, annessi, e connessi con le medesime facoltà, che abbiamo date nelle altre sopradette. Non ostante le cose premesse, e le Constituzioni Ordinazioni Apostoliche, stile de Palazzo, e la regola de jure quæsito non tollendo, e che sia registrato, &c. de ogn' altra cosa in contrario, etiam che bisognasse esprimerla, a quali tutte per questa volta espressamente deroghiamo, avendo il loro tenore qui per espresso, & inserto de varbo ad verbum, ed in ogni miglior modo, &c.

Data dal nostro Palazzo Apostolico, questo di 16. di Luglio 1599.

CLEMENS PAPA VIII.

Monsignor Tesoriere Generale della nostra Camera Apostolica, & altri Deputati dalla Congregazione sopra il pagamento de' debiti de' Baroni, accio per l' indisposizione del Cardinal Cesi, li negozii, e cause pendenti avanti detta Congregazione non restino indietro, ma si attenda alla spedizione di quelli; però di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza di potestà di nostra Santa Sede Apostolica con il presente Chirografo ordiniamo a voi Deputati predetti, che per l' avvenire fin tanto che detto Cardinal Cesi non interverrà a detta Congregazione, vi congreghiate insieme, o in maggior parte, e procediate all' esecuzione, e totale spedizione di detto negozio, e cause, e loro incidenti, e dependenti, publicaziona d' editti, subhastazione, e deliberazione de' beni, facciate decreti, rilasciate mandati, e tutto quello, che sara necessario, & opportuno secondo il tenore, e disposizione della Bolla sopra ciò fatta da Clemente VIII. nostro predecessore, e de' suoi moti proprii, e Chirografi sopra cio spediti, con dichiarazione, che tutte le spedizioni, che si faranno, si debbano sottoscrivere da due di voi Deputati, e con il sigillo del sudetto Cardinale. Volendo, che tutto quello farete

tanto

tanto unitamente in Congregazione quanto ciascheduno di voi separatamente già deputato, o che si deputerà da detta Congregazione, abbia quella stessa forza, e vigore, come se il tutto fosse stato fatto in piena Congregazione con intervento di detto Cardinale, non ostante detta Bolla, ed ogni altra cosa, che fosse in contrario, a quali tutti avendo qui il loro tenore ad verbum per espresso, ed inserto per questa volta sola deroghiamo.

Data die 29. Martii 1606.

Paulus Papa V.

URBANUS PAPA VIII.

Motu proprio, &c. Ad supremæ nostræ Apostolicæ potestatis officium pertinet providere, ut ea, quæ auctoritate Romanorum Pontificum, & in illius conspectu publice gesta sunt, in dubitationis scrupulum circa illorum validitatem minime prolabantur. Alias siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster volens eorum, qui Baronum, & Domicellorum Status Ecclesiastici creditores erant, debitæ satisfactioni prospicere: Motu simili, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine bonæ memoriæ Bartholomæum Cardinalem Cæsium, & nonnullos alios tunc expressos, & nominatos super executione mandatorum ad quorumvis creditorum instantiam contra eosdem Barones, Principes, Duces, Marchiones, & Domicellos Status Ecclesiastici, eorumque auctores, parentes, & quosvis antecessores, seu hæreditaria eorum bona per quosvis Judices, & pro quavis summa relaxatorum, ac solutione debitorum eorundem cum amplissimis facultatibus, ac investiturarum, primogeniturarum, alienandi prohibitionum, fideicommissorum, & aliorum contrariorum quorumcunque derogatione, aliisque clausulis, declarationibus, & decretis deputavit, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis desuper expeditis sub datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, septimo Kalendas Julii, Pontificatus sui anno quinto latius continetur, & deinde deputatis prædictis impeditis, & respective vita functis Thesaurarii nostri Generalis pro tempore, necnon diversi Cameræ nostræ Clerici, Officiales, & Ministri, & alii in eorum locum tam ab eodem Clemente, quam aliis Romanis Pontificibus, qui ei successerunt, Prædecessoribus nostris per diversa Chirographa, & etiam forsan solo verbo, & vivæ vocis oraculo, vel alias fuerint subrogati, & deputati, quibus etiam aliæ facultates, & forsan ampliores datæ, concessæque extiterunt, prout in singulis Chirographis, & scripturis desuper confectis etiam latius continetur: cum autem sicut accepimus pro tempore deputati prædicti, sive omnes insimul, sive pauciores congregati in eorum Congregationibus, primo coram prædicto Bartholomæo Cardinale, & deinde coram Thesaurariis generalibus habitis, seu etiam aliqui ex deputatis hujusmodi extra Congregationem vigore particularium deputationum ab ipsa Congregatione factarum in causis, & negotiis tam conjunctim, quam etiam divisim procedentes ad executionem mandatorum, necnon ad Civitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, Palatiorum, & immobilium eorundem Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & Domicellorum possessionis apprehensionem, necnon eorundem Civitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, Palatiorum, & bonorum immobilium, subhastationem, deliberationem, venditionem, & alienationem, ac pretii, & pecuniarum consignationem, negotiorumque, litium, & causarum cognitionem, decisionem, & terminationem fructuum, & interesse liquidationem, instrumentorum confectionem, & celebrationem mandatorum, & aliorum provisionum, & literarum expeditionem etiam sub parvo sigillo pro tempore existentis Thesaurarii, ac ad alios actus, sententias, inhibitiones, & decreta, prout in actis dilecti filii Notarii Congregationis pro tempore existentis, ac litium, & causarum hujusmodi etiam latius continetur, devenerint, a nonnullis tamen de validitate gestorum, necnon de Congregationis, & deputatorum hujusmodi jurisdictione, & facultatibus dubitari contingat. Nos omnem dubitationem e medio tollere, ac præmissis opportune consulere volentes, Motu simili ac ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulas Civitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, Palatiorum, & bonorum quorumcunque possessionem, apprehensiones, & retentiones, necnon subhastationes, deliberationes, venditiones, alienationes, locationes, ac pretii, & pecuniarum deputationes, solutiones, consignationes, divisiones, reparutiones, liquidationes, ac decreta, sententias, mandata, executiones, inhibitiones, necnon derogationes, obligationes etiam in forma Cameræ hypothecas, instrumenta, & alia per Congregationem prædictam, & illius quomodolibet deputatos tam conjunctim, quam divisim, & eorum quælibet acta, facta, gesta, & ordinata, & omnia inde secuta quæcunque, ac si singulorum tenores præsentibus, expressi, & ad verbum inserti forent, ita approbamus, & confirmamus, ut ex quocunque vitio nullitatis ex defectu jurisdictionis, & ex quovis capite etiam non expresso, & quomodolibet resultante illa, seu eorum aliqua notari, impugnari, vel revocari non possint, seu debeant. Nos enim nullitatem, & defectum omnem, & quemcunque hujusmodi si quis sit, ac interveniret, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus omnino supplemus, ac sanamus; præterea literas ejusdem Clementis Prædecessoris cum omnibus Chirographis desuper subsignatis, quarum, & quorum tenores etiam præsentibus haberi volumus pro expressis, confirmantes, innovantes, & opportune extendentes Venerabili Fratri Ludovico Zacchiæ Montis Flasconen. & Cornetan. Episcopo nostro, & Cameræ Apostolicæ Prothesaurario Generali, & ejus in Prothesaurariatus, seu Thesaurariatus hujusmodi officio pro tempore successori, necnon dilectis filiis Magistro Hieronymo Serlupio Decano, Lelio Biscia, Hieronymo Raymundo, Gregorio Naro, Clericis Cameræ nostræ prædictæ, ac Antonio Lambardo ejusdem Cameræ Commissario, & dilectis etiam filiis Antonio Cerro Fisci, & dictæ Cameræ Advocato, & Joanne Jacobo Bulgarino Juris utriusque Doctore Clerico Firman. Diœcesis deputatis ad præsens in dicta Congregatione intervenientibus, & quos omnes, & singulos etiam de novo harum serie deputamus etiam aliis pro tempore per nos, & successores nostros Romanos Pontifices deputandis, & subrogandis per præsentes committimus, & mandamus quatenus conjunctim omnes, seu idem Prothesaurarius, vel Thesaurarius, & ii, qui in Congregationibus coram Prothesaurario, seu Thesaurario prædicto habendis intervenerint, seu eorundem Deputatorum, sic ut prædictorum Congregatorum major pars per se, vel alium, seu alios ex eis ab ipsa Congregatione specialiter deputandos in quibuscunque negotiis, litibus, & causis tam motis, atque pendentibus, quam in futurum movendis contra, & adversus quoscunque Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & Domicellos nostri Status Ecclesiastici, cum omnibus, & singulis suis incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis ad executionem quorumcunque mandatorum, executionum contra eosdem Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones Domicellos, eorumque auctores, parentes, & quovis antecessores, seu eorum bona hæreditaria quæcunque per quoscunque Judices, & pro quavis summa relaxatorum, ac pro tempore relaxandorum executionem, ac ad Civitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, Palatiorum, & bonorum stabilium possessionis apprehensionem, subhastationem, deliberationem, venditionem, & alienationem, ac ad creditorum omnium, & singulorum integram, & plenariam satisfactionem, ac alias in omnibus, & per omnia juxta formam literarum, & Chirographorum prædictorum, & cum eisdem omnibus, & singulis facultatibus, declarationibus, decretis, derogationibus, & clausulis in eis expressis, atque contentis, quas hic pro repetitis haberi volumus, procedant, procedique mandent, & faciant, decernentes præsentem cedulam, cujus solam signaturam, etiam sufficere volumus, & declaramus de subreptionis, & obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, aut impugnari non posse, neque deberi, sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis in quavis instantia per quoscunque Judices, &c. etiam Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ, & Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos sublata, &c. judicari, & deffiniri debere, irritumque, & inane quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac legibus municipalibus Urbis, ac Civitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum supradictorum, & juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quo-

que

que indultis, & literis Apostolicis, ac investituris etiam in remunerationem, aut ex quavis alia causa onerosa, aut ex contractu, erectionibus dignitatum, aliisque quibusvis concessionibus dictis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis sub quibuscunque verborum formis, ac tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis etiam irritantibus, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis, necnon fideicommissis ac ultimis voluntatibus, donationibus, pactis, quorumcunque, necnon defectibus, aliisque præmissis, ac nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & præsertim de jure quæsito non tollendo, & omnibus, & singulis etiam, quæ idem Clemens Prædecessor in dictis ejus literis voluit, ac tam ipse, quàm alii Prædecessores nostri Romani Pontifices in eorum Chirographis singulis supradictis voluerunt non obstare. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes hac vice duntaxat, & ad effectum omnium, & singulorum præmissorum specialiter, & expresse, ac latissime derogamus; cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1624. die vero 30. mensis Martii, Pontificatus nostri anno primo.

Placet Motu proprio M.

Monsignor Durazzo Tesoriere Generale della nostra Reverenda Camera Apostolica, & altri Deputati della Congregazione sopra il pagamento de' debiti de' Baroni dello stato Ecclesiastico. Intendendo noi, che dell' Anno 1596. che fù eretta detta Congregazione da Clemente Ottavo nostro predecessore, si sia proceduto per l' esecuzione di essa contro tutti li Baroni, e Domicelli del nostro stato Ecclesiastico ad istanza delli loro creditori, senza che nissuno abbia mai havuto ardire di opporsi alli Commissarii mandati per pigliare il possesso, o frutti delli Castelli, e Beni di detti Baroni, nè di dare alcuno impedimento a qualsivoglia ordine di essa Congregazione, e che solamente Giovanni Bernardino Scotti da Narni dal mese di Agosto passato si sia non solo armata manu opposto al Commissario mandato da voi ad istanza de' suoi creditori, mentre era in atto di pigliare alcuni grani raccolti nelli suoi beni, de' quali, e del Castello di Santo Vito, posseduti da detto Giovanni Bernardino n'era già stato preso possesso d'ordine di detta Congregazione, & abbia impedito l' esecuzione degl' ordini nostri, mà anco minacciato contro la vita di detto Commissario, e forsi commesso altri eccessi, e che però d'ordine vostro datovi dalla medesima Congregazione, ne sia stato formato processo informativo, e volendo noi, che verificandosi tal delitto, siccome il detto Giovanni Bernardino sarà stato il primo a presumer tanto, così con l'esempio del suo castigo s'ammonisca ogn' altro per l' avvenire, però di nostro motu proprio, certa scienza, e pienezza della podestà nostra, approvando, e confermando quanto fin' ora di ordine di essa Congregazione, o d' alcuno delli Deputati da essa è stato fatto per tal conto, vi ordiniamo, che tanto contro detto Giovanni Bernardino, ed altri Complici per il sopradetto delitto, ed altri, che avessero commessi, quanto anco per l' avvenire contro qualsivoglia persona di qualsivoglia grado, condizione, & preminenza per simili, o altri delitti, & eccessi, che in qualsivoglia tempo commettessero, tanto in Roma, e suo distretto, quanto in qualsivoglia luogo contra Commissarj, Notari, o altri Ministri di detta Congregazione, ovvero che si commettessero dalli medesimi Commissarj, Notari, e Ministri, contro li Ordini di essa Congregazione, o per causa di essi, o da quelli dependenti, etiam privativè quoad omnes alios Judices Romanæ Curiæ, & extra, possiate procedere per voi stessi deputati di detta Congregazione, o per uno di voi, o per altro, ancorchè fuori del numero di detta Congregazione deputato, o da deputarsi da essa alla cognizione di detti delitti, ed eccessi civilmente, e criminalmente, come parerà a detta Congregazione, fabricando processi, facendo decreti, dando sentenze, ed assolvendo, o condannando nelle pene, che saranno di ragione contro tali delinquenti, e trasgressori, rilassando esecuzioni, e facendo altri atti, e termini necessarj, con le medesime facoltà, che hanno l' Aud. Cam. & altri Giudici ordinarj di Roma, e con tutte l' altre concesse à detta Congregazione per le cause civili nella sudetta Bolla, ed altri Chirografi, e motu proprii tanto da Clemente Ottavo, ed altri nostri Predecessori, quanto da noi medesimi, dichiarando, che per la cognizione di dette cause, deputazioni, & altri decreti, ed atti, tanto fatti fin' ora, quanto da farsi per l' avvenire in detta Congregazione, e fuori di Congregazione, non incorriate in alcuna censura Ecclesiastica, irregolarità, o inhabilità, ancorchè si trattasse di pena capitale, purchè in tal pena capitale non sentenziate per voi stessi, non ostanti le cose predette, l' Ordinazioni, e Constitutioni Apostoliche, e stile di Palazzo, e regola de jure quæsito non tollendo, e che nel presente Chirografo non sia registrata, &c. Ed ogn' altra cosa, che facesse in contrario, e che da detto Clemente, ed altri nostri Predecessori, e da noi medesimo è stato dichiarato, non ostar in detta Bolla, Chirografi, e motu proprj, a quali cose contrarie avendo il loro tenore qui per espresso, ed inserto di parola in parola per questa volta, e per l' effetto sudetto espressamente deroghiamo in ogni miglior modo.

Dato nel Palazzo di Monte Cavallo, li 15. Decembre 1630.

URBANUS PAPA VIII.

Monsignor Cesi nostro Tesoriere Generale, & altri Deputati della Congregazione de' Baroni, essendo venuto a nostra notizia, che si siano fatte molte vendite dalla Congregazione sudetta di Città, Castelli, Terre, ed altri beni giurisdizionali, ed anco non giurisdizionali posseduti da Baroni di Roma, e nostro Stato Ecclesiastico per pagar debiti fatti tanto da loro, quanto dagl' antecessori, possessori, e detentori di detta Città, Terre, Castelli, e Beni non solo di consenso delli medesimi Baroni, ma anco di essi contradicenti, e relutanti, secondo le facoltà di detta Congregazione instituita da Clemente Ottavo di felice memoria nostro Predecessore, e da noi confirmata con nostro motu proprio, e che sebbene si siano fatte dette vendite con licenza nostra, ovvero delli Pontefici nostri predecessori data con particolari Chirografi, nelli quali amplissimamente, oltre le derogazioni di detta Bolla, si sia anco derogato a tutti, e singoli fideicommissi, primogeniture, sostituzioni, e prohibizioni d' alienare dette Città, Terre, Castelli, e Beni, & a qualsivoglia vocazione, vincolo, ed ostacolo, che si potesse da qualsivoglia persona pretendere per vigore di Testamenti, Codicilli, donazioni, ed investiture, ed ogn' altra disposizione, come apparisce dalla medesima Bolla, Chirografi, alli quali vogliamo, che s' abbia relazione, come se di parola in parola tutti, e singoli fossero espressi, ed inserti nel presente nostro Chirografo, nondimeno non ostante, che o in tutti, o in alcuni di detti Chirografi si sia derogato a detta Bolla in quella parte, che ostasse alle cose da essi ordinate, ancora si dubita, che dette vendite, o alcune di esse non si pongano in controversia per non essersi formalmente, o almeno nelle cose sostanziali osservata puntualmente detta Bolla, ed in particolare circa quello, che detta Bolla commanda, che tutto il residuo del prezzo, che avanzerà, pagati tutti li debiti, constando di detti fideicommissi, sostituzioni, ed altri vincoli, come sopra, si debba investire; e tutto il frutto di detto investimento si debba sempre moltiplicare, finchè sia reintegrato il valore de' beni venduti, il che non si è osservato in detti Chirografi, nelli quali non si è ordinato, che si moltiplicasse tutto detto residuo, ma o niente, o qualche parte anco minima, ed in alcune vendite solamente, anzi oltre il prezzo servito per pagar debiti in alcuno di essi Chirografi, e vendite, quando si sono fatte con consenso de' Baroni, s'è anco concessa qualche parte di detto prezzo avanzato a libera disposizione delli medesimi Baroni per soccorrere alli loro bisogni, benche di essi non constasse, se non per la loro asserzione, al che desiderandosi

di pro

di provedere dalla medesima Congregazione de' Baroni, è venuta in parere, che si debba procurar d'ottenere da noi non solamente la confirmazione delle vendite fatte per il passato; ma anco la facoltà di poterle fare per l'avvenire nel modo, che paresse a noi, considerando per le passate, che sia giusto, che li Compratori vengano assicurati, acciocchè trà essi, e li successori de' Baroni, e poi trà li medesimi Baroni, e li Creditori non nascano liti con dispendio, e travagli di tutti, e che essendosi fatte le vendite da tanto tempo in quà con Chirografi o nostri, o de' nostri Predecessori, e con l'autorità di detta Congregazione, non convenga, che siano poste in controversia per detti capi, ma osservate in perpetuo, come se fatte sin' ora, e che tal osservanza sia molto ragionevole, e però si debba mantenere non solo per il passato, ma anco per l'avvenire per non rendere difficili le vendite da farsi delli beni de' Baroni, e perchè sarebbe anco molto duro il privare il Barone venditore di tutto il frutto, e prezzo de' suoi beni per investirlo, e moltiplicarlo, quando fossero debiti fatti da' suoi antecessori in tutto, o in parte o anco da lui medesimo per cause necessarie, ovvero allo stato suo convenienti, e massime quando non avessero altri beni, con li quali potessero sostentarsi secondo il grado loro, perchè questo poi cedesse a comodo, ed utile delli descendenti, o agnati, forse remotissimi, o anco estranei chiamati nelli fideicommissi, o investiture; ed essendosi fatta a noi relazione del parere di detta Congregazione per le suddette, ed altre ragioni anco più diffusamente considerate, per maggiormente assicurarsi, abbiamo anco deputata un'altra Congregazione particolare di Prelati, cioè Monsignor Panzirolo Auditor di Rota, Monsignor Maraldo Secretario de' Brevi, Monsignor Contiloro Segretario della Consulta, Monsignor Cerri Avvocato Fiscale, Monsignor Ghini Commissario della Camera, ed il Roncone Sottodatario, nella quale s'è risoluto, che sia giusto non solo il confermare le vendite fatte per il passato, non ostante li difetti sopra espressi, ma anco, che si debba provedere per l'avvenire nel modo, che si dirà; perciò di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza dell' autorità Apostolica confermiamo, & approviamo tutte, e singole vendite fatte con nostra licenza, o de' nostri predecessori, volendo, che non si possano, nè debbano in modo alcuno controvertere nè in giudizio, nè fuori non solo nella nostra Congregazione, mà nè anco in qualsivoglia altro Tribunale, mà esse si debbano osservare, ed eseguire nel modo, e forma, che sopra di esse sono stati spediti di Chirografi da noi, e nostri antecessori, e conforme agl'instrumenti di esse celebrati dalle Parti, o da detta Congregazione, o alcuno delli Deputati da essa, non ostante che la forma di detta Bolla in dette vendite, Chirografi, ed istromenti, non si sia puntualmente osservata circa l'investimento, e moltiplico di tutto il prezzo, che pagati li debiti sarà avanzato. In oltre vogliamo, & ordiniamo, che nelle vendite da farsi per l'avvenire, ancorchè consti, che le Città, Terre, e Castelli, & altri beni da vendersi per pagar li debiti de' Baroni, siano soggetti ad alcun fideicommisso, sostituzione, prohibizione, o alienazione, o altro vincolo, tanto per testamenti, e codicilli, & altre ultime volontà; quanto per donazione, investitura, e qualsivoglia contratto, o disposizione inter vivos, sia in arbitrio vostro, o della maggior parte di voi, se non sarà data altra forma nelli Chirografi nostri, e de' nostri Successori di far moltiplicare tutto, o niente, o parte solamente delli frutti dell' investimento, che si farà del residuo del prezzo, che avanzerà, pagati li debiti de' Baroni, & anco di assegnare parte di detto prezzo a detti Baroni per loro bisogni, secondo che considerare le circostanze, le quali circa di questo concorreranno, stimarete giusto, & conveniente, anco con la sola informazione estragiudiziale, e senza alcuna tela giudiziaria, o citazione d'alcuno interessato, con questo però, che avanti d'eseguire quello sarà risoluto, dobbiate deputare uno, o due della medesima Congregazione, quali facciano relazione in scritto di detta relazione a noi, o successori nostri, la quale seguita, e speditone il Chirografo secondo la forma, che a noi e successori nostri parerà, e piacerà di prescrivere, così si debba poi eseguire, rimossa ogni eccezione, appellazione, ricorso, e restituzione, e rimedio ordinario, e straordinario, e che contra di esso, ed il presente Chirografo non si possa mai dir di nullità, obrezione, o subrezione, difetto della nostra intenzione, o altro difetto anco sostanziale, ma così si debba giudicare da qualsivoglia Giudice ordinario, e delegato anco Auditor di Rota, e della Camera, e dalli Chierici di essa, ed anco da Cardinali Carmerlenghi, e Legati de Latere, e da voi, e detta Congregazione, e qualsivoglia altro Tribunale con la clausula sublata, e decreto irritante, e non ostanti le cose suddette, ed in questa parte detta Bolla di Baroni, confirmata da noi, ed ogni Legge, Statuto, e Constituzione Apostolica, uso, stile, e consuetudine, ed anco le Regole di Cancellaria, e in particolare quella de jure quæsito non tollendo, ed ogni altra cosa, che ostasse, alle quali tutte avendo il loro tenore per espresso di parola in parola espressamente per questa volta, ed a quest' effetto solamente deroghiamo.

Dato nel nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo li 14. Agosto 1641.

URBANUS PAPA VIII.

Moderatio Constitutionis editæ à Clem. VIII. circa distractionem Castrorum, & bonorum, etiam fideicommissariorum, pro satisfactione creditorum Baronum, & Domicellorum Status Ecclesiastici, quòd non habeat locum quoad debita contracta post sex menses à die archiviationis instrumentorum, ac vinculatione bonorum.

URBANUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam Rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem ea, quæ à suis Prædecessoribus licèt rationabiliter statuta, & ordinata esse reperiantur, cùm justæ suadent causæ, moderari, & immutare, prout ipse rerum, & personarum, ac temporum qualitatibus debitè consideratis conspicit in Domino salubriter expedire.

Aliàs siquidem felic. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster, ut Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, & Baronum, ac Domicellorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subditorum tam in Urbe, ejusque districtu, quam in universo Statu Ecclesiastico existentium creditoribus pro facili, & expedita pecuniarum eis debitarum consecutione, aliaque opportuna ratione consuleret, per quandam suam Constitutionem, Motu ejus proprio sub Datum videlicet 7. Calend. Julii Pontific. suo anno 7. editam, omnibus, & quibuscunque investituris, concessionibus, donationibus, fideicommissis, primogenituris, & alienandi prohibitionibus, necnon pactis de succed. tam in contractibus, quam in ultimis voluntatibus purificatis, & purificandis super Civitatibus, Terris, Castris, Casalibus, Palatiis, & aliis bonis immobilibus per quoscunque ascenden. seu Collaterales, ac penitùs extraneos, & forsan ipsos Romanos Pontifices Prædecessores suos etiam motu simili, & Consistorialiter emanatis, & sub quibuscunque clausulis, vinculis, & cautelis quomodolibet factis, & confirmatis, quorum omnium, & singulorum tenores pro expressis haberi voluit, ad effectum, ut Civitates, Terræ, Castra, Casalia, Palatia, & alia bona hujusmodi, præviis eorum pro satisfacien. ex illorum pretio creditoribus prædictis sub certis modo, & forma tunc expressis, subhastatione, & deliberatione, semper, & perpetuo penes illorum emptores, & eorum successores libera, & exempta remanerent, ac etiam regulæ de non tollen. jure quæsito plenissime, & latissime Apostolica auctoritate derogavit, & successive mentem suam amplius declarando, Congregationi desuper institutæ, necnon cuilibet ex persona ipsius Congregationis, certo etiam tunc expresso modo deputato ultra facultates jam concessas, ut in omnibus, & singulis causis super præmissis active, & passive, ac alias quovis modo inter quascunque ex supradictis, vel eorundem præmissorum occasione, etiam alias personas motis, & movendis, etiam prævia a pro tempore existente causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditore, & aliis quibuscunque Judicibus avocatione procedere, decreta facere, sententias ferre, mandata relaxare, eaque executioni demandare, aliaque circa præmissa necessaria, & opportuna facere summarie, manu regia, sola facti veritate inspecta, absque processu, ac tela judiciaria, necnon terminorum etiam substantialium observatione, singulis diebus, præterquam

terquam in honorem Dei feriatis, ac feriis indictis, & indictn. non obstan. ac omni, & quacunque appellatione remota, procedere libere, & licite posset, facultatem concessit, prout in uno, seu pluribus ejusdem prædecessoris Chirographis, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus emanatis, necnon Constitutione prædicta plenius continetur.

Nos matura deliberatione præhabita provide pensantes, quam justum, & rationabile, ac legibus consentaneum sit, ut supremæ Testatorum voluntates, contractus, investituræ, aliæque dispositiones quæcunque quantum fieri potest, effectum sortiantur, & ut simplicitati, seu facilitati, qua dicti creditores bonam fidem Principum, & aliorum creditorum prædictorum secuti sunt, exemplo prædicti Clementis prædecessoris salubri aliquo temperamento consulendum, ita rationem potissimum ad hoc opportunam judicandam esse censuimus, ut inter eos, qui fideicommissa, prohibitiones, pacta, primogenituras, aliaque præmissa, ac onera, & vincula prorsus ignorantes, & alios, qui illa scientes, sed fortasse nescire simulantes, nihilominus cum eisdem Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, eorumque successoribus supradictis remedio Constitutionis prædictæ freti contra hunc distinctio fiat, quandoquidem illi commiseratione digni, illi vero tanquam ultimas hominum voluntates eludere artificiose satagantes, dictæ Constitutionis beneficio, quo facilius ad pecunias, merces, & alia bona credendum inducuntur, indigni omnino censendi sunt. Proinde Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & Domicellos supradictos, qui debita quomodocunque contrahunt, ad fideicommissorum, prohibitionum, pactorum, primogeniturarum, aliorumque onerum, & vinculorum hujusmodi instrumentorum desuper forsan editorum, ac penes se forsan secrete, & ad effectum personas de illis ignaras in sua nomina alliciendi retentorum, manifestationem inducere volentes, ac Constitutionis, & Chirographorum prædictorum totos, & integros tenores etiam veriores, perinde, ac si illi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Motu proprio, non ad alicujus Nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudinis Constitutionem prædictam, cum inde secutis, ut præfertur, Chirographis, de cætero in debitis, quæ ab eisdem Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, eorumque successoribus hujusmodi post sex menses a die, quo fideicommissorum, prohibitionum, pactorum, contractuum, investiturarum, primogeniturarum, aliorumque onerum, vinculorum, & dispositionum tam hactenus institutorum, quam imposterum perpetuis futuris temporibus instituen. instrumenta, seu documenta in Archivio Nostro Urbano exhibita, necnon bona in eis obstricta, vel vinculata, indicata, & in eodem Archivio descripta fuerint, computandos quovis modo, & ex quacunque causa, seu occasione imposterum contrahentur, etiamsi creditores prædicti, Pupilli, Viduæ, Societates, Collegia, Confraternitates, & alia loca Pia quovis nomine nuncupata, & quantumvis exempta, ac etiam dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, aut alias quantumvis privilegiati, & speciali nota digni existant, & quacunque etiam Regali, Imperiali, seu alia præfulgeant dignitate, locum non habere debere, eadem Apostolica auctoritate tenore præsentium, decernimus, & declaramus, ac Constitutionem prædictam cum inde secutis Chirographis, in hac parte duntaxat, itaut pro debitis post sex menses a die factæ archiviationis fideicommissorum, prohibitionum, investiturarum, contractuum, primogeniturarum, & aliorum præmissorum ad Civitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, & aliorum bonorum, fideicommissis prohibitionibus, pactis, primogenituris, aliisque oneribus, & vinculis hujusmodi, ut præfertur, vel alias quomodolibet obnoxiorum, seu tanquam talia ab eisdem Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Domicellis, eorumque successoribus hujusmodi possessorum, & tentorum, subhastationem hujusmodi, ac venditionem, & pretii consignationem nullo modo devenire possit, etiam perpetuo moderamur, corrigimus, & limitamus.

Et nihilominus, quod si novum debitum etiam elapsis dictis sex mensibus archiviationem, indicationem, & descriptionem hujusmodi subsequentem, ad effectum antiquum debitum extinguendi, reportata per novum creditorem jurium cessione creari contigerit, Constitutio prædicta, cum inde secutis Chirographis quoad novum debitum hujusmodi, prout etiam, ne publica fides eludatur, quoad loca Montium tam hactenus erecta, quam pro tempore erigenda, etiamsi illorum erectiones, quas imposterum, nisi sufficientibus assignatione, & pensata qualitate, & quantitate bonorum, quatenus opus sit, cautione, tam pro fructibus, quam pro sorte principali datis, & concurrentibus urgentissimis causis, ac de consensu ad successiones, fideicommissa, & primogenituras vocatorum, & in eisdem, ac aliis præmissis quomodocunque interesse habentium consensu, ac illa pro tempore consequi, & obtinere debentium evidenti utilitate concedere nullo modo intendimus, & alias a nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, quos in eandem sententiam ituros arbitramur, per subreptionem, & obreptionem emanatas, & extortas nullas, & nullius roboris, ac momenti fore esse, & censeri, nullique suffragari posse, & debere, ac si concessæ non essent, ac decernimus, in dicto Archivio nostro annotatæ, neque præsentatæ fuerint, in omnibus, & per omnia locum habere, & servari debere, necnon quod pro omnibus, & singulis quomodocunque creatis, & undecunque provenientibus debitis, eorumque satisfactione super omnibus bonis cujuscunque generis non vinculatis, sed liberis, ac etiam super bonorum vinculatorum, etiam in Archivio descriptorum ad eos, qui contraxerunt debita spectantem fructibus eorum vita durante juxta juris communis dispositionem, sed & pariter super ipsis bonis vinculatis, & ut præfertur descriptis, siquidem debita fuerint de Sedis Apostolicæ licentia cum derogatione vinculorum hujusmodi contracta, in vim dictæ Constitutionis, & juxta illius formam procedi possit, & debeat, eandemque Constitutionem, & Chirographa, pupillos, & alias omnes personas quantumvis privilegiatas prædictas, non solum active, sed etiam passive in prædictis Constitutione, & Chirographis comprehensas fuisse, & comprehendi debere, eisdem auctoritate, & tenore, similiter declaramus, & decernimus, Sicque, & non alias in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, aliosque Cardinales etiam de Latere Legatos, & Prolegatos, dictæque Sedis Nuncios, & causarum Curiæ Cameræ præfatæ generalem Auditorem ac Thesaurarium, & Præsidentes Clericos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane etiam decernimus.

Non obstantibus præ. memoriæ Pii Papæ Quarti etiam prædecessoris nostri de rebus interesse dictæ Cameræ quomodolibet concernentibus in eadem Camera registrandi, & insinuandi, ac prædicta Clementis, cui quoad partem, ut præfertur moderatam, correctam, & limitatam, necnon Chirographis prædictis illis alias semper, & perpetuo in suo robore permansuris, specialiter, & expresse, motu, scientia, & potestatis plenitudine hujusmodi harum serie derogamus, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dictus Clemens prædecessor in dictæ ejus Constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem in bonis vinculatis succedere debentium, & aliorum quorumcunque indemnitati facilius consulatur, Volumus, & statuimus, unicuique adam interesse non habenti, cuilibet videlicet de populo licere fideicommissa, & cujuscunque tenoris vincula, aliaque præmissa in Archivio prædicto exhibere, & bona vinculata indicare ac describi facere, & talem exhibitionem, indicationem, & descriptionem pro debitis factis per sex menses exinde subsequentem etiam ab iis, qui exhibitionem, indicationem, & descriptionem facere non curaverunt, ad effectum præmissorum sufficere. Ita ut semel factæ exhibitio, indicatio, & descriptio semper, & in futurum perpetuis futuris temporibus contra quoscunque, interesse habentes suffragentur.

Nec non dilectum filium modernum, & pro tempore existentem dicti Archivii Conservatorem ad librum per

tios;

ticularem in cujus uno nomine, & cognomine fideicommittentium, & alias disponentium, in altera vero partibus loca nominatim, & bona fideicommissis, & aliis vinculis supposita fideliter sub literis Alphabeti adnotata reperiantur palam, & publice habendum, ac tam illum, quam omnia, & singula instrumenta, testamenta, & alia præmissa concernentem in dicto Archivio nunc, & pro tempore insinuata, seu ad custodiendum tradita, indicata, & descripta omnibus, & singulis de illis notitiam habere, eaque legere volentem, exhibendum, & illorum copiam petentibus concedendum, competenti mercede respective recepta omni mora, & dilatione postpositis teneri.

Utque præsentes; & in eis contenta ad omnium notitiam deducantur; & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, mandamus, quod eædem præsentes per aliquam, seu aliquos ex Cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie Campi Floræ affigantur, & publicentur, & cum inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa dimittantur, quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficient, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimata, & notificata fuissent.

Utque illarum transumptis etiam impressis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipsismet adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decretorum, declarationum, moderationis, correctionis, limitationis, derogationis, voluntatis, statuti, & mandati nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 22. Sept. 1631. Pontificatus nostri an. primo. Anno a Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo trigesimo primo, Indict. 14. die vero 22. mensis Sept. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini URBANI Divina Providentia Papæ VIII. Anno ejus Nono. Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, dimissis ibidem per aliquod temporis spatium earumdem literarum originalibus appensis, deinde amotis, illorumque postea exemplaribus ibidem relictis affixis, per me Joseph Masseum Romanum Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

Augustinus de Bellis Pro mag. Cursorum.

De Congregatione Visitationis Carceratorum.

S U M M A R I U M.

1 *DE visitatione generali, quæ gratiosa dicitur, carcerum quando fiat.*
2 *Quinam interveniant in visitatione carcerum Gubernatoris.*
3 *Et qui in illa Carcerum Capitolii.*
4 *Quid agatur in hac visitatione quoad carceratos criminales.*
5 *De charitate erga debitores carceratos, & de ejusdem charitatis abusu.*
6 *De visitatione ordinaria, & continua in qualibet hebdomada.*
7 *De inconvenientibus, quæ resultant in popularibus ob securitatem, quæ illis datur a privata punitione.*
8 *Quod expediret punire in corpore aliquos debitores decoctos, & aliquando etiam aliquos creditores fraudulentos.*
9 *De alimentis quæ per creditorem præstanda sunt debitori carcerato.*
10 *Quid in Hebræis.*
11 *De aliis ad materiam pertinentibus remissive.*

D I S C. XXIX.

BIs in anno, imminentibus solemnitatibus, Nativitatis, & Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, 1 habetur visitatio generalis, quæ gratiosa dicitur, illorum carcerum magis generalium, quæ esse solent communes omnibus Tribunalibus, sed pro majori contingentia dicuntur Gubernatoris, ac priusquam fieret translatio ad locum, in qua nunc extant in via Julia, conspicuo ædificio constructo de mandato Innocentii Decimi, dicebantur Turris novæ, sub cujus vocabulo apud antiquiores Criminalistas, vel practicos eorum mentio habetur; Ac etiam aliorum carcerum existentium in Capitolio; Atque in illis Congregationibus generalibus gratiosis; Quatenus pertinet ad dictos carceres magis communes, & generales 2 Gubernatoris, in quibus detineri solent illi, qui pro causis criminalibus, vel civilibus carcerantur de mandato Auditoris Cameræ, aliorumque Judicum, & Tribunalium, interveniunt, istam Congregationem constituentes; Gubernator Urbis; Auditor Cameræ; Præses Carcerum, qui est unus ex Clericis Cameræ juxta distinctionem officiorum, quæ præfato Tribunali Cameræ incumbunt, ut inferius de ipso agendo advertitur; *a* Nec non Advocatus fisci, & Procurator generalis fiscalis; Duo ex Locumtenentibus criminalibus Gubernatoris; Locumtenens Criminalis Auditoris Cameræ; Advocatus pauperum; Et duo Procuratores pauperum, unus scilicet deputatus a Papa, & alter a Congregatione Charitatis; Visitator Carcerum secretorum; Commissarius remigum; Locumtenens criminalis Vicarii; Ac etiam interveniunt duo Prælati, qui sunt Præfecti duarum piarum Congregationum; quæ vacano huic pio operi protectionis, ac subventionis, & liberationis carceratorum, Congregationis scilicet, quæ dicitur charitatis; Et alterius, quæ dicitur Pietatis carceratorum; Cumque munus Procuratoris pauperum cum eximia charitate plurium annorum spatio exercuisset Scannatola, Auctor operis, cujus titulus est de visitatione carceratorum, isque ad Episcopatum Sydoniensem in partibus, aliaque majora Curiæ munia promotus fuisset; Adhuc tamen, ex nimia charitate eo id efflagitante, donec vixit, ex Pontificis mandato, in his Congregationibus, quinimo in visitatione currenti, seu ordinaria cujuslibet hebdomadæ interveniebat, atque in dicto munere Procuratoris pauperum deputari curavit ejus alumnum Zuffum auctorem operis, *de legitimator. process.* qui sui magistri in charitate, & diligentia imitator fuit.

In visitatione autem carcerum Capitolii, interveniunt 3 plures ex prædictis personis, quæ sedentes ab uno latere, unum corpus, seu unam classem constituunt, nempe; Præses carcerum; Dicti duo Prælati Charitatis, & Pietatis; Advocatus pauperum; Advocatus fisci; Procurator fiscalis generalis; Et dicti duo Procuratores pauperum; Non intervenit autem Auditor Cameræ, ob quæstionem præcedentiæ cum Senatore, sive ex alia causa, bene tamen intervenit ejus Auditor; Ab altero vero latere sedent personæ constituentes ipsum forum Capitolinum, seu repræsentantes Populum, nempe; Senator Urbis, Tres Conservatores, Duo Collaterales; Judex criminalis; Procurator Fiscalis Capitolii; Et præfati Commissarii carcerum, & remigum; Omnibus vero in capite præest Gubernator Urbis in figura potius Vicecamerarii. *b*

In his visitationibus generalibus gratiosis, aliqui carce- 4 rati criminales, quibus non obstet Pars offensa pro delictis non gravibus, & exceptis, solent relaxari, seu liberari. Civilibus autem aliquæ majores fiunt habilitates, quæ, ut infra, in visitatione ordinaria, & currenti fieri solent; Notabilis vero liberatio sequitur, ob eximiam charitatem, quam respective adhibent dictæ piæ Confraternitates, concordando creditores, eisque de proprio solvendo debitum usque ad limites certæ summæ, Istaque charitas ex alias insinuata propositione, quod in hoc Mundo non datur bonum sine corruptione, ansam præbet fraudibus, & occultis furtis, quæ pro meo sensu severe pu- 5 niri deberent, quod scilicet aliqui perditi homines, collusive se fingunt debitores, & creditores respective, atque circa tempora huic visitationi proxima, affectatur carceratio, ut ita ea pecunia extorqueatur. Et quamvis plures adhibitæ sint prudentes ac salutares provisiones, exactæque fiant diligentiæ per pios sodales, ut hujusmodi fraudibus occurratur, non tamen omnibus, ac omnino occurri potest pro humanæ conditionis qualitate;

Atque

Atque respectu carceratorum criminalium, si sunt jam condemnati ad triremes, fit transmissio, & consignantur præfato Commissario remigum. Et quoad alios, demandatur Judicibus expeditio. Sive in eadem Congregatione decidentur illa incidentia, quæ eandem expeditionem impediebant, aliæque opportunæ fiunt provisiones cum nimia vigilantia, ut carceratorum oppressionibus ac injustitiis, vel fraudibus occurratur.

Ultra istas visitationes generales; Adest alia visitatio continua in qualibet hebdomada, quæ in die Jovis de mane, vel in casu impedimenti, post prandium fit per Gubernatorem, & per Præsidem carcerum, & alios ex præmissis defensoribus. Itaque visitatio ordinaria, magis privata, prodest quidem respectu carceratorum criminalium, qui, vel ob causas non adeo graves, vel quia processus sint jam compilati, detinentur publice cum aliis, ut vulgo dicitur *alla Larga* pro eorum expeditione; Atque plures tunc summarie expediuntur cum exilio ab Urbe, vel respective a Statu Ecclesiastico intra certum horarum, vel dierum terminum, aliave impedimenta tolluntur, quæ expeditionem impedirent; Quo vero ad illos carceratos pro causis gravioribus, qui adhuc detineantur in secreta, eorum visitatio fit semel in mense.

Major vero occupatio, seu visitationis effectus consistit in carceratis pro debitis, quoniam, cum (ut præmissum
7 est) non detur bonum sine aliqua parte mali, ob vigilantiam Papæ, ejusque officialium, super exacta administratione justitiæ, a maximo ad minimum, adeout non detur facultas potentibus, sibi ipsis jus dicendi cum privata auctoritate cum minus potentibus, unde propterea in eodem catino comedunt, vel bibunt agnus, & lupus, producit malum petulantiæ, & fraudum, quæ committuntur per plebeos, aliosque perfidos homines, qui habentes genium ad furta & ad rapinas, ut cum eis vitiosam ac turpem vitam ducere valeant, territi tamen a rigorosa justitia, ita student truffis, contrahendo debita, ad quorum solutionem se agnoscant non idoneos; Ideoque, ut alias advertitur, pro meo sensu, seu verius juxta illud juris, & præsertim
8 Constitutionis S. Pii V. contra decoctores, pro bono Reipublicæ gubernio, opportunum esset quandoque, ad aliorum terrorem, aliquos ex his debitoribus pro malitiæ qualitate præsertim recidivos, furcis, vel triremibus tradere; Et quandoque etiam idem practicari cum illis creditoribus, qui cum stocchis, & civanzis a filiis familias, & inexpertis, vel prodigæ naturæ adolescentibus magnas extorquent obligationes; Ac etiam conjungendo aliquos ex illis Notariis, & proxenetis, qui sint hujusmodi implicitorum furtorum mediatores, & operarii.

Confovet quoque hujusmodi truffas, & fraudes, nimium
9 benigna Romanæ Curiæ praxis, pietati quidem, ac etiam juris intentioni innixa, non tamen adeo de facili, ac generaliter practicanda, utpote aliquorum malorum productiva, suppeditatione scilicet alimentorum facienda per creditores carceratis debitoribus, qui propterea libenter, eam hilarem vitam cum aliis ejusdem genii sociis, ibi creditorum expensis ducunt, atque semel liberati, student alia debita contrahere, ut idem sequatur; unde propterea creditores duplex sentiunt damnum, duplicemque jacturam; Et per consequens quando agatur de debitis, in quibus creditor in bona fide sit, & excusabilis cum hujusmodi debitoribus, quos aliqua insperata infortunia non excusant, sanctius esset practicare aliquorum nationum antiquos rigores, qui apud historicos leguntur, sive juris communis axioma, quod qui non habet in ære, luat in corpore.

Cumque eadem Curiæ benignitas, ex eo proveniens,
10 quod a Prælatis & viris Ecclesiasticis constituta sit, determinaverit, ut eadem alimentorum obligatio Christianis creditoribus incumberet erga debitores hebræos, quasi quod isti dicantur cives, & de populo, atque potiri debeant privilegiis, ac favoribus per leges, vel stylos inductis, quamvis æquitatis motivum habeant; c Atque Urbanus VIII. id congruum reputaret, ideoque ipsorum Hebræorum Universitatem ad hoc onus obligaverit; d Hinc proinde fiunt frequentes fraudes, & collusiones, ob quas Chri-
11 stiani creditores potius severe puniri deberent, quoniam præsertim fundacarii mercatores, illis hebræis, quos sciunt pauperes, ac minus idoneos, pro alterato pretio, credunt merces a vetustate, vel a tineis attritas, sub hac spe, quod Universitas ne alimentorum sumptum patiatur, quandoque magis expedire putat debitum solvere, vel alias cum creditore se concordare.

Frequentes autem oriri solent controversiæ jurisdictionales; vel principaliter pro majori competentia fori; Vel incidenter pro validitate actorum, & præsertim executionum, & subhastationum, inter dictum Præsidem carcerum, & Judices ordinarios, a quibus relaxata fuerint mandata, quorum vigore carceratio secuta sit, aliaque incidentia resultant, super quibus, magis vero, ac potissimum pro causis criminalibus, de quibus meum non est agere, utpote extra propriam sphæram, amplum edidit volumen supra enunciatus Scannarola, cui titulus est de visitatione carceratorum, ubi de plerisque videri poteris, ad hanc materiam visitationis carcerum spectantibus, & de quibus raro qualificatis Advocatis in Curia agere occasio suppetit, cum sint negotia Curialium sphæræ minoris ac diversæ.

a *infra disc.* 33.
b *hunc ordinem visitationis utriusque generis carcerum describit Scannarola, de visitat. carcer. pag.* 78.
c *tit. de servis. disc.* 70. d *tit. de usur. disc.* 6.

S U M M A R I U M.

1 *DE Congregatione Visitationis Carceratorum, & de pluribus abusibus in ea introductis, cum seqq. a num.* 7.
2 *Non debet cognoscere de justitia, & validitate mandatorum, & quando secus.*
3 *De abusu circa excarcerationem debitorum cum dilationibus.*
4 *Et de altero communicandi Judicibus de partibus facultates Visita.*
5 *De altero circa præstationes alimentorum.*
6 *De abusibus circa* Non gravetur.

ANNOT. AD DISC. XXIX.

DE Congregatione visitationis carceratorum, de qua 1
in hoc discursu agitur, frequenter, postquam munus auditoris Papæ exercui, tractare occasio dedit, in eo præsertim quod quidam inoleverat usus, quod ista Congregatio cognosceret de justitia, & validitate mandatorum, quorum vigore sequuntur carcerationes, & quandoque videretur ut nullitatis, vel injustitiæ defectum aliquem paterentur, sibi licentiam assumeret excarcerandi, quod etiam practicabat solus Præses carcerum, qui in hoc est Judex, vel executor resolutionum dictæ Congregationis, adeout magnum co tamen introductum esset Tribunal, cognoscendo de viribus mandatorum, quæ per omnes Judices, & Tribunalia Urbis, & extra relaxarentur, eaque ita circumscribendo. Cum autem id magnum contineret absurdum, ut ita oretenus, peneque cursitando in ea strepitosa functione revocarentur, vel circumscriberentur res judicatæ, quæ causa cognita prodiissent contra ordinem Curiæ, quæ habet judicem appellationum, & recursuum, ad quos 2
pertinet retractare gesta per Judices primæ instantiæ, quod neque per eos ita oretenus, & ex abrupto fieri potest, sed prævia transportatione actorum, sine qua nulliter proceditur, aliisque servatis de jure, vel de stylo servandis; Idcirco ratione mei muneris inhibere cœpi, deinde curavi, ut occasione cujusdam causæ declararetur in plena Signatura Gratiæ, & postmodum etiam per Congregationem Reformationis, ut scilicet ista Congregatio, vel respective Præses cognosceret tantum de invaliditate carcerationis præter, vel contra formam mandati, ipso alias valido, & justo præsupposito, sive in tempore, quo exequi non poterat de jure, vel de stylo, puta in die festivo, vel de nocte, quando ex rescripto Papæ ista facultas quoque concessa non sit cum similibus, & sic super nudo facto invalidæ carcerationis, nullatenus autem super recognitione prætensæ nullitatis, vel injustitiæ mandati.

Solet item ista Congregatio, imo etiam solus Præses 3
esse facilis ad excarcerandum debitores quamvis juste, & valide carceratos ex commiseratione, quia non idoneos ad prompte solvendum debitum eos reputet, concedendo dilationem ad illud solvendum in modicis, nimium diminutis ratis, quod pariter transierat in magnum abusum, ob nimiam facilitatem, cum qua id practicabatur, idcirco pariter desuper providere curavi, ut nimium circumspecte, & nonnisi justa causa accedente ad id deveniatur, atque alias partibus ad me recurrentibus consuevi, atque in futurum practicandi in animo habeo, id circumscribendi, ac mandandi carceratorum retentionem, & merito quoniam diminutæ solutiones in jure reputantur nimium creditoribus præjudiciales, atque prompta pecunia æstimatur longe magis quam ad tempus dilata, ut *sub tit. de usur.* pluries advertitur; Considerando quod ita est dare; quod creditores minu-

minutatim, & in tempora exigant fortem ad formam illorum fructuum, quos eadem soluta, & investira perciperent, & in diea consumerent, ac propterea ex pluribus dicitur notabile præjudicium, & est formale tollere jus tertii, atque de alienis bonis disponere, quod neque a supremo Principe sine justa causa concernente publicam necessitatem, vel utilitatem, quando intra limites ordinariæ potestatis velit se continere, id fieri potest ex deductis *disc. 148. 177. & in aliis pluries sub tit. de regal.* ideoque id permittendum non videtur, nisi quando plusquam justa causa concurrat, quæ justitiam, vel magnam æquitatem a justitia non aberrantem redoleat, idque discrete adeout quo minus fieri potest creditoribus præjudicetur, principaliter autem reflectendo ad qualitatem debiti, & qualitatem creditoris, an sit etiam pauper, & indigens, necnon ad illam debitoris an sit æquitate, & commiseratione dignus necne, puta quia dolosus, vel calumniosus, quodque diu creditorem defatigaverit cum aliis considerationibus, de quibus occasione præstationis alimentorum per creditorem debitoribus faciendæ, atque in discursu insinuatæ habentur, *disc. 153. sub tit. de Cred.* ubi in hoc proposito videndum, atque ita expresse disponitur in reformatione Pauli V.

Majus item inconveniens videbatur in eo stylo quoad carceratos de partibus intra districtum, ut Auditor Came-
4 ræ, & forte etiam Gubernator per epistolas familiares ad instantiam carceratorum communicater faculrates visitæ judicibus de partibus, qui frequentius præsertim in parvis locis, nullam nec theoricæ, nec praxis habentes peritiam, de facto ad excarcerationem procedere solebant, adeout idem esset concedere hujusmodi literas, ac demandare excarcerationem, ideoque pariter quandoque providi, ac etiam per dictam Congregationem Reformationis providere curavi, quod in hoc parte, & circumspecte procedi deberet, quodque in eisdem literis forma judicibus de partibus præscriberetur quomodo se gerere deberent.

Atque circa suppeditationem alimentorum, de qua *d.*
5 *disc. 153. de credito*, ubi in hoc proposito videndum, cum pariter inoleverit usus, vel abusus quod quando ob illorum non præstationem sequebatur excarceratio, concedebatur quædam generalis inhibitio, vulgo nuncupata *non gravetur*, cujus vigore reddebantur debitores tuti ab omnibus creditoribus, quod fraudum, & calumniarum magnum erat fomentum, quoniam frequenter collusivè curabant carcerari ad instantiam alicujus conjuncti, vel fiduciarii, ut isto negligente suppeditare alimenta sequeretur excarceratio cum dicto generali non *gravetur*, idcirco per eandem Congregationem Reformationis providere, ac decerni curavi, quod istæ inhibitiones, seu *non gravetur* non afficiant creditores, nisi legitime citatos, non autem alios.

Alter quoque inoleverat abusus, quod aliqui Judices, præsertim vero Gubernator Urbis, & Auditor Cameræ,
6 ejusque Locumtenens, & Vicarius, vel Vicesgerens, seu Locumtenens Civilis concederent tam in Civilibus, quam in criminalibus quasdam inhibitiones gratiosas, vulgo *non gravetur* nuncupatas, cum quibus debitores postquam diu cum litibus, & calumniis, ac subterfugiis, magnisque sumptibus defatigaverant, ut obtinerentur mandata exequibilia, istis non obstantibus publice practicarent per annos, ac etiam illi qui in criminalibus condemnati essent in relegationem, vel in exilium, atque excarcerati cum solito competenti termino ad colligendum sarcinulas, ut condemnationi parerent, ita per annos publice practicabant; idcirco in civilibus consului faciendo edictum publice affixum, ita ut tolleretur prætensa fides publica cum insertione decreti Reformationis Pauli V. quod *non gravetur* concedi non possint nisi in vim termini suscepti, eoque durante, eaque ubi ultra istum casum essent, mandare consuevi quod illis non obstantibus procederetur ad carcerationem, isteque stylus quod sperneretur quodque eis non obstantibus ad carcerationem de facto sequeretur, fuit unica, & optima medicina, cum alias verbales prohibitiones, de ordine expresso Papæ nihil proficerent. Et quoad causas criminales declaratum est, quod Judicibus tam respectu condemnatorum in exilium, vel relegationem, quam respectu bannitorum, vel contumacium ista facultas non competit, utpote de Regalibus, ac Principi reservatis, præterquam durante dicto termino solito competenti ad colligendum sarcinulas quoad condemnatos in exilium, vel relegationem, ac propterea dimissos carceribus, & quoad bannitos, vel contumaces concedi potest solum salvus conductus cum aliquo moderato competenti termino ad se præsentandum, non autem gratiosè pro solo libito concedentis absque justa causa in jure prolata.

De Tribunali Signaturæ Papæ, quæ Gratiæ dicitur.

S U M M A R I U M.

1 *De antiquo statu Signaturæ.*
2 *Quot, & quales erant Referendarii.*
3 *De antiquis eorum prærogativis.*
4 *Quod esset munus lucrosum.*
5 *Quid contineat Signatura gratia.*
6 *Quando fiat, & cum quorum Cardinalium interventu, & quomodo.*
7 *Quinam Prælati, & officiales interveniant.*
8 *Quomodo commissiones proponantur.*
9 *Quomodo votentur, & quando.*
10 *An, & qui loquantur ultra votantes?*
11 *Quot commissiones in totum proponantur.*
12 *De commissione appellatione remota.*
13 *Ex qua causa id concedatur.*
14 *Clausula appellatione remota intelligitur de frivola.*
15 *De cumulatione petitorii cum possessorio.*
16 *De commissione pro rejectione attentatorum.*
17 *De aperitione oris.*
18 *De eodem, & de duplici specie.*
19 *De sanatione censuum.*
20 *De sanatione aliquorum defectuum, & quando intret.*
21 *De sanatione defectuum judicialium, & præsertim citationis.*
22 *De restitutione in integrum adversus rem judicatam.*
23 *De quæstionibus competentiæ fori, & de aliis ad hanc Signaturam.*
24 *Papæ declarationi in Signatura defertur.*
25 *De causis appellationum a Consilio Religionis Hierosolymitanæ.*
26 *Quare istæ commissiones non signentur nisi per Signaturam Gratiæ.*
27 *Declaratur in quibus causis id procedat.*
28 *De recursu ad Signaturam, & concessione supersessoria.*
29 *De modo informandi Signaturam Gratiæ, & Papam.*
30 *Adversus resolutiones non solet dari nova audientia.*
31 *De commissionibus gratiosis.*
32 *De commissionibus, quæ signantur in Camera.*
33 *De modo rescribendi Judici cum clausula arbitrio.*
34 *Quid id operetur.*
35 *De differentia inter rescripta Signaturæ Gratiæ, & Justitiæ.*
36 *Quod sit opportunum habere frequenter Signaturam, & de ratione.*
37 *De Præfecto hujus Signaturæ.*
38 *In quibus Signatura Gratiæ se non ingerat.*

D I S C. XXX.

Nimium longa, & inutilis digressio esset, recensere Tribunalium utriusque Signaturæ introductionem, 1
ac distinctionem, earumque antiquum stylum, seu praxim valde diversam, dum ex supra insinuatis, præsertim agendo de Datario, & Dataria, quamplura negotia gratiosa, vel quæ alias per organum Datariæ, cum supplicationibus Papæ manu signatis nunc expediuntur; Imo & quamplura alia ad regimen temporale pertinentia, quæ per organum Thesaurarii generalis, vel aliorum officialium explicantur, cum chyrographis Papæ manu signatis, cadebant sub hoc genere Signaturæ, præsertim Gratiæ; Etiam ea, quæ explicantur in Consistorio per organum, seu ministerium Vicecancellarii.

Minusque habebatur usus simplicium Referendariorum 2
in tam copioso & effrenato numero Prelatorum cujuscunque generis personarum, ut de præsenti, forte sub alicujus reformationis necessitate habetur, adeout status prælatitius, quodammodo vilescere incipiat, & cum ea contradistinctione inter Prelatos votantes, & alios qui ad differentiam dicuntur simplices Referendarii, quoniam aderant solum illi, qui gerebant eas partes, quas hodie gerunt votantes in quodam præfinito minimoque moderato numero, qui neque ad hodiernum solorum Votantium ascendebat;

debat. Atque hinc sequebatur, quod in magna erat existimatione, magnisque patiebantur preeminentiis, & prærogativis, etiam supra Prothonotarios, ac Rotæ Auditores, & Cameræ Clericos; Et merito quidem, cum essent Papę collaterales, ac immediati Consiliarii.

Item antiqui scriptores præsupponunt, quod hoc munus notabilia præseferret emolumenta, licita & publica, ultra alia considerabilia, quæ producebant munera, quæ utpote in esculentis, & poculentis consistentia, licita reputa- 4 bantur; a Et tamen hodie istud munus Votantis utriusque Signaturæ, nullum penitus producit emolumentum, minusque forte existimationem considerabilem, nisi circa aliquod, tale quale litigantium, vel Curialium inferioris classis obsequium, pro aliqua benevolentia captanda, adeout reputetur in Prælatis infortunium, ad istud munus pervenire; Talis est rerum mundi vicissitudo, ac temporum immutatio.

Attento igitur hodierno statu (cum de antiquo, curiosos apud illorum temporum scriptores de facili inspicere valeat;) Utriusque signaturæ Tribunalia inter se distincta sunt, quorum unum dicitur Signaturæ Sanctissimi, seu Gratiæ, quod sonat in idem; Et alterum dicitur Signaturæ justitiæ.

De primo autem in præsenti agitur, de altero autem *disc. seq.* Atque quatenus ad illud pertinet, continet quandam publicam, seu solemnem functionem, seu Congregationem, quam ipsemet Papa per quandam speciem parvi 5 Consistorii in ejus Palatio tenet, pro discussione aliquarum precum, vel supplicationum, quæ sibi porriguntur, an scilicet, & quomodo eas signare, vel potius recipere debeat; Siquidem, juxta consuetum Curiæ ordinem, qui ad Papæ placitum est variabilis, eodem modo, quo de Consistorio dictum ea est, bis in mense, & sic alternatis hebdomadis, in- 6 ter Consistorium, & hanc Signaturam, feria tertia, quæ martia vulgo dicitur, de mane, in una ex aulis interioribus palatii Papa sedet, quadam parva tabula ante ipsum posita, cum atramentario, aliisque instrumentis opportunis ad scribendum, & subscribendum, eique a duobus lateribus assistunt aliqui Cardinales in numero competenti pro ejus arbitrio huic Congregationi adscripti, sedentes in scabellis capite cooperto ad formam Consistorii; Cum ea tamen differentia, quod in Consistorio assistunt cum habitu magis solemni, nempe cum cappa supra rocchettum; In ista vero Congregatione, prout in aliis omnibus supra enunciatis, quæ fiant coram Papa, assistunt cum consueto habitu, quo utuntur incedendo per Urbem, nempe cum rocchetto, mantelletta, & mozzetta, sine tamen pallio, quod in actibus privatis deferunt; Cardinales vero nullum proferunt votum, nisi quatenus eorum aliqui per ipsum Papam interrogentur, quod nunquam, vel nimium raro contingere solet, respectu illorum Cardinalium, qui non ratione officii interveniunt, sed solum ut præstent assistentiam Papæ pro ejus majestate; Loqui autem solent ex officio, vel interrogati illi Cardinales, qui in Signatura interveniant ratione officii, unde propterea eis incumbat certiorare Papam de aliqua circumstantia in causa, quæ pertineat ad ejus officium, Vel Tribunal, ut (ex. gr.) sunt Cardinales Vicarius, & Camerarius, Præfectus Signaturæ Justitiæ; Ac etiam Præfecti Congregationum Cardinalitiarum, de quibus supra, eodem modo quo habetur infra de illis Prælatis, qui ratione officiorum, vel Tribunalium assistunt; Et est quoque Datarius quando sit Cardinalis.

Post Cardinales stant, capite discooperto, cum rocchet- 7 to, mantelletta, & bireto in manibus, illi duodecim Prælati seniores, qui Votantes dicuntur, tanquam Papæ assessores, vel consiliarii, eorum votum prolaturi, quatenus Papæ placeat, ac videatur illud exquirere; Ac etiam assistunt pariter stantes, & capite discooperto, eodem prælatitio habitu indui quamplures officiales, nempe; Auditor Cameræ, & Thesaurarius, qui stant proximiores Papæ, post ejus sedem, unus a dextris & alter a sinistris; Item Datarius si est Prælatus; Decanus Rotæ, vel eo impedito Prodecanus; Decanus Cameræ, vel ejus loco Prodecanus; Vicesgerens Vicarii; Unus Prothonotarius, Duo Locumtenentes Auditoris Cameræ; Regens Cancellariæ; Unus ex Abbreviatoribus de Parco majori; Et Auditor Camerarii; Et in summa illi Prælati, qui sunt in Curia Judices ordinarii, sive de aliquo Tribunali, ad effectum, ut quando tractetur de causis, ad illud Tribunal pertinentibus, certiorare valeant Papam, ejusque Assessores de causæ statu, vel de motivis, ex quibus facta, vel non facta sit aliqua provisio, adversus quam una Partium ad Papam recurrat.

Ultra istos Prælatos, assistunt plerique alii, nempe Auditor domesticus Papæ tanquam ejus adjutor in causarum studio jam facto, peneque informatus, ut contingente in relatione, vel discussione causę, aliqua facti dubitatione, possit ipsum Papam certiorare; Ac etiam interveniunt illi tres Prelati, qui ad differentiam seniorum habentium votum, qui propterea, ut supra, appellantur Votantes, dicuntur simplices Referendarii, qui causas, vel commissiones proponere debent; Prout etiam introducuntur illi tres Prelati, qui juxta ordinem turni, proponere debebunt causas in proxima sequenti Signatura, nullam peragentes functionem, sed ad solum effectum, ut instruantur ad illam functionem bene peragendam.

Singuli itaque dicti tres Prelati, juxta eorum ordinem, approximantes tabulæ, quæ est ante sedem Papæ, eidem (ea qua decet reverentia, & humilitate,) ordinarim, sin- 8 gulas sibi distributas, vel incumbentes commissiones proponunt, referendo quo brevius fieri potest, latino eleganti, sed laconico sermone, facti seriem, ac oratoris petitionem, & oppositoris exceptiones, absque tamen proprii voti prolatione; Hisque peractis, in qualibet commissione; Vel Papa, nullum exquirendo votum rescribit de rejectione cum consueto verbo *nihil*; Vel de signatura cum clausulis sibi bene visis, unde propterea proceditur ad propositionem alterius commissionis; Aut quando ipsi placeat, desuper a dictis duodecim Prælatis exquirit votum, quod prius profertur a dicto Prælato, qui commissionem proposuit (& qui propterea Ponens appellatur) deindeque a præfatis duodecim Votantibus, inter quos, more 9 Tribunalium collegiatorum, votorum discordiæ, vel disputationes, pro causæ discussione haberi solent, proferendo pariter votum, quo brevius fieri potest, cum eodem eleganti, & laconico latino sermone; Et postquam numeratis votis prodierit resolutio a majori parte, tunc in arbitrio Papæ est, illud votum sequi, aut diverso modo, rescribere; Sive tunc non rescribendo, sibi reservare resolutionem dandam in Camera, per organum Auditoris, dum istud est votum mere consultivum.

Et quando in singularum commissionum propositione, vel discussione contingat, ut aliquis ex dictis Cardinalibus, qui interveniunt, nomine sui Tribunalis, vel ad Papæ interrogationem, vel ex officio ad sui Tri- 10 bunalis defensionem, sit allocuturus, id agit, petita prius venia, ac stando, & capite discooperto, eodem modo quo idem Cardinales, singulariter alloquuntur Papam in Consistorio; Si vero sunt Prælati, petita etiam venia, cum majori reverentia, & obsequio, alloquuntur genuflexi.

In isto autem congressu, proponuntur in totum triginta commissiones; Decem scilicet per quemlibet Prælatum, ex quibus distributive, quinque sunt super causis contentiosis, altera Parte audita, & contradicente; Et quinque sunt super negotiis mere gratiosis absque contradictore.

Ex genere contentiosarum sunt illæ petitiones, super quibus, ob juris dispositionem in contrarium, sive ob defe- 11 ctum potestatis Magistratuum, & Tribunalium, nonnisi Papa tanquam supremus Princeps rescribere potest, ideoque ista proprie dicitur audientia Principis; Puta, committendo causam alias de sui natura appellabilem, cum clausula *appellatione remota*, dum nonnisi ad Principem, ejusque supremam potestatem pertinet, appellationem tollere, ac dispensare legibus, quæ illam concedunt, ideoque proponuntur, ac discutiuntur causæ, ex quibus id concedendum sit, necne; Quamvis etenim in omnibus iis, quæ a jure positivo pendent, atque directe non feriunt jus divinum, vel naturale, ex magis recepto professorum fori externi sensu, suprema & absoluta sit Papæ potestas dispensandi, vel derogandi etiam sine causa *b*. Nihilominus id fieri non debet, nec solet, quando justa causa non accedat, ideoque examinantur causæ, quæ justæ reputentur, nempe, Arcta sanguinis conjunctio; Petentis paupertas; Magna causæ pietas; Motivum sedandi inimicitias, vel occurrendi scandalis, vel petentis gravis ætas, quando de juribus mere personalibus ac vitalitiis agatur, ut in causis beneficialibus frequens praxis docet; Ideoque ipsi defensores decantare solent propositionem, quod appellatio est species defensionis, quæ tollenda non est; Id autem certam non habet regulam, cum totum pendeat a Papæ libero arbitrio,

rio, quod a singulorum casuum circumstantiis regulari solet.

Sunt item commissiones appellationis, quæ porriguntur a Judicibus, vel Tribunalibus, quibus causa ab eodem Papa commissæ fuerit, (ut supra) appellatione remota,
14 quoniam cum ista clausula intelligenda veniat de appellatione frivola, & quæ probabile injustitiæ, vel gravaminis motivum non habeat, ideirco discutitur, an denuo de appellatione scribi debeat, & an ad utrumque effectum, devolutivum, & suspensivum, vel potius ad solum devolutivum, non impedita interim executione, pro causarum qualitate, earumque circumstantiis, adeout pariter non detur certa regula.

Recurri etiam solet ad hoc Tribunal pro obtinendo cumulationem possessorii cum petitorio, super quo pariter discuti solet, an accedat justa causa, sine qua re-
15 gula est, ut id concedi non debeat; Justaque causa reputari solet; vel ipsius possessionis turbiditas, vel bonum jus nimium clarum petitoris; vel diu intermissa, seu neglecta possessio; Aut ratio scandalorum, vel inconvenientium, cum similibus. *d*

Prout etiam peti solet rescriptum pro rejectione, vel suspensione purgationis attentatorum, vel spolii in fine
16 litis, ex aliqua justa causa, sine qua id est denegandum; Puta ratione paupertatis, Aut clari boni juris, adeout interet æquitas probibitiva inanis circuitus; Sive turbiditas attentatorum, quæ dolosa dici non valeant, atque a bono jure pendeant, cum similibus. *e*

Pro frequentiori contingentia, ad hoc Tribunal recurri solet, pro removendis obstaculis, quæ præbeantur per
17 clausulas præjudiciales in literis Apostolicis apponi solitas, ut sunt, clausulas *sublata*, & *decretum irritans*; Sive quod de subreptione, vel defectu intentionis, dari non valeat, dum per istas clausulas (ut practicari dicunt) clauditur os, atque ligantur manus, tam Judici, quam Parti, ideoque recurritur pro obtinenda oris apertionem.

Quamvis etenim de stricta juris censura, plerique dentur casus, in quibus ex hujusmodi clausulis dictus effectus non resultet; Vel scilicet ex capite non comprehensionis; Aut ob defectum intentionis, (quando etiam de hoc cognosci prohibitum non sit;) Adhuc tamen, pro frequentiori Rotæ, aliorumque Tribunalium stylo, dum Papa est præsens, atque facilis est recursus ad eum, ob quandam reverentiam, Tribunalia abstinent, atque remittunt Partes ad Sanctissimum. *f*

Duplicis autem generis sunt hujusmodi petitiones. Aliæ siquidem sunt, quæ fiunt pro sola apertione oris adversus
18 clausulas prædictas ad effectum obtinendi habilitationem impugnandi, prout de jure ea, quæ continentur in literis habentibus istas clausulas, ipsius gratiæ, vel provisionis substantia intacta remanente, quatenus alias de jure valida sit; Atque hinc petitioni nimium de facili annui solet, cum ita non tollatur jus alteri Parti quæsitum.

Aliæ vero sunt petitiones reductionis ipsius gratiæ, vel provisionis, ad terminos juris, eam de medio tollendo, ac si non emanasset, adeout tangatur gratiæ principalis substantia, atque ita tollatur jus per eam quæsitum alteri Parti; Et tunc magis circumspecte, ac mature proceditur, atque non nisi ea magna, nimiumque justa causa id concedi solet, ideoque magna dignoscitur differentia inter unam petitionem, & alteram. *g*

De pluribus etiam in hoc Tribunali agitur, super quibus nonnisi supremi Principis potestas est rescribendi; Puta circa sanationes aliquorum defectuum, vel nullitatum, quas patiantur contractus; Ut præsertim, pro frequentiori praxi, contingit in censibus, qui contracti sint, non servata forma præscripta per Constitutionem S. Pii V. unde propter-
19 ea recurri solet pro sanatione, quæ pro frequentiori stylo conceditur, cum clausula *constito de vero credito*; Quoties tamen defectus proveniat ab omissione hujus formæ de novo introductæ; Secus autem ubi ex infectione usuraria, vel ex alio substantiali defectu proveniente ex intrinseca natura contractus, ut latius in ejus particulari sede, ubi de pluribus ad materiam hujus sanationis, ejusque effectibus, illo præsertim retrotractionis pro fructibus medii temporis; Et ubi res non sit integra, quia nempe per sententiam census declaratus fuerit invalidus, an hæc sanatio concedi debeat necne. *h*

Item pleræque aliæ sanationis defectuum accidentalium
20 concedi solent; Puta, in actibus extrajudicialibus; Illius archiviationis instrumentorum, vel apocharum, quæ ad formam alicujus Constitutionis, vel Statuti facta non sit, cum similibus; Sed quoniam, ut plurimum, Causidici mere practici, omnia scientes per traditionem, non de facili investigant principia; Hinc propterea sequitur, quod capiendo generaliter istum terminum sanationis in omni materia, petere quoque solent sanationem illorum contractuum, qui per minores, vel per mulieres, aut filios familias, & similes initi sint, non servata forma legum municipalium, seu statutorum, adeo frequentium in Italia, unde propterea declarantur nulli ipso jure, nullamque actionem, vel obligationem pariunt, ex deductis in sua peculiari materia; Verum in facti contingentia, pluries hanc petitionem rejici obtinui, quoniam ista nullitas provenire potius dicitur a naturali, vel substantiali defectu consensus, quem lex ita præsumit, ideoque esset dispensare super defectu naturali, & circa substantialia consensus, faciendo debitorem eum, qui non sit; Et consequenter termini sunt valde diversi.

De sanationibus quoque aliquarum nullitatum in processibus, & actibus judicialibus agi solet; Et præsertim nul- 21
litatis, quæ proveniat ex defectu citationis, circa quam procedi solet cum eadem distinctione, quod scilicet; Aut defectus est naturalis, & de facto, quia nempe nullatenus Pars citata sit; Et tunc sanatio non concedatur, cum sit defectus juris naturalis; Aut vero defectus est in accidentalibus tantum, quia nempe citatio vere ac naturaliter adsit, sed non servata quædam forma, vel solemnitas a lege communi, vel municipali, sive a stylo inducta; Aut quod agatur de incidentibus, & tunc id concedatur, ita temperando potius quendam indiscretum legis positivæ rigorem, quia litigantium calumnias frequenter confovere solet; Ideoque non est materia, quæ certam recipiat regulam, cum totum pendeat ab arbitrio ex facti circumstantiis regulando. *i*

Illa restitutio in integrum adversus rem judicatam, vel tres conformes sive adversus aliud obstaculum, quæ de jure, vel stylo per Judices & Tribunalia concedi non potest, 22
vel non solet, in hac Signatura quoque peti solet, atque varie rescribitur, modo concedendo, modo denegando pro facti qualitate, & circumstantiis.

Quare ad istum præsertim effectum, ac ad alios supra enunciatos, & præcipue ad illum apertionis oris, vel alterius habilitationis, instituendi, vel instaurandi litem, quæ alias absque Principis rescripto silere deberet, inolevit commendabilis stylus disputandi formiter de meritis negotii principalis, ut dici solet, pro gestu, ad effectum scilicet dignoscendi, an orator bonum jus foveat, vel saltem ejus vehementem fumum præbeat; Ex ea congrua ratione, quod partes Principis sunt resecare lites, aut illis occurrere, ne oriantur, quando ratio oppressæ justitiæ aliter non suadeat; Ideoque de ista gustare debet.

Super competentia fori, de qua pro Tribunalium, & Judicum qualitate Signatura Justitiæ cognoscere non potest, in hac Signaturæ Gratiæ agitur, præsertim circa avocationes causarum a Sacris Congregationibus, ut remittantur 23
ad Judices Ordinarios, vel e contra, ut causæ alicui Congregationi remitti debeant; Sive ubi agatur de illis Judicibus, vel Tribunalibus, quæ non subjaceant dictæ Signaturæ Justitiæ; Ut (ex. gr.) sunt Tribunalia Cameræ, & Camerarii, & Thesaurii, aliorumque Præsidum, & officialium Cameralium, ac etiam Tribunal Fabricæ; Atque sunt Archipresbyteri Basilicarum, & quamplures Protectores; vel Judices particulares privilegiati; Ac etiam Cardinales, quibus porriguntur solum commissiones signatæ manu Papæ; Et generaliter omnes illi Judices, qui jurisdictione metiantur ex eadem specie, seu qualitate commissionis signatæ manu Papæ.

Prout etiam circa facultates, ut procedi valeat ad subhastationem illorum bonorum, ad quæ creditor in remedio Salviani immissus fuerit, quando bona sint talia quod infra decennium satisfieri non valeat de ejus credito; Aut ubi agatur de unione plurium causarum coram uno, illas ab aliis Judicibus avocando, Et in summa super iis omnibus, in quibus Judices ordinarii, & Tribunalia providere non possunt, adeout de jure, vel de stylo necessaria sit potestas Principis.

Super declaratione quoque aliquarum Apostolicarum Constitutionum, vel aliarum provisionum, vel decretorum Apostolicorum, recurri solet ad hanc Signaturam, atque super hoc formiter rescribi non solet super commissionibus, sed oretenus Papa respondet; unde propterea recep- 24
pta conclusio est, quod declarationibus quæ per Papam orete-

oretenus fiant in plena Signaturæ Gratiæ; deferendum
venit, etiam sine aliqua scriptura, cum sit species no-
torii. *m*

Generaliter quoque in hoc Tribunali signantur ex quo-
dam recepto stylo omnes commissiones, quæ concernant
25 causas Hierosolymitanæ Religionis; Vel scilicet inter
ipsam Religionem, & illos, qui per eam rejecti, præten-
dendo se gravatos, appellent ad Papam ejusque Curiam
Romanam, atque petant committi causam appellationis,
vel restitutionis in integrum in Rota, vel in alio Tribuna-
li. *n* Sive ubi alibi professus, post quinquennium recla-
mare velit adversus professionem, unde propterea ad præ-
scriptum Concilii Tridentini indigeat restitutione in in-
tegrum, quoniam in aliis Religionibus (ut superius a-
gendo de Congregatione Concilii advertitur) hujusmo-
di commissiones dirigi solent dictæ Congregationi Con-
cilii, ejusque consultationi absque alia discussione co-
ram Papa, ejusque Signatura, secus autem in ista Re-
ligione. *o*

Aut ubi agatur etiam de causis, & controversiis par-
ticularibus inter ipsos milites, vel capellanos, sive ser-
vientes, contendentes de illis Commandis, & dignitati-
bus, ratione antianitatis, vel benemerentiæ, juxta ea,
quæ in rerum beneficialium sede insinuantur, cum si-
milibus. *p*

Istius styli introductio secuta fuit ex eo quod per pri-
vilegia huic Religioni concessa præscriptus est appellatio-
num ordo, scilicet a Consilio Ordinario tanquam Judice
26 primæ instantiæ, appellandum est ad Consilium Comple-
tum, & ab isto ad Capitulum generale, neque ulterior
datur appellatio; unde propterea antiquioribus tempori-
bus ista Religio prætendebat, quod ita neque appellari
posset ad Papam, ejusque Curiam, sed causæ egredi non
possent religionem; Verum hodie firmiter receptum est,
ut ista prohibitio intelligenda veniat de aliis Superioribus,
& Judicibus appellationum, non autem de ipso Papa, cum
hæc appellatio nunquam sublata censenda sit *q*; Adhuc
tamen quæstiones supersunt super ista gradualitate, vel
ordine, & an hæc appellatio interponi possit omisso me-
dio; Atque praxis rationabiliter recepit, ut negligatur
ultimum medium Capituli generalis, ob ejus incertitudi-
nem, ac notabilem distantiam, dum hujusmodi causæ pro
majori parte sint personales, & super juris vitalitiis;
Non solet autem negligi primum medium Consilii Com-
pleti, quamvis aliquando ex causa etiam, omisso isto
medio, concedi soleat commissio in Rota, ut alibi ad-
vertitur. *r*

Id autem procedit in causis, quæ concernunt ipsam Re-
ligionem, ejusque professores, adeout Magn. Magister,
27 ejusque Consilium respective procederet tanquam ejus-
dem Religionis Generalis, & Prælatus, atque in istis,
non solum in Signatura disputari solet de omissione me-
dii ut supra; Verum etiam de modo rescribendi, & an
ad utrunque effectum suspensivum, & devolutivum,
vel ad devolutivum tantum rescribendum sit, stantibus
ejusdem Religionis Statutis suspensivam appellationem
denegantibus, ubi præsertim agatur de dignitatibus,
quæ aliquam annexam habent administrationem; Se-
cus autem ubi procedat M. Magister tanquam princeps
sæcularis, cum hujusmodi causæ ad Curiam non de-
volvantur. *s*

Quatenus vero pertinet ad hujus Tribunalis præparato-
ria, seu ordinaria; Illi, qui ad Papam in Signatura re-
28 currere intendunt, in hujusmodi causis contentiosis, &
præsertim ad effectum impediendi executionem, vel ulte-
riorem causæ progressum, recurrunt ad præfatum Papæ
Auditorem domesticum, a quo petunt sibi decerni locum
inter dictas quindecim commissiones, atque interim man-
dari supersederi; Idque concedi, vel denegari solet, pro
qualitate causarum, ac pro Pontificum, eorumque Audi-
torum vario stylo, ideoque certa & uniformis regula de-
super statuta non est. Pendente autem hoc recursu, est su-
praseddendum, seu abstinendum in reverentiam, atque
alias gesta reputantur attentata usque ad primam Signa-
turam. *t*

29 Cumque ista Congregatio teneri soleat die martis, id-
circo Papa, die dominico de mane, & quandoque antea,
pro vario Pontificum stylo, dicere solet se velle eam tene-
re, unde propterea eadem die dominica informantur Præ-
lati votantes, ad effectum ut intermedio die lunæ, cau-
sarum studio vacare valeant; Die vero lunæ, pro antiquo,
& consueto stylo, informari solet ipse Papa, quamvis a li-

quando, pro eodem vario Pontificum stylo, informetur
etiam die dominico; Unde propterea in aula consueta au-
dientiæ sedendo, audit Advocatos, & Procuratores, qui
informant genuflexi; Secluso autem isto reverentiali obse-
quio, fit informatio cum omni libertate, eo more quo
informantur omnes alii Judices, ipsique Papæ benignissi-
me, & familiariter motivanti replicatur; atque generali-
ter discurritur, prout cum aliis Judicibus fit; Singulariter
autem quilibet defensores pro sua causa id agunt sine forma
contradictorii, juxta stylum informandi Rotam, & Ca-
meram, vel Congregationes Cardinalium, aliaque Tri-
bunalia.

Istius Signaturæ stylus est, quod adversus resolutionem 30
jam factam non conceditur nova audientia, ut facit Si-
gnatura Justitiæ, atque de hoc stylo testantur etiam antiqui
Scriptores a Licet aliquando pro Papæ arbitrio, a quo to-
tum pendet, soleat hæc audientia concedi; Et hæc quoad
commissiones, vel causas contentiosas.

Aliæ vero quindecim commissiones, hoc est quinque, 31
quæ per quemlibet Prælatum proponuntur, sunt gratiosæ,
idest quod nullum habent contradictorem; Ut (exempli
gratia) sunt Commutationes ultimarum voluntatum;
Relaxationes aliquorum onerum; Applicationes subsidio-
rum dotalium, quæ præstari debent pauperibus puellis, ad
favorem conjunctarum testatoris, in aliqua majori sum-
ma, cum similibus, in quibus non cadit regula, cum to-
tum pendeat a Papæ arbitrio, neque desuper pro frequen-
tiori stylo votum Prælatorum exquiri solet.

Super præmissis negotiis, tam contentiosis, quam gra-
tiosis, per Papam, extra hanc solemnem Congregatio-
nem, signantur Commissiones, vel supplicationes in Ca- 32
mera eo modo quo signantur quotidie tot supplicationes
negotiorum Datariæ; Verum ad plenam Signaturam re-
mitti solent illæ commissiones, quæ probabilem habeant
dubietatem, an signari debeant, necne, sive super modo
signandi, vel rescribendi, adeout congrua reputetur ea-
rum formalis discussio in publica, & plena Signatura,
cum voto dictorum Prælatorum.

Quinimmo frequenter, neque ista discussio sufficiens
reputari solet, unde propterea, non concedendo, ne-
que negando id quod petitur, id remitti solet Tribu- 33
nali, vel Judici appellationis, cum illis clausulis, de
quibus agitur magis distincte *discurs. seq.* agendo de
Signatura Justitiæ ad evitandam earundem superfluam
repetitionem.

Pro qualitate vero negotiorum spectantium ad istam
Signaturam Gratiæ, circa concessionem aperitionis oris,
vel restitutionis in integrum, sive cumulationis possesso-
rii cum petitorio, aut rejectionis, vel suspensionis atten-
tatorum, vel super sanationibus rescribi solet, cum clau-
sula, *arbitrio*, idest quod Tribunal, cui causa principa-
lis committitur, vel in quo jam introducta sit, ac pen-
deat, videat, an id quod petitur, sit concedendum, nec-
ne; unde propterea, ut tot Rotæ decisiones comprobant,
adeo frequenter in eo Tribunali disputari solet, an intret
arbitrium, necne.

Quamvis autem istum rescribendi morem habeat quo-
que Signatura Justitiæ, atque generalis sit propositio,
quod arbitrium reguletur a jure, ideoque illud interpo- 34
nendum sit, quatenus ita ex juris dispositione, vel inten-
tione justitia exigat; Atque generica etiam sit altera propo-
sitio circa istius clausulæ operationem; quod scilicet ali-
quid relaxet de rigore juris, atque aliquam aperiat viam
non scriptæ æquitati, quæ alias non intraret, ut Principis
rescriptum aliquam faciat operationem, & non remaneat
omnino inane.

Adhuc tamen notabilis dignoscitur differentia inter
unius, ac alterius Signaturæ rescripta, quoniam illa
Justitiæ, magis stricte, & rigorose intelligenda veniunt 35
prout de jure; Ista vero Signaturæ Gratiæ magis large,
& cum aliqua majori relaxatione rigoris, vel obstaculi
legali.

Credunt aliqui, & præsertim Aulæ sequaces, vel profes-
sores illius literaturæ, vel facultatis, quæ politica dici so- 36
let, quod ista functio, seu Congregatio sit inanis, & su-
perflua, quæ inutiliter occupet Pontificem per triduum;
In audientia scilicet, in studio, & in explicatione functio-
nis ut supra, cum sit Summo Pontifici tempus adeo pretio-
sum pro aliis gravioribus negotiis, quæ urgent; Quemad-
modum enim tot aliæ supplicationes, vel negotia per orga-
num Datarii, & Secretarii Brevium, seu etiam Auditoris
domestici signantur in Camera, ita idem de istis fieri pos-

set: Unde propterea (ut quædam moderna recens praxis docet,) ita Signatura non adeo frequenter haberi consuevit.

Verum ita forte videtur erronea opinatio eorum, qui discurrunt rerum superficiem, reflectendo ad solam signaturam hujusmodi commissionum, vel supplicationum, non autem ad magnas nimiumque proficuas consequentias exinde resultantes; Tum ob consolationem, ac satisfactionem litigantium, qui se gravatos, vel oppressos credunt, habendi hunc recursum ad supremum Principem, qui ita publice, ac solemniter, eorum jura audiat, & examinet; Tum etiam, & fortius, quoniam istud est omnium Judicum, & officialium magnum frænum, ad justitiam bene administrandam, aliaque bene gerendum, quæ proprio muneri incumbunt, dum ita sciant se frequenter expositos esse adeo publico syndicatui, in quo de eorum gestis rationem reddere debeat coram Principe in adeo solemni cœtu Cardinalium ac Prælatorum aliorumque officialium ut supra; Ac etiam ob multas informationes, quas prudens, & oculatus Princeps reportare potest, ac solet a Curialibus, & ab ipsismet Partibus interessatis occasione recipiendi singulares, & quodammodo auriculares absque alicujus assistentia, adeout libere dici valeat quid sibi videatur; Potissime quia cum uno & quandoque etiam cum duobus Curialibus defensoribus, admitti solet ad audientiam ipsa Pars interessata, quæ magis libere, seu minus circumspecte exponat gravamina, quæ sibi, & aliis ab eo Tribunali, vel officiali inferri credat; Ideoque est optima & opportuna janua, per quam licitus reddatur ingressus veritati, quæ nimium raro illum habet in aulis Principum, optimumque ac nimium commendabile dicendum est institutum, quod magis frequentari deberet, non in sola ratione explicandi illa negotia, quæ omnia, vel pro majori parte commode explicari possent in camera, sed pro dicto alio etiam politico fine regiminis publici utriusque principatus.

Habet ista Congregatio, vel Signatura Cardinalem Præfectum, ad effectum vero ut retineatur stylus temporis antiqui, sed videtur Præfectura potius ceremonia-
37 lis, cum nunquam, vel nimium raro, Cardinalis Præfectus se ingerat in hujusmodi negotiis, quæ, ut supra, explicantur, vel in plena Signatura coram Papa, vel per organum ejus domestici Auditoris, cujus munus, majores, vel minores habet occupationes, pro genio, vel stylo personæ quæ officium occupat.

De regulari vero natura hujus Tribunalis est, se non ingerere in causis indifferentibus, in quibus manus appo-
58 suit, vel apponere potest Signatura Justitiæ; Minusque in iis, quæ de jure competant, sive per ordinarios Judices concedi, vel explicari possunt, sed solum in iis, qui indigent suprema, & extraordinaria Principis potestate; Unde propterea quando contingat, ut hujusmodi petitiones fiant, tunc prudenter, ac fundate emanare solet rescriptum, quod orator utatur suo jure, sive quod suos Judices, & magistratus adeat competentes; Et merito quidem, ex juris propositione, quod ubi suppetunt remedia
39 ordinaria, & juridica, concedi non debent extraordinaria, quæ a Principis suprema pendeant potestate, cum hæc mere subsidiaria censenda veniant.

a *Gomes. in compend. utrusque Signaturæ, post q. 16. in regul. de non judican. juxta form. supplicationis.*
b *supra disc. 2. & tit. de regal. disc. 148.*
c *tit. de judiciis in discurs. in quo agitur de appellatione.*
d *tit. de judiciis agendo de ista cumulatione, & de judiciis possessoriis.*
e *eod. tit. de judic. agendo de attentis, disc. 28.*
f *eod. tit. de judic. disc. 24.* g *ibidem.*
h *tit. de censibus, disc. 3.* i *tit. de alienat. & contract. prohib. plurie.* l *tit. de judic. discurs. 9.*
m *tit. de fideicommiss. discurs. 255. & tit. de Regalarib.*
n *tit. de praeminent. discurs. 32. & seq.*
o *tit. de Regular. disc. 45.* p *de benef. disc. 68. & 69.*
q *dicto tit. de praeminent. disc. 32. & seqq. & tit. de jud. in Rubrica appellationum, disc. 37.*
r *disc. 34. de praeminent.*
s *tit de benef. & tit. de judic. in Rubrica appellationum, disc. 37. & tit. de jurisd. disc. 69.* t *dicto tit. de jurisdic. disc. 28. ad materiam attentatorum.*
u *Gomes. in compend. Signatura ad regul. de non judicando post quæst. 16.*

SUMMARIUM.

1 De tribunali Signatura Gratiæ cum seqq. & de facultate, seu directione Auditoris Papæ.
2 De novis provisionibus quoad istud Tribunal.
3 In quibus casibus non pateat aditus ad Signaturam gratiæ.
4 De modo informandi Papam in aula.
5 Audiuntur vota omnium Prælatorum.
6 De commissionibus, quæ extra Signaturam signantur in Camera.
7 De commissione restitutionis in integrum adversus lapsum fatalium, vel prorogationem.
8 Quare non debeant signari commissiones super septuagenaria, vel admissione ad cap. Odoardus.

DISC. XXX.

Hujus tribunalis Signaturæ gratiæ magnam, peneque omnimodam directionem habere videtur Auditor 1
Papæ, tam super concessione supersessoriæ adversus sententias, vel decreta, aliasque provisiones, quæ de sui natura executionem mereantur, ob petitum recursum ad hanc Signaturam, ac etiam super revocatione attentatorum, isto recursu pendente; Tum etiam quia curam habet inquirendi a Papa quando Signaturam tenere velit, ipseque notat vota ad effectum videndi quando, & qualis sit resolutio, sive post resolutionem an sit locus novæ audientiæ, prout in die in qua Curiales informant Papam, ipse illos introducit, adeout in ea functione gerat munus Præfecti aulæ, quando Papa sedet in Signatura, ipse sibi assistit a latere, suggerendo ea, quæ opportuna videantur, sive referendo an hæc resolutio capienda necne, ac etiam respondendo ad ea, quæ Papa interroget cum similibus juxta casus occurrentiam, ac etiam cognoscit, quænam Commissiones mereantur signari per Papam in Camera, & quænam exigant judicium plenæ Signaturæ; Unde propterea reputatur magnum munus; quia rescribit omnibus tribunalibus, ut insinuatur etiam *in disc. 47. de judic.* & alibi.

Plures autem provisiones, quæ pro rectæ justitiæ administratione opportunæ visæ sunt (Sanctissimo approbante) in hujus muneris exercitio cœpi, præsertim vero super restitutione antiquæ libertatis Curiæ, recurrendi ad Principem in hac Signatura, abolendo quendam usum, qui moderno tempore invaluerat ut recurri non posset nisi per eos, quibus videretur, vel placeret Auditori licentiam concedere, ita pro libito gratificando, quod pro meo judicio non solum redolebat speciem servitutis, sed magnum continet inconveniens, ut ex judicio Auditoris pendere deberet an causa digna esset recursu, & rescripto efformando ex judicio tresdecim votorum; atque ita judicare antequam disputaretur; omnibus namque liber
patere debet aditus recurrendi ad Principem, quoniam ubi 2
petantur ea, quæ incongrua sint, cum denegatione consultum remanet, atque ex ista libertate majus resultat frænum judicibus, & tribunalibus, aliique sequuntur boni effectus in discursu considerati.

In tribus autem casibus hanc libertatem restringere vi-
sum est; Primo nempe in causis disputatis, & decisis in 3
Signatura Justitiæ, ita disponente Reformatione Pauli V. quoties non agatur de notorio gravamine, cujus casus nimium rarus est, quoniam confusio hujusmodi Tribunalium ponere solet inconvenientia justitiæ administrationi præjudicialia, ut experientia docuit.

Secundo circa causas antiquas, quæ a decennio ultra sopitæ sint, ac siluerint, quoniam partes Principis sunt quo magis fieri potest, imponendi finem litibus, easque resecandi, non autem jam sopitas excitandi, quoties vehementia non accedat gravaminis, & injustitiæ fumus, quodque diuturnum silentium ab impotentia, vel oppressione, vel alio justo impedimento provenerit; Et tertio ubi aliqua urgeat ratio prudentialis, quam politicam vulgus appellare solet, quia nempe de causa status, vel interesse supremorum Principum agatur, tunc sensus Papæ, ut decet, exquiri debet.

Super modo item informandi Papam in Aula, curavi
consulere quibusdam inconvenientibus, quæ diu exercendo 4
munus Advocati in præcedentibus Pontificatibus expertus fueram; Tum in eo, quod aliqui sub hoc prætextu affectantes Papæ audientiam pro aliis negotiis a Signatura extranei, capiebant prætextum informandi sine necessitate super aliqua ex quindecim commissionibus gratiosis, quod

non

non solum Papæ magnum inferre solebat fastidium, sed magnum causabat præjudicium quindecim causis contentiosis, in quibus necessaria est informatio per Advocatos, & Procuratores, dum inutiliter tempus terebatur, neque locus esse poterat, ut omnes informationes audirentur; Ideoque providi quod super contentiosis tantum informari deberet; Ac etiam quia ille ordo, qui in Rota, ac Camera, Signatura Justitiæ, aliisque Tribunalibus adhibetur prioritatis temporis inter Curiales insinuatus *hoc eodem tit.*
4 *disc.* 46. & alibi, risas & discordias producebat inter Curiales contendentes de prioritate, & quisnam prius Palatium Apostolicum ingressus esset; idque producebat quoque maximum eorundem Curialium incommodum, magnamque temporis jacturam, dum curabant valde diluculo, & de nocte ad palatium accedere, ut locum occuparent; idcirco statui quod informari deberet juxta ordinem Ponentium, & causarum cum lista numerica, ut servat Tribunal Auditoris Cameræ, ac propterea quilibet scit quænam hora sit ejus opportuna, prout etiam id commodum est Papæ, & opportunum causis, quoniam ita eodem tempore una post aliam informat utraque pars, adeout recens sit Papæ memoria super motivis illius partis, quæ prius informavit pro commissione, audiendo immæ iate alteram partem informantem contra commissionem, nam prius magna apud eos erat confusio specierum.

Insinuavi quoque Sanctissimo, qui libenter pro ejus summo zelo erga rectam justitiæ administrationem consilium amplexus est, ut deleret usum, vel abusum in discursu relatum, ac potius damnatum, non audiendi
5 vota Prælatorum nisi in duabus, vel tribus causis, in aliis autem rescribendo pro ejus libito, sive reservando respondere in Camera, dum id producit inconvenientia in discursu insinuata, ideoque hucusque Curia nimium commendante, & plaudente, & cum magna partium satisfactione in omnibus quindecim causis contentiosis formalis disputatio habita est, atque auditum votum omnium Prælatorum.

Respectu vero commissionum, quæ extra Signaturam signantur in Camera, ut præsertim practicare consuevi in commissionibus in Salviano pro venditione bonorum, præ-
6 via citatione partis, atque nil relevans opponente, illas passim proponere signandas in Camera, ut etiam derogatione feriarum sine citatione partis cum sola subscriptione judicis juxta stylum, qui in dicta prima specie commissionum in Salviano mihi videtur ineptus, quoniam concurrentibus illis conditionibus quæ in hujusmodi commissionibus adjici solent, quod scilicet sententia fecerit transitum in judicatum, nullaque pendeat causa restitutionis in integrum, neque ex fructibus creditor intra longum tempus satisfieri valeat procedi possit ad subhastationem, quatenus debitor intra breve tempus præfigendum non tenuat, ad id procedi posse videretur per judicem, ex sola dispositione juris, ideoque eram in sensu, quod per decretum generale ita statueretur, cum potius indecorum videatur, ut super hujusmodi, & similibus signari debeant commissiones manu Papæ, quod tamen hucusque non obstante ejus incommodo servare solitum est.

Quo vero ad commissiones restitutionis in integrum ad-
7 versus lapsum fatalium, super istorum prorogatione censui admitti, ac signari non debere omnes commissiones indefinite, ut prius servabatur, sed non nisi parte citata, & prævia aliqua summaria cognitione meritorum causæ, & an appellans aliquod haberet probabile motivum prosequendi appellationem neglectam, atque desertam, idemque quoad commissiones super instauratione instantiæ in Foro Capitolino, in quo proceditur cum dispositione juris civilis super peremptione instantiæ, dum in aliis Tribunalibus proceditur cum dispositione juris Canonici, qua attenta instantia est perpetua, ideoque non intrat hæc peremptio. Idque ex eadem superius assignata ratione ut partes Principis sint in dirimendis, & extinguendis litibus, non autem in eis jam finitis instaurandis, quando ratio justitiæ non assistat.

Consueverunt etiam frequenter signari manu Papæ commissiones in Camera super septuagenaria, ac etiam
8 super admissione Clericorum ad beneficium Capituli Odoardi, ac etiam aliquorum debitorum ad beneficium cessionis bonorum absque ignominia. Verum hucusque practicavi non recipere, ac non proponere hujusmodi commissiones, quoniam quatenus pertinet ad illas super septuagenaria, vel super dicto Capitulo Odoardus, cum Causidici nimium de hoc conquererentur, quasi quod magna committeretur injustitia denegando id quod passim concedi solebat, respondere illis consuevi quod adæquatam præberent meo argumento responsionem, qua audita illico omnes admitterem commissiones, easque proponerem Papæ signandas; Arguebam itaque cum dilemmate quod aut ista beneficia competunt de jure, aut non; Si competunt, ubi ipsi asserebant, & exaggerabant, multas desuper cumulandos auctoritates collectas per *Scannarol de visitatione*, aliosque modernos collectores, ergo frustra implorabatur a supremo Principe facultas, ex regula quod locus esse non debet remedio extraordinario concedendo per legem animatam supremi Principis, ubi suppetat remedium ordinarium concessum per legem inanimatam a Judice obtinendum, ac propterea, quod in hoc utentur jure suo coram Judicibus competentibus. Si vero de jure non competunt, prout late post Menoch. *cons.* 916. probat Andreol. *controv.* 89. & ut sequi dicitur, quando agitur de debitis contractis cum obligatione in forma Cameræ, cujus formula continet renunciationem hujusmodi remediis, vel beneficiis, & ad quem effectum vere, & proprie inolevit usus obtinendi hujusmodi commissiones, & tunc dicebam id non esse justum, neque rationabile, quando justa causa publica non accedat, dum ita est tollere jus tertii. Si etenim id a plerisque injustum, ac exorbitans reputatur, quando tollatur illud jus, quod competat ex solo beneficio legis, vel per ultimam voluntatem, quod est quid minus, adeout vulgus nimium damnare solet derogationes fideicommissorum, aliarumque ultimarum voluntatum, fortius id procedere debet in illo jure ex contracto, & ex propria providentia, ex deductis *disc.* 158. & 177. *de Regal.* & alibi pluries agendo de potestate Principis tollendi Jus tertii, adeout consideratus abusus potius iste dici mereretur, idemque argumentum intrare dicebam in aliis commissionibus super admissione ad beneficium cessionis bonorum sine ignominia.

Magis vero ad hunc rigorem adhibendum, me impellebat consideratio, quod hujusmodi, ac similia beneficia aliquod pietatis, & commiserationis motivum habentia, ut sunt illa alimentorum præstandorum per Creditores, & dilationum concedi solitarum per Congregationem visitationis Carcerum, principium habuerunt de tempore, quo adeo non creverat humana malitia, neque debitores amiserant erubescentiam, adeout nonnisi ex justa causa, justa commiseratione digna ad hujusmodi beneficia confugerent. Tractu vero temporis illa transierunt in corruptelam, adeout doli, & fraudis, atque calumniarum fomentum esset, multique dissipatores ac vitiosi, vel otiosi, ut cum alienis pecuniis, ac bonis luxuriarentur, & vitia confoverent, sive otiosam, & commodam ducerent vitam, hujusmodi beneficiorum clypeo confisi libenter debita contrahebant, ideoque conquerentibus de meis rigoribus, quos aliqui crudelitates, præsertim circa initia dicere solebant, quibus tamen mediantibus calumnias adeo in immensum excretas in magna parte extirpavi, atque pene ammissum commercium restitui, respondere solebam, quod nunquam dici potest rigor, vel crudelitas, quando recte, ac sine complacentia, vel affectione, seu partialitate administratur justitia, quæ potius lædi, ac violari dicitur, quando cum debitoribus absque justa causa exercetur misericordia, dum ita exerceri dicitur rigor, & crudelitas cum creditoribus, quibus assistit justitia; ut exerceatur æquitas, & misericordia cum illis, qui fovent injustitiam. Præsertim vero, ac magis quando agitur de illis debitoribus, qui inter tempus debiti contractus, & illud, in quo ad solutionem urgentur, nullum passi sunt accidentale, ac insperatum, non culposum infortunium, atque ab initio de tempore contracti debiti, sciebant ac prævidebant eorum impotentiam, unde propterea videntur esse in dolo, ac non solum indigni hujusmodi beneficiis, sed etiam culpabiles, & criminosi, ut in persona quoque puniri mereantur, ut occasione dilationum quinquennalium, vel dicti beneficii Capituli Odoardus cum similibus advertitur *sub titul. de Credito, disc.* 152. & alibi. Considerando quoque quod hujusmodi rigores non solum habent bonum finem administrationis justitiæ, ut debita jam contracta persolvantur, atque calumniæ, & illicita subterfugia aboleantur, sed etiam alterum finem meliorem, ut hujusmodi dissipatores, ac perditi homines terreantur, atque arceantur a novis debitis contrahendis, novisque dissipationibus faciendis, quod in ipsorummet redundat beneficium.

De Signatura Justitiæ, ejusque stylis, & de Prælatis, ex quibus hoc Tribunal constituitur.

S U M M A R I U M.

1 *AD quid erectum sit hoc Tribunal.*
2 *Qua die teneatur.*
3 *De Votantibus, & de differentia voti unius, & alterius Signaturæ.*
4 *De voto, & potestate Præfecti.*
5 *De nova audientia, & de deposito faciendo.*
6 *De eadem potestate Præfecti circa quæ tenetur.*
7 *De revisore commissionum, ejusque officiali, & de commissionibus sub banca in causis appellabilibus.*
8 *De Auditore Præfecti Signaturæ, ejusque munere.*
9 *Quid facere debeat appellans pro causa propositione in Signatura.*
10 *Quomodo informetur Signatura.*
11 *Qualis sit numerus causarum, seu commissionum.*
12 *Qui interveniant in Signatura ultra Votantes, & Referendarios.*
13 *Ad quid sit interventus Regentis Cancellariam.*
14 *De modo proponendi, & votandi, & quando resolutio conclusa dicatur.*
15 *De magno labore istorum Prælatorum.*
16 *Quod judicia plura simul juncta sint meliora, quam singularia, licet virorum magis doctorum.*
17 *De eodem magno labore Prælatorum sine stipendio.*
18 *De stipendio Præfecti, ejusque expensis.*
19 *Datur parabola, seu simile Curiæ, circa ordines Prælatorum.*
20 *Qui Prælati interveniant in Signatura.*
21 *De diversis modis obtinendi Prælatura.*
22 *De loco Referendariorum in Capella.*
23 *De aliis Curialibus.*
24 *De differentia Votantium Signaturæ Justitiæ, & Signaturæ Gratiæ.*
25 *Quando appellatio admittatur etiam in causis executivis.*
26 *Signatura committente causam appellationis, suppliciter ac retrotractio, & intrant attentata.*
27 *De rejectione omnimoda commissionis etiam ad effectum devolutivum, & quando.*
28 *Et quando de laceratione commissionis.*
29 *De duobus modis rescribendi cum præservatione executionis, & de differentia inter eos, seu inter clausulas.*
30 *De clausula translativa* si quid exequendum, *ejusque operatione.*
31 *De clausula* cum facultate manutenendi, *vel de clausula* constito.
32 *De clausula* arbitrio.
33 *An istæ clausulæ suspensivæ, vel translativæ habeant oculos retro, atque inficiant executionem jam factam.*
34 *De clausula* ad legitimam, *vel* ulteriorem.
35 *De commissionibus reformatoriis, vel de præinsertis.*
36 *De modo rescribendi Judicibus oretenus, ut moderentur inhibitionem, seu alias provideant.*
37 *De rescripto mixto, committendo scilicet causam appellationis in parte, & in parte cum clausula præservativa, dantur exempla.*
38 *De circumspectione, vel alia provisione ut sententia absolutoria non causet vulnerationem.*
39 *De communicatione facultatum A. C. quid operetur.*
40 *Quod de facili tolli debet sententiis absolutoriis operatio vulnerationis.*
41 *Laudatur stylus evitandi has formalitates.*
42 *De abbreviatione termini ad prosequendam appellationem.*
43 *Commendatur stylus rejiciendi nullitates.*
44 *De rescriptis, vel mandatis, quæ dantur oretenus judicibus.*
45 *De provisionibus cum sequestro, vel simili.*
46 *Quando causa dicatur turbida ut rescribatur de clausula translativa, & de stylo Tribunalis.*
47 *In dubio, an sit rescribendum de clausula præservativa, vel potius de translativa executionis.*
48 *De fori, vel judicis competentia.*
49 *De recusatione judicium ex causa suspicionis, & quare in Curia istæ quæstiones sint raræ.*
50 *De causis criminalibus, coram quo cognoscantur.*
51 *Temporis iniquitas considerari solet pro commissione etiam ad suspensivum.*
52 *Et ubi concurrat factum plurium judiciorum hinc inde.*
53 *Quod ista Prælatura Signaturæ non præbeat emolumentum, neque frequenter præmia.*
54 *De judicibus, & Tribunalibus, quæ non subjaceant Signaturæ Justitiæ.*
55 *De præcedentia inter hos Prælatos, & Generales Religionum.*

D I S C. XXXI.

GEneraliter, pro omnibus utriusque Pontificii, & 1
temporalis Principatus, ac etiam particularis Episcopatus Urbis, causis, & negotiis, tam spiritualibus, quam profanis, pro quibus Principem adire oporteat, ad effectum committendi causas appellationis, vel restitutionis in integrum, sive decidendi controversias super fori competentia, illis causis, & negotiis exceptis, quæ præcedenti discursu insinuatum est pertinere ad Signaturam Gratiæ, ut etiam infra advertitur, agendo de illis Tribunalibus, vel magistratibus, quibus specialiter hæc exemptio competat; Erectum est hoc Tribunal, quod vice, ac
nomine Papæ regitur per Cardinalem ejus Præfectum, 2
in cujus domo qualibet feria quinta, seu die Jovis, non legitime impedita, & quando hæc dies impedita sit, in alia, excepto tempore æstivo, in quo minus frequenter ac alternatis hebdomadis, vel rarius pro negotiorum contingentia, habetur, cum interventu omnium Prælatorum, qui utriusque Signaturæ dicuntur, pro signandis commissionibus, prævia discussione, an & quomodo &c. signari debeant.

Idem tamen est stylus, qui *disc. preced.* insinuatus habetur occasione alterius Signaturæ Gratiæ, quod scilicet, ex Prælatis referendariis, duodecim seniores, juxta Præ-
laturæ antianitatem, suum præbent votum; Cum hac 3
differentia inter istam Signaturam Justitiæ, & alteram Gratiæ, quod in ista, votum dictorum Prælatorum non est solum consultivum, ut in illa, sed arctativum, ut Præfectus teneatur illud sequi, adeut pro frequentiori contingentia, ipse non soleat ejus votum proferre, nisi quando, ob votorum scissuram, & inæqualitatem, nulla capi valeat resolutio, quam suum votum cum aliqua præponderantia concludat; Ideoque ubi resolutio jam pro majori parte conclusa sit, nil refert, an ipse diversum habeat sensum, quem proinde prudenter explicare non solet; Bene tamen ejus auctoritas operativa est, quando videat causam non esse bene discussam, seu quod aliqua vota debitam non habeant maturitatem, demandandi dilationem resolutionis ad alteram Congregationem pro maturiori examine, & resolutione, sive adversus jam captam resolutionem
concedere novam audientiam, quæ pro frequentiori stylo 4
pro prima vice negari non solet, & quandoque etiam pluries concedi pro causarum qualitate, seu pro diversis circumstantiis, ideoque desuper regula certa, & generalis statui non potest.

Bene verum, quod cum nova audientia frequenter peti soleat, ad impediendam, seu protrahendam executionem,
seu causæ cursum, cum alterius partis præjudicio, pro ex- 5
pensis, quas pari oporter in causæ repropositione pro honorario Causidici, & pro mercede copistæ, quæ expensæ ex quodam antiquo Curiæ stylo, æstimationem habent in scutis quatuor monetæ, quamvis revera soleant esse longe majores, ut præsertim agatur de causis gravibus, in quibus, ultra causæ Patronum, adhibeatur etiam opera Advocatorum; Idcirco illa Pars, quæ iterum audiri cupit, tenetur facere depositum hujus summæ, ad effectum, ut in casu succumbentiæ, quodque persistatur in jam decisis, illud liberetur alteri Parti pro refectione dictarum expensarum; Verum de facto iste effectus non sequitur, quoniam ex frequentiori, voluntario tamen, non autem necessario stylo, id cedit in emolumentum causæ Patroni, tanquam præmium confirmatæ victoriæ, isto stylo aliquam forte habente probabilitatem, in recompensam plurium laborum, quos causarum Patroni sine mercede, vel honorario facere solent.

Ad Præfectum itaque pertinet, novam audientiam ut supra concedere, ac etiam decernere, quænam causæ, vel com-
missiones dignæ sint judicio plenæ Signaturæ, cui remit- 6
tuntur, concedendo interim usque ad primam, vel respective secundam Congregationem, supersessoriam recurrenti-

rentibus. Non omnes enim commissiones in plena Signatura proponuntur, sed solum illæ, super quibus dubium cadat an admitti, vel rejici mereantur, potissime vero in causis de sui natura summariis, vel executivis, quæ non admittant appellationem suspensivam, cui tamen locum esse debere per appellantem, prætendatur ratione nullitatis, vel injustitiæ, ob quarum unam, vel alteram, recepta propositio est, quod intrat appellatio suspensiva, etiam in caussis de sua natura executivis, seu alias dictam appellationem suspensivam non admittentibus; Ubi etenim agatur de causis, quæ sint de sui natura appellabiles, ad utrunque effectum, adeout desit præfatæ disputationis occasio, tunc signantur commissiones nomine Papæ ab ipso Præfecto in camera; Atque ad hunc effectum, habet quendam sibi assistentem officialem in his materiis valde peritum, qui commissionum Revisor appellatur; Ipse e-
7 nim diligenter revidet commissiones, quæ signandæ Præfecto porrigantur, & quando agnoscat eas esse in causis absque dubio appellabilibus ad utrunque, illas Præfecto proponit; ut cum consueto rescripto signentur, committendo causam in Rota, vel Prælato, aut alteri in partibus pro negotiorum qualitate, ubi vero agnoscat petitionem non esse congruam, eam rejicit; Sive ubi agatur de causis de sui natura executivis, ordinat rescriptum cum clausula præservativa executionis, quæ propterea non impediatur, ideoque peti solet per appellantes judicium plenæ Signaturæ, quod frequentius immediate ab initio peti solet, ad istum circuitum evitandum.

Ob negotiorum vero multiplicitatem Præfectus dictas ejus partes, & præsertim circa concessionem recursus, vel regressus ad plenam Signaturam, cum concessione, vel respective denegatione supersessoriæ, ac etiam super re-
8 vocatione attentatorum, quæ committerentur in spretum supersessoriæ concessæ per Signaturam, vel in spretum recursus ad eam, explicat per ejus Auditorem, qui multa expediat negotia, præsertim circa remissionem causarum ad partes in prima instantia, sive circa Judicis competentiam, & an uni, vel alteri Judici, causa committi, vel remitti debeat, vel ad unum; seu ad alterum Notarium pertineat, cum similibus incidentibus, quæ ad istius Tribunalis determinationem pertinet; Quando vero Partes judicio Auditoris non acquiescunt, recurrunt ad eundemmet Præfectum, quo decernente idem, quod decrevit Auditor, tunc petitur judicium plenæ Signaturæ, quod negari non solet. Negando tamen pro causarum qualitate supersessoriam, cujus concessio, vel denegatio a Præfecti arbitrio pendet; Et quando appellantes non indigeant supersessoria, etiam directe sine hac licentia commissiones parti appellatæ transmittunt in plena Signatura proponendas.

Priusquam vero dicta Congregatio in consueta, vel in alia statuta die sequatur pro hujusmodi commissionum discussione, stylus est, a quibusdam decretis, vel pro-
9 visionibus comprobatus, atque effectus necessarius, quod appellans tenetur, saltem per octo dies antea, transmittere appellato copiam commissionis cum citando ad dicendum causam, quare in prima proxima Signatura proponi non debeat per Prælatum ibi descriptum, illaque commissio signari, juxta petita; Nec non cumulative tenetur, saltim duobus diebus sequentibus, nempe in sabatho, ei facere intimationem qualiter causa omnino proponetur a Prælato, qui in prima citatione enunciatus est, vel ab alio, quem mutare potest, dummodo in hac intimatione eum indicet; Et quatenus his non præcedentibus causa proponatur, absque eo quod altera Pars informet, neque se defendat, tunc habetur pro non proposita, neque resolutio aliquod causare potest præjudicium; Si vero, tam citatio, quam intimatio sequantur, appellans autem non curet causam proponi, tunc tenetur ad expensas factas per appellatum, in informando, in scriptis, & oretenus; Nisi re integra, nempe die dominico, vel saltim die lunæ diluculo aliam fecerit intimationem, qualiter causa non proponetur, istaque disintimatio appellatur.

Etiam nostra ætate, usque ad tempora Alexandri VII.
10 informatio Prælatorum, & Præfecti, fiebat die martis, eademque die de sero distribuebantur informationes in scriptis, adeout (juxta stylum Rotæ, & Cameræ,) una tantum superesset dies intermedia pro studio, eademque dies, juxta eundem stylum, superesset causarum defensoribus respondendi hincinde; Per dicta vero decreta, seu ordinationes, sub præfato Alexandro, cum ob causarum multiplicitatem, una dies pro studio incongrua reputatur, altera adaucta est; Ideoque informationes in voce fiunt die lunæ, eademque die de sero distribuuntur illæ in scriptis, atque die martis fiunt responsiones, unde propterea Prælati majus habent spatium studendi. Id autem compensatum remanere videtur a majori cumulo scripturarum, dum ita una Pars curat videre responsiones datas per alteram, unde fiunt replicationes, etiam geminatæ.

Causarum proponendarum numerus præfinitus non est, eo modo quo in Signatura Gratiæ, sed est major, vel minor, juxta negotiorum contingentias, sive juxta majus,
vel minus intervallum inter unam Signaturam, & alte- 11
ram, quando festa, vel alia impedimenta causent hanc protractionem; Omnesque Prælati non votantes, qui propterea (ad differentia) Referendarii dicuntur, quotquot sint, atque causas habeant proponendas, eas proponere possunt; cum hoc tamen ordine, quod quando Signatura non est interrupta, idest quod hebdomada præcedenti tenta fuerit, proponere non possunt nisi duas causas pro quolibet; quando vero adest interruptio, proponere possunt quoque tertiam, istæque dicuntur causæ intra ordinem; Ubi vero a Patribus requiratur pro aliarum causarum propositione, ut contingere solet in illis Prælatis, quorum bona opinio circa literaturam, & applicationem habeatur, sive generaliter in omnibus, quando ob intermedias vacationes, negotiorum cumulus factus esset, tunc id fieri non potest, nisi de licentia Præfecti, qui concedit, vel negat pro ejus arbitrio, istæque dicuntur causæ extra numerum. Atque ut sciant Prælati Votantes causarum qualitatem, quæ scilicet sint causæ intra, & quæ extra numerum, ac etiam earundem ordinem, quæ scilicet proponendæ sint in primo, & quæ in secundo, vel in tertio, sive ulteriori
turno, qui servatur inter ipsos Referendarios, ut sin- 12
guli unam tantum proponant gradatim; Idcirco servatur, quod Ponens id manu sua adnotet in dorso informationis in scriptis, quæ datur Præfecto, quod scilicet proponat causam in tali die, & tali turno, eademque adnotatio transcribitur in dorso informationum, quæ dantur Votantibus.

Itaque die Jovis de mane, omnes Prælati, tam votantes, quam proponentes, (qui Ponentes dicuntur,) Congregantur in Palatio Præfecti, in quo etiam interveniunt Rotæ decanus, vel Prodecanus; Regens Cancellariæ; Duo Locumtenentes Civiles Auditoris Cameræ. Et Locumtenens civilis Vicarii, tanquam Judices illorum Tribunalium, in quibus, (quatenus pertinet ad causas curiales) illæ tractatæ sunt, seu introductæ, excepto Regente, qui non est Judex, sed ejus interventus justam habet causam, dum juxta superius insinuata, agendo de Cardinali Vicecancellario, ad ipsum tanquam Vicecancellarii substitutum pertinet distribuere Cardina-
libus, vel Prælatis, seu Rotæ Auditoribus, illas commis- 13
siones, quæ per unam, vel alteram Signaturam admittantur, ac signentur.

Sedentibus itaque cum statuto ordine, Præfecto scilicet in capite tabulæ ad id paratæ, & duodecim Prælatis votantibus, dictisque aliis Prælatis officialibus in partibus lateralibus, adeout singuli habeant commoditatem scribendi ea, quæ adnotata videantur. Ille Prælatus qui extra numerum Votantium causam proponit, atque Ponens dicitur, sedendo in fine mensæ e conspectu Præfecti, refert oratoris petitionem, & causæ statum, ac merita, suumque votum
omnium primus profert, quod postmodum proferunt Vo- 14
tantes cum eo ordine, ut junior incipiat, atque Præfectus vota adnotet, ex eorum majori parte concludendo resolutionem, dum etiam votum Ponentis est decisivum, atque sufficit excessus medietatis, etiam in medio voto ad concludendam resolutionem, juxta regulam generalem electionis, aliorumque actuum collegialium; Ubi vero vota sint paria, tunc vel propositio differri solet, quatenus Præfectus pro ejus frequentiori stylo votare nolit, Vel ipse votando concludit resolutionem.

Pene Incredibilis autem videtur istorum Prælatorum la- 15
bor, eorum scilicet, qui tam pro conscientia apud Deum, quam pro existimatione apud homines, suum munus bene peragere velint, quod scilicet prius intra solum spatium unius diei, hodie vero duorum, inspicere, ac mature examinare valeant tot causas, quæ frequenter numerum centesimum excedunt, & inter quas multæ solent esse graves, quæ habent informationes plurium Advocatorum hincinde, pluresque Rotæ decisiones; Ubi præsertim agatur an rescribendum sit de appellatione etiam suspensiva adversus tres

conformes, quæ omnes, vel earum aliquæ sint Rotales, adeout una istarum causarum censenda veniat sufficiens occupatio unius diei. Et tamen, partim per se ipsos, & partim per benevolos, & Confidentes Curiales, qui diligenter inspiciendo omnes informationes, & summaria, cum debita fidelitate in compendio eis referunt facti seriem, & motiva, quæ hincinde deducantur, & de omnibus bene discurrunt, beneque se informatos ostendunt, perinde ac si causam diu tractassent.

Atque præsertim hoc Tribunal me docuit, quam magna sit operatio plurium judiciorum simul congregatorum, in idem, quoniam si consideretur idoneitas singulorum
16 Prælatorum votantium pro consueta collegiorum, vel universitatum conditione, adesse solent aliqui, non multum periti; Et tamen ille verus, juxta axioma, quod plus vident oculi quam oculus; Sive id quod non percipit unus, percipit alter intellectus; Aut ex divino oraculo, quod ubi sint duo, vel tres congregati in nomine meo ibi ego sum, frequenter vidi excogitari motiva, ad quæ in diuturna causæ disputatione, in Rota, vel in alio Tribunali, neque per Advocatos, & Procuratores, cogitatum fuit; Atque prudentissimas, ac ingeniosas prodire resolutiones, quæ in eorum singulis, prorsus incongruæ, ac pene impossibiles videntur.

Tam istum, quam alterum Signaturæ Gratiæ laborem, adeo magnum supportant isti Prælati votantes, gratis omnino, absque ulla, ne quidem minima mercede, vel
17 stipendio, sive litigantium recognitione, suo sumptu in Curia, cum convenienti decore, se subhastando, ipsique Curiæ inserviendo; Quinimo aliqui ex istis Prælatis, qui in Congregatione Consultæ interveniunt in aliis duobus ejusdem hebdomadæ diebus, cumulative, alium magnum habent laborem supra enunciatum, videndi, & referendi processus criminales in dicta Congregatione Consultæ; Et quandoque in eadem hebdomada cumulantur negotia aliarum Congregationum, in quibus interveniant, puta Rituum, & Immunitatis ecclesiasticæ, vel Boni Regiminis, sive aliarum extraordinariarum, & particularium; adeout recte dici valeat, quod major sit labor unius ex his Prælatis, qui ut supra, bene suum officium facere velit, quam cujuslibet primarii nimiumque occupati Advocati, vel Procuratoris; Et tamen est labor mere gratuitus, qui libenter præstatur, illumque præstandi occasio desideratur; Atque in hoc præsertim dignoscitur Papæ Romanæque Curiæ majestas.

Præfecto hujus Signaturæ, non autem alteri Gratiæ, ex antiquo stylo, Camera Apostolica, suo sumptu,
18 præstat stipendium menstruorum scutorum centum auri, eodem modo quo præstat aliquibus Sacrarum Congregationum Præfectis ut supra. Bene verum quod istud emolumentum pene absortum remanere solet ab expensis, tam scilicet pro substentatione Auditoris, quam pro illis recreationibus, quæ ex quadam consuetudine in ejus domo fiunt in illis diebus feriarum, in quibus, extra consuetum ordinem, pro negotiorum urgentia, teneatur Signatura, quæ hoc tempore congregatio appellatur.

Quo vero ad Prælatos, qui in hoc Tribunali interveniunt, illudque constituunt, diseretive ab aliis, qui sint Prælati, sed in ea non interveniunt; Pro mea capacitate, Romanam Curiam assimilare consuevi illis Ecclesiis Cathedralibus, quæ juxta aliquarum regionum pluries alibi enunciatos mores, sint etiam non enumeratæ, ac recepti-
19 tiæ, quod scilicet ultra Dignitates, & Canonicos, in numero præfixo, habeant etiam Clericos, & ministros diversorum statuum & ordinum, nempe; Capellanos; Diaconos, Subdiaconos; Et Clericos; Atque istorum aliqui sint constituti in aliquibus ordinibus minoribus, alii vero prima tonsura solum initiati, ultra eos, qui in aliis muneribus inferioribus, Ecclesiæ servitio addicti sint, quorum aliqui dicuntur oblati, seu juxta aliquarum regionum morem, clerici salvatici. Aliqui vero puri sæculares servientes.

Siquidem, assimilando Papam Episcopo; Cardinales in numero præfinito, sunt Dignitates & Canonici; Patriarchæ vero; Archiepiscopi; Episcopi; Prothonotarii, & Auditores Rotæ; Clerici Cameræ; Præsidentes, & officiales Cancellariæ; Ac utriusque Signaturæ Referendarii, sunt respective de reliquo cætu; Capellanorum scilicet; Diaconorum: Subdiaconorum, & clericorum, qui diversos minores ordines habeant, pro qualitate scilicet ordinum, vel officiorum. Unde propterea utriusque Signaturæ Prælati, qui non sint de dictis Collegiis Rotæ & Cameræ, neque sint ordinis Archiepiscopalis, vel Episcopalis, dicendi videntur clerici in minoribus. Cum hac differentia, quod eorum aliqui habeant alios ordines minores, ut (exempli gr.) sunt Prothonotarii, & Abbreviatores, aliique officiales Cancellariæ, sive aliud habentes officium, quod annexam habeat Prælaturam. Illi vero simplices Referendarii, assimilandi veniunt clericis primæ tonsuræ, qui nullum alium ordinem annexum habeant, cum aliquo munere majori inter eos in eodem servitio Signaturæ, quod scilicet aliqui sunt Votantes, & alii simplices Po- 20
nentes, sed intra idem genus. Ideoque in Signatura non proponunt, neque votant Prælati constituti in ordine Archiepiscopali, vel Episcopali, minusque illi duorum majorum tribunalium, Rotæ scilicet, & Cameræ, sed solum illi qui dicuntur utriusque Signaturæ Referendarii, quamvis aliud munus annexum habeant, ut sunt Prothonotarii, & Prælati de Parco, ac alii habentes aliqua officia, quibus annexa est Prælatura.

Dupliciter autem personæ quæ Curiam sequuntur, constituuntur in ista Prælatura Referendariorum utriusque Signaturæ. Aliqui enim emunt illa officia, quibus ista Prælatura utriusque Signaturæ annexa est. Ut sunt; Auditoratus; Thesaurariatus generalis; Clericatus Cameræ, 21
Prothonotariatus de Collegio participantium. Abbreviatoriæ de Parco majori, Audientiæ confidentiarum, & contradictarum, pluraque alia similia officia, quæ venalia sunt. Non quidem ratione Prælaturæ, vel administrationis, sed ratione emolumenti, ut in Regalium sede latius de eis agendo advertitur.

Aliqui vero, volentes se addicere servitio Sedis Apostolicæ, hanc simplicem Prælaturam utriusque Signaturæ, sine alio officio assumunt ex mera gratia Papæ, qui eos admittere solet, qui certas habeant qualitates ad normam modernæ Constitutionis Alexandri VII. examinandas, & approbandas ab hoc eodem Tribunali Signaturæ Justitiæ, ut exinde per gradus, ad majora munia transeant, adeout recte verificetur dicta assimilatio, quod scilicet ista Prælatura sit illa species adscriptionis cœlesti militiæ, seu vitæ clericali, quæ fiat per assumptionem primæ tonsuræ, tanquam januæ, seu introductionis ad alios ordines majores, ita a pari.

Istamque veritatem comprobavit moderna reformatio Capellæ Pontificiæ sub Alexand. VII. dum in ea locum non habet iste ordo Prælatorum, qui aliud officium non ha- 22
beant; eis vero, qui sunt Votantes, attributus fuit locus & munus Acolytorum. Alii vero simplices Referendarii ad quasdam functiones assumi solent, puta deferendi hastas palii, seu baldacchini Papæ in processionibus, & similia, sine loco in Capella.

Reliquis vero Curialibus togatis, nempe Advocatis, & Procuratoribus, ac aliis sub Curialium togatorum sede inferius recensitis, qui Prælatura non polleant, congruit dicta assimilatio aliorum inferiorum inservientium Eccle- 23
siæ, quoniam isti sunt servientes Curiæ.

Quod autem dictum est, ut constituti in ordine Episcopali, vel Clerici Cameræ non interveniant in Signatura, procedit in ista Justitiæ, non autem in altera Gratiæ, in 24
qua antiqui Prælati, qui non habeant onus residentiæ, quamvis sint Episcopi titulares, assumunt hoc munus Votantium, non autem Ponentium, idemque faciunt Clerici Cameræ, cum quorum officio istud munus est compatibile, non autem cum illo Auditorum Rotæ, ut praxis docet.

In isto autem Tribunali, ut supra congregato, majores disputationes cadunt super modo rescribendi in illis commissionibus appellationis, vel restitutionis in integrum, quæ porriguntur in causis, in quibus regulariter non intret appellatio, saltem ad effectum suspensivum, dum, (ut præmissum est) commissiones in causis appellabilibus, non proponuntur in plena Signatura.

Stante siquidem superius insinuata propositione, quæ 25
theorice, & practice vera est, & recepta, ut etiam in causis quæ sint de sui natura executivæ, seu quod alias non admittant appellationem suspensivam, ista inter ratione injustitiæ, vel nullitatis, quamvis etiam agatur de re judicata, vel de tribus conformibus, cum sententia injusta, vel nulla nunquam transeat in judicatum, atque id quod dicitur de tribus conformibus, intelligendum est de validis, & justis, cum sententiæ nullæ, vel injustæ, neque sententiarum nomen mereantur. *b*

Hinc proinde, per succumbentes adiri solet Signatura, atque deducendo formiter omnia, quæ respiciunt justitiam, & merita negotii principalis, ita conantur probare quod com-

commissio appellationis est signanda, etiam ad effectum suspensivum, vel cum clausula translativa executionis, super quo succumbentium partes versari solent.

26 Varius autem est modus rescribendi, pro diversa causarum natura, seu qualitate; Ut etenim ratione injustitiæ claræ, vel nullitatis, credit Signatura quod appellatio simpliciter intret, ideoque ita simpliciter rescribit, tunc notabilis resultat effectus appellationi præjudicialis, non solum quia suspenditur futura executio, quæ ab eo desideratur, sed etiam quia retractanda est tanquam attentata illa executio, quæ facta sit, cum ista rescripti species habeat oculos retro, seu vim retroactivam, dum ita declaratur causa de sui natura appellabilis. c

27 Ubi vero e converso credatur quod appellatio frivola sit, sed quod alias nullatenus admittenda veniat, neque in devolutivo, ad tollendam occasionem indebitæ desarigationis victoris; Ut (ex. gr.) contingit in tribus conformibus, vel in re judicata, vel alia simili, adeout dignoscatur, appellationem etiam in devolutivo non intrare; Tunc, si agatur de commissione, quæ proponatur ex parte appellantis, ea rejicitur, respondendo cum consueto verbo *nihil*; Et si appellans curavit clandestine, sive, ut vulgo dicitur, sub banca, causam appellationis committi sub tali palliata narrativa, quod Revisorem de quo supra deceperit, seu quod iste ad id non adverterit, tunc rescribi solet de laceratione, ut habeatur, perinde ac signata non esset.

28 Quando vero credatur locum esse appellationi in solo devolutivo, adeout non impediatur executio, tunc duplex est rescribendi modus; Unus scilicet, per quem præservata quidem remaneat jurisdictio Judicis a quo, exequendi ejus sententiam, vel decretum, non tamen impediatur appellans prosequi causam appellationis, sive non impediatur Judex ad quem in ea procedere; Et alter est modus, per quem ita executio præcise, atque pro conditione præservetur, ut alias impediatur appellans causam appellationis prosequi, atque Judex ad quem carere dicatur jurisdictione; Ideoque notabilis differentia est inter unum scribendi modum, & alterum.

29 Primus modus concipi solet cum clausula *sine præjudicio legitimæ executionis*; vel *sine præjudicio mandati de manutenendo &c.* aut *sine præjudicio trium conformium*; vel *sine præjudicio immissionis*, cum similibus; Et tunc præservatur executio facienda, ac etiam canonizatur jam facta, ut ad ulteriorem consummationem procedi valeat, sed id non impedit interim prosecutionem appellationis ut supra; Et hic est modus rescribendi in causis pecuniariis, aliisque indifferentibus, in quibus actum sit in vim obligationis cameralis, vel alterius processus de sui natura executivi; Sive summariissimi possessorii retinendæ; Aut quod agatur de decreto provisionali, cum similibus, de quibus in sua judiciorum sede.

Alter vero modus concipi solet in forma ablativi absoluti, vel in alia æquipollenti, quæ redoleat conditionem suspensivam, sub cujus prævio implemento causa commissa dicatur; Puta (ubi præsertim agatur de pensionibus Ecclesiasticis,) est clausula *non retardata solutione*; Aut (ubi agatur de re judicata) est clausula *parito judicato*; Sive (ubi de executione literarum Apostolicarum) est clausula *parito literis*, vel *parito Brevi*; Aut ubi agatur de attentatis, vel de spolio violento, est clausula *purgatis attentatis*, vel *purgato spolio &c.* Sive ubi de administratione alimentorum, vel de alia refectione, est clausula *subministratis*, vel clausula *refectis &c.* cum similibus; Et tunc id importat conditionem, quæ prius adimplenda est, adeout Judex non habeat jurisdictionem, nisi id prius impleatur, cum ista sint natura ablativi absoluti puri.

30 Quandoque vero inter hæc extrema datur medium, quod etiam *disc. præcedenti* insinuatum est, quia nempe Signatura reputet causam turbidam, unde propterea in ambiguo sit; Ita enim reputando punctum maturiori discussione dignum coram Judice ad quem, abstinet a rescripto *de appellatione simpliciter*, ne causam appellabilem declaret, ob gravia præjudicia exinde resultantia ut supra; Verum abstinet quoque ab alio rescripto præservativo executionis; Ideoque mediam viam tenet, per quam consultum quidem remanet appellanti, ne tunc patiatur executionem, sed consultum quoque sit appellationi, ne futuræ executioni, quatenus illi de jure locus esse debeat, præjudicatum remaneat; Unde propterea, quando agatur de causis pecuniariis, vel aliis indifferentibus, in quibus, cessante turbiditate, rescribi solet de clausula *sine præjudicio*, rescribitur cum clausula *si quid exequendum*; Ita scilicet rescribendo Judici ad quem, ut si quid exequendum de jure credat, exequatur, sin minus appellationis causam cognoscat; Hujusque clausulæ virtus est nimium considerabilis, quod scilicet non solum præservata remaneat facultas exequendi sententiam, vel decretum a quo appellatum sit, sed etiam præservet competentiam processus executivi in genere; Adeout si illa sententia, vel decretum, ratione alicujus nullitatis, vel excessus, non mereatur executionem, bene tamen ipsa causa sit executiva, per istam clausulam concedi potest mandatum executivum ex integro, tanquam in prima. e

Sive ubi agatur de mandato de manutenendo rescribi solet *cum facultate manutenendi quem de jure*: Vel ubi de tribus conformibus, rescribitur cum clausula *constito de tribus*, quæ exequi mereantur: Et quando vigeat Statutum, per quod duæ conformes habeant vim trium, rescribitur *constito quod sit locus Statuto de duabus*: Aut ubi agatur de interdictis possessoriis adipiscendæ, vel recuperandæ, in quibus, ubi agatur de causis Status Ecclesiastici immediati, inter laicos absque mixtura personarum, vel bonorum Ecclesiasticorum, in vim Constitutionis Ægidianæ innovantis dispositionem juris civilis, ac removentis obstaculum juris canonici, sublata est appellatio suspensiva: Unde propterea, cessante turbiditate, in vim hujus Ægidianæ rescribitur de directa clausula *sine præjudicio*: Attamen quando turbiditas exigat, rescribitur de clausula *constito quod sit locus Ægidianæ*, cum similibus. 31

Et quando agatur de illis causis, in quibus ut supra, contra appellantem magis rigorose rescribi solet, per ablativum absolutum, adeout executio, vel implementum præcedere debeat, tum rescribitur cum clausula *arbitrio*, nempe *parito literis arbitrio*, vel *parito judicato arbitrio*, vel *refectionis arbitrio &c.* Istaque dicitur clausula translativa executionis, donec Judex ad quem cognoscat, ac Judicet, an pro retardatione intretne arbitrio, quod regulandum est a jure, & sic a justitia, vel injustitia; Unde propterea, tam in ista, quam in aliis præcedentibus clausulis, quæ sint quidem translativæ executionis, sed sint præservativæ processus executivi, assumi solent ex integra disputationis, etiam in meritis. 32

Super hujusmodi mixtarum clausularum virtute, vel operatione, contentio vigere consuevit inter Signaturam, & Rotam, ac etiam ipsamet Rota variare solita est, an scilicet operetur eandem vim retroactivam, de qua supra, adeout non solum impediat executionem faciendam, sed etiam retractet jam factam, vel potius operetur in futurum tantum, id faciendo punctum, seu impediendo in statu, & terminis: Rota enim sequi consuevit primam magis rigorosam opinionem retroactionis: Signatura vero posteriorem, atque super hujus opinionis defensione circumfertur votum Magistri mei Andosillæ Signaturæ Decani, ac prius ingeniosissimi ac primarii Advocati: Istaque posterior opinio, non solum mihi semper visa est probabilior, sed magis recepta est in Curia, quoniam hæc materia pendet a judicio Signaturæ, quomodo scilicet causam committere voluerit, ideirco ejusdem Signaturæ sensibus deferendum est: Ac etiam quia de attentatorum vitio redargui non debet appellatus, vel Judex a quo, dum ex regulari natura causæ juste credidi ad executionem devenire potuisse. 33

Quia vero aliquando, de tempore quo causa proponitur in Signatura, executio est cœpta, non tamen adhuc perfecte consumpta; Tum rescribi solet cum clausula *alteri qui ad ulteriorem executionem*; Sive cum clausula *alteri, qui ad legitimam*; Istaque clausula quoque adjici solet, quando etiam Judex ad quem opinatus fuerit, ac decreverit, locum esse executioni sententiæ, vel decreti Judicis a quo, adhuc tamen Signatura dubitet, quod quandoque pluries reiterari solet, quando præsertim inter Rotam, & Signaturam oriatur opinionum dissonantia, ut quodlibet Tribunal suam opinionem sustinere velit, adeout inter hæc Tribunalia quædam antiqua, & connaturalis (virtuosa tamen & literaria) æmulatio dignosci videatur. 34

In eadem quoque prima instantia, de modo rescribendi, seu de modo reformandi commissionem, in Signatura disputari solet; Quia nempe, ille, qui in substantia sit Reus, in ordine se faciat Actorem in eo judicio, quod diffamationis vel jactationis dicitur, seu alias, curaverit committi causam in Rota, vel coram alio Judice, super negotio principali, unde propterea ille, qui vere est actor sit præventus, quoties lacerationi commissionis, ratione 35

incom-

incompetentiæ Judicis, locus non sit, ut infra, neque illum Judicem recuset, adire solet Signaturam cum alia commissione, quæ præinserta dicitur petendo rescribi eidem, perinde ac si prima commissio signata esset, cum clausula præservativa executionis obligationis cameralis, seu literarum Apostolicarum, vel alterius processus executivi, qui remanet ita præservatus.

Idemque in commissione appellationis, quam simpliciter obtinuerit, quoniam ex parte appellati porrigi solet altera commissio, quæ præinserta dicitur, obtinendo rescribi super reformatione primæ commissionis, ut censeatur perinde ac si esset signata cum clausula *sine præjudicio*, vel cum clausula *paritio*; vel *purgatis*, seu *refectis*, & simili.

36 Procedunt hæc, quando agatur de causis Rotalibus, vel etiam Prælatitiis, in quibus procedatur per viam delegationis, seu commissionis; Ubi vero agatur de causis introductis coram Judice ordinario appellationis, qualis in Curia est Auditor Cameræ, in causis extra Curiam, ut infra in ejus Rubrica advertitur, adeout per ipsum data fuerit consueta citatio cum inhibitione, per quam effectus suspensivus quoque resultet; Tunc eo renuente suam inhibitionem moderari, adiri solet Signatura, ut mandet Judici inhibenti, quod suam moderetur inhibitionem ad effectum suspensivum, firma remanente causa in devolutivo.

37 Atque si casus præbeat, quod sententia, vel decretum Judicis a quo, contineat injustitiam, vel excessum in parte, sive quod in parte causa videatur clara, & in parte turbida; Tunc licet de stricta juris censura intrare debeat appellatio in totum, quoties sententia concepta non sit per capita separata, sed unica structura verborum, cum ratione individuitatis, & regula, quod una & eadem res diverso jure censeri non debet, appellabilitas in parte, influat in totum. *g* Adhuc tamen, ex commendabili hujus Tribunalis stylo, neglectis hujusmodi leguleicis rigoribus, præservatur executio in parte debita, vel clara, quoties subjecta materia patiatur hanc divisionem, rescribitur autem de appellatione in parte turbida; Puta pro frequentiori praxi, in Regni Neapolitani Curiis inferioribus vigere solet stylus revera erroneus, qui etiam praxi illius S. Consilii est contrarius, admittendi ex abrupto executionem pacti rescissorii in contractu censuali, ob non solutionem aliquorum terminorum fructuum; unde propterea relaxari solent mandata executiva pro sorte & fructibus, quoniam licet de jure appellatio in totum intrare deberet, attamen rescribi solet cum clausula *sine præjudicio quoad fructus*; Sive ubi mandatum sit pro aliqua summa, cujus pars videatur liquida, altera vero illiquida, vel turbida, tunc rescribi solet de clausula *sine præjudicio in parte*, & in alia parte, de clausula translativa.

Quinimo licet idem stylus prius procederet, solum re integra, priusquam scilicet ad executionem deventum esset, cum isto casu magis communiter receptæ propositiones doceant, ut excessus quamvis modicus vitiet totum; Adhuc tamen ab aliquo moderno tempore, (& quidem pro meo sensu commendabiliter,) sustineri consuevit executio pro summa debita & liquida, rescribendo pro ejus præservatione, quoniam debemus, quo magis fieri potest, recedere a quibusdam rigorosis, & judaicis rigoribus legalibus, atque adhærere naturali veritati, resecando calumnias, quorum fomentum legales rigores esse solent.

In causis quoque de sui natura sine dubio appellabilibus,
38 & quæ signari solent a Præfecto in aula, sive ut dicitur sub banca ut supra; Adhuc disputari solet in plena Signatura, ad instantiam appellati, quando ageretur de sententia absolutoria debitoris, vel alterius Rei, ob præjudicium vulnerationis viæ executivæ, quæ a tali sententia resultat, quoties debiti, vel actionis substantiam, non autem solum ordinem, vel incidentia percutiat, ut in sua sede advertitur. *h* Quoniam, ut creditor evitet hoc præjudicium, recurrere solet ad plenam Signaturam, ut per explicitam, vel implicitam, ac virtualem dictæ sententiæ circumscriptionem, causarum judici tanquam in prima committat ex integro, adeout possit dictus judex ad quem procedere in processu executivo, quatenus agnoscat quod absolutoria injuste data sit; Verum id raro concedi solet, nisi de nullitate, vel injustitia constet, quo casu, neque necessarium est Signaturæ rescriptum, cum de jure ex hac specie sententiæ vulneratio non sequatur. *i* Adhuc tamen desuper dari non potest regula certa, cum pene tota materia hujus Tribunalis arbitraria videatur, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis.

39 Opinatur vulgus illorum Practicorum, qui nihil scientes a priori, totum sciunt per praxim, ac per traditiones ideoque, ut dicere soleo, sunt testes de auditu, non autem de visu, ut ad hunc effectum sufficiat communicatio facultatum Auditoris Cameræ, atque super hac petitione, magnas vidi fieri, ac etiam feci disputationes; Verum istud est æquivocum clarum, quoniam communicatio hujusmodi facultatum ideo fieri solet, eo quia in Curia, ubi præsertim agatur de executione obligationis cameralis, Auditor Cameræ procedit executive cum privativa, dum in facultatibus habet quoque ita procedendi, juxta unam opinionem etiam cum privativa inter mercatores, & negotiantes, & in omnibus illis casibus, in quibus in loco contractus, sive in foro debitoris, ex legibus, vel stylis particularibus ita procedi potest, ut infra in ejus particulari rubrica advertitur; *l* ideoque præsertim Tribunal Rotæ, quoties non accedat hujusmodi facultatum explicita communicatio, sive illa implicita, quæ resultat a supra enunciatis clausulis, *Si quid exequendum*, vel *Qui ad legitimam*, non adhibet processum executivum; Et per consequens cum devoluta causa per appellationem a dicta sententia absolutoria lata in dicto Tribunali Auditoris Cameræ, vel per alium ordinarium Judicem primæ Instantiæ, verificari soleat casus; quod talis sententia non producat dictum effectum vulnerativum; Vel quia sit nulla, seu notorie injusta, adeout habenda sit pro non extante; Vel quia non tangat substantiam contractus, vel debiti, sed potius ordinatoria, aliaque incidentia, unde propterea integrum sit creditori petendi debitum in judicio executivo, quod ab hoc Tribunali jure suo non exercetur; Hinc proinde congrua, imo necessaria est ista communicatio; Non tamen exinde inferri potest ad circumscriptionem sententiæ, quodque sanaretur vulnus, quod de jure ab ea sententia illatum sit, sed intelliguntur communicatæ facultates sub implicita conditione, seu clausula *quatenus de jure intrent*, quod quandoque in eodem rescripto exprimi solet, sed ubi non exprimatur, subintelligendum est, ex generali propositione superius insinuata, quod scilicet rescripta Signaturæ Justitiæ intelligenda sunt prout de jure, cum ipsa non habeat facultatem dispensandi vel derogandi legibus, idque reservatum sit Signaturæ Gratiæ. *m*

40 Bene verum quod pro meo sensu de facili ad hunc effectum ista commissio ex integro concedenda est, sive de facili Rota opinari debet, quod injustitia sit adeo malignantis naturæ, ut tollat hujusmodi sententiis absolutoriis hanc operationem, cum istæ sint subtilitates, & cabalæ legales, pro inanibus circuitibus, atque pro defatigando creditores, & confovendo calumnias, ac subterfugia debitorum.

41 Ideoque mihi semper arrisit modernus stylus hujus Tribunalis, cujus auctor, & magister revera fuit dictus magister meus Andesilla, effugiendi quo magis fieri potest subjectionem hujusmodi superstitionum, ac formalitatum legalium.

42 Idemque fuit auctor alterius praxis, quæ hodie habetur, me illam sibi suggerente, abbreviandi appellantibus fatalia, quæ in causis extra Curiam de jure canonico sunt biennii, saltim juxta antiquam praxim, ut scilicet elapso anno, procederetur ad præfixionem termini, ideoque cum eadem proportione, cum in Curia sit unius anni tantum, ut de hac differentia habetur *sub tit. de judic.* in rubrica appellationum, abbreviari deberet per sex menses, ac etiam forte minus pro causarum qualitate, resecando quo magis fieri potest calumnias, & subterfugia. *n*

43 Eodem modo quo hodie commendabiliter Romana Curia, (excepto vere damnabili stylo fori Capitolini,) negligit omnes nullitates, quæ ex rigoroso ordine judiciario resultent, exceptis nisi substantialibus, jurisdictionis, citationis, & mandati, *ut in eodem tit. de Jud.* in Rubrica nullitatum advertitur.

44 Quandoque ubi recurratur ad Signaturam, adversus mandata relaxata per decreta interlocutoria, a quibus integrum sit reponere, abstinere solet a rescribendo de appellatione, sed oretenus injungit Judicibus ibi præsentibus, quod iterum Partes audiant, cum ita Judices, audito sensu Signaturæ, sive cum ea discussione melius dilucidata causa, soleant reponere, vel reformare, idque nimium commendabiliter quidem, ut resecentur circuitus, ac sumptus, quos prosecutio appellationis producit; Ex eodem quoque laudabili fine quandoque dando provisiones circa ordinatoria, vel alia incidentia, puta circa admissiones articulorum, vel similia, abstinendo a commissione appellationis, quæ de jure occasione gravaminis etiam in incidenti, totam causam traheret; Cum similibus incidentibus,

dentibus,

dentibus, & provisionibus circa ea, in quibus una Partium se gravatam credat a Judice, unde propterea recurrat ad hoc Tribunal, quod in hac parte Vicarium munus, Papæ gerit.

45 Ac etiam, quando videatur, quod causæ turbiditas exigat commissionem cum clausula suspensiva, seu translativa executionis, dignoscatur tamen, quod hæc mora præjudicium irreparabile appellato causare valeat; Ita utrique consulendo, demandare solet sequestrum provisionale, de quo eodem *tit. de judic.* in ejus particulari rubrica *num.* a. Sive alia capi solet opportuna provisio pro causæ qualitate.

46 Quando autem dici mereatur causa turbida, adeout rescribendum sit de clausula suspensiva, vel translativa executionis; Impossibile est certam statuere regulam generalem, cuicunque casui applicabilem; Tum quia totum pendet a singulorum casuum particularibus circumstantiis; Tum etiam ob varium Tribunalis stylum, juxta varietatem sensuum, vel intellectum eorum, qui pro tempore in eo sedent; Et ex qua ratione generaliter sequitur, quod hujus Tribunalis styli sint varii, atque in dies mutentur, ideoque regula certa statui non valeat; Quandoque siquidem procedi solet cum sensu, ut causæ turbiditas, vel altior indagatio præbere debeat auditum commissioni, cum clausula suspensiva, vel translativa; Unde propterea captiosi appellantium defensores (quibus forensium Cabularum titulus recte congruit statuere) solent artificiose facti seriem involvere, multaque motiva, etiam non vera cumulare, vel ea, quæ vera sunt, alterare, ut ita causa videatur involuta, & commissione digna, cum impossibile sit, in tam brevi spatio, & cum tanta causarum multitudine, ut omnia mature examinari valeant (adeout pro meo sensu portentosum videatur id quod agitur;) Alio vero tem-
47 pore, (atque pro meo sensu probabilius) id retorqueri solet, quoniam quando causa est de sui natura executiva non admittens appellationem suspensivam, atque Judex coram quo discussa fuit, rejecit exceptiones a debitore deductas, tunc *præsumptio* potius assistere debet judicato, ac propterea turbiditas debet esse causa, ut procedatur cum regula, non autem cum limitatione; Ideoque prima opinio erronea potius videtur, potissime vero ubi agitur de causis concernentibus commercium ut (ex. gr.) sunt illæ literarum cambii, vel illarum parvarum apodissarum, quæ *pagherò* vulgo dicuntur, sive assecurationis mercium, aut pro pretio mercium, quod mercantili more prompte solvendum est, cum Reipublicæ nimium intersit, atque proficua sit celer ac summaria justitia, more fori mercatorum pro libertate ac facilitate commercii.

48 De fori competentia, vel judicis qualitate, frequenter quoque in hoc Tribunali disputari solet; Ut puta super remissione causarum ad partes locorum Ordinariis, attenta prima instantia, & an suffragentur privilegia, quæ desuper pro hujus regulæ limitatione deduci solent ratione miserabilitatis personæ, an ratione Eugenianæ, sive ob illam fori electionem, quam tribuat obligatio cameralis, vel alia conventio, cum similibus, quæ fori competentiam in ipsa prima instantia concernant; Aut quod causa ob ejus gravitatem debeat esse curialis, cum similibus; Sive in gradu appellationis, an causa committi debeat in Curia, vel in partibus, quia exigua sit; Aut in eadem Curia, an in Rota, vel Prælato, quia nempe valor causæ non excedat summam scutorum 500. Ideoque non sit Rotalis, quando de profanis agitur; Aut quando de beneficialibus, quod beneficii valor non excedat ducatos 24. quoties non sit beneficium qualificatum, quod propterea ratione qualitatis, non autem valoris sit causa Rotalis, ut puta in primis dignitatibus; Sive quod etiam in profanis, dictum valorem non habentibus, agatur de servitutibus, vel de præeminentiis, aut aliis præjudiciis perpetuis habentibus tractum successivum, cum similibus, cum quibus frequenter disputare contingit, an ad unum, vel ad alium Judicem causa pertineat, tam in secunda instantia, quam etiam in prima, quando ita exigat plurium causarum connexio, vel præjudicialitas; Puta super concursibus creditorum, sive quod agatur de hæreditate habente bona in diversis locis, aut quod plurium personarum diversi fori mixtura contingat, juxta illas quæstiones, de quibus habetur in sede terum jurisdictionalium, & competentia fori.

Vel ubi accedat quæstio præjudicialitatis sive mixtura utriusque judicii civilis, & criminalis, unde propterea oriatur quæstio præventionis, sive utrum unus Judex alteri inhibere debeat, ut expectet exitum causæ, quæ coram eo pendeat; Et in summa omnia ea quæ judiciorum cursum concernunt. *n*

49 Et quamvis ad hoc Tribunal quoque pertineat decidere super justitia, vel injustitia recusationis Judicis, ex capite suspicionis; attamen, ut alibi pluries advertitur, ex nimium commendabili Curiæ stylo, nimium raro hujusmodi quæstiones audiuntur, dum ipsi Judices, audiendo quod una Partium aliquam habeat diffidentiam, libenter abstinent, etiam quando ad juris rigorem non essent recusabiles; Idque provenit a magna integritate, ac omnimoda absentia sordidum, adeout judicia non convertantur in mercaturas, & telonia; Et per consequens libenter effugitur illa judicandi occasio, quæ nullum præbeat emolumentum, sed solum laborem, & incommoda.

50 Ab aliquo moderno tempore, sub Pontificatu scilicet Innocentii X. inolevit usus, quod recursus a gravaminibus in causis criminalibus, habentur ad solum Præfectum, qui per se ipsum, vel per ejus Auditorem de illis cognoscit, ac providet, quasi quod non congruat causis criminalibus publicitas Signaturæ plenæ; Cum aliis pluribus, de quibus in hoc Tribunali agi contingit, quia pene impossibile est omnia recensere, ideoque lector his sit contentus, dum alia apud practicantes perquirere poterit.

51 Inter illas autem causas, ob quas rescribi solet de clausula suspensiva, vel translativa, etiam ubi regulariter appellatio non interet, reputari solet diuturnitas temporis; Ut præsertim in materia pensionum Ecclesiasticarum praxis docere solet, quando non contra eundem, sed contra successorem agatur, juxta distinctionem, de qua in particulari pensionum sede. *o*

52 Sive ubi de illo summario, & executivo judicio possessorio retinendæ, vel integrandæ agatur, quod concessum sit adversus factum Judicis, quod spoliativum ratione claræ injustitiæ supponatur, juxta ea quæ in sede judiciorum in hujusmodi remediorum rubrica habentur, quoniam cum agatur de causa judiciorum hinc inde, congruum reputari solet alterum judicium tertii; Quod tamen non semper est firmum pro causarum qualitate, vel Tribunalis arbitrio, sed est frequentius. *p*

53 Quamvis autem ista Prælatura in iis præsertim, qui sunt Votantes, adeo magnum præferat laborem, & Curiæ servitium; attamen (ut præmissum est) iste labor, sive ipsa Prælatura nullum præbet emolumentum bursale, sed potius optabilem sumptum in se sustentando cum convenienti decore; Et quod magis est, non magni haberi solet, pro assumptione ad primarias dignitates, quoties alterius muneris ratio non exigat; Res quidem aliena admiratione digna; Tales sunt Curiarum styli, unde propterea ista species adeo laboriosæ Prælaturæ æqualis pene videtur fortunæ alterius laboriosæ vitæ Advocatorum; Aliqua tamen istorum meliori conditione circa commodum bursale.

54 Quamplura Curiæ Tribunalia huic Tribunali Signaturæ non subjacent, ut sunt omnes Congregationes Cardinalium supra recensitæ, Congregationes Baronum, & montium, Tribunal Cameræ, Camerarius, Thesaurarius, Præsidentes Annonæ, Grasciæ, Dohanarum, Riparum, Zecchæ, Archivii, & Vicarium, ac similes, utpote Cameræ subordinati. Ac etiam Curia Capitolii, Archipresbyteri Basilicarum Patriarchalium; Aliique Protectores, & Judices particulares piorum locorum; Nec non Cardinales, quibus non diriguntur commissiones, nisi signatæ manu Papæ; Omnesque alii Judices, quibus eadem commissio signata manu Papæ directa sit; Bene tamen omnia hæc, & alia similia Tribunalia exempta ab ista Signatura Justitiæ, subjacent alteri Signaturæ Gratiæ.

Inter istos Referendarios, & Generales Religionum indecisa pendet quæstio præcedentiæ; in favore Prælatorum aliquas facere annotationes occasio dedit, de quibus in titulo forte de materia præeminentiarum agendum erit.

a *tit. de Regal. dis.* 2. b *tit. de jurisd. disc.* 37. & 38.
c *dicto disc.* 37. d Bich. *disc.* 520. & Greg. *add. dec.* 36. & 492. *dec.* 322. *p.* 12. *rec.* & *passim*.
e Bich. *dec.* 574. *in fin.* Cels. *dec.* 92. & *passim cum sit receptum*, & *quotidianum*.
g *sub tit. de judic. in Rubrica appellationis*, *dec.* 37.
h *tit. de judic. in Rubrica judicii*, *vel processus executivi*, *disc.* 24.
i *proxime supra*, & *tit. de credito*, *disc.* 117.
l *infra*, *disc.* 24. in Coccin. *dec.* 78. *dicto disc.* 117. *de credito*, & *tit. de jud. dicto disc.* 42. *in quo agitur de processu executivo*.
m *tit. de judiciis*, *decis.* 37. n a. *tit. de judic. disc.* 13.
o *de his tit. de judic. disc.* 13. & *tit. de jurisd. pluries*.
p *tit. de pension. disc.* 67.
q *tit. de judiciis*, *disc.* 44.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *De provisionibus captis pro recta administratione in Tribunali Signaturæ Justitiæ.*
2 *De quæstione præcedentiæ inter Votantes, & Prælatos junctos loco absentium.*
3 *Supplentes vices absentium an possint dici coadjutores? & de ratione.*
4 *Signatura Justitiæ tenenda esset in qualibet hebdomada, non curato impedimento alicujus festivitatis.*
5 *Ejus rescripta non dicuntur acta judicialia.*

ANNOT. AD DISC. XXXI.

1 INter primas provisiones, quæ istius Pontificatus initio pro justitiæ cursu, rectaque administratione factæ fuerunt, fuit illa super hoc Tribunali, ut solitum haberet Prælatorum numerum votantium, atque causæ plenis votis examinentur, & resolvantur; Cum etenim adinstar pene omnium aliarum rerum, istud quoque Tribunal pene derelictum esset, adeout frequentius non nisi ex tribus, vel quatuor votantibus constitueretur, atque aliquando etiam ob istius numeri deficientiam, quia nonnisi duo adessent, opus fuit dimittere, ac non tenere signaturam; Idcirco mihi visum est (Sanctissimo approbante) providere quod deputarentur aliqui Prælati Referendarii ex antiquioribus, & qui magis proximi essent, occupandi locum votantium in casu vacationis, qui supplerent vices, ac partes absentium in votando, tanquam per quandam speciem coadjutorum, idque produxit bonum effectum, non solum in eo quod Signatura teneretur plenis votis, sed etiam quod votantes non de facili sibi licentiam assumerent absque legitimo impedimento non interveniendi, ut prius sequebatur.

2 Id autem quandam præcedentiæ quæstionem produxit inter aliquos ex istis adjunctis Prælatis, quoniam cum in dicta prima provisione unus antiquior ex quibusdam non improbabilibus causis ab hoc munere se excusasset, unde subintrarent alii juniores, postmodum vero ob aliquorum Votantium impedimentum ipse opus assumpsisset, exorta est quæstio præcedentiæ, dum iste de novo assumptus prætendebat attendi debere antianitatem Prælaturæ, alii vero quod attendenda veniret præoccupatio in sedendo; Quare per Sanctissimum remissa decisione puncti eidem Tribunali, tanquam de ejus stylis melius informato, prodiit resolutio, non tamen sine aliqua discrepantia, ad favorem Prælati antiquioris, licet recentius sedentis, quasi quod nullus in eis adesse dicatur titulus in munere, unde propterea præcedentia regulanda esset ex tempore admissionis, juxta ea quæ in consimili quæstione deducta habentur apud Capyc. Latr. *consult.* 43.

3 Cumque per alios prius admissos, sive per scribentes pro eis adhiberentur termini Coadjutorum, & supranumerariorum, idcirco ex parte Tribunalis, sive Cardinalis Præfecti requisitus fui ad declarandum quem titulum isti haberent; Respondi vero, incongrue adhiberi terminum Coadjutoris, cum iste detur personæ certæ cum futura successione, & subintratione in illud officium, vel beneficium, quod ab ea persona obtinentur, quod in præsenti dici non potest, quoniam isti supplentes partes, & vices absentium, quandoque supplent vices unius, & quandoque alterius, minusque intrare videbatur terminus supranumerarii, dum solitus numerus duodenarius non augebatur, juxta ea quæ de Canonicis supranumerariis habentur *sub tit. de Canon. & Cap. disc.* 6. sed solum quod tanquam proxime expectantes locum in votando ita tanquam Vicarii, vel substituti accidentaliter, & varie, & quando necessitas postularet, vicario quodam jure supplerent absentium partes; Unde propterea nullus adesse diceretur titulus in officio.

Istius etiam Tribunalis facultates ampliare, seu respective neglectas restituere curavi juxta ea, quæ habentur *disc.* 47. *de judic.* ad quem relatio sufficiet, ne superflue idem repetatur; Id autem non ex aliqua affectione erga ipsum Tribunal, ut aliqui male opinabantur, sed ex zelo administrationis justitiæ, & ne istius cursus impediatur, ut ibidem advertitur.

Ad eundem vero finem celerioris cursus justitiæ cuperem
4 immutari etiam stylum hucusque tentum servandi ferias, quod scilicet quando in die Jovis contingit aliquod festum, Signatura differtur ad aliam hebdomadam, & quandoque ad duas, vel tres, quando festorum contingentia ita exigebat, quod aliquam justitiæ retardationem producit ob facultatem concedendi supersessorias, vel novas audientias, quodque propterea semper, & inconcusse teneri deberet in qualibet hebdomada, non curato impedimento festi, eodem modo quo practicat Congregatio Consultæ, quod ea tenetur bis in hebdomada in diebus martis, & veneris, isto neglecto impedimento; Et merito quoniam rescripta non sunt acta judicialia, adeout fieri oporteat in diebus juridicis non feriatis, sed sunt extrajudicialia; Ex hoc etenim duos resultare advertebam bonos effectus; Primo nempe, quod ita celerior esset justitiæ cursus, atque occurreretur calumniis, ac subterfugiis eorum, qui ad aliquod dandum, vel faciendum sunt condemnati; Et secundo, quod non fieret adeo magnus causarum cumulus cum quadam impossibilitate eas attente videndi, atque maturum judicium efformandi, sed esset numerus moderatus, & aptus, ut attente causæ possent examinari.

Et quoniam, in discursu insinuatum est, quod ab aliquo 5
tempore istud Tribunal, cum præsupposito quod repræsentaret Principem supremum, ejusque vice, ac nomine rescriberet, fimbrias nimium dilatare cœpit, atque judicare more Principis, quod non solet facere Signatura Gratiæ, cui revera id reservatum est, idcirco in hoc, in quo sunt partes Auditoris Papæ, invigilare consuevi, atque ubi aliquis ex his casibus ad meam advenit notitiam, opportunas dedi provisiones, ut præsertim contingit in casu, de quo agitur *sub tit. de benef. disc.* 144. ubi videndum est de ratione, & in plerisque aliis similibus; Ad Papam namque invigilare pertinet, ut judices bene suum expleant munus, quia vero hic ob majestatem dignitatis, aliasque magnas occupationes his vacare non potest, idcirco esse debet onus ejus Auditoris, qui id negligendo male se gerere dicitur, atque invigilando, indebite judices, & magistratus conquerentur.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Constitutio super electione Signaturæ Justitiæ Votantium & indulto eisdem concesso Rocchetum in Romana Curia, & Cappam magnam in ejusdem Signaturæ Collegiali congressu deferendi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

INnter gravissimas, & multiplices curas, quibus ex debito pastoralis officii humilitati nostræ divinitus creditæ incessante urgentur, in illam peculiaribus studiis intendimus, per quam administratio justitiæ nedum ab absurdis, quæ irrepserant, vindicetur, sed in meliorem formam redacta, exactiori ordini restituta, ne Judicibus majori tum virtutis, tum honoris prærogativa decoratis commissa; in dies magis magisque refulgeat.

Hujus considerationis intuitu, cum aliam particularem Congregationem nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super abusuum præsertim judicialium reformatione deputaverimus, quamplura ab eadem Congregatione desuper edita, & impressa Decreta oretenus approbavimus, necnon de ejusdem Congregationis consilio nostris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, quintodecimo Kal. Octobris sub plumbo expeditis literis; particularia Almæ Urbis nostræ Tribunalia ex privilegio constituta suppressimus, & abrogavimus, eademque privilegia, & Tribunalia ad Jus commune, & Judices ordinarios memoratæ Curiæ reduximus. Et ulterius, ut officia Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, necnon ejusdem Cameræ Thesaurarii Generalis, duodecim Clericorum, & Præsidentis, quæ prius mediante pretio ad vitam concedi consueverant, imposterum ad nostrum, & Romani Pontificis pro tempore existentis; & Sedis Apostolicæ beneplacitum Viris vitæ, & morum integritate præstantibus literarum scientia præditis, rerumque humanarum experientia insignibus, ad majorem Dei gloriam, ejusdem Romanæ Curiæ, & Prælaturæ decorem, necnon virtutis incitamentum, & præmium gratis, & nullo recepto pretio concederentur, per alias similes nostras eodem anno decimo, Kal. Novembris expeditas literas, præfatorum Officiorum venalitatem suppressimus, extinximus, removimus, & abolevimus.

Et insuper ex tunc etiam ad Nostrum Signaturæ Referendariorum Collegium, quod alias fel. record. Alexander PP.

PP. VII. Prædecessor noster in suis similibus literis sub Dat. videlicet Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo quinquagesimo, nono Idibus Junii inter cætera erexit, & instituit, ac ex duodecimo Signaturæ Justitiæ Votantibus sub eodem Capite, & Moderatore ejusdem Signaturæ Justitiæ pro tempore existente Præfecto, repræsentari voluit, mentis nostræ aciem convertentes, & ut ad præfatum Collegium Viri similiter dignissimi quoad fieri posset, semper admitterentur, cupientes, consideravimus, quod licet idem Alexander Prædecessor in præfatis suis literis hujusmodi Votantes de corpore, & numero dictorum Referendariorum eligendos esse statuisset, nulla facta mentione, an eligendi essent priores, seu antiquiores Referendarii, diuturnus tamen usus ante, & post easdem literas invaluerat in Votantes præfatos assumendi, seu eligendi dictos priores, seu antiquiores Referendarios. Quocirca Nos virtutis præstantiam non in sola muneris prioritate, seu antiquitate consistere, & aliquando posteriores in officio prioribus doctiores, & aptiores existere, perpendentes, & propterea antiquitatis rationem non nisi cæteris paribus habendam esse volentes, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ex tunc memoratum Collegium deinceps fore mere, simpliciter, & duntaxat electivum, nec in ejusmodi Votantium electione, seu assumptione muneris, vel officii Referendarii prioritatem fore amplius attendendam, sed Votantes hujusmodi ad nostram, & pro tempore existentis Romani Pontificis electionem, & providam deliberationem, habita ad virtutis prærogativam, & meritorum excellentiam respectu, eligendos, & assumendos esse statuimus, decrevimus, & declaravimus, & pro majori hujusmodi statuti, decreti, & declarationis firmitate, ac prompta, & opportuna executione antiquum, seu tunc existens Signaturæ Justitiæ Votantium Collegium penitus, & omnino suppressimus, ac extinximus, novumque partim ex antiquis, & partim ex tunc noviter assumptis Votantibus pietate, doctrina, prudentia, & rerum usu præstantioribus, Collegium hujusmodi, cum omnibus, & singulis eidem Collegio quomodolibet concessis, seu competentibus juribus, facultatibus, prærogativis, præeminentiis, & privilegiis ereximus, & constituimus.

Cum autem super præmissis literæ Apostolicæ adhuc confectæ non fuerint, & memoratam præfati Collegii renovationem, seu reformationem, cujus exactam rationem in vacationibus, & electionibus respective interim subsecutis habuimus, administrationi justitiæ valde proficuam, & decori ejusdem Collegii admodum consentaneam, trium pene annorum experientia edocti fuerimus; Hinc motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, etiam tenore præsentium præmissa plenissime, & amplissime approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus; Et nihilominus omnia, & singula præmissa iterum, & ex integro, etiam harum serie statuimus, decernimus, & declaramus, ac in omnibus, & per omnia perpetuis futuris temporibus inviolabiliter, & inconcusse observari volumus, & mandamus.

Præterea ad prædictum hujusmodi Signaturæ Justitiæ Votantium Collegium, necnon ad laudabilia probitatis, & virtutum dictorum Filiorum modernorum Votantium hujusmodi merita paternæ dirigentes considerationis intuitu, ac benigne perpendentes, quantum decoris ex præfato Collegio Romanæ Curiæ, quantumcunque utilitatis ex sedulo illorum labore justitiæ administrationi proveniat, eosque proinde, ac illorum successores, ut alacrius fidem, operam, industriam, & sedulitatem in tanti muneris exercitio adhibere studeant, aliqua majoris honorificentiæ accessione decorare, amplioriique favore gratiæ prosequi volentes, ac ipsorum modernorum Votantium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, præfatis modernis, & pro tempore perpetuo existentibus Signaturæ Justitiæ Votantibus, ut de cætero in omnibus, singulis, & quibuscunque Congregationibus, sessionibus, processionibus, pompis, consiliis, & functionibus, negotiis, cæterisque actibus publicis, & privatis, etiam coram Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris Rocchetum in præfata Romana Curia palam deferre & gestare, illoque induti publice incedere, & comparere, necnon Cappas magnas, quibus iidem Votantes in Capella nostra utuntur, similiter quando Causarum commissionibus, aliisque resolutionibus in Signaturæ Justitiæ congressu collegialiter assistunt, etiam deferre, & gestare libere, & licite possint, & valeant, earundem tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus.

Decernentes, easdem præsentes literas, etiam ex eo, quod antiqui, seu tunc existentes Votantes veteris, seu ut præfertur, tunc suppressi Signaturæ Justitiæ Votantium Collegii, ac alii quicunque etiam speciali nota digni in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliave quavis de causa quantumvis legitima, juridica, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, alioque quocunque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, minusque sub similium, vel dissimilium gratiarum moderationibus, revocationibus, & quibuscunque aliis, contrariis dispositionibus per quoscunque Romanos Pontifices Successores nostros, & Sedem prædictam, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter, & aliis quomodolibet pro tempore factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori Data quandocunque eligenda de novo concessas semperque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac dictis Signaturæ Justitiæ Votantibus suffragari, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, nunc, & pro tempore existentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, & aliis quibuscunque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis Statutis, necnon prædicta, aliisque quibuscunque, quantumvis antiquissimis, & immemorabilibus consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis ad favorem utriusque, vel alterius Signaturæ nostræ Referendariorum, vel Votantium, seu eorum, & quorumcunque Collegiorum, vel Tribunalium, etiam speciali nota dignorum, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis, & decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & de potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet per Prædecessores nostros Romanos Pontifices concessis, innovatis, confirmatis, & approbatis, Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, vel insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis alias in suo robore permansuris, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, statuti, decretorum declarationis, voluntatis, mandati, absolutionis, concessionum, indulti, & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis

Dei,

Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, tertiodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

B. Card. Prodatarius.

I. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco + plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Indictione tertia, die vero vegisima Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno ejus Quinto, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Gregorium Stagium ejusdem SS. D. Nostri Papæ Cursorem.

Joannes Gratus Curs. Magister.

De Tribunali, seu Auditorio Rotae.

S U M M A R I U M.

1 *DE prima figura inter judices, quam in Curia*
2 *fatit Rota.*
2 *Quod Sacra Congregationes sint de diversa specie, vel sphera, & quare.*
3 *De origine, vel introductione hujus Tribunalis Rota.*
4 *Quare Auditores dicantur Capellani.*
5 *Singoli Auditores sunt delegati, sed ipsum Tribunal est ordinarium.*
6 *Decanus quomodo distribuat causas Auditoribus, & subroget.*
7 *In Rota sufficit unica commissio, & quando alia plures dentur.*
8 *De communicatione facultatum A.C. & ad quid.*
9 *De antiqua facultate necessaria pro citatione per edictũ.*
10 *In Rota commissio est loco libelli.*
11 *Idem in S. Consilio Neapolitano.*
12 *De antiquis Tribunalibus majoribus dicti Regni.*
13 *Quando dictum consilium erectum fuerit.*
14 *Quomodo signentur supplicationes.*
15 *De imitatione edendi decisiones dicti Consilii.*
16 *Ex quibus nationibus Auditores Rota eligantur, & de eorum numero antiquo.*
17 *De eodem, & de statu moderno, & de antiquis nationibus.*
18 *De loco Bononiensis.*
19 *De loco Mediolanensis.*
20 *De loco Ferrariensis.*
21 *De loco Etrusci.*
22 *De aliis tribus locis Romanorum.*
23 *Provincia Regni Neapolitani non habent locum in Rota.*
24 *De Pontificibus, qui in hoc saculo exierunt a Rota.*
25 *Quomodo assumatur Auditor noviter electus.*
26 *De ratione ob quã fiant tot caremonia, & solemnitates.*
27 *De depositionibus publicis, qua sustinentur, & de secretis.*
28 *De admissione post expletas solemnitates.*
29 *Non admittuntur illegitimi.*
30 *Quid importent emolumenta Auditorii Rota.*
31 *An Auditur priusquam admittatur, gaudeat privilegiis Auditorum, inter que est illud obtinendi expeditiones bullarum gratis si promoveantur.*
32 *Quos habeat adjutores.*
33 *In quibus diebus Rota habeatur.*
34 *Quomodo sedeatur in Rota, & votentur causa.*
35 *Auditor non decidit causas etiam compromissas, non audito voto Rota.*
36 *De modo concordandi de dubio.*
37 *De disputatione dubii, utraque parte informante, vel altera tantum.*
38 *Qualis sit hodiernus stylus circa dubia, & qualis esset antiquus.*
39 *Quando fiant informationes per Advocatos, & Procuratores.*
40 *De distributione informantium, earumque communicatione hincinde, & quomodo respondeatur.*
41 *Quot causa proponantur per quemlibet Auditorem.*
42 *Commendatur stylus scribendi Advocatorum, & Procuratorum.*
43 *Judices, & Advocati non videns processus, & de ratione, & ac de Curialium integritate, & quinam scribere possint in Rota.*
44 *Non habetur usus contradictorum, & quomodo causa disputentur.*
45 *Quando Rota aperiatur, & claudatur.*
46 *De solemnitate qua adhibetur in apertura.*
47 *De Rotis memorialium.*
48 *De nominibus, seu vocabulis spatiorum inter unam vacationem, & alterum.*
49 *De dubiis super incidentibus, que percutiunt ordinatoria judicii.*
50 *Rota de stylo non decidit causas, vel punctos sine disputatione dubii, & extensione decisionis, ad cujus limites debet sententiari; quod declaratur.*
51 *Unde manet tanta copia decisionum Rota, & de earum numero.*
52 *Quid proprio contineant ista decisiones, & in quo defferant ab illis aliorum Tribunalium.*
53 *De consimili stylo Rotarum Florentina, & Senensis ubi motiva dicuntur.*
54 *De modo petendi expeditionem causa, vel respective novam audientiam.*
55 *Quando concedatur, vel denegetur nova audientia.*
56 *De revocatione decisionum unde proveniat.*
57 *De eodem, quodque revocentur etiam sententia Rotales.*
58 *Causa Rotales non mutant naturam, ideoque appellabiles remanent tales, & de commissione in aliis instantiis in eadem Rota.*
59 *Rota est judex appellationis; quomodo, & a quibus, & quando cognoscat etiam causas in prima instantia.*
60 *Cognoscit causas utriusque Principatus, vel fori Ecclesiastici, & temporalis, civiles, non autem criminales.*
61 *Qualis sit major copia causarum, an scilicet spiritualium, vel temporalium, & de ratione diminutionis causarum spiritualium.*
62 *De errore opinantium quod Professores Romane Curia non sint periti in Jure civili, & in materiis profanis.*
63 *Quales debeant esse Rota Auditores ex dispositione Constitutionum Apostolicarum.*
64 *Quod stylus faciendi decisiones sit antiquissimus, & de ratione.*
65 *Quod etiam esset in usu in Roma antiqua, in qua antiqui Jurisconsulti speciem hujus Rota efformarent.*
66 *Quam auctoritatem faciant Rota decisiones.*
67 *Declarationibus S. Congreg. Rota reverenter defert.*
68 *De decisionum Rota auctoritate apud exteros.*
69 *De stylo ut decisiones sint præsupponenda, quodque non revocentur incidenter, & quomodo.*
70 *De improbantibus hunc stylum edendi de necessitate decisiones super omnibus resolutionibus, & de eorum motivis.*
71 *De improbatione alterius styli deferendi auctoritati decisionum.*
72 *E contra de commendantibus dictum primum stylum edendi decisiones, & de rationibus, cum responsionibus ad objecta.*
73 *Et de commendantibus alium stylum deferendi decisionibus, & non rationibus.*
74 *De opinione media, sed distinguente, & conciliante.*
75 *De abusibus super extensione decisionum.*
76 *Quod Advocati, & Procuratores cumulent motiva relevantia, & irrelevantia, & de ratione.*
77 *De eodem abusu, de quo n. 75.*
78 *Quomodo formari debeant decisiones, cujus vestigia sequenda sint.*
79 *De inconvenientibus qui resultant a mala extensione decisionum.*
80 *Decisiones que proprie dicantur, & in quibus partibus non sint proprie decisiones.*
81 *Reputatur abusus quod Ponens, vel Judex causa non habeat votum, neque sit informatus de causa meritis.*
82 *De eodem, de quo n. 78. quomodo scilicet debeant extendi decisiones.*

83 *De*

83 *Damnantur digressiones, atque decidere merita incidenter.*
84 *De alio abusu non declarandi motiva in aliqua decisione deducta, quæ videantur minus vera.*
85 *De abusu circa impressiones decisionum in voluminibus.*
86 *De altero stylo, de quo supra, n. 71. & 73. deferendi decisionum auctoritati, & quomodo id intelligendum sit.*
87 *Generaliter quomodo doctrinis, & auctoritatibus deferri debeat.*
88 *In quo consistat hodie quæstiones forenses, & quod sint potius facti, quam juris.*
89 *De bonis Judicis idea, & quales partes in eo concurrere debeant, & an desideretur potius literatura, quam integritas, vel e contra.*
90 *Quod stylus sustinendi conclusiones non congruat judicatura.*
91 *Quare Advocati eximii aliquando non soleant esse boni Judices.*
92 *Rota non exequitur res judicatas aliorum Tribunalium non gustato de justitia.*
93 *Attendi potius rationes, quam numerum doctrinarum, & quod ab omni Judice fieri debeat.*
94 *Non concedit renovationem executorialium post decem annos sine nova disputatione.*
95 *Per contradictas non decidit possessorium sine cognitione petitorii.*
96 *Etiam in petitorio, vel in revocatione attentatorum solet justare de bono jure.*
97 *Demandat concordiam, & an id de jure faciendum sit?*
98 *Quando concessit novam audientiam, non concedit, expeditionem sine nova expeditione.*
99 *In causa Rotali beneficiali cessant omnes executores, ipsaque Rota instituit, vel confert.*
100 *Quando procedat ad executionem obligationis cameralis.*
101 *Quando procedat sine disputatione dubii.*
102 *Quando Rota mutat opinionem, id non præjudicat juri quæsito.*
103 *De stylo condemnandi in expensis, & quomodo.*
104 *De opinionibus parum probabilibus quas retineat.*
105 *De stylo circa terminum pro servato in ultima Rota.*
106 *De decanatu Rotæ.*
107 *An ponens possit nolle sequi votum Correspondentium.*
108 *De expensis quæ fiant per litigantes in hoc Tribunali.*
109 *De loco, quem Rotæ Auditores habent in capella Pontificia, & de effectibus exinde exortis.*
110 *Quæ munera Rotæ Auditoribus incumbant, vel demandari soleant extra Rotam, & in aliis Congregationibus.*
111 *De scriptoribus in utroque jure, vel in aliis facultatibus, qui fuerunt Rotæ Auditores.*
112 *De aliis ad rotam pertinentibus.*

DISC. XXXII.

1 CUm inter illos Romanæ Curiæ Judices, qui in forma
judiciali causas contentiosas cognoscunt, ac decidunt,
primam, ac majorem figuram faciat istud Tribunal, simul
resolutiones, quibus decisionum nomen tribuitur, aliis ju-
dicandi normam præbeat (dum Cardinalitiis Congrega-
tionibus, atque utriusque Signaturæ Tribunalibus istud Ju-
dicis vocabulum proprie non congruit;) Hinc, de ejus origi-
ne, statu, ac stylis agendo, Judicis ideam generalem quo-
que efformare congruum videtur, quomodo scilicet Judex
qui intra justitiæ commutativæ, atque legum cancellos
habeat arbitrium restrictum, causas cognoscere, ac decide-
re debeat, dum longe diversa cognoscendi ac decidendi
ratio viget in Cardinalitiis, aliisque Congregationibus, ac
2 respective Tribunalibus, de quibus supra dictum est, utpote
vicarias Papæ, vel supremi Principis partes explicantibus,
unde propterea quando pro negotiorum qualitate, rigoro-
sos juris cancellos egrediantur, atque, cum illis legibus,
vel regulis, quę prudentiales dicuntur, procedere, ut negotii
finis, vel temperamentum magis opportunum concedatur.
Ex eadem itaque causa, vel principio, cujus enarratio su-
3 perius in Consistorii Rubrica habetur, a Tribunal istud ori-
ginem trahit; Cum etenim, sive in ratione judicii, ac jurif-
dictionalis potestatis; Sive in ratione arbitramentali ex
compromisso, Papa totius catholici Orbis causas, & nego-
tia explicaret, huic vero muneri per se ipsum solum vacare,
humana imbecillitas non concederet; Hinc pro quibusdam
primariis, ac majoribus negotiis in eadem Consistorii Ru-
brica enunciatis, auditores, & consiliarios adhibere cępit
Cardinales, cum quorum consilio in Consistorio ea expli-
caret; Alia explicare consuevit in Capella, sive in camera,
cum ope, & consilio suorum Capellanorum (quales pro-
prie Rotæ Auditores appellantur;) Attributo quoque anti- 4
quitus alio magis frequenti nomine Auditorum S. Palatii
Apostolici, ex eo quod priusquam congregarentur in con-
spectu Papæ, ipsumque de causarum statu, ac meritis infor-
marent, atque votum, seu consilium præberent, Partes in
eodem Palatio Apostolico audiebant; Atque ad tollendas
confusiones, quodque quilibet sciret quas causas relaturus
esset, consuevit idem Papa supplicationes, quæ illi porrige-
bantur, singulis Capellanis, vel Auditoribus distribuere,
seu causas pro compillatione processus delegare, tanquam
per speciem, ut dictum est, distributionis.
Atque hinc manat practica, & recepta propositio, quod 5
singuli Auditores dicuntur Judices delegati, non autem or-
dinarii, utpote ex sibi directis commissionibus, delegatam
jurisdictionem habentes, atque jure delegati, non autem
ordinarii Judicis metiendi, ipsa vero Rota, seu ipsum Tri-
bunal, in universum, utpote repræsentativum præfatæ
Capellæ, seu Aulæ pontificiæ, ordinariam habet jurisdi-
ctionem, atque Judicis ordinarii jure censetur habituali
jurisdictione, & competentia penes omnes existente. *b*
Exinde quoque manat, quod ex sola remissione, vel com- 6
missione Decani, (idest illius, qui eorum antiquior est, non
quidem ex causa, vel ratione particularis officii, sed in ra-
tione præeminentiæ, quam antianitas præbet, quandam
præfecturæ, seu præsidentię speciem habet) unus Auditor,
loco alterius impediti subrogatur, atque sententias profert,
aliaque acta explicat absque alia delegatione; seu commis-
sione. *c* Quoniam in Rota unica commissio sufficit in to- 7
ta illa instantia. *d* Unde propterea nova commissio in ea-
dem causa nonnisi pro ulteriori instantia alteri dirigitur;
Illis exceptis commissionibus, quæ incidenter eidem Judi-
ci delegato diriguntur; Ut sunt illæ, quæ præinsertæ dicun-
tur, *disc. præcedenti* enunciatę, pro reformatione scilicet,
vel suppletione commissionis, quæ ad alterius partis preces
signata sit; Sive ubi aliquas communicari oporteat faculta-
tes, quas prima commissio non concederet; Ut (ex. gr.)
sunt eodem *disc. præcedenti*, enunciatæ facultates Audito- 8
ris Cameræ, super processu executivo in causis pecuniariis,
& prophanis; Sive juxta antiquum stylum erant facultates
procedendi cum citationibus per edictum, & per diligen-
tias, usquequo ista facultas eidem Tribunali generaliter 9
communicata fuit, dum prius commissio specialis in quali-
bet causa necessaria erat. *e* Aut quando alias causas, quę
connexionem cum jam delegata habeat, unire, Papæ, vel
ejus Signaturę Gratię, seu Justitię, videtur, cum simili-
bus, (quæ ut præmissum est,) accidentia concernant, fir-
ma remanente regula, quod in tota ea instantia, unica
commissio in Rota sufficit.
Ex eodem fonte quoque manat stylus, quod in hoc Tri- 10
bunali non habeatur usus libellorum, qui Judicibus, &
Magistratibus ordinariis, vere, ac proprie congruat, sed
loco libelli succedit commissio, utpote continens tenorem
supplicationis Papæ porrectæ, in qua Actor, vel petitor, ad
libelli instar, suam actionem, vel petitionem proponat, ac
remedia sibi divisa intentet, & clausulas salutares adjiciat. *f*
Unde propterea (ad instar,) idem servat Sacrum Consi- 11
lium Neapolitanum, quod Sanctę Claræ, seu Capuanę
nuncupatur, cujus celebres decisiones habemus apud Affli-
ctum, Grammatic. Capyc. Minadorum, Franch. Gizza-
rell. Capyc. Latr. Tappiam, & Sanfelic. Ultra tot. alias,
quas in compendio refert elaboratus collector Thorus;
Cum etenim Curiam Regis repræsentarent antiquitus tria
suprema Tribunalia apud ipsum assistentia, quorum unum
a magno Justitiario rectum, Magnæ Curiæ dicebatur; Et 12
alterum Vicarię, tanquam ab ipsius Regię Civitatis Gu-
bernatore, seu Vicario derivatum, & quę duo hodie simul
unita unum constituunt Tribunal, ex civilium, & crimi-
nalium Judicum collegiis erectum, quod Magnę Curię Vi-
carię vulgo appellatur, cum revera, tanquam duplex, sub du-
plici nomine, M. Curiæ, & Vicarię appellari deberet; Et
tertium Cancellariæ ipsius Regis, quam regebat, & admi-
nistrabat Magnus Cancellarius, cum consilio aliquorum Ju-
risperitorum, qui Cancellarię Regentes appellantur, illud-
que consilium in rebus civilibus, non autem militaribus,
vel status constituunt, quod Collaterale dicitur.

Rex

Rex Alphonsus Primus, Aragonensium Rex, qui ex Joannæ secundæ adoptione, cum Sedis Apostolicæ Dominæ directæ placito, idem Regnum adeptus fuit, adeoque prudenter, in eo residendo, ac moriendo, supra triginta annos illud rexit, inter alia, quæ commendabiliter ordinavit, fecit novam erectionem præfati majoris Tribunalis Consilii pro causis appellationum ab aliis inferioribus, ac præsertim a præfatis majoribus, Magnæ Curiæ, & Vicariæ, non autem a dicto alio Cancellariæ (quod revera Judicis partes non explicat, sed potius Principis.)

Atque adinstar Consilii Regni Valentiæ, a quo originalis ejus idea derivat, idem Consilii nomen seu vocabulum sortitum est, cum adjecto Sanctæ Claræ, ratione loci, in quo congregabantur; Eodem modo quo de præsenti, Capuanæ dicitur ex eadem ratione loci, quod scilicet congregetur in eo Palatio, quod prope Portam Capuanam Regis habitationi prius deserviebat, habita ratione ad tutiorem ac amæniorem locum translata, ad arcam scilicet celeberrimi castri, quod novum dicitur; Tribunalium usui assignatum est, ut in eo singulis diebus omnia pro majori litigantium communitate unirentur.

Cumque hæc, & alia præfatus Rex explicaret opere & consilio Alphonsi Borgiæ, ejus majoris Capellani, ac intimi consiliarii, qui deinde Archiepiscopus Valentinus, & Cardinalis creatus, sedem quoque Petri sub nomine Callisti III. occupavit, isque in Romanæ Curiæ bene versatus esset; Hinc probabile est, quod hujus novi Tribunalis principalem ideam, seu modulam, efformando ex dicto Valentino Consilio, ex isto quoque Tribunali Rotæ aliquem desumpserit ordinem, dum istud Rotæ vocabulum ejusdem Tribunalis distributæ Aulæ sortitum; Ac pariter in eo Tribunali non habetur usus libellorum, ut habetur in præfatis aliis Magnæ Curiæ, & Vicariæ, aliisque Audientiis, & Curiis inferioribus Regni, sed adamussim adhibetur idem usus commissionum, quæ ibi supplicationis dicuntur, & quas ipsi Regni directas, eo modo quo in Curia diriguntur Papæ, adinstar ejus, quod in Curia gerit Præfectus Signaturæ Justitiæ, signat illè ejusdem Consilii primus Officialis, qui ejus Præses dicitur ratione tamen particularis officii Vicarii, seu Vicesgerentis Magni Prothonotarii, quod annexum quoque habet.

Istius autem Præsidis potestas in hac parte, major esse
14 videtur, quam sit illa Præfecti Signaturæ Justitiæ in Curia, quoties cum Partium contradictione super modo rescribendi de appellatione, vel declarandi competentiam Judicis super supplicationibus, vel commissionibus rescribendum sit; Ibi enim id agit solus Præses in ejus domo, exceptis causis recusationis Judicis ex capite suspicionis, quæ in ipsius Consilii Rota, seu Aula, in qua ipse Judex sedet, examinantur adeo frequenter, & cum tam magno disputationum apparatu, ac temporis jactura, & frequentius ea calumniæ fomento; In Curia vero Præfectus sequi tenetur consilium Prælatorum, seu Assessorum, qui dictum Tribunal cum eo constituunt, *ut præcedenti discursu* relatum est.

Item pariter, adinstar, nimium probabile est, quod
15 circa ea prima tempora, istius novi adeo magni ac celeberrimi Tribunalis, quod ipso initio adeo famosum effectum est, ut ejus majestas aliquas primi nominis Jurisconsultos exteros terreret. *g* Matthæus de Afflictis, qui ejusdem Tribunalis decisionum primus compilator fuit, istud commendabile opus suscipere, imitando hujus Tribunalis Rotæ stylum antiquissimum, adeout etiam antiquiores, ac primi Interpretes, & Magistri, qui per sæcula ante præfati Consilii erectionem scripserunt, istas decisiones Rotæ allegent, imo aliqui contra earum multitudinem, eodem modo, quo de præsenti, invehant. *h*

16 Cum itaque (ut præmissum est,) Summus Pontifex, inspecta origine, seu antiquiori tempore, universæ Ecclesiæ Catholicæ causas, in quas in Cardinalium Consistorio non peragebat, cum ope, & consilio suorum Capellanorum ageret, ac decideret; Hinc proinde prudenter eosdem Capellanos, seu Auditores, quorum numerus præfinitus non erat, sed varius pro Papæ arbitrio, adeout quandoque trigesimum fere attigerit, sive ad eum approximaverit, ex omnibus nationibus, ac Mundi partibus assumebat; Et merito quidem, ac prudenter, ut ita in eo cœtu adessent viri, qui in singulis respective provinciis, vel nationibus versati essent, ut alios, ipsumque Papam de illarum moribus ac stylis informare possent; Et sic aderant Itali, Hispani, Galli, Angli, Poloni, & aliarum partium, seu nationum absque certa præfinitione numeri in singulis nationibus, sed pro Papæ arbitrio, ex temporum, ac rerum contingentia regulari consuevit, usque ad tempora Sixti IV. de quo tempore casu præbente, quod in Rota sederent quatuordecim Capellani, seu Auditores, quorum unus esset Germanus, Alter Gallus; Duo Hispani, ob Hispaniarum divisionem, quæ tunc aderat in duas coronas; Unam scilicet constitutam ex regnis Castellæ, & Legionis cum annexis, quæ Castellæ dicebatur; Alteram vero Aragoniæ, nuncupatam, constitutam ex regnis, Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ, aliisque annexis; Reliqui vero omnes essent Itali, ex diversis nationibus, præsertim vero unus Venetus; Pontifex prædictum per ejus Constitutionem, *i* supprimendo duos locos excrescentes, numerum ab eo desideratum, pro quando eorum vacationis casus fieret, duodenarium invariabilem numerum, quem hodie habemus, statuit.

Sive autem id sit ex privilegio explicito; Sive ex eo im- 17
plicito, quod ex consuetudine resultat; Vel ex alio mihi incerto principio; Casus præbuit, quod intra hunc præfinitum numerum; Unum locum fixum occupet Gallus ad nominationem illius Regis; Alterum Germanus, ad nominationem Imperatoris; Et duos duo Hispani; Unus scilicet ex Regnis dictæ coronæ Castellæ & Legionis, & alter cum turno, seu alternativa inter præfata tria dictæ coronæ Aragoniæ Regna, ad nominationem Regis Catholici; Reliqui vero omnes Itali; Inter quos fixum locum semper haberet unus de dominio Veneto, ac illius etiam Reipublicæ nominationem de pluribus, quorum unum Papa eligit.

Tractu vero temporis postea secutum est, quod Julius 18
II. Præfati Sixti IV. nepos, ac mediatus successor Bononiensi Civitati, quæ ad Sedis Apostolicæ obedientiam, ac fidelitatem, expulso Joanne Bentivolo tyranno, rediit, inter plura privilegia, concessit locum fixum in Rota, & alterum in Collegio Advocatorum consistorialium, absque tamen aliqua nominandi facultate ad liberam Papæ electionem in duobus ejus civibus, quibus potius ex quodam jure postliminii, seu continuationis id concessum videtur; Cum etenim in eo, pluribusque præcedentibus sæculis, ista Civitas, in literis florentissima esset, adeout Docentia nomina sortita sit, præsertim vero in utriusque Juris facultatibus; Unde propterea S. Thomas, *i* illam inter quatuor reliquiarum scientiarum matres, & magistras collocaverit; Parisiensem scilicet in scienoiis, Salernitanam in medicina, Aurelianensem in Authoriis. Et istam Bononiensem in legibus; Et quod magis est; Gregorius IX. facta de ejus mandato compilatione quinque librorum Decretalium, huic Universitati eos direxit; Ac etiam docet tam copiosus numerus gravium scribentium, præsertim vero in Jure Canonico; Hinc proinde, nimium probabile est, quod hujus Civitatis alumni, etiam plures contemporaneæ, in hoc Tribunali, atque in dicto alio Collegio sederent ratione copiæ professorum, quæ tunc in ea
habebatur. Postmodum autem Pius IV. solidioribus ne- 19
gotiis, favore patriæ utrumque locum fixum, adinstar Bononiensis, concessit, addita ulterius facultate illi qualificato DD. Collegio, tres nominandi, quorum unum Papa eligeret, juxta eam facultatem, quam habet Respublica Veneta; Ac demum devoluta ad Sedem Apostolicam Ferrariensi Civitate, Clemens VIII. qui personaliter ejus possessionem adipisci voluit, inter quamplura privilegia, quæ prodigaliter illi concessit, istud quoque illi Bononiensis Civitatis omnino simile indulsit; Unde propterea sequitur, quod ex octo Italis in hoc Tribunali sedentibus, ista Italiæ pars montibus proxima, quæ Lombardia vulgo, saltem in lata significatione dicitur, quatuor habeat Auditores.

Inter reliquos autem quatuor, observantia docet, quod 20
unus semper est Etruscus, cum aliqua specie alternativæ inter Civitatem Perusinam, quæ dicitur de Etruria Papæ subdita, in ejus lata significatione; Et civitatem Senen-
sem, vel Pisanam, aut aliam Etruriæ superioris civita- 21
tem; Idque quod sciam non ex aliquo scripto privilegio, sed ex observantia, eandem forte continuationis rationem habente, quæ supra in Bononiensi Civitate assignata fuit, dum præsertim Perusina Civitas de utriusque juris facultatibus adeo emerita est, ob tam copiosum numerum DD. & præsertim primorum Magistrorum, & parentum; Idemque meritum habet altera Etruria, in qua leges civiles post earum casualem inventionem cunabula habuerunt.

Reliqui vero tres remanent ad Papæ dispositionem absque aliquo explicito privilegio; Pro frequentiori tamen continua praxi, sunt cives Romani.

Negle-

23 Neglectæ itaque in hoc munere remanent duodecim amplissimæ provinciæ constituentes Regnum Siciliæ ultra, (quod hodie Neapolitanum vulgo dicitur, ob Curiæ Regiæ residentiam;) Nulla ratione habita, quod illud dici potest mater legum, quarum Etruria nutrix solum fuit m Quodque totius Italiæ, saltim in longitudine, quamvis non in latitudine, partem dimidiam fere absorbeat; Atque sit de directo dominio Sedis Apostolicæ, quæ notabilem censum, ejus ratione singulis annis assequitur; Et quod magis est, majores huic Tribunali, totique Curiæ mittit causas, quam faciant dictæ regiones, quæ quatuor habent, longeque majora subsidia, & emolumenta ratione beneficiorum, & pensionum ac spoliorum suppeditat; Unde propterea, si superius assignatæ rationes perpendantur, ob quas congruis, ut diversarum nationum, ac partium viri in hoc Tribunali sedere debeant, manifestam istæ provinciæ pati videntur injuriam; Et tamen ejus civibus, & incolis referenda est, dum idealitatibus, ac vanitatibus potius vacant; Sive enim negligentiæ, vel ineptiæ id tribuatur; Sive illi vulgari traditioni, quæ pro mea notitia fabellæ speciem habet, quod suum locum cesseris præfatæ coronæ Aragonensi, Jure permutationis cum quodam majori numero Nationalium in superius enunciato noviter erecto concillo, (cujus traditionis originem, seu fundamentum adhuc invenire concessum non est) Semper id stultitiæ manifestæ speciem redolet, quoniam magis expediret Civitati, totique Regno, unum locum in isto Tribunali, cum omnibus alterius præfati permutare, ob magnas consequentias, majoremque nationalium decorem, & auctoritatem, quæ exinde resultarent, dum praxis docet, quod istud Tribunal est Pontificum, & Cardinalium, magnorumque Præsulum seminarium.

24 Negligendo siquidem assumere antiquorum temporum chronicas, atque agendo solum de praxi nostri currentis decimiseptimi sæculi intra ejus dimidium, ac parum plus, istud Tribunal produxit tres Summos Pontifices, nempe Clem. VIII. Gregorium XV. Et Innocentium X. pluresque qualificatos Cardinales ejusdem alumnos in conclavibus eidem thiaræ proximos, atque intra idem spatium magnum quoque produxit numerum qualificatorum Cardinalium, ac Præsulum, qui conspicuas, primariasque Italiæ, & Hispaniæ, aliarumque regionum Ecclesias Metropolitanas, & Cathedrales adepti sunt; Ultra tot alios Pontifices, Cardinales, & Præsules, quod in decursis sæculis produxit; Atque inter plures summos Pontifices, fuit ille, qui dici potest gloriosus, qui ex judicio Ecclesiæ universalis in Concilio Constantiensi ad sedandum teterrimum schisma electus fuit, Martinus Quintus appellatus.

25 Hujusmodi Auditorum admissio ad collegium, ex antiquo stylo, nimium solemnis, ac laboriosa est; Postquam etenim, sive ad nominationem, sive ex ipsius electione ut supra, Pontifex, cum ejus motu proprio, in locum illius Auditoris, qui per mortem, vel per promotionem defecit, alium subrogavit; Iste assumendo togam doctoralem, (quæ prius omnibus Curialibus communis, hodie Advocatorum Consistorialium singularis est,) Advocati munus suscipere profitetur, tam in scriptis, quam oretenus in causis in ipsa Rota vertentibus, cum obligatione visitandi singulos Auditores per multas vices, adeout in hujusmodi, aliisque cæremoniis plurium mensium spatium decurrat, illa solum tractamenta recipiendo, quæ aliis Consistorii Advocatis conceduntur, more superioris cum inferiori, ut neque propriæ domi dextera manus ei per Auditores tribuatur (nisi quando electus in Prælaturæ statu jam constitutus esset.)

26 Hujusmodi vero introductionem aliqui commendant, tanquam prudentem, atque ex eo laudabili fine derivatam, ut ita interim, Ultramontani, ac alii, qui ex diversis partibus ut supra assumantur, in hoc depressiori, adeoque obsequioso statu, Curiæ praxim, magnamque ejus urbanitatem addiscant.

27 Istis cæremoniis expletis in parte, in sibi statuta die tenetur aliquas conclusiones ad materiam alicujus Canonis vel legis civilis publice sustinere in aula magna palatii Cancellariæ Apostolicæ, in conspectu totius Collegii Cardinalium, quod ad hunc effectum solemniter cum roccheto & cappa magna, ad formam consistorii, vel capellæ, in isto loco congregantur, istaque occasione aula repleta est Prælatis, Advocatis, & Procuratoribus, aliisque Curialibus, nec non ipsorum Cardinalium aulicis Curialibus, pluribusque nobilibus pueris, qui pro consueto obsequio Cardinales comitentur, adeout revera sit nimiæ majestatis solemnitas; Ista vero functio, pro sola ratione venerationis, quæ antiquitati debita est, atque pro Curiæ majestate, ab aliquibus laudatur, ab aliis vero, ob inverisimilem disputationis formam improbatur, quasi quod ex hujusmodi scholastica functione, quæ adolescentibus potius congrua est, judicium efformari non valeat idoneitatis illorum, qui graviores totius catholici Orbis causas spirituales, ac etiam prophanas temporalis ditionis Ecclesiæ, sive alias accidentaliter ad forum ecclesiasticum pertinentes, judicaturi sunt, ideoque congruunt eadem, quæ circa Episcoporum examen superius insinuata sunt; n Istaque functione bene peracta, alteram idem electus sustinet magis rigorosam, sed secretam coram ipsius Rotæ Auditoribus tantum, in eadem scholastica forma arguentibus.

Ista quoque functione peracta, per duos Auditores præsentatur conspectui Papæ, a quo obtinetur oraculum admissionis in Rota, prævia juramenti præstatione, aliisque adimpletis, quæ ad Constitutionum Apostolicarum præscriptum adimplenda sunt. o 28

Inter quæ, priusquam præfati actus cæremoniales sequantur, occasione præsentationis Motus proprii pontificii, est rigorosus processus super justificatione legitimorum natalium, adeout hujus Tribunalis chronicæ doceant, quo sub præfato Sixto IV. potius Papæ iram, cum omnium Auditorum exilio ab Urbe pati voluerint, quam recipere inter eos virum alioquin in literatura insignem, qui pateretur defectum natalium, non obstante quod illis per Papam amplissime restitutus esset. 29

Item justificanda est ejus congrua provisio pro suppletione decentis substentationis, quam judicaturæ emolumenta non suppetunt; Siquidem computatis emolumentis sportularum, seu propinarum, quarum usus in hoc Tribunali habetur juxta ordinem recensitum, *sub tit. de jud.* in earundem propinarum, aliarumque expensarum judicialium particulari rubrica; p Ac etiam computata illa participatione emolumentorum, quæ Notarii percipiunt ex actis ordinatoriis, ut infra in Notariorum rubrica insinuatur, illoque centum scutorum auri munere pontificio, quod supra occasione agendi de Vicecancellario enunciatum est; Computatoque etiam valore illorum munusculorum, quæ ex quadam antiqua consuetudine ipsis Auditoribus, ac etiam Advocatis, & Procuratoribus, bis in anno nimium tamen parce, ac moderate, in uniformi, peneque invariabili quantitate, litigantes facere solent; in candelis cereis, & parvis panibus, vel formis Zuccari, sive in pullis, in vigilia scilicet Nativitatis Domini, & in Kalendis Augusti, vix omnia hæc summam scutorum mille monetæ, & parum plus constituunt, adeout pro ea decenti substentatione, quæ muneris qualitati congruit, totidem proprio ære erogare oporteat, stante summa integritate exactissime servata, rigorose abhorrendi quodcunque aliud munus, vel emolumentum, unde propterea illi Auditores, qui ex Pontificis benevolentia, de beneficiis, vel pensionibus ecclesiasticis non providentur, diu sedendo in Rota, notabilem proprii æris jacturam patiuntur; Solumque hujus officii ratione notabile subsidium scutorum quingentorum circiter obtinetur per eorum unum ab officio Regentis Pœnitentiariæ, cujus mentio superius habita est occasione agendi de Summo Pœnitentiario; Ideoque nunquam casus, vel praxis præbet, cernere illa adeo portentosa miracula, quæ in quibusdam regionibus cernuntur, ut consimiles Judices, vel officiales forte minora obtinentes stipendia, ad decentem substentationem insufficientia, intra breve tempus, magnas parent divitias; Adhuc tamen valde lucrosum istud officium reputatur comparatione Prælatorum utriusque Signaturæ, aliorumque officialium, qui nullum obtinent emolumentum, nisi illud spei, *ut disc. prec.* insinuatur. 30

Donec autem, his omnibus peractis, formalis admissio ad sedendum in Rota non sequatur, Auditor Rotæ non dicitur, cum in confectione processus, vel in examine, rejici valeat, ideoque aliquibus indultis, quæ Rotæ Auditoribus concessa sunt, non potitur; r Et inter quæ est il-
lud obtinendi gratis expeditionem literarum si ad Ecclesias 31
Cathedrales, vel Metropolitanas promoveatur, ut latius advertitur occasione formalis disputationis desuper habitæ in sede preeminentiarum. q

Admissus novus Auditor, in prima Rota nullum profert votum, ut alios audiendo, votandi modum addiscat; Isque studiorum adjutorem fiduciarium habere solet, cum cujus ope causas videt, ac votum format, sibi concessa facultate 32

alium quoque extraordinarium adjutorem, ac fiduciarium assumendi, cum facultate sibi communicandi secretum votorum, cum in aliquibus præsertim occupatis temporibus ob causarum multiplicitate, ac temporis nimiam brevitatem, unius adjutoris tantum opera insufficiens videatur.

33 Habetur autem Rota bis in hebdomada, in secunda scilicet, & feria sexta de mane ab aliquo moderno tempore in Palatio Cardinalis V. Cancellarii, quem habere in hoc Tribunali aliquam præsidentiam adverritur supra agendo de dicto Cardinali; Prius enim tenebatur in Palatio Vaticano, excepto tempore æstivo, in quo habebatur in cœnobio Canonicorum Regularium Lateranensium (quod Pacis dicitur;) Atque ubi in dictis diebus festum contingat, quod Rotam impediat, illa habetur in feria quarta, dum isti tres dies tantum juridice, pro actibus judicialibus conficiendis reputantur; Et quando etiam hæc dies impedita sit, quandoque) licet nimium raro casus id præbeat) Rota habetur in die Sabbati; istaque Rota Matutiana appellari solet.

34 Omnes duodecim Auditores, in eadem circulari mensa accumbunt, ad formam Rotæ (unde istud vocabulum derivasse probabile est;) Consuetus autem ac ordinarius stylus disputandi, ac decidandi causas est, quod juxta antianitatis ordinem per turnum, singulis sibi commissas causas proponentibus, quamvis omnibus volentibus, votandi facultas competat; Attamen solum tamen quatuor, qui juxta eum, qui causam proponit, sedent a latere sinistro, & qui illius Ponenti correspondales, ac de ejus turno dicuntur, aliis audientibus, votum proferunt, atque si in eandem concorditer deveniant sententiam, capitur resolutio, quæ etiam sequi dicitur ex voto trium concordantium, neglecto quarto discordante; Ipse autem causæ Judex, qui Ponens dicitur, in causis Rotalibus votum non habet, adeout gerere videatur speciem Judicis imperiti, seu idiotæ, qui dictos quatuor coadjutores habeat in assessores, & consiliarios, quorum vota exquirat, eaque in scriptis ab eis recipit, exinde efformaturus decisionem ut infra; Quandoque vero, causæ gravitate, vel perplexitate ita exigente, de mandato Decani, & quandoque etiam Papæ, omnes votum proferunt, excepto Ponente, atque resolutio, nonnisi ex concordi sensu duarum ex tribus partibus manat; Ponens vero, tunc quoque votum habet, quando de causis extra Rotam agatur, in quibus ipsius Rotæ votum exquiratur; Vel quia in causa pendente in Tribunali A. C. vel in alio Cardinalis Vicarii, aut etiam in foro Capitolino, sive coram Prælato, &
35 quandoque etiam in aliqua ex S. Congregationibus Cardinalium, de mandato Papæ, vel ex partium consensu, Rotæ votum exquiratur; Vel quod causa commissa sit uni ex Auditoribus, etiam tanquam Prælato, quoniam adhuc stylus Tribunalis est, ut nonnisi facto verbo in plena Rota causam decidat; Quinimo etiam si ex compromisso tanquam Arbiter, nisi expressa partium conventio, vel delegatio disponat, ut solus procedat.

36 Priusquam vero Auditores, ut supra statutis diebus congregentur; Quatenus pertinet ad singularum causarum futuram disputationem; Stylus est, quod postquam causa commissa est in Rota, & commissio, parte citata, effecta est de actis, atque ubi de causa secundæ, vel ulterioris instantiæ agatur, transportata sint acta instantiæ præcedentis; Illa Pars, cui expedit causam quanto citius disputari, ac terminari, alteram Partem citat, vel ejus procuratorem coram Judice, seu Ponente (quem alicubi causæ Commissarium appellant,) ad concordandum de dubio disputando, sin minus ea non comparente videndum subscribi illud dubium, cujus copia sibi transmittitur; Et quando citatus agnoscat quod dubium sit congruum, tunc non solet se opponere, idcoque illud subscribitur, atque fit intimatio subscriptionis, futuræque propositionis statuta die; Bene verum quod de stylo eadem intimatio pluries repetitur, ut ita concordetur Rota, in qua dubium proponi debeat; Et rationabiliter quidem, ut ab utraque parte informetur.

37 Ubi vero Pars pluries provocata coram Ponente comparere negligat, atque certa die concordare, tunc proponitur dubium, seu causa in ejus contumaciam, etiam una tantum parte informante; Verum isto casu practicari solet titulus, *ut quæ desunt Advocatis, judex suppleat*, dum ubi præsertim dubia consistant in puncto juris, adeout Judices etiam altera Parte non informante, fallacias informantis cum apertura librorum agnoscere valeant, frequenter prodeunt resolutiones contra informantem; Pro eo tamen multoties respondere solet, quamvis non deberet, ob facti præsupposita alteratione, quorum alterano per alteram partem non convincatur.

Si vero dubio transmisso, altera Pars non acquiescat, tunc illa comparere solet coram Ponente, coram quo oretenus ac in forma extrajudiciali, ut plurimum inter sollicitatores hinc inde altercantes illud concordari solet, eisque non concordantibus, una Partium ita petente, fit verbum in prima Rota, quæ visis dubiis hincinde formatis, vel porrectis, statuit illud quod magis congruum sibi videatur.

Ista dubia, brevibus, ac significativis verbis concipi so- 38
lent, ut ita super eis, pariter cum brevibus verbis, & quandoque cum uno tantum, prodeat oraculum; Antiquus autem stylus erat dividendi causam in plura dubia particularia, unde propterea breviores erant defensorum informationes, ac etiam breviores decisiones; Modernus vero stylus, magis commendabilis, ad breviorem causarum terminationem, est dandi dubium generale, totius causæ complexivum, unde propterea defensorum informationes sunt super tota causa, ac super omnibus ejus punctis, vel articulis, ut inferius in Curialium rubrica advertitur; ubi de modo scribendi; Utputa prætendit quis (ex. gr.) purificatum esse ad sui favorem fideicommissum, idroque sibi deberi immissionem ad certa bona fideicommittentis, per alterum possessa; Cum ad hunc effectum de pluribus doceri debeat; Primo scilicet de existentia fideicommissi per instrumentum authenticum testamenti, vel alterius dispositione; Secundo de pertinentia, seu purificatione ad ejus favorem; Tertio de legitimatione personæ; Quarto de identitate bonorum; Et quinto de competentia, vel non competentia detractionum, in quarum causam bona alienata sint, sive hæredi appropriata, aut quod retineri prætendatur; Super singulis istis, aliisque punctis, inter Partes controversis, dari solebant dubia distincta, ut uno firmato, alterum postea disputaretur; Iste vero stylus omnino antiquatus est (quamvis erronee adhuc habeatur in opinione aliquorum exterorum loquentium ex antiquis traditionibus,) sed datur unicum dubium generale; An scilicet danda sit immissio ad bona, de quibus agitur, atque sub hoc dubio de omnibus dictis punctis, vel requisitis disputatur; Quandoque vero super dubii efformatione, nulla cadit disceptatio, eo quia illud oriatur ex ventre rescripti contenti in commissione, quia nempe commissa causa cum clausula *si quid exequendum* ex ipso rescripto oritur dubium, an mandatum exequendum sit; Sive commissa causa cum clausula *parita literis*, vel *parito judicato arbitrio*, resultat dubium an intret arbitrium; Et si commissa est causa cum clausula *constito de tribus conformibus*, resultat dubium, *an constet de tribus*, cum similibus rescriptis in parte enunciatis, *discurs. praced.*

Quando vero agitur de ulteriori instantia per appellationem a sententia ejusdem Tribunalis, tunc datur dubium, an sententia Rotalis confirmanda, vel infirmanda, sed si agatur de sententia alterius judicis, vel Tribunalis extra Rotam, datur dubium ex integro ut supra, idque laudabiliter ad evitandos inanes circuitus ob nullitates, quibus sententiæ præsertim de partibus subjacere solent; Verum si appellans insistat super dicto dubio an sententia sit infirmanda, eo quia prætendat eam nullam, tunc datur dictum dubium.

Postquam vero determinata fuerit dies, in qua dubium 39
proponendum sit, in ejus ante vigilia, nempe in die Sabbati, in die Lunæ causa proponenda est, Advocati, & Procuratores Partium colitigantium, informant Auditores in propriis domibus, in quibus tota die (excepto modico spatio prandii) expositi sunt, nullatenus ad alia divertentes; Informandi autem ordo est, cum regula *qui prior &c.* ad instar concursus creditorum, ut scilicet qui prius domum Auditoris ingressus est, prius informet, absque exceptione personarum, nullaque admissa præcedentiæ differentia inter Advocatos, & Procuratores, nullaque ratione habita, an Advocati sint seniores, ac primarii, vel Consistoriales, sed omnium æqualis est conditio, ut qui prior est in tempore, potior sit in jure.

Eadem die de foro per utramque Partem distribuun- 40
tur singulis Auditoribus informationes in facto, & in jure, Procuratoris, & Advocatorum; Atque sollicitatores, qui hanc distribuendi curam habent, Ponenti, vel ejus studiorum adjutori, (pro vere nimium commendabili stylo) duplicem relinquunt positionem, seu fasciculum

infor-

informationum, tam facti quam juris, ac summarium scripturarum, vel testium, ut una scilicet remaneat apud ipsum Ponentem, altera vero datur solicitatori alterius Partis, & ita concorditer, ac fideliter, informationes hinc inde permutando, seu communicando, atque ut vulgo dicitur cambiando; Ideoque eodem sero solicitator distribuit informationes Partis adversæ ejus defensoribus, illam scilicet facti cum summario scripturarum, causæ Patrono, qui curam habet de iis, quæ facti sunt; Informationi vero juris, Advocatis, qui omnes eodem sero, vel sequenti die dominico de mane respondent, adeout responsiones distribui valeant Auditoribus eadem die ante prandium, vel paulo post, ob moras copistarum; Adeout portentosum id videatur, cum aliquando casus præbeat, ut unus Advocatus, vel Procurator in uno mane, in decem, duodecim, & quindecim causis præsertim in temporibus proximis vacationibus generalibus respondere debeat, & tamen omnibus respondetur, & bene, ut etiam infra agendo de Curialibus advertitur.

Ipsa vero die dominica, Auditores domi detenti, in qua facultatem habent celebrandi, vel audiendi Missam in oratorio privato, ad alia non divertentes, ac neminem audientes, cum eorum adjutoribus, aliisque operariis, quorum fiducia habeatur, studiis vacant, atque vota in singulis causis efformant, eaque in scripturam redigunt, ut cujuslibet causæ Ponenti respective illa tradant conservanda, ex quibus ipse decisiones est efformaturus.

Quilibet Auditor proponere potest duas causas, seu duo dubia, unde propterea quilibet, juxta consuetum, ac regularem cursum, ut soli quatuor proximi (ut supra) respondeant, & qui propterea correspondales dicuntur, votare debeant. Non semper tamen Rota ita plena est, ut singuli duas causas proponant, ob varia accidentia resultantia ex Partium dilationibus, sive quod pro temporum conditione magis, vel minus causarum disputationi incumbatur.

In ultimis vero duabus, vel tribus Rotis, de mense Junii, quando imminentibus vacationibus generalibus æstivis, antiquum est litigantium detestabile vitium, insistendi super causarum propositionibus, quas tempore hiberno magis opportuno negligunt, quilibet Auditor, plures causas quotquot habeat promptas, proponere potest, extra dictum præfinitum binum numerum, adeout quandoque casus præbeat, ut in eadem Rota, in uno mane, proponantur quinquaginta causæ, & ultra, atque super omnibus, vel super earum majori parte capiuntur resolutiones, quæ aliquando in toto anni cursu differri solent; Vel quia una Partium non informando, petat dilationem, Vel quia vota non sint concordia; Aut quod aliquod emergens oriatur proquo melior elucidatio facti desideretur, unde propterea dignoscitur illa species portenti, quæ insinuata est disc. præc. agendo de Signatura Justitiæ, quod scilicet in una die, tot causæ videri possint, atque super eis vota in scriptis, rationibus, & auctoritatibus munita efformari; Et tamen in dies practicatur.

42 Nimium id facilitat multum commendabilis, vereque incomparabilis stylus, scribendi stricte super punctis præcisis, in quibus cadat causæ difficultas, abhorrendo superfluos apparatus, vel superfluum cumulum regularum generalium, quæ præsupponuntur; Quamvis (omni regula limitationem patiente) iste optimus stylus, ab aliquibus corrumpi soleat, inutiliter replendo chartas superfluitatibus.

43 Potissime vero super iis, quæ in facto consistunt, super quibus majores causarum moræ ubique esse solent, mirum est, quod neque Judices, neque Advocati vident processus, vel instrumenta, seu testes per extensum, dum hoc munus, quod de mechanico participat, Procuratoribus incumbit; Et tamen plena ac distincta facti notitia veridica in tam brevi spatio habetur, quoniam pro frequentiori praxi, seu pro regula, (raras limitationes patiente) in hoc præsertim Tribunali Rotæ, facti series fideliter enarratur, atque scripturarum, vel testium particulæ substantiales, a quibus decisio causæ pendeat, fideliter dantur in summario, cum causarum Patroni, quibus id incumbit (dum Advocati se non ingerunt in iis quæ facti sunt) integritatem exacte profiteri satagunt; Adeout quando forte per solicitatores, vel per Partes decipiantur (ut quandoque contingit) dandi scilicet summarium minus fidele, ipsimet, ubi id agnoscant, de hac infidelitate Judices admoneant; Illumque bonum effectum operatur dictus stylus communicandi, seu permutandi informationes, ut ita occasione, respondendi ad facti alterationes, vel æquivoca, alterius Partis procurator advertat; Potissime quia in hoc Tribunali non omnes habent facultatem scribendi in facto, sed ii solum, qui ab ipsa Rota fuerint ad id approbati, ut infra in Curialium Rubrica advertitur; Idemque in iis quæ juris sunt, faciunt Advocati, elucidando fallacias, vel confutando doctrinas in contrarium adductas, sive illas declarando.

44 Ipsa vero die, in qua Auditores congregantur, non admittuntur in Rota Advocati, & Procuratores, sed clausis januis, causas inter se ipsos disputant, ob sufficientem informationem ut supra habitam, oretenus, & in scriptis, & cum responsionibus, quibus mediantibus, elucidantur alterata facti præsupposita, vel fallaciæ super propositionibus juris; Isteque stylus commendatione dignus videtur, ob majorem causarum expeditionem, ita effugiendo illam temporis inanem jactatam, quæ resultare solet ab Advocatorum contradictoriis, ac superfluis perorationibus, quæ frequenter calumniose ad causarum protractionem fieri solent, notabilem temporis jacturam faciendo super concordantia, vel discordantia eorum, quæ utpote in facto consistentia, sunt certa; Ideoque etiam in illis Curiæ Tribunalibus, in quibus contradictoriorum usus habetur, ut præsertim est in illo Auditoris Cameræ, & in illo Congregationis Baronum, opprobriosa reputari solet negatio, vel impugnatio eorum, quæ in puro facto consistunt, atque de facili certificari possunt ex processu, inter classicos, & qualificatos Procuratores, ideoque forte majores causæ deciduntur per Rotam in uno mense, quam in anno per alia Tribunalia, in quibus iste stylus contradictoriorum habeatur.

45 Incessanter Rota congregatur bis in hebdomada, ut supra, exceptis feriis in honorem Dei, Nativitatis scilicet Domini, & Resurrectionis, & in ultima hebdomada carnisprivii; Exceptisque vacationibus generalibus temporis æstivi, initiantibus in prima, vel secunda hebdomada Julii, ac terminantibus in ultima die mensis Septembris; Idemque prima die juridica non impedita mensis Octobris, Rota aperitur.

46 Ista vero apertura fit cum magna pompa, quæ nimiam Tribunalis majestatem redolet; Siquidem, aliis antiquioribus Auditoribus privatim in curribus accedentibus ad Palatium Vaticanum, duo Juniores, in habitu Prælatitio, nempe cum rocchetto, cappa magna, & pileo prælatitio equitando accedunt ad eundem locum, associati a duobus Advocatis consistorialibus, qui pariter equitant induti quodam solemni habitu violaceo, qui per eos in Capella Pontificia, & in publicis functionibus adhiberi solet, ac etiam a duobus Procuratoribus collegii, præcedente in copioso numero, qualificato ac solemni equitatu plurium curialium, ac nobilium virorum, & Aulicorum familiarium Cardinalium, cum magna quidem solemnitate ac pompa; Postquam vero ad locum deventum est, omnibus Auditoribus in eodem habitu prælatitio cum rocchetto scilicet, & cappa (cum quo semper in Rota interveniunt) sedentibus in quodam loco eminenti aulæ exterioris, ibique assistentibus omnibus Advocatis consistorialibus, ac fere omnibus aliis Advocatis, & procuratoribus, illisque nobilibus viris, & præsertim litigantibus, & Cardinalium familiaribus, qui equitarunt; Leguntur prius aliquot Apostolicæ Constitutiones disponentes de Tribunalis regimine, ac directione; Deindeque unus ex Auditoribus per turnum (excepto Decano) frequentius vero junior, brevem, sed gravem, ac elegantem ratiocinationem super iis, quæ concernunt ejusdem Tribunalis materiam, ac Judicum, & curialium salubres monitiones, super recta Justitiæ administratione, & causarum defensione; Istaque sanctione expleta, iidem duo Auditores qui solemniter equitarunt, cum eodem solemni equitatu, domum redeunt, isteque antiquus stylus retinetur pro Tribunalis majestate, quæ ita revera magna videtur.

47 Non tamen in omnibus diebus, in quibus Rota congregatur, disputantur dubia causarum, quoniam aliquæ sunt Rotæ, quæ dicuntur memorialium, idest quod non proponuntur dubia, sed cum Partium memorialibus, omissis decisionibus agitur, an ad earum normam demandanda sit expeditio causæ, quæ petatur per victorem, vel potius concedenda sit nova audienna, quæ petatur per succumbentem; Sive super dubiis dandis, aliisque incidentibus; Atque ad hos, ac similes effectus destinari solent primæ, & ultimæ dies cujuslibet vacationis; Utputa prima, & ultima Rota a die aperturæ usque ad vacationes Nativitatis Domini, vel prima post dies cinerum, & ultima prope hebdomadam majorem, & sic successive.

In vacationibus autem generalibus æstivis, habetur ultima Rota memorialium, in prima, vel secunda hebdomada Julii; Deindeque habetur circa finem ejusdem mensis Julii, vel initium mensis Augusti quædam Rota memorialium, quæ Congregatio generalis appellatur, pro expeditione scilicet illarum causarum, quæ disputatæ fuerunt in eo ultimo spatio, nempe ab octava Paschæ usque ad indictionem vacationum generalium, ad effectum, ut interim detur spatium extendendi decisiones.

48 Ista vero spatia inter unam vacationem, & alteram (quæ Tertiariæ dicuntur) quædam habent peculiaria vocabula, quibus Rota utitur, quando nulla capta resolutione, causam differt in alio proximo spatio proponendam; Ideoque primum spatium, quod initium habet die prima Octobris, ac terminat prope vacationes Nativitatis Domini, vocatur sub nomine Kalendarum, ita denotando initium anni novi Rotalis, ac propterea quando de mense Junii causæ differuntur, dici solet *ad Kalendas*; Alterum spatium, quod incipit post Epiphaniam, & desinit in vacationibus carnisprivii dicitur Regum, ideoque in casu dilationis in dicto primo spatio dicitur *ad Reges*; Atque in prima Rota post Epiphaniam fiunt solemnes exequiæ in aliqua Ecclesia pro Auditoribus defunctis cum interventu Advocatorum, & Procuratorum; Tertium quod incipit a die cinerum ad hebdomadam majorem dicitur piscium, & sic dicitur *ad pisces*; Et quartum quod incipit post octavam Paschæ, & terminat in vacationibus generalibus æstivis, dicitur agnorum, ideoque dicitur *ad agnos*.

49 Non omnia item dubia, quæ proponuntur in Rotis causarum, seu dubiorum quæ sunt discretæ a prædictis aliis memorialium, sunt super meritis negotii principalis, in petitorio, vel possessorio, seu in processu executivo, qui respiciat substantiam causæ, dum aliqua eorum respiciunt quædam incidentia, seu ordinatoria, quæ tamen de stylo Tribunalis exigunt disputationem formalem cum suo dubio particulari.

Utputa, petit quis remissoriam, vel compulsoriam specialem, quæ de sui natura retardat cursum causæ principalis pro faciendis probationibus, vel extrahendis scripturis; Huic autem petitioni tanquam calumniosæ, vel irrelevanti si opponit altera Pars, tunc datur desuper dubium, an sit danda remissoria, vel compulsoria; Idemque si opponatur de revocatione attentatorum, vel de purgatione spolii, aut de appositione sequestri, sive de amissione ad causam, cum similibus.

50 Stylus enim Tribunalis est, qui per Apostolicas Constitutiones redditus est hodie necessarius, sub decreto irritanti, seu annullativo in eis contento, nil determinandi, altera Partium reluctante, tam circa negotium principale, quam circa dicta incidentia, sine disputatione dubii, & cum editione decisionis, ad cujus normam ferri debet sententia, vel fieri decretum, atque si aliter fiat, actus dicitur nullus, tam si omittatur decisio, quam si aliquid decernatur ultra ea quæ disputata, & decisa sunt; Bene verum quod non prohibetur sub disputatione unius dubii, alia incidentia vel connexa, sua consecutiva decidere, quæ sub eo dubio non comprehendantur, juxta causarum, vel incidentium qualitatem. *u*

51 Hinc proinde manat tam magna copia decisionum Rotalium, quarum aliquæ sunt magistrales, ac doctæ, & plenæ: Aliæ vero leves, ac breves, quod exteris non informatis de stylo scandalum præbere solet; Siquidem cuilibet Auditori super resolutionibus, quæ capiantur in dubiis ab eo ut supra propositis; Sive ea sint in causa principali; Sive in dictis, vel similibus incidentibus, incumbit necessitas extendendi desuper decisionem Partibus edendam, priusquam super resolutione emanet sententia, vel decretum; Idque producit earum copiam, adeout illæ, quæ usque ad præsens in variis voluminibus impressæ habentur, deductis duplicatis, numerum triginta millium excedant, totidemque, ac forte plures sunt illæ, quæ circumferuntur manuscriptæ.

52 Non sunt itaque istæ decisiones Rotæ, sicuti sunt illæ, quas aliqui Doctores, qui in tribunalibus majoribus sederunt, luci ediderunt, ut exempli gratia sunt decisiones Afflicti, Franchi, Thesauri, Surdi, & similes; Istæ siquidem continent privatos labores ex electione aliquorum, qui in eo Tribunali sedentes, ex multis causis in eo discussis, aliquas notabiliores selegerunt, & inter quas multæ dignoscuntur, quæ a Tribunali decisæ non fuerunt, sed concordatæ, seu alias sub silentio involutæ sunt, tanquam per speciem illorum laborum, quos mihi in aliquarum causarum pertractatarum parte, ad formam discursuum, edere visum est, adeout dici non valeant decisiones, quæ ex officii necessitate, nomine Tribunalis, pandendo partibus ejus motiva, editæ sint.

Id autem vere, & proprie continent decisiones Rotæ, dum non ex unius, vel aliquorum magis ingeniosorum privato labore, ac studio, in aliquibus notabilioribus causis inter plures, post eas decisas, vel jam sopitas prodeant, ut generaliter sunt illæ aliorum Tribunalium decisiones, quas in tot voluminibus habemus, sed vere, & proprie sunt motiva, quæ causæ Judex indicat Partibus, ita pandendo vota suorum Assessorum, seu consiliariorum per quandam speciem benevoli officii, monendo eam Partem, contra quam Tribunal præjudiciales sensus habet, priusquam ipsum ad actum irretractabilem sententiæ procedat, ad effectum, ut agnoscendo quod rationes dubitandi contra eum, in facto, vel in jure, non subsistant, possit denuo Tribunal melius informare, atque sinistram opinionem jam conceptam tollere; Perinde ac si Judex imperitus, qui cum voto Assessoris causas decidit, ac sententias profert, priusquam ad sententiæ prolationem deveniat, ipsum votum Partibus aperiat, seu communicet, ad hoc ut deducere valeant, qui habeant in contrarium, atque melius Assessorem informent; Idque proprie continent Rotæ decisiones, quæ sunt actus mere extrajudiciales. *x*

53 Seu verius motiva quæ panduntur, ut in magis propria locutione appellantur per Rotas Florentinam, & Senensem, quæ eundem commendabilem habent stylum, ideoque non sunt, neque sententiæ, neque decreta, ut stulte opinatur quoddam exterum leguleicum vulgus, quod rerum veritatem ignorando (& quod pejus est) nullam curando adhibere diligentiam, ut eam sciat, sed obloquitur ignorando quid dicat, ideoque error est istas decisiones comparare illis aliorum Tribunalium, longe diversæ naturæ, ut supra, vel eas credere sententias.

54 Edita itaque decisione, quam causæ Judex, seu Ponens, efformat ex votis suorum Correspondalium, ut supra; Illa Pars cujus favore prodiit, aliquando in proxima Rota dubiorum, frequentius vero in prima Rota memorialium, petit mandari Ponenti, ut procedat ad causæ expeditionem, mediante sententia, vel decreto, juxta causæ qualitatem, citando Partem succumbentem ad informandum Rotam super hujusmodi expeditione decernenda; Quare succumbens, impugnando decisionis fundamenta, petit iterum audiri, informando Rotam eo modo quo fit in disputatione dubiorum ut supra; Atque ubi objecta talia sint, ut aliquam habeant probabilitatem, adeout causa reputetur nova disputationis trutina digna, tunc conceditur audientia, sin minus, ea denegata, demandatur expeditio.

55 In novæ audientiæ, faciliori, vel difficiliori concessione, certa non habetur regula; Quamvis enim pro frequentiori stylo, unica audientia concedi soleat, secuta vero altera decisione confirmante, demandari expeditio; non semper tamen id est firmum, cum nimium pendeat a statu, seu natura causæ. Ubi etenim agatur de processu executivo; sive de ultima instantia, aut de causa commissa appellatione remota, adeout si quod adest gravamen, illud non remaneat reparabile, tunc Rota nimium facilis esse solet ad novam audientiam concedendam, & quandoque etiam secundam, & tertiam juxta causarum qualitatem. E converso autem, ubi agatur de causa appellabili, adeout victo supersit remedium deducendi ejus jura in altera instantia, tunc facilis esse solet in demandando expeditionem. *y*

56 Quando itaque concessa nova audientia, reproponitur causa super dubio, an sit standum in decisis, vel potius ab eis recedendum; Tunc si recessus contingat, non est revocare sententias vel decreta, ut idem supraenunciatum vulgus stulte credit, atque imprudenter obloquitur ex solo effectu ignorantiæ, sed est mutare consilium, ac moderari motiva, seu rationes dubitandi, in simplici forma extrajudiciali; Adeout si favore ejusdem partis duæ, vel tres decisiones in eadem instantia prodierint, priusquam deveniatur ad sententiam, vel decretum, causa adhuc integra, & indecisa esse dicitur; Neque decisiones prædictæ ponuntur in processu, vel in actis, minusque transeunt per manus Notarii Actuarii, quoniam (ut præmissum est) sunt mere extrajudiciales insinuationes motivorum, quæ per causæ Ponentem, seu Commissarium extrajudicialiter per organum ejus Adjutoris studiorum

fiunt;

fionti; Ideoque irrisione digni sunt illi Judices de partibus, qui cupiunt hujusmodi decisionum sumptum authenticum ut in dictis producatur, ad effectum dignoscendi, quod in ea causa per Rotam sententiatum fuerit.

57 Et quamvis, expedita etiam causa, cum prolatione sententiæ, casus quandoque præbeat, ut in eadem Rota, unius, vel etiam plurium sententiarum infirmatio sequatur, ita pro eodem stylo edendo decisiones præcedentium revocatorias; Non tamen exinde sequitur id, quod idem vulgus opinatur, quod scilicet eadem Rota retractet ea quæ gesserat, quoniam in alia instantia mutatur Judex, atque mutantur Correspondales, unde propterea est revocatio, quæ sequitur a diversis Judicibus diversarum Aularum ejusdem Tribunalis, pro diversitate instantiarum, ac pro diversitate ingeniorum: Eodem modo quo in dies ubique, unum Tribunal in gradu appellationis, revocat sententiam alterius Tribunalis prioris instantiæ.

58 Istius etenim Tribunalis qualitas non immutat causarum naturam, circa earum appellabilitatem, ac ordinarium cursum, ideoque, perinde, ac si de quolibet simplici, & ordinario Judice agatur, a sententiis, quæ de jure non sint de sui natura executivæ, interponitur appellatio, quæ per Signaturam Justitiæ, vel Gratiæ respective juxta stylos *in duobus discursibus prac.* enunciatos, causam appellationis committit quidem in eadem Rota (a qua causæ nunquam exeunt, sed ibi finem habere debent,) sed diverso Auditori habenti diversos Correspondales, perinde ac si (ut dictum est) essent tot distincta, seu Tribunalia; Idemque sequitur in causis executivis juxta modum rescribendi, *de quo eodem disc. prac.* adeout non adsit aliud Tribunal superius appellationis, vel recursus, nisi quando (licet nimium raro) Papæ pro ejus suprema potestate videatur, causam a Rota avocare, atque alicui particulari Congregationi Cardinalium, vel Prælatorum revidendam demandare. *y*

59 Istud Tribunal, in illis causis, quæ in prima instantia agantur in Urbe, In Tribunali Auditoris Cameræ, & in illo Vicarii, aut coram aliis Judicibus ei subordinatis, est Judex appellationis; In causis tamen gravibus, profanis scilicet, quarum valor excedat summam scutorum quingentorum; Beneficialibus autem, quando beneficium excedat valorem viginti quatuor ducatorum; Sive ubi agatur de prima dignitate; Et quandoque cognoscit etiam causas in prima instantia, vel ex Partium consensu, vel ob commissiones, quæ obtineri solent ex remedio diffamationis, quod in Curia jactationum dicitur, vel quia sint causæ graves, quæ ad sensum ejusdem Concilii Tridentini, etiam in prima instantia curiales esse debeant.

Extra vero Curiam in gradu appellationis a sententiis Legatorum, & Nuntiorum Apostolicorum, ac etiam Præsidum & Gubernatorum, sive ab illis Ordinariorum, & Metropolitanorum, aliorumque Prælatorum, & præsertim ab utroque Consilio, Ordinario, & Completo Hierosolymitanæ Religionis, cognoscit quoque in secunda instantia; Dummodo pariter agatur de causis gravibus, ut supra, ad appellantis arbitrium; Pro frequentiori autem stylo, causæ appellationis a sententiis de partibus introducuntur in Tribunali Auditoris Cameræ, a quo deinde gradatim transeunt ad Rotam.

60 Cognoscit itaque istud Tribunal causas utriusque fori Ecclesiastici scilicet per universum Orbem catholicum, tanquam Tribunal Papæ uti Papæ, & Episcopi Ecclesiæ universalis; & fori temporalis, tanquam Tribunal Principis temporalis Status Ecclesiastici immediati, quæ ex notabili Italiæ parte constituitur; Ac etiam ex Statu Avenionensi, & ex Comitatu Venaissino in Gallia, quorum causas graves quoque, ex commissione eorum Legati, & quandoque etiam Papa, cognoscere solet; Civiles tamen, non autem criminales, in quibus se non ingerit. *z*

61 Antiquiori autem tempore, major erat numerus causarum spiritualium, seu ecclesiasticarum, quam profanarum, ea ratione, quod illæ de prima specie pertinent ad universum Orbem; De altera vero ad hunc solum principatum temporalem Ecclesiæ; Moderno vero tempore, longe major est numerus causarum profanarum, seu temporalium Urbis, & Status ecclesiastici, ac etiam earum quas accidentaliter forus ecclesiasticus producit ratione Clericorum, aliarumque personarum ecclesiasticarum, quamvis de sui natura profanæ sint; Spiritualium etenim causarum notabilem diminutionem, plura accidentia produxerunt; Primo nempe plurium alias catholicarum regionum infectio ab hæresi, vel schismate; Secundo aliquorum Principum politicæ provisiones, ne extra eorum ditionem causæ trahantur; Tertio, quod beneficialis materia, antiquiori tempore obscura, hodiernum explanata est; Et quarto fortius, erectiones tot Congregationum, præsertim Concilii Tridentini, & Rituum, ac etiam Episcoporum, & Regularium, & ecclesiasticæ immunitatis, quæ summarie, & extrajudicialiter multas decidunt causas, prius in Rota in forma judiciali disputari solitas; Unde propterea, ut decisionum Rotalium, mearumque adnotationum lectura docet, omnium minor est pars causarum spiritualium, quæ forensi more tractentur.

Hinc evidenter quoque elucet, ejusdem ignari vulgi exteri, vere irrisione digna ineptia, quæ stultitiæ, vel fatuitatis speciem redolet, opinandi scilicet, quod Rota, & Curia Romana solum ecclesiastica, & spiritualia negotia tractet, non autem sæcularia, ideoque ejus Professores nullam, vel modicam habeant civilis facultatis peritiam; Dum non reflectunt ad negotia sæcularia ipsius Romanæ Civitatis, quæ omnium forte Civitatum Europæ est ditior, ac alia quæ producit adeo considerabilis Principatus sæcularis, qui plures habet conspicuas Civitates, & diœceses magnatum, & gravium litium productivas; Inter quas præsertim magnum occupat locum Civitas Bononiensis; Ultra alias causas sæculares, quas universus Orbis catholicus transmittit ratione fori ecclesiastici; Atque (ut dictum est) ad hanc stultitiam convincendam sufficit videre Rotæ decisiones, necnon, metiendo ex ungue leonem, ponderare quot feudales, regales fideicommissarias, aliasque mere sæculares materias, & causas egerim ego solus inter Curiæ Professores minimus, qui nimium tarde ad Curiam accessi, cum tamen ea pars, quæ publicæ luci edita est, vix ad dimidiam ascendat; Adeout, qui calculos faciendi, & peræquandi curam assumeret, utique inveniret, quod majora tractet, ac expediat negotia Curia Romana, præsertim per organum sacrarum Congregationum, in mense, quam quodlibet magnum Tribunal in anno. 62

Iste vero cumulus negotiorum utriusque fori ecclesiastici, & sæcularis in eodem Tribunali, ob utriusque principatus unionem, quod in Orbe catholico est singulare, magnam exigere videtur utriusque juris, aliorumque scientiarum peritiam, in iis qui in eo sedent; Ideoque merito Apostolicæ Constitutiones inculcant, ut nonnisi literati valde famosi, nimiumque experti, ad hoc munus assumi debeant; *a* Idque omnium melius obtinere potest Curia Romana, cujus magnum peculium in spe consistit, ideoque sine competenti stipendio de facili trahere potest viros insignes, qui suo sumptu libenter illi inserviant, quod aliorum Principum Curiis forte non ita facile redditur; An autem id practicetur, meum non est, nec agere, nec judicare. 63

Enunciatus stylus edendi decisiones de necessitate, super quacunque resolutione, antiquissimus est, nedum quia (ut superius advertitur,) etiam primi utriusque facultatis Professores, eas enunciant; Verum etiam, quia Decretalium tenor ostendit, quod exceptis aliquorum Conciliorum generalium decretis, quæ in eis registrata sunt, reliqui Canones, ex Consistorii, & ex hujus Tribunalis, quod antiquitus Capella dicebatur, decretis, ac determinationibus deprompti sunt. 64

Probabiliter ista introductione originata, non tam ex superius assignata ratione urbanitatis, certiorandi Partes de rationibus dubitandi, antequam ad sententiam deveniatur. Sed etiam ex ratione ita certiorandi in compendio Papam de iis, quæ per istos ejus Capellanos in causæ discussione concludenda videantur pro ejusdem causæ determinatione; Sed quidquid sit, illud est certum, quod istius introductionis origo non habetur.

Quinimo probabile nimium (pro meo sensu) videtur, ut idem stylus antiquior, etiam in antiqua in profanis triumphatrice Roma adesset; Quod scilicet illa Jurisconsultorum responsa, ex quibus leges Pandectarum extractæ sunt, juxta compilationem Justiniani, essent idem ac istæ decisiones; Adeout supradictis *Pontificum*, & Canonum respective usus, importet solum quandam transportationem de una specie ad alteram, de profana scilicet ad spiritualem; Non solum etenim totius Orbis civilis, qui cum ratione vivat, sed etiam illius incivilis infidelium, & Turcarum notoria praxis docet, quod in qualibet Metropolitica Civitate, non solum ubi de totius principatus, vel Imperii, sed etiam parvæ ac subordinatæ provinciæ Metropoli agitur, Tribunalia suprema pro gravioribus causis peremptorie terminandis ere- 65

cta, collegiata sint, ex majori, vel minori numero constituta, prout provinciæ, vel principatus amplitudo exigat, cum judicium unius tantum congruat parvis locis, vel etiam magnis, cum subordinatione tamen magistratui, vel Tribunali collegiato; Atque in ipsomet foro spirituali, quamvis de jure unus sit Judex, nempe Episcopus, vel ejus Vicarius generalis; Adhuc tamen consultum est, ut supremus Judex, qui peremptorie decidat, non constituatur ex una persona materiali, sed ex pluribus, unam intellectualem, seu collegiativam constituentibus, ut est Rota, & sunt Sacræ Congregationes; Et nihilominus, ubi agitur de magnis diœcesibus, & præsertim magnarum, & metropoliticarum Civitatum, in quibus causæ graviores contingant, adhuc inolevit commendabilis usus Congregationum, saltim consultivarum.

Cum itaque dicta Responsa Jurisconsultorum, seu prudentum, contineant supremas, ac peremptorias judicaturas causarum graviorum antiquæ Romæ, adeo magnæ, & ditissimæ totiusque ejus Imperii, quo nullum huc usque majus sit, adeo ut talia responsa registrarentur in publicis voluminibus, atque legum potestatem, seu venerationem haberent, ex quibus voluminibus, qui numerum duorum millium excedebant, leges pandectarum compositæ sunt; Hinc prorsus improbabile est, ut unius tantum Jurisconsulti judicio, hæc magna auctoritas, ac veneratio tribueretur, dum juxta antiquissimum dictum sapientis; Semper homines fuerunt iidem, atque juxta alterum dictum Apostoli, Omnes homines sunt infirmi, vasa lutea portantes; Potissime vero dum antiquæ Romæ, magis, quam modernæ regimen collegiativum erat, nedum in politicis, sed etiam in civilibus negotiis, ut antiquæ chronicæ docent, quod scilicet ultra Senatum adessent Tribunalia, quorum unum Centumvirale; Alterum decemvirale; Ac etiam triumvirale dicebantur; Ac etiam illud Tribunal quod Epulonum dicebatur, piarum dispositionum juxta gentilium superstitiones, executioni deputatum, quod erat septem officialium, cum similibus, Ideoque omnino probabilius est, ut Vulpiani, Pomponii, Scevolæ, & alii similes, sub quorum nomine Responsa prodierunt, essent Judices, seu Ponentes causarum, qui totius Tribunalis Responsa darent, ut hodie quoque fit pro Rota, dum decisiones cantant sub nomine unius, & tamen sunt totius Tribunalis, vel ejus partis, ut supra.

66 Hujusmodi decisionum in Curia magna est auctoritas; *b* Non quidem ut faciant auctoritatem necessariam apud inferiores Magistratus tanquam decisiones Papales; Ut (loquendo solum exemplificative) opinantur Regnicolæ, quod faciant decisiones illius Sacri Concilii, utpote nomine Regio editæ; *c* Adeout quandoque fiant decreta generalia per viam legis, Ut præsertim docet decretum quatuor aularum super beneficio inventarii, ad favorem hæredum; *d* cum similibus; Hæc etenim auctoritas Rotæ non tribuitur, neque ipsa eam sibi assumit, dum solis declarationibus
67 S. Congregationum Cardinalitiarum ista prærogativa conceditur, quod eadem Rota, multo vero magis alia inferiora Tribunalia reverenter illas suscipiunt; *e* Bene verum, quod istius utpote magni Tribunalis resolutiones per inferiores Judices ac magistratus, quinimo etiam per ipsasmet Superiores Sacras Congregationes, habentur in veneratione, magnamque faciunt auctoritatem, ut ubique magno-
68 rum collegiatorum Tribunalium resolutiones facere debent, tanquam doctrinæ magistrales, plurium judiciorum in idem tendentium prævia causæ cognitione; Unde propterea, etiam aliarum regionum professores, gravesque scriptores agnoscunt hujus Tribunalis, ejusque decisionum magnam, ac venerabilem esse auctoritatem. *f*

69 Bene tamen faciunt auctoritatem necessariam in eadem causa, & inter easdem Partes illæ decisiones, quæ editæ sint super uno dubio, vel puncto, quo jam firmato, ad alterum transitus fiat; Quod scilicet, de recepto stylo Tribunalis, decisiones sunt præsupponendæ, illæque nunquam circumscribuntur, sed revocantur incidenter; *g* Utputa; Prodierunt jam decisiones firmantes existentiam, ac pertinentiam fideicommissi; Postmodum vero agatur de diverso puncto detractionum, seu melioramentorum, aut separationis bonorum, &c. tunc in disputationibus super hoc diverso puncto, non licet amplius controvertere ea, quæ super alio puncto jam decisa sunt, dum debent decisiones præsupponi; Atque si relevantia motiva in contrarium excitentur, tunc ipsa Rota demandare solet decisionum revisionem; Adeout earum revocatio non sequatur, nisi cum consueto dubio particulari, an ab eis recedendum sit; Verum iste stylus non inducit necessitatem præsupponendi, neque afficit tertios in diversis causis; *h* Adhuc tamen, quando agatur de decisionibus, quæ ex professo aliquem juris articulum determinaverint, quandoque earum revisio particulariter quoque demandari solet, sed est arbitrarium, pro causarum, seu decisionum qualitate.

Problematicæ vero quæstiones, inter Juris Professores, 70
aliosque literatos, esse videntur istæ, nempe circa hunc stylum edendi decisiones super quibuscunque resolutionibus, quamvis essent super incidentibus, ac provisionalibus; Aut super concernentibus ordinatoria ut supra; Illum enim improbantes dicunt, ut id potius Tribunalis majestati ac existimationi præjudiciale videatur, dum vel ob dubiorum exiguam qualitatem, Vel quia non omnium in Tribunali sedentium idem sit talentum, vel idoneitas, seu scribendi felicitas, ita casus præbeat, ut edantur decisiones quandoque debiles; Ac etiam quia, licet omnia Tribunalia eorum judicia varient, præsertim vero ubi de provisionalibus, aliisque incidentibus agatur; Non tamen reportant illam famam volubilitatis, quam istud Tribunal apud ignarum vulgus habet, eo quia revocationes, quamvis forte frequentiores, non innotescunt; Adhibendo quoque illud vulgare juridicum axioma, quod fatuus est Judex, qui ejus determinationis rationem assignat.

Improbant quoque iidem censores (pro ingeniorum va- 71
rietate) alterum Curiæ stylum, deferendi decisionibus, earumque studio solum vacandi, adeout plures dignoscantur professores, tam judices, quam defensores, qui forte libros Pandectarum, Codicis, & Authenticorum, ac Decretalium, vel Conciliorum; Quinimo nec illos utriusque juris Institutionum; Sive illos utriusque Juris antiquorum Repetentium nunquam viderint, vel nec quidem aperuerint, aliquarum decisionum tantum scientiam, quasi per traditionem habentes, ignorando, quare in eis ita statutum sit.

E converso autem alii, utrumque stylum approbantes; 72
Quatenus pertinet ad primum edendi decisiones; Ultra motivum generale venerationis, quæ antiquitati apud humanum genus haberi debet, dum ex legum, & Canonum monitis, non de facili immutanda sunt ea, quæ longam habuerunt durationem, ac observantiam; Considerant nimium commendabile, ac virtuosum videri, ut adeo magnum Tribunal, ita Patribus succumbentibus, totique Orbi, publice se constituat debitorem, reddendi rationes suarum determinationum, tanquam per speciem continui syndicatus, atque ut ita detegi, ac elucidari valeant illa facti, vel juris æquivoca, cum quibus procedi poterit; At etiam quia (ut præmissum est) idem videtur antiquissimus stylus, etiam prudentissimæ, ac maximæ antiquæ Reipublicæ Romanæ profanæ, per alteram sapientissimam Rempublicam Romanam Ecclesiasticam, tandiu continuatus; Ideoque dicunt, quod magna temeritas, atque manifesta petulantia est aliquorum modernorum, redarguendi id, quod tandiu tot prudentes, ac sapientes viri servarunt.

Respondendo autem ad superius insinuata inconvenientia dicunt & bene, quod in rebus scientificis, seu literariam concernentibus: Non ignaro vulgo, cujus vox, qualis qualis sit, juxta Senecæ dictum, semper crepitæ speciem, ac fœtorem habet; Sed satisfaciendum est viris prudentibus, ac literatis, apud quos reflectentes ad stylum, atque scientes quidnam istæ decisiones contineant, utique scandalum concipiendi occasio dederit, cum illud revera proveniat a pura ignorantia, ut supra animadversum est.

Et quoad alterum stylum deferendi decisionibus, quasi 73
quod enim solis textibus, & glossis, ac antiquiorum auctoritatibus, procedendum sit; Respondent, quod ille quoque manifestæ ignorantiæ effectus esse dignoscitur; Siquidem si decisiones ponderentur, in eis potissimum primis, cum quibus tanquam receptis, ac magistralibus aliæ pertranseunt, deducuntur, ac examinantur textus, & Glossæ, & antiqui repetentes. Sed quoniam, (pro ingeniorum varietate, quæ omni tempore connaturalis fuit, & est,) etiam inter leges, contrarietates, seu antinomiæ habentur; Majores vero inter earum Glossatores & Interpretes, unde propterea, divisis modernioribus in factiones, adeo involutæ quæstiones exortæ sunt, quod plurium scriptorum dicendi consuetudo est, ut cum gladio, vel cum Imperiali auctoritate, eas decidere oporteat; Hinc proinde, quando magna Tribunalia, pluries unam ex controversis opinionibus, tanquam probabiliorem canonizarunt, congruum, ac rationabile est, ut cum hujusmodi

plu-

plurium sapientum concordi judicio procedatur, ne perpetuo veritas in incerto sit; Unde propterea stylus judicandi ab omnibus commendatur, atque speciem legis habet. *i*

74 Pro hujusmodi autem problematum decisione, Alii credunt, ut congruere videantur eadem, quæ superius, agendo de Congregatione examinis Episcoporum, sive de illa Fabricæ Sancti Petri, insinuata sunt; Ac prius in materia feudali, agendo de Bulla Baronum *l*, cum similibus; Ut scilicet generaliter, ac in abstracto, vere ista posterior opinio, quæ utrumque stylum approbat, atque commendat, probabilior censeri debeat, ac sequenda sit; Inconvenientia vero considerata per sequaces primæ opinionis, proveniant potius ab ea utriusque styli corruptione, malaque praxi, quæ omnibus humanis rebus est connaturalis, ac inevitabilis,

75 Quatenus etenim pertinet ad primum, circa editionem decisionum; Ille habet quidem rationabilia motiva superius recensita, quæ sine dubio præponderant aliis in contrarium ponderari solitis; Verum dicunt illi, qui consiliativam opinionem sequuntur, quod inconvenientia resultare solent ex modo illas edendi; Potissime vero ubi verificaretur id quod supponi solet (quod tamen ego affirmare non possum) quod scilicet, quandoque forte non extendantur decisiones ab iisdmet, qui sedendo in Rota, & audiendo sensum Tribunalis, recte sciunt quænam fuerint fundamenta, quibus innixa sit resolutio, & quæ fuerint rejecta, seu non discussa, ut ita explicent, in quibus revera decisio consistat,

76 Advocatorum enim, & Procuratorum stylus, potius commendandus, quam damnandus est, cumulandi plura motiva ob ingeniorum diversitatem, atque ad instar dapiferi, qui plures cibos apponere debet in mensa, ut ob varietatem gustuum ac stomachorum omnibus satisfaciat, dum sæpius illi ipsi, qui sibi videntur meliores, non placent aliquibus, qui eos nauseant, gustant autem cibos leves, vel ignobiles, aut perniciosos; Idem etenim in motivorum electione quotidiana praxis docet.

77 In extensione igitur decisionum ii, qui de his non sint informati, reassumendo informationes Advocatorum, omnia cumulare quandoque solent. Quinimo ex proprio ingenio, vel sensu, ea magis exornare ac alia superaddere quæ in Rota discussa non sunt, imo forte rejecta; Ideoque istud reputant abusum, quoniam cum decisio edatur, ad effectum ut succumbens sciat causam quare contra eum dubitetur, ut ita determinare valeat, an debeat acquiescere, vel contendere: Hinc sequitur, ut iste effectus non resultat, quoniam videntes defensores canonizari motiva insubsistentia, non possunt captivare intellectum, & acquiescere.

78 Credunt proinde iidem consiliatores, quod verus decisionum modus videretur ille, qui adhibitus est per aliquos antiquiores; & præsertim per Franch. (qui in magis communi sensu reputandus videtur Decisionantium idea,) Ut scilicet in forma discursiva, examinando omnia motiva, quæ hincinde in causa deducebantur, referat quænam rejecta fuerint, & quænam amplexa, cum in istis proprie decisio consistat; Quod etiam pleræque decisiones Rotæ antiquæ, & modernæ bene serviant, *ut infra*.

79 Id etenim alia multa, & quidem notabilia producit inconvenientia pro determinationibus aliarum causarum, apud Judices inferiores, qui frequentius, pro moderno inepto stylo pragmatico, absque alio discursu, vel ratiocinio, super diversitate casuum, seu circumstantiarum, quidquid legunt in decisionibus, attendunt ad literam, ut (nostri dicunt) tanquam evangelium, non reflectendo quænam sint partes substantiales, & quænam cumulata sint ad ornatum, sive incidenter, ac indigeste.

80 Et quamvis perpetuo Rota antiqua, media, & moderna, protestari professa sit, quod decisiones vere, & proprie consistere dicuntur in eo puncto, qui principaliter discussus, ac decisus fuit, atque in illis conclusionibus, vel motivis, quæ fuerunt causa resolutionis *l*: Attamen ista est medicina, quæ parum prodest; Tum quia inexperti Judices, ad hanc distinctionem non reflectunt, idque reputant Advocatorum ratiocinium, seu acumen; Tum etiam quia, frequentius decisiones id non distinguunt, unde propterea dignosci non potest, quænam fundamenta fuerint causa resolutionis, dum juxta stylum illorum Consulentium, qui ad causæ opportunitatem quandoque omnia motiva pariformiter cumulant, id sequi solet in decisionibus, non explicando, quale reputatum fuerit bonum, & quale malum.

81 Alterum observant abusum, qui coincidit in idem; Quod scilicet (ex quodam hujus Tribunalis stylo, qui est singularis, non solum comparative ad alia magna Orbis Tribunalia, sed etiam ad illa ejusdem Curiæ (ille, qui causam proponit, tanquam Ponens, vel Commissarius, nullum habeat votum; Exinde siquidem inolevit usus, ut iste sciat solam intitulationem causæ, nullam vero ejus informationem habeat, quasi quod superfluum sit studium in illa causa, in qua votum proferre non debeat; Hinc enim sequitur ut percipere, atque memoria retinere non valeat, quidnam proprie, ac præcise fuerit causa resolutionis, quæ frequenter manat ex aliquibus motivis, quæ in ea discussione excitata fuerunt, vel maturius tunc examinata, non autem ex votis, quæ domi singulariter extensa sint. Igitur partes Ponentis esse deberent, ut præ cæteris, melius de causæ meritis informatus, tunc id diligenter adnotaret, atque super illis motivis, vel fundamentis, stricte tanquam recte conscius sensus Tribunalis, decisionem extenderet, respondendo omnibus aliis motivis hinc inde deductis; ac solum deducendo illas auctoritates ac rationes, quæ necessariæ videantur, & super iis quibus cardo difficultatis resideat, non autem immorando in superfluo apparatu, atque in exornatione vulgarium regularum, & conclusionum, super quibus nulla sit inter scribentes hincinde controversia, utpote receptis, ac indubitatis.

82 Indecorum etenim a plerisque reputari solet, ut adeo magnum Tribunal, pro tyronico stylo, immoretur super inani chartarum repletione; exornando cum allegationibus eas nimium vulgares & receptas propositiones, ac regulas, quæ hodie sunt planæ & notoriæ; Utputa, quod constito de possessione anteriori, ea debet esse manutenibilis: Sive quod literæ Apostolicæ justificatæ, debeant executioni demandari; Aut quod accedente relevantia, atque non docto de calumnia, in profanis, danda sit remissoria; Vel quod constito de fidicommisso, ejusque purificatione, justificatisque aliis justificandis, nempe legitimatione personarum, identitate bonorum, & non competentia detractionum, fideicommissario danda sit immissio; Aut quod præsentato ab omnibus, vel a majori parte eorum, quos constet legitimos esse patronos, debita sit institutio, cum similibus, in quibus nulla penitus cadat quæstio, quæ solum resideat in verificatione præsuppositi, ex quo hujusmodi propositiones, vel consequentiæ manant, cum etiam in ipsismet Advocatis, vel consulentibus indecorum videatur, ac damnabile sit, ut infra agendo de Advocatis advertitur; Igitur super eo insistendum est, atque hujusmodi propositiones, vel consequentiæ, tanquam jam notatæ, & non controversæ debent præsupponi, scribendo more magistri, non autem more discipuli, vel tyronis.

83 Displicent etiam aliquibus (& non immerito,) nimiumque præjudiciales reputantur illæ digressiones, quæ absque aliqua necessitate fiant in decisionibus, quæ super incidentibus edantur circa merita negotii principalis de quibus incidenter solum, & pro gustu, non autem principaliter, & ex professo actum sit, ita aperiendo sensum Tribunalis qui vere adhuc maturus non adsit, atque incidenter firmando ea, quæ revera formiter discussa non sunt; Utputa: In disputatione remissoriæ deducuntur aliqua tangentia meriti negotii principalis, pro solo negotio superficiali, ad effectum gustandi de relevantia, vel irrelevantia, & ad quem effectum sufficit levis cognitio; dum sola dubietas, vel possibilitas relevantiæ pro concessione sufficiat; Et tamen (ut pleræque decisiones ostendunt) per viam plenæ, ac formalis tractationis, ex professo firmatur totum id, quod factis probationibus, superest formiter disputandum, Unde propterea mea semper fuit consuetudo consulendi, ut hujusmodi incidentium disputationes non assumantur, sed quod petitionibus darentur manus, ad evitandum dictum inconveniens, vel præjudicium, quod longe gravius est altero, quod resultet ab aliqua dilatione, sive causæ protractione in longum. *m*

Sive, ubi quæstio sit in solo possessorio adipiscendæ, vel retinendæ; Si ad ejus effectum, incidenter solum, & pro gustu deducantur ea, quæ respiciunt merita, ad colorandam scilicet possessionem, ut facilius censeri debeat manutenibilis, vel ad reddendam rem turbidam, ut oppositor dici non valeat legitimus contradictor, & ad quem effectum sufficit talis qualis turbiditas; Utique erroneum est incidenter firmare ea, quæ respiciant petitorium, proinde ac si de illo principaliter, & ex professo actum esset, dum postea in disputatione negotii principalis, hujusmodi decisiones magnam faciunt impressionem, magnaque pariunt præjudicia; Et de consequenti, dicunt

iidem, quod iste quoque sit abusus considerabilis, cum decisio stricte percutere debeat punctum decisum, insinuando solum superficialiter dubitandi rationes, quæ superesse possunt, & quod sufficit, ad effectum hujusmodi incidentium, nihil tamen desuper firmando.

84 Contingit quoque aliquando, quod in decisionis revisione, Advocati, qui eam impugnant, aliquorum ejus fundamentorum fallaciam clare convincunt, idque Rota agnoscit; Verum ex aliis solidis motivis, (juste quidem) persistit in decisis; unde propterea ipsa resolutio vere justa, beneque fundata sit, sed in secunda decisione confirmatoria, deducendo solum ea solita fundamenta, quæ fuerunt causa resolutionis, alia negliguntur; n Id autem errorem redolere videtur, dum debet fieri mentio de eorum insubsistentia, ad evitandum illud inconveniens, quod ita prima decisio firma remaneat, circa ea fundamenta, quæ vere fallacia sunt, utpote non revocata, vel non declarata, pro aliarum causarum decisione apud Judices inferiores, & quandoque apud eandem Rotam in diverso turno, seu tractu temporis, mutatis iis, qui tunc sedebant, ac informati erant, ut pluries expertus sum.

85 In idem quoque tendit, non invigilare cum peculiari studio, summaque applicatione, ne per Collectores, bene non conformatos; utpote forum non versantes redigantur in volumina decisiones revocatæ, vel declaratæ, saltim non adjectis ibi proxime aliis decisionibus revocantibus, vel declarantibus, dum cum auctoritate earum, quæ jam revocatæ, vel declaratæ sunt, per hanc notitiam non habentes procedi solet; Atque hic revera Curia negligentiam inexcusabilem adhibet, ut etiam supra occasione agendi de impressione Bullarum Apostolicarum advertitur; o Aliosque similes abusus adesse plures sensati viri opinantur in hac decisionum impressione, ideoque cupiunt ut magis accurate ad id reflecti deberet; Ac propterea concludendo, laudant stylum in genere, seu quandoque non laudant ejus praxim, ex qua potius, quam ex ipso stylo resultant inconvenientia, quæ per alterius opinionis sequaces ponderari solent.

86 Quo vero ad alium stylum deferendi decisionum auctoritati; Pariter malum non consistit in substantia, sed in modo; Certum etenim est, quod decisionibus supremorum collegiatorum Tribunalium, inter omnes doctrinas, ac auctoritates, dignior, ac primus, longeque major locus tribuendus est, ex jam insinuata ratione, quod est cumulus plurium judiciorum pro veritate, in idem prævio lumine, quod a disputationis trutina, & ab Advocatorum acumine recipitur; Unde propterea stultitiæ species est privatorum scribentium auctoritatem huic auctoritati exæquare, præsertim vero ubi agatur de eodem Tribunali, cujus commendabilis quidem stylus est, quando vehemens ratio non urgeat, non recedere a receptis ejus opinionibus, antiquitati, ut decet, deferendo. p

Verum abusus consistit in ejusdem styli mala praxi, attendendo scilicet decisiones, quæ in aliis causis prodierint, in sola litera, sive in sola generalitate, non bene reflectendo ad circumstantias casuum, in quibus illæ decisiones prodierint, ac ad illum casum, de quo sit controversia, faciendo illarum combinationem pro congrua applicatione. Præsertim vero ubi agatur de quæstionibus ambiguæ voluntatis, vel similibus, quæ facti potius, quam juris dicendæ sunt, quoniam frequenter, in materia fideicommissaria, fereque in omni alia advertitur, stant bene simul, ut eædem conjecturæ, & argumenta, in uno casu approbari, & in altera reprobari mereantur; Sive quod in una sufficiant & abundent; In altero vero, eadem ac alia longe majora, insufficientia reputanda veniant, quia sic unius, ac respective alterius casus circumstantiæ exigant, ob diversitatem personarum, locorum, & temporum, sive alia accidentia, quæ in uno casu considerabilia sint, in altero autem non.

87 Id autem generaliter in omnibus aliis doctrinis procedit præsertim vero in illis Consulentium, etiam ubi ipsa Consilia, seu Responsa ad veritatem edita sint, adeout decisionum quandam speciem, seu imaginem habeant, quoniam possunt bene simul stare, quod in eo casu, ob ejus circumstantias, illæ conclusiones bene adaptentur, quæ tamen non congruant casui controverso; Sive quod aliquæ propositiones in eo Responso ad ornatum potius ac superabundantiam more exterorum consulentium deducantur, vis autem Responsi consistat in aliis solidioribus fundamentis, cum quorum associatione, alia leviora bene procedant, quæ tamen sola, & de per se nihil valent. Ac propterea manifestus error est capere, seu attendere Decisiones vel Responsa, ut partes, cum attendi debeant unitim, ubi combinando, (ut dictum est) omnes circumstantias pro congrua applicatione, in qua tota est vis judicantis.

Ut enim in omni fere materia, frequens, ac forte fastidiosa (semper tamen opportuna) mea est dicendi consuetudo; q Apud antiquiores quamplures pendebant controversæ quæstiones, habentes Doctorum classes hincinde, unde propterea Judicis labor, ac studium erat in perquirendo, quæ opinio, magis communis, vel magis probabilis esset, quam ipse sequi deberet; Hodie vero, nulli, vel nimium rari sunt isti casus, quoniam per magnorum Tribunalium decisiones, ac modernorum magis receptum sensum, omnes hujusmodi quæstiones, jam sopitæ sunt, statuta una opinione pro regula, & altera pro limitatione unde propterea totum pendet ab applicatione, quæ regulanda est, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, inspiciendo, an in casu regulæ, vel in altero limitationis versemur; Et consequenter erroneum est, cum generalitatibus procedere. r 88

Hinc proinde, agendo (ut dictum est) occasione istius Tribunalis, generaliter de boni, ac sensati Judicis idea, Concors est Juristarum, ac moralium sensus, ut copulative in eo requirantur doctrina, & morum integritas; Quæstione cadente quænam potius desideranda sit; Atque Juristæ præsertim, magis communiter desiderare videntur doctrinam, ex eo quod minus malum sit Judicem esse doctum cum malis moribus, quam bene morigeratum, sed indoctum; ſ Verum hæc opinio substantialis est, quando mali mores sint privati, idest circa ejus vitam, seu propriam conscientiam tantum, non autem ubi sint publici, nempe circa corruptelam, seu aliam justitiæ violationem, adeout mali mores influant in ipsam Judicaturam, cum tunc agendo de illo, qui solum partes Judicis gerere debeat in causis de justitia decidendis, præsertim in hujusmodi Tribunalibus, magis integritas, quam doctrina desideranda videatur, quoniam lex permittit Judicem imperitum; t Et tamen non permittit Judicem non integrum, & corruptibilem; Ex ea congrua ratione, quod imperitia bene suppleri potest per Assessores, & Consiliarios, vel alios Adjutores peritos, ut frequens, & quotidiana praxis docet, sed alteri malo occurri non potest; Adeout Apostolus moneat, ut indocti, & contemptibiles potius in Judices eligantur; u (Ideoque non mirum si quandoque id servari videmus;) Licet enim id mysterium contineat, atque in sensu allegorico potius, quam literali intelligendum veniat, monendo scilicet viros religiosos, & ecclesiasticos, ut potius inter se ipsos ab indoctis, & contemptibilibus judicentur quam quod judicium sæcularium forum strepitosum adeant; Sive quod judicium sæculare patiantur: Adhuc tamen dici potest, quod Apostolus non improbat Judicem indoctum, non tamen scriptum reperitur, ut approbetur Judex corruptibilis, & non integer. 89

Dictum autem magis communis sensus Juristarum, intelligendum venit de Judice, in magis lata significatione, idest de Rege, seu Præside, aut Gubernatore, vel Rectore Provinciæ, vel Civitatis, cui incumbat regimen politicum, ac civile, pro quo expedit, ut Rector sit potius sagax, & diligens cum malis moribus, quam timoratissimæ conscientiæ, magnoque probitatis, sed indoctus, vel alias parum aptus.

Verum posita utraque qualitate: Quatenus pertinet ad doctrinam, seu literaturam: Licet illa principaliter desideretur in utroque jure, sive in eorum uno, pro muneris, vel judicaturæ qualitate, quod scilicet Judex sæcularis sit magis versatus in jure civili, ecclesiasticus autem in canonico: Quod tamen raro est practicabile ex communi dicterio, quod legista sine Canonibus parum valet, Canonista vero sine legibus nihil. x

Non tamen ista sola literatura sufficit scholastica, seu theorica, nisi accedat etiam practica, seu forensis, quinimo magis ista quam illa, melius tamen utraque simul juncta; Et tamen neque ista litteratura sufficit, quinimo ubi magna nimiumque ingeniosa est, judicaturæ præjudicialis esse solet, præsertim vero, ubi sit judicatura talis quæ admixtum habeat regimen politicum, seu civile; Ut (ex. gr.) est illa Episcopi, vel Gubernatoris; Unde propterea in Curia circumfertur opinio, quod eximii, & ingeniosi Advocati, non solent esse boni Judices, vel boni Episcopi, vel Gubernatores: Ex ea scilicet ratione, quod ii qui toti dediti sunt literarum studio, atque acumini ingenii, non autem judicio princi- 90

pa-

qualiter vacant, in isto, atque in prudentia deficere solent, istæque partes, cum ingenio magis plano ac moderato Judici congruere videntur, dummodo tamen adsit sufficiens litteratura, dum præsertim in magnis Civitatibus, magnisque Tribunalibus, in quibus adest copia eximiorum Advocatorum, aliorumque litteratorum, omnia, quæ in jure disposita sint, promoventur, ac proponuntur, unde propterea requiritur quidem in Judice talis litteratura, ut utriusque Juris terminos ac principia bene calleat, atque propositiones juridicas quæ hinc inde deducuntur percipiat. Sed magis necessarium est bene adæquatum judicium ut distinguat, sive ut reflectat ad circumstantias facti, earumque judiciosam combinationem faciat pro congrua applicatione, ad quam hodie boni Judicis partes unice restringuntur, quamvis etiam magna litteratura nimium proficua sit, ut Judex supplere possit ea, quæ desunt Advocatis, sive pro casibus, in quibus contra contumacem se non defendentem, una tantum parte informante procedatur; Ideoque merito non dicitur juris scientia, sed jurisprudentia, quæ propterea quoque nimium, ac principaliter necessaria est, eaque absque longa rerum experientia non de facili obtinetur, vel ut partes ad concordiam inducat, ac lites resecentur, vel ut ipse ita se gerat, ut Partibus suspectum non se reddat; y Atque sicuti antiqui artis oratoriæ magistri, in Oratoribus, historiarum, ac politicæ peritiam desiderant, ut infra agendo de Advocatis, aliisque causarum defensoribus advertitur; Ita magis in Judice, cum ex his prudentia manet, ideoque in judice major, quam in Advocato idoneitas desideranda videtur. z

Hinc ad majores, ac primatas judicaturas in supremis præsertim Tribunalibus, commendabilis, nimiumque proficuus est transitus per gradus; Improbabilis vero est, ac damnata promotio per saltum, sine experientia, quamvis etiam adsit litteratura: Multo vero magis ubi utraque desit; Quinimo pro meo sensu (in magnis præsertim Tribunalibus) etiam peritia in rebus concernentibus mercaturam, & negotiationem, desideranda venit; Ideoque plurium partium cumulativus concursus desideratur; Atque ad istum concursum potius, quam ad ingenium, vel ad solam magnam litteraturam est reflectendum; Ad instar eorum, quæ habemus in prælectione facienda per Episcopum in concursu ad Ecclesias parochiales ad formam Concilii Tridentini, ut in sua sede advertitur.

Et per consequens; Aliqui commendantes quidem prætensionem antiqui styli publicarum ac privatarum disputationum faciendarum per eos, qui Auditorum Rotæ, vel Advocatorum Consistorii collegiis cooptandi sunt, ut supra) pro sola majestate Curiæ, non tamen id commendant pro fine, ad quem hujusmodi functiones peragi dicuntur, cum nil commune habeat ista scholastica, vel potius tyronica functio (congrua quidem iis, qui ad Cathedras assumendi sunt,) cum partibus Judicis, vel etiam Advocati in Principis consistorio.

Quamvis autem aliquando in iis, qui eximii, ac magni Advocati fuerint, munus Judicis, vel Episcopi, aut Gubernatoris, parum felix esse praxis docere soleat; Unde propterea contra genus Advocatorum ista traditio apud aliquos in Curia volutare soleat; Error tamen est manifestus, id ita generaliter, ac indefinite asserere, cum id sequi soleat, potius prolimitatione regulæ, in uno ex duobus Advocatorum generibus; Vel scilicet in iis, qui cum solo ingenii acumine, atque cum mere leguleicis rigoribus, in omnibus casibus, omnibusque personarum generibus procedunt, non bene distinguendo personas, loca, tempora, & negotia; Vel in iis pejoris conditionis viris, qui ob consuetudinem ab eis contractam, in dies manus habendi plenas muneribus, & pecuniis clientum, talem consuetudinem etiam in statu judicaturæ retinere satagant, ut in aliquibus partibus praxis quandoque docet; Id autem in Mundo antiquum fuisse, docemur ex antiqui Græci Poetæ versibus, quos in latinum traduxit eruditissimus Juris professor Alciatus b hujus tenoris.

Imperium quæ serva fuit, ne sumat herile
Hoc vetus est, aliud nunc tibi dico novum.
Quisquis causidicus fuit, is ne judicet unquam,
Rhetore sit quamvis doctior Isocrate.
Venalis vir lingua, opes aquirere suetus,
Judicium haud unquam sordibus absque feret.

Illud vero secundum genus certe non datur in Curia, quoniam cum Advocatorum honorarium sit jam taxatum in summa valde moderata, quæ solum a sponte dantibus, recipitur, ab invitatis autem non exiguntur, ut infra in Curialium sede advertitur; Hinc sequitur, ut ista mala consuetudo excoriandi non verificetur; Solet autem aliquando verificari prima, sed raro tanquam limitatio regulæ, quæ vere est in contrarium, quoniam jam versatus Advocatus, longe magis alienus est ab æquivocis, 91
atque a defensorum fallaciis, longeque facilius negotia percipit, & expedit, cum ejus idoneitas sit absque dubio magis scientifica, & fundata.

Redeundo autem ad Rotam, (a qua promissa neque extranea sunt;) Ea quamplures habet stylos particulares, quorum aliqui sunt commendabiles, alii vero commendatione digni per aliquos non reputantur, in hoc relatoris partes solum me explente.

Inter quamplures autem stylos, quos omnes reassumere nimis laboriosum, ac forte tædiosum esset, istisque vere furtivis subcisivarum horarum adnotationibus omnino incongruum; Illi præsertim dignoscuntur, ultra eos, qui jam supra insinuati sunt, circa dubiorum disputationes, ac decisionum editiones, & novas audientias, ac alias.

Primo nempe (& quidem commendabiliter) quod aliorum Tribunalium, vel Judicum res judicatas, non attendit, 92
neque exequitur, nisi ad earum justitia gustet. c

Secundo, quod profitetur attendere potius rationes, quam majorem cumulum doctrinarum; d Ut revera docent ma- 93
gna Tribunalia; Quamvis aliquando non bene servetur, Summam etenim rationem iste stylus habet, ideoque pro meo sensu, ab omnibus Judicibus servandus esset, quoniam ubi non agatur de lege expressa, & præcisa proprii Principis, quæ in ratione auctoritativa, præcisam, ac necessariam faciat auctoritatem, sed agatur de articulis in jure controversis, habentibus auctoritates, ac opiniones hinc inde; Sive etiam de interpretatione legum civilium, quas in ratione voluntarii usus potius habemus, quam ex præcisa, & necessaria auctoritate juxta legalem historiam alibi repensita e; Hinc nimis improprium ac indecorum est, ut magnum Tribunal, quod est præsupponendum, ut constituatur ex pluribus eximiis Jurisconsultis, sequi debeat cum cæca fide traditiones frequenter indigestas eorum, qui potius ex otio, tanquam pro forensibus rebus inepti, volumina ediderunt; Potissime, quia ubi etiam super aliqua traditione, magnus habeatur scriptorum cumulus, adhuc tamen si diligenter advertatur ad segregationem eorum, qui in diverso casu, vel cum diverso præsuppositio loquantur, ac eorum, qui sine aliquo discursu sunt puri collectores, vel transcriptores ita invenientur, quod ad valde exiguum numerum reducantur illi, qui numerari merentur; Fortius vero si bene perquiratur origo, seu principium, quia nempe traditio desumpta sit ex dicto alicujus antiqui gravis Auctoris, cujus nunquam in animo fuit asserere id quod supponitur; Ideoque plures ex iis dicendi sunt testes de auditu auditus; Et alii de auditu ab iis, qui non dixerunt, ac propterea congruentius est rationes, & principia perquirere.

Tertio, ubi etiam agatur de propriis executorialibus, & 94
invim propriæ rei judicatæ, si executio per longum tempus neglecta sit, illaque petatur post decem annos, concedi non solet, nisi Parte iterum audita, cum disputatione dubii; Commendabiliter quidem, quoniam tam diuturna & inverisimilis negligentia, aliquam redolet probabilem suspicionem. f

Quarto, ubi procedit per contradictas contra absentes, & præsertim contra eos, qui sint in remotis regionibus, de commendabili stylo, quandam facere solet cumulationem, saltim virtualem possessorii, cum petitorio, quod 95
scilicet non determinat possessorium, non bene gustato de bono jure in petitorio g quamvis regulæ Juris sint in oppositum, quod scilicet possessorium nil commune habet cum petitorio, atque prius illud est terminandum, ut in judiciorum sede advertitur, agendo de possessoriis.

Quinto, quando agitur de judicio possessorio præsertim summariissimo retineodæ, quod est executivum, & non retardabile per appellationem, sive de revocatione attentatorum, solet quandoque demandare, ut videatur de bono jure sine præjudicio dicti processus, ad eundem effectum manutentionis, vel revocationis attentatorum; Idque commendabile reputatur, cum bonos effectus quandoque producere soleat. h

Sexto in causis dubiis, sive ubi alias timeri valeat, quod inconvenientia producenda sint, insinuare solet concordiam, atque in ea nimium cooperari, & quandoque etiam

Atque ubi Papæ placeat assumere Prælatum ad officium Datarii, pro frequentiori usu, assumit unum ex Rotæ Auditoribus; e Quod etiam sequi solet in munere Datarii, apud Cardinales de latere ad Reges, magnosque Principes, aliaque officia eis committi solent pro Papæ arbitrio.

Ex hoc Tribunali, ultra tot supra enunciatos, Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episco-
111 pos; Multi quoque prodierunt scriptores in utroque jure, aliisque facultatibus, quorum labores ad posteritatis instructionem habemus in voluminibus publicæ luci datis, præter tot volumina decisionum, quæ sub nominibus peculiaribus ipsorum Auditorum, vel in confuso collectæ fuerunt per Prosperum Farinaccium, & Paulum Rubeum, qui non fuerunt Auditores Rotæ, sed collectores aliquarum decisionum hujus Tribunalis, eas ad publicam utilitatem in volumina redigendo.

Ex isto etenim Tribunali fuerunt præ cæteris Authores, in infrascripta serie recensiti, Videlicet.

Sanctus Raymundus, qui ea commissione Gregorii IX. fuit compilator quinque librorum Decretalium, quorum notabilis pars ea hujus Tribunalis decisionibus desumpta est, ut supra.

S. Antonious Archiepiscopus Florentinus.
Gulielmus Durandus, qui speculator nuncupatur.
Oldradus de Ponte.
Ludovicus Pontanus, seu Romanus.
Lapus.
Zabarella.
Turrecremata.
Abbas Panormitanus.
Felinus.
Bellameta.
Jo. Antonius de S. Georgio.
Decius.
Gammarus.
Antonius Augustinus.
Pavinus.
Gomesius.
Cocseitus.
Bellincinus.
Jacobatius.
Simonetta.
Paleottus.
Mantica.
Penla.

Et alii, quorum notitia non habeatur, vel quos memoria non suppetat; Unde liquet quale seminarium sit istud Tribunal.

112 De aliis autem circa sanationem terminorum, vel circa prorogationem fatalium, sive circa nullitates, quas attendere, vel rejicere debeat, ac similibus concernentibus ordinatoria judicii, habetur seorsim intra in suis Rubricis, occasione agendi de terminis substantialibus, ac de nullitatibus, & de appellatione, aliisque concernentibus istam materiam processus, & actorum; Aliaque studiosus perquirat, & addat, cum non uni omnia.

a *supra disc. 5.* b *Buratt. & add. dec. 818. Coccin. dec. 2088. Dunoz. dec. 709. & in Tirasonen. jurisdictionis 14. Decemb. 1663. cor. Vicecomite edita in casu, de quo sub tit. de jurisd. disc. 22. Rovit. super prax. in Rubr. de Officio S. Consil.*
c *ibidem.* d *Coccin. dec. 1533.* e *Vestr. lib. 4. cap. 2. & lib. 2. cap. 3. & in constit. 44. Pii IV.*
f *Dunoz. dec. 664. & passim.* g *ut sunt Decius & alii.*
h *Alexand. contra Romanum allegantem has dec. in l. si cum dotem, §. eo autem tempore, n. 4. ff. soluto matrim.*
i *Const. 2. Sixti IV.* k *2. in opusc. 111. de vit. virt. c. fin. Prat. discept. 42. n. 83. tom. ..* l *disc. 1. de servit. ubi de loco inventionis legam.* m *eod. disc. 1. de servit.*
n *supra, disc. 21.* o *tit. de praemin. disc. 28.*
p *tit. de judiciis, disc. 39.* q *tit. de praemin. disc. 28.*
r *Constit. 210. Urb. VIII. & de hac admissione, ejusque solemnitatibus, Coccin. notab. 1. post primum volumen dec.* ſ *dec. 154. p. 2. divers. Bich. dec. 564.*
t *Bich. dec. 315.* u *Constit. 44. Pii IV. Rojas, dec. 485.*
x *Rojas, dec. 380. & passim.* y *præsertim in casu, de quo sub tit. de benef. disc. 3.* z *Constit. 4. Pii IV. & Const. 70. Pauli V. super reformatione Tribunalium.*
a *Constit. 3. Martin. V.* b *Seacc. de jud. glos. 4. q. 24. Niger. de Laudem. tom. 1. q. 45.* c *Affl. dec. 96. & 190. Capyc. Latr. consult. 6.* d *tit. de dote, disc. 28.*
e *Bich. dec. 459. Cels. dec. 6. Ottbob. decis. 230. adden. ad Burat. dec. 479.*

f *Franch. dec. 605. Gait. de cred. cap. 4. q. 7. n. 729. Fontanell. de pact. cl. 6. gl. 2. p. 3. num. 46. Borell. in summa dec. p. 3. in praef. n. 207. & 211. & aliis.*
g *Bich. dec. 303. 272. p. 12. rec. dec. 390. p. 11. & passim.*
h *dec. 226. p. 9. rec. n. 3.* i *infra, disc. 53.* k *supra disc. 20. & 31. & tit. de feud. disc. 75. cum plurib. seqq.*
l *Seraph. dec. 299. dec. 17. p. 7. rec. Bich. dec. 480.*
m *tit. de jud. disc. 31.* n *præsertim in casu, de quo tit. de testam. disc. 31. & in aliis.* o *supra, disc. 27.*
p *Burat. dec. 863. n. 13. & tit. de Judic. disc. 35.*
q *præsertim sub tit. de fideic.* r *de his agitur etiam infra, agendo de Advocatis, eorumque modo scribendi, disc. 46. & tit. de judiciis, disc. 55.*
ſ *Rovit. pragm. in Rubr. de sale vendendo.*
t *tit. de judic. disc. 3. & 4.* u *Apostol. Epistol. 1. ad Corinth.* a *lib. 14. in adnot. ad Conc. Trid. disc. 31.*
y *Bovadill. lib. 1. polit. cap. 6.* z *Bovadill. ubi supra.*
a *in annot. ad C. T. disc. 32. & tit. de Paroch. disc. 37. & in aliis.* b *lib. 12. parergon. C. ult.*
c *Cavaler. dec. 62. & 270. decis. 132. p. 6. rec. Merlin. dec. 38. & sæpius.* d *plura cumulant adden. dec. 460. p. 4. rec. tom. 2. n. 18.* e *d. disc. 1. de servit.*
f *tit. de jurisd. disc. 2. & tit. de jud. disc. 40. in quo agitur de executorialibus.* g *Leod. dominii 10. Januarii 1650. cor. Cerro.* h *Bich. dec. 605. & sæpius.* i *Caputaq. dec. 214. p. 2. Caval. dec. 132. & sæpius.* k *Rovit. dec. 95. Jo. Baptista de S. Greg. de transact. q. 20.* l *Bich. dec. 417. dec. 343. p. 10. rec.* m *tit. de benef. disc. 52.*
n *dec. 332. p. 10. rec. Dunoz. dec. 849.* o *Bich. dec. 468. Rojas dec. 385. & in aliis.* p *Martin. Andr. dec. 48. & in aliis pluries.* q *tit. de jud. disc. 37. & 24.* r *sub tit. de jurepatr. disc. 36.* ſ *tit. de jud. agendo de appel. & de re judic. disc. 37. & 38.* t *Coccin. notabil. 261. post primum vol. decisionum.* u *Cocc. dec. 399. n. 5.*
x *supra, disc. 8.* y *supra, disc. 12.* z *supra, disc. 18.*
a *supra, disc. 37.* b *supra, disc. 20.* c *supra, disc. 9.*

SUMMARIUM.

1 *DE Tribunali Rotæ, & modo votandi, quænam pars esse debeat.*
2 *Quando causa videnda sit ab omnibus extra turnum ordinarium.*
3 *Adjutores studiorum Auditorum Rotæ post susceptum munus Advocationis, in quibus causis prohibendi veniant.*
4 *Advocati, & Procuratores in die studii ingredi non deberent domus Auditorum.*
5 *De abusu, ut dicti Adjutores studiorum capiant honorarium ultra solitum pro extensione decisionum.*
6 *Famuli possunt in casu Victoriæ exigere præmium, vulgo mancie a litigantibus.*

ANNOTAT. AD DISC. XXXII.

CUm isto Rotæ tribunali in hoc mei muneris anno primo aliqua adfuit occasio tractandi super puncto propinarum, sed quoniam ad hoc agitur *in adnot. ad disc. 39. de judic.* idcirco ad ibi dicta sufficiat relatio. x

De modo etiam votandi actum est, quando scilicet adesse dicatur necne resolutio, quoniam juxta ea, quæ per seniorum traditiones dixi in discursu, stylus erat quod ad resolutionem non sufficeret major pars, sed necessariæ forent duæ ex tribus; E converso autem Rota moderna est in sensu diverso, ut sufficiat major pars, quare habito desuper recursu ad Sanctissimum iste mihi mandavit, ut desuper informationes caperem a Cardinali Cerro commorante in ejus residentia Episcopatus Ferrariensis, qui juxta enunciata *sub tit. de benef. disc. 143.* per 50. & ultra annos laudabiliter sedit in hoc Tribunali, cujus etiam per tempus notabile fuit Decanus, ideoque melius informatus de stylis, quorum peritia, & observantia Decano potius, quam aliis incumbit; Iste autem retulit, quod esset præfatus stylus de duabus, ita etiam disponente, vel præsupponente utraque reformatione Pii IV. & Pauli V. quoque solum in casu, in quo post pluries causam propositam capi non posset resolutio, cum hoc votorum numero, vel facto verbo cum Sanctissimo, vel ea determinatione ejusdem Tribunalis caperetur resolutio pro majori parte, & quo casu antiquus stylus erat, ut patet ex pluribus decisionibus, & præsertim apud Durand. *dec. 145. & 156.* & apud Merlin. *dec. 792.* ut id exprimeretur in decisione, quæ extendi solet potius ad formam discursus, referendo utriusque sententiæ fundamenta,

idem-

idemque mihi affirmarunt aliqui seniores causarum Patroni desuper consulti, adhuc tamen nulla capta est resolutio.

Motivatum quoque fuit per aliquos Curiales, quod licet in facultate Tribunalis, imo solius Decani repositum
2 sit mandare, quod causa videatur ab omnibus, etiam extra turnum ordinatium; Nihilominus id concedendum non est in secunda instantia, quando sententia primæ instantiæ prodiit cum resolutionibus a solo turno facti, quoniam ita est supplantare appellantem, eique tollere fiduciam habitam in turno non suspecto, utpote ejus animo adhuc non declarato, & sic cum æqualitate inter unam instantiam, & alteram, & e converso, esset inducere magnam inæqualitatem, quoniam illi de priori turno utpote appellari juridice suspecti, trahendo ad se aliquod ex votis posterioris turni persisterent in eadem sententia, ideoque non esset mutare Judicem, qualis est effectus appellationis, & per consequens iste dicendus esset abusus; Atque tunc non incongruum videtur id demandare, quando ageretur de tertia instantia, ita tamen quod adessent sententiæ hinc inde, quia unus turnus fuerit in uno voto, & alter in altero, dum tunc arma sunt æqualia. In eadem vero instantia in quadam gravi causa, in qua Papa ex zelo solo Justitiæ ostenderat aliquam inclinationem, ut videretur ab omnibus ex aliquibus probabilibus quidem motivis insinuatis ab eo, qui duas resolutiones in uno turno passus erat, præsuppositum fuit stylum esse inconcussum id non practicandi, nisi quando non adsit resolutio ob votorum discordiam, adeout pluries causa proposita illa capi non potuerit, secus quando illa adsit, & multo magis ubi duæ, cum tunc cesser ratio, ob quam id fieri congruit; Idque visum est rationabile, ideoque prompte remissum arbitrio ejusdem Tribunalis; Bene verum quod illa pars, quæ petierat videri ab omnibus, negabat hoc præsuppositum, adducendo quamplura exempla in contrarium, unde pariter congruum videtur ut super hoc aliqua capiatur provisio, ut etiam super
3 plerisque aliis abusibus, qui litigantibus magnas inferunt suspiciones, magnamque præbent conquerendi occasionem, & præsertim circa Adjutores studiorum, quod nullatenus dum in eo sunt munere suscipiant causarum patrocinium, vel curam, aut aliquam licet remotam participationem, vel affectionem, ad hoc ut quando eo munere derelicto, alterum suscipiunt Advocationis, illas habeant clientelas, atque ita avviamentum præparando, & comparando pro futura advocatione, quoniam revera est magnus abusus productivus multorum inconvenientium, vel saltim quando omnino probi, & integri præsupponendi sint, præbet occasionem suspicandi, & conquerendi partibus, unde propterea decernendum videretur, quod in illis causis, in quibus ipsi in hoc munere partem habuerunt, quasi tanquam Judices nullo modo possint scribere, vel se ingerere tanquam Advocati, etiam post dimissum munus.

Prout etiam opportunum, quinimo necessarium esset providere quod Advocati, & procuratores, imo etiam sollicitatores, nullo pacto in die studii ingredi possint domus
4 Auditorum, ibique studere; Idque generaliter etiam in Tribunalibus Cameræ, magis vero in illo Signaturæ, atque aliis decernere nimium opportunum, ac rationabile esset, cum id etiam pleraque producat inconvenientia justitiæ præjudicialia, vel saltim magnam præbeat suspicandi, & conquerendi occasionem in litigantibus; Ac etiam ut Judex omnino abstineat tam directe, quam indirecte, atque tam mediate, quam immediate assumere favorem, & protectionem eausidicorum, sive sint Advocati, sive Procuratores, eosque commendare litigantibus, in quorum omnimoda libertate posita esse debet eorum electio, dum judicis preces, & commendationes violentiam, ac præceptum apud litigantes redolent, ut etiam in discursu advertitur.

Et quoniam antiquus usus non improbandus induxit, quod illa pars, quæ favorabilem reportavit resolutionem, pro decisione, quæ desuper juxta stylum extendatur, præbeat Adjutori studiorum Ponentis tanquam pro mercede laboris desuper adhibiti, honorarium simile illi, quod Ad-
5 vocato, vel Procuratori solvitur pro informatione vigintiquatuor scilicet, vel ad summum triginta juliorum, ut de hoc honorario, ejusque ratione agitur infra, *disc.* 46. casus vero quandoque præbuerit quod in aliquibus causis valde gravibus, præsertim magnatum, vel alias nimium divitum litigantium, isti ex victoriæ lætitia liberalitatem cum eis exercere voluerint, solvendo istud honorarium duplicatum, vel triplicatum, & ultra etiam quandoque in decuplo; Hinc paulatim id transierat in abusum, adeout redolere videretur speciem corruptelæ, ut ita ad partium complacentiam forte extenderentur decisiones, atque in eis adjicerentur motiva per Judices non canonizata, & sub silentio involverentur motiva alterius partis, quæ probabilem dubitandi rationem præbetens, ut hunc abusum valde damnando, & inculcando habetur in discursu, quia revera ob plures effectus malos quos producit, nimium damnabilis est; Idcirco de mandato Papæ ego insinuavi Decano, ut id omnino prohiberetur, ac nullatenus permitteretur sub quovis prætextu sub comminatione punitionis illius Auditoris, qui contraveniret, ut de facto practicabitur, quando talis contraventionis habeatur notitia, quæ tamen difficilis est, quoniam illi (quatenus adsint, quod non creditur) qui ex avaritiæ stimulo huic turpi lucro vacent, rem nimium occultare satagunt. Ut etiam prohibitum fuit famulis, ne a litigantibus pene invitis exigant illa munera, quæ vulgo *mancie* dicuntur, pro favorabili resolutione, quodque solum contenti esse debeant illis muneribus, & recognitionibus, quæ ex Curiæ usu dari solent in festis nativitatis Domini, & in Kalendis Augusti, licet ista sit lex, quæ difficillimam, & impossibilem habeat praxim, cum agatur de vilibus personis, quas ubi pecuniæ, & lucri satio accedat, pene impossibile est coercere in iis, in quibus non habeantur partium offensarum recursus, & querelæ.

De Tribunali Cameræ Apostolicæ.

SUMMARIUM.

1 *DE origine, seu introductione hujus tribunalis.*
2 *De numero præfinito Clericorum, & quando id secutum sit.*
3 *De statu hodierno Tribunalis, & ex quibus illud constituatur.*
4 *De Cardinali Camerario, & de aliis Cameralibus, qui sedent in Camera ultra Clericos.*
5 *In quibus diebus Camera teneatur, & in quo loco.*
6 *De Camera tributorum in vigilia Apostolorum.*
7 *Quale votum habeant Camerales, & in quo differant a Clericis.*
8 *De prærogativa Advocati, & procuratoris fisci.*
9 *Habetur usus contradictoriorum.*
10 *Quomodo fiat communicatio informationum, & de prærogativa fiscalium.*
11 *De modo votandi, & de quibusdam stylis, qui non laudantur.*
12 *Laudatur stylus, ut Ponens, vel Commissarius causa votet, & habeat plenam, ac exactam informationem processus.*
13 *Quomodo fiat distributio causarum inter Clericos.*
14 *Hoc Tribunal habet Signaturam in ventre, & Decanus gerit partes Præfecti.*
15 *Quarum causarum cognitionem habeat, & in qua instantia.*
16 *Propositio quæ fit in Camera, est loco commissionis, vel libelli.*
17 *Quomodo regulariter rescribi soleat in causis executivis præsertim a sententiis, vel decretis Thesaurarii, & de cautela impediendi executionem.*
18 *De modo firmandi dubium, & proponendi resolutiones, ac etiam de stylo concedendi novas audientias, & recedendi a decisis absque editione decisionis.*
19 *Appellatur etiam ab ejus sententiis, & causa committitur per Decanum in eadem Camera.*
20 *De propinis, aliisque expensis, & muneribus.*
21 *De Auditoribus Clericorum.*
22 *De istorum officiorum venalitate, eorumque pretio.*
23 *Qualis sit hujus tribunalis jurisdictio, & in quibus generibus causarum.*
24 *Est tribunal seculare principaliter sed habet etiam admixtam aliquam jurisdictionem Ecclesiasticam.*
25 *Agebat prius causas communitatum, quas nunc agunt Consulta, & Congregatio boni regiminis.*
26 *De potestate hujus Tribunalis ejusque Clericorum Sede vacante, quando in aliis silet.*
27 *De solemnitatibus circa admissionem Clerici noviter assumpti.*
28 *Quod hoc officium habeat annexam Prælaturam qualificatam.*
29 *Quod ex hoc Tribunali prodeant Summi Pontifices, & Cardinales multi.*
30 *De venalitate unde proveniat remissive.*

31 *De*

D I S C. XXXIII.

Retenta, seu præsupposita eadem facti serie superius
1 recensita in rubrica Cardinalis Camerarii; *a* Quod scilicet in antiquis primitivæ Ecclesiæ temporibus sub tyrannorum persecutionibus, Pontifex, utpote divinis intentus, peculii, vel thesaurorum Ecclesiæ curam, & administrationem commisisset ejus Archidiacono, ut acta martyrii SS. Laurentii, & Sixti docent; Quodque postmodum, restituta Ecclesiæ tranquillitate, oportuerit Archidiaconi officium, vel dignitatem supprimere; Hinc idem Pontifex, quemadmodum publicas, vel privatas causas, quæ gratiam, vel justitiam concernerent, cognoscebat, partim in Consistorio cum ope Cardinalium, & partim in Capella cum ope ejus Capellanorum, ut in utriusque Rubricis superius advertitur, aliaque negotia per organum Referendariorum expediebat; Ita ea quæ concernebant ejus Cameræ, seu fisci administrationem, quæ penes Archidiaconum prius existebat, cognoscebant cum adjutorio, & opera aliquorum ejus Clericorum, quibus tractu temporis, tanquam ejus Vicarium, unum præfecit Cardinalem, cui Camerarii nomen tributum est, unde propterea irrepsit pro Tribunal, quod constitutum est ex Camerario, & Clericis, ac aliis ejusdem Camerarii officialibus, in eadem ejus rubrica insinuatis.

Cum autem Clericorum numerus indeterminatus esset, illeque nimium crevisset, unde propterea, confusiones, aliave inconvenientia resultabant; Hinc proinde Eugenius
2 Quartus, *b* eorum numerum septenarium determinavit, & qui solum Clerici ordinarii, ac participantes, & causarum Cameræ Judices esse deberent, præsupponendo existentiam aliorum Clericorum supranumerariorum, qui in Camera intervenirent, quando negotia discutiebantur, non tamen emolumentorum participationem haberent, neque remanerent in Camera post ejus clausuram, pro causarum, ac negotiorum determinatione; Idemque confirmarunt Innocentius VIII. & Pius IV. *c* aliique successores Pontifices, qui ordinarunt reformationem hujus Tribunalis, cujus Statuta ab eodem ordinata, approbarunt. *d* Atque actus postea fuit eorum numerus ad duodecim, cum longe majorum emolumentorum ac præminentiarum additione, juxta statum præsentem.

Attento itaque hujus Tribunalis hodierno statu; Illud constat ex duodecim Clericis, qui sunt de genere Prælato-
3 rum utriusque Signaturæ, ac de sphæra prælaturæ nimium conspicuæ, quam ipsum officium habeat annexam; Eorumque Præsidens, seu Præfectus est præfatus Cardinalis
4 Camerarius, qui volens potest, sed non solet, vel raro, sedere in Camera, in qua cum præfatis Clericis, in mensa circulari, sedent quoque plures alii officiales, qui ad differentiam Clericorum, Camerales appellantur; Nempe, Gubernator Urbis, tanquam Vicecamerarius; Auditor Cameræ; Thesaurarius Generalis; Et Præsidens Cameræ, qui omnes pariter in Prælaturæ statu constituti sunt; Ac etiam Advocatus fisci; Advocatus pauperum, & Procurator generalis fisci in civilibus, qui Cameræ Commissarius appellatur.

Hoc autem Tribunal congregatur in Palatio studiorum,
5 quod Sapientiæ dicitur, bis in hebdomada, in eisdem diebus, in quibus congregatur Rota, in feria scilicet secunda, & sexta; Cum ea differentia, inter unum, & alterum Tribunal, circa hujusmodi dies ac tempora, quod de mense Martii, quamvis Rota habeatur in feria sexta; Attamen Camera habetur in feria quarta, dum feria sexta illius mensis habetur tanquam dies festivus; Atque in vacationibus generalibus, æstivis, semper quando Papa tenet Consistorium, convocatur, seu tenetur etiam Camera, quæcunque dies illa sit; Quod etiam in reliquis anni temporibus contingit, in quibus tamen rari sunt casus hujusmodi convocationis Congregationis extraordinariæ, ratione Consistorii, dum istud pro ejus ordinario, & consueto cursu, haberi solet in feria secunda, quæ est dies ordinaria Cameræ.

Alia item Camera insolita, seu extraordinaria habetur in palatio Vaticano, seu pro temporum contingentia, in
Quirinali, in vigilia SS. Apostolorum Petri, & Pauli; 6
Non quidem pro decisione causarum, sed ad effectum recipiendi tributa, vel census, aliasve responsiones, quæ Cameræ debentur ratione feudorum, aliarumque concessionum; Ideoque pro forma Tribunalis, summarie examinatur, an & quorum tributorum, vel præstationum solutiones, vel oblationes recipiendæ sint, & quæ respuendæ, vel conditionaliter, seu cum clausulis præservativis recipiendæ; Idque non solum pro juribus ac respective præjudiciis ipsius Cameræ conservandis, vel præservandis; Sed etiam inter partes, quæ de possessione, vel de pertinentia feudorum, vel aliorum bonorum contendant, unde propterea, earum quælibet, tributum, vel responsionem Cameræ, pro sui juris, vel possessionis conservatione præstare satagat.

Ea vero inter Clericos, dictosque alios officiales, & Camerales differentia dignoscitur, quod eis in dicta mensa circulari, sedentibus a diversis lateribus Cardinalis Camerarii, tanquam per distinctionem duorum diversorum ordinum singuli Clerici votum habent decisivum; Camerales vero super causis, quæ proponuntur, discurrere quidem
possunt, ac solent, non autem votum proferunt; Et qua- 7
tenus proferre velint, eorum omnium votum, pro unico decisivo numeratur, ita supplendo votum Camerarii, cujus nomine, ac vice ibi intervenire dicuntur, adeo ut interventus Gubernatoris Urbis, Auditoris Cameræ, Præsidentis, & Advocati pauperum, quodammodo cæremonialis videatur; Ille vero Thesaurarii, ac Advocati, &
Commissarii Cameræ, considerabilem habet finem, pro 8
juribus Cameræ tuendis; Ex etenim dignoscitur differentia inter Advocatos, & Procuratores Partium, & illos fisci, quod primi postquam Judices informarunt, exeunt a loco Tribunalis; Isti vero remanent, atque assistunt, quando vota proferuntur, cum facultate respondendi difficultatibus ac motivis, quæ inter votandum per Judices fiant; Bene verum quod, neque Advocati, & Procuratores Partium in hoc Tribunali, præfatum primum interventum informativum habent, dum pro eodem stylo Rotæ, ac et-
iam Signaturæ, aliorumque Tribunalium collegiatorum, 9
& Congregationum (exceptis illis, Montium, Baronum, & Computorum, & Auditoris Cameræ) in Curia non habetur usus contradictoriorum, coram ipso Tribunali congregato, sed singuli Clerici, aliique officiales, pro causarum qualitate, a Partibus, earumque Advocatis, & Procuratoribus, oretenus, & in scriptis informantur cum eodem adamussim ordine, qui in rubrica præcedenti, agendo de Rota recensitus est, adeo ut nulla dignosci videatur differentia circa modum informandi; nisi quoad aliquam inæqualitatem, ubi agatur de causis fiscalibus, quod scilicet Advocatus, & Procurator fisci exigunt communicationem informationum Partium per aliquos dies,
antequam ipsi edant eorum informationes, quæ respon- 10
sionum potius, quam informationum speciem habent, ideoque non est illa coæqualis, & contemporanea communicatio, quæ inter Partes in ipsa die informationis de sero fiat; Ac etiam ista communicatio inter Partes in hoc Tribunali non ita exacte servatur, sicuti in Rota, dum quandoque aliqui litigantes id agere renuunt; Adhuc tamen licet cum aliquo majori incommodo, idem resultat effectus, quoniam ipsimet Judices, libenter informationes ei datas accomodant, ut sumptum exinde desumatur, ad effectum respondendi, pro eodem laudabili fine, elucidandi veritatem, atque tollendi æquivoca, seu fallacias informantium.

Super modo autem votandi, diversus est hujus Tribunalis stylus, ab illo Rotæ, cum in hoc non adsit ibi enunciata
divisio turnorum, sed omnes, in singulis causis, votum 11
proferant, Cum duplici tamen particulari stylo, quorum uterque est exorbitans; Primo nempe, quod major pars votorum, non constituitur ab excessu supra medietatem, juxta regulam electionum, aliorumque actuum comitialium, seu collegiativorum, sed dicitur major ea, quæ fit talis compa-

ratio-

ratione aliarum; Unde propterea si (ex. gr.) ex duodecim Clericis; Duo in unam sententiam abeant; Duo in alteram; Tres in alteram; Et quatuor in alteram; tunc juxta istam ultimam tanquam pro majori parte, capitur resolutio, quod a juris regulis exorbitat, ideoque non videtur commendatione dignum. *e*

Aliet stylus, est pariter exorbitans; quod cum hujusmodi Clerici plures habeant inter se distributas præsidentias, ut infra, in quibus gerunt partes Judicum primæ instantiæ, unde ab eorum sententiis appellatur ad Cameram; In disputatione quæ habeatur, an illius Præsidentis sententia confirmanda, vel infirmanda sit, ipsemet votum quoque habet decisivum, aliis Clericis coæquale, quod a juris regulis etiam exorbitat, ideoque non videtur commendabile. *f*

Ille vero est hujus Tribunalis stylus nimium commen-
12 dabilis, quod Ponens, seu Commissarius causæ, habet votum decisivum, quod eodem modo, quo in Sacris Congregationibus; ac generaliter in omnibus aliis Orbis Tribunalis, pro frequentiori contingentia, omnium ponderosius esse solet; Non quidem, ut majoris roboris sit de jure, sed quia, meliorem, magisque distinctam habet informationem facti, ex quo jus oritur, atque major pars decisionum pendet; Ponenti etenim in hoc Tribunali, quædam stricta, & rigorosa incumbit obligatio, habendi distinctam notitiam facti, totiusque processus, quem secum asportare debet in plena Camera, ut in relatione causæ, quam ipse faciat, sive in discussione, ad singulorum Votantium requisitionem prompte docere valeat de juribus, quæ in eodem processu continentur, ad effectum inspiciendi, an fideliter a Partibus data sint in summario, sive inspiciendi ea, quæ ab ipsis Partibus neglecta fuerint.

Distributio vero causarum fit eodem modo, quo de
13 Rota dictum est, inter singulos Clericos, absque tamen aliqua aliorum officialium cameralium participatione, Cum ea tamen differentia, Inter dictum Tribunal Rotæ, & istud Cameræ, quod in Rota causæ distribuuntur cum commissionibus utriusque Signaturæ, Gratiæ, vel Justitiæ, ac propterea idem Tribunal subjacet præfato Tribunali Signaturæ Justitiæ, circa modum committendi, & rescribendi, ut jam de eo agendo, insinuatum est, adeout ejus Decanus aliam non habeat potestatem, nisi illam subrogandi, istud vero Tribunal habet (ut Practici dicunt) Signaturam in ventre, idest quod non subjacet Signaturæ Justi-
14 tiæ, neque ejus jurisdictio pendet a commissionibus, earumque forma; Ex ea ratione, quod est Tribunal ordinarium ad certum genus causarum, unde propterea singulæ causæ, singulis Clericis potius distribuuntur, quam delegantur; Itaque distributio fit per eorundem Clericorum Decanum, idest antiquiorem, adeout non sit officium particulare, sed sit præeminentia antianitatis, atque habeat quandam imaginem Præfecti Signaturæ Justitiæ, tam circa dictam distributionem, seu commissionem causarum singulis Clericis, quam circa recursum, qui per appellantem ad eum habeatur, ut demandetur suspensio executionis, seu concedatur supersessoria usque ad primam Cameram, in qua commissio sequi debeat, cum rescripto suspensivo executionis, vel præservativo, eo modo quo de Signatura Justitiæ est dictum.

Est etenim istud tribunal, juxta ejus ordinariam, ac re-
15 gularem naturam, Judex appellationis a sententiis, & decretis Auditoris Camerarii, & Thesaurarii generalis, ac Præsidum, de quibus infra; adeout rari sint casus, in quibus cognoscat de causis in prima instantia ex consensu Partium; Vel de mandato Papæ; Aut ex capitulis appaltuum; Vel quod ita exigat causæ qualitas, ut præsertim contingit in causis devolutionis, vel caducitatis feudorum; Cumque Thesaurarius, ex Apostolicis Constitutionibus, illa præsertim Sixti V. *g* habeat in facultatibus procedendi executive; Hinc proinde appellantes, ad impediendam executionem, quæ, appellatione non obstante, vel durante ejus termino, fieri potest, recurrunt ad Decanum, pro supersessoria, eodem modo, quo recurritur in aliis casibus indifferentibus, ad Præfectum Signaturæ Justitiæ, ut ita executio impediatur usque ad primam Cameram, in qua appellans faciat propositionem, quæ de stylo hujus Tribunalis, est idem, ac commissio in Rota; Et quoniam in causis executivis, & præsertim Tribunalis Thesaurarii, quando incontinenti non doceatur de nullitate, vel injustitia, rescribi solet cum clausula *servata forma*, idest admittendi appellationem ad devolutivum tantum, sine præjudicio executionis; Idcirco appellantes in prima Camera curant docere de nullitate; vel
16 in justitia clara; Atque ubi Tribunal agnoscat, quod appellantium querelæ aliquam habeant faciem probabilitatis, tunc demandare solet supersessoriam, quodque disputetur in prima, vel alia opportuna Camera dubium, An, & quomodo sit inhibendum; Sive an mandatum sit exequendum, quod quandoque appellantes prævenire solent, ut in ipsamet prima Camera id disputetur; Et in summa istud Tribunal facit ea, quæ conjunctim faciunt Signatura Justitiæ, & Rota, quando in causis de sui natura executivis rescribatur cum clausula translativa executionis, non tamen præjudiciali processui executivo, juxta exemplificata in dicta rubrica Signaturæ.

Firmato igitur statu causæ, eaque distributa uni ex Clericis, qui pariter Ponens dicitur, firmatur etiam dubium,
17 eodem modo quo de Rota dictum est; Cum ea differentia, quod in hoc Tribunali non proceditur cum solis intimationibus, quas una Pars alteri faciat super propositione dubii, in certa designata die, sed causæ Ponens declarat quando causam proponere intendat, subscribendo schedulam, quæ *dignemini* appellatur, per quam Ponens monet Collegas, quod ipse causam est propositurus tali die, ideoque dignentur Partes, oretenus & in scriptis audire, idque notificatur etiam parti, Isteque stylus provenit ex alio supra insinuato, quod scilicet cum Ponens teneatur videre processum, & acta, ideoque esse debeat bene informatus de statu causæ, ac omnibus, quæ in facto consistunt; Idcirco non concedit dictam declarationem, nisi postquam ipse hanc informationem obtinuerit.

Quoad modum informandi (ut præmissum est,) servatur adamussim idem quod de Rota dictum fuit; Atque ubi proposita causa, capitur resolutio, quamvis ea publicetur, adhuc tamen, eodem modo quo in Rota, illa remanet in terminis actus extrajudicialis, seu cujusdam publicationis 18
voti, donec Parte denuo citata, per eandem Cameram, collegialiter in forma tribunalis congregatam, demandetur expeditio, cum pariter peti, atque pro frequentiori stylo, concedi soleat nova audientia, & sæpius sequi solet idem recessus a decisis, adamussim ut de Rota dictum est, adeout alia non dignoscatur differentia, nisi quod in Rota, Ponens tenetur præcise super fundamentis resolutionis edere decisionem, quod non servatur in Camera; Licet quandoque in causis gravioribus, vel curiosis, Ponens, pro ejus arbitrio, vel genio, ad instar ejus quod facit Rota, extendere quoque soleat decisionem, cui Voti potius vocabulum tribui solet.

Secuta expeditione per sententiam, intrat idem in hoc Tribunali, quod dictum est de Rota, quod scilicet causæ non mutant suam naturam, ideoque eodem modo, ac si 19
tractarentur coram quocunque alio Judice inferiori, quando illæ sint de sui natura appellabiles; Unde propterea si de jure communi, vel statutario, exeunt tres, vel duas conformes, tunc habent suum cursum, cum eodem ordine Rotæ, quod scilicet committuntur denuo in eadem Camera per Decanum alteri Clerico, adeout causæ non exeant ab ipso Tribunali, in quo finem habituræ sunt, cum alter non adsit Judex appellationis, nisi quando aliter Papæ videatur, in Signatura Gratiæ, cui solum hoc Tribunal subest.

Et quoad litigantium expensas, tam circa propinas quam alia, servatur adamussim idem, quod de Rota dictum est;
Eadem que dignoscitur summa integritas; Atque munera, 20
exigua in cera & saccharo, seu pullis, in hoc Tribunali procedunt potius ex obligatione Appaltatorum adjecta in capitulis appaltuum, quam ex urbanitate; Ea vero dignoscitur duplex differentia circa propinas; Primo nempe, quod in expensarum refectione, quam victus victori facere tenetur, propinæ veniunt in taxa, seu lista expensarum, Quod Rota non servat; Et secundo, quod non ponuntur in massa pro earum distributione inter ipsos Judices facienda, ut Rota servat, sed distribuuntur; Vel singulariter in expeditione causarum; Vel ab aliquo moderno tempore, cum eodem ordine massæ distribuendæ inter ipsorum Clericorum Auditores, qui explicant easdem partes, quas in Auditoribus Rotæ, explent Adjutores studiorum, adeout sola nominis differentia dignosci videatur; Ac
etiam quia Auditores Clericorum, in pluribus officiis, 21
quæ singulariter administrant, ex eorundem Clericorum commissione tenent audientiam, & aliqua decernunt; Cumque in Adjutoribus studiorum Rotæ, stipendium, seu aliqua merx laboris proveniat ab emolumentis decisionum, ultra stipendium quod a Prælato præ-

statut

stent, pro congrua sublentatione; Idcirco in Camera
subrogatæ sunt propinæ.

Hinc proinde, istis Prælatis recte congruere videntur
ea, quæ (agendo de Sacris Congregationibus, ac etiam
22 de utraque Signatura) insinuata sunt de Cardinalibus, &
Referendariis, quod scilicet valde laboriosum præstant
Curiæ servitium gratuitum, absque ulla mercede pecunia-
ria, ratione hujus administrationis, ac laboris.

Quamvis etenim ista officia Clericorum Cameræ sint
valde lucrosa, ob quædam emolumenta eis assignata, in
plurium millium scutorum reddita singulis annis; Attamen
iste fructus pretii quod solvitur, eodem modo quo con-
tingit in aliis officiis vacabilibus, ac venalibus, quæ
nullum laborem studiorum, nullamque administrationem
habent, dum sunt officia venalia, quorum valor prius
erat scutorum triginta sex millium auri stamparum,
nunc vero est scutorum 42. millium, pariter auri, dum
omnium aliorum officiorum valor, ad instar omnium
aliarum rerum, notabile augmentum recepit. *b*

Jurisdictio autem hujus Tribunalis restricta est ad cer-
tum genus causarum fiscalium, in quibus scilicet, uterque
23 fiscus, ecclesiasticus, & temporalis Papæ, immediatum,
vel mediatum habeat interesse, adeout, quamvis in quæ-
stione sit apud DD. quibusnam antiquis Romanæ Reipubli-
cæ officialibus, vel magistratibus isti Clerici exæquendi sint;
Nihilominus probabilius videtur, ut vere, & proprie exæ-
quari mereantur antiquo officio Procuratoris Cæsaris,
non autem Quæstoribus, ut alii opinantur, cum istorum
partes munus potius gerere videantur, Thesaurarius Gene-
ralis, aliique Collectores, & Thesaurarii generales pro-
vinciarum; Alii enim sunt Præfecti ærarii; Alii ejusdem
ærarii judices; Et Alii sunt Quæstores; *i* Unde propte-
rea principaliter est Tribunal potius sæculare, ratione scili-
24 cet fisci, & Cameræ principatus temporalis, quamvis ad-
mixtam habeat aliquam jurisdictionem ecclesiasticam, ra-
tione spoliorum Clericorum, ac fructuum Ecclesiarum, &
beneficiorum vacantium, aliorumque jurium spectantium
ad fiscum ecclesiasticum Papæ, quorum cognitionem ha-
bent in priori instantia Camerarius, & Thesaurarius, qui
extra Curiam sunt Judices appellationum, a Nuntiis, & a
Collectoribus Apostolicis provinciarum; deindeque ab
his appellatur ad Cameram.

Antiquiori tempore, agebant omnes illas causas Com-
munitatum, quas nunc agunt, pro diversa qualitate nego-
tiorum, duæ Congregationes, Consultæ, & Boni Regi-
25 minis, per quarum erectionem istud Tribunal notabi-
lem negotiorum diminutionem passum est; Adhuc tamen
quandoque de causis Communitatum cognoscit, dum
in eis, præsertim ubi agitur de collectis, & gabellis, fi-
scus aliquod interesse habere dicitur. *l*

Major est istius Tribunalis potestas, & jurisdictio,
de tempore Sedis vacantis circa administrationem Pala-
tii Apostolici, ac alia, de quibus actum est supra, agen-
26 do de Copelani tempore Sedis vacantis, ac etiam agen-
do de Cardinali Camerario, sed in cognitione causa-
rum silet eodem modo, quo faciunt etiam Rota, & Si-
gnatura, & Judices commissarii. *m*

Noviter electi, in locum deficientium, nullas servant
solemnitates, nisi illam præstationem juramenti, quam
27 generaliter ex dispositione juris communis, atque ex o-
mnium Christiani Orbis Tribunalium communi usu,
facere debent noviter assumpti ad magistratus & officia,
quibus Justitiæ administratio incumbat. *n*

Ex hoc autem Tribunali, pro frequentiori usu, (qui
rarum habet violationis exemplum,) assumi solent duo
28 primarii Curiæ officiales in genere Prælaturæ, nempe
Auditor Cameræ, & Thesaurarius generalis; Isteque
clericatus reputatur munus valde qualificatum, cardina-
litiæ dignitati quoque proximum, quoniam in promotio-
nibus, quas Pontifices faciunt, ex his duobus majoribus,
& qualificatis Collegiis, seu Tribunalibus, Rotæ, &
Cameræ, assumi solent personæ, quæ Pontifici benemeri-
tæ videantur, adeout eodem modo, quo de Rota dictum
est, istud quoque Tribunal, magnum sit seminarium
Cardinalium, & Pontificum, dum (negligendo anti-
29 quas chronicas) atque loquendo solum de nostro decimo-
septimo sæculo currenti, intra minus spatium dimidii
sæculi, ex hoc Tribunali prodierunt, duo nimium qua-
lificati Pontifices nempe Paulus V. & Urbanus VIII.
magnusque Cardinalium numerus.

Hujusmodi autem officiorum venalitas, ignaro, vel
maligno vulgo, obloquendi occasionem præbet, quod
scilicet ad majores Ecclesiæ dignitates in Curia, ex titulo
emptionis pervenitur; Verum ignorantiæ, vel malignita-
tis effectus est, ut distincte agendo de hujusmodi officiorum 30
natura, seu qualitate, agitur in sede Regalium, ubi viden-
dum est, ne eorundem superflua repetitio fiat. *o*

Quamplura quoque officia inter istos Clericos distribui
solent singulis annis, licet eorum aliqua pro Papæ arbitrio
immutari non soleant, ut sunt Præsidatus Dohanarum; 31
Riparum; Annonæ; Grasciæ; Carcerum; Viarum;
Zecchæ; Tulpharum, seu Aluminum; Terrarum, quæ
dicuntur Arnolphæ, & Castri novi; & de quorum Præsi-
datuum singulis distincte inferius agitur.

Numerus causarum, quæ in hoc Tribunali disputari so-
leant, est varius, juxta rerum, ac temporum contingen-
tias; Ubi etenim casus præbeat devolutionis feudorum,
istæ multas, & quidem graves, producere solent quæstio-
nes, quæ in hoc Tribunali disputantur, ut præsertim do-
cuerunt devolutiones Ducatuum Ferrariæ, & Urbini, *p*
Idemque ubi temporum accidentia, excitent in Appalta-
toribus prætensiones defalchi, seu remissiones pensionis; 32
Aut quod contingant bancheriorum, aliorumque merca-
torum decoctiones, quæ producant concursum credito-
rum; His etenim casibus non contingentibus, cum istius
Tribunalis jurisdictio limitata sit intra certum genus cau-
sarum, istæ raræ sunt, adeout frequentiores videantur
illæ retractus coactivi, vel prælativi, vel ædificiorum,
& servitutum inter vicinos ad præscriptum Constitutionis
Gregorianæ super ornatu Urbis; *q* Et nihilominus etiam
in hac materia non sunt hodie ita frequentes quæstio-
nes, ut erant antea, cum ea clarior effecta sit, ac e-
tiam per duas instantias coram diversis judicibus Came- 33
rarii, & Præsidis viarum prius tractari debeat, intra
quas frequentius hujusmodi controversiæ finem habere
solent.

Atque illum effectum huic Tribunali præjudicialem,
quem in causis communitatum produxerunt præfatæ novi- 34
ter erectæ Congregationes Consultæ, & boni regiminis,
produxerunt etiam aliæ Congregationes montium, &
Baronum circa concursus creditorum, ac venditiones ca-
strorum, & bonorum, vel pertinentiam, & vincula loco-
rum montium, de quibus, nempe judicibus cum Camera
Apostolica, ad istud Tribunal alias agere pertinebat.

Idemque a moderno tempore secutum est in quæstio-
nibus restauri, vel remissionis pensionis inter Cameram,
& Appaltatores vectigalium, & dohanarum, seu Thesau-
rarium ob duas alias Congregationes; Unam scilicet quæ
dicitur Computorum, constitui solitam ex Thesaurario
Generali, Advocato, & Commissario Cameræ, & ali-
quibus Clericis pro Papæ arbitrio, una cum ejusdem Ca-
meræ Rationatoribus; Et alteram quæ dicitur Cameralis, 35
ex præfatis Thesaurario, Advocato, & Commissario, &
Rationatoribus constitutam, quoniam in istis congrega-
tionibus in forma extrajudiciali, ac more mercantili po-
tius istæ quæstiones finem per viam concordiæ habere so-
lent, adeout raro ad hoc Tribunal transeant decidendæ,
prout de jure.

Dictæ vero quæstiones retractuum, vel ædificiorum,
& servitutum, primam habent instantiam insimul junctis
Tribunalibus Camerarii, & Ædilium; Secundam coram 36
Præside viarum; Et ab isto in tertia ad Cameram, ideo-
que intra dictas duas instantias causæ frequentius finem
obtinent.

Inter alias autem prærogativas, & utilitates, quas obti-
nent omnes illi, qui sedent in Camera, ut supra, sive sint
Clerici, sive alii officiales, qui sub nomine Cameralium
appellantur, ea est notabilis, exemptionum, & franchi-
tiarum a gabellis, & dohanis, aliisque publicis oneribus, 37
quoties in istorum impositione aliter non sit expresse cau-
tum; Et quod magis est, præsertim Clerici, etiam post va-
catum, per promotionem ad Cardinalatum, vel alias di-
missum officium, easdem franchitias, & exemptiones re-
tinent, quod est nimium considerabile.

Quæstione cadente in duobus Cameræ Rationatoribus,
vel computistis principalibus, quoniam licet sint officiales 38
camerales, non tamen sedent in Camera; Atque ex obser-
vantia pendere videtur decisio. *r*

Non habebant antiquiori tempore Clerici Cameræ lo-
cum in capella Pontificia, quem nunc habent, post ejus-
dem capellæ reformationem sub Alexandro VII. cum eo- 39
rum tamen displicentia, dum ita decisa fuit quæstio, quæ
prius indecisa pendebat super præcedentia cum Auditori-
bus Rotæ.

a fir-

a *supra disc. 11.* b *Const. 13. Eugen. quarti.* c *Const. 1. Callisti 3. & const. 55. & 88. Pii IV.* d *Ista statuta sunt inserta in constit.* e *ita secutum est in casu, de quo sub tit. de Regal. disc. 136.* f *ibidem.*
g *Const. 100. Sixti V.* h *tit. de Regal. disc. 2.*
i *de hoc agitur in Neapolitana praecedentia tit. de praeminent.* l *tit. de Regal. pluries.*
m *supra, disc. 4. & 11.* n *tit. de praeminent.*
o *dict. disc. 2. de Regal.* p *tit. de feud. disc. 1. & 3. cum plur. seqq.* q *titul. de servit. ad hanc materiam tractatum, & servitutum pluries.*
r *de hoc agitur tit. de Regal. disc. 48.*

S U M M A R I U M.

1 *De Tribunali Camerae.*
2 *De eodem casu, de quo disc. 48. Miscel. Eccl. cum dis. per extensum, & summario super franchitiis Cameralium.*

ANNOTAT. AD DISC. XXXIII.

CUm isto Tribunali Camerae, de quo in hoc discursu agitur, nulla hucusque secuta est provisio quae cum sua proportione consideranda videtur super iisdem, quae in annotatione praecedenti dicuntur super Tribunali Rotae, praesertim circa propinas, in quibus eadem practicatur taxa, ac etiam circa Auditores Clericorum, quorum munus est idem, ac illud Adjutorum studii, Auditorum Rotae non cadentibus in hoc Tribunali iis, quae in altero dicta sunt de turnorum distinctione, ac decisionum extensione, cum haec non practicarentur, ideoque solum congruunt ea, quae dicta sunt, ut nullatenus Auditores se ingerere debent in patrocinio, vel cura, seu protectione causarum, ac etiam quae dicta sunt de famulis, Bene tamen actum est de franchitiis, & exemptionibus Clericorum, & aliorum in hoc Tribunali sedentium, atque super hoc videnda sunt ea quae habentur *in Miscell. disc. 48.*

Et quoniam post jam impressum *d. disc. 48. in Miscell. Eccl.* in quo agitur de exemptione Clericorum aliorumque officialium hujus tribunalis Camerae a taxis, & contributionibus pro refectione pontium, & viarum prodiit a Congregatione deputata resolutio, pro cujus justificatione Ego extendi discursum desumptum ex votis illorum, qui in dicta Congregatione sederunt, tanquam per speciem decisionis, idcirco idem discursus cum resolutione prout jacet hic registratur.

ROMANA TAXAE VIARUM.

Resolutio Congregationis deputatae cum ejus fundamentis, quae ex votis RR. PP. DD. Deputatorum reassumpta fuerunt per R. P. D. de Luca Auditorem Sanctissimi.

S U M M A R I U M.

1 *CAsus quaestionis cum deputatione Congregationis.*
2 *Resolutio cum approbatione Sanctissimi.*
3 *De voto particulari Auctoris, & quid iste discursus contineat.*
4 *Quare non allegentur auctoritates.*
5 *De quaestione an Clerici teneantur ad refectionem pontium & viarum, aliasque similes publicas expensas, & de distinctione.*
6 *De ratione cui innixa est exemptio Clericorum a dictis expensis.*
7 *Qui Clerici deberent reputari indigni immunitate ab oneribus.*
8 *Quando exemptio Clericorum in dictis expensis non intret.*
9 *Declaratur quomodo Clerici ad has expensas cogi debeant.*
10 *De ratione cui innixa est conclusio, de qua n. 8.*
11 *De qua specie refectionis in isto casu agatur.*
12 *Quare Camerales non debeant esse immunes.*
13 *De privilegio super exemptione Cameralium.*
14 *De facultatibus Cardinalis Camerarii obiter, & quare de eis non agatur.*
15 *Quomodo privilegium exemptivum a dictis publicis expensis intelligi debeat.*
16 *Non potest major esse exemptio privilegiativa, quam illa juris communis.*
17 *De potestate Principis tollendi jus tertii.*
18 *Quomodo intelligenda sit facultas a Principe concessa ejus Vicario, vel officiali.*
19 *De privilegio Cassinensium, ejusque interpretatione.*
20 *De privilegio hospitalis Sancti Spiritus Urbis.*
21 *De origine privilegii Cameralium, ejusque ratione.*
22 *Ad quid prosit, & operetur dictum privilegium Cameralium.*
23 *De causa onerosa, & de observantia remissive.*
24 *De taxa, quae fit occasione refectionis universalis in anno Sancto.*
25 *Quare reassumatur historia Tribunalis Magistrorum viarum.*

R E S O L U T I O.

HAbitis ad Sanctissimum D.N. Innocentium divina 1
providentia Papam undecimum, ab ipso initio ejus
assumptionis ad Apostolatus apicem, quamplutibus recursibus per dominos, & possessorea casalium, vinearum, & praediorum rusticorum extra Urbem, adversus exemptiones, & franchitias praetensas per DD. Clericos Camerae Apostolicae, aliosque Camerales, qui in eadem Camera sedent, vel sederunt, & alios praetensos privilegiatos, a taxis, & contributionibus, quae per Tribunal Camerarii, & Praesidis, ac Aedilium, seu Magistrorum viarum respective, tam conjunctim, quam divisim, fieri solent pro refectione viarum, & pontium extra dictam Urbem, pro rata, & pro portione casalium, & vinearum, aliorumque rusticorum praediorum adjacentium; ad rationem cujusdam summae pro quolibet rubro, vel jugere, seu petia respective; Placuit Suae Sanctitati, sub die 1. Julii 1677. deputare Congregationem particularem octo Praelatorum ad consulendum, ad hoc, ut audito eorum voto, dare posset illas provisiones, quae pro ejus summa justitia, & prudentia opportunae viderentur; Dictique Praelati fuerunt Reverendissimi DD. Ginettus Thesaurarius Generalis, Raggius Praeses Viarum, Ansaldus Auditor Eminentissimi Cardinalis Camerarii, Altovitus, & Panciaticus utriusque Signaturae Referendarii, de Pilastris Commissarius Camerae, de Luca ejusdem Sanctissimi Auditor, & Liberatus Subdatarius. Qui pluries congregati in domibus praefati D. Thesaurarii, ut audirent, prout pluries audierunt oretenus, & in scriptis, etiam in contradictorio, partium Advocatos, & Procuratores; Demum denuo congregati in Palatio Apostolico sub die 13. Decemb. 1677. excepto D. Ansaldo ab infirmitate detento, qui votum transmisit, concorditer (uno excepto) fuerunt in voto, atque resolverunt, & consuluerunt.

Omnes, & quoscunque quantumvis exemptos, & privilegiatos, tam ex privilegiis clausis in corpore juris, quam
ex privilegiis particularibus, etiam praefatos DD. Clericos, 2
& alios officiales Camerae teneri, & obligatos esse ad praedictam refectionem.

Jo. Baptista de Luca Sanctissimi Auditor, & Secretarius Memorialium.

V.'O T U M,

Sive discursus super fundamentis resolutionis.

QUamvis *in Miscell. Ecclesiast. disc. 48.* habeatur in
hac eadem causa discursus jam impressus; Attamen
ille continet meum votum particulare editum in pri-
mo congressu, in quo nulla capta fuit resolutio, quam 3
impressor expectare non potuit, ut volumen prosequeretur. Iste vero discursus continet vota omnium congregatorum ad indicandum fundamenta, quibus innixa est resolutio; Cumque praesupponantur aliqui scientes legem, idcirco negligitur ille auctoritatum cumulus, qui nimium facilis esset, cum illarum transcriptione ex eisdem nimium copiosis, ac elaboratis votis, solumque illa motiva, quae
magis ad rem facere visum est, quo brevius fieri potest 4
innuantur, ut etiam genio, ac stylo satisfaciam, utroque abhorrente, ac damnante, ut in votis, vel discursibus decisivis, in quibus loquendum est more magistri, hujusmodi inanes, ac superflui allegationum cumuli more tyronum super jam notis, ac receptis propositionibus fiant, dum tam lex, quam natura abhorrent superflua.

Duae itaque fuerunt, pro methodica resolutione quaestionis efformare inspectiones; Una super exemptione competente Clericis, & Ecclesiis, aliisque personis ecclesiasticis de jure communi ratione ecclesiasticae immunitatis;

Et ale

Et altera super exemptione competente ex privilegiis particularibus.

Quatenus pertinet ad primam; Licet scribentes, hincinde
5 de nimium se diffunderent in quæstione, de qua in Theatr. *lib. 2. de Regal. disc. 58. & 59. & lib. 14. Miscellan. Ecclesiast. disc. 3. & seqq.* An Clerici teneantur ad taxas, vel contributiones, & collectas pro refectionibus, vel novis constructionibus viarum, pontium, mœnium, & arcium, aliarumque munitionum, necnon aquæductuum, & fontium, vel pro exsiccationibus paludum, & refectionis, vel constructionis arginum, aliisque similibus concernentibus publicam necessitatem, vel utilitatem, adeout de utilitate, vel commodo participent etiam ipsi Clerici, & Ecclesiastici, & de qua quæstione late agunt Fagnan. *super Decretal.* Bellett. *disquisit. Cleric.* Delbene *de immunit. Eccl.* Pignatell. *in consultat.* Cohell. *ad Bull. boni regim.* aliique moderni, qui alios antiquiores copiose cumulant, disputando præsertim in hac speciali quæstione refectionis viarum, an dispositio juris civilis *in l. ad constructionem, C. de Sacros. Eccl.* sit correcta, necne per jus Canonicum; Nihilominus ex concordi sensu visum est, quod iste fuerit labor inanis in Romana Curia, in qua proceditur cum opinione Canonistarum, & Moralium Ecclesiasticis magis favorabili, cum revera necessitas disputandi formiter istam quæstionem procedat in illis Principatibus, vel Curiis, in quibus prætenditur, quod magis vera, & recepta sit opinio civilistarum, quæ generaliter, ac indefinite ad hujusmodi taxas, & contributiones obligat omnes etiam Ecclesiasticos; In Curia vero cum qua se regulant aliæ Curiæ Ecclesiasticæ inferiores tanquam cum earum metropoli, & magistra, non videtur amplius hodie quæstio juris, utpote jam decisa cum sequenti distinctione, sed potius facti, & applicationis ad casum, de quo agitur, an ille sub una, vel altera distinctionis parte cadat.

Ubi namque hujusmodi expensæ primario respiciunt publicum commodum, & utile omnium civium, & incolarum loci jure universo, & populari, unde propterea taxa, vel contributio afficiat generaliter, ac indifferenter omnes loci cives, & incolas cum collecta personali, vel mixta, quod scilicet personæ graventur, & taxentur ad mensuram bonorum, quæ possident, atque ut vulgo dicitur per æs, & libram, nulla constituta differentia inter bona stabilia, & mobilia, ac jura, & actiones, sive in genere stabilium, non curata illorum situatione, & an adjiciant, necne viis, vel pontibus, vel aliis operibus, de quibus supra, & juxta illam speciem collectæ, vel contributionis, de qua *eod. tit. de Reg. disc. 100. & seqq.* Et in hac specie magis receptum est apud Canonistas, & Morales, cum quorum opinione, ut supra, in Curia proceditur, quod Ecclesiastici non tenentur, quoties non concurrant illa quinque, vel sex requisita desumpta ex celebri *cons. 3. Abbatis*, quod reputatur in materia magistrale, de quibus *d. disc. 59. de Reg. & disc. 3. & seqq. in Miscell. & alibi*.

Quamvis enim ista opinio Civilistis, seu laicis dura videatur, atque eorum aliqui illam dicant contrariam juri naturæ, ad text. *in l. secundum naturam, &c.* ut cum sequantur incommoda, quem sequuntur commoda, unde propterea, dum Ecclesiastici ex hujusmodi expensis, & operibus æqualiter commodum cum laicis reportant, injustum sit ut ad onera expensarum non teneantur. Nihilominus probabilis est ratio per Canonistas, & Morales assignari solita, mutuæ scilicet compensationis onerum, quoniam Clerici, aliique Ecclesiastici supportant onera spiritualia pro salute, & conservatione totius populi, & Reipublicæ, in administratione Sacramentorum, aliorumque divinorum, ac in orationibus, vigiliis, jejuniis, & disciplinis, aliisque similibus operibus, a quibus exempti sunt sæculares, qui propterea reportantes ex his operibus spiritualibus commodum absque incommodo, &
6 per consequens intrat mutua compensatio, quæ generaliter adaptatur omnibus aliis publicorum, vel communitativorum onerum speciebus, quibus cum sua proportione eadem ratio adaptatur; Unde propterea hodie, quod
7 adeo crevit numerus Clericorum, & Ecclesiasticorum, quorum multi, pro temporali potius, quam pro spirituali fine clericalem vitam eligunt, adeout laicaliter magis de facto vivant, quam faciunt sæculares, & de consequenti præfata ratio nullatenus eis congruat, a justitia, & a ratione non alienum forte videretur, quod Sedes Apostolica, ad quam privative id pertinet, absque eo, quod sæculares istam sibi assumant licentiam, & potestatem, & cujus judicio totum remittitur, hac immunitate, & exemptione indignos reputaret illos Clericos, & Ecclesiasticos, quibus præfata ratio non adaptatur.

Ubi vero agitur de illis taxis, vel contributionibus, quæ fiant pro enunciatis publicis operibus, primario,
ac principaliter respicientibus privatam utilitatem, & 8
commoditatem, ratione prædiorum, & bonorum vicinorum, pro eorum cultura, vel conservatione, sive pro recollectione, & asportatione fructuum, cum similibus, quamvis accessorie, & consecutive adsit etiam utilitas, vel commoditas publica, vel popularis aliorum, qui bona, & prædia in loco non possident, atque taxa, vel collecta fiat ad mensuram, & proportionem illorum bonorum, & prædiorum, quæ utilitatem, vel commoditatem reportant ad rationem certæ summæ pro quolibet jugere, vel alia mensura, sive quantitate bonorum, aut fructuum, adeout sit taxa, vel collecta mere realis; Et tunc Ecclesiasticorum immunitas, ac exemptio non intrant, quamvis etiam opus fiat cum auctoritate alicujus publici magistratus sæcularis, quoniam fieri non dicitur in ratione jurisdictionali, & potestativa, sed po-
tius in ratione cujusdam melioris, imo necessariæ œco- 9
nomicæ administrationis nomine singulorum cum hujusmodi opera de eorum natura exigere videantur universale, ac uniforme implementum, dum alias negligentia, vel mala constructio unius, totum opus inane reddere potest, ut latius explicatur *in allegat. disc. 59. de Regal.* Atque solum in aliis principatibus sæcularibus in hac specie intrat consideratio Ecclesiasticæ immunitatis, ne Clerici, & Ecclesiastici ad solutionem cogantur cum auctoritate laicali, quoniam cogi debent a proprio competenti judice, & superiore Ecclesiastico, qui cognoscere, & inquirere potest de taxæ, vel collectæ justitia, & æqualitate, ne Ecclesiastici plus graventur, quam laici: Ista vero dubitandi ratio non intrat in Urbe, totoque statu Ecclesiastico, dum ejus Princeps conjunctum habet utrumque gladium, ut notoria praxis enunciatorum Tribunalium Cameræ, & Camerarii, ac Præsidis, & Ædilium docet.

Isto namque casu Clerici, & Ecclesiastici non considerantur tanquam tales, sed tanquam possessores illorum bonorum, quibus potius, quam personis, non curata qualitate possessoris, onus inest; Minusque intrat superius allegata ratio mutuæ compensationis, sed e converso intrat dicta regula *secundum naturam, &c.* necnon inconveniens ab omni jure naturali, & positivo, etiam Ecclesiastico damnatum, locupletationis cum aliena jactura, quodque laici debeant suo sumptu facere expensas pro utilitate, vel commoditate privata Clericorum, aliorumque Ecclesiasticorum.

Immunitas enim, vel exemptio aliud non est, nisi quædam præservatio a damno in re propria, quod accidentalis introductio collectarum, & publicorum onerum introduxit, ita conservando personam immunem in primævo statu libertatis, ac si gabellæ, & collectæ non adessent, non autem, ut fiat lucrum de alieno, ut latius *disc. 5. & seqq. in Miscell. Eccl. & alibi*.

Constituta itaque ista theorica, quæ nullam hodie admittere videtur amplius disputationem, vel dubitandi rationem, unde propterea, ut præmissum est, nulla sit quæstio juris, sed solum facti, & applicationis; Quatenus ad istam pertinet, clarum, ac indubitatum videtur, quod taxa, de qua agitur, sit juxta hanc secundam speciem, principaliter scilicet pro utilitate, & commoditate privata possidentium casalia, tenutas, vineas, & alia prædia, quorum occasione tam in asportatione fructuum, quam in commercio pro cultura, cum curribus, & plaustris, aliisque instrumentis, ac etiam cum jumentis, & hominibus, viæ corrumpuntur, & quas in tempora oportet reficere, ideoque taxantur solum istorum bonorum possessores, pro eorumdem bonorum modo, seu rata, ad rationem certæ summæ pro qualibet petia vineæ. Si etenim esset onus populare, & universale, vel mixtum impositum personis ad mensuram bonorum, sequeretur quod illi cives, & incolæ, qui nulla possidentes casalia, & vineas, aliaque prædia rustica, sunt divites, quia possideant domos in Urbe, ac loca montium, & census, ac mobilia pretiosa, deberent quoque concurrere, & tamen isti non taxantur, quamvis viarum usum, & commoditatem quoque habeant; Ergo manibus palpatur, quod istud est onus mere reale principaliter privatum, accessorie vero publicum.

Idque ad avidentiam comprobatum remanet a notoria,
inconcussa irrefragabili praxi, quod in faciem Papæ, &
Sedis Apostolicæ huic taxæ subjacent Cardinales, &
Episcopi, omnesque Clerici sæculares, & regulares,
quantumvis privilegiati, ipsæque Ecclesiæ etiam prima-
riæ, & patriarchales privilegiatissimæ, quod nrique to-
lerarum non esset, neque toleraretur, si violationem
Ecclesiasticæ immunitatis id redoleret, ideoque exinde
resultat convincens probatio hujus veritatis; Et per con-
sequens, si præfatæ adeo privilegiatæ Ecclesiæ, earum-
que Capitula, & Monasteria, necnon adeo qualificati
Clerici, quales sunt Cardinales, & Episcopi non gau-
dent ista esemptione juris communis, utique prorsus
absonum est dicere, quod illa gaudere debeant Clerici,
& officiales Cameræ; qui sunt potius, ac principaliter
officiales sæculares Fisci Principatus sæcularis, atque
eorum aliqui, nempe ambo Advocati Cameræ, & Pau-
perum, & ambo Procuratores Fisci in criminalibus,
& Cameræ in civilibus non semper sunt Clerici; cum
sint munera, quæ possunt etiam sæcularibus conveni-
re; Quinimo ipsemet Clericatus Cameræ, præsertim
antequam Clericis per Alex. VII. concederetur locus in
cappella, non videbatur exigere pernecesse qualitatem
Ecclesiasticam; Sed quidquid sit de hoc, illud certum
est, quod simplices Clerici in minoribus non possunt
esse magis immunes, ac privilegiati, quam sint Cardi-
nales, & Episcopi, ipsæque Ecclesiæ minores, & Pa-
triarchales, ac earum Capitula, & Monasteria; Ideo-
que ut præmissum est, omnia quæ percutiunt hanc spe-
ciem esemptionis de jure communi ratione Clericatus,
& Ecclesiasticæ immunitatis, revera sunt extra casum,
atque inanem continent laborem.

Disputationis igitur cardo quoad Clericos, & Offi-
ciales Cameræ, fuit in secunda inspectione privilegii
13 particularis, quod ipsi ex literis expediri solitis per Car-
dinalem Camerarium conjunctim cum ipso Tribunali
Cameræ, habent super franchitiis, & exemptionibus ab
omnibus gabellis, & oneribus, etiam isto refectionis
pontium, & viarum, ut de exemptionibus, & franchi-
tiis a dohanis, & gabellis habetur *disc. 47. in dict. Mi-
scel.* & in enunciato *disc. 48.* continente meum votum
particulare in hac eadem causa.

In hoc autem, duo fuerunt puncti, unus super validitate
dicti privilegii; & alter posita validitate, super ejus effi-
cacia, & operatione; Quatenus ergo pertinet ad primum,
licet non modica fuerit inter scribentes hincinde disputa-
14 tio, ac etiam inter congregatos sententiarum diversitas, an
Cardinalis Camerarius habeat hanc facultatem concedendi
exemptionem a publicis oneribus, cum id sit absque dubio
de regalibus, ac de reservatis supremo Principi, & an illi
asserenti id agere ex Papæ oraculo vivæ vocis, deferendum
sit, & super quo multa elaborate, ac docte in votis dedu-
cta fuerunt; Nihilominus advertebam, quod pariter id
inanem contineret laborem, quoniam ubi etiam ageretur
de expresso, ac directo privilegio, quod immediate con-
15 cessum esset per ipsummet Papam, adhuc tamen intelli-
gendum veniret cum eadem distinctione, de qua supra in
privilegio clauso in corpore juris communis ratione im-
munitatis ecclesiasticæ; ideoque suffragetur, atque ope-
rativum sit in prima specie illius refectionis, quæ prin-
cipaliter sit in causam publicam, non autem in altera
specie refectionis principaliter privatæ, ut supra.

Absolutum siquidem est in jure, quod longe favora-
16 bilior est, ac latiorem recipit interpretationem illa im-
munitas, quæ competit de jure communi, non solum
positivo, sed etiam divino, qualis est immunitas eccle-
siastica, quam sit illa, quæ a jure exorbitans competit
ex privilegio particulari, quod de sui natura est odio-
sum, atque strictam, & rigorosam exigit interpretatio-
nem; Potissime ubi non concernat solum præjudicium
ipsius Principis concedentis, & quo casu aliquando la-
tam recipere solet interpretationem, sed etiam illud pri-
vatorum, quo casu semper strictam, ac rigorosam in-
terpretationem habere debet; Ideoque si privilegium clau-
sum in corpore juris non suffragatur in hac specie re-
fectionis principaliter privatæ, utique multo minus de-
bet suffragari privilegium particulare exorbitans, quod
sufficit, ut aliquam faciat qualem qualem operationem,
adeout fatuum, ac inane dici non valeat.

Quamvis etenim quoad ea, quæ concernunt forum ex-
17 ternum, (quidquid sit de interno) Princeps supremus, &
absolutus, quando vult uti ejus suprema, & absoluta pote-
state, possit tollere jus tertii, eique præjudicare; Attamen
ista voluntas non præsumitur, nisi plusquam clara, & ex-
pressa accedat, ideoque receptum, ac planum est juris prin-
cipium, quod privilegium, vel concessio Principis semper
intelligitur sine præjudicio tertii, quod si procedit in omni
Principe, multo magis procedit in Summo Pontifice,
qui per ejus Cancellariæ regulam de jure tertii quæsi-
to non tollendo expresse se declarat, ac profitetur nolle
per ejus gratias, & concessiones tertio præjudicare, nisi
expresse dicat cum derogatione dictæ regulæ, vel ubi
gratia sit pernecesse, ac de sui natura præjudicialis, ex
copiose ad hanc materiam potestatis Principis tollendi jus
tertii deductis *in d. tit. de Regal. disc. 148. & 177.* & in aliis
pluries.

Si ergo etiam, ubi ageretur de directo, ac immediato
privilegio concesso per ipsum Summum Pontificem, qui
habet hanc potestatem supremam, & absolutam, adhuc
illud non comprehenderet istum casum, ob nimiam exor-
bitantiam, quæ redoleret speciem iniquitatis, ut unus te-
neatur reficere pro altero; Multo magis id dicendum est
in hoc privilegio, quod ex Papæ implicita, vel præsum-
pta communicatione concessum est per ejus Vicarium, &
officialem, cui communicata censetur solum potestas or-
dinaria, & in iis, quæ non sunt multum exorbitantia, &
insolita, ac tertio præjudicialia, & non alias, ut patet ex
iis, quæ habentur *disc. 1. & 2. de Emphyt.* super conclusio- 18
ne, quod in mandato generali concesso Vicario, vel alte-
ri officiali faciendi concessiones, & investituras, non ve-
nit facultas faciendi concessiones abusivas, & præventivas
cum similibus.

Comprobatum id in his specialibus terminis habetur
ex eo quod Cassinenses præsertim, aliique Regulares ex
espressa, & speciali concessione Apostolica Eugenii IV. 19
forteque aliorum Pontificum, habent in specie hoc privile-
gium exemptionis a taxis, & collectis pro refectionibus
pontium, & viarum; Et tamen pluries tam per Sacram
Congregationem immunitatis, quam per illam boni regi-
minis, decisum, ac declaratum est hanc exemptionem suf-
fragari pro prima specie, non autem pro altera, Ut etiam
in specie Cassinensium decisum pluries fuit per Rotam in
casu, de quo *d. disc. 59. de Regal.*

Exindeque dictum fuit nullatenus habere subsistentiam
prætensam exemptionem Hospitalis Sancti Spiritus, quo- 20
niam illud in hoc nullum habet proprium, ac directum
privilegium, sed solum per communicationem, unde pro-
pterea quidquid sit de puncto, an hujusmodi communica-
tio suffragetur in iis, quæ sunt tertio præjudicialia, de quo
præsertim agitur *sub tit. de Decimis*, in quarum materia fre-
quentius de hoc disputari contingit; Pariter inane videba-
tur onus de hoc disputare, dum etiam ipsismet principali-
bus, ad effectum, de quo agitur, privilegium non suffraga-
tur; Et quoad alios privilegiatos enunciatos eodem supe-
rius allegato *disc. 48.* actum non fuit, quia nemo compa-
ruit, nullumque exhibitum fuit privilegium; Ac propterea
quidquid sit de facultatibus præfati Cardinalis Camerarii,
pro quarum competentia, & efficacia major pars inclina-
bat, adhuc tamen id nil relevare visum est, dum neque di-
rectum, ac immediatum privilegium ipsiusmet Papæ rele-
varet.

Considerabam quoque pro compatibilitate istius pri-
vilegii cum hac resolutione, ejusdemque privilegii inter-
pretatione (ad hunc effectum assumendo rem aliquantu- 21
lum magis ab alto) quod hujusmodi privilegium Came-
ralium, juxta ejus antiquam formulam, prodiit a quadam
consuetudine Tribunalis in præmium laborum, ut in eis-
dem literis exprimitur, dictaque consuetudo originem tra-
here videatur a privilegio Fisci non solvendi vectigalia, &
pedagia, aliaque onera hujusmodi, & de quo privilegio
habetur *disc. 44. & 35. eod. tit. de Regal.* & alibi, quasi
quod isti officiales sint pars, & membra Fisci, ideoque
participare debeant de ejus privilegio; Ac etiam quia cum
sua proportione illis adaptabilis est ratio superius assi-
gnata in privilegio exemptionis Clericorum, aliorumque
Ecclesiasticorum mutuæ compensationis onerum, quæ ab
istis officialibus supportantur in regimine, & in admi-
nistratione publici ærarii ad beneficium, & utilitatem,
vel securitatem omnium de populo, Ideoque ad istam
considerationem reflectendum est ad duplicem effectum;
Primo nempe, quod ita privilegium non est exorbitans,
& juri contrarium, ut proinde facilius cesset objectum
defectus potestatis; Et secundo pro ejusdem privilegii in-
telligentia ad limites privilegii fisci, & Clericorum su-
per exemptione a muneribus principaliter publicis, non
autem ab istis privatis, ut supra.

Mo-

Motivabat, judiciose quidem, unus ex congregatis pro ratione dubitandi, quod cum in Urbe sit solum in
22 usu dicta taxa, vel contributio realis ad ratam bonorum adjacentium, non esset vero in usu alia species taxæ, vel collectæ personalis, ita privilegium remaneret fatuum, & inane, dum pro dicta specie taxæ personalis necessarium non est privilegium particulare, cum intret generale clausum in corpore juris ratione Ecclesiasticæ immunitatis; Verum idem bene solvebat objectum cum duplici responsione; Primo nempe, quoniam privilegium, si non est operativum in Urbe, potest esse operativum, & proficuum in aliis locis, in quibus Camerales, qui non sint Clerici, possideant bona, atque pro refectionibus pontium, & viarum sit in usu prima species taxæ, vel collectæ personalis, vel mixtæ, ideoque sufficit hæc operatio ob tollendam fatuitatem; Et secundo, quoniam antiquioribus temporibus, etiam in dicta prima specie taxæ universalis, vel communicativæ personalis, aut mixtæ, non erat ita firma, & recepta opinio Clericis, & Ecclesiasticis favorabilis; cum illa potius solidata sit tempore moderno, quod moderni auctores Canonistæ, & Morales illam magis firmarunt, adeout bene inspectis auctoritatibus antiquiorum, tunc magis communis erat potius in contrarium, ideoque privilegium in hoc remanet operativum; Idque comprobatum bene remanet a privilegiis, quæ per Eugenium IV. aliosque Pontifices concessa fuerunt Cassinensibus, aliisque Religiosis, quæ tamen ita interpretata, & recepta fuerunt, cum sufficiat excludere fatuitatem.

23 Ad motivum causæ onerosæ, in qua ex parte Cameralium nimium insistebatur, atque ad alterum observantiæ, sufficit relatio ad ea, quæ insinuantur *d. disc. 47. & 48. in Miscellan.* cum revera neutrum habere videatur subsistentiam; neque magnæ trutinæ dote digna videantur, ex ibi deductis; Et præsertim circa observantiam, in hac ultima propositione magis elucidatum fuit in facto, quod illa esset potius in contrarium, adeout in hac parte casus remaneret extra omnem dubitationem; Et quoad causam onerosam, ultra ponderata, *d. disc.* 48. consideratum fuit quod distinctio, an privilegium sit ex causa lucrativa, vel onerosa, percutit punctum, an Princeps possit, necne illud revocare, & quatenus possit revocare, an teneatur restituere acceptum, de quo videantur inter se privilegiatus, & concessor privilegii; Sed de hoc nil ad tertios privatos, quorum respectu nulla adest causa onerosa, & correspectiva, dum ipsi nil receperunt, atque ita cessat omnis difficultas.

Aliquam probabilem difficultatem ego habebam solum in illa generali refectione pontium, & viarum, quæ
24 fieri solet, etiam extra agrum, & districtum Romanum, in anno Jubilæi universalis, qui sanctus vulgo appellatur, & de qua refectione in specie agitur *in d. tit. de Regal. disc.* 141. quasi quod ista refectio sit potius de prima specie principaliter in causam publicam, & per consequens, quod juxta prædictam distinctionem intrare deberet exemptio tam ex jure communi, quam ex privilegio particulari; Verum attente reflectendo, visum est difficultatem non obstare; Tum quia in agro præsertim Romano, & in aliqua magis adjacenti parte districtus, major videtur in omni tempore usus privatorum, qui pro cultura, & asportatione fructuum cum rhedis, & curribus, ac plaustris, aliisque instrumentis, & cum jumentis magis corrumpunt vias, & pontes, quam faciant peregrini, qui pro majori parte sunt pedestres, ideoque attenditur præponderantia usus, ut consideratur *d. disc.* 141. *de Regal.* inter illos populos, qui magis, & minus vias frequentant. Tum etiam ratione consuetudinis, cui nimium in hoc deferendum videtur, dum etiam in hoc tempore, in viis præsertim, quæ sunt in agro, adhibetur eadem forma taxæ, eique juxta antiquam, & inconcussam praxim subjacent etiam Ecclesiæ majores, & Patriarchales, earumque Capitula, & Monasteria, ac etiam subjacent Cardinales, & Episcopi; Atque ad hunc effectum, absque superfluitatis vitio, utiliter, ac misteriose ab alio assumpta fuit series, vel historia moderni Tribunalis Ædilium, seu Magistrorum viarum cum mixtura Camerarii, & Præsidis viarum.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Suppressio Venalitatis Officiorum causarum Curiæ, Cameræ Apostolicæ, Generalis Auditoris, necnon ejusdem Cameræ Thesaurarii Generalis, duodecim Clericorum, & Præsidentis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam Rei memoriam.

AD hoc unxit Nos Deus oleo lætitiæ præ consortibus nostris, ut justitiam, quæ est præparatio sedis nostræ, incessantibus studiis diligamus, quod tunc laudabiliter, ut par est, nullo nostrorum meritorum suffragio, sed ineffabili Omnipotentis Dei bonitate, & providentia adimplemus cum via regia incedentes, neque ad dexteram declinantes, neque ad sinistram aliqualiter deviantes, jus suum unicuique tribuere, eosque, quos præsertim juri, nedum in causis privatorum, sed Fisci nostri dicendo, necnon Sedis, & Cameræ Apostolicæ bonis juribus, & redditibus administrandis, & tuendis respective in partem solicitudinis evocamus, personarum acceptione non facta, divitiarum sorte posthabita, ac meritorum, & virtutum collatione duntaxat librata, undequaque dignos, & præstantiores eligere satagimus.

At dum ad præcipua Romanæ Curiæ Prælatorum, nimirum causarum Curiæ, Cameræ Apostolicæ, Generalis Auditoris, ac ejusdem Cameræ tum Thesaurarii Generalis, tum duodecim Clericorum Præsidentium, necnon alterius præsidentis vacabilia, & interim fructifera Officia, quæ rationabilibus olim suadentibus causis, seu gravibus tunc urgentibus necessitatibus alias decuit recepto pretio concedi, & successive durantibus, & plerumque adauctis iisdem necessitatibus, vel causis, opus, seu opportunum visum fuit, similibus concessionibus instauratio, mentis nostræ oculos sedula meditatione convertimus; exinde viros alioquin dignos, solvendo tamen pretio hujusmodi impares, aliquando prætermitti, necesse esse, non sine gravi animi nostri mœrore perpendimus.

Hinc ut sola virtutum præstantia in hujusmodi Officialium circumspecta, & justa electione præponderet, atque contra præfatam Romanam Curiam obloquendi, & oblatrandi invidis, & infensis ejus detractoribus calumniosa hujusmodi tollatur occasio, quantum Nobis ex Alto conceditur, providere volentes, justum Officiorum prædictorum, & cujuslibet illorum pretium, quin etiam quidquid pro expeditione in eorundem Officiorum acquisitione fuerat expensum, ascendens in totum ad summam decies centenorum, & viginti millium septingentorum sexdecim scutorum monetæ Romanæ, unicuique ex præfatis Officialibus pro sui Officii valore, & expensis prædictis, in primis & ante omnia, prout in nostro, die undecima currentis mensis Octobris desuper confecto, & manu nostra subscripto Chirographo, cujus tenorem haberi volumus pro expresso, uberius continetur, restitui mandavimus.

In cujus executionem, cum pretii, & expensarum hujusmodi integra, & effectiva restitutio, iisdem Officialibus id consentientibus, subsecuta fuerit, Officiorum prædictorum venalitati imposterum occurrere volentes; Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratorum Officiorum venalitatem tenore præsentium penitus, & omnino tollimus, supprimimus, extinguimus, removemus, & abolemus. Volentes, & mandantes, ut hujusmodi Officia ante hac in perpetuum, seu ad vitam concedi solita, imposterum ad Nostrum, & Romani Pontificis pro tempore existentis, & dictæ Sedis Apostolicæ beneplacitum, viris vitæ, & morum integritate præstantibus, literarum scientia præditis, rerumque humanarum experientia insignibus, ad majorem Dei gloriam, Romanæ Curiæ, & Prælaturæ decorem, necnon virtutis incitamentum, & præmium, gratis, & nullo recepto pretio concedantur.

Volumus tamen, & decernimus omnia & singula emolumenta tam ordinaria, quam extraordinaria, jura, bona, fructus, redditus, & proventus certos, & incertos dictæ Sede tam plena, quam vacante, undecunque provenientes etiam ex annatis, quindenniis, minutis servitiis, mulctis, pœ-

nis, compositionibus, sigillis, expeditionibus, ac literis patentalibus, necnon localia, & regalia solvi solitas a quibusvis personis, & Communitatibus, & præsertim a Camera Apostolica, illiusque Appaltatoribus, Thesaurariis, Censuariis, aut Feudatariis in quocunque anni tempore, & signanter in Vigilia, ac festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac in Nativitate Sanctissimi Domini Nostri Jesu Christi, & denique obventiones, & responsiones quascunque quocunque nomine nuncupatas, quæ prius in compensationem pretii persoluti memoratis Officialibus respective debebantur, & solvebantur, penitus, & omnino cessare debere, illaque omnia, & singula pro indemnitate ejusdem Cameræ Apostolicæ urgentibus necessitatibus pressæ, & nuper etiam pretii, & expensarum restitutione præfatis Officialibus, ut præfertur, facta, magis gravatæ, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus restituimus, reunimus, incorporamus, & applicamus,

Decernentes easdem præsentes literas, etiam ex eo, quod præfati causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, ac ejusdem Cameræ Thesaurarius Generalis, duodecim Clerici Præsidentes, ac alter Præsidens, & alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, eisdem præmissis non consenserit, aut vocati, seu auditi non fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, vocati, seu audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quacunque quantumvis juridica, & privilegiata causa, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, alioque quocunque etiam quantumvis magno formali, & substantiali defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari; sicque & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam præfatæ Cameræ Clericos Præsidentes, causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigeri attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, aliisque nostris & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & felicis recordationis Symmaci, Pauli Papæ II. Pauli Papæ IV. & aliorum Pontificem Prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis recuperandis, ac recol. mem. Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris Nostri de gratiis qualecunque interesse dictæ Cameræ concernentibus intra certum inibi expressum tempus exhibendis, & registrandis, itaut easdem præsentes literas ibidem exhiberi, & registrari nunquam necesse sit, aliisque quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Tribunalium, Officiorum, & Officialium præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus, & decretis etiam Cameralibus, & Consistorialibus, necnon quibuscunque eorundem Officiorum erectionibus & concessionibus etiam præsentium Possessorum, tametsi alias factis ad vitam, seu in perpetuum, ac etiam ex causa onerosa, seu correspectiva, vel per viam contractus, seu vim contractus habente: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis Tribunalibus, Officiis, seu Officialibus præfatis sub quibuscunque tenoribus, & formis cum quibus etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis, in genere, vel in specie, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, aut alias quomodolibet per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores Nostros in contrarium eorundem præmissorum concessis, ac etiam pluties confirmatis, innovatis, & approbatis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illius tradita observata, exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum suppressionis, extinctionis, remotionis, abolitionis, voluntatis, mandati, decretorum, restitutionis, reunionis, incorporationis, applicationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum, Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, decimo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia L. Sacripantes.

D. Ciampinus,

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione decimaquinta, die vero vigesima tertia Octobris, Pontificatus autem Santissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Innocentii Divina Providentia Papæ XII. Anno secundo. Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Thomas Orlandus Apost. Curs.

Constitutio quod de cætero Officia, & loca Montium vacabilia Romanæ Curiæ, cujuscunque qualitatis sint, per assumptionem ad Cardinalatum illa obtinentium minime vacent, habetur impressa in tractatu de officiis Venal. Vacab. Rom. Curiæ, Cap. XIII. in fine.

De Auditore Cameræ, ejusque Locumtenentibus.

S U M M A R I U M.

1 *DE origine, seu introductione hujus officialis.*
2 *Est Judex omnium Prelatorum, ac etiam Cardinalium.*
3 *In Curia est Judex in prima instantia, & habet cumulativam cum quibusdam aliis Magistratibus.*
4 *Sed privative est executor obligationis in forma cameræ, vel alterius pacti executivi.*
5 *Extra Curiam est Judex appellationum generaliter in omnibus causis.*
6 *Sed non procedit in causis prima instantia.*
7 *Quas causas cognoscat etiam extra Curiam in prima instantia.*
8 *Est executor literarum Apostolicarum & quomodo.*
9 *Est etiam sententiarum executor, & quomodo.*
10 *Procedit executive inter mercatores, & in omnibus casibus, in quibus alter Judex ita procedere potest.*
11 *Recipit appellationes interpositas ad Papam, omisso medio.*
12 *Quos recursus recipiat a Baronibus, & aliis etiam in prima instantia.*
13 *In quibus causis in Curia Auditor Cameræ se non ingerit.*
14 *Præsertim in causis beneficialibus, & quid in matrimonialibus.*

15 *In*

15 *In quibus causis spiritualibus se non ingerat.*
16 *Et quid in causis Regularium.*
17 *Ex quibus Tribunal constituatur.*
18 *Locumtenentes cum ipso Auditore constituunt unum Tribunal, & de effectibus.*
19 *Adhuc tamen unus inhibet alteri, vel ab eo reassumit.*
20 *Sed unus non revocat sententiam alterius.*
21 *Quid ubi recusantur suspecti.*
22 *Distinguuntur Locumtenentes, ac etiam Auditor domesticus.*
23 *De Congregatione criminali, quam tenet qualibet hebdomada.*
24 *Habet Notarios, & Barisellum cum familia armata.*
25 *De expeditionibus quæ scribuntur in albo.*
26 *De monitoriis Auditoris Cameræ quid contineant.*
27 *De stylis, & facultatibus.*
28 *De stylo citandi in domo habitationis, & quando debeant esse citationes personales.*
29 *An, & quando adsit usus sportularum, seu propinarum.*
30 *Est officium venale, & de ejus valore, & quando vacet.*
31 *Ejus jurisdictio durat vacante sede Papali.*
32 *De censuris quæ ab hoc Tribunali relaxari solent.*
33 *De assiduis laboribus Locumtenentium, & Auditoris domestici, ac de modo audiendi causas.*

D I S C. XXXIV.

1 DE hujus Auditoris origine, sive introductione, jam habita est mentio supra, agendo de Cardinali Camerario, cujus iste officialis Auditor erat. *a* Improprium enim alias esset, quod appelletur Auditor Cameræ, quodque in Camera sedeat, dum in causis, & negotiis cameralibus, nullam habet jurisdictionem, vel participationem; Antiquum autem est officium, dum de eo antiqui scriptores mentionem faciunt. *b*

2 Magna itaque est hujus officialis auctoritas, ac jurisdictio, adeout primus Curiæ Prælatus censeatur, omnesque etiam Patriarchas præcedat, præter illum Prælatum, qui est Gubernator Urbis, ex ea prærogativa, quod ille est Vicecamerarius; Siquidem hic Auditor est Judex competens, & ordinarius omnium Prælatorum, etiam eorum qui Patriarchali, Archiepiscopali, & Episcopali dignitate præfulgeant, illis exceptis, qui ex privilegiis exemptionem habeant, atque particularibus subsint Magistratibus, vel Judicibus *c*. Ut exempli gratia sunt Prælati camerales, & Palatini; Imo etiam est Judex competens in causis Cardinalium, ut alibi in jurisdictionali materia advertitur. *c*

3 In Curia itaque, atque in ejus ambitu intra duas dietas, est Judex primæ instantiæ in omnibus utriusque fori ecclesiastici, & sæcularis causis, tam civilibus, quam criminalibus, exceptis aliquibus, de quibus infra, adeout cumulativam habeat cum Gubernatore, vel cum Vicario, aliisque Judicibus ordinariis, inter quos propterea locus est præventioni.

In causis autem super executione obligationis cameralis, ipse habet privativam quoad omnes, ipseque est in Urbe unicus hujus obligationis executor, quando Par-
4 tium consensus, vel aliquod particolare privilegium aliter non suadeat; *d* Ut etiam est Judex privative ubi agatur de executione pactorum executivorum in eadem
5 Urbe. *e*

Extra Curiam vero est Judex ordinarius appellationis in quibuscunque causis ecclesiasticis, & prophanis, sive utriusque principatus, pontificii, & temporalis a quibuscunque Judicibus, & Magistratibus pro regula generali; Ali-
5 quibus casibus exceptis, in quibus jurisdictionem non habet. *f* Ideoque in causis extra Curiam, in prima instantia dicitur judex incompetens; atque nulliter procedit, nisi Partium consensus hunc defectum sanet. *g*

6 Et nihilominus, adhuc aliqui habentur casus, in quibus, etiam in prima instantia, extra Curiam procedit; Puta in illis causis civilibus, in quibus Ordinarii loco-
7 rum, vel non possunt esse Judices, vel sunt recusabiles, quia nempe agatur de interesse proprio, vel de illo mensæ Episcopalis, vel prælatitiæ, cum tunc passim causæ agantur in prima instantia in hoc Tribunali; Sive etiam in causis criminalibus ipsorummet Episcoporum, vel Ordinariorum,

Ac etiam in causis executionis literarum Apostolicarum, quarum ipse est executor generalis, quamvis etiam in literis alii certi, & speciales executores deputati essent quoties nullus eorum manus apposuit; Et præser- 8
tim, juxta frequentiorem praxim, executor est illarum literarum in forma brevis, quæ dicuntur de capienda possessione nomine Cameræ; Aut illarum, quæ expediuntur super pensionibus ecclesiasticis.

Quamvis enim ubi non sit in ipsis literis deputatus executor, (ut pro frequenti stylo deputari solet) adeout in hoc se ingerat in vim suarum facultatum generalium, retrotractis temporibus, de hoc dubitaretur, quasi quod ista executoria generalis, restricta esset intra duas dietas extra vero requireretur commissio specialis; Attamen, ex facultatum amplissione concessa per Gregor. XIV. & Clem. VIII. & declaratione Urbani VIII. ista dubietas sublata videtur, *h* licet varia sit opinio, vel praxis signaturæ.

Prout etiam est executor omnium sententiarum, & 9
rerum judicatarum aliorum Judicum, & Magistratuum Status ecclesiastici, non autem aliorum extra; *i* Et generaliter est executor omnium illarum obligationum, 10
vel conventionum, quæ ex statutis, vel stylis particularibus in partium, seu contrahentium locis processum executivum habeant, dum ipse procedit executive in omnibus illis casibus, in quibus alter Judex procedere potest in Urbe, non autem extra; *l* Prout executive procedit in causis mercatorum urbis, dummodo sint inter mercatores hinc inde, adeout unus eorum non sufficiat, si altera Pars sit diversi Status. *m*

Appellatur quoque ad eum ab Ordinariis, omisso me- 11
dio, eo modo quoad ipsum Papam, qui per se ipsum, vel per organum Signaturæ Justitiæ causas delegat Romæ, vel singulis Prælatis, dum in hac parte dicitur ejusdem Papæ Judex ordinarius appellationum, & recursuum, unde propterea derivavit aliquorum opinio, quod hic esset Auditor Papæ, qualis spectato effectu ita esse dicitur.

Quinimo respectu Judicum ordinariorum temporalium, & præsertim Baronum, ac domicellorum, recipit recursus eorum, qui præsertim in criminalibus coram eo se præsentent; Atque exinde inferri prætenditur quoque ad subditos Episcoporum, aliorumque Ordinariorum ecclesiasticorum, quod tamen non videtur probabilem subsistentiam habere. *n*

Casus autem, in quibus hæc ampla, & generalis ejus jurisdictio coarctata est, plures sunt; Primo nempe, ubi agatur de causis cameralibus utriusque fisci, ponti-
ficii, & temporalis, quæ in prima instantia pertinent 12
ad Thesaurarium, vel ad Camerarium, & in secunda ad Cameram, aut respective ad præfatos Thesaurarium, & Camerarium a sententiis collectorum, deindeque in tertia ad Cameram.

Secundo in illis causis, quæ camerales, saltem improprie dici possunt, ob demandatam earum cognitio- 13
nem aliquibus præsidibus, & Magistratibus, qui Cameræ subordinati sint, atque ad eam appelletur, ut sunt Præsides Annonæ, grasciæ, dohanarum, riparum, viarum, & zecchæ, ac etiam causæ retractuum, seu ædificiorum Urbis ad præscriptum Constitutionis Gregorii decimitertii, cum similibus.

Tertio in illis causis, quæ habent judices particulares privative ad omnes alios; Ut (ex. gr.) sunt in Curia tres Basilicæ Patriarchales, & tot aliæ Ecclesiæ, vel loca pia quæ habeant Protectores, cum plena jurisdictione, ut infra. Ac etiam in illis causis, in quibus Cardinalis Vicarius, vel Gubernator Urbis, aut senator, ex Constitutionibus, vel decretis Apostolicis, habeant privativam, tanquam per limitationem regulæ generalis, per quam intra Urbem, & districtum datur inter hæc Tribunalia, cumulativa, cum eadem præventione.

Quinto in causis beneficialibus, in quibus reputatur omnino incompetens, atque nulliter procedit; Quoties tamen 14
dici merentur vere causæ beneficiales, quales dicuntur illæ, in quibus quæstio sit de titulo, ac pertinentia beneficii inter plures provisos; Secus autem sit inter patronos de jure præsentandi, vel inter collatores de jure conferendi, quamvis illi, qui ab eis præsentati, vel respective provisi fuerint, accessorie pro eorum interesse sint in causa. *o*

Sexto, juxta opinionem, cum qua per Signaturam procedi videtur, ubi agatur de causis matrimonialibus, quales propriæ dicuntur illæ, in quibus agatur de fœdere matrimonii, quinimo praxis docet, quod ubi etiam aga-

tur de separatione tori, in Urbe istam cognitionem privative habet Vicarius, extra vero, causæ committi solent in Rota.

Septimo illative, ubi agitur de causis mere spiritualibus & ecclesiasticis, in quibus, ubi agatur de negotiis Urbis, vel districtus, pariter privativam habet Vicarius; Ubi vero
15 extra, pertinent solum ad aliquas Sacras Congregationes; Puta in causis Fidei, sive in illis Rituum ecclesiasticorum, vel ecclesiasticæ Immunitatis localis, ad præscriptum Constitutionis Gregorii decimiquarti, quoniam in his causis se non ingerit Auditor Cameræ, qui tamen in gradu appellationis extra Curiam cognoscere solet in causis immunitatis realis, vel personalis.

Et demum, juxta modernas declarationes, sub Innocentio X. non se ingerit in illis causis privatis, vel sin-
16 gularibus Regularium, quas non congruit tractari, & audiri in Tribunalibus contentiosis, sed agi debent intra ipsam Religionem in forma summaria, ut inter Regulares decet, atque non exeunt Religionem, nisi apud Protectorem, vel apud Sacram Congregationem Regularium, *p*.

Constitutum est illud Tribunal ex ipso Auditore, tanquam ejus capite, & ex tribus Locumtenentibus, duobus scilicet civilibus, & uno criminali, qui gerere videntur
17 eam figuram, quam gerit Vicarius Episcopi, dum constituunt unum, & idem Tribunal; Adeout inter eos detur
18 quidem distributio causarum, quod scilicet Judex criminalis non se ingerit in causis civilibus, & e converso Judices civiles non se ingerunt in criminalibus, unde
19 propterea unus alteri inhibet, *q* seu unus ab altero causas reassumit; In effectu vero est unum, & idem Tribunal, unde propterea, unus non revocat, neque circumscribit
20 sententiam diffinitivam alterius, per quam in ea causa consumpta dicitur jurisdictio totius Tribunalis.

Quando vero aliquis ex Locumtenentibus, vel ipsemet
21 Auditor Cameræ allegetur suspectus, stante Curiæ stylo alibi insinuato, *r* ut etiam Judices ordinarii sine allegatione ac probatione causæ allegentur suspecti, re integra, & antequam legitime consensum sit in jurisdictionem; Et tunc ipsemet Auditor, alium Judicem particularem illius causæ deputare solet; Unde propterea, multas hujus Tribunalis causas in prima, vel respective in secunda, aut ulteriori instantia, civiles tamen, tam ecclesiasticas, quam sæculares agunt, & cognoscunt Prælati utriusque Signaturæ Referendarii, qui in his, & in aliquibus causis commissariis, se occupant, ultra functiones, quas agunt in utraque Signatura Gratiæ, & Justitiæ, & eorum aliqui in aliquibus Congregationibus ut supra; Et quando Auditor Cameræ renuat admittere recusationem, aliumque deputare, ut etiam in recusationibus Notariorum sequi solet, tunc habetur recursus ad Præfectum Signaturæ Justitiæ, vel ad ipsam plenam Signaturam, ut id decidat.

Ex præfatis autem tribus Locumtenentibus, (qui licet sint tanquam Vicarii Auditoris, non tamen ab ipso, sed a Papa directe, & immediate eliguntur) Duo sunt
22 Prælati habentes cognitionem causarum civilium utriusque fori ecclesiastici & sæcularis; Tertius autem est simplex rogatus, atque habet cognitionem causarum criminalium, ideoque Locumtenens appellatur; Et ultra dictos duos Locumtenentes pro causis civilibus, easdem causas cognoscit quoque per se ipsum; Verum ab aliquo tempore, ista cognitio haberi consuevit per ejus privatum aulicum, seu domesticum Auditorem; coram quo causæ disputantur in contradictorio, ac etiam tenentur audientiæ, & fiunt decreta interlocutoria nomine ipsius Auditoris Cameræ, qui sententias, ac etiam mandata, aliasque expeditiones per se ipsum subscribit, adeout iste Auditor quasdam partes adjutoris, sive assessoris potius gerere videatur.

Pro cognitione causarum criminalium, in hoc Tribunali
23 habetur idem stylus, qui supra insinuatus est in Tribunali Cardinalis Vicarii, quod scilicet qualibet feria secunda, in ejus domo, (ipso præsidente) habetur Congregatio; in qua interveniunt dictus Locumtenens criminalis, ac etiam aliqui ejus substituti, præfatusque ejus Auditor domesticus (quod tamen non est uniforme) necnon Advocatus Cameræ, & fisci, ac etiam Procurator generalis ejusdem Fisci, qui fiscalis Urbis per antonomasiam appellatur, dum isti duo sunt unici & generales in omnibus Tribunalibus Urbis, excepto foro Capitolino.

Habet item decem Notarios, quorum Officium est venale
24 & vacabile, notabilis valoris, scutorum circiter quindecim mille, magis, & minus juxta cujuslibet officii majorem, vel minorem existimationem, seu avviamentum, & copiam scripturarum, eorumque singuli retineat substitutos, & Juvenes, ut infra agendo de Notariis in genere advertitur; Ac etiam habet familiam armatam cum suo Duce, seu Barisello distincto ab illo Gubernatoris.

Ex hujus autem Tribunalis stylo, magna fides in his Notariis, eorumque substitutis habetur, quod scilicet, tam ipse Auditor, quam ejus Locumtenentes civiles, plures subscribunt chartas, seu papyros in albo, in quibus postmodum 25
Notarii, juxta negotiorum contingentiam, in quacunque hora, absque necessitate adeundi Judicem, concedunt inhibitiones, & monitoria, ac etiam mandata executiva, cum quandoque ita prompte occurrere oporteat.

Cumque inhibitiones, & monitoria extra Curiam, magis vero extra Statum ecclesiasticum, expediantur in charta de corio, seu pergamena; Hinc apud ignarum vulgus re- 26
putari solent Brevia Apostolica; Istamque simplicitatem confovere solent aliqui Rabulæ forenses, ita extorquendo a correspondalibus ignaris illas summas, quæ erogari debent in expeditionibus Brevium, cum tamen eorum impensa non importet nisi unum scutum monetæ.

Ac ulterius, cum hujusmodi monitoria dirigi soleant omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Legatis, Nuntiis, aliisque Prælatis, & officialibus, sive personis ecclesiastica dignitate constitutis; Hinc aliam simplicitatem, & quandoque malitiam praxis docet, quod scilicet in partibus aliquæ personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, vel aliquod ecclesiasticum officium habentes, ita se credendo Apostolicos Judices & delegatos, tanquam tales, pro observantia eorum, quæ in ipsis monitoriis continentur, formalem causarum cognitionem assumunt, atque ad personalem, ac realem executionem procedunt; quinimo etiam ad excommunicationem, aliasque censuras, absque immaginabili fundamento, cum hujusmodi monitoria aliud non contineant, nisi simplicem citationem, seu monitionem; unde propterea adversus inobedientes, seu contravenientes alter non procedit, nisi idem Judex, qui monitorium concessit, prævia ejus reproductione, aliisque servatis de jure servandis, quatenus non comparentibus illis, qui moniti sint, procedendum sit in contumaciam; Isteque est unus de consuetis erroribus, qui committuntur in partibus, atque exinde frequenter gravia resultant inconvenientia, præter intentionem Tribunalis, dum in effectu ista monitoria aliud non continent, nisi simplicem citationem, *f*

Plerosque stylos particulares habet hoc Tribunal, deviantes a rigorosis regulis juris, ob ejus amplas facultates concessas, rationabiliter quidem, pro magis summario, ac celeri processu, in causis præsertim executivis, 27
sive in concernentibus commercium, ejusque facilitatem, necnon circa purgationem attentatorum, ac alia, de quibus incidenter in toto progressu materiæ Judiciorum, ac etiam apud eos, qui de hujus Tribunalis praxi, ac stylis particulariter agere professi sunt. *t*

Præsertim vero hujus Tribunalis stylus est admittendi citationes domi dimissa copia, præterquam ubi de illa 28
prima citatione agatur, in qua fundetur totus processus contumacialis, qui in Curia, per contradictas dicitur, ut in sede Judiciorum, in citationum rubrica advertitur; *u* Quæstione cadente an quando hic Auditor, vel aliquis ex ejus Locumtenentibus procedit in vim alicujus commissionis Papæ, adhibere valeat eundem stylum, vel potius teneatur servare alterum, quem servat Rota, & omnes Judices commissarii non admittendi nisi citationes personales.

In hoc Tribunali non habetur usus, vel abusus sportularum, seu propinarum, etiam ubi agatur de senten- 29
tiis diffinitivis; Adhuc tamen hic abusus ab eo non omnino exulat, quoniam in plerisque casibus etiam practicatur, quando scilicet dici valeat, quod Judex procedat tanquam commissarius, seu delegatus Apostolicus potius quam tanquam Ordinarius; Ut præsertim contingit, quando procedat tanquam executor literarum Apostolicarum, & sic ubi agitur de exequendis Brevibus de capienda possessione nomine Cameræ, sive aliis Brevibus vel literis Apostolicis, ut pro frequentiori praxi sequitur in illis pensionum ecclesiasticarum.

Idem etiam servatur in illis causis, in quibus Pontifex per ejus commissionem mandet cognitionem ipsi Auditori cum ejus duobus Locumtenentibus civilibus, adeout tres propinas eorum singulis solvere oporteat (quod etiam abusum redolet) ac propterea ad hunc effectum, etiam in causis singularibus cadere solent quæstiones, an, & quando

per

per rescriptum Papæ directum Judicio ordinario, iste efficiatur delegatus. *y*

Illud officium est venale, quod magnum habet valorem scutorum quinquaginta sex mille auri stamparum, ratione
30 emolumentorum, ut alibi agendo de hujusmodi officiis venalibus Curiæ advertitur; Illudque est vacabile per mortem naturalem, vel per promotionem ad Cardinalatum, suppressionem Venalitatis impressam post *disc. prec. hoc tit.* cui nimium proximus reputatur, atque ad illud assumi solet unus ex Clericis Cameræ, ut in sede Regalium, magis distincta habetur. *z*

Præfatis autem Locumtenentibus datur stipendium menstruorum scutorum quinquaginta, ex emolumentis Notariorum, ultra ea emolumenta, quæ proveniunt a propinis extraordinariis, ut supra.

Cum autem sit Judex ordinarius, idcirco ejus jurisdictio, durat etiam sede Papali vacante, in qua cessat jurisdictio omnium aliorum tribunalium, & præsertim Rotæ & Judi-
31 cum commissariorum, ac etiam quiescunt Tribunalia Signaturæ Justitiæ, & Cameræ. *a*

Apud antiquiores liquet, quod majus istius officialis mu-
32 nus versaretur in prolatione censurarum adversus eos, qui Apostolicis mandatis non obedirent, seu debita non solverent, aliaque adimplenda non implerent, *b* sed quoniam de hac materia censurarum, seu declaratoriarum, in judiciorum sede agitur; *c* Idcirco ne idem pluries repetatur, ibi de his videri poterit.

Pene autem incredibilis, peneque intolerabilis videtur continuus labor hujusmodi Locumtenentium civilium, ac etiam dicti Auditoris domestici, qui partes unius ex Locumtenentibus quoque explere videtur, dum singulis diebus non feriatis in honorem Dei, abs-
33 que intermissione, atque sine praxi feriarum æstivarum, sive aliarum legalium, in contradictorio Advocatorum & Procuratorum Partium, cum bene regulato ordine listarum, ut quilibet sciat suum locum, tam de mane, quam de sero, audit causas duorum ex Notariis Tribunalia, juxta statutas dies inter eos distributas, in magno numero, adeout casus quandoque præbeat, ut una die discutiantur quinquaginta, & ultra, causæ, inter quas plures graviores esse solent; Itaque informatione expleta, ab eorum singulis, cum majori labore, majorisque applicationis necessitate, tenetur audientia citationum, omnium Notariorum Tribunalis cum contradictoris Procuratorum, vel solicitatorum, eorumque magno strepitu, unde quandoque casus præbet, ut in una audientia, supra tercentum & quatuorcentum citationes legantur, super quibus est interloquendum, adeout videatur opus pene impossibile humanis viribus; Atque in feria quinta, in qua iste labor cessat; dum neque informationes, neque audientiæ habentur, Locumtenentes majorem laborem majusque fastidium subire coguntur, dum interveniunt in plena Signatura Justitiæ, reddituri rationem de eorum decretis, & provisionibus, a quibus succumbentes appellent; vel recurrant, ita patiendo quemdam continuum syndicatum; Atque ex his provenit recta, & celer justitiæ administratio, & causarum expeditio, quæ ad proportionem magnarum Civitatum, magnorumque Tribunalium, est magna.

a *supra, disc.* 11. b *Geminian. consil.* 149. *Ægid. Bellam. disc.* 196. 210. 305. *&* 508.
c *tit. de jurisdict. disc.* 80. d *dec.* 1. 56. *&* 57. *post. Zacch. de obl. camer. Buratt. dec.* 462. *&* 537.
e *Buratt. d. dec.* 537. *&* 879. f *d. dec.* 36. *in princ. p.* 10. *rec.*
g *dec.* 49. *&* 54. *apud Rosth. de subhastat. dec.* 150. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 181. *p.* 10. *& plures.*
h *Burat. dec.* 909. *Coccin. dec.* 169. *Volaterana Canonicatus* 28. *Aprilis* 1634. *cor. Albergato, & Royas* 2. *dec.* 315.
i *Coccin. dec.* 776. *in principio.* l *Dunozet. dec.* 795. *add. ad Buratt. dec.* 462. m *Grat. discept.* 569. *dec.* 170. *post Zacch. de obl. cam. dec.* 120. *p.* 5. *rec. & sæpius.*
n *tit. de jurisd. disc.* 53. o *Coccin. dec.* 169. *Gregor. & add. dec.* 118. *Bich. dec.* 312. *repetit. dec.* 99. *p.* 10. *rec. & sæpius.* p *Fagnan. in cap.* de priore, *a n.* 15. *de appell. & habetur sub tit. de Regal. disc.* 33.
q *de ac inhibitione judicis civilis, judici criminali in hoc eodem Tribunalis, tit. de jurisd. disc.* 70. r *tit. de judic. disc.* 3. f *Gregor. dec.* 305. *Buratt. dec.* 109. *Durum. dec.* 246. *& passim.* t *Salust. Tiber. & Ridolphin. in praxi.*
u *tit. de judiciis, disc.* 9. x *apud Peutinger. dec.* 226. *in fin. & dec.* 247. *in princ.*
y *tit. de judic. disc.* 3. z *tit. de Regal. disc.* 2.

a *dec.* 364. *post Zacch. de obl. camp.* b *Vestr. & adden. lib.* 2. *c.* 4. c *tit. de judic. disc.* 40.

S U M M A R I U M.

1 *De tribunali Auditoris Cameræ.*
2 *Quomodo concedantur exemptiones Clericis a Jurisdictione propriorum Ordinariorum.*

ANNOT. AD DISC. XXXIV.

IN concernentibus hoc Tribunal Auditoris Cameræ, quoad Notarios provisiones plures habentur *in annot. ad disc.* 3. *de Judiciis*; Eodemque titulo, & *sub tit. de Cred.* insinuantur provisiones super illis dilationibus, quæ per Auditorem, & ejus Locumtenentes cum nimia facilitate, & frequentia concedi solebant debitoribus, vulgo non *gravetur* nuncupatæ.

Invaluerat etiam in hoc Tribunali usus pariter frequens de facili concedendi exemptiones Clericis a jurisdictione, & superioritate propriorum Ordinariorum in vim dispositionis *Textus in cap. ad hæc*, ex mendicatis coloribus suspicionis; Hodie vero de mandato Sanctissimi proceditur cum nimia circumspectione, quodque nonnisi eodem Sanctissimo consulto, ad hujus exemptionis concessionem deveniatur; Prout etiam ut nimium parce, & circumspecte procedatur ad concessionem inhibitionum in materiis spiritualibus, vel in concernentibus correctionem morum adversus locorum Ordinarios.

De Thesaurario Generali, ejusque Tribunali.

S U M M A R I U M.

1 *DE origine, & munere hujus officialis.*
2 *De ejus facultatibus, & jurisdictione in Statu Ecclesiastico.*
3 *Habet curam, & administrationem locorum montium, & de Congregationibus, quibus præsidet.*
4 *De Auditore Thesaurarii.*
5 *De jurisdictione, & facultatibus extra Statum.*
6 *De usu sportularum, seu propinarum.*
7 *Est officium venale, & quibus honoribus potiatur.*
8 *De ejus vacatione, ac etiam de existimatione, & prerogativis.*
9 *Procedit regulariter cum processu executivo, & summario.*

D I S C. XXXV.

IN eodem discursu, qui in præcedenti enunciatur, agendo de Cardinali Camerario, *a* enunciatus est iste officialis, qui antiquiori tempore, facti potius, quam juris minister erat, idest custos ærarii, *b* illam gerendo figuram, quam hodie facit in Urbe ille publicus, ac probatus campsor, qui Cameræ Depositarius nuncupatur, utpote retinens in ejus banco pecunias Cameræ, seu fisci, depositas, & conservatas, ad Papæ, ejusque officialium dispositionem; Isteque depositarius idem Thesaurarii nomen quoque sortitur, cum adjecto secreti, ad differentiam hujus Thesaurarii, qui generalis appellatur, utpote judex & superior omnium aliorum, qui eandem nuncupationem habent, etiam per provincias, in quibus, & præsertim in illis, Marchiæ, Æmiliæ, Umbriæ, & Patrimonii, & in aliis, illi qui, sive sub titulo appaltus, sive sub altero administrationis, redditus, ac proventus colligunt, idem Thesaurariorum vocabulum sortiuntur, cum subordinatione tamen huic officiali, qui propterea generalis dicitur; Ejusque munus hodie potius juris & intellectus, quam facti est, cum sit Judex, ac director omnium reddituum, ac proventuum, & emolumentorum Papæ, ejusque utriusque fisci, Pontificii, & temporalis, adeout, adinstar Auditoris Cameræ, mixtam, seu utramque habeat jurisdictionem, ecclesiasticam, & laicalem, dum etiam Apostolici collectores spoliorum, & fructuum, Ecclesiarum, seu beneficiorum vacantium, aliorumque jurium pertinentium ad fiscum mere ecclesiasticum, seu Pontificium in omnibus catholici Orbis partibus, in quibus Collectores adsunt, eidem in hac parte subordinati sunt, estque illorum Judex appellationis, vel recursuum, in iis tamen causis, & negotiis, quæ interesse Cameræ, seu fisci percutiant; Ejus autem facultates ac jurisdictio nimiam amplitudinem receperunt sub Sixt. V. *c* ideoq; non mirum, si antiquiores Practici earum notitiam non habuerunt.

In Statu itaque ecclesiastico immediato est collector gene-

neralis spoliorum, ac fructuum ecclesiarum, & beneficiorum vacantium, aliorumque proventuum, & emolumento-
2 rum cameralium, unde propterea ipse deputat subcollectores in singulis diœcesibus; Ac etiam est Judex ordinarius primæ instantiæ omnium causarum, in quibus Camera, sive uterque fiscus ecclesiasticus, & temporalis, interesse habeat, tam immediatum, ac directum, quam etiam indirectum, ac mediatum, dum ista præ cæteris est fisci prærogativa, ut sive sit actor, sive reus, sive ejus interesse sit directum, ac immediatum, sive mediatum, ac indirectum, omnia trahit ad ejus forum, seu Judicem, qualis est iste officialis in prima instantia, in qua cumulativam quoque habet jurisdictionem Camerarius, qui eam exercet per Auditorem, per quem aliquæ parvæ reliquiæ antiqui magni hujus Tribunalis Cameratii exercentur, cum præventione inter eos, eo modo, quo generaliter contingit inter eos Judices, & Magistratus, qui in eodem loco, cumulativam habeant jurisdictionem; De facto tamen, major est causarum cognitio, quæ fiat ab isto officiali, ejusque Tribunali, præsertim ubi de directo, ac immediato interesse Cameræ agatur.

Non solum autem hanc administrationem forensem, seu judiciariam habet, in qua dictam cumulativam habet quoque Auditor Camerarii, atque utriusque Judex appellationis, & recursuum Tribunal Cameræ, ut in ejus rubrica superius advertitur; *d* Sed etiam œconomicam, ac omnimodam habet primatiam administrationem, & curam, quoniam ipse (ut insinuatum est) deputat subcollectores Apostolicos spoliorum, aliorumque jurium fisci ecclesiastici in Ditione temporali Ecclesiæ; Ac etiam in eadem deputat fori Thesaurarios, aliosque ministros & officiales fisci temporalis, quando, nullo secuto appaltu, nomine Cameræ administrationem contingat, sive ipse ea commissione Papæ, ejusque vice, concedit appaltus, omniaque alia gerit, quæ Cameræ Apostolicæ, administrationem concernant, etiam ubi de novis gabellarum impositionibus, sive de jam impositarum suppressionibus, vel extinctionibus agatur, sive de novis Montium erectionibus, vel de illorum extinctionibus, adeout in hoc principatu, Procuratorum fisci, seu Quæstoris generalis figuram gerat.

Eidem quoque commissa est cura, & protectio, ac administratio Montium, unde propterea ubi agatur de novis erectionibus Montium cameralium, ac etiam baronalium,
3 vel Communitatum; Sive de eorundem, jam erectorum commercio, & contractatione, inter privatos, per signationem, vel per atergationem, sive per translationem de una persona in aliam, *e* omnia fiont per ejus organum, & cum ejus auctoritate, ipseque desuper concedit literas patentes; Ac propterea dicitur caput illius Congregationis, quæ Montium appellatur, Ac etiam alterius quæ dicitur Computorum, in qua redduntur ac discutiuntur computa, seu rationes Appaltatorum, aliorumque officialium, & administratorum Cameralium; Et est etiam caput, & Judex Congregationis Baronum, ut supra de hujusmodi Congregationibus agendo habetur. *f*

Et ultra præmissas Congregationes, quibus præsidet; Aliam qualibet hebdomada propriæ domi habet, constitutam (ipso Præsidente) ex Advocato, & Commissario Cameræ, & ex duobus majoribus Ratiocinatoribus, qui Computistæ appellantur; Ac etiam, pro negotiorum qualitate, cum interventu aliorum inferiorum ministrorum Ut (ex. gr.) sunt, Solicitator Cameræ; Et Substitutus Commissarii, & quandoque etiam ipsius Thesaurarii Auditor, tractando in ista Congregatione negotia currentia, adeout dicatur quædam Congregatio ordinaria, seu præparatoria illius magis generalis Congregationis, quæ Computorum dicitur, juxta illam proportionem, seu distinctionem duplicis Congregationis, quæ habetur supra agendo de Congregationis Fabricæ S. Petri.

In iis autem, quæ concernunt forum contentiosum, ac determinationem causarum in forma judiciali, regit hoc
4 Tribunal, partim per se ipsum, sed pro majori parte per ejus Auditorem, qui speciem Vicarii generalis Episcopi habere videtur, sive Locumtenentis, eo modo quo *disc. prec.* de Locumtenentibus civilibus Auditoris Cameræ dictum est; Cum majori tamen dependentia, dum ipsemet Thesaurarius, pro ejus libito, atque ad ejus nutum, hunc deputat Auditorem, eo modo quo facit Auditor Cameræ de Auditore privato, seu domestico.

Extra vero Statum Ecclesiasticum immediatum, est Ju-
5 dex secundæ instantiæ, appellationis, & recursuum, a Collectoribus generalibus, aliisque Apostolicis Commissariis spoliorum, aliorumque jurium fisci pontificiis, in iis tamen, quæ concernant jura fiscalia ut supra; Et sic est Judex appellationis a Nuntiis Hispaniarum, Portugalliæ, Neapolis, Vide novam Constitutionem super exemptione Prælatorum Regni Neapolis a spoliis, &c. impressa in fine *hujus disc.* Florentiæ, Taurini, & alii, si qui sunt, in iis quæ ad collectoriam pertinent, unde propterea in hoc genere causarum, Tribunal Cameræ remanet Judex tertiæ instantiæ, ab ipso scilicet Thesaurario, qui est judex secundæ.

Habetur in hoc Tribunali (forte magis quam in quo- 6
cunq; alio) ille sportularum, seu propinarum, usus, vel abusus, de quo in judiciorum sede magis actum est; *g* Ibique insinuatur quod nulla dignosci videtur probabilis differentiæ ratio, cur Auditor Cameræ, qui ex eodem titulo oneroso, officium habet, majori causarum, ac negotiorum mole pressus, quatuor Locumtenentes, seu Auditores habeat, ab ipso stipendiatos, absque ullo usu sportularum, & non debeat idem practicari in hoc Tribunali, & in altero Camerarii; in quibus etiam magis damnabilis habetur usus participationis pœnarum, seu incamerationum, ob ibidem insinuata inconvenientia.

Pari passu istud officium ambulat cum præmisso A. C. 7
quod scilicet est etiam venale ejusdem valoris scutorum quinquaginta sex milium auri stamparum, suppressionem venalitatis impressam *post disc.* 33. *hoc tit.* ista exæquatione moderno tempore introducta sub Alexandro VII. dum prius pretium istius officii erat scutorum sexaginta milium monetæ; Atque pariter, habetur pro frequentiori praxi, (quæ tamen in hoc sæculo, sub brevissimo Pontificatu Leonis Undecimi habetur interrupta) ut ad illud assumatur unus ex Clericis Cameræ; Eisdemque honoribus ac prærogativis iste officialis potitur, sicuti Auditor, adeout in omnibus, secundum, seu mediatum occupet locum, etiam supra Patriarchas, & Archiepiscopos; Istique officiales majores habent a Cardinalibus & ab Oratoribus Principum, aliisque Magnatibus honorificos tractatus, qui non conceduntur Patriarchis, & magnis Archiepiscopis actualibus; Ac etiam exempti sunt ab illa dura, nimiumque incommoda servitute obsequii, vulgo *corteggio* Cardinalium, & Oratorum Principum, quibus generaliter alii Prælati subjacent, excepto Gubernatore Urbis, qui majori potitur exemptione, dum isti duo, licet sint majores, ac primarii Curiæ officiales, attamen hoc obsequium præstant illi Cardinali, qui est primus, ac fiduciarius Papæ minister, cui Cardinalis nepotis nuncupatio congruit, de quo superius quoque actum est. *h*

Est pariter officium vacabile per mortem naturalem, vel per promotionem ad Cardinalatum, cujus dignitati iste gradus nimium proximus reputari solet, eodem modo quo de dicto alio officio A. C. insinuatum est; Atque 8
ob hanc majorem administrationem negotiorum cameralium, ab eis dependentium, unde propterea frequentius magisque fiducialiter tractat cum Papa, dictoque ejus primo ministro, de facto est officium majoris existimationis, quam alterum Auditoris; Ille siquidem habet audientiam Papæ, dictique Cardinalis primi ministri semel in hebdomada; Iste vero bis, statutis diebus Mercurii, & Sabbati, ac etiam frequenter extraordinariam, juxta negotiorum contingentiam.

Ex ampla facultatibus, quæ sibi per enunciatam Sixti V. Constitutionem attributæ sunt, *i* procedit etiam cum 9
processu summario, & executivo, adeout ejus sententiæ & decreta suspensivam appellationem non admittant, ac propterea quando ab eis appellatur ad Tribunal Cameræ, ab isto regulariter committi solet appellatio ad solum devolutivum cum clausula *servata forma*. Quoties nullitatis, vel injustitiæ ratio aliter non suadeat, ut agendo de dicto Tribunali Cameræ advertitur.

a *supra disc.* 11. b *Vestr. in praxi, lib.* 2. *cap.* 3.
c *Constit.* 100. *Sixti V.* d *supra, disc.* 33.
e *de his locis montium agitur tit. de Reg. a disc.* 23. *ad* 42.
f *supra, disc.* 28. g *tit. de judic. disc.* 39.
h *sup. disc.* 6. i *dicta const.* 100. *Sixti V.* l *sup. disc.* 33.

ANNOT. AD DISC. XXXV. cum seqq.

De istis Tribunalibus aliquid habetur *disc.* 3. & 47. *de Judic.* ubi generaliter de majori competentia unius, vel alterius. Et quo ad Tribunal Capitolinum, de quo *disc.* 37. illud nimia reformatione dignum videtur, sed hucusque illi vocari non potuit, Deo tamen dante sequetur, & super alio Tribunali Ædilium, de quo *disc.* 38. *aliquid habetur disc.* 48. *in Miscel.* ubi de taxa, & refectione viarum, de

qua

qua pariter latius actum est supra *in adnot. ad disc.* 33. supra eodem casu, de quo *d. disc.* 48. *in Miscell. Eccl.* ac etiam, ut cum debita rectitudine, & justitia fiant, tractabitur.

Et de Archipresbyteris Basilicarum, & Protectoribus piorum locorum, & aliis, *eod. disc.* 47. *de Judic.* occasione agendi de fori competentia.

De Advocatis, & Procuratoribus, & Notariis, de quibus *disc.* 46. & 47. pleraque insinuantur in præcedentibus annot. & in aliis *ad d. tit. de Judic.*

Ac demum de oratoribus Principum, de quibus *disc.* 45. in ejus appendice continente quandam formalem materiæ tractationem suo opportuno tempore luci edendam.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Constitutio super exemptione Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum inferiorum Regni Neapolis a Spoliis, & fructibus inconsumptis, & incommixtis suarum Ecclesiarum ad Cameram Apostolicam hactenus spectantibus, & deinceps in beneficium Ecclesiarum applicandis, & erogandis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabili Æternæ Sapientiæ arcano universi Orbis Ecclesiis, meritis licet imparibus, præsidentes, vigilis more Pastoris, in omnes agri Dominici partes mentis nostræ oculos circumferimus, ut quidquid earundem Ecclesiarum, illarumque Antistitum statui, decori, commodis, tranquillitati, & necessitati convenire censemus, ad majorem Dei gloriam, sollicitis, & beneficiis studiis promoveamus, prout rerum, locorum, & temporum circumstantiis attente pensatis, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Hinc dum ad Regni Neapolis Metropolitanas, & alias Cathedrales Ecclesias, ut plurimum inopes, & exiguas, utpote inter se valde propinquas, & ad magnum numerum centum trigintaquinque, comprehensis invicem unitis, ascendentes quot in pluribus, ac etiam majoribus Regnis, & Dominiis non existunt, convertimus nostræ considerationis intuitum, ac non sine gravi animi mœrore perpendimus, plerasque earum Archiepiscopales, & Episcopales, necnon aliquorum Præsulum inferiorum, seu Dignitatum quasi Episcopalem jurisdictionem, seu Ordinariorum jura habentium Mensas, ob diœcesum angustias, incolarum, & agricolarum deficientiam, terræmotuum frequentiam, aliasque temporum injurias, dignitatis splendori necessariis, seu congruis carere redditibus, istosque respectu aliquarum Mensarum hujusmodi vix ad annuam summam scutorum ducatorum, vel aliam paulo majorem ascendere; Et propterea præfatas Metropolitanas, & alias Cathedrales, cæterasque dictorum Prælatorum Inferiorum Ecclesias illa, quam Dei Domus exposceret, majestati, & eleganti structura, necnon decenti supellectile sacra necessariisque reparationibus indigere, Ministrorum quoque Ecclesiasticorum sufficientiam, & idoneitatem ob hujusmodi, vel inopiam, vel non opulentiam desiderari, piaque opera inibi in dies decrescere, & alicubi defecisse. Unde etiam aures benignius, & attentius porreximus querimoniis nuper ad Nos pro parte Ven. fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum ejusdem Regni delatis de Spoliorum Subcollectoribus, quibus tamen per opportunas Sedis Apostolicæ, ejusque Officialium provisiones satis mandatum fuisse noscatur, ut viventibus Præsulibus hujusmodi a bonorum ex redditibus suarum Ecclesiarum, & multo magis aliunde per eos acquisitorum sequestratione, possessione, & occupatione prorsus abstinerent, nihilominus aliqui ex iisdem Subcollectoribus, suis facultatibus abutentes, nec pœnas, quibus in transgressores, ut par est, justitia mediante animadverti non fuit prætermissum, reformidantes, quinimo ubi magis commiseranda fuisset inopia, vel angustia, molestias, & rigorem lucri gratia multiplicantes, sub sequestrationis, assecurationis, vel alio prætextu hujusmodi Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos Inferiores ægritudine pressos, & in extremis etiam laborantes commodo, usu, & possessione bonorum præfatorum, vel aliorum ex illis privare, seu aliter ipsos, ipsisque inservientes perturbare præsumpserunt.

Cupientes propterea ejusmodi malis opportunum adhibere remedium, ac decori, commodis, indigentiis respective Ecclesiarum, & Antistitum hujusmodi, istorumque in extremis, & sic de summa rerum agentium, tremendumque Dei judicium mox subditorum, quantum fieri potest, quieti, & tranquillitati in hac parte consulere; Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ab omni, & quocunque jure, quod ad Cameram nostram Apostolicam ex antiquissima consuetudine, & Constitutionibus Apostolicis hactenus spectasse dignoscitur, percipiendi, exigendi, habendi, & assequendi omnes, singulas, & quascunque pecunias, res, effectus, jura, semoventia, & bona etiam stabilia, cujuscunque pretii, valoris, speciei, qualitatis, & quantitatis existant, per memoratos Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos Inferiores dicti Regni, etiam ex Ordinibus Regularibus assumptos, ex redditibus, fructibus, & proventibus suarum Ecclesiarum quomodocunque vere, & proprie, acquisita, Spolia nuncupata, necnon fructus naturales a solo separatos, & civiles tempore mortis perceptos, seu exactos ex redditibus præfatarum Ecclesiarum etiam inconsumptos, & incommixtos, non tamen pendentes, seu inexactos, specialis dono gratiæ perpetuis futuris temporibus dictos Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos Inferiores Regni præfati omnino eximimus, & liberamus, ac exemptos, & liberatos esse, fore, & censeri volumus, & mandamus; Ad effectum tamen, & non alias, aliter, nec alio modo, ut præmissa omnia, & singula ad præfatas Metropolitanas, aliasque Cathedrales, & reliquas, quibus memorati Archiepiscopi, & Episcopi, seu Prælati præsederint, illisque non indigentibus, ad Parochiales Ecclesias eorum regimini commissas spectare, ac ad earundem favorem, & in beneficium, seu utilitatem cedere, applicari, converti, seu erogari debeant. Præfatis tamen Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis, ut congruos usus, applicationes, & erogationes præmissorum in beneficium, & utilitatem hujusmodi Ecclesiarum, in quos, seu quas eadem præmissa applicanda, eroganda, seu expendenda esse censuerint, designare valeant, permittimus, indulgemus, & opportunam facultatem desuper concedimus, & impartimur, ac super præmissis omnibus etiam conscientiam præfatorum Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum oneramus.

Quod si Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati prædicti ad hujusmodi designationem, seu dispositionem devenire noluerint, vel nequiverint, adhuc præmissa omnia, & singula ad dictas Ecclesias, ut præfertur, similiter spectare, & ad favorem, seu in beneficium, usum, & utilitatem earundem Ecclesiarum, prudenti Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum hujusmodi successorum arbitrio, cum suorum Capitulorum scientia, & consilio convertenda, applicanda, & eroganda esse, & fore, omnino volumus, & mandamus.

Ad hæc Capitulis, & Canonicis dictarum Ecclesiarum, & aliis quibuscunque inhibemus, ne viventes etiam ægrotantes, & in extremis constitutos Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos præfatos commodo, usu, & possessione omnium præmissorum, vel aliquorum ex illis sub sequestrationis, assecurationis, vel alio prætextu privare, seu illos, illisque inservientes quoquo modo perturbare, seu molestare præsumant, sed duntaxat postquam iidem Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati fuerint viam universæ carnis ingressi, memoratis Capitulis, eorumque Vicariis Capitularibus respective præmissorum Inventarium rite, & fideliter conscribendi, illaque interim assecurandi, Archiepiscopis vero, Episcopis, & Prælatis præfatis successoribus super præmissis, prout de jure inquirendi, procedendi, judicandi, & exequendi, ac cum scientia, & consilio suorum respective Capitulorum, ut præfertur, convertendi, applicandi, & erogandi, omnemque quamcunque facultatem, jurisdictionem, & auctoritatem necessariam, & opportunam respective concedimus, & impartimur.

Propterea literas Apostolicas fel. rec. Pauli III. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, tertio nonas Januarii, & Pii IV. die vigesima sexta Maii, millesimo quingentesimo sexagesimo, aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, si quæ sunt, super præmissis editas, etiam speciali, & individua nota dignas, necnon, omnes, & quascunque facultates, jurisdictiones, & auctoritates tam in genere, quam in specie, dilecto filio moderno, ac pro tempore existentibus in

dicta

dicto Regno Sedis præfatæ Nunciis, & Collectoribus generalibus, illorumque Subcollectoribus concessas in omnibus, & singulis, quæ præmissis adversantur, moderamus, reformamus, & ad limites, ac formam præsentium reducimus, & pro moderatis, reformatis, & reductis haberi volumus, & decernimus, illis alias in suo robore permansuris; Sicque & non aliter facultates, jurisdictiones, & auctoritates hujusmodi in posterum quomodocunque concedendas, observari, agendi, & exequi volumus, & mandamus; Districtiusque etiam inhibentes omnibus, & singulis nunc, & pro tempore in dicto Regno existentibus Subcollectoribus, seu aliis Officialibus, & Ministris, ne sub indignationis nostræ, privationis Officiorum, aliisque gravibus arbitrariis pœnis audeant quoquo modo, seu in aliqua parte præsentibus contravenire.

Per præsentes tamen non intendimus recol. mem. Romanorum Pontificum pariter Prædecessorum nostrorum S. Pii V. super rebus sacris, vasibus, ornamentis, & paramentis Ecclesiasticis, ad Ecclesias, quibus defuncti præsederant, spectantibus, tertio Kal. Septembris anno ejusdem Incarnationis millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Julii III. die 26. Junii, Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo quinquagesimo cum illius declarationibus, Sixti V. die prima Januarii anni millesimi quingentesimi octuagesimi noni, & Urbani VIII. die 5. Aprilis anni millesimi sexcentesimi vigesimi octavi super fructibus Ecclesiarum tempore mortis Archiepiscoporum, seu Episcoporum, vel aliorum pendentibus, vel inexactis, necnon præfatorum Pii IV. die 29. Aprilis anni millesimi quingentesimi sexagesimi primi, & Sixti V. Kal. Februarii anno prædictæ Incarnationis millesimo quingentesimo nonagesimo, super Ecclesiarum fructibus pro tempore, quo illarum Sedes vacaverint, aliasque, si quæ sint, super his editas literas Apostolicas, harum omnium, & singulorum tenores etiam præmissa ea præmissis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, in aliquo immutare, infringere, seu revocare, sed easdem in suo robore, & statu quoad hæc salvas, illæsa, & illibatas adhuc permanere declaramus, volumus, atque sancimus.

Decernentes, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ea alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet etiam quantumvis magno ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed easdem præsentes literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari, Sicque & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, S. R. E. Camerarium, & Cardinales etiam de Latere Legatos, necnon Cameræ præfatæ Thesaurarium Generalem, & Præsidentes Clericos, præfatumque in dicto Regno Nuntium, & Collectorem, aliosque quoscunque quavis auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit de jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & piæ mem. Symmachi, Pauli II. IV. aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis recuperandis, ac præfati Pii IV. de gratiis qualemcunque interesse dictæ Cameræ concernentibus intra certum inibi expressum tempus exhibendis, & registrandis, itaut easdem præsentes literas ibidem exhiberi, & registrari nunquam necesse sit, aliisque quibuscunque Apostolicis, & in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum præfatarum, ac Nunciaturæ Neapolis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, decretis, usibus, stylis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apostolicis sub quibusvis tenoribus, & formis, cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis; & irritantibus, aliisque decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illas alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum exemptionis, liberationis, voluntatum, mandatorum, permissionis, indulti, concessionum, onerationis, moderationis, reformationis, reductionis, decreti, inhibitionis, declarationis, sanctionis, & derogationis infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, tertio Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno tertio.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Indictione secunda, die vero ultima Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno Tertio, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Marcum Aurelium Pelliciam ejusdem SS. D. Nostri Papæ Cursorem.

Thomas Orlandus Curs. Magist.

De Gubernatore Urbis, ejusque Tribunali.

S U M M A R I U M.

1 *De origine hujus officii remissive, & de ejus prærogativa.*
2 *Est Magistratus secularis, & quam jurisdictionem habeat cum Clericis, & Ecclesiasticis.*
3 *De audientia quam habet a Papa.*
4 *De modo cum quo incedit per Urbem.*
5 *De ejus locumtenente civili.*
6 *In quo proprie versetur manus Gubernatoris.*
7 *Magis invigilandum est ne delicta committantur, quam ut commissa puniantur.*
8 *De Locumtenentibus criminalibus, & aliis ministris.*

9 De

9 *De Congregatione quam tenet, qui interveniant, & quid in ea agatur.*
10 *Quas partes soleat in his gerere Papa.*
11 *Laudatur rigor, & de rationibus.*
12 *Quare in Urbe & Statu Ecclesiastico justitia bene administretur presertim in criminalibus.*
13 *De eadem commendatione rigoris, & aliquarum exorbitantiarum, quæ referuntur in ista materia criminali.*
14 *Quare de stylis, & de aliis ad hanc materiam spectantibus non agatur.*
15 *Quod pro majori parte procedatur cum bannimentis.*
16 *De visitatione carcerum, quam facit Gubernator.*
17 *De ejus jurisdictione intra districtum, & quæ agat.*
18 *Commendatur usus exploratorum.*

D I S C. XXXVI.

1 IN eadem insinuata Rubrica Cardinalis Camerlis, de isto quoque officiali, ejusque origine mentio habita est; Inter omnes etenim Curiæ officiales, & Prælatos, post Cardinales, ipse primum occupat locum, ob enunciatam figuram Vicecamerarii, unde propterea in publicis, ac solemnibus functionibus Papæ, præcedit etiam Regum, & Principum Oratores, ac Pontificia nepotes, aliosque Magnates, qui Solii prærogativa potiuntur.

2 Est autem istud officium manuale, ad Pontificis nutum amovibile, ejusque munus consistit in sæculari gubernio Urbis, unde propterea dicitur magistratus sæcularis, qui jurisdictionem non habet cum Clericis, aliisque personis ecclesiasticis, juxta ejus ordinarias facultates; Bene verum quod per breve speciale, jure cujusdam extraordinariæ delegationis, aliquæ facultates etiam cum Clericis & ecclesiasticis ei communicari solent; Idque omnino incongruum non est; dum istud officium semper residet in qualificato 3 Prælato, qui propterea est persona ecclesiastica; Ac etiam quia, ubi de gravibus negotiis agatur, omnia operatur cum scientia, & participatione Papæ, cujus audientiam ordinariam fixam supra omnes alios officiales habet singulis diebus Mercurii, & Sabbati cujuslibet hebdomadæ, ultra extraordinariam, juxta negotiorum contingentiam, pro qua singulis diebus, ac horis, licentiam habet certiorandi Pontificem per literas familiares.

4 Occasione autem accedendi ad Pontificis audientiam, sive ubi alias per Urbem publice incedat, ipsum præcedit armata familia quorundam militum, qui bini ad formam processionis incedunt cum armis hastatis, tanquam per imaginem illius militiæ, quæ præcedit pro custodia Papæ, atque congrua est supremis Principibus, cum aliqua tamen differentia, tam in habitu, quam in forma armorum; Ut etiam habet Regens Magnæ Curiæ Vicariæ Neapolis, sed iste in longe majori numero, majorique ornatu, Gubernator ordine ac decore.

5 Quamvis autem iste officialis, in Urbe, ejusque districtu, utramque habeat temporalem jurisdictionem, civilem scilicet, & criminalem; nihilominus, causarum civilium modicam, peneque nullam habet cognitionem, parumque in isto causarum genere se ingerit, solumque habet unum Locumtenentem in civilibus, simplicem togatum, cujus munus versatur in summaria cognitione causarum breviorum, & præsertim earum, quæ contingant pro famulorum, aliorumque operariorum mercede, unde propterea pedanei Judicis figuram facere videtur.

6 Præcipuum itaque, ac totale munus Gubernatoris Urbis, ejusque Tribunalis, ac ministrorum, versatur circa causas criminales, atque reorum & delinquentium punitionem; Magis autem ac principaliter invigilando, super publica quiete, & ne delicta committantur, cum Principis, atque Rectoris majores, & commendabiliores partes consistere dicantur, potius occurrendi ne sequantur de-7 licta, quam ut secuta puniantur; ideoque commendatione dignus est ille Rector Civitatis, vel provinciæ, qui nullas, vel raras habuit occasiones puniendi delinquentes, ob istorum penuriam.

8 Pro isto autem munere exercendo, quamplures Gubernator, ultra dictum Locumtenentem civilem, habet officiales, ac ministros subordinatos, nempe duos Locumtenentes criminales, quorum singuli habent aliquos subordinatos, qui dicuntur substituti, ultra Notarios criminalem, & civilem, quorum singuli pariter habent plures substitutos, necnon copiosam familiam armatam, cum Barisello, qui per antonomasiam, ad differentiam illorum A.C. Vicarii, & Senatoris dicitur Barisellus Romæ, atque est gradus primatius inter birruarios istius principatus.

Habet autem Congregationem Criminalem in ejus palatio in die Martis cujuslibet hebdomadæ, in qua interveniunt Prælati, duo Locumtenentes criminales, & aliqui ex dictis ministris inferioribus, qui Locumtenentes substituti dicuntur, pro causarum qualitate, idest illi, qui aliquam habeant, vel habuerint participationem in causa, sive in fabricatione processus; Ac etiam interveniunt Advocatus Cameræ & fisci, quando intervenire velit, & Procurator fiscalis generalis, cui principaliter incumbunt partes instandi contra inquisitos, ejusque substituti, unus, vel plures, pariter pro causarum qualitate, ac participatione respective; Nec non Advocatus pauperum, & duo Procuratores pariter pauperum superius insinuati, occasione agendi de Congregatione Visitationis carceratorum; Unus nempe deputatus ex officio, juxta praxim omnium principatuum, seu magnorum Tribunalium; Et alter per Confraternitatem Charitatis. 9

In ista vero Congregatione audiuntur Advocati, & Procuratores defensores inquisitorum, ac etiam Advocati, & Procuratores Accusatorum, qui pro usu loquendi Curiæ, adhærentes fisci, seu instigatores nuncupantur in contradictorio, quod deficientibus Instigatoribus, seu adhærentibus, haberi solet inter defensores, & fiscales, de quibus supra; Et quando desint quoque defensores extrinseci, ut contingit in pauperibus, qui non habeant modum eos conducendi, habetur contradictorium inter dictos, fiscalem, & defensores pauperum; & quando inquisitus pauper cupiat, ut dictis Advocatis, & Procuratoribus pauperum alius adjungatur defensor, quem nominet, eo quia illi magis confidat, tunc solet Gubernator illum causidicum requirere, pro hujusmodi charitate exercenda, quæ libentissime adhibetur; Adsunt quandoque (licet nimium raro) aliqui inquisiti, ac præsertim exteri, non informati de stylo Curiæ nominare, seu petere soleant aliquem famosum, ac primi nominis Advocatum civilem, qui a criminalibus omnino abstinere profiteatur, isteque non defraudat votum inquisiti, quando tamen urgeat motivum charitatis, & non alias.

Expleto autem contradictorio, seu discussione causæ, ille Locumtenens, qui sit ejus Judex, referendo more Ponentis, causæ merita, tam offensiva, quam defensiva, exquirit votum Congregationis, tanquam per speciem Assessoris (cum acta judicialia, ac sententias ipse solus conficiat;) Et postquam conclusum fuerit circa condemnationem, vel absolutionem, seu aliam notabilem provisionem, Gubernator, qui non solet proprium votum proferre, adnotando resolutionem, ejusque circumstantias, & an concordibus, vel discordibus votis secuta sit, in supra enunciata audientia Papæ, istum de omnibus certiorem reddit, atque ab eo recipit oraculum, quod quandoque est resolutioni conforme, & quandoque difforme, minuendo scilicet pœnam; Ac etiam pro qualitate criminum, & circumstantiarum, mandando ut augeatur, sive quod aliæ adhibeantur diligentiæ; Aut dispensando alicui impedimento legali circa species probationum; Sive circa minorem ætatem, quæ regulariter excusare solet a pœna ordinaria quoties non agatur de criminibus atrocibus, sive mali exempli; Vel quod per extrajudiciales notitias habeatur illa certa probatio, quæ desit in processu; Tunc cum ejus auctoritate supplere solet aliquem defectum, juxta Pontificis regnantis genium, vel commendabilem zelum, & vigilantiam, publicæ quietis, & tranquillitatis, rigorose agendo cum delinquentibus; Cum ea magis veris, tam legalibus, quam politicis rationibus, rigor contra delinquentes, ac facinorosos, potius adhiberi debeat, illeque veram pietatem redoleat erga innocentes, universamque Rempublicam; Unde propterea, ex Sanctorum PP. testimonio, nulla major, magisque grata victima Deo offertur, quam mactare criminosum cum via legis, & justitiæ; Et e converso, pietas, seu misericordia erga criminosos, redolet impietatem, ac rigorem contra innocentes, dum ita est indulgere serpentibus, aliisque venenatis, ac damnosis animalibus, ut ovibus, aliisque pacificis, atque humano generi proficuis animalibus officiant; Ac propterea insipidam, ineptamque dicere consuevi illam pietatem, vel charitatem, quæ offendat justitiam, cujus charitas, comes, & pedissequa esse debet, & non alias. 10 11

Cumque iste supremus Princeps (forte singulariter in toto Orbe) a mere privata, & quandoque etiam depressa fortuna, ad istum apicem, per omnes pene gradus ascendat, atque pro frequentiori contingentia peritus in legibus esse soleat, vel saltim, occasione tot munerum, in quibus versatus 12

satus est, magnam habere soleat praxim, atque negotiorum peritiam; Hinc sequitur optimus effectus pro publica quiete, & tranquillitate, ut scilicet Judices, ac Magistratus, non de facili illud habeant liberum arbitrium, quod cum justitiæ detrimento, & Reipublicæ perturbatione, habere solent in illis partibus, in quibus Princeps, utpote habens in eo statu natalia, atque hujusmodi negotiorum peritia destitutus, libenter pariter ab iniquis Judicibus, ac Magistratibus injectionem pulveris in oculos; Id autem pro frequentiori contingentia in isto Principe non contingit, ut etiam occasione aliorum negotiorum universi Status ecclesiastici, insinuatur supra, agendo de Congregatione Consultæ.

Quamvis autem, (discurrendo in abstracto) exorbi-
13 tans videatur Curiæ usus, præsertim vero ille hujus Tribunalis, in causis criminalibus; Tum ex eo, quod tam judicatura, quam curialitas, in hoc genere haberi non solet in ea majori existimatione, in qua ex dispositione juris, habere debet, atque juxta frequentiorem praxim alibi habetur; Adeout qualificati, ac primarii viri, pro frequentiori contingentia, in his causis se non ingerant; Ac etiam ob rigorosa bannimenta a juris dispositione exorbitantia, cum quibus magis istud Tribunal regitur, quam cum regulis juris, pluresque habeantur aliæ exorbitantiæ; Et præsertim illa, quæ omnium major reputatur, quæ resultat ex Motibus propriis utriusque Pii IV. & V. super denegatione appellationis suspensivæ, adeout celeriter, secuta sententia, subsequatur executio, etiam irretractabilis, & capitalis; Unde propterea intimatur Reo, in ipso instanti in quo ducitur ad capellam, seu confortariam; Ex ea ratione, quod quamvis sententia proferatur ab uno Judice, accedit tamen votum plenæ Congregationis ut supra, ac etiam communicatio negotii cum ipsomet Papa.

Adhuc tamen, dicere consuevi, quod in hoc præsertim practicari videtur limitatio illius legalis, ac philosophici assumpti, quod effectus non potest esse diversus a sua causa, cum ita ex causa mala resultet effectus bonus, quod scilicet hujusmodi exorbitantes rigores, qui (discurrendo in abstracto, & per regulas juris) damnabiles videntur in adeo gravi, ac irretractabili materia, vitæ, ac famæ hominum, quæ secum trahit etiam bona, ob eorum publicationem, pro qualitate criminum; Attamen sunt commendatione digni, quoniam effectus est optimus, dum ita omnes, etiam Magnates, ac nobiles, a quorum coërtione vere pendet publica quies, hujusmodi exorbitantiarum timore correpti, a criminibus, atque ab indebitis licentiis, & a grassatorum, ac facinorosorum hominum, turpibus, vereque infamibus, abstinent a protectionibus, quæ juridice, ac etiam in legibus politicis, causare deberent ipsius nobilitatis amissionem.

Nimium quoque, eidem publicæ quieti, & tranquillitati, favere videtur ille stylus, promptæ, ac celeris punitionis, prope delictum, cujus memoria adhuc sit recens, adeout, quando esset possibile ipsamet die, nimium opportunum esset, ut punitio sequeretur, dum ea quæ sero sequitur, nullam facit in populo impressionem, illumque non operatur effectum, ob quem, ea sequi solet, ac debet, ne crimina scilicet in futurum perpetrentur, cum jam patratis ita non consulitur.

Distincte autem de hoc Tribunali, mihi agere non con-
14 ceditur, minusque ejus stylum, vel praxim referre, ex rationibus insinuatis in rubrica proœmiali judiciorum, ubi assignatur causa, ob quam in hoc universali Theatro, criminales materiæ negligantur; Neque earum theorica tra-
15 ctatio desumpta ex regulis, seu propositionibus Juris communis conferret, cum nimium rari sint casus insoliti, in quibus provisum non sit per hujus Magistratus bannimenta, cum quibus, pro frequentiori praxi proceditur, ita cum eis tollendo Juristarum subtilitates, & cabalas, cum quibus criminosi excusari facile possunt, ac solent, dum ita potius delinquendi licentia nutritur & confovetur.

De munere autem hujus Magistratus, in visitatione car-
16 cerum, agitur supra, agendo de Congregatione visitationis carceratorum, ejusque jurisdictio, intra Urbis recinctum, vel agrum, restricta non est, sed se protendit ad uni-
17 versum districtum quadraginta milliarium, circum circa, eodem modo quo illa Vicarii, & Senatoris; Unde propterea, (ut de Vicario supra insinuatum est) etiam in prima instantia concurrit cum quolibet Judice ordinario sæculari, & quandoque etiam ecclesiastico, quando enunciatæ facultates specialiter communicatæ id permittant, illum præveniendo; Quinimo bannitos, & contumaces Curiarum inferiorum, etiam baronalium, qui curiam eo se constituunt, audit, ac recipit; atque causarum cognitionem assumit, quod Baronibus conquerentibus, suamque jurisdictionem tuentibus, variam praxim habere solet pro Papæ præsertim arbitrio, ex causarum qualitate, aliisque facti circumstantiis regulari solito. a

Item nimium, ad prædictorum bonorum effectuum pro- 18
ductionem confert valde commendabilis hujus Tribunalis stylus, habendi multos exploratores, qui vulgo *spie* dicuntur, non solum publicos, & cognitos, quorum opera, pro vulgi, seu plebis negotiis & contingentiis potius prodesse videtur, sed occultos, etiam nobiles, & qui qualificatos habeant natales, vel fortunæ gradus, aut bona, ignobilissimum tamen, ac infamem habent animum, indignosque mores, dum vel ex genio, vel ob turpe lucrum istud infame munus, nimium diligenter peragunt; Ita etenim criminosi facilius inquiruntur, adeout, juxta aliquorum curiosorum traditionem, in omni hominum statu adsint de hoc genere exploratorum, nullaque pene adesse videatur domus, vel familia Cardinalium, vel Oratorum Principum, sive Magnatum, aliorumque nobilium virorum, in qua non adsit Curiæ minister, atque occultus explorator, qui tamen frequentius ipsi Domino, seu patrisfamilias cognitus esse solet, sed toleratur, ut ita habeatur stimulus bene vivendi; Et utinam in nostra quoque professione, vel genere non adessent, ut non adesse credendum, ac sperandum est, Ipse vero stylus habendi hos ministros, & operarios est commendabilis, & proficuus pro publica quiete.

a *insinuatur in tit. de jurisd. disc. 88.*

De Senatore Urbis, aliisque officialibus fori Capitolini.

S U M M A R I U M.

1 *De significatione hujus vocabuli Senatoris.*
2 *De ejus introductione, ac potestate.*
3 *Quo tempore officium duret, & de qualitatibus ad illud necessariis.*
4 *Quod antiquitus etiam Reges, & Principes hoc munus exercebant.*
5 *De Capitolio Romano, ejusque duabus partibus, vel corporibus.*
6 *De conservatoribus Populi, ejusque Camera, & de Priore.*
7 *An, & quam participationem cum istis habeat Senator.*
8 *De officiis vacabilibus Populi, seu Capitolii.*
9 *De Tribunali, seu foro contentioso Capitolino, & ex quibus constituatur.*
10 *De Capitaneo appellationis, & quod non detur ulterior appellatio.*
11 *Sed quod causa diuturnam habeant durationem, & quare.*
12 *De consultoribus assumi solitis.*
13 *Est forus competens civium, & incolarum sæcularium, sed quare modicas tractet causas graves.*
14 *Improbatur praxis, ac etiam Statutum, ut in Urbe servari debeat jus civile, & de istius statuti ratione.*
15 *Quod deberet mutari praxis.*
16 *De cognitione causarum criminalium.*
17 *Quare ejus styli non recenseantur.*
18 *De statutis Urbis.*
19 *De districtu Urbis.*
20 *Habet Senator audientiam Papæ.*
21 *De prærogativa Populi Romani, seu ejus Conservatorum dandi libertatem servis, qui Capitolium ascendant.*

D I S C. XXXVII.

Illud Senatoris nomen, seu vocabulum, quod in antiqua
Republica Romana in usu erat, diversam habet signifi- 1
cationem, diversamque redolet dignitatem, ab hodierno Senatore Urbis, de quo in præsenti agitur; Tunc etenim significabat unum ex illis senioribus, vel consiliariis, qui illum constituebant prudentiorum virorum cœtum, penes quem Reipublicæ regimen residebat, cui Senatus nomen tribuebant. Et cujus quandam imaginem (cum debita proportione alibi insinuata) in hodierna Romana Republica ecclesiastica, præsefert Collegium Cardinalium. a

Hodierni vero Senatoris diversa est origo; Postquam enim plurium sæculorum spatio, antiquus ille Senatus, omnino

disso-

dissolutus erat, penequein oblivionem obiisset; Non qui-
dem pro publico, seu politico regimine Reipublicæ consti-
tuentis supremum principatum plurium Civitatum ac pro-
2 vinciarum, sed pro ipsius Romanæ tantum Civitatis,
ejusque particularis territorii, vel districtus, civili, seu
ethico, vel privato regimine, a quatuor, vel quinque
sæculo circiter (neglecta opinionum varietate super nu-
mero in ipsa primæva introductione) iste magistratus usu
haberi cœpit, cui antiqui urbani Prætoris assimilatio, quæ
ab aliquibus datur, magis congrua videtur, ut scilicet de-
notat Civitatis tantum, ejusque privati populi illum tem-
poralem magistratum, cui pro frequentiori moderno usu
Italiæ, Gubernatoris nomen tribuitur, dum de sui natu-
ra, ad formam Statutorum Urbis, officium est annale,
synodali subjectum, atque civibus, vel incolis prohibi-
tum, & non conferendum, nisi forensibus, quorum pa-
tria, ad minus distet ultra debitum quadraginta millia-
3 rium, dum intra illum contineri dicitur ejusdem Urbis
districtum, qui idem significat, ac territorium, quod ci-
vicam redolet qualitatem. *b*

Bene verum, quod præsertim circa præfati annalis tem-
poris præfinitionem, Apostolicæ dispensationes diversam
docent praxim, quod scilicet duratio hujus officii a Papæ
arbitrio pendeat, eodem modo quo deputatio, atque mu-
tatio rara in eodem Pontifice esse solet; Et aliquando, ac
præsertim juxta hodiernam observantiam (ita merito exi-
gentibus qualitatibus ejus qui locum digne occupat,) trium
Pontificum continuationem praxis docet.

Antiquiori tempore, quando, ob rerum Italiæ motus,
magnasque scissuras, Romanus populus, aliquas antiquæ
4 libertatis, & Reipublicæ reliquias, vel scintillas reassum-
pserat; Ista senatoria dignitas, longe majoris auctoritatis,
ac existimationis erat, dum politicum, seu publicum re-
gimen quoque admixtum habebat, adeout etiam Reges
magnique Principes, non dedignarentur hunc magistra-
tum assumere, & exercere, ut præsertim in Carolo Siciliæ
Rege aliisque Principibus secutum esse, docent Historici,
& pleraque alia monumenta. *c*

5 Hodie vero, cum omnimoda subjectione, ac depen-
dentia Papæ, a cujus nutu deputatio, ac remotio pendet,
est solum quidem major magistratus, seu caput, vel Præ-
ses fori Capitolini; Isteque forus, duo constituit diversa
corpora, sive duas diversas partes continet.

6 Una siquidem, Romani Capitolii pars est illa, cui ci-
vilis, vel œconomica Civitatis & populi, ejusdem Came-
ræ, seu ærarii administratio incumbit, cum aliqua modi-
ca jurisdictione, quæ hinc publicæ administrationi conna-
turalis esse ubique videtur, penes illum Magistratum, qui
singularum Civitatum, & locorum communitatem admi-
nistrat; Istque pars, seu corpus, constituitur ex tribus
viris ut plurimum nobilibus, qui origine, vel domicilio
sint Cives Romani, & qui Conservatores Populi appellan-
tur, modicam, pro sui regulari natura durationem haben-
tes trium mensium tantum, juxta pene genericum usum
temporalis Ditionis Ecclesiæ, quando Apostolica dispen-
satio, sive superveniens impedimentum vacationis Sedis
Papalis, majorem durationem non causet; Hisque tribus
Officialibus adjunctus est, cum eadem præeminentia, cir-
ca habitum, & quosdam honorificos tractatus, alter offi-
cialis, cui Prioris nomen tribuitur, quia nempe est primus
inter quatuordecim Regionarios, seu Duces, vel Capita
quatuordecim regionum, in quas Romana Civitas divisa
est; Coæqualem tamen non habet participationem in ad-
ministratione, quæ solum, ac principaliter residet penes
tres Conservatores, qui tribus cujuslibet hebdomadæ die-
bus, collegialem residentiam faciunt in ea palatii Capitoli-
ni parte laterali prope rupem Tarpejam, quæ ipsis assigna-
ta est, ut negotia populi, seu communitatis pertractent, ac
expediant; More Principis, cum magno decore, pran-
dium ibi habendo, ac habentes apud se, tanquam consilia-
rium, vel assessorem, unum Jurisconsultum, cui Advo-
cati populi nomen tribuitur; Et alterum practicum causi-
dicum, qui Procurator fiscalis appellatur; Ac etiam Secre-
tarium, seu Cancellarium, qui Scribæ Senatus nomen ob-
tinet, ultra plures medii, ac infimi ordinis familiares, servi-
tio opportuno, juxta Principum, seu Magnatum morem.

7 Quamvis autem, in quibusdam publicis functionibus,
quæ nomine Populi fiunt, ejus magistratum repræsentan-
do, Senator cum eis interveniat, primum occupando
locum, tanquam caput, sed cum magis honorifico, ma-
jorisque majestatis indumento, cum toga scilicet, serico,
& auro intexta, vulgo *brocato*, dum ipsi Conservatores ac
Priores aliam adhibent diversam togam breviorem, ex se-
rico tantum contextam, nigri coloris; Attamen in iis quæ
concernunt Communitatis, & Cameræ Populi admini-
strationem, ille participationem aliquam non habet, ne-
que in publicis inscriptionibus, vel edictis, ejus nominis,
seu dignitatis mentio habetur.

Huic autem Cameræ sub dicti Magistratus administratio- 8
ne, competunt, seu ab eo dependentiam habent quamplu-
ra officia venalia vacabilia, de quibus, ad instar officiorum
vacabilium Curiæ Romanæ, seu Cancellariæ, vel Came-
ræ Apostolicæ in Regalium sede actum habetur. *d*

Altera vero Capitolii pars est jurisdictionalis, super 9
administratione scilicet justitiæ, ac judiciali contentiosa
cognitione causarum, civilium, & criminalium, Populi
sæcularis, seu civilium, & incolarum sæcularium Urbis,
ejusque districtus, juxta illud munus, quod singularum
Civitatum Gubernatores, vel Correctores exercent, istud-
que dicitur Tribunal fori Capitolini.

Constituitur autem hoc Tribunal ex dicto Senatore
tanquam ejus Præfecto, seu capite, & ex pluribus aliis of-
ficialibus tanquam ejus assessoribus, & auxiliariis; Duo-
bus scilicet togatis Juris Professoribus pro cognitione cau-
sarum civilium, qui Collaterales nuncupantur, cum ordi-
ne inter eos, quod unus primus, & alter secundus Colla-
teralis dicuntur, & ex altero pariter togato, qui est Ju-
dex maleficiorum, eodem modo quo dictum est de Audito-
re Cameræ habente tres Locumtenentes, duos scilicet in
civilibus, & unum in criminalibus.

Dictorum autem Collateralium singuli, audientiam pu-
blicam singulis diebus non feriatis, de mane, tenent in
aula magna, quæ vulgo sala nuncupatur, illius majoris ac
notabilioris partis palatii, quæ est in capite fori, seu clivi
Capitolini, in qua Senator, ipsique Conservatores, ac
Judex habitationem habent; Extra vero publicam audien-
tiam causas, quæ ad eos respective pertinent, juxta distri-
butionem Notariorum ejusdem fori, privato more dispu-
tant, & cognoscunt, vel in ejusdem palatii privatis aulis,
quatenus ibi continuo habitare eligant, vel in alia propria
habitationis domo privata.

Quando autem una Partium id petat; Sive quod pro ejus-
dem Tribunalis praxi, & stylis, vel ex statutis Urbis, ob 10
causæ naturam, vel qualitatem, illius cognitio, colle-
gialiter a toto Tribunali facienda sit; Tunc id sequitur in
aula Senatoris, ipso præsidente, cum prædictorum Colla-
teralium, & Judicis maleficiorum, & fiscalis assistentia,
in forma Tribunalis collegiati, audiendo Partium Advo-
catos & Procuratores, etiam in contradictorio; Istaque
Congregatio, sub nomine Assettamenti explicatur.

Alter quoque hujus Tribunalis officialis adest toga-
tus (ut sunt præfati Collaterales, & Judex criminalis) 11
qui dicitur capitaneus appellationum, quod scilicet, a
sententiis, vel decretis Senatoris, ac dictorum Colla-
teralium tanquam Judicum primæ instantiæ, ad istum
appellatur, tanquam ad Judicem secundæ, a quo ulterior
appellatio non datur ob statutum Urbis, per quod duabus
conformibus illa tribuitur vis, vel operatio, quæ per jus
commune tribus concessa est.

Adhuc tamen, vel ob difformitatem, vel ob ordina-
rium remedium nullitatis, sive ob extraordinarium resti- 12
tutionis in integrum, quod pro ipsius praxis inextricabili
labyrintho, dupliciter intentari solet (principaliter nem-
pe, & incidenter) longam ac diuturnam durationem, ni-
miamque instantiarum pluralitatem causæ patiuntur, intra
circulum tamen ipsorum officialium; Vel scilicet ipso Se-
natore cognitionem assumente; Vel ad aliquem ex Col-
lateralibus, aut ad ipsummet Capitaneum appellationis
redeundo; Quando tamen cognitionem assumat Sena-
tor, qui sive ex eo quod non soleat esse juris professor, si-
ve pro officii decore ac majestate, sibi assumere solet ali-
quem Prælatum, vel Advocatum, sive causatum Patro-
tium in consultorem, vel istum deputare solet alicui ex Col-
lateralibus, vel Capitaneo appellationum, quando agatur
de illis causis, in quibus jam alias judicaverint; Sive quod
partium recusatio accedat, unde propterea, spectato ef-
fectu, iste consultor est in ea instantia, causæ judex, dum
juxta ejus votum est sententiandum.

Quamvis autem iste forus Capitolinus, dicatur proprius,
magisque competens civium & incolarum sæcularium ur- 13
bis, non autem Ecclesiarum, vel personarum ecclesiastica-
rum, cum sit magistratus mere sæcularis, adeout una Par-
tium judicium instituente in alio Tribunali juridice altera
Parte petente, ad istud remissio fieri debeat; Attamen fre-
quen-

quentior praxis de facto docet, magis vero ab aliquo moderno tempore, quod ad aliquas breviores causas, plebis, seu populi minuti, istius Tribunalis cognitio restrictiva videtur; Vel quia, ob Clericorum, aliarumque personarum ecclesiasticarum, ac etiam curialium, & forensium, aliorumque privilegiatorum copiam, nimium raræ videantur causæ, in quibus aliarum personarum diversis generis ut supra, non verificetur mixtura; Vel quia obligatio in forma Cameræ Apostolicæ, aperiat locum privativis facultatibus Auditoris Cameræ, supra de ipso agendo insinuatis, dum ea de stylo in omnibus conventionibus, etiam privatis adjicitur; Vel quia Partes concorditer aliud adeant Tribunal, & præsertim illud mox enunciatum A. C. quod majorem partem causarum civilium primæ instantiæ Urbis revera peragit; Aut quod ubi contingat, ut aliqua gravis causa in isto Tribunali introducta sit, de facili soleat Pontifex, una Partium Instante illam ab eo avocare, atque committere in Rota, sive illud Rotæ Tribunal ei tribuere in assessorem, & consultorem, ut scilicet de voto Rotæ procedatur quod sonat in idem. e

14 Hujus autem inconvenientis origo, seu causa est extravagantia praxis illius fori; Siquidem illius auctores, vel introductores ex eodem antiquorum sensu, vel humore melanchonico, ex quo, citra omnem rationem, in ea Civitate, quæ est residentia Papæ, ac Metropolis utriusque ejus Pontificii, & principalis principatus, per ejus statuta induxerunt, ut juris civilis potius, quam canonici dispositio attendi debeat, quod secutum est ob diversitatem temporum, & circumstantiarum, cum id originem traxerit, quando Romanus populus, ita illorum temporum conditione exigente, cupiens primævum libertatis statum assumere. pontificiam dominationem abhorrebat, (ipsius Ecclesiæ scissuris & schismatibus hujusmodi sensus confoventibus:) Sed male hujus praxis auctores, & introductores ita curarunt, antiquas juris civilis rigorosas, superstitiosas judiciarias formulas restituere, ob temporum diversitatem; Et quidem id revera importat calumniarum fomentum, dum ob aliquas leves formalitates non bene servatas in causis, quæ apertam contineant justitiam, facilis tribuitur aditus Reis conventis, qui succumbentiam passi sunt, eorum calumnias, & connaturalia subterfugia confovere, totamque judicii processus machinam, etiam per plures instantias, & cum pluribus sententiis, cum magna temporis ac sumptuum jactura constructam destruere, quandam nimium ineptam & judaicam practicando propositionem, ut qui cadit a syllaba, cadat a toto; Atque ex hac ratione, ego, qui circa susceptæ advocationis initia, consultor deputari frequenter consueveram, id expertus in quadam causa jam per tres, vel plures sententias conformes justissimas determinatas, ita ob quandam levem, & scrupulosam nullitatem ad primævum initium redacta, tale munus acceptare perpetuo abhorrui.

Hinc itaque manat, quod classici, & qualificati causarum Patroni, a quibus Judicum, seu Tribunalium electio, pro frequentiori usu pendet, istius Tribunalis praxim bene imperceptibilem utpote redolentem speciem inextricabilis labyrinthi, non callentes, neque addiscere curantes, ita istum forum abhorrent, atque in dicto Tribunali A. C. concorditer causas introducunt & agunt, ut inde ad Rotam aditus liber pateat in ulteriori instantia; Ideoque etiam apud antiquos curiales, & practicos in usu esse idem antiqui praxis Curiæ scriptores, testantur de se ipsis. f

15 Quare curialium, ac sensatorum virorum majori, ac saniori parti, admirationes præbet, hujus praxis tolerata continuatio; Commendatione siquidem digna est continuatio ipsius fori, vel Tribunalis, pro majestate Romani populi, ita antiqui Capitolii, adeo magnæ potentiæ, & existimationis, memoriam, vel reliquias retinendo; Sed commendatione dignum non reputatur, istam exorbitantem, ac imperceptibilem praxim retinere, cum unica & eadem deberet esse praxis, valde bona, & commendabilis Auditoris Cameræ.

16 In criminalibus quoque licet istud Tribunal, tam in Urbe, quam in universo districtu, eodem modo, quo in civilibus, cumulativam habeat etiam in prima instantia cum Judicibus ordinariis fori sæcularis, cum jure præventionis, eodem modo quo supra agendo de Auditore Cameræ, ac de Vicario, & Gubernatore Urbis dictum est; Unde propterea propriam habet familiam armatam, cum suo Barisello distincto, suosque carceres; Attamen raram habet causarum gravium cognitionem; Tum ob supra enunciatam frequentiorem mixturam personarum ecclesiasticarum, vel aliarum, quæ ab hoc foro exemptæ sint; Tum etiam quia, ob majorem Tribunalis Gubernatoris vigilantiam, longeque majorem copiam, ac peritiam Judicum, & Notariorum, magis vero exploratorum, ac ob majorem numerum familiæ armatæ, illas pene semper Gubernator prævenire solet; Ex eo potissime, quod illi, qui in rixa, vel appensate vulnerati, vel percussi sint, adire solent hospitalia, aliave loca immunia, in quibus non datur aditus hujus Tribunalis officialibus & ministris, tanquam mere sæcularibus, adeo ut oportuerit, ac oporteat pro indemnitate, ac juribus insignis Archiconfraternitatis Annunciationis, ad quam pertinet officium Notarii criminalis hujus fori Capitolini, obtinere Apostolicum indultum, per literas in forma brevis, ad tempus innovari solitum, pro accessu ad ibi proximum hospitale Consolationis.

Atque his stantibus, cum etiam classicis causarum Patronis, multo vero magis Advocatis, penitus ignota sit hujus fori praxis; Hinc sequitur, ut illa recenseri non valeat, saltem in aliqua forma compendiosa, sed ejus particulares tractatores adeundi sunt. g 17

Regitur autem principaliter hoc Tribunal cum Urbis statutis, quæ proprie continent leges municipales, seu particulares Civitatis, ejusque districtus, contradistinctas a legibus generalibus principatus, quæ fiunt per Papam sub nomine Bullarum, vel Constitutionum. 18

Iste autem districtus antiquiori tempore Romæ triomphantis, se protendebat ad ambitum centum milliarium; 19
Intermedio vero post dissolutionem Imperii Romani, certam non habebat regulam, cum solum de districtu ea loca dicerentur, in quibus Populus Romanus quandam exigebat collectam, quæ focaticum nuncupabatur, cum quadam salis distributione; Hodie vero occasione reformationis statutorum, quæ sub Greg. XIII. secuta est, ille in universo ambitu temporalis Dirionis Ecclesiæ, est quadraginta milliarium, ut in regalium sede, ac alibi advertitur. h

Habet item Senator audientiam Papæ, & Cardinalis Nepotis statuta die cujuslibet hebdomadæ in die scilicet Mercurii, eodem modo quo Auditor Cameræ, aliique officiales, quando negotiorum & causarum occasio urgeat, quæ frequentius deesse solet. 20

Sive autem ex antiquis moribus, aut verius ex Apostolicis Indultis, Populus Romanus, ejusque vice, ac nomine dictus magistratus, qui ex Conservatoribus constituitur, facultatem habet concedendi libertatem servis, qui Capitolium ascendant, eorumque conspectui se præsentent; Atque hinc resultat, ut in Urbe servorum usus non habeatur, atque sæpius in illis partibus, in quibus hic usus habetur, præsertim in locis maritimis, illi servi quibus id innotescat, soliciti esse solent, ut eorundem domini Urbem adeant; Sive quod iidem domini, quibus id non innotescat, pro eorum servitio servos secum ducant, redeunt autem sine illis; Quoties cautelam non adhibeant prius occurrendi, ac denunciandi, ne in eorum præjudicium, ipsisque non concurrentibus, hujusmodi instantiæ recipiantur, cum desuper certa praxis præscripta habeatur. 21

a *supra disc. 4. & 5.* b *tit. de Regal. disc. 94.* c Fenzon. *in proœm. ad statut. Urb.* d *tit. de Regal. disc. 3. & 14.* e *præsertim in casu, de quo sub tit. de fideic. disc. 55. & in aliis.* f Vestr. *lib. 2. cap. 15.* g Lucas Pettus *in praxi fori Capitolini.* h *tit. de Regal. disc. 72.*

De Tribunali Ædilium, sed Magistrorum viarum, earundemque viarum Præside.

S U M M A R I U M.

1 *De hoc officio antiquo, & moderno, & de differentia.*
2 *De differentiis, vel distinctionibus viarum.*
3 *De introductione, vel restitutione hujus magistratus in Urbe.*
4 *Quod eidem commissæ sunt causæ retractuum, & servitutum.*
5 *De officialibus, ex quibus hoc Tribunal constituitur.*
6 *De quæstionibus circa refectiones viarum, & taxas, vel contributiones.*
7 *De contributione exemptorum, & ecclesiasticorum.*
8 *De Congregatione viarum, earumque Præside.*
9 *Quomodo habeant curam viarum rusticarum, seu campestrium.*
10 *Et quomodo urbanarum in Civitate.*
11 *De venditionibus victualium, & bonorum in locis prope vias, & plateas sub stillicidiis domorum.*

12 De

12 *De alia jurisdictione circa meniana, & pensilia ædificia.*
13 *De facultate concedendi situs, & loca publica.*

D I S C. XXXVIII.

1 EAdem differentia, quæ *disc. preced.* insinuata est, inter hodiernum Urbis Senatorem, & Senatores antiquæ Reipublicæ Romanæ, dignoscitur quoque in isto Magistratu, quoniam Ædiles curules, seu viarum curatores dictæ antiquæ Reipublicæ, curam habebant omnium viarum, & pontium, per universum Orbem, qui ipsius Reipublicæ Imperio subjectus erat, ita gerendo has partes, jure Principis potius, quam jure Civitatis; Moderni vero Ædiles, qui vulgo Magistri viarum appellantur, restrictam habent Jurisdictionem, vel curam, intra Urbis territorium, seu districtum, ideoque potius jure Civitatis; Postquam enim Romanum Imperium dissolutum fuit, atque cessavit illa cura, quæ in hac materia viarum, & pontium, adeo diligenter habebatur, ut non obstante adeo diuturni temporis edacitate adhuc probent reliquiæ, quas cernimus, viarum, Appiæ, Flaminiæ, & aliarum; Eodemque imperio diviso in tot principatus, quilibet Princeps in sua ditione, istam curam suscepit, cum ea distinctione, cum qua probabile est, ut etiam antiquorum Romanorum temporibus procederetur, quod scilicet cura publica Principis, ejusque vice, istius magistratus, versaretur circa illas vias magis publicas, quæ totius Orbis, vel respective principatus communicationem concernunt; Et quæ Basilicæ, seu Militares, vel Consulares in jure appellantur, hodie vero vulgo viæ Regiæ, seu Magistræ, aut
2 Romanæ; Singulæ vero Civitates, & loca, curam haberent aliarum viarum, & pontium in proprio territorio existentium, atque ad civium, & incolarum commoditatem principaliter deservientium; unde propterea, ad differentiam aliarum, quæ magis publicæ sunt, privatæ dicuntur quamvis in effectu sint etiam publicæ, cum diversa sit species aliarum viarum, quæ vere & proprie dici merentur privatæ, ut in regalium sede advertitur. *a*

3 Utrunque autem munus in ipsa Urbe & locis, ac provinciis adjacentibus, neglectum erat, atque in desuetudinem abierat; Tum propter absentiam Pontificis pro eo tempore quo Sedes Apostolica residentiam habuit in Civitate Avenionensi, adeout Romana Civitas, omnimodam pene desolationem experta sit; Tum etiam ob magnum ac diuturnum schisma, quod ad breve tempus, post ejusdem sedis regressum, initium habendo sub Urbano VI. finem habuit in Consilio Constantiensi, sive sub Martino V. qui in eo, juxta modum alibi supra insinuatum, ejectus fuit.

Inter multa igitur, quæ, vel jam pene collapsa, & abolita, seu valde corrupta, iste Pontifex in Urbe, aliisque partibus, vel restituit, vel reformavit, fuit præsertim iste Magistratus Ædilium, seu Curatorum viarum intra Urbis districtum, cujus successores Pontifices tractu temporis facultates auxerunt, adeout effectum sit unum ex formalibus Tribunalibus. *b*

4 Magnum autem incrementum istud Tribunal habuit a Gregorii XIII. Constitutione, quæ ob Urbis ornatum quamplura statuit, & præsertim circa utrunque retractum, prælativum, & coactivum, ejusdem Constitutionis observantiam injungendo, conjunctim Cardinali Camerario, & huic Magistratui, qui propterea, in isto negotiorum genere proveniente a d. Constitutione Gregoriana, constituit quoddam Tribunal mixtum cum illo Camerarii; In aliis autem habet proprium Tribunal, absque hac mixtura. *c*

5 Constituitur autem hoc Tribunal a duobus viarum Magistris, qui nobiles Romani, vel incolæ, ad nutum Papæ amovibiles, ab eodem deputantur, habentes alios officiales, & ministros, qui ad Tribunalis efformationem, necessarii, vel opportuni videntur; Nempe unum togatum Juris professorem, qui est eorum Assessor, de cujus voto sententias proferunt, aliasque faciunt provisiones, istudque est officium venale ratione emolumentorum resultantium ab alias damnato usu, propinarum, quæ in isto Tribunali quoque habentur; Nec non habet proprium Notarium, ac etiam Procuratorem fiscalem, qui ratione officii invigilat, ac instat pro coactione habentium casalia, & prædia adjacentia, vel domus in Urbe, ad contributiones, & collectas, pro viarum, ac pontium refectione, & conservatione, & quandoque nova constructione, ac etiam in Urbe, pro cloacis, sive pro demolitionibus ædificiorum, quæ vulgo *gettiti*, nuncupantur, pro majori ornatu, & decore, ut adeo frequenter nostra ætas practicari vidit; Ideoque frequentes audiuntur quæstiones forenses tam in isto Tribunali, & aliis ejus superioribus in gradu appella-
6 tionis, Præsidis scilicet viarum, & Cameræ super retractibus, & servitutibus, & præsertim urbanis, occasione novorum ædificiorum, quam etiam incidenter in aliis ordinariis Tribunalibus super modo contributionis, aut super ejus onere, puta inter locatores & conductores. *d*

Non audiuntur autem in hoc Tribunali illæ quæstiones,
7 quæ in aliis Orbis Catholici partibus audiri solent, occasione ecclesiasticæ immunitatis realis, an scilicet Clerici, aliæve personæ ecclesiasticæ, & immunes, teneantur ad contributiones, & collectas, quæ indicuntur pro refectione pontium, & viarum, & de quibus in suis respective sedibus agitur, *e* quoniam, ob existentiam utriusque gladii in una manu; Vel nunquam, vel nimium raro de his, in Urbe, & in reliquo Statu ecclesiastico disputari contingit, dum ex Pontificiis decretis nulla dignoscitur differentia inter ecclesiasticos, & sæculares in hujusmodi taxis, & contributionibus; Adeout licet istud Tribunal sit in sui origine, ac natura sæculare, attamen, ut de aliquibus aliis supra advertitur, admixtum habet aliquam ecclesiasticam potestatem, quæ exerceri videtur a Camerario, sive a Præside, qui sunt personæ ecclesiasticæ.

8 Cum autem per hujus Magistratus restitutionem, supplerentur essent illæ partes quæ privatæ Civitati potius, quam universo publico principaliter incumbunt, juxta supra enunciatam distinctionem; *f* Hinc Sixtus V. ut partes Principis quoque in universa temporali ditione impleret, Congregationem desuper erexit eodem tempore, quo plures alias jam recensitas, cum ejus Constitutione instituit; Raro autem illa habetur, dum pro refectionibus pontium, & viarum etiam ultra districtum, ultra quem se non extendit potestas istorum Ædilium, adhuc eorum munus ad id deservit, ob communicatam potestatem latiorem Præsidi viarum, qui est unus ex Cameræ Apostolicæ Clericis, atque uti solet opera, & consilio hujusmodi officialium, tanquam peritorum, etiam in iis viis, & pontibus, qui in aliis provinciis construi, vel refici debent. *g*

Iste autem Præses, ut alibi advertitur, *h* pro causis Urbis, & districtus, quæ in prima instantia aguntur in isto Tribunali, tam super refectionibus pontium & viarum, quam etiam super retractibus, & servitutibus, est Judex appellationis, ipseque agit secundam instantiam, Tertia vero pertinet ad Cameram.

Pro cura item viarum, intra districtum, sed extra agrum
9 Romanum, istius Magistratus partes versantur, super viis principaliter publicis, seu consularibus, quæ Romanæ vulgo appellantur, ad publicum commercium principaliter destinatis, dum aliarum, quæ licet sint etiam publicæ, attamen comparative, dici merentur, potius privatæ, ut supra, *i* curam habent singulæ Communitates in eorum respective territoriis; Sed intra agrum Romanum habent etiam curam illarum viarum, quæ respiciant privatam commoditatem habentium casalia, & tenutas aliaque prædia, cum id quoque concernat publicam commoditatem Civitatis pro commodiori vectura, seu asportatione frugum, aliorumque fructuum & victualium.

Et quoad vias urbanas, quæ juxta dispositionem juris re-
10 fici debent per ipsarum domorum dominos, ut scilicet quilibet reficiat viam ante ejus domum, ipsi domini ab hoc Tribunali, ejusque procuratore fiscali, per acta proprii Notarii statutis anni temporibus, juxta illam regionum, & viarum distributionem, quam pro publica commoditate facere congruit, monentur, statuto competenti termino, quo elapso, eisque negligentibus, deputantur illi fabri murarii, quibus idem Magistratus uti solet juxta regionum distributionem ex officio ad faciendam refectionem necessariam, cogendo postmodum ipsos dominos ad solutionem mercedum, & expensarum, pro quarum taxa habet architectos, & peritos.

11 Inter ipsos Ædiles, vel eorum Procuratorem fiscalem, ac privatos domorum dominos, quæstiones audiri solent super facultate vendendi victualia, & alia bona publice exposita prope vias publicas, sub earundem domorum stillicidiis, an scilicet illud spatium, juris privati censeatur, quamvis in publica via, vel platea respondeat, vel potius sit juris publici, dum in iis partibus, quæ ad vias, vel plateas publicas pertinere dicuntur, absque ipsorum Magistrorum licentia id fieri non potest. *k*

Aliæ quoque contingunt controversiæ super constructione mænianorum, aliorumque ædificiorum pensilium,

quæ

quæ scilicet ultra murorum lineam se protendant supra viam, & plateam publicam, ita publicum aerem, ut ipsi dicunt, occupando, dum id sine eorum licentia, & concessione pariter fieri non potest.

Item quamvis publicorum locorum concessio sit de Principi reservatis, attamen ex quadam generica concessione, vel permissione isti Magistri viarum non habent quidem facultatem concedendi privatis publica loca in eorum solam gratiam, & commoditatem absque justa causa concernente publicum ornatum, cum id Papæ cum chirographo concedi soleat eisdem Magistris, recognitione & executione commissa, sed hujusmodi concessiones faciunt, quando ratio publici ornatus, vel utilitatis ita exigat; Puta ut claudantur, vel tollantur quidam loci immunditiarum, sive qui deformitatem causent; Vel ut vulgo dicitur *dando filum*, idest quod pro reductione ædificiorum ad magis rectas lineas, melioremque symmetriam, detur facultas ædificare volentibus, ut juxta præfinitas lineas, aliquam partem viæ publicæ occupare possint, dum ita ab ea parte situs privati, qui diminuitur, compensatio resultare solet. *k*

a *tit. de servit. disc.* 136. b *eod. tit. de Regal. disc.* 141.
c *de his toto tit. de servitutibus*. d *de his quæstionibus refectionis viarum, & contributionis, tit. de Regal. a disc.* 135. *ad* 142. e *dict. tit. de Regal. disc.* 58. 59. *&* 131. *& tit. Miscell. Eccles. lib.* 14. *disc.* 3. *& seq.*
f *dict. distinctione, tit. de Regal. disc.* 141.
g *d. disc.* 141. *de Regal.* h *supra, disc.* 33.
i *tit. de Regal. disc.* 142. k *tit. de servit. disc.* 5.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Confirmatio, Reformatio, & Concessio respective Jurisdictionum, & Facultatum Tribunalis, & Magistratus Viarum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcerdotalis, & Regiæ Urbis Nostræ ad illud sublimatæ fastigium, ut per Beati Petri Sedem Caput Orbis effecta, latius præsideat religione Divina, quam unquam impenaverit dominatione terrena, venustati, decori & commodis etiam temporalibus eo Nos convenit ampliori cura prospicere, quo ipsam, ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est cultus, & quam in communem patriam Christianus populus universus agnoscit, singulari dilectione gerimus in paternæ visceribus Charitatis; Dum vero in eadem Sede, meritis licet imparibus, superna dispositione locati Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo, ad Urbem præfatam considerationis nostræ oculos principaliter convertimus, ejus etiam districtus, aliorumque Nobis, & Romanæ Ecclesiæ etiam in temporalibus subjectorum locorum commodioribus viis, aliisque utilitatibus in Subditorum nostrorum, & quorumcunque Romipetarum beneficium respective consulere non prætermittimus.

Alias siquidem fel. recordationis Martinus Papa V. Prædecessor Noster, cum rei evidentia edoctus fuisset, quod præfata Urbs, ejusque districtus ex defectu officii Magistrorum, quod antiquitus pro viarum, stratarum, platearum, & locorum tam publicorum, quam privatorum; nec non ædificiorum lapideorum, & ligneorum, parietum, tignorum, bancorum, tectorum, tabulatorum, mœnianorum, apothecarum, & pontium, portarum transitus, aquarum decursuum, canalium, & meatuum, nec non urbanorum, & rusticorum prædiorum, pratorum, hortorum, atque vinearum finium restaurationum, servitutum, & libertatum administratione institutum, & ordinatum fuerat, in præmissis grandem patiebatur deformitatem, necnon accepisset, nonnullos cives, & incolas res fœtidas, & corruptas in vias, stratas, plateas, & loca publica, & privata hujusmodi projicere, seu vias, stratas, plateas, & loca publica, & Ecclesiastica occupare, alienare, & in usus proprios deducere, & propterea hujusmodi deformitatibus excessibus, & incommodis possetenus occurrere cupiens, Officium Magistratus hujusmodi juxta illius institutionem auctoritate Apostolica suscitavit, reintegravit, & restituit; Duos quoque Urbis, & districtus præfatarum Viarum Magistros ad suum beneplacitum deputavit, cum solitis ab antiquo jurisdictionibus, potestatibus, honoribus, Privilegiis, libertatibus, atque oneribus universis in præmissis, & circa ea concernentibus, dependentibus, & annexis, etiam cum facultate faciendi submagistros, necnon hujusmodi excessus reparandi, corrigendi, & emendandi absque cujusvis vocatione, seu citatione, sed juxta datam illis a Domino prudentiam, etiam per demolitionem quorumcunque ædificiorum, necnon præmissorum occasione gravatos absque lite, sed summarie, simpliciter, de plano, & quibuscunque tunc expressis non obstantibus relevandi, restituendi, & reponendi, contradictores quoque, & rebelles privandi, banniendi, arrestandi, incarcerandi, omniaque, & singula faciendi, & exercendi, quæ Magistri illorum Prædecessores facere, & exercere potuerunt, seu etiam debuerunt, & alias, prout in ejusdem Martini Prædecessoris, secundo Kal. Aprilis, Pontificatus sui anno octavo, expeditis literis plenius continetur.

Successive alii Romani Pontifices Prædecessores nostri, & præsertim similis recordationis Sixtus IV. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo Pridie Kal. Julii, Leo X. Anno ejusdem Incarnationis millesimo quingentesimo decimoseptimo, quarto Nonas Novembris, & Pius IV. Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo sexagesimoquinto, Decimo Kal. Septembris per suas respective editas literas S. R. E. Camerario, & præfatis Viarum Magistris, plerasque conjunctim, aliquas vero separatim exercendas jurisdictiones, facultates, & functiones confirmarunt, ampliarunt, & respective concesserunt. Quas, & alias, hujusmodi literas cum decreto Cameræ Apostolicæ de Inquilinis in emptione domorum præferendis, tametsi recol. memoriæ Pius Papa V. etiam Prædecessor noster per quasdam suas motus proprii Cedulas sub Datum quarto Idus Aprilis, & quinto Nonas Julii, Pontificatus sui anno sexto quoad Jus congrui, & nova (non tamen Sacra, aut publica) construenda ædificia, ad terminos Juris communis reduxerit, nihilominus piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. similiter Prædecessor noster per alias suas Anno Incarnationis præfatæ millesimoquingentesimo septuagesimoquarto, Kalendis Octobris editas literas, prædictis memoratorum Sixti, Leonis, ac Pii IV. & S. Pii V. literis, quatenus ad aliquid eorum, quæ in eisdem suis literis continebantur, pertinebant, & de aliquo eorum statuebant, & disponebant, antiquatis, abrogatis, & penitus revocatis, & sublatis, plurima innovavit, statuit, decrevit, & ordinavit circa ædificia, & ornatum dictæ Urbis, ac coactas, seu voluntarias venditiones, & Jus congrui, seu retractus earundem venditionum occasione competentes, seu institutum, tum in eadem Urbe, tum intra tria, & respective duodecim a præfata Urbe milliaria, cum multis facultatibus, & jurisdictionibus plerumque a præfatis Camerario, & Viarum Magistris conjunctim exercendis.

Aliæ quoque, & quidem multiplices jurisdictiones, facultates, curæ, & functiones in quampluribus sive prædictorum, sive aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Chirographis, literis in forma Brevis, ac motus proprii cedulis, nec non in ejusdem Urbis a Sede Apostolica confirmatis Statutis eidem S. R. E. Camerario, Præsidi, & Magistris Viarum præfati, aliquando singulis separatim, aliquando aliquibus mixtim, & aliquando omnibus insimul concessæ, seu mandatæ fuerunt, exercitium tamen judicialis, & contentiosæ jurisdictionis in iis, quæ dictis Viarum Magistris injuncta fuerant, penes eorum Assessorem ab eadem Apostolica Sede deputatum existere consuevit.

Hinc nos abusibus, qui desuper irrepserant, occurrere, justitiæ administrationi in præmissis plenius consulere, ac præfatæ Urbis ornatui, necnon ejusdem, illiusque districtus, & Ditionis Ecclesiasticæ respective viarum, locorum, & aliorum quorumcunque in præfatis literis, & ordinationibus quoquo modo contentorum instructioni, conservationi, reparationi, restaurationi, & expurgationi, quantum Nobis ex Alto conceditur, ulterius respective providere cupientes; Ac propterea omnium præfatarum, & aliarum, si quæ sint, literarum tam sub plumbo, quam in forma Brevis, motus proprii cedularum, chirographorum, ordinationum, & statutorum quorumcunque circa præmissa existentium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene & sufficienter expressis habentes, de dilectorum filiorum nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, & Virorum pietate, doctrina, & prudentia, & rerum usu præstantium specia-

liter

liter ad id a Nobis deputatorum, qui rem mature examinarunt, consilio, ac etiam Motuproprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratas literas, cedulas, chirographa, ordinationes, & statuta in iis, quæ præsentibus, & omnibus, & singulis hic contentis quoquo modo non adversantur, earundem tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit penitus, & omnino observari volumus, & mandamus.

Decernentes, omnes, & singulas hujusmodi literas, sanctiones, statuta, & ordinationes tam speciales Tribunalis, seu Magistratus, quam generales, & in parte de eodem Tribunali, seu Magistratu tractantes, necnon omnes, & singulas jurisdictiones, facultates, curas, functiones, & administrationes hujusmodi quoquo modo concessas, non aliter, quam ad formam harum præsentium observari, exequi, & intelligi posse, & debere, perinde ac si ab initio institutæ, & respective concessæ, attributæ, directæ, & demandatæ fuissent personis, modis, ac formis in præsenti nostra in perpetuum valitura Constitutione contentis, quam, supplendo omnem, & quamcunque alioquin necessariam, seu opportunam expressionem, ac sublatis omnibus, & quibuscunque contrariis, diversis, seu differentibus, omnino, & inviolabiliter servari, adimpleri, & exequi volumus, & mandamus.

Reformationem vero Tribunalis, seu Magistratus hujusmodi a jurisdictionis norma, & distinctione incipientes prævia pretii, ac impensæ expeditionis restitutione jam factæ ei, qui Magistrorum Viarum Assessoris Officium hactenus obtinuit, officium hujusmodi penitus, & omnino supprimimus, abolemus, & abrogamus.

Jurisdictionem in omnibus, ac singulis causis Juris congrui, seu retractus cum omnibus, & singulis ab eo dependentibus annexis, & connexis, in quibus ante hac memoratus Camerarius, & Magistrorum Viarum Assessor insimul procedebant, imposterum ad eundem Camerarium privative quoad alios spectare; Hujusmodi autem causas in gradu appellationis iisdemmet modis, & formis, quibus hactenus observatum fuit; ad Præsidem Viarum devolvendas esse, & ab illo Tribunal Cameræ supradictæ appellandum esse decernimus.

In reliquis omnibus causis, & negotiis eorumque annexis, connexis, & dependentibus, omnem, & quamcunque necessariam, & opportunam jurisdictionem pro tempore existenti Viarum Præsidi, privative quoad alios, concedimus, & ad eundem, a quo ad Cameram præfatam pariter appelletur, spectare volumus, & mandamus.

Magistris tamen Viarum tam in Urbe, quam in ejus districtu præfatis occasione, seu in actu vias ejusdem districtus invisendi, facultatem coercendi contravenientes constitutionibus, bannimentis, statutis & ordinationibus Tribunalis, seu Magistratus, necnon ipsorum Magistrorum, vel alterius eorum præceptis, seu jussibus, usque ad eorundem contravenientium carcerationem, ac etiam excarcerationem, in forma tamen extrajudiciali, prout etiam procedendi in simili forma contra hujusmodi contravenientes ad pignorationem pro mulctis, & pœnis pecuniariis in præfatis bannimentis contentis, ac eorundem pignorum restitutionem, (reservatis semper prædicto Viarum Præsidi ulteriori cognitione, et recursu,) præservamus, et quatenus opus sit, etiam concedimus.

Iisdem quoque Viarum Magistris curam, superintendentiam, & administrationem instituendi, reficiendi, restaurandi, manutenendi, mundandi, & expurgandi vias, plateas, & loca Urbis, necnon confirmandi, eligendi, & amovendi Architectos, submagistros, operarios, & artifices prædicto Magistratui Viarum inservientes, salvo semper jure Præsidis eosdem ex justa causa removendi, prout etiam facultatem licentias hactenus ab iisdem dari solitas, & imposterum pro indemnitate Magistratus, & Officialium justa modum præscribendum registrandas, & sigillo Præsidis præfatis gratis muniendas, concedendi, salvo ad memoratum Præsidem, auditis Magistris præfatis, ab hujusmodi licentiarum denegatione, seu indebita concessione recursu, similiter præservamus, & quatenus opus sit, concedimus.

Eidem Præsidi Procuratorem Fiscalem, Ratiocinatorem, & Exactores quarumcunque taxarum, vel exactionum tam in Urbe, quam in ejus districtu supradictis, necnon Mandatarium, et Viarum Commissarium, cum Magistrorum præfatorum consilio, & Baroncellum ad ejus libitum deputandi, & amovendi facultatem concedimus; Reservata tamen Venerabili Fratri nostro Paulutio Episcopo Prænestino ejusdem S. R. E. Cardinali de Alteriis nuncupato dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario prædictos Procuratorem Fiscalem, Ratiocinatorem, & Mandatarium, donec vixerit, deputandi, & amovendi.

Ad hæc omnes, & singulas jurisdictiones, facultates, curas, & emolumenta quæcunque pro tempore existentibus ejusdem S. R. E. Camerariis in platea Agonia competentes, & competentia, seu ab illis exerceri, & percipi hactenus consuetas, & consueta, et nunc prout ex tunc secuto obitu memorati Paulutii Episcopi Cardinalis, & Camerarii, cui pariter, donec vixerit, nullum jus hujusmodi adimere volumus, & declaramus, ab eodem Camerariatus Officio penitus, & omnino dismembramus, & separamus, illasque, & illa Tribunali, & Magistratui Viarum sub cura, regimine, & jurisdictione solius pro tempore existentis Præsidis Viarum ad limites, & formam præsentium, absque ulla prorsus inter dictam Agonis, & alias plateas Urbis differentia, seu distinctione restituimus, seu unimus, annectimus, & incorporamus, & restitutas, seu unitas, annexas, & incorporatas esse volumus, & mandamus.

Ex nunc autem omnes, & singulas jurisdictiones, facultates, curas, & administrationes hujusmodi cuicunque personæ etiam præfatæ S. R. E. Cardinalis, etiam ejusdem S. R. E. Vicecancellario, Collegiis, Capitulis, Locis Piis, Basilicis, & Ecclesiis, etiam Patriarchalibus, & quibuscunque quavis dignitate, vel præeminentia tam Seculari, quam Ecclesiastica fungentibus, etiam speciali, & individua mentione dignis, super plateis, viis, & locis Urbis præfatæ quoquo modo concessas, vel competentes, necnon emolumenta, de quorum percipiendorum valido, & subsistenti jure, quod respectu tam aliorum, quam Ecclesiarum, & Locorum piorum, ex titulo vere, & proportionate oneroso, & correspectivo esse debeat, legitime non constiterit, supprimimus, abolemus, & abrogamus, ac ab iisdem, seu eorum officiis, vel muneribus separamus, & dismembramus, illasque, & illa modo, & forma præmissis ex nunc Tribunali Viarum sub cura, regimine, & jurisdictione pro tempore existentis Præsidis Viarum hujusmodi instituimus, seu unimus, annectimus, incorporamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus.

Præterea inhærentes alias factis chirographis, & ordinationibus Tribunalis, & Magistratus hujusmodi, quæcunque privilegia, & exemptiones, & quasvis literas patentes ibidem revocatas, & præsentibus adversantes, nullatenus suffragari declaramus, illaque, & illas iterum revocamus, cassamus, annullamus; Volentes & mandantes, omnes, & singulos, nemine prorsus excepto, in iisdem Chirographis specificatos, seu comprehensos etiam Palatii nostri Apostolici, & cujuscunque Judicis, & Tribunalis, tametsi specialis, & individua nota dignorum, necnon dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Basilicarum, Ordinum, Congregationum, & Societatum etiam Jesu ministros, & officiales quoscunque, & quibusvis literis patentibus munitos, ac Neophytos, & milites etiam auxiliatores Arcis S. Angeli, & Alabardarios nuncupatos Gubernatoris Urbis, quoscunque, & quotcunque etiam in minori, & modico, seu minimo numero, ad solutionem, & contributionem quarumcunque taxarum, impositionum, æque ac alios non privilegiatos, teneri, et obligatos esse, necnon jurisdictioni Tribunalis, et Magistratus hujusmodi, ac omnibus, et singulis illius constitutionibus, et ordinationibus quibuscunque pariter esse, et remanere subjectos. Prout etiam præfata chirographa, & ordinationes innovantes, & ampliantes, a decretis, mandatis, & sententiis super solutione quarumcunque taxarum, seu contributionum a Tribunali, seu Magistratu præfatis impositarum, & imponendarum, & respective super effectuum, seu appaltuum ab Affictuariis, seu Appaltatoribus debitorum, seu debendorum solutione, necnon super rationibus per administratores, seu œconomos reddendis, ac super restitutione, vel solutione eorum, quæ per eosdem administratores, et œconomos exacta fuerint, nullam adhibendam esse appellationem, seu recursum in suspensivo, sed in devolutivo tantum, itaut quæcunque appellationes, & recursus, seu citationes, inhibitiones, suspensoriæ, & decreta in vim appellationum, seu recursuum hujusmodi faciendæ, seu faciendi, absque ullo atten-

ratorum, pœnarum, seu nullitatum incursu, possint impune sperni.

Solutiones quarumcunque taxarum, pro quibus judicialiter mediante contestatione litis, vel saltem tanta aliqua eaccutione mandatorum, actum non fuerit, triennio ea tunc quoad præteritas, a die impositionis quoad futuras taxas computando, præscribantur.

Cæterum Præses Viarum hujusmodi non amplius ad annum in Camera prædicta, ut moris erat, forte extrahatur, sed a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, ad nostrum, & ejusdem pro tempore existentis Romani Pontificis, & dictæ Sedis beneplacitum, in posterum deputetur. Ex Magistris vero Viarum non amplius uterque simul, sed alteruter tantum, ut unus semper pendentibus Magistratus negotiis instructus remaneat, dimittatur.

Appaltus expurgationis Urbis, necnon anius Julii, qui singulis trimestribus pro qualibet apotheca solvitur, itidemque curruum, seu rhedarum, ac cisiorum, vulgo calessi, locari solitorum, a præfato Paulutio Episcopo Cardinale, & Camerario pariter donec vixerit, insimul cum Præside, & Magistris Viarum hujusmodi; Alii vero appaltus, affictus, & contractus, ac post obitum memorati Paulutii Episcopi Cardinalis etiam dicti appaltus expurgationis Urbis, & præfati Julii, necnon curruum, seu rhedarum, & cisiorum prænominatorum in Congregatione singulis hebdomadis pro negotiis dicti Tribunalis, seu Magistratus facienda, cui iidem Præses, Magistri Viarum, & alii Ministri de more intersint, apertius semper in supra dictis congressibus cedulis oblationum, & facta deliberatione meliorem conditionem facienti respective concludantur, & stipulantur.

Removetur, seu fiat, facta imprimatur, & impressa in locis a Præside præfato præscribendis exponatur, & retineatur distincta, & moderata Taxa omnium & singulorum emolumentorum tam Tribunalis, seu Magistratus, quam singulorum ejus ministrorum, seu officialium, nihilque prorsus præter vel contra eandem, sub pœnis arbitrio memorati Præsidis infligendis, percipiatur, vel exigatur.

Teneantur singuli exactores sub pœna falsi distincte, ac diligenter annotare omnes, & singulas taxas, & quoscunque earundem debitores, prout etiam omnes, & singulas etiam minimas exactiones, ac personas, a quibus exegerint, intra quindecim dies post quamlibet, licet minimam exactionem computandos, istaque omnia diligenter, fideliter, & distincte describere in libris in Officio Notarii Tribunalis retinendis, & cuicunque quodlibet interesse habenti promote exhibendis.

Omnia, & singula emolumenta Tribunalis, seu Magistratus, etiam ex taxa curruum, & cisiorum præfatorum locari solitorum, necnon ex pretio situum publicorum, in beneficium Tribunalis, seu Magistratus, vel implementum ejus onerum, & præsertim in expurgationem Viarum convertantur.

Magistri Viarum nulla prorsus etiam minima, ac etiam sponte oblata, tum in pecunia, tum in qualibet specie, & tam ordinaria, quam extraordinaria, certa, & incerta emolumenta ratione eorum muneris, seu quarumcunque licentiarum, accessuum, & functionum posthac amplius exigere, seu percipere quoquo modo valeant, sed solo annuo stipendio scutorum quadringentorum monetæ Romanæ pro qualibet eorum, ex emolumentis Magistratus extrahendo, quod illis constiuimus, & assignamus, omnino debeant esse contenti.

Viæ consulares districtus Urbis propriis sumptibus, & expensis personaliter revideantur, & recognoscantur saltem semel in anno pro qualibet via per dictos Magistros Viarum, quo vero ad Præsidem præfatum ejus arbitrio, & ultra hujusmodi accessus, in quibus necessitatibus, reparationibus, & commoditatibus hujusmodi viarum debeant iidem respective consulere, & providere, semper invigilent, ac certiorari satagant de omnibus earundem viarum necessitatibus, & incommodis etiam per literas circulares Gubernatoribus, & Communitatibus, seu Universitatibus Civitatum, Terrarum, seu Locorum, in quorum territoriis viæ præfatæ consistunt, ut responsiones, & aliæ informationes desuper habitæ, in Congregatione præfata, ad effectum opportune desuper providendi, referantur, & examinentur.

Præsidis Viarum superintendentia, & facultas vias consulares ditionis Ecclesiasticæ extra præfatum districtum existentes comprehendant, & ejusdem ditionis Gubernatores subjecti sint ordinationibus memorati Præsidis, qui de Viarum præfatæ dinonis instructione, refectione, restauratione, & manutentione, non tamen in judicialibus, debeat esse solicitus. In districtu vero omnem suam jurisdictionem in viis tam consularibus, quam non consularibus respective valeat exercere.

Decernentes, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu aliar specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iidem præsentibus non consenserint, nec vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, aliusque quolibet etiam quantumvis magno, & formali, ac substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse; seu semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter observari, sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & dictæ S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quamvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis, & quatenus opus sit nostri, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, necnon præfati Pii IV. Predecessoris de gratiis qualecunque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus, in dicta Camera intra certum inibi præscriptum tempus præsentandis, & registrandis, necnon aliis quibuscunque Apostolicis, ac etiam in Generalibus Conciliis editis, & edendis Constitutionibus, Ordinationibus, ac Urbis, & Curiæ Romanæ, & Cameræ Apostolicæ, ejusdem Curiæ Tribunalium, quarumcunque Ecclesiarum etiam Patriarchalium S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris, Monasteriorum, Hospitalium, Locorum piorum, necnon Ordinum, Congregationum, & Societatum, etiam Jesu, & quibusvis aliis, etiam juramento, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, usibus, stylis, consuetudinibus, & decretis, etiam novis reformationibus quibuscunque, legibus, & canonibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, vel ad quorumvis instantiam, ac etiam consistorialiter aut alias quomodlibet per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores nostros in contrarium eorumdem præmissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis, & approbatis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliar in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, necnon omnibus illis, quæ iidem Prædecessores nostri in præmissis quibuscunque eorum literis, & chirographis voluerunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus

Volumus autem, quod postquam præsentes valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex nostris Cursoribus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & singulos tam in Urbe, quam in districto, & ditione præfatis existentes, perinde obligent, & arctent, ac si unicuique eorum personaliter, & nominatim intimatæ fuissent; Quodque earum transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ iisdemmet præsentibus, si exhibitæ, vel ostensæ fuissent, adhiberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatum, mandatorum, decretorum, suppressionum, abolitionum, abrogationum, præservationum, concessionum, declarationum, dismembrationum, separationum, restitutionum, unionum, annexionum, incorporationum, revocationis, cassationis, annullationis, constitutionis, assignationis, derogationis, aliorumque præmissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Quarto Kal. Dec. Pontificatus nostri Anno secundo.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indict. decimaquinta, die vero vigesima octava Nov. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno secundo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Canutum ejusdem SS. D. Nostri Papæ Cursorem.

Joannes Græcus Curs. Magist.

De Agriculturæ Consulibus, & Tribunali.

S U M M A R I U M.

1 *De introductione istius Tribunalis, ejusque statutis.*
2 *Ex quibus istud tribunal constituatur.*
3 *De Assessore ordinario, vel extraordinario.*
4 *Non datur appellatio, sed remissio.*
5 *Per Statuta determinantur multi casus controversiarum*
6 *De personis certis, & huic tribunali subjectis.*
7 *De modo procedendi intra, & extra districtum.*
8 *De aliis officialibus, nempe defensoribus, & Consiliariis.*
9 *De eodem de quo nu. 6. & quando personæ dicantur addictæ.*
10 *Quod agricultura sit ars nobilis, quæ non derogat nobilitati.*
11 *De plerisque aliis parvis judicibus, & tribunalibus artium.*
12 *Quare hoc tribunal agriculturæ innotescat, etiam classicis curialibus.*

D I S C. XXXIX.

1 Ad instar Ædilium Curulium, de quibus actum est *disc. præcedenti*, antiqua Respublica Romanorum alios habebat Ædiles Cereales nuncupatos, qui pro publica annona, agriculturæ confovendæ, & ampliandæ, curam haberent; Isto autem Magistratu intermisso, ut de omnibus aliis ejusdem Reipublicæ cum Imperii dissolutione secutum fuit; adeout in oblivionem abiisset,
Card. de Luca, Lib. XV.

ex Pontificum, vel Romani Populi cura, jure privato
Civitatis potius, quam publico principatus, ille innova-
tus fuit, pro Urbis scilicet territorio, seu districtu, qui-
busdam tractu temporis desuper ordinatis statutis, ponti-
ficia auctoritate roboratis, quæ in volumen redacta, et-
iam cum aliquibus glossis habentur, illaque vim legis ha-
bent in iis, quæ istam rem agrariam, omniaque alia ad
agriculturam pertinentia, respiciunt.
Constituitur autem istud Tribunal, per quatuor Consu- 2
les, qui ut plurimum sunt cives vel incolæ Romani,
nobiles, seu valde civiles, in hac arte periti; Vel quia
rem, seu negotiationem agrariam agant; Vel quia casa-
lia possideant, adeout in hac re versati sint; Eorumque
mutatio ad formam statutorum, crebra, seu frequens est,
(quando alias Papa non mandet,) quoniam singulo
quoque trimestri duo mutantur, ut illi, qui de novo as-
sumuntur, instruantur per duos ex antiquis qui remanent
intra novum trimestre, quo finito, isti novi remanent
antiqui, & sic successive; adeout singulorum duratio,
sit per sex menses.
Habent isti Consules, pro decidendis controversiis ju-
dicialibus cum sententiis, vel decretis, Assessorem, qui 3
est togatus curialis, sed cujus voto proceditur; Ac etiam
proprium Notarium, cum officio particulari ad id deputa-
to; Et quando Assessor recusetur, assumitur alter Consul-
tor, Advocatus, vel causarum Patronus, & quandoque
etiam Prælatus pro libito Consulum, & pro causarum qua-
litate, eo modo quo de foro Capitolino est dictum.
A sententiis, vel interlocutionibus non datur appella- 4
tio, sed quædam revisio intra certum terminum, juxta
formam a statutis præfinitam, atque ad hunc effectum as-
sumitur alter Assessor particularis, ut supra.
Per eadem vero Statuta, pene omnes casus determinati
sunt, circa modum æstimandi damna data, super quibus 5
frequentiores controversiæ esse solent; Sive super modis,
ac temporibus sumendi pascua, seu colendi casalia, & te-
nutas conductas; Ac super obligatione domini animalium,
ex conventionibus factis per illum ministrum qui Verga-
rius dicitur, Vel super facultate retinendi animalia, pro
pretio pascuorum; Aut super potioritate in eisdem animali-
bus, aut in aliis fructibus pro pensione fundi, seu terreni;
Necnon super mercedibus famulorum; Vel super tempori-
bus, in quibus isti conducantur, vel conducti censeantur;
Aut quod unus non possit conducere famulos alterius, sine
ejus consensu, cum aliis ad rem facientibus.
Designantur etiam in eisdem Statutis genera persona-
rum, quæ sint huic Tribunali subjectæ, dum non veniunt 6
solum illæ personæ; quæ vacant rei agrariæ, seu circa ani-
malia eorumque fructus, sed etiam carbonarii, & plures
alii, qui circa rem rusticam versantur, quorum notitia
facilis est ex eorundem Statutorum lectura.
Prout etiam præscribitur modus citandi, & procedendi,
ac etiam exequendi, cum distinctione modi procedendi,
intra districtum, & extra, respective.
Ultra Consules, adsunt plures alii, qui quoddam con-
silium constituere videntur magis generale, adeut digno- 7
sci videatur ea forma, quæ habetur in regimine bene regu-
latarum Communitatum, quod scilicet adest Magistratus
brevior, qui habet administrationem actualem; Et alter
major, seu magis numerosus, qui habet habitualem, ac 8
populum repræsentat; Ita a pari dum ultra quatuor Con-
sules, adsunt etiam alii quatuor officiales, qui defensores
appellantur, ac etiam alii tresdecim in hac arte periti, tan-
quam consiliarii.
Quamvis autem describantur genera personarum, quæ 9
agriculturæ addicti, seu vacare dicuntur, ideoque huic
Tribunali subjecti; Attamen juxta regulas juris commu-
nis, quas habemus in omnium aliarum artium universi-
tatibus, ac subjectionibus eorum Judicibus, vel consulibus,
sive pro taxis & collectis, vel ad alios effectus favorabiles
privilegiorum, ac exemptionum, intelligitur quatenus
formiter pro majori parte vitæ sint alii exercitio addicti,
ut alibi advertitur.
Illud autem considerabile videtur, quod ex hujusmo- 10
di Statutis, ab antiquo ordinatis resultat, quod scilicet
ista vocatur ars nobilis, dum etiam juxta regulas juris (ut
alibi in materia præeminentiarum insinuatur, *b*) agricultu-
ra quando fiat in re propria, est compatibilis cum nobilita-
te, eique non derogat; Quod tamen pro regionum, seu
locorum moribus intelligendum videtur, cum in hac ma-
teria nobilitatis, locorum consuetudo, seu communis ho-
minum opinio principaliter attendenda est veniat.

Ad instar hujus tribunalis, fere omnes artes, vel me-
11 chanicæ professiones, & industriæ, habent suas universitates, cum aliquibus legibus, vel statutis, suosque Consules, cum Judice, seu Assessore, & cum aliqua jurisdictione, seu facultate procedendi in aliquibus causis brevioribus ad illam artem pertinentibus, adeout infinitus pene videatur numerus hujusmodi Judicum, & parvorum Tribunalium, quę tamen pene ignota sunt, nullamque figuram faciunt, ideoque congrua non videntur huic relationi, quę ad exterorum informationem principaliter ordinata est, nimiamque prolixitatem, seu evagationem pene inutilem id redoleret; Potissime quia classicis Curialibus ista penitus ignota videntur; Bene tamen innotescit dictum Tribunal agriculturæ; Vel ex dicta ratione, quod ipsi frequenter deputari solent Assessores causarum particularium; Vel quia contingit aliquando agi de subtilibus, & altis quęstionibus juris, puta in concursu creditorum, occasione potioritatis; Aut quando sata cedant solo; Sive an conductor potuerit aliquid agere, cum similibus, super quibus etiam classici, ac primi ordinis Advocati, & causarum Patroni, quandoque scribere solent.

a *tit. de Regal. disc. 98. & tit. de jurisd. disc. 33.*
b *tit. de praeminent. disc. 32. & seq.*
c *tit. de locato, & conducto, & tit. de credito, & debito.*

De Præfectis Annonæ, & Grasciæ; ac etiam de Præsidibus Dohanarum, Riparum, & Zecchæ.

S U M M A R I U M.

1 *DE præsidatibus viarum, & carcerum remissive.*
2 *De Præfectura annonæ, ut incumbat Civitati.*
3 *In Urbe secus, quia incumbit uni ex Clericis Cameræ.*
4 *De Bulla Pistorum, & istorum privilegiis.*
5 *De Congregatione annonæ.*
6 *An annona gaudeat privilegiis fisci super exemptione gabellarum.*
7 *De Præfecto grasciæ.*
8 *De Præside dohanarum.*
9 *Camera est judex appellationis ab omnibus his Præsidibus, vel Præfectis.*
10 *De Præside riparum.*
11 *De Camerario riparum.*
12 *De Præside Zecchæ monetarum.*
13 *De Præside Archivii.*

D I S C. LX.

1 AGendo supra de Tribunali Cameræ Apostolicæ constituto ex duodecim Prælatis, qui Clerici nuncupantur, a mentio habita est hujusmodi Præfecturatum, & Præsidatuum, qui singulis annis distribuuntur inter ipsos Clericos; De præsidatu autem viarum aliquid insinuatum est supra, agendo de Tribunali Ædilium, seu Magistrorum viarum. *b* Et de altero Præside carcerum, pariter mentio habita est supra, agendo de Congregatione Visitationis carceratorum. *c* Quare de aliis in præsenti agendo.

Quatenus pertinet ad Præfectum Annonæ, qui unus ex
2 Cameræ Clericis esse solet, pro frequentiori autem praxi, non cadit sub annuali extractione aliorum officialium, sed per Papam ad libitum deputari solet, eo quia requiri videatur quædam personæ industria, majorque aptitudo; De jure administratio Annonæ Civitatis, ipsimet Civitati, vel populo, ejusque magistratui ordinario communitatis, vel particulari hujus rei annonariæ, seu publicæ abundantiæ incumbit. *d* Talisque erat etiam in Urbe antiqua praxis, quæ immutationem recipit sub Gregor. XIII. qui eam com-
3 misit uni ex Clericis Cameræ, sub Præfecturæ nomine, seu vocabulo, & cum jurisdictione in omnibus causis, quæ hanc materiam concernant, tam pro conservatione, & augmento agriculturæ, ex qua annonæ utilitas pendet, quam etiam super cura, & vigilantia, ne triticum aliæque fruges extrahantur, sive de loco ad locum, præter bannimenta, & ordinationes opportunas, ac etiam super necessitate denunciandi quantitatem, & qualitatem frumenti, aliarumque frugum recollectarum; Sive invigilando, ne fiant dardanariæ, seu monopolia, aut illæ emptiones notabiles, ad mercaturam, quæ *incettæ* vulgo dicuntur, ex quibus monopolia resultare solent.

Prout etiam super jurisdictione cum pistoribus Urbis,
eorumque sustentatione, & cognitione causarum cum 4
eodem creditoribus, ad normam Constitutionis Urbani VIII. editæ eorum favore, & quæ Bulla Pistorum vulgo appellatur, cujus non contemptibilia commentaria edidit quidam Curiæ Advocatus. *e* Et in summa super omnibus aliis, quæ istam rem annonariam concernant occasione provisionis frumentorum ab extra, dum pro ejusdem annonæ beneficio, atque ad evitandum mercatorum, & dardanariorum oppressiones, juxta exemplum Joseph in Ægypto ex publico ære, sub ejusdem Præfecti administratione, mediante opera multorum ministrorum, & officialium in publicis horreis ad id destinatis, notabilis tritici quantitas haberi solet reposita, adeout iste videatur magistratus nimium considerabilis, qui speciem formati Tribunalis constituat; Unde propterea frequenter habet audientiam Papæ, quem super iis, quæ concernunt hanc materiam, quæ adeo publicæ quieti, ac populi beneficio, & administrationi confert, consulit, ut ex ejus oraculo
opportunas provisiones accipiat; Et quando in annis penu- 5
riosis ita expedire judicetur, convocari, & haberi solet illa Congregatio annonæ, quam inter plures ab eo erectas Sixtus V. instituit, ut in præcedentibus insinuatum est. *f*
Hujusmodi vero annonariæ provisiones, vel respective 6
distributiones, quæ pistoribus, vel civibus fiant, quæstiones parere solent cum gabellariis, & dohaneriis, an scilicet pro isto frumento solvi debeant gabellæ, vel pedagia, aliave onera, quæ per privatos solvuntur pro introductione, vel transitu, vel pro molitura, vel alia contractione; Dubitandi rationem præbente juris dispositione, seu regula eximente ipsum Principem, vel Civitatem, ejusque fiscum gabellæ locatorem, ab ejusdem gabellæ onere; An scilicet ista dicenda sit res, vel administratio fiscalis, quæ isto potiatur privilegio; Atque licet pro generali consuetudine Juristarum, non desit opinionum connaturalis varietas, vel scissura; Ea tamen probabilis, ac recepta videtur distinctio, an scilicet ipse Princeps ejusque officiales, & ministri id agant in sola ratione prudentis, & œconomicæ administrationis, erogando pecuniam fiscalem, quæ pro hujusmodi provisionibus in magna quantitate requisita videtur, de illa tamen se reintegrando in ejusdem frumenti distributione, seu explanatione, adeout onus, vel respective exemptio gabellarum, spectato effectu percutiat potius commodum, vel respective incommodum privatorum civium, & incolarum, qui frumentum, vel panem emant, & tunc fiscalis exemptio non intrat; Secus autem ubi Princeps, ejusque fiscus id agat, gerendo illas partes, quod eidem, tanquam parti subditorum, penuriosis, vel alias accidentalibus temporibus incumbunt, ut scilicet gratuitus panis pauperibus ac indigentibus distribuatur, sive quod omnium distributio fiat pro minori pretio, supplendo de proprio id quod major impensa importet; Et in summa spectato effectu, an scilicet id quod importat solutio gabellarum, tendat in damnum, ac jacturam ipsius fisci, vel e converso onus revera supportetur a populo, ipsisque privatis, frumenti, vel panis emptoribus, ut primo casu intret exemptio fiscalis, non autem in hoc posteriori, ut latius, ac particulariter advertitur in Regalium sede. *g*

Præfectus Grasciæ, est pariter unus ex Clericis Came-
ræ, eodem modo quo ille Annonæ ad nutum Papæ depu- 7
tari solitus, cujus cura est, adinstar Annonarii super Civitatis ubertate, ac provisione omnium aliorum victualium, occurrendo dardanariorum oppressionibus, tam circa carnes ordinarias, ac silvestres, quadrupedum, & volatilium, quam circa pisces, ac fructus, & olera, omniaque alia, quæ humanum victum concernunt, ideoque invigilat, ac personaliter assistit in nundinis, vel mercato, quod qualibet hebdomada fit in campo boario, aliisque destinatis locis animalium mactandorum, atque jurisdictionem habet cum macellariis, & piscium venditoribus, ac aliis tenentibus apothecas salsamentarias; Et in summa super iis omnibus, quæ concernant victualia, eorumque grasciam, adeout speciem Tribunalis quoque constituere videatur, eo modo quo de Annonæ Præfecto est dictum.

Dohanarum Præses, qui pariter est unus ex Clericis Ca- 8
meræ, atque videtur officium quodammodo annexum Decano, habet cognitionem causarum, seu controversiarum, quæ cadunt super modo solvendi dohanam terrestrem, vel maritimam aliasque gabellas, ne cives, vel mercatores a Dohaneriis, & gabellariis graventur ultra debitum; Sive ubi

quæstio-

quæstiones potioritatis, vel recursus oriantur, ut in Regalium sede, ac alibi habetur, *b* adeout dicatur in materia Judex ordinarius primæ instantiæ; atque ab eo appellatur ad ipsam Cameram; Idque generaliter procedit in omnibus aliis hujusmodi Præfectis, seu Præsidibus.

10 Præses Riparum curam habet eorum, quæ per flumen vehuntur ad Urbem a partibus mediterraneis, vel montanis, & proprie illarum mercium, quæ exonerantur in loco, qui nuncupatur Ripetta; Et præsertim, ac generaliter id redolet præfecturam provisionis, & abundantiæ Urbis in lignis combustibilibus, & in carbonibus, ut pariter occurratur monopoliis, & dardanariis, quæ in hoc genere cadere possunt, nimiumque refert, ut ista cura diligenter adhibeatur, unde propterea habetur jurisdictio cum mercatoribus lignorum, & carbonum, ac etiam cum nautis, & ductoribus curruum, seu carrettarum, cum quibus ligna vehuntur, aliisque operariis circa idem ministerium.

11 Adest etiam alter Magistratus Riparum, qui vocatur Camerarius, qualis esse solet aliquis nobilis civis, vel incola tanquam per Magistratum Populi, cum suo Assessore.

12 Zecchæ Præses præest cusioni monetarum, ne fraudes fiant, apponendo majorem ligam, dum Principis cura esse debet, pro publico commercio, ac populorum sibi subjectorum utilitate, ut moneta habeat suum justum valorem, ac propterea sit ubique expendibilis, etiam extra principatum, ut in Regalium sede advertitur, *l* ideoque jurisdictionem habet in omnibus iis qui huic ministerio vacant; Necnon super qualitate monetæ jam cusæ, propriæ, & exteræ, ne impendantur tonsæ, vel minoris ponderis, seu falsificatæ, atque super hoc nimium invigilatur, magnique rigores quando casus contingat, adhibentur, & merito.

13 Archivii Præses habet præsidentiam, & curam eorum quæ concernunt instrumentorum, & scripturarum conservationem, tam in Urbe, quam in universo Statu Ecclesiastico, ut scilicet archivia bene teneantur, & custodiantur, atque in eis ad formam Apostolicarum Constitutionum, & bannimentorum, Notarii exhibeant sumptum instrumentorum, aliarumque scripturarum, atque ad hunc effectum destinari solent Visitatores, vel Commissarii; Id autem, licet bonum habeat finem, atque proveniat ex bona causa; producere tamen solet malos effectus, eo modo quo de commissariis spoliorum, vel fabricæ superius insinuatum est; Ut in Regno Neapolitano docet praxis illorum Visitatorum, vel Commissariorum, quos deputat Protonotarius, quod sonat in idem.

De aliis autem officiis, quæ inter istos Clericos distribuuntur mentio habita est supra, agendo de Tribunali Cameræ, dum non ita redolent speciem Tribunalium in Urbe ut præmissa.

a *disc.* 33. b *disc.* 38. c *disc.* 28. d *tit. de Regal. disc.* 44. *&* 45. *&* 125. e Antonin. *ad Bullam Pistorum, de qua tit. de cred. disc.* 37. *& tit. de dote disc.* 166. f *supra, disc.* 27. g *d. tit. de Regal. disc.* 44. *&* 45. 125. h *tit. de Regal. disc.* 66. *cum seqq. & tit. de jurisd. disc.* 83. *ubi de judice Regal.* i *de hoc magistratu d. disc.* 83. *de jurisd.* l *tit. de Regal. disc.* 121. *&* 126. *cum seqq.*

S U M M A R I U M.

1 *De Præfecto Annonæ, ejusque materia cum seqq. præsertim quoad facultatem extrahendi victualia.*

2 *Concessio tractarum licet ex causa onerosa revocatur ob supervenientem penuriam.*

3 *Et an tali casu reficiendum sit, quod interest Appaltatoribus.*

4 *In casu penuriæ quilibet Magistratus cogere potest cives ad exponendum triticum pro certo pretio.*

5 *Interesse quanti plurimi cessat, ubi mora non adsit.*

6 *De Præside viarum remissive.*

ANNOT. AD DISC. XL.

1 Cum in hoc discursu agatur præ cæteris de Præfecto annonæ, hinc ad istam annonariam materiam annotandum est, quod in hoc Principatu ex variis Apostolicis concessionibus, partim ex gratia, magis vero ex contractu, & ex causa correspectiva multæ facultates vulgo tractæ concessæ sunt extrahendi a Statu Ecclesiastico triticum, aliasque fruges, ut præsertim frequens est usus concessionis tractarum in Appaltatoribus, vel Thesaurariis in vim capitulorum Appaltus, ac etiam est concessio facta Duci Mutinæ sub Clemente VIII. in concordia Faventina super facultate extrahendi triticum, aliasque fruges ex bonis sibi remansis, utpote allodialibus in Statu Ferrariæ; Et altera facta magnæ Ducissæ Etruriæ Victoriæ Rueveresæ, tanquam Hæredi ultimi Ducis Urbini super extractione fructuum bonorum allodialium sibi remansorum in eodem Statu Urbini, & locis adjacentibus in vim concordiæ sub Urbano VIII. enunciatæ *disc.* 1. *de feud.* & alibi, cum similibus. Cum autem iste annus, vel revera sit, vel forte ex fama exorta ab avaris negotiatoribus opinetur major quam sit, penuriosus, unde propterea prudenter, ac pie Pontifex Innoc. XI. subscribere noluit chirographa signari solita singulis annis super hujusmodi tractis. Hinc multæ auditæ sunt conquæstiones, præsertim ministrorum præfati Ducis Mutinæ quod injuste denegaretur id quod non ex gratia, sed ex justitia, & in vim concordiæ, & contractus correspectivi sibi promissum est.

In hoc autem dicebam tanquam ejusdem Papæ Auditor indebitas esse conquæstiones, quoniam hujusmodi concessiones, etiam ubi fiant per viam contractus ex causa onerosa, & correspectiva, illam sub se continere implicitam conditionem, si proprius Principatus fuerit sufficienter pro- 2
visus, ideoque si hæc provisio non adest, adeout probabilis penuriæ timor habeatur, tunc licitum est, citra fidei violationem, denegare tractam, ut aliis relatis firmatur Mastrill. *de Magistrat. lib.* 5. *cap.* 9. *nu.* 56. Rovit. *in pragm. test. proreg. tit.* 5. *tract. num.* 5. Adden. ad Rovit. *in pragm. tit. de extract. lit. A.* Novar. *de grav. Vas. grav.* 143. *p.* 1. Reverter. *dec.* 425. ubi de Marin. *in addit.* Marcell. Maur. *alleg.* 38. *n.* 9. *ubi adden.* atque advertitur *in Theatr. lib.* 2. *de Regal. disc.* 146. *num.* 30. & tanquam absolutum præsupponitur *disc.* 159. *num.* 14. *ex disc.* 133. *num. fin. eod. tit. de Regal.*

Ad quod bene referunt ea, quæ habentur *disc.* 29. *de Serv.* in proposito servitutis pascendi, vel aquandi, & similis, ut semper intelligatur in eo quod excedit proprium usum, non autem pro fame, vel siti alterius cogi debeat dominus panis, vel aquæ esurire, vel sitire, quoniam ubi etiam desuper legales authoritates non haberentur, ad sensum id clare probat ipsa naturalis ratio, ipseque humanus discursus.

Et quoniam in hujusmodi concessionibus, illis præser- 3
tim Appaltatorum, ac etiam in superius enunciata concessione facta hæredi Ducis Urbini continetur lex, quod in eventum denegationis tractæ refici debeat totum id, quod interest ad rationem quanti plurimi, & quantum justificaretur, quod in qualibet Civitate, & loco Italiæ, vel extra frumentum carius valuerit; Hinc exorta est prætensio istius refectionis, unde desuper a Papa deputata fuit Congregatio plurium Prælatorum, de quorum voto Thesaurarius tanquam judex competens, & ordinarius Appaltatorum, & Thesaurariorum procedere, ac judicare debeat, & a quorum Prælatorum numero sum ego, adhuc tamen ad formalem disputationis trutinam deventum non est, ideoque desuper maturum judicium efformare non potui. In ratione autem discurrendi, seu motivandi, salva veritate, cui integer locus relinquitur, primo aspectu considerabam ad rem adaptari posse ea quæ in materia defalchi, seu remissionis mercedis cum eisdem Appaltatoribus Cameralibus habentur pluries deducta *sub tit. de Regal.* & præsertim *disc.* 159. ubi alia enunciantur, quod scilicet ista rigorosa conventio intelligenda venit, atque locum habere debet, quando ex facto mere voluntario sine justa causa Principis contrahentis, vel ejus officialium, ac aliorum, quos ipse prohibere potest, tractæ denegatio sequeretur; secus autem quando licet denegatio concessionis, vel executionis tractæ proveniat a facto voluntario Principis, vel ejus officialium, qui volentes possent concedere; Attamen hæc voluntas regulata est a justo motivo publicæ necessitatis, vel utilitatis, bonique regiminis subditorum, & Reipublicæ, quoniam tunc id sequi dicitur ex necessitate potius, quam ex voluntate, & pro adimplemento proprii officii, ideoque inter casus fortuitos, & accidentales censeri meretur, juxta ea, quæ *dicto disc.* 159. *& in aliis* ibidem recensitis habentur de ordinationibus, quæ per Principem, vel ejus officiales, & magistratus fieri solent in casu belli divini, vel humani super prohibitione commercii, quoniam iste reliquis aliis divinis flagellis æquiparatur, eodemque jure censetur, unde quemadmodum si ob impedimentum pestis, vel belli, sive magnæ irruentiæ pyratarum, vel bannitorum, aut ratione magnarum tempestatum ista extrahendi facultas practicari non posset, eaque inutilis remaneret, ita in isto casu quoque dicendum est.

Quinimo fortius, & clarius, quoniam in eo potius quam

in aliis quoad fruges, aliaque victualia, cautum in jure, sive apud Doctores receptum habetur, ut non solum Princeps supremus, sed etiam quilibet Magistratus in toto, vel in parte tollere possit jus tertii, & tangere ipsarum rerum pretium, cogendo nempe habentes triticum, aliaque victualia ad exponendum pro publico usu pro certo moderato pretio per ipsum taxato, & quandoque etiam nullo soluto, sed cum necessitate habendi de illo fidem, ut pluries advertitur *eod. tit. de Regal. & præsertim, disc. 148, & in aliis*. Igitur multo magis impedire potest istam extrahendi facultatem, quæ de sui natura reputatur exorbitans, &
5 injusta, privando incolas illis donis exuberantibus, quæ voluit eis liberaliter concedere natura, ut advertunt scribentes, agendo de hac materia tractatuum, de qua locis supra citatis *eodem tit. de regal.* Obligatio namque præstandi interesse, illud præsertim quanti plurimi præsupponit moram, quæ continet sub se culpam, vel delictum violationis fidei absque justa causa, vel justa excusatione, ideoque merito apud Reverter, *d. disc. 425.* negatum fuit illud majus interesse quod conventum erat. Et de aliis ad hanc materiam annonariam agitur in jam enunciatis *disc. 44. & 45. & 125. de regal.*

6 Agitur etiam in hoc discursu de Præside viarum, de quarum materia agitur pluries *in eod. tit. de regal.* ac etiam *in Miscell. Eccles. disc. 48.* ubi concordantes.

Et de Dohanis, de quibus pariter in hoc discursu occasione enunciandi earum Præfectum, aliosque officiales, agitur frequenter *eod. tit. de regal.* ac etiam *d. Miscellan. disc. 47. & 49.* ubi de pluribus ad hanc materiam.

De Cardinalibus Archipresbyteris trium Basilicarum Patriarchalium; Ac etiam de eorundem Cardinalium jurisdictione in propriis titulis.

S U M M A R I U M.

1 *DE Archipresbyteris trium Basilicarum Patriarchalium.*
2 *De jurisdictione Basilica Lateranensis in omnibus Ecclesiis, & hospitalibus sitis in solo Lateranensi.*
3 *De Cardinalibus in eorum titulis.*
4 *De Cardinali Decano in Civitate Veliterna.*
5 *De aliis Cardinalibus Episcopis.*
6 *De Abbate Farfensi, & aliis similibus.*
7 *De stylo Baronum, & Magnatum existentium in Urbe.*

D I S C. XLI.

IN singulis Basilicis Patriarchalibus, quibus Clerici sæculares inserviunt, nempe S. Joannis in Laterano, S.
1 Petri, & S. Mariæ Majoris adsunt Cardinales Archypresbyteri, qui ut in materia jurisdictionali habetur, *a* sunt Prælati ordinarii, cum quasi Episcopali jurisdictione, cum Canonicis, Beneficiatis, & Clericis, aliisque ministris, & servientibus, cum quibus privatam habent jurisdictionem, & cognitionem omnium causarum civilium, criminalium, & mixtarum, unde propterea eas avocant a quibuscunque aliis Judicibus, atque ad hunc effectum retinent Vicarium, qui est Prælatus frequentius constitutus in ordine Episcopali, tanquam per speciem illius Vicarii generalis, quam habet Episcopus, atque in ulterioribus instantiis, appellationis, vel recursuum, iidem Archipresbyteri gerere videntur speciem Præfecti Signaturæ, deputando Judices, atque in commissione causarum appellationis cognoscendi, an rescribi debeat de appellatione ad utrumque effectum, vel ad devolutivum tan-
2 tum, adeout sint species Tribunalium, ex quibus latius parere videtur illud Archipresbyteri S. Joannis ex jurisdictione, quæ habentur in omnibus Ecclesiis, vel hospitalibus sitis in solo Lateranensi, cum exemptione a locorum Ordinariis, ut in jurisdictionali sede advertitur. *b* Necnon quandam ordinariam jurisdictionem habere videantur in collatione aliquorum beneficiorum, ut in eorum sede habetur.

3 Ordinatiorum speciem habent, seu figuram faciunt quoque Cardinales in illis Ecclesiis Titulorum, quæ sint Collegiatæ, unde habeant Canonicos, Beneficiatos, Clericos, & servientes, ideoque pariter habent Vicarium generalem, qui Prælatus esse solet, cum eadem cognitione privativa, cum illis tamen moderationibus respectu Vicarii Urbis, quæ in rerum jurisdictionalium sede insinuantur; *c* Quamvis enim in omnibus titulis eadem sit potestas, vel jurisdictio, non autem idem est effectus ex defectu subjecti.

Tribunalis considerabilis figuram constituit illud, quod regit Cardinalis Decanus per se ipsum, vel ejus Auditorem, ratione Episcopatus Hostiensis, dum habet plenam jurisdictionem, tum in temporalibus, quam in spi- 4
ritualibus in Veliterna Civitate, occasione appellationum & recursuum a Gubernatore, seu Vicario generali, ita gerendo etiam munus Præfecti Signaturæ super modo committendi; Aliorum etenim quinque Episcopatuum Cardinalitiorum jurisdictio est in spiritualibus tantum; Unde 5
propterea non resultat eadem figura, quoniam licet Episcopus Portuensis, qui est Vicedecanus aliquam quoque habet jurisdictionem in temporalibus, attamen de facto modica est ex defectu subjecti, ob exiguum numerum incolarum.

Speciem autem Tribunalis, & ad instar constituere, seu 6
habere videtur ille Cardinalis, qui sit Commendatarius Abbatiæ Farfensis, non solum ob jurisdictionem ordinariam, cum clero, & populo multorum oppidorum existentium intra præfatæ Abbatiæ limites, sed etiam ob frequentes controversias, quæ cadunt super illorum incolarum bonis, dum omnia sunt emphyteutica, & de directo dominio ejusdem Abbatiæ, atque ad ipsum Abbatem, seu Commendatarium pertinet deputare Judices in omnibus instantiis; Et quando agitur de caussis gravibus, deputare solet unum ex Rotæ Auditoribus, unde propterea illæ caussæ, quas in Rota disputatas esse probant, quamplures decisiones Farfenses, quas in ista emphyteutica materia habemus, in istius Abbatis, vel Commendatarii deputatione cognoscuntur; *d* Ut etiam proportionabiliter contingit in plerisque aliis Abbatiis, quæ sunt nullius, & in quibus Cardinales eandem habent jurisdictionem, & potestatem, ut præsertim sunt Abbatiæ Pontiani, & Sancti Ædicti, ac etiam Sublaci, & similes, quoniam ob residentiam, quam Abbates, vel Commendatarii habent in Urbe, ita tot Tribunalium figuram facere videntur.

Prout etiam de facto eandem figuram facere videntur 7
aliqui Barones, & Magnates, qui castra, & loca jurisdictionalia habeant, dum cum bene regulato ordine, retinent Auditores, aliosque Ministros, atque statutis cujuslibet mensis, vel hebdomadæ diebus tenent Congregationes, in quibus audiantur vassalorum recursus, & querelæ, adversus gravamina, quæ in Gubernatoribus, aliisque inferioribus Judicibus inferantur, quod commendabilem introductionem, & usum redolet.

a *tit de jurisdict. disc. 35.* b *tit de jurisdict. disc. 38. & 39.* c *tit. de jurisdict. disc. 34.* d *tit. de feud. disc. 52. & tit. de emphyteus. disc. 8.*
e *Vide novam Const. Innoc. XII. impressam post disc. 13. hoc tit.*

De Cardinalibus Protectoribus plurium eorum locorum; Et de Judicibus, qui per eos deputantur; Ac etiam Protectoribus, & de Generalibus Religionum.

S U M M A R I U M.

1 *QUod in Urbe adsint multa pia loca cum Judicibus particularibus.*
2 *De Judice Montis pietatis.*
3 *De Judice Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia.*
4 *De aliis Hospitalibus habentibus judices particulares.*
5 *De judice Societatis Annunciatæ.*
6 *De illo Hospitali Sancti Sixti.*
7 *de illo Neophytorum.*
8 *De Judicibus aliquarum Conservatoriorum, vel Monasteriorum.*
9 *De Protectore Almæ Urbis Lauretana.*
10 *De Protectoribus Capellarum Sixtinæ, & Paulinæ.*
11 *De Protectoribus Religionum.*
12 *De Generalibus Religionum.*
13 *De Judice Monasterii Convertitarum Urbis.*

D I S C. XLII.

QUamplura pia loca, ex Apostolicis indultis reguntur sub protectione Cardinalium, vel sub administratio- 1
ne Prælatorum, cum plena jurisdictione in iis, quæ ad ipsa loca, eorumque personas, & bona pertinent, adeout tot Tribunalium speciem, seu figuram constituere videantur, cum Judicibus ac Notariis, quæ omnia difficile est singillatim, ac distincte recensere; Tum ob deficientem notitiam,

tiam; Tum etiam quia nimiam evagationem, ab aliquo tædio non immunem, id pateter. Quare agendo de notabilioribus.

2 Hujus naturæ est, præsertim Mons pietatis, qui circa œconomica regitur per nobilium sæcularium Congregationem, cum præsidentis unius Prælati, qui pro moderna praxi esse solet Thesaurarius generalis, atque habet Cardinalem protectorem, qui deputat Judicem aliquem Prælatum, & frequentius aliquem Rotæ Auditorem, cum cognitione causarum pertinentium ad eundem Montem; Et præsertim super modo solvendi illas pecunias, quæ in ejus banco deponantur sub aliquo vinculo, vel conditione; Sive ubi defunctis iis, qui deposita fecerunt, contingat solvi debere hæredibus, vel aliis, in quos dispositum fuerit; Vel an mandata Judicum ordinariorum super consignatione pecuniarum exequi debeant; Idemque respectu pignorum ac aliarum contingentiarum; Nec non respectu ministrorum, & operariorum ejusdem Montis, tam circa administrationem banci, quam etiam circa custodiam pignorum. a

3 Hospitale Sancti Spiritus in Saxia, quod administratur per aliquos Religiosos illius Ordinis, qui figuram faciunt Clericorum sæcularium, cum signo cujusdam crucis albæ in pectore, sub majori præsidentia & administratione Prælati, qui Præceptoris nomen, seu titulum habet, quoniam suum habet judicem particularem, qui est Prælatus, & frequenter Rotæ Auditor, cum jurisdictione in causis ministrorum, & servientium, aliorumque officialium ac etiam bonorum juxta facultates contentas in Apostolicis indultis, circa quas generaliter respectu omnium aliorum locorum certa regula statui non potest, cum diversas habeant circumstantias pro indultorum diversis tenoribus. b

4 Idemque habetur in pleri[s]que aliis Hospitalibus, nempe, S. Jacobi Incurabilium, Sanctissimæ Trinitatis peregrinorum, & convalescentium S. Rocchi, Salvatoris, Consolationis, & aliorum, in quibus, & præsertim in tribus, prioribus adsunt Judices, qui esse solent etiam Prælati.

Particularem quoque Judicem deputatum a suo Cardi-
5 nali Protectore, cum magna audientia, & figura Tribunalis, habet insignis Archiconfraternitas Annunciatæ, ob continuas controversias, quæ contingunt, occasione dotium, quas ipsa in tam magno numero distribuit pauperibus puellis, justa ea, quæ super civilibus quæstionibus, in dotali materia insinuantur. c Ac etiam super eorundem dotium conservatione, vel assecuratione, adversus creditores ipsarum puellarum, quod etiam contingit in plerisque aliis piis Societatis simile institutum profitentibus; Nempe (e.g.) Confalonis, S. Hieronymi, Charitatis, Crucifixi, B. Mariæ de Planctu, B. Mariæ de Monte Carmelo, Rosarii, cum plerisque aliis in magno numero.

Considerabilis videtur jurisdictio Cardinalis Protectoris Hospitalis Senum, sub invocatione S. Sixti, quod a Sixto
6 Quinto erectum fuit, dum duplicem deputat judicem, unum scilicet civilem, & alterum criminalem, cum jurisdictione in universo Statu Ecclesiastico, singulisque locis, in iis quæ concernunt bullum aleatum lusoriarum, quod ex Apostolica concessione, ejusdem Pontificis Sixti obtinet, quoniam ita huic foro privative, cum exemptione ab aliis subjacent Appaltatores, ac subappaltatores, Commissarii, & alii ministri circa ministerium hujusmodi alearum, aliquibus provinciis, vel Civitatibus exceptis, ut in Regalium sede pluries insinuatur. d Ac etiam in Urbe, & locis adjacentibus aliquam habet jurisdictionem super iis quæ concernunt consimilem gabellam, quam ex ejusdem Pontificis concessione possidet super lignis, tam combustibilibus, quam fabrilibus, sive per flumen, sive per terram introducantur, & super quibusdam aliis speciebus, quæ per ejusdem fluminis navigationem introducantur, ut in eadem Regalium sede habetur mentio, & sic est quædam jurisdictio, quæ latius patet dum restricta non est ad solas personas loco pio adductas, sive ad sola bona differentia, quæ ab ipsis possideantur, ut in aliis contingit. d

Prout etiam alicujus latitudinis, & præsertim cum populo Hebræorum, vivente in Urbe, aliisque partibus Status Ecclesiastici, est jurisdictio Cardinalis Protectoris Col-
7 legii Neophytorum, dum ultra illam, quam habet cum personis in eo collegio viventibus, ejusque servientibus ac ministris, & in iis, quæ concernunt bona, & jura ab eo possessa, jurisdictionem habet cum dictis Hebræis in illis, quæ concernunt personas eorum, qui ad Christianam fidem conversi sint, ac circa bona, & jura ad eos pertinentia, quæ cum aliis Hebræis possideantur, sive ex

... *Card. de Luca, Lib. XV.*

successione in eos obveniant; Vel quod eos neophytos a pio proposito avertere satagant.

Item multa similia adsunt loca pia, & Monislium, seu puellarum Monasteria, & Conservatoria, quæ ex Apostolico indulto suos habent Protectores, a quibus Judices particulares deputantur, cum simili cognitione, seu jurisdictione privativa; Ut sunt (e.g.) Hospitale amentium; 8
Collegium orphanorum; Conservatoria puellarum SS. Quatuor, & S. Euphemiæ; Monasterium S. Susannæ; Ac etiam Academiæ Pictorum complexivæ plurium exercitiorum, quæ tendant in idem, vel approximent, ut in Regalium sede advertitur; e Et pleraque alia, quæ forsan tædiosum esset minutatim reassumere.

Collegium Germanicum est sub protectione quatuor Cardinalium, atque habet suum judicem particularem privative, cum amplis facultatibus, aliaque similia adsunt.

Nimium ampla, & considerabilis jurisdictio, omnibus præmissis major, in provincia tamen Marchiæ, alisque 9
locis adjacentibus, potius quam in Curia, est illa Cardinalis Protectoris Almæ Domus Lauretanæ; Et de qua particulariter agitur in rerum jurisdictionalium sede, ubi videri poterit. f

Ibique etiam agitur de jurisdictione Cardinalium Protectorum duarum insignium capellarum existentium in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris, Sixtinæ scilicet, & Pauli- 10
næ, adeout sub quæstione sit, an constituant territorium separatum ab ipsa Basilica ex ibi deductis, g cum plerisque similibus protectionibus, quæ sunt in usu.

Quamvis enim regula sit, quod protectio non tribuit jurisdictionem, vel fori competentiam; attamen illa ex Apostolicis indultis recipit limitationem, quæ varia est, pro ipsorum indultorum majori, vel minori amplitudine, ideoque certa regula desuper statui non potest.

Adsunt quoque Cardinales Protectores Religionum, 11
quibus quædam jurisdictio quamvis non contentiosa; sed eo more, qui inter Religiosos adhibendus est, competit, atque ejus exercitium, solet esse majus, & minus, pro ipsorum Protectorum genio, vel stylo, super religiosorum recursibus adversus superiores; Aliqui etenim consuetudinem habere solent se ingerendi in omnibus, etiam minutiis, gerendo potius partes Superiorum, ac Prælatorum localium; Alii vero, (& commendabilius) gerunt partes Protectoris, protegendo scilicet Religionem, ejusque jura, & privilegia tuendo, ac etiam in gravibus occurrentiis invigilando, cum regulis prudentialibus potius, quam cum jurisdictionalibus, ne subditi a Superioribus opprimantur; Ac etiam ut illis occurratur inconvenientibus, quæ religioni in universum præjudicare possunt.

Quandam Tribunalium speciem constituere, seu figuram facere videntur, in forma tamen magis extrajudiciali, 12
& non contentiosa, Superiores Generales Religionum, qui pro magna parte resident in Curia, apud Pontificem; cognoscendo, & decidendo controversias, quæ inter Religiosos occurrant, & quorum plerique a Provincialibus, vel localibus superioribus se oppressos opinantes, ad Generalem recurrere solent, ejusque conspectui se præsentare, sive coram eo se constituere, quandoque se constituendo formiter in carcere, adeout transportato processu, adhibeatur formalis cognitio causæ.

Frequentiores autem disputationes, etiam forensi more, cum Advocatis, & Procuratoribus, ac Assessoribus respective, haberi solent occasione electionum, quæ in partibus sequantur, Superiorum Prælatorum Provincialium, 13
& localium, quæ ipsius Generalis confirmationem de necessitate exigunt, unde propterea electio non sit pacifica, ideoque pro frequentiori praxi illa factionaria minor pars quæ succubuit, eam impugnare solet, ut infirmanda potius quam confirmanda sit, hujusmodi disputationes assumendo coram Generali, priusquam adeatur Sacra Congregatio Regularium, ut de ipsa agendo superius insinuatum est; idque præsertim pro frequentiori praxi contingere solet in Religionibus S. Dominici, & Minorum Observantium, ut in rerum regularium sede advertitur. h

Monasterium Mulierum Pœnitentium, quæ vulgo Convertitæ nuncupantur, suum habet Judicem cum Notario, & fiscali aliisque ministris super necessaria successione illarum mulierum, quæ vitam inhonestam ducunt juxta ea, quæ in sede testamentorum, & alibi insinuantur.

a *de hoc Monte pietatis Urbis ejusque regimine, & judice habetur sub tit. de tutor. & administrator disc. 15. tit. de credito, disc. 68. de testam. disc. 40. tit. de Miscell. Ecclesiast. disc. 36.* b *de quæstionibus disputatis coram*

isto judice habetur tit. de locat. & conduct. dis. 50. tit. de fideic. & alibi. c tit. de dote, disc. 7. & seq. d tit. de Regal. disc. 79. & 80. de isto hospitali dictisque appaltibus, tit. de Regal. disc. 79. & duob. seq. & seq. & alibi. e tit. de Regal. disc. 99. f tit. de jurisd. disc. 33. g tit. de jurisd. disc. 33. & 19. h tit. de Regul. disc. 10. & seq. i tit. de testam. disc. 39.

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Constitutio Moderatoria facultatum Protectorum Ordinum Regularium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

CHristi fidelium, qui spretis sæculis hujus illecebris sub suavi Religionis jugo Divini Numinis sese manciparunt obsequiis, salubriori regimini, & felicioribus in Domino progressibus, quantum nobis ab Alto conceditur, prospicere satagentes, inter multiplices curas, quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obsidemur, ad illam quoque nostræ considerationis aciem dirigimus, per quam hujusmodi Religiosorum Ordines S. R. E. Cardinalium protectioni commissi, ita ejusdem protectionis perfruantur subsidio, ut claustralis disciplinæ vigor illibatus permaneat, Institutique observantia sartatecta servetur, ac propterea, quæ curæ hujusmodi Protectorum, & quæ censuræ superiorum regularium respective, & magis apte conveniunt, congrua distinctione ordinentur, seu potius, quæ respectu Ordinis, per Romanos Pontifices Prędecessores nostros provide desuper ordinata noscuntur, quo ad illum confirmationis nostræ munimine constabiliantur, & quod ad eundem, & alios Ordines pręfatis Protectoribus, sive similiter, sive dissimiliter commendatos, pro una, eademque regula, ad limites tamen præsentium, pariformiter constituantur.

Sane licet Sanctus Franciscus de Assisio in ejus Regula, per Sedem Apostolicam confirmata, hisce verbis præceperit per obedientiam, Ad hoc injungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinalibus, qui sit gubernator, protector, & corrector istius Fraternitatis, ut semper subditi, & subjecti pedibus ejusdem S. R. E. stabiles in Fide Catholica paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Evangelium Domini 4 Nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus. Nihilominus nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri Protectores hujusmodi facultates declarandas finesque, quibus illæ concludi deberent, præscribendos esse, in Domino existimarunt, suisque desuper editis literis decreverunt.

Cum enim aliqui eorundem Protectorum suam potestatem nimium extendisse dicerentur in pluribus, ex quibus in ordine Minorum graves perturbationes, & scandala fuissent exorta fel. rec. Gregorius Papa XI. Predecessor Noster suis sexto Kal. Junii Pontificatus sui anno tertio expeditis literis, ut idem Ordo in sua primæva quiete per- 5 maneret, de virtute in virtutem iret assidue, & quibuslibet amotis præpedimentis, eradicatisque spinis, & tribulis, fructum non solum consuetum, sed etiam uberiorem, afferret, ad radicalem submotionem turbationum, & scandalorum ejusmodi jam exortorum, & ne oriebur imposterum, providere, ac ejusdem Ordinis pro tempore existentibus Protectoribus transgressionis suæ potestatis occasionem tollere efficaci remedio cupiens, Auctoritate Apostolica eisdem Protectoribus districtius inhibuit, ne præsumerent quæcunque ordinata, statuta, sive disposita, aut ordinata, statuenda, seu disponenda per generalia, vel provincialia, aut custodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, suspendere, aut dispensare super ipsis, seu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, nisi contra præmissos articulos in præfata regula, ut præfertur, positos, vel aliquem ipsorum existeret manifeste.

Aut quemcunque Prælatum, seu officialem dicti Ordinis, seu alicujus loci ejusdem quocunque nomine nuncuparetur, ponere, seu instituere, aut deponere, destituere, seu privare, aut a suo officio suspendere, seu impedire super ejus libero exercitio quovis modo.

Aut aliquem Fratrem Ordinis antedicti ad lectoratum, aut quamcunque lecturam, seu studium, vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, seu etiam revocare.

Aut de loco ad locum mittere, aut mutare, sive alicui Fratrum eorundem eundi ad quodcunque Monasterium, vel locum alium, vel domum, vel aliquam personam, licentiam impartiri.

Et ne insuper quemvis singularem Fratrem memorati Ordinis e quocunque crimine, vel delicto punire, vel a pœna, seu pœnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel imminuere.

Aut etiam alicui Fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel ejus usui deputare.

Aut quemcumque per Prælatos ejusdem Ordinis, aut alios deputatum, quomodolibet amovere.

Nec etiam de rebus, aut correctione Fratrum dicti Ordinis, nisi in casibus premissis contentis in præfata regula, seu eorum aliquo se aliquatenus intromittere quovis modo, itaut dictus Ordo, seu Fratres ejusdem Ordinis in nullo subessent futuris protectoribus, nisi in casu, in quo ipsorum Fratrum Communitatis, vel generale Capitulum (quod abesset) a prædictis articulis, vel eorum aliquo deviassent, alioquin si secus fecissent, id decrevit irritum, & inane.

Et nihilominus Fratres, qui contra ejusmodi inhibitionem ejusmodi usi fuissent etiam per alios impetratis, punirentur illis pœnis, quibus fuissent pro gravibus culpis secundum statuta dicti Ordinis puniendi, & nihilominus essent actibus privati legitimis, & a suis, si quæ habuissent, suspensi officiis ipso facto.

Cæterum memoratus Gregorius Prædecessor eosdem futuros Protectores hortatus fuit attentius quod per facti efficaciam sic nominis sui officii procurarent effectum, ut Ordo ipse per eos non læderetur in aliquo, sed potius ab adversis, pro tempore forsan imminentibus, suo opportuno defensionis clypeo protegeretur, & a noxis præservaretur; sic acturi provide, & æquitatis, & modestiæ limites servaturi, ut non traheretur ad noxam quod provisum fuerat ad salutem, sed ex charitativis gestis eorum Ordo præfatus quietem, & consolationem perciperet, & ipsi Protectores magnum apud Deum præmium sortirentur, & super contrario non oporteret dictæ Sedis providentia aliud remedium adhibere.

Successive rec. memor. Sixtus Papa IV. etiam Prędecessor noster, qui cum sibi in minoribus constitutos memorati Ordinis generalis cura, & administratio incubuisset, saluberrimum, opportunum, & necessarium dicto Ordini fuisse conspexerat, ut protectores ultra præfixam ab ejusdem Ordinis regula auctoritatem non extenderent, nam expertus fuerat, & viderat, quanta pax, quantas utilitas, quantaque commoda, pręfato Ordini, & Fratribus ejusdem ex firma, & inconcussa prefatarum literarum dicti Gregorii pariter Prædecessoris observantia provenerant, quæ, & quantæ perturbationes, jacturæ, incommoda, damna, & gravia scandala in dicto Ordine suscitata fuerant, quoties illius Protectores suæ auctoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti Ordinis, & Fratrum ejusdem causis, & negotiis se intromittere, & usurpata sibi auctoritate ea videre, cognoscere, judicare, & decernere voluerant; Cupiens ut Religio, & Ordo præfatus, quem affectuosissima charitate complectebatur, utpote quia in ea a teneris annis enutritus, & doctrina, ac regularibus disciplinis, & moribus instructus fuerat, quieto consisteos statu, virtutibus, & meritis augeretur, & multiplicaretur ut Fidei Catholicæ, & Christianæ Reipublicæ augmentum, & multiplex, ac solidum fundamentum ex ejusdem Ordinis Fratrum operibus, & exemplis sapientia, & splendore, ac fructuosis studiis, & prædicationibus proveniret, promptissimo, & liberali animo uti dignum censuit, & debitum, ut ea, quæ pro ipsius Ordinis quiete, pace, tranquillitate, & prosperitate a Romanis Pontificibus Prędecessoribus provide statuta, & ordinata fuerant, illibata perdurarent, suæ approbationis munimine solidavit, interpretatus fuit, & declaravit, prout ipsius Ordinis tranquillitati conspexit salubriter expedire.

Præmissa igitur dictarum memorati Gregorii Prædecessoris literarum insertione, ac prævia hujusmodi narrativa, idem Sixtus Prædecessor, ut de cætero ipsius Ordinis professoribus omnis evagandi extra Religionem occa-

occasio tolleretur, & vera suis Prælatis obedientia, in qua Religionis verum, & solidum firmamentum, & robur consistit, exhiberetur, præfatique Ordinis, & Fratrum ejusdem negotia, & causæ non alibi, neque per alios, quam in ipso Ordine, & per ipsius Prælatos tractarentur, agitarentur, judicarentur, & determinarentur, tunc existentis generalis dicti Ordinis Ministri, & totius generalis Capituli in hac parte supplicationibus inclinatus, inhibitionem, ac literas præfatas memorati Gregorii prædecessoris auctoritate Apostolica, suarum tenore literarum approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit.

Et per eas Protectori præfato pro tempore existenti nisi in illis casibus, & articulis in regula dictorum Fratrum expressis, & præfati Gregorii Prædecessoris literis declaratis, neque in illis, dum non universi, sed aliqui ipsius Ordinis professores in quovis numero a Fidei unitate, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia deviarent, vel regulam præfatam non servarent, sed de eorundem deviantium, & non observantium regulam correctione, aut reductione, ac aliis quibuslibet causis, & negotiis dicti Ordinis se intromitteret, inhibitum fuisse, dicta auctoritate decrevit, & declaravit.

Hortatusque fuit illum, qui ad officium Protectionis hujusmodi, quod tunc per obitum bon. mem. Bessarionis Episcopi Sabinensis dicti Ordinis, dum viveret, Protectoris, vacabat, assumi, & deputari contigisset, & ipsius successores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo inhibuit, ne extra prædictos articulos, & casus in regula præfata contentos, & expressos, nec etiam in illis, cum non universus Ordo, sed aliqua ipsius pars, vel speciales personæ errarent, ipsorum Fratrum querelas audire, seu de ipsorum causis, & negotiis contra literas, & declarationes hujusmodi intromittere se quoquo modo præsumerent, sed curarent, vigilarent, & intenderent, uti erat eorum officium, & prædicti Sancti Francisci, & præfatæ Sedis intentio fuerat, ipsum Ordinem in quieto, tranquillo, & pacifico statu conservare, & augere ab, & impugnantibus, molestantibus, & perturbantibus protegere, defendere, & tueri, ne secus agendo Ordinem præfatum non solum non protegerent, conservarent, & exaltarent, ut tenebantur, sed in animarum suarum perniciem, & dicti Ordinis detrimentum, & scandalum perturbarent, destruerent, & confunderent, ut in ejusdem Sixti prædecessoris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, quinto Kal. Februarii, Pontificatus sui anno secundo, expeditis literis continetur.

Quas, ac alias præfatas memorati Gregorii Prædecessoris literas piæ memor. Julius Papa II. etiam Prædecessor noster, qui in minoribus constitutus Cardinalatus honore fulgens, dicti Ordinis Protector viginti sex annis, & ultra fuerat, dictosque Fratres tanquam peculiares filios in visceribus charitatis gerens, eadem commoda, & tranquillitatem sinceris affectibus exoptabat, prævia ambarum præfatarum insertione, aliis suis literis sub Dat. Anno Incarnationis præfatæ millesimo quingentesimo octavo, Idibus Octobris, Pontificatus sui anno quarto, approbavit, ac earundem suarum literarum patrocinio communivit.

Cupientes itaque, ut pluries animo attente revolvimus, etiam in hac parte Apostolicæ sollicitudinis studium apponere, ac nolentes salutaris provisionis remedium jam diu a Nobis præmeditatum, ac etiam a quampluribus diversorum Ordinum Regularibus, suppliciter petitum, diutius differre, dictorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum vestigiis inhærentes, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrina, prudentia, & rerum usu præstantium ad hunc effectum de mandato nostro congregatorum consilio, præfatas memoratorum Gregorii, Sixti, & Julii Prædecessorum literas tenore præsentium approbamus, confirmamus, innovamus, & ad primævum statum, pristinumque usum reducimus, & reintegramus; illisque in omnibus, & per omnia perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Insuper, ut in omnibus, & singulis quorumcunque Regularium Ordinibus memoratorum Protectorum curæ commissis, seu committi consuetis, una, eademque, & pariformis, hujusmodi Protectionum sit, & perpetuo esse debeat regula, & disciplina, omnia, & quæcumque tam in præfatorum Prædecessorum, ut præfertur, confirmatis, quam in præsentibus nostris literis contenta, in omnibus, & singulis, sive Sancti Francisci, sive cujuscunque alterius Regulæ, vel Instituti, ac quomodocunque erectis, reformatis, seu existentibus, ac erigendis, reformandis, seu futuris, & quomodolibet nuncupatis, seu nuncupandis Ordinibus, Religionibus, Congregationibus, vel Reformationibus, tam virorum, quam mulierum, Protectorum, Ordinis, cujus illi, seu illæ existunt, generaliter commissorum, seu commissarum, observanda, attendenda, ac omnimodæ executioni demandanda esse, & fore, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, hac in perpetuum valitura Constitutione sancimus, & mandamus. Et nihilominus ne hujusmodi Protectores in aliquibus negotiis, causis, seu rebus, quæ universum Ordinem, seu totum corpus Religionis non concernunt, ex quacunque causa, occasione, titulo, seu prætextu sese quoquo modo intromittant, seu ingerant, etiam tenore præsentium penitus prohibemus, statuimus, atque decernimus.

Hinc cum, retenta præfatarum a Nobis confirmatarum, & ad omnes Ordines Regulares extensarum, ac præsentium nostrarum literarum themate, congruere, & in consequentiam venire videatur, ut memorati Protectores etiam a cognitione, & definitione causarum, seu litium, vel negotiorum dictos Regulares, vel eorum bona, jura, domos, aliaque ut præfertur particulariter concernentium pariter, seu magis abstinerent. Vice autem versa, causæ, lites, instantiæ, petitiones, vel negotia hujusmodi, sive ex indultis, privilegiis, aut Constitutionibus Apostolicis, sive ex Regulis, vel Statutis, seu Ordinationibus aliquorum Ordinum, sive ex declarationibus, vel decretis dictæ S. R. E. Cardinalium aliquibus Congregationibus præpositorum, sive ex usu, vel quacunque consuetudine, in aliqua instantia, seu gradu cujuscunque appellationis, vel recursus a memoratis Protectoribus, seu eorum aliquibus hactenus cognita, examinata, seu judicata fuerint, vel cognosci, examinari, seu judicari potuisse, vel debuisse dignoscerentur, seu prætenderentur: Propterea ut modus, forma, & ordo in præfatis confirmatis, & extensis, ac præsentibus nostris literis constituti, suum plenarium, & consimilem etiam in hac parte sortiantur effectum, omnibus, & singulis præfatis Indultis, Privilegiis, Constitutionibus, Regulis, Statutis, Ordinationibus, Declarationibus, Decretis, usibus, & consuetudinibus, quorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene, & sufficienter expressis habemus, plenissime, & amplissime motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, illis alias in suo robore permansuris, ac quamcunque instantiam, sive gradum cujuscunque appellationis, vel recursus coram Protectoribus, seu ad Protectores hujusmodi, removentes, tollentes, seu resecantes, quamcunque instantiam, prout de jure, & juxta ordinis instituta relinquimus, & cujuscunque appellationis, seu recursus gradum, quem singulis Cardinalibus Protectoribus tenore præsentium omnino, & absolute adimimus, ipsis Cardinalibus, insimul tamen in Congregatione negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita convenientibus, eorundem tenore præsentium restituimus, concedimus, tribuimus, & impartimur, seu verius utrumque, seu duplicem appellationis gradum, qui super præmissis prius ad Cardinales Protectores præfatos, & successive, vel respective, omisso medio, ad memoratam Congregationem devolvebantur, in eadem Congregatione consolidamus, annectimus, & unimus, & ad unum cognitionis, seu appellationis gradum reducimus.

Ad hæc cum pariter ex Indultis, Privilegiis, seu Constitutionibus Apostolicis, vel ex Regulis, Statutis, seu Ordinationibus, sive ex usibus, & consuetudinibus, vel alias quoquomodo, aliqua nonnullos Prælatos, Superiores, seu alios in aliquibus Ordinibus eligendi, seu deputandi, vel alia quæque facultas, seu auctoritas nonnulla quæcunque gerendi, committendi, mandandi, demandandi, seu ordinandi præfatis Protectoribus, seu ali-

quibus

quibus eorum quomodolibet attributa, commissa, commendata, seu demandata specialiter, vel generaliter contra formam præfatarum Gregorii, Sixti Prædecessorum literarum existat; Hinc Nos hujusmodi electiones, seu deputationes ad limites Sacrorum Canonum, seu Regularum, & Instituti, vel ad modum, & formam in Comitiis generalibus, seu per nos auctoritate Apostolica statuendum, & statuendam reducimus, & reductas esse volumus, & mandamus; Quo vero ad cætera, facultatem, seu auctoritatem, quam iisdem singulis Cardinalibus Protectoribus in præmissis, & circa ea penitus adimimus, eorundem Cardinalium Congregationibus, juxta cujuslibet Congregationis facultates, congrua congruis referendo, similiter restituimus, concedimus, attribuimus, & impartimur, sub ea tamen moderatione, seu declaratione, ut præfatæ Congregationes in illis duntaxat, quæ ad Protectores hujusmodi ex Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, seu ex Statutis, Regulis, vel Constitutionibus cujuslibet respective Ordinis, non autem ex usu, consuetudine, vel alias spectarunt, loco eorundem Protectorum subrogantur, & subrogatæ sint, & intelligantur.

Quia vero sępe sępius contingit, ut in Caussis, seu negotiis, quæ in memoratis dictorum Cardinalium Congregationibus proponuntur, exquiratur super expositis informatio, ac quandoque etiam votum, seu delegetur resolutorum executio, eandem proportionem, seu distinctionem, quam pręmisimus, etiam in hac parte servari mandamus, ut nimirum in respicientibus totum Ordinem Protectorum Curiæ, ut præfertur, commissis, seu relictis, iisdem Protectoribus; In cæteris vero Caussis, & Negotiis, Superiori generali, sive Procuratori generali, & in utroque, seu alterutro casu, etiam Congregationi, sive Assistentium, sive Definitorum, sive Consultorum, sive aliter quomodocumque nuncupatæ hic in Urbe, vel in alio Italiæ loco existenti, in qua Ordinis negotia tractantur, seu tractari solent, vel debent, & quo ad illos Ordines, in quibus hujusmodi insimul, & continue conveniens Congregatio non existit, seu existit, sed extra Italiam, eidem Procuratori Generali, vel soli, insimul etiam nonnullis aliis ejusmodi Ordinis Superioribus, seu Prælatis, tametsi in diversis locis in Italia, seu extra eam respective, ut pręfertur, commorantibus; arbitrio semper cujuslibet ex pręfatis Cardinalium Congregationibus juxta rerum, locorum, & personarum qualitates, & circumstantias respective, informatio, & Votum ut præfertur, necnon executio hujusmodi, congrua congruis referendo, & servata cæteroquin quoad singulos Ordines forma propriæ Regulæ, statutorum, seu instituti, remittatur, delegetur, seu committatur.

Perpendentes etiam Christianæ Reipublicæ prę cęteris expedire, ut Ordinibus Regularibus Prelatis inculpatę vitę, morumque integritate, virtutibus, meritis, rerumque experientia prestantiores, & aptiores preficiantur, & ad hunc effectum omnimodam, & ab humanis respectibus undequaque immunem, & sacrosanctam libertatem in illorum electionibus, nedum mirabiliter conferre, sed requiri, memoratos Protectores in Domino hortamur, & enixe obsecramus, ac Electoribus pariter in Domino, & in virtute Sanctę Obedientiæ districte præcipimus, seu hortationes, obsecrationes, & præcepta hujusmodi renovamus, ut in Comitiis presertim generalibus, quibus eosdem pro tempore presidere, & respective interesse contigerit, nedum inter se, & aliis intra claustra degentibus, sed externis ipsis quibuscunque etiam Laicis, quacunque majestate, pręeminentia, gradu, dignitate fulgentibus, propriæ indifferentiæ, ac unici in Dei gloriam, & Religionis bonum respectus, ita se prębeans singularem speciem, & exemplar, talemque hujus rectæ intentionis, & melioris operationis odorem diffundant, ut illi propterea vexationes, & importunas commendationes, uti Spiritus Paraclitus spirat, & presidet, inutiles, & incongruas esse, seu forte, certius agnoscentes, ab iisdem prorsus abstineant, sed desistant, indeque tam intrinsecus, quam extrinsecus, omnibus vexationibus, commendationibus, machinationibus, humanisque finibus eliminatis, & expulsis, integra, illibata, & intacta Vocalibus remaneat eligendi facultas, & tam Superioris Generalis, quam aliorum respective Prelatorum, undequaque libera, optima, & canonica sequatur electio, ad quam cum Voto, si quod, & eo modo, quod Protectori juxta cujusque Ordinis Regulas, Statuta, vel alias competit, Deum, ejusque honorem, & gloriam duntaxat prę oculis habens, concurrat; Nolumus tamen absentium vota, nec Protectores, nec cujuscunque alterius, nec etiam ipsarum Cardinalium Congregationum auctoritate suppleri, seu alios Vocales eorundem absentium loco, seu vice subrogari, deputari, seu eligi, sed jus eligendi in solis, juxta juris, Instituti regulas ad hunc effectum assumptis, & in destinatis loco, & tempore convenientibus consolidari, seu alias, prout de jure, permanere omnino volumus, & mandamus.

Ut autem præmissa omnia, & singula eo magis debitum consequantur effectum, & executioni demandentur, ac ad majorem cautelam, seu declarationem, omnia, quæcunque, & singula, quæ in pręmissis confirmatis, ac extensis, præsentibus nostris literis sunt quo modo explicite, vel implicite memoratis Protectoribus interdicta, in posterum annullamus, cassamus, & irritamus, seu potius nulla, cassa, inania, irrita, nulliusque roboris, & momenti ipso jure, & ipso facto omni meliori modo declaramus, atque decernimus; Mandantes iisdem nunc, & pro tempore in futurum existentibus Protectoribus, ne cuncta, vel singula præmissa quoquo modo injungant, faciant, mandent, committant, permittant, sive tolerent; necnon quibuscunque Regularibus utriusque sexus, tum Superioribus etiam Generalibus, tum Subditis, iisdem omnibus, & singulis ut pręfertur præmissis pareant, obediant, morem gerant, adhęreant, seu illa tolerent, vel permittant, sive omnia, vel singula præmissa quæcunque, fiant, seu attentenur per sententias, vel decreta, sive in forma judiciali, sive extrajudiciali, tam per patentes, quam per privatas literas, seu epistolas, sive per seipsos, sive per quoscunque alios, nedum per viam præcepti, jussionis, mandati, vel commissionis, sed etiam commendationis, & sive palam, sive secrete, tum in quibuscunque scriptis, tum oretenus, & tam directe, quam indirecte, mediate, vel immediate, ac aliis quibuscunque formis, & modis, nihil penitus omisso, pręfatorum omnium conscientias desuper onerantes.

Propterea omnes quascunque, & singulas facultates, auctoritates, & jurisdictiones quomodocunque, qualitercunque, & quandocunque, tam in genere, quam in specie omnibus, & singulis ante hac, sive nunc existentibus Protectoribus hujusmodi, & tam eorum personis, quam gradui, muneri, vel Officio concessas, & attributas, vel communicatas, seu ab aliis quoquo modo exerceri consuetas, etiam speciali, & individua mentione, moderatione, seu revocatione dignas, earundem omnium, & singularum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plene, & sufficienter expressis habentes, in omnibus, & singulis, quæ præmissis adversantur, moderamur, reformamus, & ad limites, modum, formam, & tenorem præsentium reducimus, & pro sic moderatis, reformatis, & reductis haberi, censeri, & intelligi volumus, & decernimus, Sicque pariter, & non alias quam servata forma præsentium, & omnium, ac singulorum in illis contentorum facultates, jurisdictiones, & auctoritates hujusmodi, necnon deputationes eorundem Protectorum in posterum quomodocunque concedendas, attribuendas, seu communicandas, & respective faciendas, observari, attendi, intelligi, & exequi omnino volumus, & mandamus.

Quo circa prefatæ Congregationi memoratorum negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, Cardinalium, & dilecto filio Curiæ Caussarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus omnibus, & singulis pręmissis semper salvis, & in suo robore permanentibus, Congregatio, vel Auditor pręfati præsentes literas in ea parte, quæ prædictam moderationem, seu limitationem facultatum Protectorum hujusmodi, ac in contrarium desuper ab iisdem Protectoribus gerendorum, nullitatem, seu irritationem duntaxat concernunt, ubi, & quando opus fuerit, quoties pro parte quorumcunque desuper interesse habentium Congregatio, vel Auditor pręfati fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque desuper efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes in dicta parte duntaxat firmiter observari, & singulos, quos eædem literæ in dicta parte concernunt, illis pacifice gaudere, non permitten-

mitten-

mittentes eos quomodolibet indebite molestari, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Decernentes, easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod omnes, & singuli supradicti, ac alii quicunque cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, nec ab eo vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quacunque juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, causa, & occasione, colore, prætextu, titulo etiam oneroso, & captae etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo substantiali, essentiali, & formali, aut incogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam revocari, ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullatenus posse, sed easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcunque semper, & perpetuo firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quandocunque, & quomodocunque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & quoscunque Nuntios, & Cardinales etiam de latere Legatos; necnon quascunque eorundem Cardinalium Congregationes, & quosvis alios qualibet auctoritate, præeminentia, & potestate fungentes, & quandocunque functuros; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus, & singulis præmissis; & quatenus opus sit, nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & signanter illa de jure quæsito non tollendo, & alia, quod Cardinales in Constitutionibus, & regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illæ eorundem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ edendæ Constitutiones de illorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, aliisque quibuscunque etiam in Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, etiam Apostolicis, necnon quorumcunque, & singulorum Ordinum Regularium, Religionum, Congregationum, seu Reformationum Institutis, Regulis, Statutis, Decretis, & Ordinationibus quibuscunque etiam in limine erectionis, fundationis, seu reformationis, etiam in Comitiis Generalibus quoquo modo factis, ac usibus, stylis, & consuetudinibus quibuscunque etiam centenariis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apostolicis quibuscunque sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet, in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiscunque vicibus innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, servatis & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, reductionum, reintegrationis, sanctionis, mandatorum, prohibitionis, statuti, decretorum, perogationum, voluntatum, ademptionum, restitutionum, concessionum, consolidationis, annexionis, unionis, hortationis, obsecrationis, præcepti, renovationis, annullationis, cassationis, irritationis, declarationis, onerationis, moderationis, & reformationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio; quartodecimo Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Indictione secunda, die vero decimaseptima Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno Tertio; Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Jo: Baptistam de Comitibus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Petrus Cannamellinus Curs. Magister.

De foro militari, sive de jurisdictione Generalis Ducis S. Romanæ Ecclesiæ; Ac etiam Ducis triremium; Et Custodis Arcis Adrianæ, vel S. Angeli; Et Commissarii armorum.

S U M M A R I U M.

1 *Quare Papa retineat Milites, & adhibeat arma.*
2 *De Capitaneo generali militiæ terrestris.*
3 *De illo triremium.*
4 *De Castellano S. Angeli.*
5 *De Prælato commissario armorum.*
6 *De jurisdictione dictorum Ducum, & de foro militari.*
7 *De eodem Castellano S. Angeli.*
8 *De Curia Burgi.*
9 *De Curia Marescialli, vel Sabellorum.*
10 *In quo differant milites Papæ ab aliis militibus.*

D I S C. XLIII.

Quamvis Summus Pontifex sit Princeps Ecclesiasticus, & pacificus, qui ab armorum usu, quo magis 1 fieri potest, abstinet, quoniam Ecclesia Dei non est gubernanda more castrorum, atque arma Clericorum sunt, vel esse debent, orationes, lacrymæ, & jejunia, ideoque præcipuum Pontificis munus in eo versetur, ut alios Principes Christianos in pace conservet, atque bella inter eos componat; Attamen cum sit etiam Princeps temporalis Ditionis Ecclesiæ, quæ ex notabili Italiæ parte constituta est, ultra ditionem Status Avenionensis, & Comitatus Venaisini; Hinc proinde cogitur (quamvis invitus) milites, eorumque Duces habere; Tum ad coercendos subditos inobedientes, & potentes; Tum etiam pro defensione, ab hosti-

hostibus fidei Ecclesiæ, & ab aliis, qui principatus quietem turbare vellent,

Habet itaque more aliorum Principatuum, Ducem Generalem universæ militiæ terrestris; Tam scilicet illius, quæ in singulis locis ex illa populi parte, quæ huic ministerio, magis apta sit, & qui milites vulgo de militia 2 dicuntur; Quam eorum qui in arcibus retineantur, qui dicuntur præsidiarii; Ac etiam eorum, qui pro extraordinariis indigentiis conducantur, ac retineantur, vulgo *de leva*, necnon militum pro custodia ipsius Papæ.

Alium quoque habet Ducem Generalem classis maritimæ 3 triremium, cui, juxta varios Pontificum stylos, committi etiam solet custodia locorum maritimorum, cum id tendere videatur ad eundem finem, ob quem ista classis triremium retinetur, occurendi scilicet incursionibus infidelium, & pyratarum; Aliumque habet qualificatum 4 militare ministrum, seu officialem majorem, qui deputatur ad custodiam Arcis Sancti Angeli, sub nomine, seu titulo Castellani,

5 Prout etiam, deputari solet unus ex Cameræ Apostolicæ Clericis, qui commissarius armorum dicitur, tanquam species Consiliarii, seu Assessoris dicti Ducis Generalis militiarum.

Habent itaque isti Duces utriusque terrestris, & maritimæ militiæ, illam jurisdictionem, quam ubique connatura- 6 lem habere videntur, cum inferioribus Ducibus ac militibus, juxta regulas fori militaris, quæ tamen ubique non sunt uniformes, dum majores, vel minores facultates, a singulorum Principatuum legibus, & stylis pendent; Unde desuper apud Doctores, quæstiones haberi solent, & præsertim circa prædictas locales militias, quæ ex populo electo singulorum locorum constituuntur, atque more reliqui populi, in eorum domibus vivunt, an scilicet, & quando intret iste status militaris privative ad Judices ordinarios locorum, a quibus exemptionem obtineant, quod aliqualiter in jurisdictionalium sede insinuatur, *a*.

Custos autem dictæ Arcis S. Angeli, non solum habet jurisdictionem cum militibus præsidiariis, aliisque offi- 7 cialibus, & ministris, qui in ipsa arce vivunt, sed etiam cum plerisque artificibus, & aliis per Urbem sparsis, qui ea gerunt ministeria hujus Arcis munitioni, ac servitio opportuna.

Item tota Civitas Leonina, quæ vulgo Burgus appellatur, ultra scilicet pontem dicti Castri S. Angeli; Et quæ pro custodia Palatii Vaticani constituit quandam speciem 8 munitionis, contradistincta a reliqua Civitate, sub dicti præfati Ducis Generalis jurisdictione esse dicitur, unde propterea, ratione populi, qui in hac parte Civitatis vivit, habebatur formalis curia, quæ Burgi dicebatur, cum Judicibus, civili, & criminali, ac fiscali, & Notario, & cum familia armata cum proprio Barisello, & carceribus; Verum a moderno tempore, sub Alexandro VII. sine præjudicio jurisdictionis, ac privilegiorum, ad tollendum inconvenientia, quæ ex hujusmodi Curiarum, & Tribunalium multiplicitate oriri solebant, istius Curiæ, seu partis civitatis regimen, ex quadam speciali delegatione, commissum est quoque Gubernatori Urbis; Ducto exemplo ab 9 Innocentio X. immediato Prædecessore, qui omnino suppressit aliud Tribunal, seu aliam curiam, quæ Marescalli, seu Sabellorum appellabatur, & cujus frequens mentio habetur apud illos præsertim Practicos, qui de rebus criminalibus agunt, & tamen hodie amplius non est in rerum natura; Talis est rerum mundi vicissitudo, atque morum, ac stylorum mutatio.

Ea tamen circa milites Papæ notabilis differentia dignosci videtur, ut non vigeat illa major incompatibilitas inter 10 militiam sæcularem aliorum Principum, & clericatum ad effectum vacationis beneficiorum, vel amissionis pensionum Ecclesiasticarum ex rationibus, & fundamentis, de quibus præsertim in pensionum sede. *b*

a *tit. de jurisd. disc. 78. & aliquid eod. tit. disc. 33. Rovit. in Rubric. pragm. 1. de militibus.*

b *tit. de pension. disc. 46.*

SS. D. N.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Constitutio moderatoria Donationum, & Distributionis redditaum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel Affines Romani Pontificis, seu eorum loco adjectos, ac præscribens cautelas servandas circa signaturas earum gratiarum, quæ aliquando ægrotante Romano Pontifice per concilium fieri dicuntur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem, tanquam fidelem servum, & prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam, Ecclesiæ Catholicæ conspectu actum suum ita ordinare, ut ipse quidem in diebus suis placeat Deo, & inveniatur justus, fiatque forma gregis ex animo, & bonus sit Christi odor in omni loco; Cæteri vero Antistites, & Ecclesiarum Prælati in partem solicitudinis, cujus ei commissa est plenitudo, vocati, aliique Christifideles, quos curæ suæ divinitus creditos in visceribus Paternæ gerit charitatis, ejus exemplo, atque præceptis caduca Mundi hujus despicere, carnisque, & sanguinis laqueos effugere, ac de bonis, & rebus Ecclesiasticis juxta æquitatis, & justitiæ leges disponere, & spiritualium remigio alarum ad cœlestia contendere, atque evolare auxiliante Domino condiscant. Hinc ad ea Sacrorum Canonum instituta, quæ Episcopis, ne bonis, & redditibus Ecclesiæ consanguineos suos augere studeant, interdicunt, considerationis nostræ aciem convertentes, eam Nobis in suprema Beati Petri Apostolorum Principia, cui caro, & sanguis non revelavit, Sede constitutis ab ipso Pontificatus Nostri primordio servandam proposuimus, & hactenus Deo adjuvante servare studuimus disciplinam, ut in bonorum, & redituum ad hanc Sanctam Sedem, & Cameram Nostram Apostolicam spectantium distributione, Justitiæ, atque Prudentiæ leges, & regulas accurate custodientes, summam meritorum, nullam autem carnis, & sanguinis, aut cujuscumque humani affectus rationem haberemus. Et licet in Dei misericordia speremus, tales Nobis successuros Romanos Pontifices, qui non minus hac in parte, quam in reliquis munus suum impleant, & Ecclesiam Universam spiritualium aromatum odore perfundant: Nihilominus ea, quæ Nobis licere non patimur, aliis inclinare, salubremque in Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre, & magistra circa præmissa normam, & legem constituere, atque stabilire decrevimus.

Habita igitur super his cum Venerabilibus Fratribus Nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum consilio pariter, & assensu ad Omnipotentis Dei gloriam, Apostolicæ Sedis honorem, ac Antistitum, Prælatorum, aliorumque Ecclesiasticorum ædificationem, & bonum exemplum, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, atque decernimus, salutarem hanc de cætero in dicta S. R. E. servari rationem, atque disciplinam, ut nec a Nobis, nec ab ullo Romanorum Pontificum Successorum nostrorum ad favorem nostrorum, sive suorum respective Fratrum, Nepotum, aliorumque quorumcunque Consanguineorum, seu Affinium, sive illorum, quos in locum Nepotum, aliorumque Consanguineorum per cooperationem in familiam, aut aliter adlegi, seu adsciri contigerit, de bonis, pecuniis, locis Montium vacabilium, & non vacabilium, Officiis venalibus, illorumque pretio, creditis, redditibus, rebus, & juribus quibuscunque ad Sedem, & Cameram præfatas quovis modo spectantibus, vel quandocunque spectaturis, etiam ex emolumentis Datariæ, Cancellariæ Apostolicæ, Secretariæ Brevium, Spoliorum Ecclesiasticorum, & quarumcunque Palatii Apostolici portionum, seu distributionum provenientibus, liberalitatis, & donationis, aliove quovis gratuito, seu lucrativo titulo directe, vel indirecte etiam servitiorum, & meritorum, quæ tamen talia non sint, ex lege justitiæ eam exigant remunerationem, aliove quolibet colore, seu prætextu, sive etiam supra veram ipsorum servitiorum, & meritorum rationem ullo modo in posterum disponantur.

Quod si Fratres, Nepotes, Consanguinei, vel Affines, seu illorum loco adlecti, sive adsciti præfati inopia laboraverint, poterit Romanus Pontifex pro tempore existens pro timorata sua conscientia illorum paupertatem eodem omnino modo sublevare, quo pauperum extraneorum inopiæ subvenire fas est.

Ne autem, quod directe prohibetur, indirecte permittatur magnorum stipendiorum, seu honorariorum nonnullis Sedis prædictæ Officiis, seu muneribus, quæ Consanguineis, vel Affinibus, seu adlectis, vel adscitis præfatis concedi, ut plurimum consueverunt assignatorum ratione, stipendia, provisiones, sive salaria, & honoraria,

taria, & alias quomodolibet nuncupari solita emolumenta quęcunque, quæ ante hac per Cameram prædictam in Civitate Avenionensi, & Comitatu Venaysino Nostris in Spiritualibus, & temporalibus Vicario Generali, ac in illis, & vicinis quinque Provinciis, ejusdem Sedis de Latere Legato præstari, & solvi plerumque solita, & consueta fuerunt; Superintendentis vero Generalis Negotiorum Sedis Apostolicæ, necnon totius Militiæ, tam Equestris, quam Pedestris Status Nostri Ecclesiastici Gubernatoris, & Capitanei Generalis, indemque classis, & Triremium Pontificiarum Præfecti, illiusque, & illarum Commissarii, & Locumtenentis Generalis, Arciumque, & Turrium ad littora Maris tam Adriatici, quam Tyrreni existentium Superintendentis Generalis, Præfecti quoque Generalis utriusque Custodiæ Corporis Romani Pontificis ejusque Locumtenentis Generalis, item Castellani Arcis Sancti Angeli de Urbe, Gubernatoris, ut alias deputabatur, Civitatis Beneventanæ, cujus tamen Gubernium ad instar aliorum prædicti nostri Status, prout impræsentiarum servatur, remaneat, & Arcis Beneventanæ Præfecti; Item Gubernatoris Oppidi Nostri Civitatis Vetulæ, ac demum Perusinæ, Anconitanæ, & Novæ Ausculanæ respective Arcium Præfecti, seu Castellani, Officia, & munera ipsa cum omnibus, & singulis illorum, & cujuslibet eorum Juribus, prærogativis, stipendiis, salariis, & emolumentis quibuscunque perpetuo supprimimus, & abolemus, illaque deinceps, quomodocumque, & quandocunque renovari prohibemus, nec cuiquam de cætero assignari, & præstari, seu concedi, & conferri respective volumus, atque decernimus. Quod si pro rerum qualitate, temporumque contingentia, manifesta, urgensque necessitas munera, seu Officia Militaria hujusmodi, vel aliqua ex eis de novo institui exegerit, Viros ad illa assumi volumus, & mandamus, strenuos, & fideles, eximia virtute pręstantes, reique Militaris apprime peritos, & in illa diuturno, ac probato usu exercitatos, quibus Romanus Pontifex pro tempore existens secundum datam sibi a Domino Sapientiam pro ratione laboris, industriæ, atque periculi competentia, & congruentia stipendia assignabit.

Porro si Nostri, Successorumque Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium Fratres, Nepotes, & alii quicunque Consanguinei, seu Affines, sive veri, sive ut pręfertur, adlecti, & adsciti, vitam Ecclesiasticam elegerint, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac annuarum pensionum super eorum fructibus consecutioni capaces fuerint, eam in redituum, & proventuum Ecclesiasticorum distributione eis facienda servari volumus moderationem, nonnisi juxta eorum merita, & non ultra, congruam pro gradus, vel dignitatis, quem, vel quam in Ecclesia obtinuerint, nullo ad consanguinitatem, affinitatem, seu adlectionem erga Romanum Pontificem habito respectu, sustentationem, ejusmodi redditus, & proventus Ecclesiastici eis distribuantur, quo custodita in omnibus Ecclesiasticæ disciplinæ, atque Justitiæ distributivæ regula, nemini relinquatur conquerendi, vel obloquendi occasio, sed Ecclesiastica stipendia ministrantibus in Ecclesia Dei ęqua lance pro uniuscujusque merito assignentur.

Quoad illos autem ex Fratribus, Nepotibus, aliisque Consanguineis, seu Affinibus Romanorum Pontificum pro tempore existentium præfatorum, sive veris, sive ut præfertur, adlectis, & adsciois, quos eximiis eorum ita exigentibus meritis ad sublimem Cardinalatus dignitatem assumi contigerit, eam quoque de cętero servari volumus moderationem, ut Ecclesiæ, Monasteria, Commendæ, aliave cujusvis generis beneficia, & Officia Ecclesiastica, ac pensiones annuę super illorum fructibus unicuique eorundem respective conferendę, commendandę, & concedendę, ac reservandæ, & assignandæ, verum valorem annuum duodecim millium scutorum monetæ Romanæ computatis insimul beneficiorum, & Officiorum quibuscunque fructibus, & pensionum quantitatibus, in totum non excedant; In ea tamen taxatione non comprehendantur emolumenta Officiorum ejusdem Apostolicę Sedis, & Romanæ Curiæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus demandari, seu concedi solitorum, aliorumque munerum, quæ ipsis non ad vitam, vel in perpetuum, sed ad tempus, seu beneplacitum Romani Pontificis pro tempore existentis demandata, seu concessa fuerint. Declarantes, quod deinceps pręfati qui vitam Ecclesiasticam elegerint, seu ad sublimem Cardinalatus dignitatem fuerint assumpti, quoscunque Titulos fructuum reservationibus gravatos, sive præventiuas, vel eventitias pensiones ultra moderationem, ut supra respective, præscripeam nullatenus assequi valeant.

Quod si forsan (quod absit) modus circa pręmissa sic congruenter, salubriterque præscriptus imposterum excedatur, curę erit Romanis Pontificibus Successoribus, donationes gratuitas, seu lucrativas dispositiones, excessivas subventiones, munerum, & Officiorum, seu illorum stipendiorum, & emolumentorum concessiones, ac reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum distributiones, necnon collationes, Commendas, concessiones, reservationes, & assignationes, aliaque pręmissa contra, vel ultra modum, ut præfertur, præscriptum factas, seu facta rescindere, revocare, & in nihilum redigere, ac ut pręfertur, donata, elargita, concessa, collocata, commendata, reservata, & assignata a Consanguineis, & Affinibus, sive veris, sive adlectis, & adscitis præfatis, eorumque hæredibus, & Successoribus respective etiam manu Regia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine vindicare, & auferre, ac Cameræ Apostolicę applicare, & incorporare, aliisque respective conferre, commendare, concedere, & assignare, ac alias desuper opportune providere, seu disponere.

Quia vero ęgrotante Romano Pontifice nonnunquam contingit, ut Signaturę gratiarum, quę per concessum fieri dicuntur, modum illum excederent, quem ipse Romanus Pontifex, dum bene valebat, servare consueverat; statuimus, atque decernimus, ut ii quibus ejusmodi Signaturas per concessum a Romano Pontifice ęgrotante etiam per Chirographum speciale manu ipsius Romani Pontificis subscriptum, vel alias quomodocunque committi contigerit, cujuscunque status, gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, etiamsi Cardinalatus honore pręfulgeant, nullas hujusmodi gratias signare, vel expedire valeant, nisi fuerint ad illas adhibiti duo ejusdem S. R. E. Cardinales, qui una cum Signaturę Pręfecto coram ipsomet Romano Pontifice eas concedente, ac expediri mandante, earundem Gratiarum supplicationibus, sive minutis, aut Chirographis, aliisque concessionum subscribant, alioquin quidquid secus actum, signatum, gestumve fuerit, nullum irritum, & invalidum, nulliusque sit roboris, vel momenti, & qui huic saluberrimę sanctioni contravenerit, ab ipso Romano Pontifice sanitati restituto, vel ejus Successoribus condignis pœnis puniatur.

Ut autem pręmissa omnia, & singula perpetuo, & inviolabiliter observentur, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, ut sicut ejusdem S. R. E. Cardinales in Romana Curia pręsentes hanc Constitutionem, quantum in eis erit, observare, illique non contravenire, nec ullis contrafacientibus etiam Romanis Pontificibus consentire, nec absolutionem a juramento pęstito petere, nec oblatam, aut concessam acceptare promiserunt, & jurarunt, idem quoque per absentes ab eadem Curia dictę S. R. E. Cardinales quandocunque ad eam advenerint, ac per futuros Cardinales in assumptione Pilei promitti, & jurari debeat promissioque, & juramentum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales præstari soliti, adjungatur, & adscribatur. Occurrente autem quandocunque ejusdem Apostolicæ Sedis vacatione iidem Cardinales in Conclavi, quando de observandis felicis recordationis Prædecessorum nostrorum Julii Papæ Secundi super electione Romani Pontificis, Pii Papæ Quinti ne Civitates, & loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ infeudantur, & Sixti Papę Quinti de pecuniis in Arce Sancti Angeli positis inde non amovendis, aliisque nonnullis Constitutionibus Apostolicis juramentum pręstare solent, etiam de pręsenti Constitutione per quemlibet eorum, qui in Romanorum Pontificem electus fuerit, inviolabiliter observanda, & postmodum ipse ad supremi Apostolatus Officium assumptus, post assumptionem hujusmodi hoc ipsum promittere, & jurare debeant, servatis etiam aliis omnibus, & singulis illis, quæ circa juramentum hujusmodi in præfata Sixti Pędecessoris Constitutione, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, undecimo Kal. Maji, Pontificatus sui Anno primo edita pręscribuntur.

Has quoque nostras literas in libellum redigi, & post pę-

prædictas Julii, Pii, & Sixti, quæ in Conclavi legi solent, aliorumque Prædecessorum nostrorum Constitutiones adjungi, & in quinterno Cancellariæ nostræ Apostolicæ una cum aliis Constitutionibus Apostolicis adscribi, & ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, dictæque Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicari, ipsarumque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem, tam in judicio, quam extra illud ubique haberi, volumus, quæ iisdem præsentibus, haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Constitutionis, Suppressionis, Abolitionis, Taxationis, Statutorum, Decretorum, Voluntatum, & Mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Aono Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, quartodecimo Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

+ Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus promitto, voveo, & juro.

+ DOMINE

SANCTUS PETRUS — SANCTUS PAULUS

AMO TE. — TU SCIS.



INNO- PP. — CENTIUS XII.

QVIA

+ Ego Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo promitro, vuveo, & juro.

+

+ Ego Jacobus Episcopus Tusculanus Cardinalis Fransonus promitto, voveo, & juro.

+ Ego P. Episcopus Prænestinus Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius promitto, voveo, & juro.

+

+

+ Ego F. Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Maidalchinus, promitto, voveo, & juro.

+ Ego Carolus Tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Barberinus promitto, voveo, & juro.

+

+

+

+ Ego Nicolaus Tit. S. Calixti Presbyter Card. Acciajolus promitto, voveo, & juro.

+ Ego Gaspar Tit. S. Mariæ Transtyberim Presb. Card. Carpineus promitto, voveo, & juro.

✠ Ego Cæsar Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis Destres promitto, voveo, & juro.

✠

+

+ Ego Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis Nerlius promitto, voveo, & juro.

+ Ego Hieronymus Tit. S. Silvestri de Capite Presbyter. Cardinalis Casanate promitto, voveo, & juro.

✠ Ego Galeatus Tit. SS. Quirici, & Julittæ Presbyter Cardinalis Marescottus promitto, voveo, & juro.

+ Ego Fabricius Tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Spada promitto, voveo, & juro.

+ Ego P. Thomas Hovardus Tit. S. M. super Minervam Presb. Card. de Norfolcia promitto, voveo, & juro.

+ Ego Jo: Baptista Tit. de S. Cæcilia Presb. Card. Spinula promitto, voveo, & juro.

+

+

+

+ Ego Fr. Laurentius Basilicæ SS. XII. Apostolorum Presbyter Card. de Laurea promitto, voveo, & juro.

+ Ego Jacobus Tit. S. Mariæ de Aracœli Presb. Card. de Angelis promitto, voveo, & juro.

+

+

✠

+ Ego M. Antonius Barbadicus Tit. S. Susannæ Presb. Card. S. Susannæ promitto, voveo, & juro.

+

+

+

+ Ego Joannes Tit. S. Petri in Monte aureo Presb. Card. de Goessen promitto, voveo, & juro.

✠

+ Ego P. M. Tit. S. Marcelli Presb. Card. Petruccius promitto, voveo, & juro.

✠

+

+

+ Ego Joseph Saenz Tit. S. Balbinæ Presb. Card. de Aguirre promitto, voveo, & juro.

+ Ego Leander Tit. SS. Nerei, & Achillei Presb. C. Colloredus Major Pœnitentiarius promitto, voveo, & juro.

✠ Ego Fortunatus Tit. SS. Joannis, & Pauli Presb. Card. Carafa promitto, voveo, & juro.

+ Ego Bandinus Tit. S. Pancratii Presb. Card. Panciaticus promitto, voveo, & juro.

+

+ Ego Ferdinandus Tit. S. Clementis Presb. Card. de Abdua promitto, voveo, & juro.

+ Ego Tussanus Tit. S. Agnetis extra mœnia Presb. Card. de Jason Forbin promitto; voveo, & juro.

+ Ego Jo: Baptista Tit. S. Laurentii in Pane, & perna Presb. Card. Rubinus promitto, voveo, & juro.

+

+ Ego J. B. Tit. S. Anastasiæ Presb. Card. Costagutus promitto, voveo, & juro,

+

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Urb. S. Mariæ in Via Lata Diac. Card. Sacchettus promitto, voveo, & juro.

✠

✠

✠

✠ Ego Fulvius SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Card. Astalius promitto, voveo, & juro.

✠

✠

✠ Ego Petrus S. Laurentii in Damaso Diaconus C. Otthobon. S. R. E. Vicecancellarius promitto, voveo, & juro

✠ Ego C. S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Bichius promitto, voveo, & juro.

✠

✠ Ego Aloysius S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Homodeus promitto, voveo, & juro.

✠ Ego Joannes Franciscus S. Adriani Diaconus Card. Albanus promitto, voveo, & juro.

✠ Ego Franciscus S. Angeli in foro Piscium Diaconus Card. Barberinus promitto, voveo, & juro.

✠ Ego Laurentius S. Mariæ in Aquiro Diaconus Card. de Alteriis promitto, voveo, & juro.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. *Sacripantes.*

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Cancellaria Brevium.

Anno à Nativitate D. Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione decimaquinta, die vero vigesima octava Junii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno Primo; Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Andream Dominicum Simoncellum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Agapitus de Magistris Curs. Magister.

De

De aliquibus Collegiis, quæ speciem jurisdictionis, ac facultatis saltem voluntariæ habent.

S U M M A R I U M.

1 *DE Collegiis publicis Curiæ, quæ sint.*
2 *De illo Prothonotariorum participantium.*
3 *Quando Prothonotarii præcedant Episcopos, & Archiepiscopos.*
4 *De istius Collegii facultate doctorandi, & creandi Prothonotarios.*
5 *De Collegio Abbreviatorum de parco.*
6 *De Collegio Secretariorum Apostolicorum, & aliorum officialium Cancellariæ.*
7 *De Collegio scriptorum Archivii.*
8 *De illo Advocatorum Consistorialium, ejusque facultatibus.*
9 *De Collegiis Theologorum, & Medicorum.*
10 *De Collegio Cursorum.*
11 *De pluribus Collegiis privatis.*
12 *Præsertim de Collegio Societatis Jesu quod redoleat universitatem studiorum.*
13 *De Collegiis artium, & professionum.*
14 *De consulatu Florentinorum.*

D I S C. XLIV.

1 ULtra Collegia, quæ jam in præcedentibus insinuata sunt, nempe, Cardinalium, Auditorum Rotæ, Clericorum Cameræ; Et Prælatorum votantium utriusque Signaturæ; quibus contentiosa jurisdictio etiam competit; Alia quoque adsunt Collegia publica, quæ licet non contentiosam, aliquam tamen voluntariam habent jurisdictionem, seu aliquas facultates, & præeminentias, nempe.

Collegium Prothonotariorum Apostolicorum participantium; Istud etenim, ut incidenter alibi insinuatum fuit,
2 est Collegium constitutum ex duodecim Prælatis, qui moderno tempore ad hunc majorem numerum redacti sunt, dum prius erant minoris numeris septenarii, illudque est antiquissimum, in ipsamet primitiva Ecclesia, etiam circa ejus initia, institutum per S. Clementem primum, ut scriberent acta Martyrum; Ideoque præcipuum eorum munus versatur in processibus, qui fiunt super canonizationibus, seu beatificationibus Servorum Dei, ob martyrium pro fide, sive ob virtutes, eosque Papa Notarios appellat, atque ipsis tantum, in literis, & Constitutionibus Apostolicis hoc attributum proprie antiquitus conveniebat; Verum quia per quandam extensionem factam per DD. in reservationibus Apostolicis beneficiorum, sub hoc nomine veniunt etiam illi Prothonotarii simplices absque prælatura, qui creantur, non solum per Papam, sed etiam ex ejus auctoritate, per istudmet Collegium, ac etiam Cardinales, & Legatos, ac Nuntios, & Episcopos assistentes capellæ Pontificiæ, in certo numero respective præfinito; Hinc propterea hodie stylus est, quando Papa de istis Prothonotariis agit, quod eos explicat cum illo adjecto *de numero participantium*, ut ita distinguantur ab aliis simplicibus.

Istud officium est venale, ratione emolumentorum, valoris scutorum duodecim mille circiter, magis, vel minus juxta temporum contingentias, ex quibus emolumenta crescere, vel decrescere solent, ideoque non habet pretium fixum, sicuti habent clericatus Cameræ. Redolet tamen ratione antiquitatis quandam prælaturam honorificam, & existimabilem, ideoque pro frequentiori contingentia, penes viros nobiles, & qualificatos esse solet; Atque præcedentiam in capella, aliisque functionibus habet supra omnes Prælatos, post illos ordinis Episcopalis, etiam supra Auditores Rotæ, & Clericos Cameræ, quamvis isti constituant Collegia jurisdictionalia, longe majoris jurisdictionis, & existimationis, quinimo in aliquibus publicis functionibus cernitur, quod præcedunt etiam Episcopos, & Archiepiscopos, in equitationibus scilicet solemnibus, quæ fiunt in ingressu Regum, & Magnorum Principum, sive eorum Oratorum obedientiæ.

Siquidem primum locum occupant Episcopi assistentes capellæ Pontificiæ, deindeque Prothonotarii, atque post
3 eos accedunt Archiepiscopi, & Episcopi, aliique Prælati, juxta eorum ordinem; Idque aliquibus parum informatis, exorbitans videtur; Sed revera non est, ex duplici ratione; Primo nempe, quia isti incedunt in habitu solemni cum cappa magna supra rocchettum, & cum pileo prælatitio supra birretum, eodem modo quo Episcopi, & Archiepiscopi assistentes, ac etiam Cardinales in illis solemnibus equitationibus, in quibus ipsi interveniant, puta associando Pontificem, sive occurrendo alicui Regi, vel Magno Principi Urbem ingredienti; Aut etiam Cardinali noviter creato, ultra montes; Et consequenter intrat id, quod generaliter est receptum, inter Dignitates, & Canonicos, & alios Clericos Cathedralium, & collegiatarum, quod scilicet parati præcedunt non paratos, ac etiam ipsum Vicarium Generalem Episcopi, dum alii Episcopi, & Archiepiscopi non assistentes, incedunt in habitu domestico, seu privato, vestis, & mantellettæ supra rocchettum, non autem cum habitu solemni.

Et secundo, quia Episcopi assistentes, & Prothonotarii, in hujusmodi functionibus interveniunt ex officio nomine Papæ, tanquam repræsentantes ejus Curiam, seu familiam, cujus caput, seu primus est Palatii Apostolici Præfectus. Alii vero Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati, non mittuntur per Papam, sed voluntarie interveniunt in obsequium illius Principis, vel Oratoris, ideoque corpus familiæ Papæ unitum incedere debet, non autem pati intersecationem ab aliis, qui non sunt de familia, atque diversum gestant habitum, contra debitum ordinem hierarchicum, vel symmetricum.

Habet autem istud Collegium, ultra dictum jus conficiendi processus canonizationum, vel beatificationum, facultatem creandi aliquos Prothonotarios inferiores, ac etiam creandi Doctores in utroque jure; Bene verum quod ista facultate parce uti solet, idque forte provenit ex eo, quod non de facili hanc viam tenent illi, qui istum gradum assumere volunt ob minorem existimationem de facto, vel ob difficultates, an hujusmodi Doctoratus suffragetur pro illis, vel dignitatibus, pro quibus requisitus est Doctoratus, in aliqua publica universitate, vel academia; Quamvis enim agatur de Collegio, ideoque sit gradus magis qualificatus, quam ille qui confertur per singulos, qui eandem, ex Papali, vel Imperiali concessione habeant facultatem; Attamen, cum non agatur de publica universitate, vel academia studiorum, idcirco aliqua dubitandi ratio subesse videtur. 4

Aliud est pariter prælatitium collegium Abbreviatorum, qui de parco majori nuncupantur, quorum mentio habita est supra occasione agendi de Cardinali Vicecancellario, & de Cancellaria Apostolica, quod ita aliquam jurisdictionem exercere videtur, atque speciem Tribunalis redolere, circa illud munus expeditionis literarum Apostolicarum, dum quamplures in Cancellaria oriri solent quæstiones, super modo addendi aliquas clausulas, quæ in supplicatione non continentur, sive contentas extendendi, aut circa alia, quæ deciduntur per eos collegialiter in forma Tribunalis; Atque super isto Collegio quandam celebrem habemus Rotæ decisionem, occasione agendi de quæstione præcedentiæ cum illo officiali Cancellariæ, qui Corrector dicitur. 5

De Secretariorum Apostolicorum collegio actum pariter est supra occasione agendi de Secretario Brevium: 6 Atque inter multos officiales Cancellariæ, quorum mentio pariter habita est, in dicta rubrica, Cardinalis Vicecancellarii, adsunt quamplura collegia, juxta ipsorum officiorum genera, quoniam omnes illi officiales, qui habeant officium ejusdem generis, vel qualitatis, collegium constituunt cum quodam ministro, seu officiali, cui capellani nomen tribuitur, unde propterea collegialiter quamplura negotia explicare solent ad eorum officium respective pertinentia.

Alicujus majoris, ac amplioris potestatis videtur collegium scriptorum Archivii, tam circa ea, quæ supra agendo de Præside Archivii insinuata sunt, quam etiam circa facultatem creandi Notarios publicos, dum in Curia penes istud collegium residet; Ac etiam circa facultatem 7 legitimandi bastardos, ad limites tamen Constitutionis Pii Quarti, nempe sine præjudicio venientium ab intestato, ut præsertim in materia fideicommissaria frequenter agitur.

Collegium Advocatorum consistorialium, de quo agi- 8 tur infra generaliter agendo de Advocatis, & Procuratoribus aliisque Curialibus, aliquam habere videtur jurisdictionem, ac redolere speciem Tribunalis, ob facultatem doctorandi in utroque Jure canonico, & civili, quam nomine

mine publicæ Romanæ Universitatis exercet; Ac etiam ob regimen, & administrationem ejusdem Universitatis studiorum, quæ sub nomine Sapientiæ in Curia explicatur, dum coram eis collegialiter congregatis præsidente illo Cardinali, qui per Papam deputari solet, sic concursus Lectorum, & Professorum ad cathedras vacantes, sive ad optiones majorum.

In eadem Universitate, vel Sapientia adsunt etiam collegia Theologorum, & Medicorum scientificorum, qui
9 physici appellantur, ad differentiam chirurgorum practicorum, & mechanicorum; Atque penes utrunque collegium residet quoque eadem potestas doctorandi in propria professione respective.

De Collegiis Notariorum agitur infra in eorum particulari Rubrica; Et ultra eos adest collegium Cursorum Pa-
10 pæ, quorum officia sunt venalia in numero præfinito, juxta Urbis partes, vel regiones, quæ inter ipsos distributæ sunt, pro exequendis citationibus Tribunalium, Rotæ, Cameræ, & Auditoris Cameræ, ac etiam Judicum commissariorum, & Sacrarum Congregationum; Exceptis Tribunalibus, Vicarii, Capitolii, & Gubernatoris, ac etiam Ædilium, & Consulum Agriculturæ, quæ sunt Tribunalia privata Urbis potius, quam Tribunalia Curiæ Papæ tanquam Papæ, cujus isti dicuntur Cursores, ideo que dicta alia tribunalia habent proprios mandatarios, qui istud munus gerant, exequendi eorum citationes; Istorumque Cursorum munus principaliter versatur circa intimationem capellarum, & consistoriorum, aliarumque functionum Pontificiarum, Cardinalibus, & aliis, ac etiam circa Apostolicarum Constitutionum publicationem in acie campi Floræ, ubi in aula ad id destinata unus ex eis per turnum, qui Magister Cursorum dicitur, ad quoddam præfinitum tempus residet, cum banco, in quo retinentur omnes commissiones jam signatæ, ad effectum illas incassandi, ut earum vigore procedi valeat; Unde propterea Practici agendo de prosecutione appellationis, adhibent illum terminum obligationis redimendi commissionem a banco Cursorum; Atque in eodem loco exposita tenetur tabella indicativa diei, in qua, post ejus indictionem, teneri debebit Consistorium, vel Signatura Gratiæ, aut Justitiæ; Atque de isto officio agitur præsertim in materia societatum officii, quæ super his officiis frequentius fiunt.

Ista sunt collegia publica; Quamplura vero alia adsunt
11 privata, scholarium, & alumnorum in magno numero, & præsertim exterarum nationum, ad eos instituendos in sacris literis, ac in aliis pertinentibus ad Fidem catholicam, nempe; Germanorum, Græcorum, Anglorum, Scotorum, Hybernensium, Maronitarum, & aliorum; Ultra quamplura alia collegia, quæ ex privatis, & piis dispositionibus instituta sunt, in quibus adolescentes retinentur; Et ultra majora collegia, illud scilicet Propagandæ fidei cujus mentio habita est, agendo de ipsa Sacra
12 Congregatione, ac etiam alterum Societatis Jesu, quod exceptis facultatibus legum, & medicinæ, revera Romanam Universitatem studiorum, potius constituit, vel repræsentat, quoniam licet in Sapientia adsint Professores, seu Lectores theologiæ, philosophiæ, & aliarum facultatum, vel artium liberalium; Attamen videtur potius quoddam studium cæremoniale.

Habentur quoque plura collegia aliquarum artium, & professionum, & præsertim a moderno tempore, illa artium, serici, & lanæ, cum propriis Consulibus, eorum-
13 que Judicibus, vel Assessoribus, cum jurisdictione, & causarum cognitione; Vide novam Constit. Innocentii XII. impressam post disc. 13. hoc tit. Ultra illos consulatus, qui, sive ex indultis, sive ex voluntaria conventione habentur, ut præsertim est consulatus nationis Floren-
14 tinorum, qui habet proprium Notarium, in cujus officio prope eorum Ecclesiam propriam Sancti Jo. Baptistæ hujus industris nationis, quæ in Curia, nimium est super omnes alias copiosa, negotia explicantur, *b* cum pluribus similibus.

a *Straphin. dec. 176.*

b *De ista natione, ejusque Ecclesia, & privilegiis, tit. de Paroch. disc. 24.*

De Oratoribus Regum, & Principum, ac Rerumpublicarum, & Civitatum.

S U M M A R I U M.

1 *DE figura quam faciunt in Curia Oratores.*
2 *De differentia inter Oratores ordinarios, & extraordinarios.*
3 *De distinctione inter Oratores Principum, & Civitatum subditarum.*
4 *Laudatur stylus, ut Civitates etiam subditæ retineant Oratores apud Principem proprium.*
5 *Quale jus attendatur in exemptionibus Oratorum Principum.*
6 *De legibus loquentibus de Oratoribus Principum.*
7 *Quod erroneum sit procedere cum regulis legalibus.*
8 *Ideoque ista materia incongrua est juristis.*
9 *Exemptio personarum Oratorum est certa.*
10 *De stylo, & dominio antiqui Imperii Romani.*
11 *Quid de eorum comitibus, & familiaribus.*
12 *De quibus exemptionibus, & franchitiis loquantur Doctores.*
13 *De eodem circa cognitionem causarum.*
14 *De eodem, de quo n. 7. & 8.*
15 *De prudenti responso Innocentii X. super debitis contractis per Oratores.*
16 *De eodem, de quo n. 5. & seq.*

D I S C. XLX.

INter illas publicas, & conspicuas personas, quæ in 1
Curia magnam faciunt figuram, atque Magistratuum speciem redolere videntur, cum ipsius Curiæ magno decore, ac majestate; merito censendi veniunt, Imperatoris, & Regum, aliorumque Principum, & Rerumpublicarum, ac aliquarum Civitatum Oratores apud Pontificem; Istique sunt duplicis generis; Alii enim extraordinarii dicuntur, qui mittuntur, ut Pontifici noviter creato, ipsorum Regum, & Principum, aut Rerumpublicarum nomine, obedientiam præstent, illumque in Beati Petri successorem, & Christi Vicarium recognoscant; Alii vero ordinarii, qui apud ipsum Pontificem ejusque Curiam, pro suorum respective Regum, vel Principum, aut Rerumpublicarum negotiis assistunt, ut generaliter in Imperatoris, Ac Regum, & Principum, & Rerumpublicarum Curiis, iste promiscuus Oratorum usus habetur.

Differunt autem extraordinarii ab ordinariis in ali- 2
quibus preeminentiis, vel honorificis tractatibus, quibus primi, non autem alii potiuntur; Tum circa receptionis, vel audientiæ magnam solemnitatem, in publico Consistorio, prævia duplici solemni equitatione, una scilicet in ingressu Urbis, & altera pro admissione ad audientiam, cum occursu, & associatione respective familiæ Papæ, aliorumque Prelatorum, & nobilium, juxta ea quæ supra agendo de collegio Prothonotariorum, ac etiam infra agendo de hujusmodi solemnibus equitationibus recensentur; Tum etiam, quod ex ipsorum Principum diversa qualitate, vel preeminentia, in diversis Regiis, vel Ducalibus aulis recipiuntur, atque ad Pontificis mensam admittuntur, aliosque honorificos tractatus recipiunt, utpote Oratores magis solemnes, ratione solemnioris negotii, quod peragunt; Ac etiam quia, ubi de Rerumpublicarum, vel Civitatum Oratoribus agitur, ordinarii sunt singulares, nempe unus tantum, qui apud Pontificem assistit, Extraordinariorum vero numerus est major, cum ad universitatem denotandam, quatuor esse soleant.

Ordinariorum vero honorifica tractamenta varia sunt, pro ipsorum Principum diversa qualitate, ac majori, vel minori preeminentia, tam circa modum familiariter alloquendi in aula Summum Pontificem, sedendo super scabello, & capite discooperto ad instar Cardinalium, vel respective stando capite discooperto, quam circa alia, quæ ad cæremoniarum Magistros potius pertinent, atque Curiam cæremonialem percutiunt; Ac etiam circa exemptiones, & immunitates, quas de jure, vel de facto obtinent ex aliqua tolerantia, & quarum expressio solum huic relationi congruit.

Ad hunc autem effectum, alia hujusmodi distinctio ca-
dit, sive sint ordinarii, sive extraordinarii, inter illos 3
scilicet, Regum, & Principum, ac Rerumpublicarum, in quibus recognitio, pro sola spirituali superioritate pontificia fiat, vel subjectio cadat, absque actuali subjectione in temporibus, juxta distinctionem, de qua supra habetur,

agendo

agendo de Pontificis potestate. Et Oratores Civitatum subditarum Papæ in temporalibus; Ut sunt tam Ordinarii, quam extraordinarii Oratores Civitatum, Bononiæ, & Ferrariæ, quarum nobilis, & generosus stylus, perpetua quidem commendatione dignus est, ad aliquam confusionem (ex zelo, & benevolentiæ motivo insinuatam) aliquarum magnatum, & metropoliticatum Civitatum 4 subditarum, & præsertim Neapolitanæ; Siquidem licet præfatæ Civitates nimium nobiles, & qualificatæ sint, atque aliquam considerabilem habeant ditionem, vel provinciam; Attamen comparative, minores, vel parvæ dici possunt tam scilicet facta comparatione populi, ac Baronum, & Magnatum, & nobilium, ipsarum Civitatum respectiva, quam etiam facta comparatione ditionis, vel provinciæ, cujus respectu, vel de jure, vel de facto, ea sit metropolitica, & caput; Siquidem prædictarum Civitatum provincia, vel ditio respective, longe minor est, quam sit omnium minor, magisque exigua provincia ex duodecim, ex quibus illud Regnum constituitur; Et tamen istæ Civitates, cum magno decore, quandam Principum, vel Rerumpublicarum figuram faciendo, quatuor Oratores obedientiæ novo Pontifici transmittunt, atque ordinarium fixum Oratorem apud eum retinent, qui ad audientiam Papæ statutis diebus, ad instar Oratorum Principum cum decenti tractatu, admittuntur (cum ea tamen differentia, quæ facienda est inter subditos, & non subditos temporales) Atque in dies tractando cum Cardinalibus, aliisque Curiæ officialibus, privilegiorum, ac jurium propriæ Civitatis conservationi vacant, & querelas, vel recursus opportune porrigunt adversus gravamina, quæ recipiantur a Legatis, aliisque Officialibus, quibus non modicum frænum id infert; Commendatione vero dignus e converso non videtur ille stylus Neapolitanæ Civitatis, & similium, transmittendi solum ad proprium Principem, Oratorem extraordinarium, pro extraordinariis occasionibus querelarum, & recursuum, per quandam speciem odibilis, ac non existimabilis accusatoris, vel instigatoris, quam redolere videtur, ideoque inconvenientibus non occurritur, ut opportune occurreretur, si fixus, & ordinarius Orator in Curia Regis teneretur, neque ita Proreges, aliique Magistratus conquerendi occasionem haberent, ejusque majus frænum inferretur.

Quatenus itaque pertinet ad hujusmodi Oratorum Regum, & Principum, & Rerumpublicarum non subdita- 5 tum, exemptiones, & immunitates, ubi quas (ut præmissum est,) quandoque de facto, juxta rerum, ac temporum contingentias, Tribunalium, vel Magistratuum quandam imaginem præseferre videntur; Juristarum stylum irrisione dignum perpetuo censui, atque inter majorea eorum ineptias recensere consuevi eorum labores, quodque cum legalibus regulis, vel propositionibus, aut cunt DD. traditionibus, hanc materiam agere satagant.

Quamvis etenim in jure civili, aliqua super Legatorum, & Oratorum, eorumque comitum, & aulicorum exemptionibus, ac privilegiis statuta habeantur; *a* Attamen, inspecto statu Reipublicæ, vel Imperii Romani, 6 de tempore quo hujusmodi leges prodierunt, seu conditæ sunt, illæ non adaptantur Oratoribus Principum, qui in temporalibus, æque supremi sint, nullam patientes subjectionem; Adeout (ex alias insinuatis) eorum quilibet dicatur Imperator in proprio principatu, qui Imperii speciem redoleat, cum magis, & minus non variet speciem; Istorum etenim Principum copia, & diversitas hoc posteriori Imperii tempore, non dabatur, minusque Rerumpublicarum, aliarumque Civitatum usus, qui circa initia infantilis, vel adolescentis Reipublicæ habebantur, dum effecta major, amicas, & socias, æque ac inimicas Civitates, vel Provincias tractavit, suoque Imperio subjecit, confæderationem, & amicitiam convertendo in subjectionem; *b* (Quod etiam, in aliquibus parvis Rebuspublicis Italiæ, retroactis modernis sæculis, contigisse, per chronicas edocemur) adeout illi, qui Imperio subditi non essent, hostes reputarentur; Et consequenter ea quæ de Oratoribus, & Legatis disponuntur in dictis legibus, cum quarum dispositione, leguleica simplicitas quamplurium scriptorum procedere videtur, illos percunt Oratores, seu Legatos, quorum imaginem repræsentant, vel speciem constituunt præfati Oratores subditarum Civitatum, Bononiæ, & Ferrariæ.

Respectu vero Oratorum Regum, & Principum independentium, Erroneum videtur cum hujusmodi legalibus propositionibus, vel Juristarum traditionibus procedere, dum in iis potius intrant politicæ rationes, ac propositiones illius juris, quod vulgo dicitur gentium; Cujus tamen dispositio nullibi scripta habetur, unde propterea 7 quilibet pro libito illam effingit, seu constituit, ex quodam ipsorum Principum usu, qui in hoc proposito legem statuere videtur; Sive potius hanc legem statuit, atque hujusmodi quæstionum decisor est illud verbum, quod efformatur ex illismet literis, ex quibus efformatur ipsum jus, unius earum ordine immutato, ut alibi advertitur; *c* nostra ætate pluries praxis docuit; Unde propterea chronistarum frequenter mendaces, ac affectatas traditiones exquirere non oportet, quoniam revera cum eisdem juxta temporum contingentias, & opportunitates praxis varia esse consuevit, & solet.

Quidquid itaque sit de prædictorum Oratorum, seu 8 Legatorum independentium exemptionibus, immunitatibus, & privilegiis, de quibus meum non est agere, cum revera juristis ista incongrua sint.

Quatenus pertinet ad legalia, quæ adaptabilia sunt illis Oratoribus, de quibus, ut supra loquuntur leges civiles, cum quarum dispositione Juristæ procedunt; Quoad exemptiones, & immunitates personarum ipsorum Oratorum, 9 concors est Doctorum sententia, super earum competentia, cum ipsæmet leges, tales personas venerabiles, & quodammodo sacrosanctas reputent, ideoque potius demittendæ quam offendendæ sint, quoties eas benigne recipere, ac tractare non videatur; *d* Idque etiam illis temporibus praxis dare poterat, respectu illorum Regum, aliorumque dominantium, vel Civitatum, aut provinciarum, quæ a fide, ac subjectione defecissent, ut in gratiam reciperentur; Et sic semper, jure subditorum potius, quam æqualium, dum Romanum Imperium æquale recognoscere dedignabatur, duasque solum constituebat species; 10 Vel scilicet subditorum, & dependentium, saltim in ratione tributi; Vel hostium, attento (ut præmissum est) tempore, quo hujusmodi leges conditæ sunt, non autem primævo infantilis, vel puerilis ætatis Reipublicæ; Et ex quorum temporum neglecta distinctione resultant aliquorum æquivoca, erroresque manifesti.

Quare apud nostros disputandi occasio cadit, respectu familiarium, an scilicet cum eis idem procedat, quod cum 11 ipsismet Legatis, & Oratoribus; Dubitandi rationem præbentibus præmissis legibus, utpote loquentibus etiam de ipsorum Legatorum comitibus, quæ scilicet personæ sub hoc nomine, seu vocabulo comitum veniant; Aliqui enim putant, quod soli assessores, vel consiliarii, sive ipsius legationis necessarii, & connaturales ministri veniant, cum ipsi quoque ab eadem Civitate, vel ab eo, cujus nomine legatio habeatur, transmitti dicantur, ejusdem corporis membra censenda sint, cujus ipse Legatus sit caput, ad idem opus perficiendum destinata, vel apta; *e* Alii vero, ut inferiorum famulorum, vel familiarium præfecti solum veniant; *f* Et alii, ut indefinite veniant omnes famuli, seu familiares, qui in ipsius Legati, vel Oratoris obsequio, ac servitio sint, cum omnes ipsum pariformiter comitari dicantur; Istaque posterior opinio majores habet sequaces, magisque recepta videtur. *g*

Verum, & in hoc dignosci videtur aliquod æquivocum præsertim apud modernos, cum istius opinionis auctor, qui apud Juristas antesignani nomen, seu vocabulum sortiri solet, *h* percutiat exemptionem a repræsaliis, ac etiam ab aliquibus vectigalibus, & pedagiis, a quibus, cum sint indicta privatis civibus, & incolis, congruit ut hujusmodi Legati, & Oratores, & omnes ejus comites, & familiares exempti sint, dum eorum accessus, vel mora respective est occasionalis.

Sive etiam quoad jurisdictionalia, tam in civilibus, quam in criminalibus, ut pro delictis, quæ in propria patria, seu alibi patrata sint, vel pro debitis alibi contractis, etiam in ipsa Urbe, sed prius, & in alio tempore, aliave 12 occasione, molestias pati non debeant, de tempore quo istam publicam functionem peragunt; Et sic per quandam speciem illius francbitiæ, vel immunitatis, quæ concedi solet accedentibus ad nundinas, aliaque publica emporia; Sive illius exemptionis, quæ concedit Episcopis, eorumque familiaribus, quando accedant ad visitandum limina Apostolorum, ut eas recipere non valeant molestias, quas in ipsa Urbe tanquam in communi patria, vel residentia Principis, ideoque in foro competenti, seclusa ista occasione, alias pati possent, *l* Istique sunt termini legales, qui Juristis congruunt.

Manifestus autem eorum error est, se ingerere in illis ter-

nimispoliticis, vel congruentiæ, cum quibus procedi de- 14 ber, vel folet quando agatur de Oratoribus suppremorum Principum independentium, eorumque familiarium, vel domesticorum; Quoniam in his, vel consuetudo, vel aliæ temporum contingentiæ totum faciunt, juxta regulas prudentiales potius, quam legales, etiam respectu criminum, quæ in ipsa Urbe patrarentur, sive debitorum, quæ ibidem contraherentur, & super quibus integer locus veritati relinquitur, nihil desuper firmando, minusque proprium interponendo judicium.

Illud autem in hoc proposito æris alieni, quod in ipsa Urbe per Oratores, eorumque familiares contrahatur, cum 15 mercatoribus, & aliis, ratione mercium, vel victualium, quæ pecunia credita data sint; Memoria dignum videtur, prudentissimi, magnique Pontificis Innocentii X. oraculum; quod scilicet, aliquibus mercatoribus, aliisque negotiantibus, ad ipsum recurrentibus pro administratione justitiæ, & coactione cujusdam Oratoris, qui a Curia discedebat, saltim per sequestrum, vel arrestum bonum, eos interrogavit, an inviti, & coacti, ea bona, & victualia, vel pecunias credidissent, ob aliquam scilicet potentiam, quæ cum eis adhibita esset; Vel potius, quod ultronei, etiam cum favoribus, & diligentiis, imo cum muneribus, & corruptelis ministrorum, tanquam per speciem concursus ad beneficium id egissent; Quoniam primo casu, libenter justitiam ministrari demandasset, cum sequestro bonorum, quinimo offerebat ejus interpositionem apud ejusdem Oratoris Dominum, per ejus Nuncium pro coactione; Quinimo quod in omnem eventum, ne sub ejus regimine, ac publica fide elusi remanerent, ministri camerales, ex ipsiusmet Cameræ ære, illorum satisfactionem demandasset; In altero autem casu, sibi ipsis imputarent, cum ita, ob spem magni lucri, quod hujusmodi mercatores, & negotiatores facere satagunt, dando merces, & victualia Oratoribus, aliisque exteris Magnatibus, & nobilibus qui ad Curiam accedunt, pecunia credita, quandam speciem contractus, super incerta alea inire videantur; Atque ita in hujusmodi recurrentibus secutum fuit id, quod in Evangelio legitur de accusatoribus adulteræ, ex Christi Domini oraculo, ut qui sine peccato essent, in eam lapides iojicerent. In reliquis autem, ut præmissum est, totum facere videntur principatuum styli, qui etiam pro 16 tereim, ac temporum circumstantiis, & opportunitatibus varii esse solent, atque a prudentialibus potius, quam a legalibus regulis normam recipiunt, ideoque protsus incongruum est Juristis de his agere,

a *l. fin. ff. de legation. l. lege Italia* 1. *ff. de Republica cum concurd. per Decian. tract. crim. lib. 7. c. 5. Cabal. resol. crim.* 150. *Farina. q.* 112. *n.* 160. *Villadiego de legat. Theatr. vita human. verbo Legatus, vers. violatio legationis.* b *tit. de praeminent. disc.* 35. c *tit. de dote, disc.* 146. d *in dictis juribus, lit. A.* e *glos. in dicta lege Julia, & in l. sed addes, in fin. ff. locati.* f *in Theatr. vita humana, verbo Comitatus.* g *Bald. in l. administrantes, §. eorum ff. de excusat. tutor. Bonacos. de famul. q.* 35. *Bertachin. de gabel. p.* 7. *q.* 13. *n.* 35. *Franch. March. decis.* 425. *Villadieg. de Legat. p.* 3. *q.* 5. *n.* 10. h *Bald. ubi supra.* i *tit. de Regal. disc.* 131. *&* 132. l *tit. de jurisdict. disc.* 89.

De Curialibus causidicis, nempe, De Advocatis, De Procuratoribus, vel causarum Patronis; De solicitatoribus, & aliis causarum, vel negotiorum actoribus, istaque occasione agitur de Collegiis Advocatorum, & Procuratorum Consistorii: Et de Advocatis fisci; Et Pauperum; De Procuratore fisci; De Commissario Cameræ; Et Procuratoribus pauperum.

Ac etiam de modo scribendi, vel consulendi, tam in facto, quam in jure; Et de modo orandi, sive informandi in voce.

I.

De Curialibus, eorumque diversis speciebus, *a num.* 1. *ad* 14.

II.

De Advocatis Consistorialibus, & non Consistorialibus, *a n.* 15. *ad* 68.

III.

De Advocatis pauperum, & Cameræ, & fisci, *a n.* 69. *ad* 96.

IV.

De Procuratoribus collegialibus, & non collegialibus, *a n.* 97. *ad* 117.

V.

De Fiscali Urbis, Commissario Cameræ, & procuratoribus pauperum, *a n.* 118. *ad* 126.

VI.

De Solicitatoribuus, & Agentibus, *a n.* 127. *ad finem.*

S U M M A R I U M.

1 *SUB nomine Curialium qui veniant in generali significatione.*
2 *Et qui juxta usum loquendi Curia.*
3 *De eodem, & qui sint Judices, qui dicuntur etiam curiales.*
4 *De distinctione plurium specierum Curialium.*
5 *De distinctione plurium specierum Advocatorum.*
6 *De eadem distinctione Procuratorum.*
7 *De examine Procuratorum, ut scribere possint in Rota.*
8 *Sub nomine Procuratorum in Curia, qui proprie veniant.*
9 *De antiqua distinctione inter Advocatos, & causarum Patronos.*
10 *Quales essent antiqui oratores, & an differant ab Advocatis.*
11 *Quid importet Advocatio, seu nomen Advocati.*
12 *De eadem distinctione, de qua supra, n.* 4.
13 *Oratorum nomen quibus hodie conveniat.*
14 *De erroribus scriptorum adhibendi nunc aliqua vocabula antiqua.*
15 *Qui sint proprie Advocati Curia Romana, & in quibus versetur eorum munus, & a quibus se abstineant.*
16 *De Advocatorum mercede, & infra, num....*
17 *Quod etiam Clerici in Sacris hoc munus in Curia exerceant, & de rationibus.*
18 *Quomodo se informent de facto, ejusque circumstantiis.*
19 *Quales partes, vel dotes habere debeant Advocati, & defensores.*
20 *De majori peritia quæ necessaria est in Advocatis Curiæ Romana, & de ratione.*
21 *De errore opinantium quod Professores Curia non bene calleant jus civile, & materias prophanas.*
22 *Quod in Urbe servetur potius jus civile.*
23 *De integritate, quæ in Advocatis requiritur, & quod adsit in Advocatis Curiæ.*
24 *Quod in Curia tota vis sit in bene scribendo, non autem in loquendo, & quomodo loqui debeant Advocati, vel oretenus informare.*
25 *In quo consistant strepitus, & clamores fori.*
26 *De diversa forma antiqua orandi, & de ratione diversitatis.*
27 *Quid hodie importet orare, sive informare in voce.*
28 *De modo scribendi.*
29 *Quod non debeant excitari objecta.*
30 *De ratione ob quam regula artis oratoriæ non debeant practicari.*
31 *Quod sit studendum brevitati, & de ratione.*
32 *Damnatur opinio eorum, qui styli brevitatem referunt distinctioni punctorum.*
33 *Damnatur item stylus prolixus replendi chartas superfluis allegationibus.*
34 *Assignatur ratio differentiæ, cur antiquiores erant copiosi in allegationibus, quæ hodie sunt damnabiles.*
35 *An attendi debeant potius auctoritates, quam rationes, & e contra.*
36 *Quod hodie cessent multæ quæstiones antiquitus involutæ.*
37 *De pluribus quæstionibus prius involutis hodie planis, & de aliis, super quibus damnatur usus allegationum.*
38 *Quando congruat cumulus auctoritatum.*
39 *Et quomodo isto casu sit scribendum, seu laborandum.*
40 *De antiquo vocabulo damnabili leguleiorum.*
41 *Quod sit principaliter studendum congrua applicationi.*
42 *An Advocati possint scribere contra propriam opinionem, vel conscientiam.*
43 *In iis quæ consistunt in facto, non datur excusatio.*
44 *Quid in iis quæ consistunt in puncto juris.*
45 *Quale sit munus, vel obligatio Advocatorum in causis dubiis.*

46 *An*

46 *An commendabiles dicendi sine restrictus plurium informationum Advocatorum.*
47 *De Advocatorum mercede, & de pacto quota litis.*
48 *De Collegio Advocatorum consistorialium, ejusque origine.*
49 *De numero hujusmodi Advocatorum, & de participantibus.*
50 *De praerogativis quibus potiuntur quinque supranumerarii.*
51 *De Decano Collegii, & quis sit habilis ad decanatum,*
52 *An hoc officium sit compatibile cum Prelatura.*
53 *De solemnitatibus pro admissione novi Advocati, & requisitis necessariis.*
54 *De Civitatibus habentibus locum fixum, & quales ad istud Collegium assumantur.*
55 *De injuria quae desuper fieri videtur Regno Neapolitano,*
56 *De majoribus istius Collegii emolumentis, unde proveniant,*
57 *Habet facultatem doctorandi.*
58 *De loco in Capella, & de aliis hujusmodi Advocatorum praeminentiis.*
59 *De jure orandi in consistorio, & in solemnitate Canonizationis Sanctorum.*
60 *Interveniunt in Conciliis generalibus.*
61 *De habitu domestico, seu privato quo utuntur.*
62 *Habent praecedentiam supra alios Advocatos, & quales alias habeant praerogativas supra alios Curiales.*
63 *Habent regimen, & administrationem studiorum Urbis.*
64 *De coadjutoria filiorum, vel nepotum.*
65 *An Advocatus fisci, & Advocatus pauperum assumi debeant ex isto Collegio.*
66 *Quod sit munus nimiae existimationis, & considerabilis utilitatis, atque ex eo multi prodierint Pontifices, Cardinales, & Praesules.*
67 *Sunt familiares Papae, & habent partem palatii.*
68 *Administrant bibliothecam Sapientiae.*
69 *De Advocato Pauperum, & quod in Curia libenter Advocati, & Procuratores suscipiant patrocinium pauperum.*
70 *Advocatis Consistorialibus id incumbit ex officio.*
71 *Quod sint distinctae professiones Civilistarum, & Criminalistarum.*
72 *Quomodo in Curia tractentur causae criminales.*
73 *Quod laboriosum, & valde incommodum sit officium Advocati pauperum.*
74 *De hujus officii emolumentis, & utilitate.*
75 *Interponit decreta voluntariae jurisdictionis.*
76 *Habet audientiam Papae,*
77 *Quare sit officium incommodum, & aerumnosum.*
78 *Quare oporteat officiales particulares deputare pro defensione pauperum.*
79 *Est munus compatibile cum advocatione aliarum causarum civilium.*
80 *Quibus potiatur praerogativis, & quod soleat esse perpetuum.*
81 *Sedet in Congregationibus, & praecedit Advocatum fisci.*
82 *De Advocato pauperum promoto ad Cardinalatum.*
83 *Prohibetur tueri causas criminales etiam ad defensam cum praemio.*
84 *De Advocato fisci, & Camerae, ejusque muneribus.*
85 *Quare dicatur Advocatus fisci, & Camerae, & de differentia inter Cameram, & fiscum, seu inter plures fisci species.*
86 *In quibus causis fiscalibus se ingerat Tribunal Camerae.*
87 *In quibus Congregationibus criminalibus interveniat.*
88 *Materia criminalis in quo consistat, & per quem tractetur in Curia.*
89 *Quinam assumantur ad officium Procuratoris Fiscalis.*
90 *Quod in materia criminali procedatur ut plurimum cum stylis, & bannimentis.*
91 *An istud officium Advocati fiscalis obtineri possit per Clericos in Sacris compatibiliter, vel potius redoleat irregularitatem, & de istius materia.*
92 *Quales sint partes Advocati fiscalis in Congregationibus criminalibus, & an possit allegari suspectus.*
93 *De aequivoco scriptorum in ista materia.*
94 *De existimatione istius officii, & de ratione.*
95 *De officio promotoris Fidei.*
96 *Quod istud officium Advocati fiscalis occupari consuevit a viris primariis.*
97 *De procuratoribus Curiae Romanae, eorumque munere, & qualitatibus.*

Card. de Luca, Lib. XV.

98 *Procuratores Curiae Romanae exequantur Advocatis aliarum Curiarum, & de ratione.*
99 *Quomodo scribant, seu quomodo debeant scribere.*
100 *De stipendio Procuratorum, seu honorario.*
101 *De Collegio Procuratorum causarum S. Palatii Apostolici.*
102 *De eorum numero, & novis receptionibus ad Collegium:*
103 *De qualitatibus necessariis in iis, qui sunt recipiendi.*
104 *Quod viri nobiles esse soleant de isto Collegio.*
105 *Ex eo prodierunt Cardinales, & Praesules.*
106 *Item plures Auctores.*
107 *De jurepatronatus, quod antiquitus habebat in Archipresbyteratu Rotundae.*
108 *De festo S. Michaelis, quod celebrat, ejusque solemnitate.*
109 *De equitatione in apertura Rotae, & de aliis functionibus.*
110 *Quod ad solos Collegiales restringendum non sit munus Procuratoris.*
111 *De examinatione Procuratorum, ut scribere possint in Rota.*
112 *An Advocati, & Procuratores cogi possint inviti consulere, & patrocinari.*
113 *De propositione quod plus merentur Advocati bene officium suum facientes, quam Carthusiani, & de ratione, & in quo consistat periculum Advocatorum.*
114 *De effectibus resultantibus ab integritate curialium.*
115 *De contractibus inter Advocatos, & Procuratores, & clientes.*
116 *Quod Advocati in Curia pendeant a Procuratoribus:*
117 *De aliis pertinentibus ad Advocatos, & Procuratores, & praesertim circa poenas ob convicia, ac etiam an liceat deducere motiva irrelevantia.*
118 *De Procuratore fiscali generali, & de Commissario Camerae, aliisque Procuratoribus in officium.*
119 *Sunt familiares Papae, & quibus praerogativis potiantur.*
120 *Quod sit major istorum auctoritas, quam Advocati fiscalis.*
121 *Fiscalis, & Commissarius habent audientiam Papae.*
122 *Antiquitus erat major auctoritas Commissarii.*
123 *Ex quibus ordinibus curialium isti officiales assumantur.*
124 *De eorum Substitutis.*
125 *De aliis Fiscalibus aliorum Tribunalium.*
126 *De Procuratoribus pauperum.*
127 *De Solicitatoribus, eorumque diversis speciebus.*
128 *De munere solicitatorum forensium, seu causidicorum.*
129 *Unde proveniat quod aliquando Procuratores incurrant notam non integritatis.*
130 *Laudatur in iis, qui Advocati, vel Praelati munus assumpturi sunt, ut solicitationi vacent.*
131 *De Expeditoribus Datariae, & Cancellariae,*
132 *De Solicitatore Camerae.*
133 *De Agentibus privatis, & aliis in officium.*
134 *De aliis speciebus curialium.*
135 *De differentia inter Curiam Romanam, & alias curias circa promotionem Advocatorum ad Magistratus.*

DISC. XLVI.

I.

De Curialibus in genere.

QUamvia (ut alias advertitur *a*) Curialium nomen, seu vocabulum, in ejus generica significatione, congruat omnibus, qui Curiam sequantur, cujuscunque sint gradus, & conditionis, majoris, vel minoris, ideoque etiam Cardinalibus, ac Praelatis, eorumque ac Papae, & Oratorum Principum, vel Magnatum, aulicis, & familiaribus; Atque non solum causidicis, & negotiorum actoribus, sed etiam inferioribus operariis, earundem causarum, & negotiorum, vel aulae servitio addictis, vel operariis, & sic etiam, Notariis, Cursoribus, Copistis, & inferioribus famulis, ac ministris. Et in summa, pro regula generali, illis omnibus, qui occasione Curiae in Urbe morentur; Exceptis solum illis civibus, & incolis, qui nullatenus in Curia se ingerant, sed solo jure, vel ratione civica naturali, vel domiciliaria, in ea versentur, dum etiam illi Romani cives, vel incolae, qui aliquod curiale munus gerant, sub nomine veniunt, atque Curiales dicuntur; 1

Attamen, pro communi, seu vulgari usu loquendi, sub curialium nomine, illi solum designantur, qui togati in caussis judicandis, aut in negotiis peragendis versantur, quoniam Cardinales, & Prælati, ac etiam, Notarii, Copistæ, Cursores, & alii inferiores ministri, sub eorum propriis, ac particularibus vocabulis explicantur; Curiales vero aulici, idest Papæ, & Cardinalium, vel Prælatorum, & Magnatum familiares, diversam habent nuncupationem, quoniam appellantur Cortesani; Ideoque nomine
2 curialium, non quidem in legali, sed vulgari, & communi significatione, veniunt solum causarum, & negotiorum Curiæ actores, qui etiam in plures species distincti sunt, nempe, Advocati, Causarum Patroni, qui Procuratores vulgo dicuntur, Sollicitatores negotiorum judicialium; Alii sollicitatores negotiorum Datariæ, & Cancellariæ, qui expeditores appellantur; Ac illi, qui causarum, & negotiorum curam habent, vulgo Agentes nuncupati; Quamvis enim nonnulli adsint Judices non Prælati, sed togati, qui causas non agunt, sed judicant, istisque Curialium nomen quoque congruat; Ut (ex. gr.) sunt duo Collaterales, & Judex maleficiorum, & Capitaneus Appellationum Capitolii; Locumtenentes criminales Guber-
3 natoris, Vicarii, & Auditoris Cameræ, Assessores Ædilium, & Consulum Agriculturæ, & alii Assessores, vel Judices Collegiorum, vel artium, aut piorum locorum; Ac etiam Cardinalium, vel Clericorum Cameræ Auditores, qui sub judicum sphæra venire videntur; Attamen, forte nulli, vel nimium rari sunt casus, in quibus hujusmodi togati de præfatis speciebus, Advocatorum, & Procuratorum, vel Agentium non participent.

Præfatæ itaque Curialium species, plures habent distin-
4 ctiones, quoniam: Alii suum respective munus in officium habent; Ut quoad Advocatos, sunt illi, Pauperum, & Cameræ, seu Fisci; Et quoad Procuratores, sunt Procurator fiscalis generalis Urbis, & Commissarius Cameræ; Et quoad sollicitatores, est pariter Sollicitator Cameræ, ac etiam Substitutus Procuratoris fiscalis; Et quoad Agentes, sunt illi Communitatum; Isti etenim distinguuntur a reliquo genere curialium, qui jure privato suum munus agunt, dum isti illud habent in officium jure publico.

Prout etiam inter Advocatos, alia cadit distinctio inter illos Consistorii, qui Collegium constituunt numeratum, Consistoriales proinde appellati, qui etiam, quodam jure
5 publico, atque in officium, id habere videntur, cum ad id assumantur ex provisione Papæ in titulum; Et alios simplices Advocatos, qui ex privata facultate, solaque ratione professionis istud munus exercent.

Et quoad causarum Patronos, qui vulgo Procuratores, (ad differentiam Advocatorum) appellantur; Illi pariter
6 distinguuntur inter eos, qui sunt etiam Consistoriales, atque collegium etiam constituunt, ab isto, non autem a Consistorio vulgarem denominationem desumentes; ideoque Procuratores Collegio appellantur; Et alios omnes non collegiales.

Verum isti quoque Procuratores non collegiales, ab ali-
7 quo moderno tempore nostræ ætatis, in quo Rota introduxit stylum, non admittendi ad scribendum in facto, in caussis, quæ agantur in eo Tribunali, nisi eos, qui prævio examine cor. Decano, per duos examinatores ex antiquioribus Procuratoribus Collegii ad id approbati fuerint, adest alia distinctio inter approbatos, qui Rotales dicuntur, & alios in genere non approbatos.

Quamvis enim, istud Procuratoris vocabulum, in ejus lata, & generica significatione, conveniat omnibus illis,
8 qui alterius mandatarii sint, atque cum mandato expresso, vel præsumpto, aliena negotia gerant, vel administrent; Atque legaliter, illi distinguantur inter Procuratores ad negotia extrajudicialia, seu œconomica, & Procuratores ad judicia; c Attamen, pro communi usu loquendi Curiæ, istud vocabulum Procuratorum, usurpatur pro iis, qui sunt causarum Patroni, earumque defensores principaliter in iis, quæ facti sunt, quamvis nullum habeant procuræ mandatum, neque acta judicialia tanquam tales gerant, cum pro frequentiori praxi, istas partes veri procuratoris, qui gerat cum mandato procuræ acta judicialia, expliceant Sollicitatores, vel illi negotiorum curam habentes, qui ut supra, Agentes appellantur.

Ista vero contradistinctio, quæ habetur inter Advocatos & causarum patronos (qui in aliquibus partibus, sed male
9 pro synonymis reputantur) antiqua est, in ipsamet antiqua prophana Curia Reipublicæ Romanæ, dum etiam apud illorum temporum scriptores ista distinctio habetur. d

Quinimo, non quatuor tantum ordines prædicti habe- 10
bantur, sed quinque; Siquidem aderat alter ordo Oratorum contradistinctus ab Advocatis; Unde propterea, male communis vulgi opinio, oratores, & Advocatores habet pro synonymis, dum erant diversæ professionis; Advocati etenim erant omnes illi, qui sive in forma judiciali, sive extrajudiciali, sive qui in scriptis, ac oretenus cum legibus, vel rationibus in ratione protectionis, vel negotiationis, alicujus defensiones assumebant, Oratores vero illi qui pro actore, vel reo, publice in Senatu, vel in alio congressu orabant, eos defendendo, vel accusando, dum inter boni oratoris partes, artis oratoriæ instructores, & magistri, illam cupiunt, ac laudant, quæ consistat in scientia legum; Igitur diversum erat genus legistarum, & professorum, ab illo oratorum. e

Adeoque istud Advocati vocabulum, potentiali, seu
auctoritativæ defensioni, ac protectioni congruebat, ut 11
apud ipsum Apostolum, aliosque illorum temporum Sanctos PP. Christo Domino illud attributum legatur; Apud alios vero pios Scriptores, Beatæ Virgini Mariæ, & Sanctis intercessoribus; In prophanis autem, Regibus, & Principibus, vel etiam potentibus Magnatibus, seu nobilibus familiis, qui alicujus Ecclesiæ, vel Civitatis, aut familiæ Advocationem assumerent, idest defensionem, & protectionem.

Hinc proinde, clarus est modernorum error, ut nostrorum temporum Advocatis forensibus applicare velint ea, quæ apud antiquos scriptores, super advocationis, vel defensionis munere habentur, non reflectendo ad distinctiones temporum, personarum, & negotiorum, seu occasionum.

Hodie itaque, pro Curiæ Romanæ stylo, in negotiis fo-
rensibus utriusque jurisdictionis, contentiosæ, & volunta- 12
riæ, sive in contradictoriis, & gratiosis, dictæ quatuor species habentur, Advocatorum scilicet Causarum, Patro-
norum, qui Procuratores dicuntur; Sollicitatorum; Et 13
Agentium, dum nomen, seu vocabulum oratorum in latino curiali sermone congruere solum videtur illis Principum, & Rerum publicarum, vel Civitatum Legatis, & Nunciis, qui vulgo Ambasciatores dicantur, vel sint; f Adeo ut illi, qui ab eisdem Principibus, vel Rebus publicis, & Civitatibus mittuntur, vel deputantur, quamvis in effectu idem munus expliceant, ubi tamen præfatus Ambasciatorum titulus eis non tribuatur, diversum, Internunciorum, vel Residentium, sive Agentium, non autem Oratorum sortiuntur vocabulum; Ac propterea longe diversus est loquendi usus antiquorum, ac modernorum.

Ideoque tam in his, quam in aliis, manifeste erroneus, atque irrisione dignus est stylus illorum modernorum scri-
ptorum, qui grammaticæ regulas rigorose affectantes, Ci- 14
ceronis, aliorumque illorum temporum scriptorum vocabula, adhibere satagunt, ita in æquivoca frequenter incidendo, atque capiendo quid pro quo; Atque ad id per modernos scriptores est reflectendum, dum majorem doctrinam, ac peritiam ostentare volentes, ita se indoctos ostendunt, atque publicant; Idque etiam apud scriptores Italici idiomatis, sive illius Italicæ politioris linguæ, quæ Etrusca dicitur, frequens praxis, censura, & irrisione potius digna, comprobat; Commendatione siquidem digna est, culta, & politior lingua, sed juxta communem, & currentem usum, non autem expiscando, sive ab antiquis tumulis resuscitando illa antiqua vocabula, seu verba, quæ in desuetudinem, ac oblivionem jam abierunt, hunc enim errorem, etiam antiqui Jurisconsulti; (si eorum est illa lex) damnant. f

a *supra disc.* 1. b *sub tit. de benef. disc.* 20.
c *supra, tit. de judic. disc.* 6. *& lib.* 7. *tit. de tutor. curator. aliisque administratoribus.*
d *Quintilian. instit. orator. lib.* 12. *cap.* 3.
e *Quintilian. d. cap.* 3. *lib.* 12. f *supra disc. precedent.*

II.

De Advocatis Curiæ in genere, & de eorum modo scribendi, & orandi.

ADvocati itaque, juxta Romanæ Curiæ stylum, sunt illi, utriusque Juris communis, civilis, & canonici (sub quo reliquum jus particulare venit) Professores, qui tam in scriptis, quam oretenus, causas in puncto juris tantum tuentur, Judicibus insinuantes, quid de jure verius statutum sit, Sive an juris, jam notæ, & receptæ propositiones, illi casui bene applicentur, & congruant, & quomodo; Ita

sola,

solas, nobiles, ac scientificas ingenii partes explicando, juxta facti præsupposita, quæ per causarum Patronos ei fiant more antiquorum Jurisconsultorum, de jure tantum respondentes; Unde propterea, processus, & acta, nullatenus videns, neque in hoc mecanico nauseativo labore versantur; Minusque in actorum judicialium compilatione, dum omnia hæc geruntur per causarum Patronos, qui ordinant libellos, vel commissiones, aut supplicationes, aliasve petitiones, necnon articulos, & interrogatoria, aliaque omnia acta, quæ processus compilationem respiciunt, Atque ad summum in aliquibus causis gravioribus, in quibus major diligentia adhibenda sit, commissionis, vel petitiones, aliæve judiciales declarationes, vel protestationes, postquam a causæ Patrono compositæ sunt, transmittuntur per manus Advocatorum, sive ab istis illi in congressibus consilium, vel normam Procuratores recipiunt, quomodo eas concipere debeant.

Prout etiam Advocati se non ingerunt in conficiendis minutis instromentorum, aliarumque conventionum, quoniam ob copiam peritissimorum Notariorum, ab istis id frequentius (& bene) explicatur; Sive in gravioribus negotiis id committitur alicui perito causarum Patrono; Transmittitur autem solum minuta revidenda per manus Advocatorum.

Ac etiam Advocati, qui re, non autem solo nomine sint tales, unde propterea classici dici mereantur, nullatenus se ingerunt in aliis actibus, vel rebus judicialibus; Puta, in cura hæreditaria jacentis, vel patrimonii decocti existentis sub concursu, aliisque similibus mechanicis muneribus, quæ omnino abhorrentur.

In desuetudinem quoque hodie pene abiit in Advocatis ille usus, qui antiquitus erat frequens, annorum scilicet, vel menstruorum stipendiorum, quæ sub salarii nomine
16 vulgo explicari solent; Et merito quidem, cum istud salarii vocabulum, quandam famulatus speciem redolere videatur, huic muneri omnino incongruam, ac indecentem, ideoque laborum præmium, sub honorarii vocabulo in jure merito explicatur, illudque pro communi inconcusso, qualificatorum, & classicorum Advocatorum stylo, mere voluntarium est, dum nonnisi a sponte dantibus recipitur, adeout, non solum judiciales petitiones abhorreantur, atque nunquam audiantur, sed neque extrajudiciales, iis exceptis, qui in sola nuncupatione Advocati, revera tales dici non merentur, neque existimantur.

Hinc proinde sequitur ut sit probabili fundamento innixa Curiæ consuetudo a scriptoribus communiter probata,
17 ut clerici, etiam in sacris, istud munus licite peragant, quamvis ex sacrorum Canonum, & Conciliorum decretis, eis vetitum sit, atque illicitum reputetur, *h* dum ita, etiam claustralibus, & regularibus clericis congruere possit; Tum ex dicta ratione, quod laborum ingenii mercedem nonnisi a sponte dantibus recipiunt; Tum fortius, quia omnis occasio abest calumniandi, vel mendacii reatum incurrendi, dum scribunt, & loquuntur juxta ea, quæ in facto per causæ Patronos præsupponuntur, ita more antiquorum Juris Consultorum, respondentes juxta ea, quæ proponuntur; Eo modo quo etiam religiosi moralis theologiæ professores, super casibus conscientiæ consulti respondent; Adeout aliud vitæ forensis, ac sæcularis vestigium adesse non videatur, nisi in casu quo in Tribunali Auditoris Cameræ, vel in aliis superius recensitis informationes fiant in contradictorio, dum in Rota, & in Camera, ac in Sacris Congregationibus, iste stylus non habetur, ut agendo de Tribonalibus supra advertitur; Ac etiam quia ista est principaliter curia Papæ Principis Ecclesiastici, ut etiam in fortioribus terminis militum alibi advertitur.

18 Eorum autem quæ facti sunt, super tenore scilicet instrumentorum, aliorumque jurium, vel super depositionibus testium, ad effectum, ut per tramitem juris relevantiam, vel irrelevantiam dignoscere valeant, atque actiones, vel exceptiones comprobare, sive super congrua applicatione ad casum discurrere, illam habeat, alibi insinuatam, *i* notitiam, seu informationem, quam habent quoque Judices, qui pariter non vident processus, & acta, siquidem scripturarum, & depositionum testium partes substantiales, per causæ Patronos, hincinde dantur in summario; Quandoque tamen, sed raro, (prudenter quidem, & commendabiliter, & quo frequentius, eo melius, tam Judices, quam Advocati, mandant sibi dari copiam instrumenti, vel alterius documenti, aut depositiones testium per extensum, cum exinde aliqua meliora desumere soleant motiva, seu relevantiam, vel irrelevantiam, melius dignoscere.

In omnibus causidicis, vel curialibus, specialiter autem in Advocatis, illæ partes desiderandæ veniunt, quas antiqui artis oratoriæ professores, & magistri desiderant in illorum temporum oratoribus; Ut scilicet, non solum legum scientificam, non autem mere practicam, & per traditiones, more psytacorum peritiam habeant, Sed etiam, ut in historiis, aliisque scientiis, quæ ad Reipublicæ regimen influunt, bene versati sint, ut cum exemplis consiliorum casuum, & quandoque cum prudentialibus determinationibus, vel temperamentis alias adhibitis insinuare possint Judicibus, & præsertim supremis Magistratibus ea quæ magis congruunt. *m* 19

Illudque hinc, Romanæ Curiæ Advocati majus onus, cui non subjacent aliarum Curiarum Advocati, minusque subjacebant antiquæ Romanæ Reipublicæ Oratores, quod 20
scilicet, non solum legum civilium, ac prophanarum historiarum peritiam, ut supra habere coguntur; Verum etiam illam Canonum, & Conciliorum, & Ecclesiasticæ eruditioniat; Quinimo etiam aliquam peritiam Theologiæ dogmaticæ, & moralis; Ex ea differentiæ ratione, alibi quoque insinuata, *n* quod scilicet in aliis Curiis, vel Tribunalibus respective, de aliquibus causarum generibus tantum ad illum forum pertinentibus agitur; Puta in foro Episcopali de causis spiritualibus, vel aliis pertinentibus ad forum Ecclesiasticum, raræ autem sunt causæ prophanæ, quæ in eo agantur ratione personarum Ecclesiasticarum non exemptarum; In foro autem sæculari tractantur solum causæ prophanæ, quæ ad illum pertinent; Quinimo pro moribus regionum, frequentius causæ restringuntur ad tres, vel quatuor species, aliæ autem nimium raræ sunt.

E converso autem, Curia Romana dici potest manus, quæ tres gladios eodem tempore tenet, & exercet, ratione scilicet pluries enunciatæ triplicis personæ formalis, quæ in eadem persona materiali Papæ consideratur: Siquidem tanquam Episcopus Urbis, cum considerabili diœcesis districtu ad quadraginta milliaria, circumcirca, cognoscit per ejus officiales, & Tribunalia, omnes causas, quæ pertinent ad forum Episcopalem; Tanquam Princeps sæcularis Urbis, & Status Ecclesiastici Italici, in quo, ultra Urbem, quamplures nobiles, & considerabiles adsunt Civitates, multarum gravium litium productivæ, ut sunt præsertim Civitates, Bononiensis, Ferrariensis, Perrusina, Firmana, cum ampla ejus diœcesi, Ravennatensis, & aliæ plures, agit causas prophanas, quæ pertinent, ad forum sæcularem, non minores cujuslibet sæcularis principatus, ob aliam quoque ditionem Gallicam Status Avenionensis.

Et demum, singulariter ad quoscunque alios Principes, ratione Pontificiæ dignitatis, cognitionem habet omnium causarum, tam Ecclesiasticarum, quam prophanarum, quæ pertinent ad utrumque Clerum, sæcularem, & regularem, absque restrictione exemptorum; Ac ulterius, respectu sæcularium totius Orbis catholici, cognitionem habet omnium causarum spiritualium, seu Ecclesiasticarum, ultra ea quæ concernunt materiam fidei, & canonizationes, vel Beatificationes Sanctorum, ac ritus Ecclesiasticos, ideoque in his omnibus, Advocatos oportet esse pene versatos; Potissime quia ob Tribunalium stylum, & præsertim illum Rotæ, in cujus rubrica, id magis ee proposito advertitur, *o* semper oportet extemporanee, brevissimo temporis spatio, atque ut vulgo dicitur, properando, seu cursitando, de jure respondere super omnibus pene materiis utriusque juris, ac etiam moralis, & quandoque dogmaticæ theologiæ.

Atque hinc (ut pariter alias insinuatum est, non tamen inopportune repetitur,) nimium evidens, atque irrisione dignus est error aliquorum exterorum opinantium, quod 22
professores Curiæ Romanæ, solum calleant ea quæ pertineant ad Jus Canonicum, vel ad materias Ecclesiasticas pertinentes ad forum Ecclesiasticum; Nescitur enim, cum quo imaginabili fundamento, vel humano discursu id opinentur, non reflectendo, quod eadem Curia cognoscit in terminis Juris communis civilis, vel feudalis, aut alterius municipalis, omnes causas fori sæcularis pertinentes ad principatum temporalem, ut supra, ultra illas, etiam prophanas, ac de sui natura fori sæcularis causas, quæ accidentaliter, ratione personarum, vel Ecclesiarum, pertineant ad forum Ecclesiasticum, per appellationem ab omnibus Orbis catholici Ordinariis, & Metropolitanis, aliisque Prælatis, ac Judicibus Ecclesiasticis.

Quinimo in ipsa Romana Civitate, quæ adeo dives est, tan-

tantamque Magnatum, & divitum copiam habet, unde
propterea gravium litium feracissima est, municipali jure
22 cavetur, ut cum civilibus potius, quam cum Canonicis
legibus causæ cognosci debeant; *p* Ideoque prorsus fabu-
losa est hæc opinatio; Eandemque fabulam comprobant
ad evidentiam tot decisionum Rotæ Romanæ volumina,
quæ in dies prodeunt.

Debet quoque Advocatus, aliis animi dotibus esse præ-
ditus, & præsertim illa, summæ integritatis, & veritatis,
23 abhorrendo calumnias, & mendacia, sive injustas lites
confovendo, vel nutriendo, ob ejus turpe lucrum; Prout
revera, nimium commendabiliter pro regula frequenter
est praxis; quoniam, ad instar eorum, quæ agendo de Ro-
tæ auditorio de Judicibus dicta sunt; *q* Advocati quoque
integerrime in hoc se gerunt, non solum libere insinuan-
do clientibus veritatem, ac difficultates, quas habeant in
causa, quod in dies practicatur pro nimium commendabi-
li stylo frequentium congressuum, seu congregationum,
quæ pro causarum directionibus, juxta earum contingen-
tias, & opportunitates habentur in domo antiquioris Ad-
vocati; Sed etiam, totis viribus cum exactis diligentiis,
ac laboribus procurando concordias; Ut enim bene ad-
vertitur unus ex artis oratoriæ magistris, mendax, vel do-
losus, maleque morigeratus orator, non de facili veri-
tatem Judici suadere poterit. *r*

Major autem, peneque tota doctrina, seu excellentia
Advocati in Curia consistit in bene scribendo, potius quam
24 in bene orando, ob pluries insinuatum stylum, qui est pe-
ne generalis collegiatorum Tribunalium, & Sacrarum
Congregationum, non audiendi scilicet Partes in contra-
dictorio, sed per privatas, & singulares informationes in
camera; Atque in illis Tribunalibus, in quibus contradi-
ctoriorum usus habetur, ut est præsertim illud Auditoris
Cameræ, damnabiles potius, & contemptibiles reputan-
tur illi superflui, ac inutiles verbosi apparatus, qui ab ali-
quibus in existimatione habentur, dum quo brevius, &
strictius, eo melius, & commendabilius; Postquam ete-
nim inter causæ Patronos firmatum est factum, super quo
etiam inter classicos Procuratores nimium raræ sunt disce-
ptationes, vel discordantiæ, quæ solum, pro limitatione
regulæ, inter Curialium infimam plebem, sive inter illos,
quibus Rabularum forensium nomen merito congruit, so-
25 lent esse frequentes; Advocati stricte insistunt super con-
clusionibus juris, insinuando eas, quæ videantur probabi-
liores opiniones; Sive distinguendo, aut declarando con-
clusiones, vel doctrinas, quæ obstare videantur, ita im-
morando super earum congrua applicatione; Idque fre-
quentius fit, cum magna urbanitate, & benevolentia, adeo
ut fori clamores, ac strepitus non audiantur, sed per spe-
ciem familiaris discursus, vel congressus, id sequitur, dum
illi judiciorum strepitus, & clamores, qui per antiquos,
ac modernos scriptores declamari solent, audiuntur (ut di-
ctum est) in illis publicis audientiis, quas tenent Judices
Tribunalis Auditoris Cameræ, & Vicarii, & Capitolii,
super incidentibus, vel super causis brevioribus, occasio-
ne lecturæ citationum, super quibus tunc extemporanee
interloquendum est; In ista vero functione nunquam in-
terveniunt Advocati, minusque classici, & qualificati cau-
sarum Patroni, Sive isti nimium raro, quando causæ, vel
incidentis qualitas ita exigat, dum id explicant, vel pera-
gunt, mediante opera Sollicitatorum, quorum munus in
hoc principaliter versatur, ut ista, sive illorum juve-
num, qui gratia addiscendi praxim, atque se habilitan-
di ad peragendum munus Advocati, vel Procuratoris
apud eos versentur.

Hinc proinde, Advocatorum pene nullæ, vel nimium
26 raræ videntur esse partes orandi, comparative ad causas,
quas in aliis Tribunalibus tenent, Et nihilominus, quan-
do de his agi contingat, longe diversus est modernus Ro-
manæ Curiæ stylus ab eo, quem habebat eadem Curia an-
tiqua, sub Republica, vel florentissimo, adeoque poten-
ti Imperio prophano; Tunc etenim orandum erat Populo,
vel Senatui, quorum uterque saltim pro majori parte erat
legum ignarus, neque merita causarum scientifice, & per
regulas juris, prævio maturo studio, judicaturus erat, id-
eoque unum, vel alterum, sive utrumque cum arte orato-
ria, in genere suasivo, vel demonstrativo captare, atque in
suam sententiam trahere oportebat; Ac propterea verbosi
apparatus, ac etiam replicatæ eorundem motivorum exa-
gerationes, aliæque oratoriæ artis regulæ, congrue adhi-
bebantur, eoam circa motus, vel gestus corporis, & quan-
doque opportune, risus, vel planctus, ac lamentationes ad-
hibendo, ad auditorum benevolentiam captandam, sive
ad promovendum in eis pietatem, vel respective rigorem,
& indignationem, juxta opportunitatem, vel finem ora-
toris, ac juxta illum stylum, quem hodie respective adhi-
bent Concionatores, & Comici; Ac propterea etiam ho-
die, quando cum imperitis pectoralibus Judicibus agatur,
iste stylus adhibendus est, atque commendabilis, imo ne-
cessarius videtur.

Damnabilis vero, imo contemptibilis censendus est apud
Judices literatos, ac professores Juris, qui per regulas juri-
dicas, præcedente, vel subsequente formali studio, cau-
sas decidere debent, Isto enim casu, Advocatus omnino
effugere debet superfluas verbositates, atque stricte, &
breviter insistere super illis solidis motivis, ad quæ in sub-
stantia causæ pondus, vel cardo difficultatis restringatur,
ut ita ea, quæ deducuntur, aliquam faciant impressio-
nem, utpote futuri studii præparatoriam, dum alias ver-
bosæ superfluitates Judicis intellectum potius offuscare so-
lent, ut neque bene percipiat, vel retineat ea, quæ vere
opportuna sint.

Adaptabile ad id videtur practicum exemplum, vel si-
mile, quod habemus circa merita, & virtutes, vel mira-
cula alicujus servi Dei; Quando etenim de bis agendum
est in pergamo, vel in academia, concionando, vel oran-
do in laudem illius servi Dei, cum eo stylo qui panegyri-
cus dicitur, ad incitandam populi devotionem, tunc cum
regulis artis oratoriæ præviis apparatibus, virtutes, &
miracula exornantur, magnificantur, ac repetuntur, &
inculcantur, incipiendo a levioribus, ut oratio crescat,
atque orationem adjuvando cum corporis actibus, ac gesti-
bus; Sed si hunc stylum teneret Advocatus, informando
Sacram Congregationem Rituum, ad effectum docendi
quod ille servus Dei canonizatione, vel cultu sit dignus,
utique irrideri mereretur, atque in ejus professione igna-
rus reputaretur, dum stricte, beneque concludenter docere
debet de sufficientibus probationibus, ac de iis, quæ Judi-
ces ad id movere debent, resecando superflua, quæ potius
nocent.

Informatio etenim in voce apud Judices literatos, qui
cum maturo studio per tramites juris judicaturi sunt, co- 27
mestioni, seu dentium mastioni comparanda videtur, ut
ita melius, ac facilius a stomaco fiat digestio, ideoque ille
solum modicus, beneque præparatus cibus in ore apponi
debet, quem stomacus digesturus est, pro corporis salubris
alimoniæ fine, vel effectu; Insinuando propterea *Judici*
breviter facti seriem, atque difficultates, ad quas causa
restringatur; Deinde probando suæ intentionis funda-
menta, atque reprobando illa contradictoria, familiari
tamen, ac urbano more; *Atque hinc irrisione digni cen-
sendi* sunt illi alicujus politioris literaturæ professores, vel
attincti, qui antiquorum scriptorum traditiones super la-
crymis, suspiriis, risibus, aliisque gestibus conductitiis
Advocatorum, & oratorum, nunc applicare satagant no-
strorum temporum Advocatis, cum in Curia Romana id
ab aula penitus recesserit, ac propterea loquuntur extra
propositum.

Quo vero ad aliud munus scribendi, (in quo vere ma-
jores, peneque totales Advocatorum Curiæ partes versan-
tur) pariter damnabiles, & contemptibiles reputantur su- 28
perflui apparatus, vel præfationes, quoniam verus, &
commendabilis scribendi modus est (præsupposita facti se-
rie jam per causæ Patronum in ejus informatione enarra-
ta,) stricte, & categorice, quo brevius, eo melius, &
commendabilius, fundare de jure intentionem clientis,
atque occurrere difficultatibus, quas alterius Partis moti-
va inferre possint, quando certo sciatur, quod alterius
Partis defensores illa promovere, seu deducere debeant, 29
dum alias error est, præventive respondere formidatis ob-
jectis, cum ita sit excitare dormientem, atque sæpius ma-
gis placent objecta, quam responsiones.

Diversusque esse debet forensis scribendi stylus ab eo,
quem artis oratoriæ regulæ docent, ut scilicet a levioribus
inchoandum sit, ad hoc ut crescat oratio, atque in fine sit 30
melior, & claudatur cum solidioribus, magisque efficaci-
bus motivis; Id enim congruum est oratori, qui in gene-
re suasivo, vel demonstrativo, cum sola verborum, seu
rationis efficacia, imperitos auditores suadere, atque in
suam sententiam trahere debet, ut faciunt Concionatores,
& Comici, seu militiæ Duces; Secus autem, cum Judicibus
peritis, & juris Professoribus, quibus, initio informationis,
atque, ut vulgo dicitur, in frontispicio, magis solida, &
stringentia motiva insinuanda sunt, ut ita bonum causæ ju-
dicium,

dicium, vel conceptum efformare Incipiant; Et ne alias, e converso, ex debilibus, vel fallacibus motivis, finistram efformando opinionem, negligant meliora, & solidiora fundamenta, quæ subjiciantur; Sive quod intellectus, a prævia lectura inutili fastiditus, vel defatigatus, non ita bene utilia percipiat; Atque ad istum quoque effectum, clarus quidem, sed quo magis fieri potest, brevis, & Laconicus stylus est adhibendus.

Æquiparant etenim aliqui (& bene quidem) oratorem, vel scriptores, illi debitori, vel ministro, qui aliquam pecuniæ summam, creditori, vel domino est solutus, quoniam eam in parvo sacculo auream, vel saltim argenteam, melius solvet, quam æneam in magna quantitate, quamvis utraque species, eundem habeat valorem, eandemque importet summam, imo minus æstimatur, dum prolixus, ac verbosus stylus, aliud non importat, nisi solvere in ære illam pecuniam, quæ in auro, brevius, ac melius solvi potest; ideoque Romanæ Curiæ stylum studendi brevitati, referunt etiam antiqui scriptores; (Quinimo quod mirum est, etiam ubi stylus prolixus est in usu, aliqui inclinant brevitatem. r

Referunt hanc brevitatem aliqui exteri, Curiæ stylo dividendi causarum disputationes in plures punctos, su-
32 per quorum singulis, distincte scribatur; Verum ista opinio, vel credulitas, germana est alterius supra insinuatæ, super imperitia Juris civilis, ac rerum prophanarum, ita in sancta simplicitate procedendo cum antiquis traditionibus illorum temporum, in quibus id in usu erat; Siquidem a tempore notabili citra, & forte totius currentis sæculi, in desuetudinem id abiit, dum in unica disputatione, de tota causa, omnibusque ejus punctis agitur, ut supra agendo de Rotæ Auditorio advertitur. s

Bene verum, quod (deplorabiliter quidem,) etiam in Curia, istum adeo bonum, adeoque commendabilem
33 stylum scribendi stricte, & cathegorice, corrumpere satagunt aliqui inepti, veteque contemptibiles Pragmatici, qui facultatis scientiam non habentes per causas, & per principia, sed per solas traditiones, vel transcriptiones eorum, quæ legunt in repertoriis, chartas replent inutilibus allegationibus, ac generalibus regulis, & axiomatibus, frequenter negligendo illa substantialia motiva, in quibus causæ pondus consistat, sive super eis nimium parce agendo, atque ita abondando in superfluis, & deficiendo in necessariis; Res quidem omnino damnanda, & contemnenda.

In hoc etenim homines distinguuntur a brutis, quod homines, id quod agunt, ex motivo rationis, sive propter aliquem finem agunt, dum omnis agens agit propter finem; Sive in hoc distinguuntur sapientes ab insipientibus, ac literati a reliquo vulgo ignaro, ut illi non ex solis traditionibus, vel ex solo naturali instinctu, sed ex prudenti, beneque regulato discursu suas metiantur operationes; Non videtur etenim qualem rationem, qualemve finem habeat iste ineptissimus abusus, ignaro leguleico vulgo placitus, inutiliter replendi chartas, cum superfluis allegationibus super illis principiis, ac propositionibus, quæ hodie planæ sunt, nullamque patiuntur difficultatem, sed recte præsupponi possunt; Ideoque scribendum est, insistendo principaliter super applicatione ad casum controversiæ, & super qua applicatione totum est pondus, generalitates præsupponendo.

Provenit hic error ex eo quod imitari volumus aliquos antiquiores scriptores decursi sæculi, vel etiam currentis,
34 circa ejus initia, qui cum elaborato stylo (laudabiliter quidem) curarunt aliquos articulos, & quæstiones plene, cum auctoritatibus, & rationibus comprobare, ac disputare, & examinare; Manifestus vero est error modernorum scriptorum, eundem adhibere stylum, ob temporum, ac rationis diversitatem.

Ex aliquibus etenim, glossæ, Bartoli, Baldi, Innocentii, & Jan. Andreę, aliorumque antiquorum scriptorum (sive a casu, sive ferio illę prodierint) multę inter alios scriptores posteriores, & pręsertim retroacti sęculi irrepserunt quęstiones, in quibus DD. in classes factionario more divisi fuerunt; Unis unam; Aliis vero alteram sequentibus opinionem, adeout incertum adhuc esset, quęnam opinio, verior censenda esset, atque in judicando, vel consulendo tenenda; Tunc etenim (rationabiliter quidem,) oportebat hunc adhibere stylum, cumulandi diligenter, & cum summo labore auctoritates, quæ hinc inde constituant, ad effectum inspiciendi quęnam magis communis esset, majorique sequacium calculo roborata, dum quælibet factio, vel classis ejus opinionem esse communem, vel magis communem autumare solebat; Ideoque audiebantur ineptiæ de communi, & magis communi, vel communissima, sive de communi contra communem, ac propterea irrepsit axioma circa improbum legistarum laborem.

Istoque rerum statu retento, illa præsertim assumi solebat problematica quæstio, an auctoritatibus potius, vel rationibus esset deferendum, atque istam posteriorem par-
tem sequi profitebantur magna Tribunalia, & præsertim 35
Rota, x Hodie vero, hæc omnia pene abolita sunt, quoniam (ut alibi pluries advertitur) omnes illæ, quæ nodosæ, atque involutæ quæstiones erant apud antiquiores, jam sunt sopitæ, dum una ex opinionibus, per moderniores, vel per Tribunalia respective, firmiter constituta est pro regula, altera vero pro limitatione; Et consequenter, contingente casu, nulla suppetit necessitas assumendi disputationem in puncto juris; quænam opinio sit verior, vel magis communis, seu magis rationabilis, ut nostris majoribus disputandi onus incumbebat; Ideoque merito illi numericas classes, ac litanias texere cogebantur; Id autem hodie super eisdem penitus ineptum est, & incongruum, quoniam disputationes restringuntur ad factum, sive ad applicationem, an scilicet, ex illius casus circumstantiis, locum potius habeat regula, vel respective limitatio.

Utputa; In successionibus individuis Regnorum, vel
Principatuum, & feudorum, sive primogeniorum, vel 36
majoratuum; Apud antiquiores adeo involuta erat quæstio, inter patruum secundogenitum, & nepotem ex primogenito, adeout aliqui crediderint, ut cum singulari certamine, vel cum judicio sortis, ac decidenda esset, multas involvendo desuper simplicitates; Sive an filiis in conditione positi censeantur vocati; Aut an sub nomine filiorum veniant nepotes, & descendentes; Vel an masculinum concipiat femininum; Sive, an attendi debeat proximitas gravantis, vel gravati; Aut an inter patrueles, successio esse debeat in stirpes, vel in capita; Vel an Trebellianica possit prohiberi filiis primi gradus, cum multis similibus involutissimis quæstionibus; Omnes autem istæ, & similes hodie explanatæ sunt, atque in abstracto disputationum indignæ reputantur, dum ea solum cadit in concreto; Igitur, regulæ, vel respective limitationes, quæ in ea regione, vel in eo Tribunali extra controversiam hodie firmatæ sunt, atque receptæ, præsupponendæ veniunt, manifestaque ineptia est, irrisione quidem digna, chartas allegationibus desuper implere, & præsertim in magnis Civitatibus, vel Tribunalibus respective; Sed eis præsuppositis, stricte insistendum est, in exclusione, vel inclusione limitationis, ob illius casus particulares circumstantias.

Major quoque ineptia est, nimiumque nauseativus sty- 37
lus ille cumulandi allegationes, atque cum eis inaniter chartas replendi, super illis axiomatibus, vel principiis, quæ sint notoria, nullamque recipiant alterius Partis contradictionem; Puta quod possessori anteriori, competat manutentio; Vel quod fideicommissario, docto de fideicommissi existentia, & pertinentia, ac legitimatione personæ, & identitate bonorum, & incompetentia detractionis danda sit immissio; Sive quod in prophanis, data relevantia, neganda non sit remissoria in prima instantia; Aut quod præsentato ab omnibus patronis, vel a majori parte, constito de jurepatronatus existentia, & pertinentia, & capacitate præsentati, danda sit institutio; Vel quod literæ Apostolicæ justificatæ, sint exequendæ, cum similibus; super his etenim, utique fatuitati tribuendum videtur, auctoritates congerere; Ad instar illius, qui secuto aliquo casu in meridie, cum magno labore, ac sumptu, multos curat testes inducere ad probandum quod tunc esset de die, & non de nocte; Et per consequens non videtur quænam sit excogitabilis ratio, vel finis, ad quem ista ineptia exerceatur.

Tunc itaque iste labor opportunus est, nimiumque commendabilis, atque scribentis eruditionem probat, quando agatur de articulo adhuc dubio, qui existat in illis terminis, in quibus apud antiquiores erant superius enunciatæ, ac similes quæstiones.

Longe autem commendabilius, quando scribens, agno- 38
scendo quod illa opinio, quæ in loco vigeat, erronea, maleque fundata sit, solumque recepta ex abusu pragmaticorum procedendi more pecudum, vel avium, assumat opus illam impugnandi, ac ostendendi errores, sive illam de-

clarandi; Tunc etenim si haberi possunt multæ auctoritates graves, quæ id comprobent, expedit eas perquirere, & cumulare, non autem procedere cum solis ratiociniis, cum similibus, quibus eadem congruat ratio; Sed eis cessante, non videtur, ad quid id serviat, & cui fundamento, vel rationi innixi sint illi, qui hunc nauseativum stylum adhibent; Nisi dicatur, quod sint ex illis ineptis pictoribus, qui nescientes corpus, ejusque membra bene delineare, & efformare, toti insistunt in magna colorum congerie super vestibus, aliisque inutilibus ornamentis, quæ tabulam potius deturpant, eamque apud peritos reddunt contemptibilem; Bene verum quod pulchra videbitur pueris, & mulieribus plebeis, vel reliquo penitus ignaro vulgo, &c. Ita a pari iste ignobilis modus scribendi, referendus est stylo plebei, seu vulgi leguleici, ideoque merito plebei, seu vulgo infimo, & pedaneo placet, quia styli forte alterius adhuc altioris eorum intellectus est incapax.

39 Et nihilominus, etiam in casibus, in quibus hunc laborem adhibere congruat, ille adhibendus est, cum illa scriptorum segregatione, vel ponderatione, de qua habetur supra in Rubrica Rotæ, & occasione agendi de idea Judicis, cum eadem, quæ de Judice ibi dicuntur, scriptori, vel Consulenti congruant, ibique videri poterunt.

In reliquis etenim, ubi scriptor, methodice, ac alte loquatur, plures præsupponendo conclusiones, vel regulas, ex quibus ad aliquam inferat consequentiam, vel conclusionem, utique (citra manifestam ineptiam) opinandum non est, quod ille non habeat notitiam illarum auctoritatum, quæ desuper habeantur, ob tam magnam copiam Collectorum, quam hodie habemus, adeout etiam tyronibus, qui vix principia calleant, nimium facile redditum sit, magnas facere consarcinationes; Ideoque iste stylus est infimi vulgi, seu ineptæ plebis leguleicorum, quorum nomen, etiam apud primos legum, vel artis oratoriæ patres, & magistros, in usu contemptibile semper fuisse habemus scriptum.

40 Dicere solent aliqui, quod hujusmodi cumulus allegationum, atque articuli plena reassumptio, prodesse possunt pro imperitis judicibus, præsertim parvorum locorum, cum quibus præsupposita fieri non possunt, neque ego improbo stylum, quando ista necessitas cogat; Verum id in magnarum Civitatum, & Tribunalium Judicibus, non est supponendum; Alias enim dicendum esset quod orator debeat multas facere digressiones, docendo etiam regulas grammaticæ, eo quia multi adesse possunt auditores, qui linguam latinam non intelligant; Et tamen esset iste clarus error, ac ineptia manifesta, quoniam supponendum est, quod oratio fiat iis, qui grammaticæ regulas calleant, ita a pari.

41 Studendum itaque est principaliter congruæ applicationi, pro illius individui casus particularibus circumstantiis, atque pro ipso decidendo; ad instar medicorum, qui evocati ad infirmum curandum, vacare non debent disputationi scholasticarum quæstionum, sive longis inutilibus apparatibus, vel discursibus accademicis, super propositionibus generalibus; Sed eas, utpote notorias, & certas præsupponendo, incombere debent congruæ applicationi, ad effectum curandi illum infirmum, bene perquirendo causam morbi, ac etiam ponderando illius præcisi corporis habitum, ac vires, ex quibus judicare debent, an congruant illa remedia, quæ docent regulæ generales artis, atque alias erunt imperiti, & contemptibiles medici, curationi infirmi non apti; Et hic est casus, etiam scriptorum, seu Consulentium pro causarum opportunitate.

42 Magnas item quæstiones disputant aliqui Canonistæ, & Morales, super munere Advocatorum, an scilicet, & quando liceat illas causas tueri, quæ pro eorum opinione injustæ videantur, adeout, si ipsi essent Judices, sententiarent favore alterius partis; In hoc autem, ac similibus, quæ internum forum concernunt, nullæ sunt meæ partes agendi, quoniam ea iis quæ pluries alibi insinuata sunt, viro forensi versato in iis, quæ externum forum concernunt, incongruum est hoc munus assumendi quæstiones fori interni, utpote extra propriam sphæram, ut e converso incongruum est professoribus fori interni se ingerere in iis, quæ ad externum pertinent.

Relinquendo itaque integrum locum veritati, discursive tantum, sive ad quandam propriam satisfactionem (quatenus pertinet ad Advocatos Curiæ Romanæ, de quibus agitur) videtur quod manifesto æquivoco laborent Scriptores illi, qui non distinguendo regiones, vel earum diversos mores, & stylos, generaliter, ac indefinite loquuntur de Advocatis, innixi auctoritatibus eorum, qui juxta propriarum regionum mores, ac stylos, illos supponunt Advocatos, qui etiam acta, & processus ordinant, atque eorum quæ facti sunt, curam habent, habendo Procuratorem tanquam subordinatum, & inferiorem ministrum practicum, seu executorem eorum, quæ ab Advocato demandentur, juxta eam proportionem, quæ in Curia habetur inter Procuratores, & Solicitatores, adeout Advocatis bonis innotescant ea, quæ facti sint, atque ad ipsos pertineat exceptiones proponere, ac subterfugia, & dilationes, quæ calumniam redolere valeant.

In iis etenim, quæ consistunt in facto, cujus veritas est certa, & invariabilis, hujusmodi Scriptores bene loquuntur, quoniam tueri causam injustam de facto, redolet per necesse fomentum calumniatum, ac etiam mendacium, quod est de genere malorum, atque semper, & intrinsece est malum, ideoque injuste defenditur ille debitor, vel rei alienæ illicitus detentor, qui verum creditorem, vel rei dominum defatigare curet, cum calumniis, & cum subterfugiis, vel cum falsis probationibus. 43

Id autem penitus incongruum est illis Curiæ Romanæ Advocatis, qui (ut docet) superius explicatum puri Juris Consulti munus gerant, respondendo de jure tantum, super iis, quæ in facto, per causæ Patronum præsupponuntur, cum bona fide, credendo, quod illa vera sint, adeout, causæ justitia, vel injustitia, pendeat ab articulo juris dubio, sive dubia applicatione regularum juris, ad illam facti speciem; Atque tunc solum (pro meo judicio) istis Advocatis, præmissæ dubitationes bene congruere videntur, quando scilicet agatur de illis, (nimium tamen raris) casibus, in quibus agatur de re in jure clara, & certa, verum Judex adeo imperitus esset, ut decipi valeat, sive altera pars defatigari, cum propositionibus positive falsis, vel certe reprobatis, aut cum aliis malitiosis fallaciis, quas judex, vel alterius partis parum peritus defensor non cognoscat, cum tunc pariter intrare videatur eadem ratio doli, ac mendacii, seu calumniæ, ut in iis quæ facti sunt, habetur. 44

Ubi vero cesset ista circumstantia, quia nempe agatur de puncto Juris ambiguo, & disputabili, ut pro frequentiori contingentia praxis docet in classicis Curiæ Advocatis, dum isti assumi non soleant in causis planis, sed solum in ambiguis, & quando causæ Patronus agnoscat quod ejus vires non sufficiant, adeout frequentius Advocati evocari soleant, eo modo quo medici extraordinarii alicujus majoris nominis, & existimationis, evocantur per medicum ordinarium, quando videat infirmum in aliquo periculoso statu: Et tunc non videtur quomodo ad praxim reduci valeant ea, quæ per dictos professores interni fori desuper cum consuetis metaphysicis, vel idealibus discursibus in abstracto ponderari solent, circa propriam opinionem, vel conscientiam; Tum quia Advocati non judicant, neque cogunt Judicem ad ita judicandum, sed solum insinuant motiva comprobata cum auctoritatibus, & doctrinis, quæ habentur in libris impressis, ideoque de facili videri possunt, earumque fallacia dignosci; Tum etiam quia in magnis Civitatibus, & Tribunalibus, adest copia Advocatorum literatorum, qui e converso per alteram partem assumpti, id detegere possunt; Ac etiam ipsi Judices supponendi sunt periti, vel quod peritos habeant assessores, vel adjutores.

Magis autem ea eo, quod quotidiana praxis docet, ut in ambiguis articulis juris, seu in ambiguis applicationibus, ob ingeniorum varietatem, id quod uni videtur album, alteri æqualis doctrinæ, ac integritatis, videatur nigrum; Quinimo ut in eodem Tribunali, ex eisdem motivis, non immutato facto, pluries retractentur resolutiones, vel sententiæ. Unde propterea frequens praxis docet, quod non vocato congressu plurium insignium, & primi nominis Advocatorum, pro sola veritate concludatur causam esse in tuto, & tamen diversus sit infelix eventus; Et e converso concludatur quod causa sit nimium periculosa, & tamen sit facilis, & felix victoria, ut præsertim in quæstionibus ambiguæ voluntatis mortuorum, vel etiam viventium, quotidiana experientia probat; Adeout stulti, pro meo sensu, reputari mereantur illi Advocati, vel Professores, qui tute, atque constanter loquantur de justitia, vel injustitia causarum, qua-

quarum resolutio, ab articulis juris controversis, fortius vero, a dubia applicatione decisionem expectat.

Item quia magnum resultaret præjudicium Partibus, ut Advocati postquam assumpti sunt, atque de causæ meritis sunt instructi, ob eorum diversam opinionem, deberent causæ defensionem deserere, quoniam ita esset pandere secreta causæ, illamque declarare injustam, antequam judex id agat; Et tamen potest ipse decipi, ut frequentissima praxis docet; Et in summa esset res omnino impracticabilis; Ideoque libenter ab istis scriptoribus audirem, quisnam sit ille, qui credat istam veritatem ita cognoscere.

45 Illud autem onus, advocatis, aliisque Professoribus, incumbere pro meo judicio videtur, ut consulti pro veritate, illam sincere, & candide dicant, eo modo quo eam ex proprio sensu, vel opinione credant; Sive ut assumpti ad causæ defensionem, proprios sensus, propriasque difficultates clienti aperiant, ut ita rebus suis consulat, omnino abhorrendo stylum illorum, qui turpis lucri gratia, atque (vulgo dicitur) ne pipiones a columbaria expellantur, omnes asserunt causas bonas, & justas, adhibendo illud nimium damnabile dictum, ut nulla sit causa mala, quam bonus Advocatus, non possit facere bonam, Ac etiam mea fuit consuetudo in parvis locis, atque apud pedaneos judices, apud quos auctoritas scribentis impressionem facere possit, nunquam scribendi, nisi pro veritate; Quæ tamen ita obiter, & discursive insinuata sint, nihil pro foro interno firmando, cum meum non sit assumere quæstiones opinionis probabilis, vel probabilioris, de qua videant ii, ad quos pertinet. *a*

46 Problematica item est quæstio, an pluribus Advocatis in eadem causa scribentibus, congruat necne, omnes eorum informationes, reducere in unum compendium, quod sub restrictus vocabulo, in Curia explicatur, cum omnium subscriptionibus, juxta usum, qui antiquitus magis rarus, hodie vero ab aliquo moderno tempore nimium frequens in Curia videtur; Aliqui siquidem id commendant, nedum ob majorem Judicum commoditatem, & ne fastidiantur lectura tot informationum, quæ contineant idem, unde propterea remanere videtur superfluus labor; Tum etiam, ob causarum servitium, quod scilicet pro consueta ingeniorum diversitate, aliqui Advocati insistere magis soleant in certis motivis, quam in aliis; Et alii e converso magis in iis, quæ per alios negliguntur; His enim consulitur huic inconvenienti, atque omnia in una scriptura proponuntur; Idque expediens reputatur, ob eandem rationem varietatis ingeniorum, quæ in Judicibus quoque contingit, unde propterea, quod uni placet, alteri displicet, & e contra.

Ab antiquis enim nostris magistris Advocati monentur, omnia motiva deducere, etiam ea quæ ipsi levia videantur, cum sæpius ea eis resolutiones favorabiles reportentur, iis neglectis, quæ ipsi solida, ac meliora credant, juxta alias insinuatum exemplum dapiferi, qui non illos cibos tantum, qui sibi boni videantur, apponere debet in mensa convivii, in quo multi accumbant, sed debet apponere omnes illas ciborum species, quæ haberi possunt ob gustuum, & stomachorum diversitatem, dum pluribus Advocatis in causa scribentibus, Judices ex genio, vel casu, unius informationis lectura contenti esse solent, supponendo quod alii eadem dicant, & consequenter non vident alia motiva.

Alii vero e converso id non laudant, nisi in aliquibus casibus nimium raro contingibilibus, in quibus causæ qualitas, ex necessitate, ob multiplicitatem motivorum, quamvis laconicus adhibeatur stylus, informationes prolixas exigat; Ubi vero pro frequentiori contingentia, (ut decet) non corrumpatur optimus, & nunquam satis laudatus antiquus Curiæ stylus, brevis, ac strictus ad punctum, abhorrendo superfluitates, ut supra, tunc damnabile potius id reputant; Unde propterea ab ipsismet primis temporibus, in quibus Curiam practicare cœpi, ac semper successive, expertus sum quod iste fuit sensus magis communis Advocatorum, seniorum, & primi ordinis, ex triplici ratione; Primo nempe, quia frequentius, in causis præsertim gravibus, pro quarum directione, juxta superius insinuatum commendabilem stylum, haberi solent congressus, seu congregationes, vel ob prævias ejusdem causæ disputationes in alia instantia coram Auditore Cameræ, vel ab alio Judice, omnia motiva, seu merita, omnesque doctrinæ, seu auctoritates, omnibus pariformiter innotescunt; Et tamen, inter plures in dies experimur varios scribendi modos, quod scilicet alii sunt boni, & excellentes scribentes; Et e converso alii mali, & inepti, dum vis est in meliori, vel pejori stylo; Ut in aliorum literarum professoribus, & præsertim in historicis, vel chronologistis, aut in scriptoribus Epistolarum familiarum, qui vulgo secretarii appellantur, quotidiana praxis docet, quoniam pluribus easdem facientibus rerum enarrationes, unus bene, & excellenter, alter vero male, & insipide, idem explicat; Ad instar plurium coquorum, qui easdem ciborum species diversimode condiunt; Sive plurium pictorum, qui easdem figuras, super eodem individuo modulo, in diversis tabulis pingunt, cum similibus, quoniam vis est in stylo, seu in modo dicendi, cum majori vel minori spiritu, & elegantia, unde majorem, vel minorem faciant impressionem; Et per consequens improprium videtur, quod si plures pictores, diversas tabulas, super eadem figura confecerint, melius, vel deterius explicantes desideratam imaginem, ut committi debeat uni juniori, qui forte minorem pravim vel peritiam habeat, quod ex omnibus, unam efformet tabulam publice exponendam, quoniam in substantia erit pictura unius juvenis, juxta ejus pingendi, seu delineandi modum, ita obscuratis tabulis pictorum excellentium.

Secundo, quia cum nemo sit qui ingenio cedere velit, omnique ævo, amor, ac existimatio sui ipsius supra alios, magnam semper habuerint dominationem, juxta vulgare exemplum symiæ, cui proprii symioli cunctis animalibus pulchriores videntur; Hinc sequitur quod quilibet ea pluribus scribentibus, ambit, atque inculcat, ut ejus motiva, eo modo, quo ab ipso deducta sunt, reportentur, ægre ferendo quod aliter fiat, unde propterea compendii extensor, ut omnibus satisfaciat, cogitur componere corpus informe contra ordinem symmetricum, atque ut vulgo in Curia dici solet, informatio continet quandam male ordinatam consarcinationem, quæ vulgo *Salciccia* nuncupatur.

Et tertio fortius, quoniam in operibus ingenii, major stimulus est ille ambitionis, & æmulationis, quod scilicet in concursu plurium idem opus componentium, quilibet studeat, ita perfecte, ac bene illud agere, ut plausum majorem reportet; Idque præsertim in Advocatis juvenibus commendabiliter cordi esse solet ac debet, unde propterea acuitur ingenium, longeque major adhibetur applicatio; Atque id non solum influit in privatam illius causæ utilitatem, sed etiam in bonum publicum, quod scilicet ita, ex continuatis actibus, fit habitus bonus, sicque plures efficiuntur excellentes professores; E converso autem, ubi sciatur, vel stante stylo supponatur, quod faciendus sit restrictus, tunc languescit ingenium, atque cessat ista causa generosæ excitationis spirituum; Ex his itaque ista posterior opinio melioribus reputari solet fundamentis innixa, quandoque pro regula teneri debeat negativa, quandoque pro causæ qualitate limitanda, sed raro.

Istam vero necessitatem, seu consuetudinem produxit forte aliquorum modernorum scribentium abusus, corrumpendo adeo excellentem Curiæ stylum, atque amplectendo stylum caeterum ineptum, ac damnabilem, replendi chartas superfluitatibus. Ac propterea error errores generat, atque multiplicat, quoniam si scriberetur (ut decet) juxta stylum Curiæ, tunc ista necessitas non adesset.

Non desunt tamen qui (forte non improbabiliter) hunc abusum referunt moderniori diverso stylo Rotæ in decisionum editione, ob axioma *Regis ad exemplum &c.* ut superius quoque agendo de eo Tribunali advertitur *b*. Quoniam si in decisionibus adhiberetur (ut adhibendus esset) ille stylus magistralis, qui adeo magno Tribunali congruit, præsupponendi scilicet, jam notas, & vulgares regulares, & conclusiones, neglecto plebeo stylo, illas exornandi cum superfluis allegationibus, stricteque immorandi, more magistri, non autem discipuli, vel tyronis cum rationibus, & auctoritatibus, in solis motivis, in quibus consistat causæ pondus, & quæ fuerint causa resolutionis; Ita quoque edocerentur Advocati, cum eodem stylo scribere stricte super eo puncto, in quo difficultas resideat. Id autem ex bono zelo, pluries insinuare, atque inculcare nunquam superfluum videtur.

Honorarium Advocatorum, ex antiqua Curiæ consuetudine, certam, ac uniformem habet taxam, quod scilicet sine distinctione causarum, sive magnæ, sive parvæ sint, nulla ratione habita earum valoris, pro qualibet functione in scriptis, sive sit prima, & magis elaborata informatio ad causam, sive sit brevis responsio, vel replicatio; Ac etiam pro informatione in voce, sive sit unius 47

Judi-

Judicis, sive plurium eadem die, & in eadem causa, ac sive in contradictorio, sive in privata informatione absque contradictore, in camera, idem est præmium juliorum scilicet vigintiquatuor, pro magis communi consuetudine, & aliquando pro causarum, vel clientium aliqua magis conspicua qualitate, augeri solet, usque ad summam juliorum triginta, sive duorum scutorum auri.

Si vero sint consilia, vel discursus pro veritate, vel pro directione causæ, quæ instituta, vel instituenda sit, tunc honorarium est duplicatum, quoniam licet etiam si exiguum, attamen intrat eadem ratio compensationis cum futuro causæ progressu: Ubi vero agitur de consiliis extra Curiam in causis, in quibus non sortet dicta ratio compensationis, tunc debet esse majus, & minus pro causarum qualitate, atque requirentium discretione; Ubi tamen indiscretio adsit, adhuc eadem adhibetur diligentia, neque fiunt mechanicæ represaliæ, vel petitiones.

Istum autem stylum, a quamplutibus prudentibus clientibus illarum partium, in quibus ille non vigeat, usque ad sidera commendari, pluries, ac pluries expertus sum, cum ita eradicetur occasio malæ satisfactionis inter advocatum, & clientem, dum iste scit quid dare debeat, & ille quid recipere; Et quamvis aliquibus primo aspectu, taxa exigua videatur, qualitati operis incongrua, sive indecora; Attamen id clarum continet æquivocum, quoniam reflectendo ad multiplicitatem functionum, & hujusmodi recognitionum, earumque cumulum, invenietur, quod in causæ cursu, importet idem, ac illud præmium, quod una vice in notabili summa, cum majori displicentia, & incommoditate præstetur, & quandoque plus.

Prodiit autem ista taxa juliorum vigintiquatuor ex qualitate monetæ aureæ, quæ antiquitus in Curia erat in usu, illorum scilicet ducatorum auri, qui scuti larghi Solis appellabantur, quoniam pro qualibet functione dabantur duo ducati; Sed quia ob frequentiorem usum scutorum breviorum minoris valoris istius monetæ cussio negligi cœpit, ideoque rara erat, ejus tamen valor ob insrius pretium auri importabat julios duodecim, hinc invaluit usus dandi æquivalentiam in magis currenti moneta argentea. *c*

Est quoque problematicum, an damnabilis, vel commendabilis censeri debeat Curiæ stylus, ut idem sit præmium in casu victoriæ, ac in altero succumbentiæ, dum victoria nullum aliud (pro frequentiori stylo) præfefert præmium,

Siquidem pro opinione damnante hunc stylum, urget motivum quod ita sub spe præmii, advocatus fiat diligentior, magisque ingenium acuat; E converso autem pro altera opinione urget ratio, quod ita tollitur occasio advocatis, ac defensoribus turpiter agendi, atque conandi, per fas, & nefas reportare victoriam, ex stimulo ejus majoris præmii, assumendo forte aliquando potius partes mediatoris, vel negotiatoris sordium, & corruptelæ cum Judicibus, & Notariis, vel in obtinendo favores apud Judices, quam advocati in studio, ac defensione causarum per tramites juris, & justitiæ; Unde propterea lex merito adeo prohibuit in advocatis, & procuratoribus, pacta quotæ litis; Ac etiam ob magna incommoda, quæ litigantibus exinde resultant, dum ob favorabiles sententias, vel resolutiones, antequam eorum effectum reportent, coguntur istud incommodum de proprio pati, atque frequenter casus præbet, quod executio, vel effectus victoriæ nunquam obtineatur, ideoque potius jacturam, & damnum de proprio sentiunt, eisque magis expediret, illam non reportasse, sed passos esse succumbentiam, istaque posterior pars est melior.

Quamvis ita, super pactis quotæ litis, a lege prohibitis, DD. plures tribuant hujus prohibitionis moderationes, & præsertim ubi participatio proportionata sit mercedi alias præstandæ, cujus loco succedat, adeout conventio bona fide potius inita dicatur, ad levamen, ac majorem commoditatem clientis; Sive quod alias ex facti circumstantiis, cesset ratio, cui hæc legis prohibitio est innixa, Adhuc tamen in Curia, pro frequentiori praxi, (cum nulla detur regula ab aliqua limitatione immunis) hujusmodi conventiones non audiuntur, & præsertim in advocatis, ac etiam in classicis, & qualificatis procuratoribus; Tum quia per bannimenta particularia, Juris prohibitio magis ampliata est, ita tollendo illas licentias, quas desuper tribuunt DD. subtilitates, vel declarationes; Tum fortius ob communem existimationem, dum speciem infamiæ de facto id redolet; Si enim damnabile, atque existimationi præjudiciale reputatur petere, etiam extra judicium, fortius autem in judicio, honorarium, ac mercedem alias licitam, & debitam, ut supra, multo magis quando hujusmodi conventiones fiant.

Iste autem advocatorum ordo (ut supra insinuatum est) duplicem habet speciem; Unam scilicet eorum, qui consistoriales dicuntur, atque numeratum Collegium constituunt, cui cooptantur per Papam, cum provisione in titulum, tanquam per speciem officii, vel dignitatis; Et alteram, generaliter complexivam omnium aliorum, qui de isto Collegio non sint.

b *lib. 2. de origine juris.* i *t. de pension. disc.* 46. l *supra disc.* 32. in Quintilian. *lib.* 12. *instit. orator. c.* 3. & 4. n *supra, disc.* 32. o *dict. disc.* 32. p *dict. disc.* 32. q *eod. disc.* 32. r Quintilian. *dict. lib.* 12. *c.* 1. s Decius *consil.* 404. t Muta *ad consuet. Panorm.* & 68. *n.* 16. u *supra disc.* 32. x *lit. de emphyteus. disc.* 4. & *alibi pluries*, & *supra dict. disc.* 32. y *supra dict. disc.* 32. z Cicero *Seneca, & alii quos refert* Quintilian. *d. c.* 3. *lib.* 12. y *sub t. de usur. disc.* 1. & 2. *alibi pluries.* z *in omnibus materiis, & præsertim t. de fid. disc.* 179. a *de ista quæst.* Fagnan. *in cap. ne innitaris, de constit. ex n.* 381. *del Bene oper. moral. de conscientia opinante, dubit.* 5. Boss. *oper. mor. to.* 1. *ex n.* 738. b *supra disc.* 32. c *de hac specie moneta, t. de benef. disc.* 89. *t. de pension. disc.* 35. & *t. de cred. disc.* 140. d *De isto pacto* Farinacc. *q.* 106. Dutan. *dec.* 53. *dec.* 358. *dec. in principio.*

III.

De Advocatis Consistorialibus.

47 Super origine autem istorum advocatorum consistorialium variæ habentur opiniones; Una enim opinio credit, id provenisse ex decreto, seu provisione Benedicti X. de anno 1340. de tempore quo Sedes Apostolica in Avenionensi Civitate residentiam habebat. *d* Ex ea ratione quæ superius assignata est, agendo de Papæ Consistorio, *e* quod scilicet, cum antiquitus Papa consuetudinem haberet, examinandi, ac decidendi per se ipsum, cum voto Cardinalium graviores causas in Consistorio, quod propterea frequentius, bis in hebdomada tenebatur, cum interventu advocatorum, & Procuratorum, etiam in contradictorio; Incongruum vero, atque indecorum reputaretur; ut omne personarum genus, in eo adeo qualificato consessu admitteretur, ita forte edocentibus inconvenientibus, quæ exinde, ob illos mores, a magis urbanis Romanæ Aulæ diversos, resultabant; Hinc proinde, ex pontificio decreto prudenter statutum fuit, ut ad orandum, sive ad informandum in Consistorio, admitti non deberent, nisi illi advocati, & Procuratores, qui ad id expresse approbati, ac deputati essent; Adinstar illius provisionis, quam nostra ætate fecit Tribunal Rotæ, non admittendi adscribendum in facto, nisi eos, qui prævio examine coram Decano, ut supra approbati essent, dum etiam in Procuratoribus, ut infra id statutum fuit.

Altera vero opinio, longe antiquiorem capetit originem, ut scilicet, isti advocati consistoriales (nuncupatione tractu temporis immutata) sint illi septem regionarii Urbis defensores, qui a Divo Gregorio Magno, pro defensione pauperum, & aliarum personarum, quæ oppressionibus essent subjectæ, instituti fuerunt, Ex pluribus id arguendo, Tum scilicet, ex vocabuli identitate, cum idem importet defensor, ac advocatus; Tum ex altera identitate numeri septenarii; Ac etiam ex identitate muneris, dum istis ex debito officii incumbit, pauperes, aliasque miserabiles personas tueri; Plures quoque ponderando prærogativas, præfatis antiquis defensoribus competentes, quibus isti Advocati hodie potiuntur; Majorem quoque antiquitatem arguendo ex eo, quod plures enuncientur personæ, ista qualitate præditæ, priusquam præfatus Benedictus X. sedem Petri occuparet; Et præsertim Summus Pontifex Bonifacius Octavus, ac etiam insignes Juris Consulti, Lapus, Oldradus, & S. Raymundus, & alii. *f*

Quidquid autem sit, de unius, vel alterius opinionis veritate, atque integrum locum illi relinquendo, cum parum, vel nihil referat, an antiquior, vel recentior sit introductio; Sive de quo tempore, ad formam Collegii numerati redacti sint; Certum est, quod numerus septenarius, notabilem habet antiquitatem, utpote in primitiva Ecclesia in usu habitus, ut docet septenarius numerus Prothonotariorum, & Subdiaconorum Apostolicorum; Ac etiam,

etiam, in moderniori Curia, idem septenarius est nume-
rus Clericorum Cameræ, Referendariorum; Cumque su-
pranumerariorum usus invaluisset, eo modo, quo in Came-
ræ Apostolicæ Clericis invaluisse superius advertitur. *f* 2.
Hinc sub Innocentio Octavo, idem in isto Collegio quo-
que statutum fuit, quod prius Calistus III. aliique Pontifices
in dicto altero Collegio Clericorum Cameræ decreverant,
ut scilicet, ad solos septem numeratos, emolumenta, &
munia spectarent, non autem ad alios supra numerum;
Isti vero erant varii, dum ex testimonio Practicorum,
qui scripserunt sub Paulo tertio, tres tunc erant, istud
Collegium ex decem Advocatis constitutum esse refe-
rendo. *g*

50 Hodie vero (incertum est quo tempore id secutum sit)
adinstar forte Collegiorum Rotæ, Cameræ plurium que
aliorum, & præsertim illius Prothonotariorum ex duode-
cim constitutum est; Eadem tamen in praxi continuante
differentia, inter septem antiquiores, & quinque junio-
res, quod scilicet, quamvis quoad honorificos tractatus,
ac præeminentias, in capella Pontificia, aliisque locis, ac
etiam circa jus orandi in consistorio; Sive in facultate do-
ctorandi; Vel in capacitate officii Rectoratus studiorum,
quod penes idem Collegium, ex Apostolica concessione,
titulo oneroso, sub Sixto V. residet, aliaque jura, vel
prærogativas, & præeminentias, æqualis omnium sit con-
ditio; Attamen quoad participationem emolumentorum,
illa est inæqualis, cum ad solos septem antiquiores perti-
neat, cum aliqua majori prærogativa ejus, qui inter o-
mnes majori polleat antiquitate officii, cui adinstar o-
mnium aliorum collegiorum, Decani vocabulum tribui-
tur; Dummodo tamen, in eodem statu, vel sphæra Ad-
vocati perseveret; Adeout, si diversum, quamvis majo-
rem Prælaturæ, ac etiam Episcopalis, sive Archiepiscopa-
51 lis, ac etiam Patriarchalis dignitatis gradum assumat, per
tuam, ubi non agatur de Episcopatu actuali, & residen-
tiali, sed solum titulari in partibus infidelium, officium
non vacat, sicuti vacat per Episcopatum cum actuali ad-
ministratione, vel per assumptionem ad Cardinalatum,
sive ad Auditoratum Rotæ, vel ad Clericatum Came-
52 ræ, cum tali casu, adinstar eorum quæ de Rotæ audi-
torib dicta sunt, primus efficiatur secundus, utque deca-
natum occupet ille, qui inter simplices advocatos sit an-
tiquior; Ex ea congrua ratione, quod caput esse debet
ex ipso corpore, ejusque natura, seu qualitate, non au-
tem ex diverso.

53 In cooperatione ejus, qui ad locum vacantem per Papam
assumatur, eædem observantur solemnitates adamussim,
quæ supra in Rotæ auditoribus insinuatæ sunt, *h* circa exa-
men, cum duplici dispntatione; Una scilicet publica, &
solemni in Aula magna Palatii Cancellariæ, coram Colle-
gio Cardinalium, totaque Curia, ut ibi dictum est, aliis
advocatis argumenta proponentibus; Et altera privata,
quæ secreta dicitur, præviis quampluribus solemnitatibus,
ad instar earum, quæ in altero Rotæ Collegio adhiberi so-
lent, prævioque consimili processu, super vita, moribus,
gradu doctoratus in utroque jure, legitimis natalibus, &
aliis; Et addita, per ejusdem Collegii statuta, quæ circa
finem retroacti sæculi, de anno 1582. ordinata fuerunt, *i*
ut natales, non solum legitimi, sed etiam nobiles esse de-
beant; Ea ea tamen nobilitate, quæ legalis dicitur apta di-
stinguere nobilem ab ignobili in propria patria, qualis
illa sit, adeout generosa desideranda non veniat, ut quo-
tidiana observantia docet. *l*

54 Locum fixum, ex Apostolicis indultis, eodem modo,
quo de Rotæ Auditoribus dictum est, tres obtinent Ci-
vitates, Bononiensis scilicet, Ferrariensis, & Mediolanen-
sis; Alii vero novem, pro Papæ arbitrio eliguntur, atque
pro frequentiori contingentia, ex Urbe, aliisque Civita-
tibus, & locis Italicæ ditionis temporalis Ecclesiæ assu-
muntur, ac etiam ex Etruria.

55 In hoc autem, major cernitur ea, quæ agendo de Rotæ
Auditorio supra insinuata est, injuria, quam patiuntur
illæ duodecim adeo amplæ, & Romanæ Curiæ proficuæ
provinciæ, ex quibus constituitur Regnum Siciliæ citra
Pharum, quod alias Apuliæ, hodie vero Neapolitanum
dicitur, dum ab eo tempore, in quo quidam Baldassi-
nus, Neapolitanus huic collegio cooptatus fuit, ratione
coadjutoriæ, habens alterum Baldassinum successorem,
illarum rationum fatum tribuit, ut negligi mererentur;
Et forte merito, ita exigentibus rationibus, quæ in ea-
dem Rotæ rubrica insinuatæ sunt.

56 Longe vero major injustitia, in isto Collegio elucere vi-
detur, quam in altero Rotæ, quoniam majora emolumen-
ta, quæ istud substineant, ex duabus potissimum prove-
niunt causis, Prima nempe, ex emolumentis, quæ obti-
nentur pro concessione gradus doctoratus in utroque jure,
dum ista facultas, ab antiquo tempore, penes istud Colle-
gium, ex Apostolicis indultis residet. *m* Et secundo, ex
orationibus, quæ fiunt in Consistorio, pro concessione
pallii, quæ fiat Archiepiscopis; Siquidem major pars eo-
rum, qui doctoratus lauream ab isto Collegio suscipiunt,
est ex illis, qui ad id ad Urbem accedunt ex dictis provin-
ciis, ob quosdam matriculationis rigores, qui citra o-
mnem rationem adhibentur in doctoratu conferendo per
Collegium Neapolitanum; Adeout forte unquam detur ca-
sus, quod Mediolanenses, Bononienses, & Ferrarienses,
ab isto Collegio dictum gradum suscipiant, quinimo ne-
que Etrusci, vel alii subditi ipsiusmet Status Ecclesiastici,
excepta Urbe, & locis adjacentibus, ob frequentem Uni-
versitatum numerum, nempe Firmanam, Perusinam, Ma-
ceratensem, Urbinatensem, Ferrariensem, Bononien-
sem, Pisanam, & Senensem, ultra alias magis remotas,
Patavinam, Parmensem, Papiensem, Taurinensem, &c.

Prout etiam, ex Bononiensi, & Mediolanensi Civitati- 57
bus, unius tantum respective pallii emolumentum obti-
netur: Ex Ferrariensi vero nullum; E converso autem ex
dicto Regno, ejusque provinciis, obtinentur emolumen-
ta unius, & viginti Archiepiscopatuum ibi existentium,
adeout recte dici valeat, quod pro majori parte, Col-
legium ab eo Regno sustentetur; Et tamen in eo locum non
habet, ita (ut dictum est) merito exigentibus, illarum
nationum, seu verius Metropolitanæ Civitatis moribus,
ac ventosis applicationibus in levitatibus.

Locum habent hujusmodi Advocati in capella pontifi- 58
cia, ac etiam in pontificiis equitationibus solemnibus, aliis-
que functionibus, more Collegiorum prælatitiorum, cum
quodam solemni habitu coloris violacei, quem etiam ad-
hibent, in dicta functione publicarum disputationum, aliis-
que publicis functionibus, illa præsertim exequiarum ge-
neralium, quæ singulis annis, post Kalendas fiunt pro
Rotæ auditoribus, sive exequiarum particularium, singulo-
rum Auditorum, vel advocatorum Consistorialium; Aut
in festo quod celebrat Collegium Procuratorum ut infra,
Vel in apertura Rotæ, ac similibus; Quinimo in quibus-
dam majoribus solemnitatibus, coronationis Papæ, & Im-
peratoria, & canonizationis Sanctorum, habent usum 59
cujusdam vestis, quæ formam pluvialis habet; Atque in
ista materia canonizationis Sanctorum, pluribus gaudent
prærogationis. Tum quia, eis tantum conceditur, in pu-
blicis Consistoriis, desuper orare in illis spatiis, in quibus
sequatur aliquod Papæ otium, supra in Consistorii rubrica
advertitur. *n* Tum etiam, quia in publica, & solemni fun-
ctione canonizationis, ad eos, vel eorum aliquos pertinet
pariter orare apud Pontificem, atque petere adscriptionem
illius servi Dei catalogo Sanctor. quasdam alias prærogati-
vas quoque obtinendo in ista functione, & in altera co- 60
ronationis Papæ; Illam quoque valde existimabilem haben-
tes prærogativam interveniendi in Conciliis generalibus.

Habitus vero domesticus, & quotidianus antiquitus, 61
usque ad meam Curiæ praxim, erat communis, etiam aliis
advocatis non consistorialibus, vestis scilicet longa ad for-
mam togæ, cum quadam cappa perforata, cui *mantelloni*
vocabulum tribuitur, pariter usque ad talos, ad differen-
tiam illius cappæ brevioris, vulgo *mantellate*, quam su-
pra vestem ad genua gerunt Episcopi, aliique Prælati,
illi præsertim, qui sint simplices Referendarii Signaturæ,
absque alio adjuncto munere, dum denegato eis usu coloris
violacei, eundem adhibent colorem nigrum; Iste siqui-
dem habitus erat communis omnibus advocatis, tanquam
toga doctoralis; ab aliquo vero moderno tempore, per
alios est intermissus; Et merito; nam indecorus, vel res-
pective incommodus, atque dispendiosus esset, præsertim
juvenibus, vel iis, quibus natura, vel fortuna avara esset,
circa professionis occupationes, & negotia, unde propterea
inolevit in advocatis idem usus vestis, & palii pariter ad
usum togæ, quam adhibent Procuratores, & Solicitato-
res, ac etiam Medici, aliique professores, & quorum
habitus hodie communis est, cum illo Clericorum sæ-
cularium, qui ab aliquo tempore, adinstar, illum in
usu habere cœperunt. *o*

Hinc proinde secutum est, ut iste usus cappæ perfora- 62
tæ, seu mantelloni remanserit singularis Advocatorum
Consistorialium; Idque eorum existimationi, apud po-
pulum, & in aulicis functionibus, nimium considerabile

aug-

augmentum produxit dum ita quandam prælatitiam figuram quodammodo facere videntur; Et quamvis ex Alexandri VII. decreto, iste habitus eis privative concessus fuerit; Attamen fuit concessio Solis de mense Augusti, dum jam communis usus id produxerat.

Inter Curiales autem, illam quoque ea Sixti V. moderna concessione obtinent prærogativam præcedentiæ, supra alios Advocatos, adeout consistorialis junior, præcedat seniorem Advocatum non consistorialem. *p* In informando autem, ut in Rotæ rubrica advertitur, *q* nulla ponuntur prærogativa, circa commendabilem ordinem prioritatis temporis; Bene tamen, circa aliquam magis honorificam associationem, quam Judicea, juxta antiquos Curiæ ritus, faciunt omnium Curialium, juxta eorum diversas sphæras, magis scilicet associando consistoriales, quam non consistoriales, magisque Advocatos, quam Procuratores collegiales, & magis Procuratores collegiales, quam alios non collegiales, magisque istos, quam Solicitatores.

63 Obtinet quoque istud Collegium, regimen, ac administrationem Universitatis studiorum Urbis, quæ sub vocabulo Sapientiæ explicatur; Ac etiam nimium existimabilis est usus antiquus, de quo etiam antiqui Scriptores testantur
64 *q* 2. obtinendi a Pontifice alicujus ex eorum filiis idonei, & capacis coadjutoriam cum futura successione; Quod etiam quandoque (licet rarius,) in fratre, vel nepote ex fratre praxis docet; in his autem coadjutoribus aliqua praxis, quæ a juris regulis exorbitat, habetur parum commendabilis, quod scilicet, in eisdem functionibus eodem tempore, cum eodem solemni habitu interveniunt, coadjutus, & coadjutor; Ac etiam quod coadjutor, adhuc vivente coadjuto, locum antianitatis occupat, etiam super eos, qui postea in titulum provideantur, quod nimium refert, ut jure antianitatis occupetur locus inter septem antiquiores, qui solum de emolumentis, ut supra participant.

65 Relinquendo autem pariter locum veritati (nullas Judicia, vel decisoris partes desuper assumendo) an ea aliquo Apostolico indulto, vel potius a casu, & ea antiquo magis commendabili usu, quod non nisi excellentes, & primarii Advocati huic Collegio cooptarentur, id provenerit; Illud tamen præbet plurium sæculorum continuata observantia, quod duo infrascripta Advocatorum officia, Cameræ scilicet, vel fisci, & pauperum, penes hujusmodi Advocatos Consistoriales esse consueverunt, ut præsertim legitur de insigni Jurisconsulto Bonifacio de Vitalinis, circa eundem supra recensitum annum 1340. Atque præ cæteris, munus Advocati fiscalis, obtinuerunt insignes Jurisconsulti, quorum scripta apud posteritatem remanserunt, Silvester Aldobrandinus, Antonius Gabriellius, & Jo: Baptista Spada, Advocati Consistoriales. *r* Idque magna consideratione est dignum, non quidem, ut Papa præcise arctatus esse debeat ad præfata munera, non nisi ex hoc personarum genere assumere; Id enim fabulosum est, atque stultitiæ speciem redolet, dum ubi etiam explicitum adesset privilegium, adhuc tamen certum est Juris principium, ut illud non liget ipsum Papam concedentem, qui etiam officia collata, & privilegia concessa tollere potest. *f* Sed ut in pari causa, & quando in isto Collegio adsint viri doctrina, & integritate, aliisque animi congruis dotibus idonei, præeligi de congruo mereantur, non autem, ut Principis, vel Reipublicæ servitio aliter exigente, id præcisam redoleat necessitatem.

66 Ex his autem liquet, istud esse munus nimia existimatione dignum, dum præmissas prærogativas producit, ac etiam utilitatem bursalem considerabilem in septem participantibus menstruorum scutorum quinquaginta circiter, nullumque præstat exercitio Advocationis impedimentum; Illudque etiam, adinstar Tribunalis Rotæ, Pontificum, Cardinalium, & insignium Præsulum seminarium esse consuevit, dum ab eo, tanquam ab equo Trojano, multi Summi Pontifices, Cardinales, & Præsules prodierunt.

67 Reputantur item Papæ familiares, dum adinstar Prælatorum obtinent partem panis palatii Apostolici; Ipsisque habentes in eorum Collegii protectorem Sanctum Ivonem Advocatum, ejus solemnitatem, cum interventu Collegii Cardinalium, & Rotę Auditorium celebrant in Ecclesia, quę in adeo magnifico studiorum, vel Sapientiæ Palatio constructa est; Ac etiam curam, & administrationem habent
68 percelebris Bibliothecę sub Alexandro VIII. in eodem Sapientię palatio constructę, singularibus, ac excellentibus libris instructę, multisque aliis potiuntur prerogativis; Isteque reputatur congruus gradus ad Rotę Auditorium, aliaque majora munera.

d Camill. Fanucius *de operibus piis Urbis, lib. 2. c. 2. & 3 & ex eo* Lotet. *in typo collegii procuratorum*. *e supra, disc. 5.* *f* Rubeus *in opusculo Advocatorum Consistorialium, cui redivivi defensoris nomen tribuitur c. 1.* Scannarol. *de visit. carceratorum, lib. 1. c. 3. sect. 2.* *f 2 supra disc. 33.* *g* Vestr. *in praxi, lib. 2. cap. 19.* *h supra, disc. 32.* *i recensentur per Rubeum in dicto opusculo Advocatorum Consistorialium, c. 1. n. 20.* *l de his speciebus nobilitatis tit. de preminent. disc. 25.* *m dicto opusculo c. 5.* *n supra disc. 5.* *o de isto usu togæ doctoralis, titul. de jurisd. disc. 93.* *p Const. 62. Sixti V.* *q supra, dicto disc. 32.* *q 2.* Vestr. *dict. c. 18. lib. 2. dicto opusculo, cap. 6.* *r* Rubeus *in dicto opusculo, cap. 7. & Cartharius in syllabo Advocatorum Consistorialium,* Scannarol. *dicto lib. 1. cap. 3. sect. 2.* *f tit. de Regalibus. disc. 148.*

IV.

De Advocatis Pauperum.

QUamvis autem in Curia, magisquam alibi, consul- 69
tum sit pauperum defensioni, & patrocinio, eo quia omnes Advocati, indistincte istam charitatem libenter exercent, ut etiam faciunt Procuratores, sive sint collegiales, sive non, cum adsit quędam pia Congregatio Curialium, quibusdam festivis diebus haberi solita in Ecclesia Sancti Caroli ad catenarios, pro receptione supplicum libellorum, personarum miserabilium, quę gratuitum patrocinium implorent, ibique causę repartiuntur. Ac etiam quia Advocatis Consistorialibus, utpote illud munus obtinentibus in officium a Papa, istud onus incum-
bit. *r* Adhuc tamen in causis criminalibus, ita consultum 70
non remanet, ob stylum Curię alibi insinuatum quod classici Advocati, & causarum Patroni, nimium occupati causis civilibus, tam spiritualibus, quam prophanis, abstinent a criminalibus, in quibus propterea parum versati sunt, quasi quod istę videantur professiones distinctæ, Civilistarum, & Criminalistarum, adeout earum quęlibet to-
tum occupet hominem; Ac etiam, ob alterum valde qui- 71
dem commendabilem stylum, tractandi causas criminales cum nimia celeritate, adeout sępius, terminus defensionum restringi soleat ad horas: Et merito quoniam cum delinquentium, ac facinorosorum hominum punitio fiat, potius pro medicina pręservativa publicę quietis, & tranquillitatis, ut homines a criminibus arceantur, quam pro curativa criminia jam irretractabiliter patrata; Hinc proinde quo magis punitio est celer, cum recenti memoria cri-
minis, eo magis est medecina proficua, & operativa, a- 72
deout frequenter contingat, ut pauperum Advocatus, & Procuratores, nedum omnibus aliis negotiis, sed ipsismet cibo, & somno neglectis, cogantur hujusmodi defensioni-
bus toti vocare; Ac propterea, quamvis istud munus advo- 73
cati pauperum, competentibus emolumentis provisum sit, in annua summa scutorum auri mille circiter, ultra alia emolumenta, & utilitates, quę resultant a franchitiis gabellarum, quibus potitur, tanquam unus ex iis, qui sedent
in Tribunali Camerę, ut agendo de eodem Tribunali su- 74
pra advertitur: Ac etiam ob facultatem quam habet, perinde ac si esset unus ex Judicibus ordinariis, interpo-
nendi decreta, in actibus voluntariæ jurisdictionis, puta 75
in contractibus minorum, & mulierum ad formam Statutorum Urbis; Nec non nimium existimabilis reputetur
audientia Papæ, tam in diebus ordinariis, in quibus aliis 76
officialibus præstatur, quam etiam in diebus, & horis extraordinariis, quando res urgeat, Et quod magis est, videatur munus, quod magnam præbet occasionem meriti apud Deum, quando bene, & cum debita charitate exerceatur, ut frequentius exerceri praxis docet, & præsertim per hodiernum, nimiæ quidem probitatis, & charitatis Advocatum Eusebium amicum meum, virum candidissimum, Adhuc tamen, pro meo sensu, vel genio, his non obstantibus, videtur munus, nimium incommodum, & ærumnosum, utique non desiderabile; Tum ob prædicta incommoda, unde frequenter integras noctes insomnes du-
cere oportet; Tum etiam quia, pene semper, standum 77
est inter planctus, & suspiria, ipsorum carceratorum, quos audire oportet, eorumque uxorum, & conjunctorum; Et quod magis est, cum agatur de gravibus causis, vitæ, & famæ hominum, cum damno irretractabili; Hinc proinde quando causæ exitus reddat defensionem non proficuam, illi semper remanere videtur quidam conscientiæ stimulus, pro omnimoda, & majori diligentia forte non adhibita, Sive animi angor, quod indebite ad pabulum

tradu-

conductus fuerit ille, qui ab eo non reputaretur, illo opprobrioso fine dignus.

78 Ex his itaque sequitur, quod non de facili inveniantur, neque sint frequentes Sancti Ivones, qui ex charitate, suoque ære vivendo, atque alia negotia deferendo, istud munus suscipiant, ideoque præcise necessarii illi, qui in officium, huic muneri, toti addicti sint, juxta omnium principalium, & magnorum Tribunalium stylum communem.

79 Præficitur itaque huic muneri per Papam unus ex ordine Advocatorum, atque juxta supra insinuatam praxim temporis considerabilis, ex illo consistorialium, qui non prohibetur continuare professionis exercitium, quod prius haberet in causis civilibus, prophanis, vel spiritualibus, in Rota, aliisque Tribunalibus, cum id non sit incompatibile cum officio; De facto tamen quædam species incompatibilitatis resultat, ob continuas occupationes, ut supra.

80 Potitur iste Advocatus, jam recensitis prærogativis, habendi audientiam Papæ, & sedendi in Camera, more aliorum, qui camerales dicuntur, necnon exercendi voluntariam jurisdictionem, cum considerabilibus emolumentis pariter insinuatis, atque est officium regulariter, & de sui natura perpetuum, quod per mortem, vel per promotionem ad majora munera incompatibilia cessat; Ac etiam jus habet interveniendi in omnibus Congregationibus criminalibus, quæ pro commendabili stylo, qualibet hebdomada habentur in superius enarratis Tribunalibus, Gubernatoris, Auditoris Cameræ, & Vicarii, ac etiam in foro Capitolino, sedendo etiam de tempore quo causa examinatur, ac vota proferuntur eodem modo quo Advocatus fisci, quem præcedit, digniorem locum occupando; Pro-

81 ut etiam intervenit in visitationibus carcerum, ut supra insinuatum est in rubrica, in qua de hujus visitationis Congregatione agitur, Atque nostra ætate in ultima Cardinalium promotione facta per Innocentium decimum, pro consuetis Curiæ contingentiis, rerumque circumstantiis,

82 ab isto munere Advocati pauperum, cum sola aliquorum mensium prælaturæ utriusque Signaturæ mistura, vidimus (digne quidem) evectum ad purpuram, magnum, in minoribus, & in majoribus, amicum meum, Carolum Gualterium Urbevetanum, nuper immature defunctum.

Prohibetur autem iste Advocatus scribere ad defensam

83 divitum & idoneorum, cum præmio; Et merito quidem, ex duplici probabili ratione ita provisum est. Primo scilicet ne magnis deditus hujusmodi causarum defensioni, quæ præmium habeant manuale, deserat causas pauperum, vel eis (ut docet) non sit ita diligenter deditus; Ideoque congruis, ut singulariter sit in eis occupatus, dum causæ civiles compatibiles dilationes, ac moras pati possunt; Et secundo, ne detur ansa, vel occasio turpiter agendi, ac etiam a minus idoneis præmium extorquendi, sub affectata credulitate, vel opinatione quod essent idonei; Aliique super hoc munere recensentur per illos, qui de praxi visitationis carceratorum volumen componere laudabiliter professi sunt. ſ

s Scannarol. *de visit. ubi supra.*

ſ Scannarol. *de visit. carceratorum.*

V.

De Advocato Cameræ, & Fisci; Ac etiam de Promotore Fidei.

84 Ex eodem Advocatorum ordine, ut supra, juxta stylum, omnibus principalibus communem, per Papam assumitur unus qui in officium tuetur causas Cameræ, & fisci tanquam Advocatus, agendo solum de iis, quæ juris sunt, juxta supra insinuatum stylum Advocatorum Curiæ, cum de iis quæ consistunt in facto, circa compilationem processus offensivi & defensivi, ejusque visionem, aut lecturam, ac alia hujusmodi, pertineat ad duos Cameræ, & fisci Procuratores, de quibus infra.

85 Dicitur autem Advocatus Cameræ, & Fisci, quoniam licet, in grammaticali, ac etiam in legali significatione, ista vocabula Cameræ, & fisci, synonyma sint, idemque sonent; Nihilominus pro stylo, seu loquendi usu Curiæ, reputantur diversa; Ut enim alibi pluries advertitur, duplex fiscus habetur; Unus scilicet qui dicitur favorabilis, & privilegiatus, concernens publicum ærarium Principis, vel dotem Reipublicæ, constitutam ex juribus regalibus, aliisque publicis emolumentis, non pœnalibus; Et alter odiosus, tameirca personalem delinquentium punitionem, pro qua fisci officiales, & defensores, ex officio instant, atque principaliter incumbunt, quam etiam pen interesse bursali, quod resultat a publicationibus bonorum, & a pœnis pecuniariis, quæ ratione criminis, vel contumaciæ fisco applicantur; Unde propterea privilegia tacitæ hypothecæ, & potioritatis in bonis postea quæsitis, adversus anteriores, ac alia, quæ per legem, fisco attributa sunt, primo fisco favorabili, non autem alteri odioso competunt; Atque huic posteriori, non autem primo congruit vulgare dictum *Plinii, in Epistola ad Trajanum*, quod sub bono Principe, fisci causa semper mala est; Ac propterea sub nomine Cameræ explicatur prima fisci favorabilis species, cujus causæ post consumptam primam instantiam, vel respective quandoque secundam coram Apostolicis Collectoribus, & Thesaurario, vel Cameratio, cognoscuntur in Tribunali Cameræ, quod se non ingerit in confiscationibus bonorum delinquentium, vel in aliis mulctis, & pœnis pecuniariis ratione delicti, cum solum de illis causis criminalibus, seu pœnalibus, ipse cognitionem habeat in ulteriori instantia, quæ depen-

86 deant a juribus cameralibus; Puta in causis decupli, contra administratores, vel appaltatores fiscales, qui computa minus fideliter tradant. t Vel ubi agatur de pœnis ob fraudatas gabellas, sive ob occupata bona, vel jura Cameræ; Aut ubi agetur de illis confiscationibus, quæ civili potius, quam criminali more fiant de illis bonis, quæ in isto principatu possideantur per illum qui in altero principatu, vel territorio sententiam capitalem, veram vel contumacialem, cum publicatione bonorum passus fuerit, dum in pœnis, & confiscationibus, quæ fiant in Tribunali Gubernatoris, vel Auditoris Cameræ, & Vicarii, ac in aliis, tam Urbis, quam reliqui Status Ecclesiastici, utpote pertinentibus ad Tribunalia criminalia, Tribunal Cameræ se non ingerit, ideoque inolevit ista vocabulorum discretio, quod scilicet, aliud sit Camera, & aliud sit fiscus, cum distinctis patronis, seu Procuratoribus, dum ille qui est Cameræ, dicitur Commissarius; Ille vero qui est Fisci, appellatur Procurator fiscalis, ut infra de eis agendo.

Cum itaque iste Advocatus, utrique Procuratori, in 87
illis, quæ juris sunt, opem præstare soleat, ac debeat; Hinc proinde dicitur Advocatus Cameræ, & fisci, ad denotandum utrumque munus, dum iste Advocatus jus habet interveniendi in omnibus Congregatinnibus criminalibus, quæ ut supra fiunt, qualibet hebdomada, in Tribunalibus, Gubernatoris, Auditoris Cameræ, & Vicarii, ac etiam in Congregatione Consultæ, quæ ut supra in ejus particulari Rubrica habetur bis in qualibet hebdomada, necnon in visitatione carcerum, & in aliis congressibus, in quibus de causis criminalibus agi contingat.

Majus vero, ac principale ejus munus versatur circa 88
causas camerales alterius fisci favorabilis, quoniam cum materia criminalis, comparative ad duas civiles, prophanam scilicet, & spiritualem, theorice sit nimium facilis, & finita, adeout ille ingeniosus professor, qui se illi addicat, ab breve tempus, quoad partem theoricam, seu scientificam, valde peritus, ac excellens reddi valeat, quod utique de præfata duplici materia civili, etiamsi vivat centum annis, non de facili asseri potest; Major autem materiæ criminalis difficultas, vel peritia consistat in praxi, pro qua exiguntur magis esperientia, & sagacitas, quam pars scientifica theoricæ; Hinc proinde, nimium raro sequi solet, ac debet necessitas recurrendi ad majorem peritiam Advocati, dum ad munus Procuratoris fi- 89
scalia, cui principaliter ille partes incumbunt, assumi non soleat, nisi criminalista peritissimus, & qui diu, per omnes criminalitatis gradus transierit, ac versatus sit, etiam gerendo munus Judicis, vel Locumtenentis, dum istud officium Procuratoris fiscalis generalis Urbis, reputatur primus, ac major criminalistarum gradus; Accedente potissimum, quod in Curia, & præsertim in Tribunali Gubernatoris, & in Congregatione Consultæ, in quibus ma- 90
jora, & graviora negotia criminalia peraguntur, pro frequentiori praxi, proceditur cum stylis, & cum bannimentis, ac etiam cum moribus propriis pontificiis, adeout nimium rari sint casus, in quibus ita provisum non sit, unde propterea ad apices, vel regulas juris communis, convolare oporteat, atque majorem Advocati peritiam adhibere.

Hinc proinde, in quodam extrajudiciali dubio, quod 91
incidenter de recenti excitatum fuit, an scilicet, clericatus, præsertim in sacris, compatibilis esset cum hoc officio Advocati Cameræ & fisci; Illi, qui incompatibilitatem asseverabant, præcipuum constituebant fundamentum in decreto Concilii Lateranensis sub Innocentio III. registrato inter

rei decretales, *x* per quod expresse inhibetur Clericis ne sanguinis causas agant, atque in eis quoquo modo se ingerant; Et ex cujus decreti, aliorumque Canonum, vel sanctorum Patrum auctoritate Canonistæ, & Morales, in species istorum munerum, Advocati, & Procuratoris, fiscalis, firmant, ut per illa irregularitas incurratur, saltem illa quæ dicitur lenitatis, quoniam non solum manibus, seu cum gladio materiali, homicidium committi, & sanguis fundi dicitur, sed etiam cum gladio linguæ, & sic cum petitione, vel consilio, aut mandato, vel alia cooperatione, juxta sententiam Divi Augustini, agendo de passione Domini, quod licet per milites, non autem per scribas & pharisæos, aliosque judæos, materialiter crucifixus fuerat, magis tamen occisus fuerit gladio linguæ; & clamando ad Pilatum, *Crucifige Crucifige*. *y*

92 Diversa tamen erat mea opinio, quam audivi magis communiter in Curia apud bene versatos haberi, ex ratione superius recensita, quod scilicet revera istæ partes, instandi apud Judices in casibus particularibus, pro pœna ordinaria delinquentium in concreto, aliaque gerendi, quæ ad idem tendant, revera sunt Procuratoris fiscalis, qui totum agit; Interveniunt autem Advocati in Congregationibus criminalibus, quamvis per Apostolicas Constitutiones editas super reformatione Tribunalium injungatur; *z* Attamen ille istas partes, juxta frequentiorem antiquum stylum, non gerit, sed potius, tanquam insignis, ac primarius Jurisconsultus (qualis hucusque semper esse consuevit ille, qui hoc munus occupavit habendo votum consultivum tantum, non autem decisivum, gerit partes Consiliarii pro veritate, super iis, quæ in puncto juris ambigui consistant, ne in aliquem errorem, cum justitiæ detrimento incurratur, quod æque se habere potest ad inquisitorum condemnationem, ac absolutionem, ita theorice, seu in abstracto, juxta ea, quæ proponuntur, de jure respondendo, atque gerendo solas partes insinuatoris, vel magistri, & principaliter consuetudo pro servitio justitiæ, ac Reipublicæ quiete, non autem se ingerendo in applicatione ad concretum, ut ille Reus tanquam sufficienter convictus de crimine tali, & tali pœna puniatur, cum revera istæ non sint partes Advocati, sed Procuratoris fiscalis ut supra; Contrarium autem pro frequentiori praxi est in aliis Principatibus, eorumque Curiis, & Tribunalibus, quod scilicet præcipuæ, ac totales partes, quæ in Urbe geruntur per Procuratorem, explicentur per Advocatum, cujus Auditor, vel solicitator est Procurator, eo modo quo infra, agendo de Procuratoribus advertitur; Ac propterea alibi disputari solet quæstio, quæ tamen in Curia nunquam pro mea notitia auditur, an Advocatus fiscalis possit allegari suspectus. *a*

Et ulterius, cum ista dicatur quædam irregularitas impropria, & remota, quæ non provenit a crimine, vel a peccato, sed ab actu licito, quinimo meritorio; Hinc provenire potius dicitur a quadam majori Ecclesiæ pietate, quoniam Divinum oraculum Sacræ paginæ veteris testamenti, per quod vir sanguinum ab altari avelli præcipitur, tanquam mysticum potius quam morale, evanuisse videtur, utpote evacuatum per Incarnationem, & passionem Christi; dum alias Papa non posset dispensare irregularitati ex homicidio, præsertim voluntario, & criminoso, cujus contrarium inconcussa praxis docet, & revera loquitur de homicida criminoso; De ista vero specie magis levis, ac remotæ irregularitatis, in illis Tribunalibus, quæ Papalia sunt, & in quibus Judices, aliique officiales, præficiuntur per ipsum Papam, qui recte sciet, quid acturi sint, id non procedit, per quandam virtualem, seu implicitam dispensationem, quæ ita inesse videtur; Ut docet praxis in Gubernatore, & in Vicario, ejusque Vicesgerente, & in Auditore Cameræ, quod interveniunt in hujusmodi Congregationibus, quarum ipsi sunt Præsidentes & Regulatores majores; Atque pro frequentiori praxi, & præsertim in Tribunali Gubernatoris, ab istius sensibus, magis, vel minus rigorosis delinquentium, celer, & rigorosa punitio pendet, ipseque casum refert Papæ, atque ab eo oraculum recipit; Idemque respective in Cardinalibus Legatis, Præsidibus provinciarum; Et in Gubernatoribus Civitatum Status ecclesiastici, qui omnes sunt Prælati, pro magna parte in ordine sacerdotali, & frequenter in Episcopali, & Patriarchali constituti; Magis vero id comprobat praxis Congregationis Consultæ, de qua superius in ejus particulari Rubrica actum est, quod in ea interveniunt multi Cardinales, & Prælati, ut plurimum, in sacerdotali ordine constituti, ac etiam in Episcopali, qui quotidie missam celebrant, & tamen magis proxime, atque in longe majori frequentia, causas sanguinis agunt, præcise decernendo in concreto mortem inquisitorum.

Decretum vero Concilii Lateranensis in genere emanatum pro universo Orbe, prudenter editum fuit, atque exacte observandum est, respectu Tribunalium sæcularium, sive aliorum, quibus ista ratio non adaptetur; Adinstar eorum quæ alibi insinuantur, circa militiam, vel notariatum criminalem, aliave officia sæcularia, quæ cum clericatu incompatibilia reputantur, non tamen in servitio Papæ. *b*

In hoc autem versatur continuum, atque perpetuum damnabile pragmaticorum æquivocum, attendendi scilicet doctrinas, vel leges in sola litera, seu generalitate, non reflectendo ad congruam applicationem resultantem a debita distinctione casuum, & regionum, aliarumque circumstantiarum, & sine qua nunquam applicatio bene sequi potest; Atque exinde resultare solet frequens incursus æquivocorum, præsertim in Moralibus, circa forensia, seu judicialia, quoniam nullam fori negotiorum practicam notitiam habentes, procedunt cum propositionibus generalibus in abstracto, quæ foro interno bene congruere possunt, non autem adaptantur foro externo; Sive recte procedunt in una regione, non autem in altera, ob diversos mores, vel stylos. 93

Nimiæ autem existimationis est in Curia istud officium, non solum ob interventum in omnibus Tribunalibus, & Congregationibus criminalibus, in quibus ejus votum solet esse magni ponderis, magnæque auctoritatis, sed etiam ob alia majoris existimationis negotia cameralia pertinentia ad utrumque fiscum ecclesiasticum, & prophanum, Papæ scilicet tanquam Papę per universum Orbem catholicum, & ejusdem tanquam Principis Ditionis temporalis; Ideoque iste Advocatus sedet quoque in Camera inter Camerales, atque intervenit in Congregationibus, quę pro juribus Cameræ fiunt coram Thesaurario, quarum una Computorum, & altera Cameralis dicitur; Nec non in Congregationibus Montium & Baronum, ut supra de eis agendo advertitur; Ac etiam in Congregatione Immunitatis Ecclesiasticæ, & in altera Consistoriali, omnibusque aliis, in quibus plebs, vel Camera Apostolica, quoquo modo, directe, vel indirecte interesse habere potest. 94

Magis autem crescunt hujus Advocati existimatio, auctoritas, & occupationes, quando (ut pro frequentiori praxi sequi solet) ei injunctum quoque sit alterum officium, seu munus, quod revera est diversum, (ideoque a persona diversa occupari potest) Promotoris Fidei, idest Advocati fiscalis, vel oppositoris in causis beatificationis, vel cultus, aut canonizationis servorum Dei, ut ita melius veritas inquiratur, atque per acrium oppositionum ignem perficiatur aurum, ne alias ex nimia pietate, vel devotione eorum, qui hujusmodi canonizationibus, vel beatificationibus incumbunt, admittantur ea, quæ admittenda non sint; Ideoque intervenit quoque in Congregatione Rituum, aliisque congressibus, vel actibus, qui istam materiam percutiant; Non intervenit autem in illis causis fidei, quæ aguntur in Congregatione, vel Tribunali Inquisitionis universalis, dum adest proprius, ac particularis fiscalis. 95

Emolumenta istius officii sunt eadem, quæ superius insinuata sunt de Advocato pauperum, & aliqua majora, dum illi volenti, interdictum non est, scribere in causis criminalibus contra reos, ad instantiam accusatorum, vel instigatorum, recepta mercede; Quod tamen, licet sit licitum, non tamen honestum reputari solet, ideoque pro frequentiori praxi, possessores hujus officii ab hoc abstinere consueverunt; Et quando admixtum quoque sit prædictum aliud munus Promotoris fidei, alia obtinentur considerabilia emolumenta, licita, & publica pro mercede magni laboris.

Occupari semper huc usque consuevit, ut etiam supra advertitur, istud munus per magnos, ac primarios Curiæ viros, qui non solum essent insignes Jurisconsulti, beneque versati in utroque Jure civili, & canonico, magis vero in feudali, cujus peritia principaliter necessaria reputatur, ob feuda, aliaque jura regalia Cameræ; Sed etiam in exacta notitia Conciliorum, & ecclesiasticarum, ac prophanarum historiarum pro juribus Sedis, & Cameræ Apostolicæ bene tuendis, occasione controversiarum jurisdictionalium, vel præeminentialium, quæ habeantur cum Principibus sæcularibus; Ideoque illud occuparunt supra- 96

enum-

enunciati insignes Jurisconsulti primarii Advocati, Aldobrandinus, Gabriellius, & Spada, ut docent eorum scripta, quæ publicæ luci edita sunt; Neque dissimiles fuerunt alii, quorum labores sub tenebris remanserunt; Ut præsertim nostra ætas vidit, in insigni Jurisconsulto, & primario advocato Antonio Certo, patre Caroli, qui postquam, triginta circiter annorum spatio, in Rota, etiam tanquam Decanus, commendabiliter sedit, digne ad purpuram evectus fuit; Dictique Certi successor fuit, idemque munus, junctum cum altero Promotoris fidei, a prædecessore quoque tantum, spatio triginta annorum, & ultra, exercuit, & exercet Petrus Franciscus de Rubeis, alias primarius Advocatus, nunquam in parte scientifica satis commendatus, dum non solum, eximius, ac profundus est Jurisconsultus, vere scientifico more, per principia, non autem per traditiones, & repertoria, juxta ineptum morem Pragmaticorum, quibus magis sæculum modernum abundare videtur, & præsertim ob magnam peritiam in more feudali; Sed etiam quia dici potest animarum archivium universale historiarum, ac Jurium Sedis Apostolicæ, adeout (sine aliorum præjudicio) ob hujusmodi universalitatem, ac memoriæ promptitudinem, & ingenii acumen, similem virum Juristam, non sim expertus; Et tamen, jam octuagenario major, in hoc munere, ad sepulchrum forsan accedet, aliis majoribus muneribus in parte occupatis ab iis, quorum aliquos Deus scit; Talis enim est, consueta fortunæ stultitia, vel aularum consuetudo.

t *tit. de Regal. disc.* 159. *cum seqq.* u *eod. tit. de Regal. disc.* 160. *& latius in fine.* x *In cap. sententiam* 9. *de Cler. de vel Monach.* y *ex his ita firmant aliis relatis Majol de irregularit. lib.* 2. *cap.* 9. Giballin. *de irregular. cap.* 4. *diff.* 16. z Scannatol. *de visit. carcerat. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 54. *Rubeus in dicto opusculo, disc.* 7. *n.* 35. *& seqq.* a Fontan. *dec.* 30. Carena *resol.* 169. b *tit. de pension. disc.* 47. *& seqq.*

V.

De Procuratoribus, seu causarum Patronis.

Eodem retento præsupposito, cum quo in Advocatis hucusque processum est, quod scilicet agatur de iis, qui non solo nomine, sed etiam re sint tales, non autem de iis qui via ad solicitatoris munus idonei, istudque revera exercentes, Advocati, vel Procuratoris nomen usurpant; Adinstar eorum, quæ de Doctoribus, eorumque privilegiis Scribentes tradunt; Nobile est in Curia Romana Procuratoris officium, cuicunque insignis Jurisconsulto, etiam nobilium natalium congruum, ut quotidiana praxis docet, dum plures munus Procuratoris exercent, qui etiam Advocati primi ordinis esse possent; Ideoque eis non congruunt ea quæ ab aliquibus de isto procuratoris officio dicuntur, cum intelligenda veniant de illis procuratoribus mere mechanicis, qui vacant solum actibus mechanicis in compilatione processus. Siquidem Procuratores Curiæ Romanæ sunt vere causarum Patroni, qui more Advocatorum, se non ingerunt in actibus inferioribus, & mechanicis, quos explicant per solicitatores, vel per eorum juvenes, & adjutores, dum eorum partes sunt
98 componendi commissiones, vel monitoria, seu libellos, necnon articulos, instructoque processu, illum videndi, atque exinde conficiendi discursum pro congressibus fieri solitis pro directione causarum, ita instruendo Advocatos de illarum statu, atque promovendo motiva etiam juris; Efformando quoque informationem facti & juris, pro cujus majori comprobatione, superaddi solent informationes Advocatorum; Verum adhuc, tam motivis, quam auctoritatibus more Jurisconsulti illa bene referta est, adeout revera gerant ea quæ in aliis Tribunalibus, & regionibus gerunt Advocati, ubi non habeatur ille usus Advocatorum, qui habetur in Urbe; Ideoque apud antiquos scriptores communis est traditio quod Procuratores Curiæ Romanæ, exæquati sunt Advocatis aliarum Curiarum.

99 Bene verum quod in abusum irrepsisse videtur, atque potius damnabile reputatur, ut Procuratores in iis, quæ juris sunt, nimium se extendant, sive immorentur, dum ita quandoque, a partibus ingenii, quæ magis gratæ sunt, allecti, seu abstracti, ab inferioribus, minusque gratis partibus, diligentis, & accuratæ lecturæ processus, & indagationis facti distrahi solent cum præjudicio causarum; Ideoque eorum præcipuæ partes esse debent in diligenti studio processus, atque indagatione facti, ejusque brevi quidem, sed accurata, & diligenti enarratione, excitando solum motiva, ut Advocati suppleant cum doctrinis, & ratiociniis.

In Procuratoribus autem magis frequens esse solet usus 100
annuorum stipendiorum, seu provisionis, adhuc tamen in parte intermissus est comparative ad antiquum stylum, quando ita stipendium annuum statutum non sit, eorum honorarium pro mercede laboris est in omnibus uniforme, cum illo Advocatorum, supra recensito; Cum aliqua tamen discreta moderatione; circa frequentiores functiones, quas ipsi facere solent in voce, vel in scriptis, per memorialia, super incidentibus; Merces autem studii processuum de partibus, solet esse major, vel minor pro illorum qualitate, & pro Partium discreto arbitrio; Adhuc tamen quædam taxa moderata, ex antiquis traditionibus, in praxi apud nos habetur.

In isto quoque ordine dignoscitur eadem supra insinuata 101
discretio consistorialium, & non consistorialium, sive collegialium, & non collegialium, dum adest Collegium, quod ab antiquo (juxta unam opinionem supra recensitam) per Benedictum VII. de anno 1340. in Avenionensi Civitate erectum fuit, illorum Procuratorum, quibus tantum liceret consistorium ingredi, atque causas consistoriales peragere; Ideoque illi qui sunt de Collegio, intitulantur Procuratores causarum Sacri Palatii Apostolici; Non dicuntur enim consistoriales, quoniam hodie non habetur amplius usus disputandi causas contentiosas in Consistorio, ideoque illud non ingrediuntur Advocati. Habent item facultatem scribendi etiam in jure, atque a Judicibus, & Tribunalibus majores obtinent honorificos tractatus, quam obtinent illi Procuratores, qui non sint de Collegio, & supra quos licet antiquiores habent præcedentiam, eo modo quo supra de Advocatis Consistorialibus est dictum. c

Antiquiori tempore, illud non erat numeratum; In 102
hoc autem sæculo sub Paulo V. effectum est tale constitutum in numero determinato vigintiquatuor. Bene verum, quod vacante loco per mortem, vel per promotionem ad statum diversum incompatibilem, non sequitur illico subrogatio, ut in Collegio Advocatorum practicatur; sed expectari solent plurium locorum vacationes, & postquam aliquis considerabilis numerus desit, tunc; tanquam per speciem promotionis, ab ipsomet Collegio, absque alia auctoritate, fieri solet bene visa cooperatio aliorum, inter plures ex iis, qui desuper preces porrigant, atque digniores, vel magis provecti videantur.

Ista vero admissio, vel cooperatio; fieri solet prævio 103
diligenti processu, non solum super idoneitate in exercitio professionis, quæ minus altis inquiritur, quoniam ubi quis ad istud Collegium adscribi petat, jam effectus est notoriæ idoneitatis, potissime quia illa hodie probatur quoque per examen Rotale, quod ad annos præcedere solet, ut in infra; Sed principaliter super vitæ, ac morum probitate; Et potissimum super illa probitate, quæ percutiat ipsius professionis exercitium, magnam habendo rationem bonæ, vel malæ famæ, super integritatæ, vel calumnioso genio respective; Ac etiam super natalibus nobilibus, vel saltem in propria patria civilibus, valdeque honestis, nullo pacto admittendo eos, qui legitimorum natalium defe-
ctu laborent, minusque si eos habent legitimos, sed ple- 104
beos; Atque hinc secutum est, ut omni tempore viri nobiles, etiam de familiis antiquis, & illius nobilitatis, quæ generosa sit, istud munus exercere, atque ad Collegium admitti non dubitaverint; Ex præfata ratione, quod revera istud munus causarum Patroni in Curia, importat idem, quod illud Advocatorum extra, dum illa species Advocatorum, quam habet Curia, est singularis.

Item ex isto Collegio, ad instar eorum, quæ superius 105
dicta sunt de altero Advocatorum, plures prodierunt Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati, qui primaria Curiæ officia habuerunt, illa præsertim Datarii, & Gubernatoris Urbis; Ut præsertim inter plures, circa finem retroacti sæculi, & initium currentis, praxis docuit in Domino Tusco, qui post alios gradus, fuit Urbis Gubernator, & præsertim de tempore quo Clemens VIII. Ferrariam adiit, deindeque Cardinalis, pontificatui etiam valde proximus, ut conclavium chronicæ docent; Atque nostra ætate vidimus insignem Canonistam Marcum Aurelium Maraldum, Datarium Pauli V. & Secretarium Brevium Urbani VIII. & Innocentii X. & Hieronymum Bertuccium Datarium Innocentii X.

tii X. & alios; Bene verum, quod ex reliquo cœtu Pro-
curatorum non collegialium plures quoque easdem di-
gnitates, & fortunas sortiti sunt.

Plures quoque prodierunt Auctores operum, quibus ad
106 publicam utilitatem potimur; Ut præsertim ex antiquiori-
bus inter plures sunt Vestrius, Gallesius, seu Massa, Pa-
pazonus, & Mandosius; Et ex recentioribus præfatus
Cardinalis Tuschus, Lotterius, Ubertus, & alii.

Obtinebat Collegium antiquiori tempore Jus præsentan-
di, vel nominandi ad pingue, & qualificatum beneficium,
107 Archipresbyteratum nuncupatum, Ecclesiæ S. Mariæ supra
Rotundam, quod eidem Collegio magnam præbebat ne-
dum honorificentiam, sed etiam utilitatem, ita scilicet
providendo aliquos ex collegialibus, qui nollent, vel non
possent amplius Curialibus negotiis vacare; Verum ob re-
vocationem hujusmodi patronatuum, quæ in Concilio
Tridentino secuta est, isto considerabili jure caruit; Ob-
tinet autem capellam S. Michaelis Archangeli in Ecclesia
108 Sancti Eustachii, atque in die Dedicationis de mense Se-
ptembris, dum missa solemnis in dicta capella celebra-
tur, interveniunt duo collegia, Auditorum Rotæ, & Ad-
vocatorum consistorialium, in habitu solemni; Auditores
scilicet cum rocchetto, & cappa magna; Et Advocati, cum
illo habitu violaceo, quem ut supra, adhibent in aliquibus
solemnitatibus, & isti sedent intra capellam; Extra vero
eam, intra ambitum columnarum; a latere dextro, post
Auditores Rotæ, in banco elevato pannis cooperto, se-
dent juxta ordinem antianitatis, Alii Advocati non Con-
sistoriales, jam cogniti & probati, quos eidem Collegio
invitare videatur; Et a latere sinistro, post Advocatos
consistoriales, in consimili banco cooperto, ipsi Procura-
tores collegii, juxta pariter ordinem antianitatis; Ipsi au-
tem bini ex quatuor junioribus aliquibus diebus præceden-
tibus curam habent invitandi Auditores, & Advocatos,
tam consistoriales, quam simplices; Atque in eadem fun-
ctione, in obsequium Collegii, interveniunt quoque stan-
tes in reliqua parte Ecclesiæ, Juvenes, & solicitatores,
ac etiam aliqui Procuratores, ex illis qui aspirant ad coope-
rationem in Collegio; Adeout, respectu Curiæ forensis,
videatur quidem solemnitas alicujus majestatis, præpa-
ratoria quoque alterius, quæ de proximo in prima die ju-
ridica Octobris fieri solet in apertura Rotæ; In cujus equi-
ratione, jam recensita occasione agendi de isto Tribuna-
li, d cum interveniant duo Auditores Juniores repræsen-
109 tantes Tribunal, immediate post eos interveniunt duo Ad-
vocati Consistoriales, & duo ex istis Procuratoribus eo-
rum collegia repræsentantes; Idemque ordo sedendi, qui
tenetur in ista solemnitate, tenetur etiam in exequiis gene-
ralibus, quæ singulis annis in Kalendis anni novi fiunt pro
Auditoribus Rotæ, ac etiam in particularibus singulo-
rum Auditorum, & Advocatorum consistorialium dece-
dentium, ut supra.

Antiqui scriptores praxis Romanæ Curiæ, istius colle-
gii alumni, superius recensiti, e damnant, ut aliis, præ-
110 terquam istis collegialibus, qui ita prævio processu proba-
ti sunt, permittatur istud munus causarum Patroni exer-
cere, vel quod saltem istud vocabulum, vel attributum
aliis assumere liceat, quasi quod libertas quæ desuper cui-
cunque vulgari professori conceditur, aliquod nobilitati
muneris præjudicium causare videatur; Non tamen eorum
sensum Curia amplexa est: Et merito, tum quia exi-
guus est eorum numerus, ideoque sufficiens, dum ob ne-
gotiorum multiplicitatem, magnus requiritur numerus
Procuratorum, qui forte in decuplo, & ultra est major,
quam sit ille Advocatorum, de jure respondentium; Tum
etiam quia inter illos, in quibus natura parum benevola
fuerit, eis absque demerito tribuendo natales illegitimos,
vel plebeos, excellentia, & peregrina ingenia frequenter
adesse solent, adeout efficiantur Curiales primarii, exi-
miæ doctrinæ junctæ cum integritate, ac probitate mo-
rum; Ideoque justum non esset istis, qui hujusmodi defe-
ctus, absque merito proprio patiuntur, aditum præclude-
re, ne talentum a Deo sibi concessum exercere valeant;
Ac etiam quia nonnulli ex iis, qui hujus muneris exer-
citio se addicunt, nobiles etiam generosæ nobilitatis re-
gionis, vel patriæ, in qua munus Procuratoris, in modi-
ca existimatione sit; Quamvis recte sciant, quod Cu-
riæ mores sint diversi; Adhuc tamen, ut satisfaciant opi-
nioni vulgi, in propria patria ab hujusmodi positiva ad-
scriptione se abstinere solent, ponderando quoque quod
esset species monopolii, in jure damnati.

111 Inconvenientibus autem, quæ per dictos antiquos Pra-
cticos considerantur, tempore nostræ ætatis, occurrere
studuit Rota, introducendo examen, quod coram Deca-
no fieri solet per duos antiquiores hujus collegii Procu-
ratores, tam super idoneitate ad munus exercendum,
quam etiam super morum probitate, & integritate, ne-
que alias admittuntur ad scribendum in facto in ipso
Rotæ Tribunali; Unde propterea illi, qui approbati
sunt, dicuntur procuratores Rotales, ideoque prodiit qui-
dam novus ordo, diversus a reliquo genere.

Stante autem hujusmodi Collegiorum existentia, plures 112
in facti contingentia, (oretenus tamen, & in forma fa-
miliarium discursuum) dicere consuevi, quod in Curia in-
definite non procedat propositio, quam DD. firmant, quod
scilicet Advocati, & Procuratores, necessitate, vel justa
causa impellente, quamvis inviti, per Magistratus cogi
valeant ad patrocinium præstandum, vel consulendum,
quasi quod huic muneri se addicendo, quendam quasi con-
tractum cum Republica inire dicantur. f Ut agendo de me-
dicis tam corporalibus, quam spiritualibus alibi ad ver-
titur. g Siquidem cum adsint illi Advocati, & Procura-
tores, qui munus suscipiunt solemniter, & in officium,
pluribus potiendo emolumentis, & prærogativis, quibus
alii carent; Hinc proinde, rationabile videtur, ut ex re-
gula *Secundum naturam &c.* ut quem sequuntur com-
moda, sequantur incommoda, istorum prior debeat esse
obligatio; Aliorum vero nisi subsidiaria; Bene verum
quod nimium raro, & forte nunquam formiter hujus-
modi quæstiones disputari occasio præbet.

Hujusmodi autem Curiæ Procuratoribus, magis quam 113
Advocatis congruere videtur traditio antiquorum Cano-
nistarum, h ut plus mereantur Advocati bene suum offi-
cium facientes, quam religiosi Carthusiani; Eo quia ista
professio, de sui regulari natura, nimium periculosa sit;
Pejerandi etenim occasio, in calumniis, & mendaciis (ut
supra advertitur) propriæ vigere videtur in iis defensori-
bus, qui causas dirigunt, ac processus ordinant, atque
ex eorundem processuum, aliorumque jurium visione, di-
stinctam habent informationem facti, in cujus alteratio-
ne viget periculum animæ. Ac etiam quia, utpote fiducia-
rii litigantium, tam in litibus, quam in aliis negotiis, be-
neque informati de omnibus secretis domorum, ita illi,
quibus latronum, & grassatorum potius, quam Curialium
nomen congruit, eos suffocare, atque excoriare satagunt,
sive cum prævaricationibus secreta pandere, ut ab alia par-
te pecunias obtineant; (Et utinam in Mundo non adessent
Curiales ex hujusmodi infami genere;) Et per consequens
bene dicitur, quod magni meriti censendi sunt apud Deum,
probi Curiales tanquam operarii Justitiæ, Reipublicæ pro-
ficui; Boni etenim & integri causidici, non solum Reipu- 114
blicæ proficui sunt, pro causis, & negotiis, quæ ipsi per-
agunt, sed etiam quia, cum eorum exemplo, eos qui
malos mores, vel malum genium habeant, terrent, vel
saltem in parte coercent, ne majora mala committant;
Ac etiam quandoque cum ipsismet Judicibus, idem effe-
ctus resultare solet, dum probi, & integri Curiales, Judi-
cibus, & Magistratibus cujuscunque gradus sint, libere,
& alte loqui possunt quando videant justitiam titubantem,
quod non possunt facere illi qui malos habeant mores.

Procuratoribus item magis, quam Advocatis, pro Cu-
riæ stylo, congruere videntur ea, quæ alibi agendo, de 115
contractibus, vel ultimis voluntatibus infirmi ad favorem
medici, insinuata sunt, i cum Advocati, & præsertim
classici, pene cum litigantibus non tractent, neque causa- 116
rum, ac negotiorum curam habeant, adeout quandoque
causæ disputatæ, bonum, vel malum eventum, per heb-
domadas, vel menses ignorent, ataque fiducia, & con-
versatio litigantium sit cum Procuratoribus, a quorum li-
bito, ut plurimum pendet Advocatorum assumptio, ac
mutatio; Quinimo etiam approbatio, seu fama, quoniam
litigantes a Procuratoris oraculo pendere solent, atque
judicium efformare, an bene, vel male Advocati scrip-
serint; Unde propterea in Curia res videtur in opposi-
tum ejus quod alibi praxis docet, quod scilicet Advocati,
& præsertim juvenes, qui negotiorum occasiones cu-
piunt; Vel etiam illi seniores, qui (juxta meam dicendi
consuetudinem) ex ordine mendicantium censendi sunt,
Procuratoribus nimium obsequiosi esse coguntur.

Item istis classicis Procuratorib. æque ac Advocatis, con-
gruunt omnia alia, quæ DD. tradunt (loquendo generaliter 117
de Advocatis) quoniam isti proprie sunt illi Advocati, quorum
usus in Urbe est frequentior; Tum circa punitionem, ob inju-
rias, & convicia in scriptis, vel oretenus; l Tum etiam circa
cam

eam propositionem, quam antiqui Canonistæ tradunt, *m*, ut Advocatu bonam causam fovere juste opinanti, deducere quoque liceat motiva irrelevantia, ob aliquorum Judicum imperitiam, unde bona, & solida motiva non agnoscant, amplectantur autem irrelevantia, & levia, juxta alias insinuatum exemplum illorum, qui salubres ac nobiles cibos nauseant, nimium autem eis cordi sunt fabæ, cepæ & allia; Dummodo tamen absis mendacium positivum, in quo est punctus.

b *Zachias de Salar. qu. 82. n. 21. & 22.* c *de isto Collegio Vestrius in praxi, lib. 2. c. 19.* d *supra, discurs. 32.* e *Vestr. in prax. lib. 3. d. cap. 19.* f *Mastril. de Magistr. lib. 1. cap. 30. n. 78. & seqq. Muta ad consuet. Panorm. c. 68. n. 20.* g *tit. de jurisd. disc. 32.* h *Hostien. in proœm. sum. n. 8. Muta ad consuet. Panorm. cap. 68. & alii communiter.* i *tit. de testam. disc. 51.* l *Sanfel. decis. 374.* m *Jo: Andr. in cap. per tuas, n. 7. qui filii sint legitimi, Aponte, de Pereg. tit. de assens. reg. in Rubrica in foro.*

VI.

De Procuratore fiscali generali Urbis, aliisque fiscalibus, & de Procuratoribus pauperum; ac etiam de Commissario Cameræ.

QUemadmodum autem, in ordine Advocatorum, ut supra, sunt duo superius recensita officia, Advocati pauperum, & alterius Advocati Cameræ, & fisci: Ita in hoc ordine Procuratorum, adsunt officia pariter pro pauperibus, ac pro fisco, & Camera, qua-
118 les sunt, Procurator fiscalis generalis, de quo jam supra (licet incidenter) actum est sufficienter, occasione agendi de Advocato fiscali; Ac etiam pluries mentio habita est agendo de singulis Tribunalibus Urbis, quæ causas criminales quoque peragant; Istudque munus inter alia supra recensita, primum locum occupat, dum Fiscalis præcedit Commissarium Cameræ, atque dicitur Papæ familiaris, non solum ob partem palatii, quod obtinet, sed etiam quia utitur vestibus violaceis, quibus utuntur Papæ familiares actuales; & aulici, qui illi in aula dome-
119 stica inserviunt, Camerieri appellati, quorum aliqui sunt honoris tantum, alii vero actuale servitium præstant; Easdem prærogativas in omnibus habet quoque Commissarius Cameræ, qui est Procurator Cameræ, & fisci in civilibus, sive in negotiis cameralibus, juxta distinctionem superius traditam, inter Cameram, & fiscum.

Ambo itaque isti duo Procuratores, Cameræ, & Fisci in officium, sedent in Camera inter camerales, ac respective interveniunt in Congregationibus, aliisque congressibus criminalibus, vel cameralibus, pro qualitate negotiorum, quæ eorum cuilibet incumbunt, ut agendo de Advocato fiscali supra advertitur.

Et nisi essent officia manualia ad nutum amovibilia, adeout non habeant illam perpetuitatem, quam de ejus regulari natura habent prædicta duo alia officia Advocati pauperum, & Advocati fiscalis essent longe majoris existimationis; Tum ob majora emolumenta; Tum etiam ob majorem occasionem beneficiorum, vel præjudiciorum, ex quibus in hoc Mundo existimatio major resultare videtur, Fiscalis scilicet in causis criminalibus, & Commissarii in appaltibus, & spoliis, aliisque juribus cameralibus, dum isti officiales majorem habent in hujusmodi negotiis partem, quam Advocatus, qui juxta eandem Curiæ pra-
120 xim, etiam cum privatis, reputatur remedium subsidiarium pro difficultatibus, quæ consistunt in puncto juris, in reliquis autem totum pondus, totaque fiducia est Procuratorum, Idque ad rem potissime comprobat praxis audientiæ Papæ; Siquidem, ut alibi supra advertitur, post Cardinalem nepotem superintendentem generalem, & Datarium, ac Secretarios Brevium, & Status, magis frequentem, & accuratam audientiam Papæ habent Gubernator Urbis, & Thesaurarius statutis diebus Mercurii, & Sabbati, ultra illam extraordinariam, quam negotiorum urgentia exigat; Isti vero officiales majores semper adjunctos
121 habent præfatos officiales majores, Gubernator scilicet Fiscalem, & Thesaurarius Commissarium, ut si opportunitas exigeret, Papæ audientiam quoque habeant; Quinimo praxis quandoque docet, quod majorem fiduciam habeat Papa cum fiscali, quam cum Gubernatore, sive majorem cum Commissario, quam cum Thesaurario; Et tamen id non sequitur in Advocato, quem raro, & in aliquibus extraordinariis gravibus negotiis Papa solet audire.

Card. de Luca, Lib. XV.

Bene verum est, quod antiquioribus temporibus, longe majus erat munus Commissarii Cameræ, dum quam- 122
plura explicabat ex iis, quæ nunc explicant Gubernator, & Thesaurarius, ut sæpius recensiti antiqui Romanæ Curiæ praxis scriptores testantur. *n*

Non semper tamen isti officiales ex isto Procuratorum ordine assumuntur, & præsertim Procurator fiscalis, dum 123
ut superius insinuatum est, esse solet peritus criminalista, qui in munere judicis, vel Locumtenentis criminalis diu versatus fuerit; Pro frequentiori autem praxi ex hoc ordine procuratorum, & præsertim ex illis collegii, assumi solet Commissarius, sed quandoque rarius, etiam ex ordine Advocatorum.

Habent autem isti officiales adjutorem, vel ministrum subordinatum, qui substitutus fiscalis, vel substitutus Com- 124
missarii appellatur, istique ex ordine soliciratorum, & quandocunque etiam procuratorum, non tamen Collegii assumi solent quantum praxis docet.

Adsunt quoque in criminalibus quidam alii fiscales; Nempe ille supra enunciatus, Tribunalis Sancti Officii, 125
sive Inquisitionis universalis; Alter fori Capitolini enunciatus in ejusdem fori particulari rubrica; Et alter in Tribunali Ædilium, seu Magistrorum viarum, ut pariter supra in hujus Tribunalis rubrica habetur.

Procuratores pauperum duo sunt, ut occasione agendi de visitatione carceratorum, pariter supra insinuatum est *o*. Unus scilicet, quem juxta generalem morem omnium principatuum, & Magnorum Tribunalium respective, deputat Papa, tanquam adjutorem, & operarium Advocati pauperum, in iis quæ facti sunt, sive in iis, quæ processus ordinatoria concernunt; Alter vero deputatus 126
per insignem Archiconfraternitatem, quæ Charitatis appellatur, eaque erecta est in Ecclesia Sancti Hieronymi prope palatium Farnesianum; Qualia vero sint istorum Procuratorum munera, vel obligationes, plene agunt moderni scriptores de visitatione carcerum, qui in hoc munere nimium laudabiliter versati sunt, ideoque apud eos facile erit inspicere. *p*

n *Vest. d. lib. 2. cap. 19.* o *supra disc. 29.* p *Scannarola, de visitat. carceratorum, lib. 1. §. 8. cap. 6. fol. 106.*

VII.

De Solicitatoribus, & Agentibus, aliisque togatis, qui sub Curialium genere veniunt.

IN juridica significatione, Solicitatores sunt duplicis speciei; Una scilicet forensium, seu causidicorum, qui 127
in causis contentiosis sunt adjutores, & operarii Procuratorum, circa acta ordinatoria, & alia munia personalia magis mechanica, In quibus classici, & occupati Procuratores non solent ingerere per se ipsos, ut supra dictum est; Et altera eorum, qui vacant negotiis Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ, ac etiam Secretariæ brevium, seu Pœnitentiariæ, & sic circa gratiosa potius quam contentiosa.

De communi vero loquendi ubi, usu hoc vocabulo Solicitatorum, veniunt solum illi de prima specie, cum alii de secunda appellentur Expeditores, sive Expeditionerii.

Verificatur autem in forensibus, & contentiosis ista tertia species in causis Tribunalis Rotæ, ac etiam in aliquibus gravibus aliorum Tribunalium, & præsertim utriusque Signaturæ, Cameræ, & Auditoris Cameræ; In reliquis enim generaliter ista contradistinctio non datur; quoniam unus gerit omnia, solumque aliquando (sed raro) ubi gravis difficultas urgeat, ad opem Advocati, ut plurimum, post vulnus acceptum, recurrere solent; Istorumque est major, ac peneinfinitus numerus, utramque figuram facientium Procuratorum scilicet, & Solicitatorum respective, pro causarum qualitate; Quinimo etiam inter eos plures classes, seu distinctiones dignosci videntur, pro diversitate Tribunalium, quibus aliqui omnino addicti sunt, in aliis non versentur; Aliqui vero magis, & minus, aliis quoque vacant.

Istorum Solicitatorum, qui sub Procuratoribus, eorumque subordinatione, causas solicitant, munus est incumbere aliquibus actibus ordinatoriis, tam judicialibus, quam extrajudicialibus, & præsertim in citationibus, & intimationibus, atque in subscriptionibus dubiorum, atque in distribu-
tione informationum in propositione causæ, juxta ea quæ a- 128
gendo de Tribunali Rotæ insinuata sunt *q*, ac etiam in illis Cameræ, & utriusque Signaturæ; Ipsique ut plurimum in-

serveniunt in contradictoriis, quæ habentur in publicis audientiis, in Tribunalibus præsertim A. C. & Viratii, & in aliis.

Et quoniam isti, pro majori parte esse solent juvenes studiosi, & diligentes, qui hoc munus suscipiunt, ut instruan- 129 tur, atque habilitentur ad munus procuratoris, & quandoque etiam ad illud Advocati, cum etiam in puro Jurista, nimium conferat, habere aliquam notitiam praxis, non so- 130 lum istius solicitaturæ, sed etiam alterius Datariæ, & Cancellariæ, præsertim pro materiis beneficialibus; Quinimo, magis id conferret, atque forte necessarium esset, in iis, qui viam Prælaturæ assumpturi sunt; Hinc proinde, classici occupati Procuratores, istorum operam adhibere solent, etiam in visura, & spolio processus, & in compositione summarii, super magis substantialibus, juxta pluries enunciatum stylum, Quia vero non omnium hominum eadem est conditio, atque impossibile est, ut in aliquo genere personarum dentur solum viri probi & integri, sine mixtura improborum; Hinc aliquando sequi solet, quod aliqui maligenii Juvenes, conficere solent summarium minus fidele, seu factum diversimode supponere, atque exinde apud non bene versatos, scandalum adversus Curiales concipi solet; Verum Procuratores quando id agnoscant, seu per alterius Patris oppositiones, præmoniti sint, cum memorialibus, in vigilia propositionis causæ, Judices de errore, vel alteratione, candide, atque cum debita integritate advertunt; Istorumque Solicitatorum præmium pro frequentiori praxi consistit in annuo, vel menstruo stipendio, tanquam per speciem salarii, atque ut plurimum ipsi sunt Procuratores judiciales, quod in eorum personis conficiuntur mandata ad lites, ideoque juxta Procuratores defensores vere, & proprie sunt Patroni causarum, sive Advocati juxta morem aliarum Curiarum, & Regionum in quibus non habeatur ista tertia species Advocatorum Curiæ respondentium de jure tantum.

De altera vero specie Solicitatorum Datariæ, & Cancellariæ, aliquid insinuatum est supra, agendo de Vicecancellario, & de Datario r; Istorum vero præmium licitum, & publicum suas habet taxas a quadam consuetudine, tot scilicet ducatorum, pro qualibet expeditione, juxta earum diversam 131 qualitatem; Reliquum vero quod a partibus ignotis extorqueatur, quodque facilius in negotiis ultra montes sequi potest, & forsan quandoque solet, est furtum, & rapina.

Item in hoc etiam primo genere Solicitatorum forensium adest unus, qui habet hoc munus in officium, nempe Solicitator Cameræ, atque in hac sphæra reputatur munus 132 considerabile; Tum ob emolumenta; Tum etiam ob peritiam, quam assumit graviorum negotiorum cameralium.

Agentes dicuntur illi, qui curam habent negotiorum, tam forensium, quam aulicorum, quæ in Curia habeant 133 Legati, Nuntii, Episcopi, Gubernatores, & alii similes; Ac etiam, Principes, & Magnates, atque Communitates; Istorumque pene infinitus est numerus, atque ab eis peragitur major pars negotiorum, quæ in forma extrajudiciali pro majori parte per viam supplicum libellorum, seu memorialium peraguntur in S. Congregationibus Cardinalitiis, de quibus distincte supra est actum. Istaque Curialium species, vel sphæra est forsan Curiæ famæ, & existimationi magis præjudicialis, in negotiis præsertim gratiosis Palatii Apostolici, vel Datariæ & Secretariæ brevium, sive Sacr. Congregationum, ac etiam quandoque in negotiis contentiosis Tribunalium, quod scilicet ad proprium turpe lucrum aliqui extorqueant a correspondalibus pecunias, falso fingendo munera & corruptelas officialium, seu mediatorum; Adsunt tamen inter eos quoque viri probi & integerrimi, omnique laude digni.

In hoc etiam genere adsunt illi, qui hoc munus habeant in officium publicum; Ut sunt Agentes Communitatum, de quibus superius agendo de Congregatione boni Regiminis advertitur ſ; Ac etiam sunt aliqui nimium qualificati Agentes, Imperatoris, & Regum, aliorumque magnorum Principum, peragunt ea negotia, quæ peragi non congruit per eorum Oratores, quatenus adsint, sive etiam ea, quæ ab ipsis agenda essent, quando abesse contingat.

Magnum præterea numerum habet Curia professorum 134 togatorum, etiam nimium literatorum, & in scientiis versatorum, qui quandam tertiam, seu neutram speciem constituunt, quia nempe non sint formiter addicti Curiæ forensi, gerendo explicitum munus Advocati, vel Procuratoris, vel Solicitatoris, sive Agentis; Minusque addicti sint Curiæ aulicæ gerendo munus Auditoris, vel Secretarii literatum, & memorialium respective, sive Auditoria studiorum, sed propriæ domi viventes, atque aliquas aulas colentes, pro eorum prætensionibus, assequendi dignitates, & beneficia, sive ut se disponant ad prælaturam, adhuc aliqua peragunt negotia, vel aliquarum causarum studio, & defensioni vacant, gerendo actus sub nomine alterius Curialis; Istamque personam ego per aliquod spatium gessi, priusquam muneri Advocationis, ex amicorum suasionibus, formiter me addicerem, dum absque hoc animo, accidentaliter ad Curiam accessi, pro aliquibus controversiis immunitatis ecclesiasticæ, occasione Vicariatus Generalis in patria, adeout casui mea curialitas referenda sit, præter intentionem assumendi hanc pessimam occupationem, quam dedit Deus filiis hominum.

Admirationem aliqui non bene informati concipiunt, quod Advocati, vel Procuratores classici, & famosi, juxta aliorum principatuum stylum, non frequenter ad majora munera, majoresque gradus promoveantur; Verum 135 admiratio effectus est imperitiæ. Ubilibet etenim literatorum duæ sunt classes, vel duo sunt insimul connexi ordines; Unus scilicet Magistratuum; alter vero Advocatorum; Ideoque ad Magistratuum loca vacantia, ex alio Advocatorum ordine assumere oportat; secus vero est in Curia, dum quatuor sunt literatorum, & togatorum ordines; Primus nempe Magistratuum majorum; Secundus Prælatorum, qui cum magna proprii æris erogatione, in Nunciaturis, & Guberniis, aliisque Sedis Apostolicæ muneribus, ac servitio diu versantur, ac merentur; Tertius est Advocatorum, & procuratorum; Et quartus Aulicorum, ac aliorum ut supra; Ideoque post primum ordinem, succedit secundus Prælatorum, qui digniorem occupat locum, & per consequens non mirum, si rara est assumptio, vel evocatio eorum, qui sunt in tertio & quarto; Ac etiam quia electivi Principatus qualitas frequenter operatur verificationem parabolæ Evangelii, quod sunt novissimi primi, & primi novissimi.

q *supra, disc.* 32. r *supra, disc.* 9. & 10. ſ *supra, disc.* 26.

De Notariis, & remissive de aliis pertinentibus ad Curiam Romanam.

S U M M A R I U M.

1 *De duplici specie Notariorum privatorum, & illorum qui habeant in officium.*
2 *Quod Notariorum privatorum usus in Curia sit modicus.*
3 *De substitutis, & adjutoribus Notariorum habentium officium.*
4 *Quid isti substituti debeant esse Notarii, & quid si non sint tales.*
5 *An Sacra Congregationes adhibeant Notarium.*
6 *De Notariis Rota.*
7 *De Notariis Camera.*
8 *De illis Auditoris Camera.*
9 *De Notariis Vicarii & Gubernatoris, & præsertim de Notario criminali Gubernatoris.*
10 *De Capitolinis.*
11 *De Notario Archivii, & de aliis singularibus aliquorum Tribunalium.*
12 *De recusationibus Notariorum, vel quæstionibus super pertinentia causarum.*
13 *An Procuratores, & Solicitatores teneantur de proprio ad solutionem emolumentorum pro actis & expeditionibus.*
14 *Emolumenta Notariorum habent suas taxas.*
15 *De fide quæ præstatur Notariis Curia præsertim Auditoris Camera.*
16 *De hujusmodi officiorum venalitate, vacatione, & pertinentia.*
17 *De materiis criminalibus, & canonizationibus Sanctorum quare non agatur.*
18 *De aliis generalitatibus ad materiam Curia ceremonialis, vel aulica, seu politica.*

D I S C. XLVII.

ULtra illos adeo qualificatos Curiæ Notarios, qui in Prælaturæ statu constituti sunt, Prothonotarii Apostolici de numero participantium appellati, numerarum Colle- 1 gium constituentes, ut supra in rubrica plurium Collegiorum habetur: Magnus in Curia adest numerus Notariorum, qui sunt de duplici specie; Una siquidem est eorum, qui privato

vato ob aliquam peritiam in conficiendis instrumentis, huic professioni se addicunt, obtinentes privilegium, seu facultatem a Collegio scriptorum Archivii, sive ab altero Protonotariorum, aut ab aliis, quibus talis facultas competat, nullum habentes officium publicum; Altera vero est species illorum Notariorum, qui habeant notariatum in officium publicum, a Principe collatum, sive ab eo, ad quem respective istud jus pertineat, cum utraque facultate, illa scilicet, quam habent quoque superius recensiti Notarii privati, se rogandi de instrumentis super actibus voluntariis inter vivos, vel per ultimam voluntatem; Et alteram actorum judicialium in causis contentiosis, quæ agantur coram illis Judicibus, & Tribunalibus, quorum ipsi sint Notarii.

Quamvis autem de prima specie, magnus in Curia numerus adsit, in habitu, seu in potentia; Rarus tamen in actu, seu in exercitio est eorum usus, adeout non digno-
2 scantur illi privati Notarii, qui ob eorum peritiam, probatamque fidem, per quandam speciem apothecæ, publice expositi sint, magnaque conficiant protocolla, atque notabiles pareant divitias, ex sola ratione hujus privati exercitii, privatæque peritiæ, ut in aliis, præsertim Italiæ Civitatibus, praxis docet, quoniam ob majorem diligentiam, & securitatem in conservatione scripturarum publicorum officiorum venalium, Partes hujusmodi Notariis publicis utuntur; Ideoque privatorum Notariorum exercitium versatur in munere substituti, vel adjutoris
3 Notariorum publicorum, habentium notariatum in officium, juxta distributa munera, quod scilicet; Alii sunt substituti in judicialibus actis singulorum Judicum illius Tribunalis; Et alii sunt substituti, qui instrumentantes appellantur, utpote a Notario in capite huic muneri particulariter præpositi ad effectum rogandi de instrumentis publicis, quæ fiant super actibus voluntariis inter vivos, vel per ultimam voluntatem.

Siquidem de juris censura, & ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum, quamvis isti substituti, vel adjutores, qui Juvenes quoque appellari solent, instrumenta conficiant, sub nomine ipsius Notarii in capite
4 eorum domini, qui subscribit instrumenta, quæ in publicam formam reassumantur Partibus tradenda; Adhuc Notarii quoque esse debent.

Bene verum, quod quandoque casus præbet, ut ipsi non sint tales, & tamen adhuc ex quadam consuetudine substinentur actus per eos confecti, seu rogati, utpote habendi tanquam rogati per ipsos principales Notarios, qui male quidem agunt, atque punitione forsan digni sunt, non observando leges desuper præscriptas; Sed id præjudicare non debet Partibus, quæ bona fide ad id assumant illum, quem in publico, ac probato officio vident publice expositum, sive huic muneri præpositum; Durum etenim, atque impracticabile esset, ut qui contractus, vel testamenta ordinare velint, in quolibet actu perquirere debeant notariatum Juvenis substituti, dum non istius, sed publici Notarii principalis habentis officium a Principe, fidem sequuntur, sub qua elusi remanerent; Tunc etenim partibus imputandum est, cur non bene inquisierint facultates illius, quem elegerunt pro illo actu conficiendo, quando elegissent personam privatam, seu Notarium de prima specie, ut supra, secus autem isto casu, in quo publicam fidem sequi dicuntur, ut alibi particulariter advertitur. *a*

Plures autem sunt hujusmodi publicorum Notariorum species, juxta diversas species Tribunalium, & Magistratuum; Siquidem S. Congregationes Cardinalium, dum explicent negotia in forma extrajudiciali, certos non habent Notarios; Et quando contingat, ut il-
5 lum adhibere oporteat, quia sic alicujus negotii qualitas exigat, tunc assumi solet aliquis ex publicis Notariis, pro libito; Atque pro frequentiori praxi, assumi solet ille Notarius A. C. vel alterius Tribunalis, quo tunc utatur Palatium Apostolicum, pro libito Papæ regnantis, vel ejus palatii Præfecti, cum pariter non adsit officium fixum; Præ cæteris autem S. Congregatio Rituum habere solet Notarium, quem ita pariter pro libito assumit, quoniam Tribunalia contentiosa tantum habent fixa, & determinata officia Notariorum.

Tribunal itaque Rotæ, ex quadam antiqua consuetudine, ita forte in illis temporibus causarum multiplicitate exigente, magnum habebat numerum, quadraginta, &
6 octo Notariorum, qui inter Auditores distributi erant, quod scilicet quilibet Auditor quatuor Notarios sub se haberet, pro causis coram eo pendentibus; Hodie vero, ob modernam reformationem sub Clemente X. regnante secuta, sunt quatuor tantum, quorum singuli, pro numero, & qualitate causarum, necessarios, vel opportunos habent Adjutores, vel substitutos, cum distributa pertinentia provisionis hujusmodi quatuor officiorum; Quorum unum est ad provisionem Papæ; Alterum Vicecancellarii; Tertium Camerarii; Et quartum ipsius Rotæ, distributa participatione emolumentorum, juxta quendam practicum stylum.

Alterum Tribunal Cameræ, habebat novem Notarios, ad quos pertinebat non solum agere negotia, seu acta ju- 7
dicialia dicti Tribunalis, & Thesaurarii, sed etiam rogare instrumenta appaltuum, aliorumque negotiorum; Ac etiam super consensibus, quæ præstentur, vel super obligationibus, quæ fiant in Dataria, & Cancellaria Apostolica, super resignationibus, vel permutationibus, aut super pensionibus & aliis; Sed pariter ex eadem moderna reformatione, redacti sunt ad quatuor, quibus Secretariorum nomen tribuitur; Istique explicant omnia, quæ explicabant dicti novem, cum perceptione omnium emolumentorum, competentem pariter numerum habentes substitutorum, seu adjutorum, & operariorum.

Continuat adhuc in antiquo solito statu Collegium 8
Notariorum Auditoris Cameræ, constitutum ex decem Notariis, quorum singuli, quoddam Collegium substitutorum, & adjutorum, constituere videntur, habendo scilicet quatuor substitutos, pro actibus judicialibus, unum pro quolibet ex tribus Locumtenentibus, civilibus, & criminali respective, & unum pro ipsomet Auditore, necnon unum, vel plures pro rogitibus actuum voluntariorum inter vivos, vel per ultimam voluntatem; Ultra alios operarios, pro extractibus, vel registris citationum, aliisque inferioribus officiis, ita ad formam bene regulati Collegii, vel Conventus, vivendo in eadem domo, & in eadem mensa ipsius Notarii.

Vicarii Tribunal, cum eodem ordine, plurium sub- 9
stitutorum, & Instrumentantium ut supra, quatuor habet Notarios, Gubernator autem tres habet Notarios distinctos, duos scilicet in civilibus, pro illis causis, quas ejus Locumtenens civilis cognoscit, & quandoque (sed nimium raro) per seipsum, & unum criminalem; qui magnum habet substitutorum & adjutorum numerum; Prudensque consilium est, ut hæc negotia criminalia, per unius bene versati Notarii organum transeant, cum ita pro publica quiete melius regantur; Atque in isto Notario potissimum verificari videtur solitum dicterium, quod Notarius est oculus Judicis, dum Gubernatores pro tempore, præsertim circa initia suscepti gubernii, priusquam bene instruantur, magnum lumen, ac directionem ab isto Notario tanquam versato, ac bene experto pro frequentiori praxi recipere solent.

Forus Capitolinus magnum habet numerum Notariorum civilium, qui per singulas Urbis regiones distributi
sunt, cum alia distributione inter ejusdem fori Judices, 10
quoniam alii sunt Notarii primi; Et alii secundi Collateralis; Unus particularis Capitanei appellationum; Et alter maleficiorum, qui Notarius criminalis appellatur.

Plures item adsunt Notarii singulares, pro diversitate Judicum; Ille scilicet qui deputatur per Collegium 11
scriptorum Archivii, a quo nomen desumit, ideoque Notarius Archivii appellatur, qui est Notarius generalis Judicum commissariorum, idest illarum causarum curialium, vel extra, quæ per commissiones directas singulis Prælatis aguntur.

Alter est Notarius Ædilium, seu Magistrorum viarum; Alter Consulum agriculturæ; Alter Ripettæ; Alter Ripæ; Et alter deputatus a Vicario, pro causis, & negotiis Hebræorum, prope ipsorum ghettum, cum plerisque aliis, pro aliquibus Judicibus, vel negotiis particularibus.

Inter istos Notarios respective, etiam inter illos ejusdem
Tribunalis, & præsertim illius Auditoris Cameræ, quæ- 12
stiones habentur, etiam in plena Signatura disputari solitæ, super pertinentia causarum, ratione præventionis, ac etiam super recusatione, quæ de Notario præveniente fiat pro unam Partium, ex capite suspicionis, unde propterea per singulorum casuum qualitate, & circumstantiis; Quandoque recusatio rejici solet; Quandoque simpliciter admitti: Et quandoque negotium remitti Mensario, qui est ille Notarius, qui in eo mense per turnum faciat figuram Præfecti, seu Capitis Collegii Notariorum illius Tribunalis; Et quandoque deputatur alter Notarius,

qui conficiat acta, commodum autem emolumentorum sit illius Notarii recusati, qui causam legitime prævenit, ne in libito unius Partium sit, colludendo cum altero Notario, tollere jus illi, cui jam quæsitum est.

Audiri etiam solent quæstiones inter Notarios, & Procuratores, vel sollicitatores, an scilicet, & quando isti teneantur pro principalibus, & præsertim pro absentibus ad solutionem emolumentorum, pro expeditionibus, magis vero pro registria, vel extractibus, in quibus quæstiones cadere solent, cum pro causarum qualitate notabiles summas importent; Hujusmodi autem quæstionum decisio, non de facili certam habet regulam generalem, cum pendeat a singulorum casuum circumstantiis, & a stylo currenti, qui per reformationes, vel novas provisiones variari solet.

14 Omnium vero emolumentorum taxa, distincte præfinita habetur in Constitutionibus Pii IV. & Pauli V. emanatis super reformatione Tribunalium, aliisve decretis, & provisionibus, adeout desit occasio earorsionum.

15 Super hujusmodi autem Notariorum fide, aliqua insinuantur in sede judiciorum, agendo de Notario in genere; Ac etiam de fide instrumentorum, & de sententia *b*; Nec non supra, agendo præsertim de Tribunali Auditoris Cameræ *c*, insinuatur magna fides, quæ de Notariis habetur per Judicea, subscribendo multas paginas in albo; Et tamen praxis docet fidei observantiam, neque de facili ejus violationes audiuntur.

Omnia ista officia sunt venalia, sed diversæ naturæ, vel pertinentiæ; Quoniam, alia sunt vacabilia, seu vitalitia, ad dispositionem Papæ, unde propterea venduntur per organum Datariæ, eaque sunt personalia, seu vacabilia; Alia pariter vacabilia, pertinentia, ad alios magistratus; Et Capitolina pertinent ad ærarium, seu Cameram populi, sed sub diversa natura, quod scilicet non sint vacabilia, sed transmissia ad hæredes; Et aliqua pertinent ad loca pia, ut præsertim est officium Notarii Criminalis Gubernatoris, quod pertinet ad plurica insignatam Archiconfraternitatem Charitatis; Et alterum criminale Capitolii pertinet ad Archiconfraternitatem Annonciatæ; Atque aliqua officia hujusmodi emi solent per viros nobiles, pro sola ratione emolumentorum, cum jure illa transmittendi ad hæredes, vel respective ad vitam tantum, unde propterea, per officii dominum conceduntur alicui Notario approbato per Magistratum, ad quem pertinet, in appaltum, vel in administrationem ad annum, sive ad aliud præfinitum tempus; Adinstar eorum, quæ extra Curiam, fere ubique præsertim pro moribus Italiæ habentur de Cancellariis Gubernatorum, aliorumque officialium localium; Atque de his occasione particularium controversiarum, agitur in sede regalium, ubi plura ad materiam hujusmodi Notariorum Urbis habentur. *d*

Curiam forensem alia quoque negotia percutiunt, quæ
16 in hac relatione sub silentio remanent, utpote extra propriam sphæram, ideoque de iis agere non conceditur; Ut sunt causæ criminales, earumque processus, & condemnationes, tam veræ, quam contumaciales, cum distinctione processuum, unius scilicet informativi, seu offensivi, & alterius defensivi; Ac etiam super condemnationis executione & praxi, tam in personis, quam in bonis occasione eorum publicationis, vel mulctarum.

Ac etiam sunt processus, qui fiunt super beatificationi-
17 bus, & canonizationibus, vel cultu aliquorum servorum Dei, ob martyrium pro fide, vel ob virtutes; Sed quoniam (ut præmissum est,) vel genium, vel aliorum generum causarum, & negotiorum occupationes non permiserunt hujusmodi negotiis vacare; Idcirco aliis, qui in eis melius versati sint, reservatur suppletio, nisi eam majus otium, vel occasio permittat perficere in supplemento.

Prout sub silentio remanent ea, quæ, alias diversas, in-
18 tio insinuatas Curiæ species percutiunt; Cæremonialem scilicet in capellis, & in processionibus, & in equitationibus, aliisque Pontificiis functionibus; Et præsertim in illis majoribus, magnisque solemnitatibus Canonizationis Sanctorum; Coronationis Papæ, & Imperatoris; Receptionis Regum, & Principum, vel eorum magis solemnium Oratorum obedientiæ, cum similibus; Ac etiam in iis, quæ concernunt Curiam aulicam, super ordine scilicet Aulicorum, in servitio Papæ, & Cardinalium, ac Oratorum, & Principum, seu Magnatum.

Alia quæ Curiæ species est politica, tam super negotiationibus, quæ concernunt utrumque principatum ecclesiasticum, & temporalem, super modo tenendo cum Regibus, & Principibus, præsertim iis, qui sint inter se inimici, vel æmuli pro conservatione illius neutralitatis, & æqualis benevolentiæ, quam decet, ut summus Pontifex, tanquam communis pater habeat, itaque ita magis opportunum sit instrumentum ad pacem ineundam, atque bellorum & inimicitiarum compositionem; Quam etiam circa conservationem propriæ existimationis, ut opportune incuti valeat ille timor, qui juxta nostrorum temporum magis corruptos mores, potius operativus esse solet, quam amor, seu stimulus religionis, ac pietatis.

Eademque Curiam politicam respiciunt factionariæ divisiones Cardinalium, eorumque adhæsiones, & dependentiæ cum Regibus, & Principibus tam super electione Pontificis, quam super aliis gravioribus negotiis; Sive super novis Cardinalium promotionibus, & præsertim ad commendationem Regum, & Principum; Aut super deputationibus Nunciorum, & Legatorum ad ipsos Reges, & Principes cum similibus; Hæc etenim politicam potius, quam forensem Curiam percutientia, extra sphæram sunt viri forensis, qui in legalibus, mereque judicialibus negotiis in Curia sit versatus; Et quando etiam facultas esset de his quoque forsan non obscure, Adhuc tamen prudentiæ leges prohibent; Ideoque alii, qui in his magis se versatos, atque peritos credunt, suppleant, cum hæc, pro aliqua notitia Curiæ forensis, de qua solum agere munus assumptum est, insinuasse videatur satis.

a tit. de judiciis, disc. 27. & tit. de test. disc. 33. & latius.
b tit. de jud. disc. 5. 27. 36. c *supra, disc. 34.*
d tit. de regal. disc. 7. cum plur. seqq. disc. 17. 21. & in aliis.
Ad materiam hujus discurs. adjungimus quæ sequuntur.

INSTITUTIO ARCHIVII GENERALIS URBANI

In Alma Urbe sub Protectione, & Superintendentia Illustrissimi, & Reverendissimi.

FRANCISCI BARBERINI

S. R. E. Card. Diac. Tit. S. Agathæ.

Et erectio Officii Conservatoriæ dicti Archivii cum eorundem jurisdictionis, & privilegiorum assignatione.

SUMMARIUM.

Procemium.

1 *CAusa hujus Constitutionis.*
2 *Institutio dicti Archivii sub protectione, de qua in rubrica.*
3 *Dos ejusdem, & emolumenta Conservatoris.*
4 *Privilegia ejusdem Conservatoris.*
5 *Jussio defendi ad illud scripturas, de quibus hic.*
6 *Deputatio Camilli Perini J. U. D. in Conservatorem dicti Archivii.*
7 *Jurisdictio Card. Barberini Superintendentis, & Gubernatoris dicti Archivii.*
8 *Clausula præservativa.*
9 *Deputatio Executorum.*
10 *Derogatio contrariorum.*
11 *Forma publicationis, & fides Transumptorum.*
12 *Sanctio pœnalis.*
Dat. P. A. 3. Die 16. Novembris 1625. Publicatio.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officii Nobis, meritis licet imparibus, divina dispositione injuncti solicitudo assidue cor nostrum pulsat, & commovet, ut non solum ad ea, quæ animarum salutem respiciunt, verum etiam quæ ad populorum præsertim Almæ Urbis nostræ, ac Nobis, & Sedis Apostolicæ temporali ditioni subditorum utilitatem, pacem, tranquillitatem, perpetuamque securitatem pertinere noscuntur, vigi-

vigilantiæ nostræ aciem dirigamus; & præsertim noxiis illis, quæ ob non adhibitam satis exactam diligentiam in conservandis tam publicis, quam privatis Scripturis inter subditos nostros, gravi cum nostra, eorumque molestia, fortunarumque suarum jactura, frequenter exoriri, & vigere intelligimus, commoda aliqua ratione provideamus, & pro felici progressu eorum, quæ propterea a Nobis ordinantur, illorum curam egregiorum virorum prudentiæ demandemus, quorum opera, & studio feliciter gubernentur, ac lites facilius terminentur, prout pro justitiæ complemento, & subditorum eorundem quiete conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque ex multiplicitate, & diversitate Notariorum Urbis, & aliquorum etiam ex eis imperitia, & negligentia, ac Instrumentorum, & aliarum scripturarum confusione, ac incuriosa custodia plurima damna, & incommoda a subditis nostris, & aliis irrogari, maximum etiam detrimentum fidei publicæ in dies inferri, eandemque non parvo in discrimine falsitatum, & fraudum versari; vicissim vero ex diligenti eorundem Instrumentorum, & scripturarum cura falsitates, & fraudes omnes evitari, dominia rerum, ac jura unicuique conservari, aliaque non modica pervenire bona satis exploratum, & abunde perspectum habentes, & in plerisque dominiis, & regionibus exteris, ac etiam Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum auctoritate fere in omnibus Civitatibus, & locis Status nostri Ecclesiastici publica, & generalia, & in ipsamet Urbe nostra quædam particularia, Capitolinum videlicet, & Romanæ Curiæ, & forsan alia Archivia erecta, & instituta fuisse, ex eis tamen alia in desuetudinem abiisse, alia in multis deficere; neque per illa hujusmodi incommodis, damnis, & fraudibus, illatisque periculis sufficienter provideri animadvertentes, & ex Annalibus sacræ Historiæ Romanam Ecclesiam olim Archivium publicum sub nomine Cartophilacii habuisse, & Cartophilacii Officium magnæ dignitatis, & Auctoritatis, apud eandem Romanam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam extitisse, memoria repetentes; & præmissis, quantum in nobis est, occurrere cupientes, nulla alia ratione satius prædictis nostris subditis, & aliis omnibus, quam per erectionem Archivii publici, & generalis in dicta Urbe, ad quod Instrumenta publica, & aliæ Scripturæ per ejusdem Urbis Notarios, & alios infrascriptos rogata pro tempore deferri, & in eo asservari debeant, consultum iri censeamus, pro earundem Urbis, & Romanæ Curiæ ornamento, & Instrumentorum, ac Scripturarum tuta, & perpetua conservatione nostrorum subditorum, & aliorum securitate, ac publica, & privata omnium utilitate ad erectionem hujusmodi devenire decrevimus.

§. 2. Motu igitur proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & mera deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Archivium generale Urbanum nuncupandum sub Protectione, & suprema Superintendentia dilecti filii Francisci Sanctæ Agathæ Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano Nepotis, ejus vita durante, & post illius obitum unius ex ejusdem S. R. E. Cardinalibus per pro tempore existentem Romanum Pontificem ad id specialiter deputandis, in dicta Urbe, in loco prope Plateam Principis Apostolorum de Urb. nuncupatam, per Nos designato, & pro ejusdem Archivii generalis bono regimine & administratione unum Conservatoriæ ejusdem Archivii generalis officium pro uno Clerico, vel laico utriusque Juris Doctore, vitæ, ac morum probitate, & experientia prædito, ac alias sufficienti, & idoneo, Conservatore Archivii Generalis Urbani nuncupando, ad nostrum, & pro tempore existentis Romani Pontificis nutum ponendo, & amovendo cum infrascriptis, & aliis omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, honoribus, præeminentiis, & oneribus in Capitulis per dilectum filium nostrum Antonium dictæ S. R. E. Presbyterum Cardinalem S. Onuphrii nuncupatum, de mandato nostro subscriptis expressis, & aliis etiam per pro tempore existentem Archivii generalis hujusmodi Superintendentem Cardinalem quandocunque ampliandis, moderandis, & declarandis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo erigimus, & instituimus.

§. 3. Illique sic erecto, & instituto pro ejus dote, ac illud pro tempore obtinentis sustentatione, salario, & emolumento, summam in particulari Chyrographo etiam hodie manu nostra subscripto ex taxis, ac omnibus Juribus obvenientibus, emolumentis, & aliis regalibus in dictis capitulia contentis, & specificatis designandam dicta auctoritate etiam perpetuo applicamus, & appropriamus, ac ex nunc applicatam, & appropriatam fore, & esse volumus, & declaramus, itaut liceat idem Conservatori pro tempore existenti per se, vel per alium ad id ab eo deputatum summam sic applicatam, & appropriatam ab iis, ad quos pro tempore spectabit exigere, recipere, & retinere, ac in suos usus, & utilitatem convertere, nostra, vel Romani Pontificis pro tempore existentis licentia desuper minime requisita.

§. 4. Ac ut prædictum officium sic erectum, & institutum, illudque pro tempore obtinens amplioribus per Nos favoribus, & gratiis decoretur. Quod pro tempore existens Conservator dicti Archivii noster, ac pro tempore existentis Romani Pontificis verus, indubitatus, & non fictus familiaris, continuus Commensalis, aliorumque familiarium, & continuorum Commensalium numero, & consortio adscriptus, & aggregatus eo ipso existat, & vestes violacei coloris adinstar nostrorum Cubiculariorum, Honoris nuncupatorum, gestet, illisque arbitrio suo utatur; ac in signum veræ, & indubitatæ, ac non fictæ familiaritatis hujusmodi singulis diebus ex Palatio Apostolico panem ejusdem quantitatis, & qualitatis, prout dilectis filiis in utraque Signatura nostra Referendariis dari consuevit, habeat, decernimus, & panem hujusmodi dietim sibi ex dicto Palatio dari mandamus.

§. 5. Ad Archivium autem generale prædictum omnia testamenta, fideicommissa, legata, codicillos, donationes causa mortis, & alias ultimas voluntates a quibusvis Notariis publicis Urbis, etiam eorum officia titulo oneroso a Nobis, & Sede prædicta, ac Camera Apostolica habentibus, necnon Parochis ejusdem Urbis, tam in ipsa Urbe, quam extra eam quomodolibet recepta, & rogata, ac super venditionibus, & revenditionibus, resolutionibus, & rescissionibus, cessionibus, renunciationibus, transactionibus, divisionibus, in solutum dationibus, permutationibus, de & super bonis, & rebus immobilibus factis; necnon censibus, & eorum extinctionibus, feudis, subfeudis, ac emphyteusim, libellum, aut sub annuo censu, canone, vel alia responsione concessionibus, inter vivos donationibus, insinuationibus, dotibus, & pactis dotalibus, hæreditatum aditionibus, repudiationibus, & inventariis, emancipationibus, adoptionibus, arrogationibus, Jurispatronatibus irrevocabilibus, & ad vendendum, & donandum procuratorum mandatis, fidejussionibus perpetuis, ac alia instrumenta in capitulis prædictis latius descripta, & annotata, & per quosvis Notarios Urbis prædictos, tam in Urbe, quam extra eam quomodolibet, ut præfertur, recepta, & rogata sub modo, & forma in eisdem Capitulis præscriptis, & ordinatis deferri, & in eo respective recipi, annotari, ac diligenter, & perpetuo conservari, & custodiri debere volumus, præcipimus, & similiter mandamus.

§. 6. Postremo dilectum filium Camillum Petinum clericum Florentinum utriusque Juris Doctorem apud Nos de literarum scientia, vitæ, ac morum honestate, aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, specialis gratiæ favore prosequi volentes, eundem Camillum, de cujus fide, doctrina, prudentia, & in similibus experientia plurimum in Domino confidimus, in Conservatorem dicti Archivii generalis nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum motu, & auctoritate paribus constituimus, & deputamus.

§. 7. Francisco vero Cardinali, ac aliis dicti Archivii generalis, ut præfertur, deputandis Superintendentibus, & Gubernantibus, Edicta, Bannimenta, & proclamationes prædictum Archivium generale, vel illius negotia pro tempore quomodolibet concernentia, sub suo nomine, ac sub pœnis etiam corporalibus sibi bene visis, quoties opus fuerit, publicandi, ac pro tempore emanata declarandi, interpretandi, ampliandi, & innovandi, ac executioni demandari faciendi, prout eidem magis expedita visum fuerit, necnon omnes causas civiles, criminales, & mixtas super præmissis, & illorum occasione pro tempore motas, ac appellationum, reclamationum, recursuum, ac in integrum restitutionum a sententiis, decretis, & gravaminibus per prædictum Camillum & pro tempore existentem Conservatorem dicti Archivii generalis latis, & promulgatis, seu quomodolibet illatis cum omnibus, & singulis incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis, totisque negotiis principalibus, etiam privative quoad omnes alios, manu regia, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii, ac tela judiciaria minime observata, ac omni,

& quacunque appellatione, recursu, vel restitutione in integrum remotis per se, vel alium, aut alios a Francisco Cardinale, & pro tempore existente Superintendente, & Gubernatore dicti Archivii generalis deputandos audiendi, cognoscendi, fineque debito terminandi, & decidendi, aliaque omnia, & singula, quæ ad ipsius Archivii generalis directionem, ac rectam, & facilem administrationem, & gubernationem pertinent, alias circa præmissa necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, ordinandi, mandandi, faciendi, gerendi, exercendi, disponendi, & exequendi plenam, & omnimodam potestatem, auctoritatem, & facultatem concedimus, & impartimur.

§. 8. Decernentes, easdem præsentes etiam, ex eo, quod Notarii, & eorum Collegia, quibus Officia, & scripturæ titulo oneroso, vel alia per Nos, & Romanos Pontifices Prædecessores nostros, dictamque Cameram Apostolicam concessa reperiuntur, vocati, & auditi non fuerint; vel ex eo, quod præmissa nulla causa subsistente, & etiam de facto processerint, aut ex alia quantumvis juridica, & legitima etiam necessario exprimenda causa; vel quocunque prætextu de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu Notari, impugnari, invalidari, retractari, & ad terminos Juris reduci, aut in jus, vel controversiam revocari, seu adversus illas quodcunque juris, gratiæ vel facti remedium impetrari, aut etiam, Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibusvis Constitutionibus, & Cancellariæ Apostolicæ regulis editis, & edendis, ac literis Apostolicis in contrarium etiam pari Motu, ac consistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similium, dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullo unquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antea erant, validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, gratas, ac de novo etiam sub quacunque posteriori data per pro tempore existentes Cardinalem Superintendentem, & Conservatorem dicti Archivii generalis quandocunque eligenda concessas, validasque, & efficaces, etiam quod in dicta Camera Apostolica nullo unquam tempore præsentarentur, aut registrarentur, fore, & esse; Sicque, & non alias per quoscunque Judices etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, ac etiam ejusdem S.R.E. Camerarium, & alios Cardinales; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Quocirca dilectis filiis Urbis nostræ Gubernatori, & causarum Curiæ dictæ Cameræ generali Auditori, & dilecti filii nostri in eadem Urbe, ejusque districtu Vicarii in spiritualibus generalis in Civilibus causis Locumtenenti Motu pari per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Francisci Cardinalis, & Camilli prædictorum, ac pro tempore existentium dicti Archivii Protectoris, & Conservatoris fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari: ac Franciscum Cardinalem, & Camillum, ac pro tempore existentes Protectorem, & Conservatorem hujusmodi illis pacifice frui, & gaudere: non permittentes eos desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia; appellatione postposita, compescendo, ac sententias, censuras, & pœnas ipsas servata forma Conc. Tridentini etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 10. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit nostra de non tollendo Jure quæsito, ac fel. recor. Pii Papæ IV. etiam prædecessoris nostri sub datum, videlicet, octavo idus Augusti, Pontificatus sui anno sexto, edita, inter alia disponente, quod omnes gratiæ qualecunque interesse Cameræ concernentes infra certum ibi expressum tempus in eadem Camera præsentari, & registrari debeant, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Urbis, & aliarum quarumcunque Civitatum, Locorum, Oppidorum, Districtuum, necnon Collegiorum, Monasteriorum, Ecclesiarum, & aliorum piorum, & non piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, reformationibus, decretis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, exemptionibus, immunitatibus, & concessionibus Officiorum, & Notariatuum, etiam titulo oneroso, tam a Nobis, quam a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & Camera prædicta, etiam per viam contractus, seu alias quomodolibet tam prædictis omnibus, & singulis, quam etiam Judicibus, Officialibus, Scriptoribus, Notariis, eorumque Collegiis & Superioribus, dictæque Cameræ, ejusque causarum Auditori generali, & Procuratori fiscali, aliisque etiam personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam Motu simili etiam consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, ac innovatis, & in futurum concedendis, approbandis, confirmandis, & innovandis: quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat etiam motu hujusmodi specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, & mandamus contrariis quibuscunque; Aut si quibusvis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem,

§. 11. Volumus autem, quod eædem præsentes una cum Capitulis, ut præfertur, faciendis, ut omnibus innotescant, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de eadem Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ prædictæ, ac in Acie Campi Floræ publicentur, & affigantur dimissis ibi earum copiis, quæ perinde omnes arctent, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; Quodque earundem præsentium, & Capitulorum, ut præfertur, conficiendorum transumptis & exemplaribus etiam impressis ac manu alicujus Notarii publici sub scriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis ea prorsus fides adhibeatur, tam in judicio, quam extra, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, præcepti, constitutionis, deputationis, concessionis, impartitionis, decretorum, derogationis, mandatorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, sextodecimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno tertio.

E. Dat.

Visa de Curia A. Hurandus.

Jo: B. Bolognetus.

G. Montanus.

Registrata in Secretaria Brevium.

ANno a Nativitate D. Jesu Christi millesimo sexcentesimovigesimo sexto, indictione nona, die vero decima septima mensis Julii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Divina Providentia Urbani Papæ Octavi, anno ejus tertio, supradictæ literæ una cum Capitulis lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ S. Petri Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus literis, & Capitulis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, & deinde amotis, postea affixis copiis earundem literarum cum eisdem Capitulis in eisdem locis per Nos Tarquinium Majonum Romanum, & Joan. Baptistam Spadam de Cesis Apostolicus Cursores.

Augustinus de Bolis pro-Magist. DD. Curs.

PRO-

PROVISIONI, ED ORDINI SOPRA L'Archivio URBANO.

AVendo la Santità di N. S. Papa Urbano VIII. considerato il disordine, che nasce per la poca cura delle scritture publiche, che sono nella Città di Roma, a che sia utile universale, non solo la conservazione di esse, ma la facilità di poterle trovare in uno solo Archivio, ed anco rimediare a gl'errori, e trascuragine d'alcuni Notari, e che se bene altre volte abbia fatto sopra di ciò la fel. me. di Papa Giulio II. una sua Constituzione publicata nell'anno 1500. confermata da altri Pontefici. Nientedimeno che in quelle non si provede alla totale sicurezza degl'Interessati, tanto più per esser andate in desuetudine. E volendo la Santità sua provedere alla perfetta conservazione della fede publica, ed alla perpetua memoria di tutte le cose. Per commune utilità ha santamente stabilito d'erigere il presente Archivio, confermando, & innovando la detta Constituzione di Giulio II. e tutte l'altre Constituzioni, e provisioni circa le cose sopra dette, in quanto però non siano contrarie, ne repugnino alli presenti ordini, provisioni, e tasse, ed in quelle, che forse repugnassero, o fossero contrarie, revocandole, ed annullandole, e cassandole in tutto, e per tutto.

1. Essendo tra l'altre provisioni necessaria quella del Conservatore per il buon governo dell'Archivio la Santità di N. S. deputa, ed elegge a quest'Officio il Sig. Camillo Perini Fiorentino, il qual'abbia piena, e totale giurisdizione, cognizione, ed autorità nelle cose, che concernono solamente l'osservanza delle provisioni, ed ordinazioni, tanto fatte, quanto da farsi sopra detto Archivio, e con le facoltà necessarie, ed opportune, e più ampiamente si come nel Breve, che sua Santità spedirà nella persona di detto Sig. Camillo, con la sopraintendenza dell'Illustriss. e Rev. Sig. Cardinal Barbarino Protettore del presente Archivio.

2. Sia principal carico del Segretario scrivere, e fare stendere ne' libri, che saranno ordinati tutte le resoluzioni, che giornalmente si faranno dal Conservatore circa li memoriali, assoluzioni, e condannazioni delli Notari trasgressori, ed ogn'altra cosa occorrente, con facoltà d'ordinare e gl'altri Ministri dell'Archivio il far Repertorj, e tutto quello che potesse occorrere, a fosse ordinato dal Conservatore, procurando la continua assistenza di tutti i Ministri in quell'ore, che dal Conservatore saranno destinate per soddisfazione del Publico.

3. Saranno per servizio del detto Archivio più numero di Ministri, ed in particolare uno delli Notari dell'A. C. uno di quelli di Camera, uno di quelli del Vicario, ed un'altro di quelli di Campidoglio, cioè il Mensario di ciascun Collegio, quali durino tre mesi, e possino esercitare per se stessi, o suoi sustituti idonei, per li quali siano tenuti. E l'elezione degl'altri Ministri s'aspetti all'Illustriss. Sig. Card. Protettore; ma gl'Ajutanti, e Servitori necessarj siano provisti dal Conservatore.

4. Debbino assister continuamente in tutte quell'ore che saranno determinate, ed impiegarsi secondo l'occorrenze dell'Archivio, e prontamente senza trattenimento sodisfare a chi vorrà confrontare, ed archiviare Instrumenti, o scritture, o vedere Repertorj.

5. Che le stanze dell'Archivio abbino 3. chiavi, diverse una dall'altra, delle quali una per ciascuno stia appresso i Mensarj, e l'altra appresso a chi ordinerà il Conservatore.

6. Si proibisce alli detti Ministri, ed ad ogn'altro l'entrare in dette stanze dell'Archivio per leggere, pigliare instrumenti, o scritture, eccetto, che per riporvi gl'instrumenti, e risconrare, o dar copia, e lasciar vedere ne' casi permessi, e poi subito debbano rimetterli al lor luogo sotto pena di scudi ducento.

7. Che nelle stanze del detto Archivio, non si possa mai, per tempo alcuno portar lume, o accender foco sotto pena di scudi cinquecento.

8. Siano nelle stanze destinate luoghi, sedie, tempi, e Notari per ordine d'alfabetto e di numeri, tanto dell'A. C. quanto de gl'altri Tribunali, acciocchè con buono, e facile ordine si conservino le scritture, quali s'ordina, che tutte si leghino in libri distintamente Notaro per Notaro, Volendo sua Santità ch'a tutt'i libri vi sia rubricella, con indicazione delli Contratti, e del nome del Contratto, cioè Vendizio, e simili, come meglio parerà a detto Conservatore ad effetto che possa con facilità ritrovarsi ciascuna scrittura.

9. Et in oltre si faccino repertorj, e rubricelle separate di tutti i nomi, e cognomi di quelli, ch'in avvenire saranno testamenti, e tutte l'altre disposizioni d'ultime volontà, tanto d'eredità pure, e libere, come di sottoposte a fidecomissi, primogeniture, & in qualsivoglia altro modo vincolate.

10. Parimente si faccino libri particolari, che contenghino rubricelle separate di tutte le donazioni inter vivos, tanto mere, e pure, come remuneratorie, di tutti gl'altri contratti, con specificar le cose necessarie, permettendo a ciascuno il poter leggere detti Repertorj.

11. Et acciò si possa aver notizia delli mandati di procura fatti extra statum, a publica utilità, e specialmente de' litiganti, e negozianti, s'ordina, che tutti li mandati di procura, e revocazioni di essi, rogati extra statum, e nella giurisdizione, e legazione di Avignone, e che doveranno le parti servirsene in Roma, si portino prima in Archivio, e e da Ministri dell'Archivio si noti l'accettazione del mandato, il nome, e cognome del Constituto, e Constituente, con le qualità, e facoltà, il giorno, e Notaro rogato, facendosi da uno de' Ministri il segno del Archivio in detti mandati, *N. N. Conservator vidit*: Et non essendo archiviati, non faccino fede alcuna in giudizio, e fuori, & ogni pagamento, & atto fatto in virtù di detti mandati sia sempre nullo, e come se fatto non fosse, etiam parte non opponente, proibindo a tutti Notarj, Secretarj de' Monti, & altri, che non ammettino tali mandati non archiviati sotto pena di scudi cinque per mandato, oltre alle nullità sopradette, dichiarando non esser compresi in detto Capitolino li mandati ad resignandum, & altri sopra materie beneficiali, che s'esibiscono in Dataria, o Camera Apostolica.

12. Che li Segretarj de' Monti, e Notari siano tenuti dar nota all'Archivio di tutti li sopradetti mandati extra statum, in termine di tre mesi sotto pena di scudi cinque per mandato, ordinando alli Notarj, e Secretari, che leghino tali mandati in libro separato sotto l'istessa pena.

13. I Notari, che non hanno officio, non possino rogare in Roma, e suo distretto, se prima dal Conservatore, Secretario, e proprj Mensarj de' Collegj, che staranno in Archivio non saranno esaminati, & approvata la loro idoneità, dando in oltre sicurtà ad arbitrio del Conservatore, e non essendo idonei, si differisca la loro ammissione, sino a che non si saranno resi capaci; Dovendosi descrivere in una publica tavoletta i nomi de detti Notari.

14. Dichiarando, che tutti quelli, che stanno attualmente al servizio d'altri, con esser spesati, ò salariati per le dette spese, ancorche fossero approvati, & esaminati, durante tal servitù, non possino rogare sotto pena di scudi ducento, eccettuati quelli, che sono soliti di servire luoghi Pii, Collegj, ò Università.

15. Quelli, che rogheranno in nome, e con il consenso de' Padroni dell'officio, mentre staranno negl'offici, siano eccettuati, & esenti da tal esamine, & approvazione.

16. I Notari, che non hanno officio, e che vorranno rogare in Roma, ò nel suo Distretto, alcuno non eccettuato, sieno tenuti rimettere in Archivio fra giorni venti dal giorno, che saranno rogati, una copia autentica, de verbo ad verbum, di ciascun instrumento simile à quello che resterà nel loro Protocollo, con lettera corretta intelligibile, e senza cassature, con loro sottoscrizione ponendo numerati gl'Instrumenti uno doppo l'altro in margine con nota della qualità del Contratto, e con le sottoscrizioni, lineando tutti i nomi delli Contrahenti; e le donazioni, debbano essere rimesse nell'Archivio fra giorni dieci, dal dì, che saranno rogate.

17. Ma le copie dell'ultime volontà fra giorni dieci siano mandate, o portate da essi Notari sigillate con coperta; al Secretario dell'Archivio, & in modo, che non si possa penetrare il nome, o cognome del disponente, & in vece del nome, il Notaro rogato scriva il numero & il segno che dovrà aver contrasegnato al suo Protocollo.

18. Et il simile s'osservi nell'ultime volontà sigillate, quali li disponenti doveranno lasciar duplicate ad effetto, ch'una di esse resti appresso il Notaro rogato, e l'altra possa rimettersi in Archivio; ma se il Testamento, o ultima volontà non sarà duplicato, perchè il testatore non averà voluto, o potuto, resti appresso il Notaro rogato, il quale sia tenuto rimetter la copia in Archivio fra giorni dieci, dal giorno, che averà aperto, e publicato detto testamento, o altra ultima volontà sigillata, e quelle, che non sono duplicate, il Notaro, Parocho, o altri, frà detti giorni dieci mandi nota di tal ultima volontà, scrivendo il numero, segno, & il giorno del rogito, senza scoprire il nome del Disponente.

19. Siano dette ultime volontà conservate in Archivio,

ne possino aprirsi, se non con la fede della morte del Testatore, & intervento del Notaro rogato, o scheduIa del Paroco, obligando perciò ancora li Parochi, fra giorni dieci mandar le copie nell' istesso modo.

20. Ma li Notari, che hanno officio con causa onerosa siano obligati a rimettere in Archivio le copie autentiche sottoscritte da essi Notari rogati de verbo ad verbum, conforme a quelli, che averanno nelli loro Protocolli, dell' Instromenti, e Contratti perpetui, cioè li Notari dell' A. C. e di Campidoglio in termine di tre mesi, ed altri in termine di due mesi, sotto pena di scudi dieci per Instromento non rimesso in tempo, quali instromenti perpetui siano descritti in una publica tavoletta ne' loro officj, e si dichiarano esser gl' infrascritti.

Ogni sorte di vendite, Resoluzioni di vendite, Cessioni, Renuncie, Transazioni, divisioni, dazioni in solutum, permutazioni tutte di cose immobili, e stabili solamente.

Item censi, e loro estinzioni, quando saranno fatte per instromento separato, tanto delli passati, quanto in avvenire, feudi, enfiteusi, livelli, contratti censuali, donazioni inter vivos, insinuazioni, instrumenti dotali sopra scudi cento, adizioni, e repudiazioni d' eredità con la copia dell' inventarii, che fanno gl' eredi, li fidecommissarj, e l' usufruttuarj, emancipazioni, adozioni, & arrogazioni, jurispatronati, mandati di procura irrevocabili, & ad vendendum, & donandum solamente, fidejussioni perpetue per instromento separato, quietanze d' oblighi perpetui, overo dependenti da stabili, & immobili solamente con tutti gli altri, e singoli iostromenti dependenti dagl' instiomenti sopradetti.

Ordinando a detti Notari, che tenghino Protocolli separati, nelli quali scrivano tutti li detti iostromenti perpetui, numerati, sommariati, lineando li nomi de' Contrahenti.

Obligando nondimeno li sopradetti Notari, che hanno officio in termine di tre mesi a mandar nota, e breve sommario di tutti gli altri instromenti, che in avvenire rogaranno con esprimere il nome, cognome, e patria de' predetti contrahenti, la summa, ed il nome del contratto, sotto pena di scudi cinque per contratto.

21. E circa le copie, tempo e modo di rimettere l' ultime volontà, e donazioni, siano tenuti nell' istesso modo in tutto, e per tutto, come gl' altri Notari, che non hanno officio.

22. Che l' ultime volontà, e le mere, e pure donazioni solamente, che in avvenire saranno rogate, overo rogate per il passato, ma che saranno morti i disponenti dopo la detta publicazione, non si possino eseguire, ammettere, o farne menzione ne' rogiti, o atti, ne faccino prova in giudizio, e fuori, se oltre l' essere rimesse in Archivio non saranno anco archiviate con il segno, e sottoscrizione del Ministro, che avrà confrontato, qual segno si debba fare nella copia publica datagli dal Notaro rogato, overo negl' originali de' loro Protocolli, ch' a quest' effetto s' ordina, che li Notari rogati siano tenuti a richiesta delle parti portate in Archivio, sotto pena di scudi dieci per ogni transgressione, e per archiviazione si dia all' Archivio per una volta sola un grosso per cento, e da pagarsi dagl' eredi, legatarii, o altri, che se ne vorranno valere, con facoltà a quelli, che pagaranno, di poter repetere pro rata dall' interessati, e non essendoci somma espressa, si riserva all' arbitrio del Conservatore, eccettuate le ultime volontà, e pure donazioni, fatte tra li ascendenti, e descendenti, quali paghino un grosso per cento, ma non si passi scudi due. E se passato l' anno non sarà stata pagata detta Tassa, siano obligati al doppio più, per il qual possino esser convenuti da' Ministri dell' Archivio.

23. E ad effetto di pigliar possesso de' beni ereditarj per tal atto, & ogn' altro ad esso necessario, s' ordina, che non si ricerchi alcuna confrontazione, o archiviazione con questo, che dette ultime volontà debbano fra quindeci giorni dopo il possesso, archiviarsi, sotto pena della nullità de' detti possessi, ed ogn' altro atto seguito.

24. Ma perchè può accadere, che alcuni instromenti d' ultime volontà, o contratti per trascuraggine non siano stati rimessi in tempo, e volendo provedere all' indennità delli disponenti, s' ordina, che rimessi poi in qualsivoglia tempo, & archiviati acquistino l' esecuzione, e faccino prova in giudizio, e fuori, restando nondimeno ferme le pene contro li Notari, che avessero trasgredito.

25. Volendo però, che gl' instromenti loro di tempo rimessi non s' archivino, senza espressa mano, e sigillo del Conservatore.

26. Ed acciò i Notari non abbino da trascurare una tanto sicura, e sant' opera, e che trascurandola, sappino di non avere rimanere impuniti. S' ordina, che per ciascuno instromento, che non sarà in tempo rimesso paghino scudi dieci, e siano tenuti in sussidio per loro Sostituti, ed in oltre per le contravenzioni, & inosservanza de gl' ordini presenti, siano tenuti ad altre pene, etiam corporali, secondo le qualità delle contravenzioni ad arbitrio del Conservatore.

27. Sia prohibito alli Mensarj dell' Archivio, o loro Sostituti il rogare iostrumenti di qualsivoglia sorte, ed anco le recognizioni de' mandati di procura nel Palazzo dell' Archivio. Ed a gl' altri Ministri, o Ajutanti in dett' Archivio indistintamente s' intenda prohibito il rogare, tanto in detto Palazzo, come in Roma sotto pena di scudi ducento, e di falsità.

28. S' intenda sempre espressamente, e perpetuamente prohibito il poter dar copie autentiche, o semplici degl' instromenti, e contratti rimessi da Notari sotto pena di scudi cinquecento di moneta, e di falsità, salvo in caso di perdita, o perdita del Protocollo del Notaro rogato, nel qual caso la metà dell' utile s' aspetti all' Archivio, e l' altra metà al Notaro, o suo Successore, creandosi perciò libro particolare intitolato de' Notari Creditori.

29. Ch' a tutte le copie d' instromenti, e contratti, che saranno in Archivio portate, e sottoscritte, come sopra, si presti piena, & indubitata fede in giudizio, e fuori, e provino in tutto, e per tutto come se fossero il proprio Originale.

30. Sia lecito a ciascuno, che vorrà conservare qualsivoglia scrittura, tanto publica, quanto privata esibirla in detto Archivio, pagando nell' esibizione un giulio, e volendone transunto, o copia autentica giulj due per carta d' originale. Proibendo a' Ministri dell' Archivio di dar copia, o transuntare li sopradetti instromenti, e scritture, l' originali de' quali si trovano appresso li Notari, che hanno officio con causa onerosa, sotto pena di scudi cento per ciascuna volta, e pena di falso.

31. Le polize, o scritture private de' contratti perpetui, di sopra espressi fatti in Roma, non abbino esecuzione alcuna, se non saranno archiviate, nel qual atto paghino la Tassa, che si dichiara nel c. 34. e le parti ne lassino copia nell' Archivio.

32. Ordinando a Mensarj, ch' a richiesta di qualsivoglia persona leggano prontamente le copie degl' instromenti, e contratti, respettivamente ciascuno del loro Collegio, e quel Vicario supplisca per li Notari di Rota, eccettuate l' ultime volontà, ma le copie rimesse da Notari, che non hanno officio, e con causa onerosa, siano lette dagl' altri Ministri, e leggano ancor le copie dell' ultime volontà, se però saranno state prima aperte, e publicate dal Notaro rogato.

33. Per archiviatura di ciascuno mandato extra statum si paghi giulj uno.

E per lettura d' ogni Sommario delli sopradetti mandati si paghi mezzo giulio.

34. Che ogni Notaro per qualunque contratto, che rogarà, quelli però, ch' è tenuto rimettere in Archivio (eccettuato l' ultime volontà, e pure donazioni) si faccia pagare dalli contrahenti la metà per uno, o pro rata, oltre la sua mercede conforme l' infrascritte Tasse, e nel rimettere le copie de gl' instromenti in Archivio sien tenuti i Notari pagare dette Tasse riscosse, o non riscosse, volendo che sia obligata al pagamento di esse ogni persona di qualsivoglia stato, e grado, e condizione, tanto Ecclesiastica, come secolare, luoghi Pii, ed Università in qualsivoglia modo.

PEr le vendite de beni immobili, e censi perpetui, si paghi un grosso per scudi cento, ma non si passi per qualsivoglia somma scudi otto.

Per ciascuno instromento perpetuo si paghi un grosso per cento scudi, ma non si passi scudi doi, per qualsivoglia somma scudi otto. E non essendo espressa la somma, ne costando della quantità paghi la metà della Tassa.

Che le polize private, contenenti contratti perpetui, in avvenire se non saranno esibite in Archivio fra giorni 30. dal giorno, che saranno fatte, sieno ipso jure nulle, e come se fatte non fossero, e si paghi un grosso per cento, ma non si passi scudi otto, se saranno vendite di stabili; ma se saranno d' altri contratti perpetui, non si passi scudi doi, e per copia, come sopra.

Che li Notari approvati, e che non hanno officio con causa onerosa, paghino in Archivio, oltre alla Tassa, un grosso per carta degl' instrumenti perpetui solamente.

Che

Che li mandati di procura, che in avvenire saranno rogati da i Notari di Roma, quali se ne faranno instrumenti publici (eccettuati, ad lites in Urbe tantum, ed avanti a qualsivoglia Tribunale di Roma, e quelli saranno fatti da i Prælati Camerali) si paghi un giulio per mandato, da riceversi dal Notaro rogato, sotto pena al Notaro di scudi cinque per mandato, e sieno tenuti i Ministri archiviali, senza altra spesa. E circa i mandati extra statum prodotti, e fatti avanti l'Archivio, dopo, e da farsi, s'osservi gl'Ordini.

Che le note de'contratti si faccino, e si conservino da Notari ne'loro officj per mostrarle a ciascuno, e far quanto dal Conservatore sarà ordinato, e si notino subito le retrovendite de' Censi, le compagnie d'ufficio, con le reproduzioni delle disdette, cassazioni, e cessioni, in un libro particolare, scritto di proprio pugno dalli Sostituti, che avranno rogato, con le loro sottoscrizioni, sotto pena di scudi 3. per istrumento.

35. Che li Notari per le copie, quali rimetteranno in Archivio si possino far pagare dalle parti un giulio per carta d'originale, quale sia almeno di righe 22. & sillabe 22. per facciata, permettendo, che a' Notari sia lecito fra di loro imporsi quella legge, che meglio gli parerà ad effetto, che uno non pregiudichi all'altro nell' esazione di dette copie, e si faccino pagare dagl'eredi in materia di ultime volontà, ed abbino il medesimo privilegio, che gli ultimi medicamenti, e funerali.

36. Volendo, che a i libri de Notari in quello solo solamente, che concerne le partite di dette tasse, & mercedi delle dette copie rimesse in Archivio, si presti piena fede, & abbino esecuzione parata, e dalla pronuncia del Conservatore fatta in contraditorio, overo servati i termini della giustizia sommaria, e non si dia appellazione, o ricorso, ma passato l'Anno, se non sarà riscossa, perdino tal privilegio.

La Santità di N. Sig. ha comandato, che li sopradetti Capitoli sottoscritti da Noi debbano esser da tutti quelli, a chi spetta, inviolabilmente osservati, da cominciarsi, e correre il termine dal giorno della publicazione. Dato nel Palazzo Apostolico di Monte Cavallo, questo dì primo di Settembre 1625.

F. A. CARD. S. ONOFR.

Anno Domini 1625. Die vero prima mensis Octob. Supradicta Provisiones, & Ordinationes affixa, & publicata fuerunt in Acie Campi Flora, ad Valvas Cancellaria, & per alia loca solita, & consueta per me Fabium Æmilianum S. D. N. Papa Curs. Octavius Spada Mag. Curs.

E D I T T O.

Che li Notari del distretto mandino in Archivio l'Infrascritti Instrumenti, dove i contraenti, o uno di essi habitino in Roma.

FRANCESCO di Sant'Agata Cardinale Barberino Protettore dell'Archivio Generale Urbano.

ESsendosi osservato, come alcuni, che abitano in Roma, sono iti a far rogiti fuori affinchè i loro Instrumenti non vadino in Archivio Urbano, e stieno occulti in pregiudizio del publico; Però ordiniamo, e comandiamo a tutti i Notari del distretto di Roma (alcuno non eccettuato) etiam di luoghi non immediate sottoposti, che in avvenire siano obligati in termine di giorni trenta dal giorno del rogito, portare, o mandare nel detto Archivio generale Urbano una copia autentica de verbo ad verbum di tutte l'ultime volontà, donazioni inter vivos, rinunzie, vendite di stabili, feudi, enfiteusi, libelli, e contratti censuali, monti vincolati, censi, cassazioni d'essi, che in avvenire saranno imposti con le procure ad donandum, renunciandum, vendendum, ad adeundam, vel repudiandam hæreditatem, ad vendendum, imponendum censum, & ad ratificandum, dove li contraenti, o almeno uno di essi sia Incola, Cittadino, o solito habitare in Roma, sotto pena di scudi cinquanta per Instromento, e della privazione del officio al Notaro rogato. Proibendo a tutti li Notari di Roma, che hanno officio, che non accettino, ricevano, o appoggino atto alcuno all'Instromenti sopradetti, se non saranno archiviati, sotto pena di scudi dieci ogni volta, che trasgrediranno, ed altre a nostro arbitrio. Osservandosi la medesima tassa, che delli contratti rogati da Notari di Roma, quali Notari di Roma dichiariamo sieno tenuti a rimettere tutti gl'Istromenti, e mandati sopra espressi, e tutti gl'altri perpetui, come s'ordina nelle Provisioni del detto Archivio.

La Santità di Nostro Signore ha comandato, che il presente Editto da noi sottoscritto, deva esser inviolabilmente osservato, & affisso, e publicato ne'luoghi consueti della Città, abbia forza, come se fosse publicato per tutt'i luoghi del distretto, e presentato a ciascuno personalmente. Dato nel Palazzo Apostolico di Monte Cavallo, questo dì 30. di Giugno 1626.

F. A. CARD. S. ONOFR.

Camillo Perini Conservator dell'Arch. gen. Urb.

Die 30. mensis Junii 1626. Supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curia nostra, & in Acie Campi Flora, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Tarquinium Majonum Curs.

Augustinus de Bolis pro Magistro DD. Cursor.

E D I T T O.

Disponente, che se alcuna persona in qualsivoglia negozio di mercantia, non vorrà esser tenuto ad altro, che alla perdita di quanto avrà messo, debba mandare in Archivio una copia della convenzione fra giorni 30, e gl'assenti fra mesi quattro.

FRANCESCO di S. Agata Cardinale Barberino Protettore dell'Archivio Generale Urbano.

VOlendo la Santità di N. Sig. provedere agl'inconvenienti, che nascono fra Mercanti per non saper lo stato con chi negoziano, e renderli in qualche parte certi, ha commandato.

Che se alcuna persona in qualsivoglia negozio di mercatura, esercizio, traffico, o arte, non vorrà esser tenuto ad altro, che alla perdita di quanto avrà messo, in evento, che il negozio facesse male, ancorchè così abbia convenuto, debba portare, o mandare nell'Archivio generale Urbano una copia authentica de verbo ad verbum della convenzione, che avrà fatta in qualunque modo sia, per instrumento, per scrittura privata, o per ricordo a libri, E se sarà per publico Instromento, il Notaro sia tenuto ad ogni richiesta delle parti, darne copia authentica, dicendo, Pro Archivio, ne possa sforzar le parti a pagare il publico, ma solamente il rogito, e la copia.

E perchè spesse volte non intervengono chi dà, o chi riceve in accomandita, ma loro respettivamente Procuratori siano tenuti a rimetter in Archivio detti mandati, tanto publici, come per lettere, e possa altri, quando il mandato non sia sufficiente, promettere, ed in tanto resterà obligato lui, finchè ne segua dipoi la ratificazione, o in altro modo apparisca, che così sia stata la volontà de'contraenti, e di tutto se ne debba dar nota al detto Archivio.

E se li contraenti d'accordo, o alcun di essi per virtù di patti in quella apposti vorrà disdire, finire, o troncare alcuna tale accomandita, ne debbano, o qualunque di loro debba farne fare scrittura, la quale parimente si porti in detto Archivio.

E se tali convenzioni d'accomandite si troveranno portate in detto Archivio, e non saranno amministrate, o governate da chi le dà, ma da chi le riceve, non sia tenuto chi l'averà date, o darà in accomandita, se non a quella somma, e cosa, che vi avrà messa, & utili, e guadagni di quella, ed ad altro non possa esser'astretto, o convenuto, restando nondimeno sempre obligati in solidum alli debiti contratti, quelli, uno, o più, che avranno il nome di detti negozj.

E quando fosse dato facoltà, e complimento a qualche persona, il quale non avesse nome nel negozio, sieno obligati tanto li nominati, quanto il Complimentario di portare in detto Archivio la copia delle dette facoltà, e così quando fosse licenziato, debbano farne atto, e portarlo in detto Archivio, altrimente sia obligato il Complimentario, come, principal debitore in solidum, con quelli, che avranno il nome, e li detti nominati siano obligati per tutto quello, che il Complimento facesse dopo l'essere stato licenziato.

Ma se fra giorni 30. dal giorno del celebrato contratto del negozio imposto, o accomandita, disdetta di essi, facoltà sopradette, o altro patto fatto per publico instromento, overo per scrittura privata, o ricordo, non sarà stato rimesso la copia de verbo ad verbum in detto Archivio. Tutti li partecipi siano tenuti, ed obligati, come veri, e principali debitori in solidum a tutti li debiti, che facesse il negozio, ancorchè per patto espresso fossero liberi, e respettivamente sottoposti a certa rata, o parte di danno. Dichiarando, che la presente legge comprenda, ed obblighi in tutto,

tutto, e per tutto, ancora tutti quelli, che già sono partecipi avanti la presente ordinazione in qualsivoglia negozio, esercizio, traffico, o arte, nel qual caso gli interessati, se sono assenti, abbino tempo mesi quattro a mandar in Archivio le copie, nel modo, & forma come sopra.

La Santità di Nostro Signore ba comandato, che il sopradetto Edito si devs osservare inviolabilmente, e che affisso, e publiesro da un Cursore ne' luoghi soliti, e consueti di Roma abbia forza, come se fosse presentato s ciascuno personalmente etiam contro gl' assenti. Dato nel Palazzo Apostolico di Monte Cavallo, questi dì 30. Giugno 1626.

F. A. CARD. S. ONOF.

Camillo Perini Conservator dell' Arch. gen. Urb,

Die 30. mensis Junii 1626. Supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ nostræ, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Tarquinium Majonum Apostolicum Curs.

Augustinus de Belis pro Magistro DD. Cursor.

EDITTO

Concernente l' obligo a ciascuna persona di consegnare, mandare, notificare a detto Archivio, e suoi Ministri i Protocolli, & altri Istromenti rogati da Notari morti, & obligo de' Notari, che in avvenise non voranno, o potranno rogare.

FRANCESCO di S. Agata Cardinale Barberino Protettore dell' Archivio Generale Urbano.

ESsendo stato riferto alla Santità di Nostro Signore Papa Urbano Ottavo, il pregiudizio grande, che giornalmente succede in Roma, per occasione d'instrumenti in essa rogati, per il passato da Notari, che non avevano officio, e che ora sono morti, overo absenti da Roma, li Protocolli de' quali instromenti sono restati appresso di loro eredi, o altre persone, e volendo sua Santità rimediarci, e provedere, per quanto sarà possibile all'indennità dell' interessati; Con il presente publico Edito d'ordine espresso di Nostro Signore, ordiniamo, e comandiamo a tutte, e singole persone di qualsivoglia stato, grado, sesso, dignità, e condizione si siano, ancorchè in qualsivoglia modo privilegiate Monasteri, Collegi, Spedali, Università, & ogni sorte di luogo pio (alcuno non eccettuato) appresso a' quali in qualsivoglia modo si trovassero li Protocolli di detti Instromenti, o rogiti di essi non ligati, che in termine di quindici giorni dopo la publicazione del presente Editto, debbano portare tutti li detti Protocolli, che si trovano appresso di loro nell' Archivio generale Urbano, per conservarli in detto Archivio: dal quale si pagaranno a gl'eredi di detti Notari la rata degl' emolumenti, che si caveranno delli detti instromenti conforme al solito. Et in oltre comandiamo, che tutte le persone di qualsivoglia stato, grado, sesso, dignità, condizione (nessuno non eccettuato) le quali avessero in qualunque modo notizia, di chi avesse, tenesse, o occupasse li sopradetti Protocolli, o rogiti non ligati, debbano nell' istesso termine darne nota in detto Archivio generale col nome, e cognome de' Notari, che se ne son rogati, e delle persone, appresso le quali si ritrovano. Proibindo a tutti i Notari di Roma, come suoi ildare, o estraer copie dalli detti Instrumenti di Notari morti, e assenti. E circa alli Protocolli, e rogiti fatti da' Notari publici di Roma, che non hanno officio, e che in avvenire non vorranno, o non potranno rogare, s' ordina, che parimente in termine di quindici giorni come sopra, devano portare una semplice nota del numero delli Protocolli, o Instrumenti, che hanno, acciò per beneficio universale si sappia appresso che persone si trovano, sotto pene di scudi 200. & altre a nostro arbitrio per ciascheduno, che contraverrà, de' quali un quarto si darà all' Accusatore, e sarà tenuto secreto, & il resto s' applicarà a beneficio di detto Archivio Urbano. Avvertendo ciascuno a non contravenire, perchè si procederà all'esecuzione delle sopradette pene, & altre più gravi a nostro arbitrio irremissibilmente. Non obstante qualsivoglia cosa in contrario. Volendo, che il presente Editto affisso, e poblicato da un Cursore ne' luoghi soliti, e consueti di Roma abbia forza, come se fosse publicato per tutt' i luoghi delle Provincie, e stato Ecclesiastico, & a ciascuno presentato personalmente. Dato nel Palazzo Apostolico di Monte Cavallo, questo dì 30. di Giugno 1626.

F. A. CARD. S. ONOF.

Camillo Perini Conser. dell' Arch. gen. Urb.

Die 30. mensis Junii 1626. Supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ nostræ, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Tarquinium Majonum Curs.

Augustinus de Bolis pro Magistro DD. Cursorum.

EXCOMMUNICATIO

Contra Detentores Protocollorum, seu Instrumentorum, quæ fuerunt per Notarios defunctos, seu pro eis agentes acta, & rogata. Et contra eorum Occultatores, ac illa scientes, & non revelantes.

URBANUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei. Venerabilibus fratribus universis, & singulis Archiepiscopis, & Episcopis Status nostri Ecclesiastici, seu dilectis filiis eorum, ac nostra in Urbe, ejusque districtu Vicariis in spiritualibus generalibus, necnon SS. Vincentii, & Anastasii ad Aquas Salvias, Trium Fontium nuncupatorum Cistercien. Ordinis, prope, & extra mœnia ejusdem Urbis, & S. Silvestri Terræ Nonantulæ Ordinis S. Benedicti nullius Diœcesis Monasteriorum Abbatibus. Salutem, & Apostolicam benedictionem.

EXposuit Nobis nuper dilectus filius noster Franciscus, S. Agathæ Diaconus Card. Barberinus nuncupatus noster secundum carnem ex fratre germano nepos, Archivii generalis Urbani nuncupari non dudum per Nos in Urbe erecti Protector, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, Protocolla, ac Instrumenta per Notarios etiam jam defunctos, seu pro eis agentes rogata, ac etiam in Protocolla præfata nondum redacta, tam in Urbe quam in toto Statu nostro Ecclesiastico apud se quocunque hæreditario etiam nomine retinere, eorumque copias partibus sub data anteriori tradere, illaque contra ordinem nostrum malitiose occultare, & occulte retinere præsumpserunt, & præsumunt, eo quod præfato Archivio gravia damna nequiter intulerunt in animarum suarum periculum, dictique Archivii, ac etiam plurimorum non modicum detrimentum, super quo exponens præfatus Apostolicæ Sedis remedium imploravit. Quo circa fraternitati vestræ, fratres Archiepiscopi, & Episcopi, seu discretioni vestræ, filii Vicarii, & Abbates per apostolica scripta mandamus, quatenus vos Archiepiscopi, & Episcopi vos in vestris Civitatibus, & Diœcesibus, Tuque fili Vicariæ noster in Urbe præfata, vos vero filii Abbates cum particularia, & separata territoria habeatis, ac jurisdictionem quasi Episcopalem in locis, & terris nullius Diœcesis vestræ jurisdictioni subjectis exerceatis, etiamsi de illis personis non sitis, quibus similes causæ per Sedem præfatam committi consueverunt in eisdem locis, & terris dictæ nullius Diœcesis, vestræque jurisdictioni hujusmodi subjectis, si causa diligenter, & magna maturitate per Vos examinata pro vestri loci, temporis, & personarum qualitatibus Vobis pro vestra conscientia videbitur expedire, omnes hujusmodi protocollorum, ac instrumentorum detentores, & illorum celatores, ac alias scientiam habentes, ac damnorum illatores occultos ex parte nostra publice in Ecclesiis coram populo per Vos, vel alium, seu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis præfixeritis, ea dicto Archivio detentores quidem, & occupatores consignent, & restituent, occultatores vero, ac illa scientes revelent, & si id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc duxeritis peremptorie præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis, eamque faciatis ubi, quando, & quoties videritis expedire usque ad satisfactionem condignam, & revelationem debitam solemniter publicari. Volumus autem quod ex revelatione hujusmodi, si eam fieri contingat, non possit nisi pro civili interesse, & civiliter tantum agi; & aliter revelatio ipsa neque in judicio, neque extra judicium fidem faciat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, Idibus Julii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

Visa I. Bernier.

D. Poggius. *N. Ponsardus.*

N. Corrector. *F. Beger.*

J O:

JO. BAPTISTÆ CARD. DE LUCA,

Libri Decimiquinti Pars Tertia;

CONFLICTUS LEGIS, ET RATIONIS;

SIVE

OBSERVATIONES IN IIS LEGALIBUS Propositionibus, quæ rationi repugnare videntur, vel illa carere,

ET IN FINE

VOTUM, SEU DISCURSUS,

An, & quando minor ætas excuset in delictis.

Cum Opusculo *Dello Stile Legale.*

INDEX TITULORUM

Principalium ordine Alphabetico.

INDEX TITULORUM,

Qui sunt accessorii ad Titulos principales.

CARD.

CARD. DE LUCA,

Libri Decimiquinti Pars Tertia;

INDEX ARGUMENTORUM,

Quæ continentur in observationibus Conflictus Legis, & Rationis.

TITULUS I.

De Ætate, qualitate, vita, & statu hominum,

Obser. I.

DE inæqualitate pubertatis inter masculum, & fœminam,

Obser. II.

De Minoris ætatis taxa, & varietate,

Obser. III.

De ratione ob quam minor ætas abbreviata est,

Obser. IV.

Quod pubes minor ad Regni, vel Principatus administrationem reputetur aptus & idoneus, non autem ad illam privatæ domus.

Obser. V.

Præsentatio ad beneficium de jurepatronatus facta per pupillum, prævalet præsentationi Tutoris.

Obser. VI.

In actibus gestis per tutorem requiritur præsentia, & consensus pupilli,

Obser. VII.

De juramento obligante pupillum proximum pubertati,

Obser. VIII.

Minor qui sit Juris Doctor, vel Mercator, aut Beneficiatus, jure minorum non est censendus.

Obser. IX.

De minore asserente se majorem,

Obser. X.

Quomodo solemnitatum observantia, vel inobservantia, in actibus minorum attendi debeat.

Obser. XI.

De minore delinquente, pœna ordinaria non puniendo,

Obser. XII.

De concessione veniæ ætatis.

Obser. XIII.

De vita hominis, ejusque æstimatione ab ætate regulanda.

Obser. XIV.

Clericus sæcularis, vel regularis minus puniendus est, quam laicus si pro eodem crimine puniatur.

Obser. XV.

Christianus christianum non facit, neque retinet servum; Et de Romani Populi jure donandi libertati servos, qui Capitolium ascendant,

TITULUS II.

De rerum Divisione, & acquirendo Dominio,

Obser. XVI.

DE bonorum dominio; De pecuniarum, & contractuum introductione, & de antiqua hominum Communione.

Obser. XVII.

De acquisitione dominii jure belli per viam deprædationum, & represalium, & similium,

TITULUS III.

De legibus, & Statutis, & Constitutionibus, ac Doctorum auctoritatibus.

Obser. XVIII.

QUale sit jus immutabile, quod indispensabiliter omnes ligat, qualeve mutabile, qualesve sint ejus species: Et de erroribus desuper cadentibus.

Obser. XIX.

De jure communi civili Romanorum, an ejus usus, & observantia Imperiali referenda sit auctoritati, vel alteri causæ, & de ejus historia; Et an leges moderno tempore superadditæ attendi debeant, atque legis vim habeant.

Obser. XX.

Leges, Constitutiones, Edicta, necnon Sententias, & Decreta, aliaque acta judicialia, ac etiam humanos viventium, & morientium actus, an oporteat lingua latina, vel potius congruat materna ordinari.

Obser. XXI.

De Legibus feudalibus, ex qua ratione vim habeant legum, & ubi servandæ sint.

Obser. XXII.

De illis legibus, quæ nauticam artem, vel maritimam negotiationem concernunt, & quæ consulatus maris appellantur,

Obser. XXIII.

De novis imperialibus Constitutionibus, vel jurisconsultorum responsis, quæ non extant in antiqui juris civilis corpore, sed fuerunt de novo superadditæ; Et de Apostolicis Constitutionibus, vel decretalibus, quæ de tempore compilationis Decretalium, jam extabant, sed in eis non fuerunt registratæ, sed a privatis additæ.

Obser. XXIV.

Quomodo auctoritatibus Doctorum deferendum sit.

Observ. XXV.

De stylo scribendi Juristarum,

TITULUS IV.

De Dote, & lucris, aliisque appenditiis dotalibus.

Obser. XXVI.

DE ordine inter obligatos dotare conjunctas puellas.

Obser. XXVII.

De obligatione patris dotandi filiam, quamvis eo inscio, vel invito nuptam, ac etiam quamvis divitem, ac aliunde provisam.

Obser. XXVIII.

Dos non imputatur in legitimam ob explicatam donationem, vel illam implicitam, quæ ex stipulatione resultat.

Obser. XXIX.

De Dote ad patrem revertenda, non autem ad alios dotantes ex necessitate, ubi filiis superstitibus, matrimonii sequatur dissolutio, & de istius reversionis cessatione ob eandem donationem, de qua observatione præcedenti, vel ob renunciationem a dotata factam.

Obser. XXX.

De eadem reversione ad dotantem impedita per existentiam filiorum, & viri, ex consuetudine Martini.

Obser. XXXI.

De dote puellis descendentibus constituenda ex fideicommisso, neglecta testatoris prohibitione, quamvis totum fideicommissum everti oporteat.

Obser. XXXII.

De extractione dotis restituendæ uxoribus descendentium ex fideicommisso facienda.

Obser. XXXIII.

De eadem extractione a fideicommisso facienda ad favorem extraneæ uxoris descendentis pro lucro dotali, sive pro donativo, aut augmento, quod per virum conjugi factum sit.

Obser. XXXIV.

De actione pro fructibus, vel usuris dotalibus decursis de tempore prædecessoris, contra successorem in fideicommisso, pro dote ex fideicommisso debita.

Obser.

Obser. XXXV.

Dos a fideicommisso semel extracta, ad illud amplius non redit, quamvis matrimonium, nullis superstitibus reliquis, dissolutum sit.

Obser. XXXVI.

De distinctione inter patrem, & extraneum dotantem, super dote inexacta per virum restituenda.

Obser. XXXVII.

De invalida obligatione mulieris ultra medietatem dotis, non autem infra.

Obser. XXXVIII.

De distinctione inter minorem, & mulierem majorem, super valida alienatione, vel obligatione in causam dotis.

Obser. XXXIX.

De potioritate dotis restituendæ adversus anteriores viri creditores.

Obser. XL.

De Jure offerendi non competente contra mulierem pro dote constante matrimonio.

Obser. XLI.

Quando mulieri dotem repetenti, rerum amotarum, vel præsumptæ solutionis, aut non redditæ rationis, obstet exceptio.

Obser. XLII.

De usuris dotalibus, & fructibus pignoris soluto matrimonio debitis necne.

Obser. XLIII.

De fructuum, vel usurarum dotalium taxa.

Obser. XLIV.

De confessione dotis sine adminiculis, ut ejus veritatem non probet.

Obser. XLV.

Datis in dotem locis montium, vel aliis juribus vacabilibus, & vitalitiis, sive usufructu, quid restituendum veniat.

Obser. XLVI.

De fructibus, vel usuris dotalibus solvendis a patre, vel altero ex legis dispositione dotare obligato, etiam pro tempore antecedenti priusquam dotis constitutio petatur ac respective demandetur.

Obser. XLVII.

Pater dotando filiam simpliciter, de suo dotasse censetur, non autem de ejusdem filiæ bonis, quæ ipse apud se habeat, & quatenus dicat, ut stricte id intelligi debeat.

Obser. XLVIII.

Augmentum dotis a viro factum mulieri, ad ipsum superstitem non redit, sed ad mulieris hæredem transmittitur.

Obser. XLIX.

Dotes monialium esse illicitas, plurium est sententia, & quatenus licitæ sint, ut non possint minui, vel augeri sine Superiorum licentia.

Obser. L.

Dotes, quæ filiabus, aliisque mulieribus debentur, esse juris gentium, ideoque per leges positivas tolli, vel restringi non posse, plerique volunt; Alii vero easdem leges matrimonii libertati adversari, ac propterea irritas esse credunt.

Obser. LI.

Statutis, vel legibus localibus prohibentibus mulieris, quæ filios habeat, de dote disponere, ut per ultimam voluntatem, non autem per actus inter vivos hæc prohibitio intelligenda sit.

Obser. LII.

An æstimata, vel inæstimata censeantur data bona in dotem, quæ in specie, vel respective in quantitate consistere dicatur.

TITULUS V.

De successionibus ab intestato.

Obser. LIII.

DE intestatæ successionis ordine per Jus novissimum introducto, ac recepto.

Obser. LIV.

Statutum excludens matrem, & cognatos ob collaterales agnatos, ut non suffragetur patri, vel avo, eo quia de eis non loquatur.

Obser. LV.

De eodem Statuto fœminarum exclusivo propter masculos agnatos non attendendo, ubi de clerici successione agatur, quamvis inter laicos quæstio sit.

Obser. LVI.

De eodem statuto locali diversum succedendi ordinem præscribente, ut non afficiat personas ecclesiasticas ad successionem vocatas.

Obser. LVII.

De utraque personarum, ac bonorum copulata subjectione desiderata ad hoc, ut statutum intret, quodque mixtura personæ non exclusæ faciat illud cessare.

Obser. LVIII.

Quando statuta, quæ fœminas exclusas dotari mandant, eas faciant extraneas, necne, & quatenus faciant extraneas, quando per parentes habilitatæ, atque suitate restitutæ dicantur, & an unica sufficiat dos.

Obser. LIX.

De adoptivorum, vel arrogatorum successione intestata.

Obser. LX.

De regulatione intestatæ, vel testatæ successionis ex tempore mortis naturalis, vel civilis.

Obser. LXI.

De modo computandi gradus in successionibus statutariis, quæ diversæ sint ab ordine juris communis.

Obser. LXII.

An defuncti ab intestato aversio, vel indignatio cum aliqua persona, apta sit illam excludere ab ejus intestata successione.

Obser. LXIII.

De futura successione, & hæreditate paciscentis.

Obser. LXIV.

De pactis super futura hæreditate, & successione tertii viventis.

TITULUS VI.

De Testamentis, & Codicilis, aliisque ultimis voluntatibus.

Obser. LXV.

DE variis Testamentorum formulis, & solemnitatibus.

Obser. LXVI.

De filiorumfamilias intestabilitate.

Obser. LXVII.

De prioris Testamenti irrevocabilitate, ac posterioris inefficacia, ubi in posterioris revocante certa non adjiciantur verba, vel signa.

Obser. LXVIII.

De testamenti nullitate ratione prætetitionis, ejusque salvatione per clausulam codicillarem, vel æquipollentem.

Obser. LXIX.

De localibus legibus, quæ mulieribus absque aliqua majori solemnitate testari prohibent, an valeant, & an locum habeant ubi in loco exempto dispositio facta sit.

Obser. LXX.

De certa probatione identitatis schedulæ testamentariæ adeo desiderata, ut suppositionis excludatur possibilitas.

Obser. LXXI.

De testamenti Invaliditate ex defectu voluntatis, non autem solemnitatum, quia nempe sit per nutus, & signa ad interrogationem alterius, vel quia ad falsas, ac dolosas suggestiones; Aut quia infirma prætendatur mens: vel quod voluntas adhuc imperfecta sit, ad terminum testandi non redacta.

Obser. LXXII.

De senatusconsulto Liboniano super iis, qui in testamento sibi adscribunt.

Obser. LXXIII.

Testamentum ad favorem conjunctorum cum assertione pietatis, vel cum alicujus pii operis injunctione, an pium, vel prophanum sit.

Obser. LXXIV.

An testamentum minus solemne, in quo pia causa hæres instituta sit, valeat quoad prophanas dispositiones, ab ipsa pia causa instituta adimplendas.

Obser. LXXV.

De testamento, quod Episcopus facit pro anima ab intestato decedentis.

Obser. LXXVI.

Hæreditas codicillis directo dari, vel adimi non potest, qui hæreditatem adit ex testamento, quod minus perfectum sit, non potest recurrere ad codicillos.

Obser. LXXVII.

Ultima morientis voluntas in alterius viventis voluntatem conferri non potest.

Obser.

Obser. LXXVIII.

De testamento minoris ad favorem curatoris, vel infirmi ad favorem medici, aut inquisiti, seu litigantis ad favorem Judicis, vel Notarii, aut defensoris.

Obser. LXXIX.

De captatoria dispositione.

Obser. LXXX.

Quod non possit quis pro parte testatus, & pro parte intestatus decedere; ideoque institutus in re certa, non dato, vel dato, ac deficiente hærede universali, efficitur talia ex juris accrescendi beneficio.

Obser. LXXXI.

De conditione viduitatis adjecta in ultimis voluntatibus quando vitiet, vel vitietur.

Obser. LXXXII.

Viduitatis conditio, quæ licite, & valide per virum uxori adjecta sit, an oculos habeat retro in casu contraventionis pro restitutione fructuum, vel emolumentorum, quæ medio tempore observantiæ percepta sunt.

TITULUS VII.

De Fideicommissis, & Substitutionibus, ac Majoratibus, & Primogenituris.

Obser. LXXXIII.

De concursu inter patruum, & nepotem, vel juniorem, & seniorem in majoritatibus, & an isti differant a primogenituris.

Obser. LXXXIV.

De ordine successionis in primogenituris inter patruum, & nepotem.

Obser. LXXXV.

An primogenituræ stent in suspenso, eodem modo, quo Fideicommissa.

Obser. LXXXVI.

Appellatione primogeniti, an veniat unigenitus; Et an appellatione secundogeniti veniat ille, qui de tempore dispositionis erat tertio, vel quartogenitus, de tempore autem facti casus, ob aliorum defectum, sit secundus.

Obser. LXXXVII.

Qualitas laicalis in successore desiderata, an præcise requiratur de tempore facti casus, ut propterea clericatus in minoribus, de retractabilis obstet, necne.

Obser. LXXXVIII.

Qui semel delatam primogenituram, vel majoratum agnoscere noluit, an in futura vacatione sit inhabilis ad eam obtinendam.

Obser. LXXXIX.

De differentia super faciliori conjecturalis fideicommissi inductione, inter ascendentes, & extraneos.

Obser. XC.

De conjecturarum, & præsumptionum uniformi regula, super illarum pondere, & efficacia.

Obser. XCI.

De vocatione filiorum in conditione positorum.

Obser. XCII.

De vulgari in fideicommisso, vel anomala in universa hæreditate, quando procedat.

Obser. XCIII.

De eadem vulgari anomala in rebus particularibus.

Obser. XCIV.

De reciproca inter plures ordinata, ut solis superstitibus, non autem prædefunctorum filiis conveniat.

Obser. XCV.

De resolutione numeri pluralis in singularitates.

Observ. XCVI.

De prohibita transmissione fideicommissi conditionalis per morientem conditione pendente.

Obser. XCVII.

De tacita, vel a jure subintellecta conditione, si sine filiis, in solis ascendentibus, non autem in transversalibus, vel extraneis attendenda.

Obser. XCVIII.

De remissione, vel respective reservatione fideicommissi per concordiam, vel divisionem.

Obser. XCIX.

Testatore mandante in dubio responderi pro existentia fideicommissi, ut adhuc in dubio pro non existentia respondeatur.

Obser. C.

De hypotheca legali competente, necne in bonis ejus, qui fideicommisso gravatus est, pro bonorum fideicommissi distractione, vel mala administratione.

Obser. CI.

Fideicommissum per donationem, vel alium actum inter vivos ordinari non potest; Neque secundo, vel alteri donatario successive vocato, illud jus, vel actio ad bona distracta in tertios possessores competit, quod vocato ad fideicommissum per ultimam voluntatem ordinato conceditur.

Obser. CII.

De fideicommissaria successione naturalium legitimatorum.

Obser. CIII.

Vocatis post defectos agnatos, masculis cognatis, qui a fœminis agnatis procreati sint, iisque non extantibus, aliis masculis remotioribus, vel extraneis pro agnationis artificiali renovatione; An de immediate procreatis a fœmina agnata dispositio intelligenda sit, vel etiam illis congruat, qui per plura media descendunt ab eadem fœmina.

Obser. CIV.

Gravatus restituere filiis, ut non censeatur gravatus restituere nepotibus.

Obser. CV.

De facultate concessa hæredi, qui fideicommissi onere ad certi generis favorem gravatus est inter honoratos gratificandi, atque pro libito disponendi inter eos.

Obser. CVI.

De utraque pupillari, & exemplari substitutione; quæ per parentes liberis intestabilibus fiat.

Obser. CVII.

Exclusio specialis alicujus personæ ab uno substitutionis gradu, non operatur ejus exclusionem a vocatione generali.

Obser. CVIII.

An ille, qui vocatus est post mortem ejus, qui in universo usufructu est institutus hæres, censendus veniat ab initio hæres primus, ac directus, vel potius obliquus, & substitutus jure fideicommissi.

Obser. CIX.

An filii procreati ex eo matrimonio, cujus contemplatione donatio patri facta est, pro eorum alimentis adversus ejusdem patris donatarii creditores, potioritatem habeant in bonorum donatorum fructibus: Et quid de filiis debitoris, qui sit possessor fideicommissi, ad quod ipsi vocati sint.

TITULUS VIII.

De Hærede, & Hæreditate.

Obser. CX.

De duplici, vel multiplici hærede & hæreditate, ac patrimonio, in pagano non dandis.

Obser. CXI.

Hæres, qui integrum, ac fidele non conficiat inventarium, an & quando istius beneficio privetur.

Obser. CXII.

De hæreditatis directæ, vel fideicommissariæ transmissione non danda.

Obser. CXIII.

Gravamen, quod hæredi simpliciter injunctum est, ut de primo tantum, non autem de ulteriori hærede intelligendum veniat.

Obser. CXIV.

De licentia, quæ per legem tribuitur hæredi beneficiato solvendi creditoribus, vel legatariis primo venientibus.

Obser. CXV.

De hærede, ac successore universali, vel particulari, illum impugnante actum, quem auctor, donec vixit, non impugnavit, vel illud rejiciente onus, quod idem auctor non rejecit.

TITULUS IX.

De Legitima, Trebellianica, & Falcidia, aliisque detractionibus.

Obser. CXVI.

Fiscus a patre vivente legitimam filii delinquentis exigit, & tamen jus delinquenti delatum, quod ab ejus animo pendet, non agnoscit, neque illud onus a legitima rejicit, quod delinquens rejicere posset.

Obser. CXVII.

Legitimam esse de jure naturæ debitam, ideoque per statuta, legesque locales in totum non posse tolli, plerique volunt.

Obser.

Obser. CXVIII.

De legitima præcise institutionis titulo relinquenda in quota bonorum stabilium, & mobilium pro rata, ut arbitrium illius debitor non habeat relinquendi in fructibus, vel in pecunia, sive in mobilibus; Ac etiam ut fideicommisso, vel alteri oneri, & gravamini subjici non valeat, & quatenus subjiciatur, ut sola testamenti acceptatio sine ejus speciali mentione non præjudicet, nisi quædam adhibeatur cautela, quæ *Soccini* vulgo nuncupatur, & qualis sit hujus cautelæ ratio.

Obser. CXIX.

De alienationibus, quas constet esse primas, in legitimam, aliasque detractiones, referendis, ideoque validis, donec per impugnantem de præcedenti consumptione doceatur.

Obser. CXX.

Quanta sit legitima masculi, ubi vigeat statutum fœminarum exclusivum, si parens, legitima masculo relicta, ipsas fœminas exclusas hæredes universales instituat.

Obser. CXXI.

Quomodo debeatur legitima nepotum ex pluribus prædefunctis filiis primi gradus, quorum nullus extet.

Obser. CXXII.

An substineatur, ac valida sit illa lex laicalis, quæ parentem eximit ab onere legitimæ erga filios religiosos.

Obser. CXXIII.

De legitima debita nepotibus ex filio prædefuncto, cui pater donationem fecit contemplatione illius matrimonii, ex quo ipsi procreati sunt, ab eis quoque assequendam.

Obser. CXXIV.

Quando duæ quartæ, legitima nempe, & Trebellianica detrahantur.

Obser. CXXV.

An Trebelliatica liberis primi gradus possit probiberi, & quando prohibita censeatur; Et de privilegio piæ causæ in Trebellianicæ, vel Falcidiæ detractione.

Obser. CXXVI.

Liberi non imputant fructus in Trebellianicam, extranei vero imputant.

TITULUS X.

De Legatis, & Ususfructu.

Obser. CXXVII.

PRoprietatis legatarium, vel usufructuarium universalem, fructuum rerum alteri legatarum participationem habere debere dispositum est.

Obser. CXXVIII.

De Bulgari consuetudine, ut uxor, quæ domina, & usufructuaria relicta sit, alimentaria solum esse debeat.

Obser. CXXIX.

Sub legato mobilium quænam veniant.

Obser. CXXX.

In legato generis, cujus sit electio, an hæredis, vel legatarii, & quatenus unius, vel alterius, quomodo facienda sit.

Obser. CXXXI.

De regulatione legati ususfructus bonorum mobilium, quæ usu consumuntur; Et de cautione per usufructuarium præstanda.

TITULUS XI.

De Credito, & Debito.

Obser. CXXXII.

DE concursu creditorum, ac prioritatis; & anterioritatis ordine.

Obser. CXXXIII.

Venditor in re propria, vel in ea, quæ cum ejus pecunia quæsita est, postponitur emptoris creditoribus anterioribus.

Obser. CXXXIV.

De concursu creditorum ex causa onerosa, & lucrativa, qualis eorum potior esse debeat conditio.

Obser. CXXXV.

De creditoribus ex causa panis, aliorumque cibariorum, seu vestium, & medicamentorum.

Obser. CXXXVI.

Creditoribus Baronum in Statu Ecclesiastico quomodo occurrat ea lex, quæ Baronum Bulla dicitur, & an ista censenda sit justa.

Obser. CXXXVII.

De obligatione creditorum recipiendi pecuniam vinculatam.

Obser. CXXXVIII.

De privilegiis, & indulgentiis, quæ cum debitoribus practicari solent per legem, vel Principem, aut judices.

Obser. CXXXIX.

De moratoriis, & dilationibus, vel remissione partis debiti a Supremi Principis indulgentia, vel ob consensum majoris partis creditorum per Judicem de justitia concedendis.

Obser. CXL.

De promissione facti alieni, quando afficiat.

Obser. CXLI.

Potest ille, qui ære alieno sit pressus, non agnoscere illud fortunæ beneficium, quo mediante creditoribus valeat satisfacere, ideoque non agnoscere hæreditates, & successiones, vel fideicommissa, & legata.

Obser. CXLII.

De locali lege seculari statum decocturi debitoris præventive declarante, ideoque creditorum conditionem æqualem efficiente, ut non afficiat Clericos.

Obser. CXLIII.

In bonis alienari, & obligari, seu hypothecari prohibitis, hypothecari, vel alienari potest commoditas, quæ afficiat tertium, in quem valide bonorum dominium translatum sit.

Obser. CXLIV.

De concursu domini pecuniarum furatarum super mercibus, quæ cum illis emptæ sint, cum suis creditoribus.

Obser. CXLV.

Privilegiatus creditor anterior actionem habens ad bona, ad quæ alii non habeant, cogendus non est per posteriores illa differentia bona experiri.

Obser. CXLVI.

Bona per consensum creditoris ab hypotheca liberata, in eandem non reincidunt, si denuo per debitorem quærantur.

Obser. CXLVII.

De geminata, vel reiterata solutione debiti, quod putativo creditori solutum est.

Obser. CXLVIII.

De actione de in rem verso, vel negotiorum gestorum, quando competat contra eum, cujus negotium gestum est.

Obser. CXLIX.

De confessione extrajudiciali, quæ parte *absente facta* sit, an probet necne, ubi præsertim in epistolis familiaribus amico fiduciarie conscriptis contineatur.

Obser. CL.

An pater ad ea teneatur debita, quæ filius pro publicis magistratibus, vel muneribus exercendis contraxit.

Obser. CLI.

Barattariæ vocabulum quid significet, & quando illa commissa dicatur.

Obser. CLII.

De mercium, ac navium assecurationibus.

Obser. CLIII.

De facultate illius, contra quem jura cessa sunt; offerendi cessionario id, quod ipse cedenti solvit.

Obser. CLIV.

De cessione, quæ pro solvendo potius, quam pro soluto intelligenda est, ut cessionario negligente ipsi non obstet, atque contra cedentem ei remaneat actio integra.

Obser. CLV.

Laudator, vel approbator personæ, an fidejussoris loco habendus veniat.

Obser. CLVI.

De debitore suspecto de fuga, quando talis dicatur necne.

TITULUS XII.

De Deposito.

Obser. CLVII.

DE depositario solvente cum mandato, vel ordine deponentis, qui falsus detegatur.

Obser. CLVIII.

De eadem depositarii obligatione duplicatam faciendi depositi solutionem ob conditionum in eo adjectarum malum implementum.

TITULUS XIII.

De Præscriptionibus.

Obser. CLIX.

DE præscriptione, & de exceptionibus, cum quibus illa impediri solet, ut pene unquam perficiatur.

Obser.

Obser. CLX.

Da mala fide obstante etiam hæredi, ad præscriptionem impendendam.

TITULUS XIV.

De Usuris, & Interesse, ac Fructibus.

Obser. CLXI.

DE contractu trinn, qui pro usuræ exclusione considerari solet.

Obser. CLXII.

De societate ad capitale salvum,

Obser. CLXIII.

De nautico fœnore, seu cambio maritimo.

Obser. CLXIV.

De mixtura mutui cum altero contractu locationis, & conductionis, vel emptionis, & venditionis, & simili, an usuram contineat, quæ alium contractum admixtum inficiat.

Obser. CLXV.

De usuris judaicis permittendis, vel prohibendis.

Obser. CLXVI.

De pacto commissario, valido, vel invalido.

Obser. CLXVII.

De contractu anticresis, vel ad gaudendum.

Obser. CLXVIII.

De conventionibus usurariis, & de interesse lucri cessantis, vel damni emergentis in genere.

Obser. CLXIX.

De fructuum recompensativorum conventionali, vel judiciali taxa pro rei emptæ pretio non soluto.

Obser, CLXX.

De usuris pro legato, vel pro donatione.

Obser. CLXXI.

An socius, vel mandatarius, aut administrator absque nova indigentiæ denunciatione, pecuniam ad cambium, vel ad interesse suscipiat in damnum mandantis, vel socii; Et quid de fidejussore in damnum principalis debitoris.

Obser. CCLXXII.

De usuris centesimis, ac similibus, de quibus antiquæ Romanorum leges loquuntur, quænam sint.

Obser. CLXXIII.

De uniformi, ac generali taxa fructuum bonorum stabilium.

TITULUS XV.

De Cambiis.

Obser. CLXXIV.

DE cambiis excessive solutis, quomodo imputari debeant in sortem, vel repeti.

Obser. CLXXV,

De literarum cambii acceptione non obligante ob tunc secutam, vel imminentem, aut brevi superventuram scribentis decoctionem.

Obser. CLXXVI.

Cambiorum platealium, & nundinalium an licita sit continuatio, vel circulatio, & an una species magis licita sit, quam altera.

Obser. CLXXVII.

De præciso literarum interventu pro realitatis cambiorum justificatione; Et an eandem receptam pecuniam præcise cambiare oporteat, adeout in alios usus converti non valeat.

Obser. CLXXVIII.

An Clericus contractum cambii activum, & passivum inire valeat; Et quatenus non, an exinde debitos cambia decursa deneget.

TITULUS XVI.

De Censibus.

Obser. CLXXIX.

DE generali, ac uniformi censuum reductione.

Obser. CLXXX.

De census nullitate ob non servatam formam adhibendam..

Obser. CLXXXI.

Census extinctus, vel redemptus cum pecunia, vel cum æquivalenti re avocabili, cujus avocatio sequatur, an & quomodo reviviscat.

Obser. CLXXXII.

In censu vitalitio fundum frugiferum, & numeratæ pecuniæ formam adinstar perpetui, aliqui desiderant.

Obser. CLXXXIII.

Detecto fundo censito alieno, vel incapaci, an cesset cursus fructuum.

Obser. CLXXXIV.

De extinctione, vel cessatione census, ex eo quod creditor dominium fundi censiti nanciscatur.

Obser. CLXXXV.

De census Præscriptione, ac debitoris censualis liberatione non danda quocunque temporis spatio accedente; Et e converso de præscriptione fructuum ultra annos viginti novem.

Obser. CLXXXVI.

De deposito sortis ad Pianæ Constitutionis præscriptum faciendo pro census extinctione.

TITULUS XVII.

De Donationibus.

Obser. CLXXXVII.

DE donatione omnium bonorum, an valeat.

Obser. CLXXXVIII.

De caducatione donationis ob donatarii prædecessum à donatore vivente.

Obser. CLXXXIX.

Retrodonatio, quam donataria mater filio donatori faciat, an solemnitatibus egeat.

Obser. CXC.

De solemnitatibus, quæ in donationibus desiderantur, & quando illarum defectus attendi non debeat.

Obser. CXCI.

An donatarius universalis, hæredis ad instar, ad inventarii confectionem teneatur, aut alias ultra vires ejus intret obligatio.

Obser. CXCII.

Donationes, quæ ultra alimentorum metam illegitimis fiant, quamvis juramento sint vallatæ, invalidas esse plerique credunt.

TITULUS XVIII.

De Emptione, & Venditione.

Obser. CXCIII.

AN dominus, non refuso pretio, vendicet res proprias futuras a quocunque emptore, & possessore.

Obser. CXCIV.

Venditori quandoque solvendum est rei venditæ pretium; quamvis ipsam rem non tradat, sed penes eum remaneat,

Obser. CXCV.

An ea læsio ultra dimidium, quæ in privata conventionali emptione, & venditione requiritur, in judiciali quoque ad hastam publicam requiratur.

TITULUS XIX.

De Alienationibus, & Contractibus prohibitis.

Obser. CXCVI.

DE contractibus gestis per prodigum antequam per Judicem competentem sibi interdicatur administratio; Et an hæc interdictio attendenda sit, si judicem incompetentem esse, vel non bene judicialem ordinem servasse, ex intervallo detegatur.

Obser. CXCVII.

Alienationem, vel obligationem bonorum, ad quorum titulum quis ad sacros Ordines est promotus, invalidam simpliciter plerique opinantur.

Obser. CXCVIII.

De claudicatione contractus initi inter Ecclesiam, & privatum..

Obser. CXCIX.

De restitutione fructuum bonorum Ecclesiæ, vel aliorum male distractorum, non autem de restitutione censuum exactorum.

Obser. CC.

An per Ecclesias, vel ecclesiastica loca sine solemnitatibus, quæ in alienationibus ab eis faciendis requiruntur, activi census reduci ad minorem fructum, vulgo sbassari valeant, sive novi census passivi pro antiquorum graviorum legitime impositorum extinctione imponi.

Obser. CCI.

Solemnitates statutariæ requisitæ in contractibus minorum & mulierum, non desiderantur in iis, quæ fiant penes acta judicialia.

TITULUS XX.

De Feudis.

Obser. CCIII.

Bona, quæ intra fines feudi per feudatarium possidentur, an feudalia, vel allodialia censenda sint.

Obser. CCIV.

De feudo dividuo, ut fieri non valeat individuum.

Obser. CCV.

De successione fœminarum in feudis in concursu masculorum. *Obser.* CCVI.

De feudorum refutatione pactionata, ut invalida sit, vel quod pactiones vitientur, ipsa vero firma remaneat.

Obser. CCVII.

Fœmina secundogenito nupta potior est in feudi successione primogenitura nupta.

Obser. CCVIII.

De lege prohibente feudatarium nubere sine domini consensu. *Obser.* CCIX.

Feudum individuum primogenito debitum, an illi imputandum sit in legitimam.

Obser. CCX.

Alienationes, & contractus in feudis absque assensu ad libitum sunt revocabiles, cum restitutione fructuum ex parte emptoris, ac refectione interesse pretii ex parte venditoris. *Obser.* CCXI.

Devoluto feudo, devolvi subfeuda, an rationabile sit.

Obser. CCXII.

In feudis, & hæreditatibus, aliisque universitatibus, non præstatur evictio, nisi in expressis, de quibus promissa sit. *Obser.* CCXIII.

Servitia per vassallos uni Baroni, vel domicello præstita, an successori, vel domino debeantur.

Obser. CCXIV.

Qui possidens castra, & bona jurisdictionalia, voluntarie, alterius subditum, ac feudatarium se facit, an jure Baronis, & feudatarii in omnibus tractari debeat.

Obser. CCXV.

Alienationem, aliamque dispositionem feudorum, & bonorum jurisdictionalium prohiberi, an justum, & rationabile sit.

Obser. CCXVI.

Feudum concessum tanquam francum, & nobile, an corrumpatur, ac efficiatur alienabile; Atque concessum tanquam antiquum, an sit tale, ubi vere sit novum.

TITULUS XXI.

De Emphyteusi.

Obser. CCXVII.

De præventiva, vel abusiva feudi, vel emphyteusi investitura, aut de officii concessione præventiva.

Obser. CCXVIII.

De renovatione emphyteusis, an juxta ordinem intestatæ successionis, vel potius juxta illam sanguinis descendentis ab acquirente regulari debeat in concursu matris, & amitæ, cum similibus.

Obser. CCXIX.

De renovatione investituræ emphyteuticæ debita proximiori ultimo deficientis, quomodo practicanda sit.

Obser. CCXX.

Generatio activa acquirentis, an computanda sit inter illas, ad quas feudalis, vel emphyteutica, vel similis concessionis restricta sit.

Obser. CCXXI.

An contractus concessionis censeri debeat potius emphyteusis, quam perpetuæ locationis, & e contra, & de effectuum diversitate exinde resultante.

Obser. CCXXII.

Emphyteusis Ecclesiastica, an restricta sit ad solos sanguinis successores, vel ad extraneos transitoria.

Obser. CCXXIII.

De purgatione moræ ex æquitate canonica concedenda, vel deneganda.

Obser. CCXXIV.

Transitus ad manum mortuam rei emphyteuticæ a domino impeditur, denegata quandoque facultate extra manum non mortuam ponendi.

Obser. CCXXV.

De quindenniorum introductione, ac solutione.

Obser. CCXXVI.

Canonis diminutio, an per emphyteutam petatur ob accidentalem rei emphyteuticæ notabilem diminutionem.

TITULUS XXII.

De Locatione, & Conductione.

Obser. CCXXVII.

Antiquo conductori adversus novum, prælationem lex deneget.

Obser. CCXXVIII.

De pensionis remissione ob accidentalem rei conductæ diminutionem conductori facienda.

Obser. CCXXIX.

An successor locationis sub colono stare teneatur.

Obser. CCXXX.

Semioratum, vel alias melioratum per colonum in solo conducto præter legem conductionis, solo cedit ad favorem locatoris; Et generaliter de melioramentis in re aliena factis. *Obser.* CCXXXI.

De bonis invectis, & illatis in domum, vel in fundum conductum pro pensione affectis.

Obser. CCXXXII.

Pro usu proprio, an liceat inquilinum, durante locatione expellere.

Obser. CCXXXIII.

Locatio bonorum Ecclesiæ ultra triennium, neque pro licito triennio sustinetur.

TITULUS XXIII.

De Regalibus, hoc est Gabellis, locis montium, monetis, fisco, viis publicis, salinis, mineralibus, & similibus.

Obser. CCXXXIV.

De gabellario excessivam gabellam exigente.

Obser. LXXXV.

Provisi de officiis, ac beneficiis, & dignitatibus, quæ de eorum natura ab usu comprobata, perpetua sint, an removeri valeant.

Obser. CCXXXVI.

De transitu libero locorum montium, aliorumque similium jurium cum Republica in tertium, non obstantibus vinculis, quæ favore creditorum, vel aliorum jus habentium in eis adjecta sint.

Obser. CCXXXVII.

Datis in dotem locis montium, vel aliis juribus vacabilibus, & vitalitiis, sive usufructu, quid restituendum veniat.

Obser. CCXXXVIII.

De publica annona per Principem, vel ejus nomine per Magistratum, aut per Civitatem administrata, an illis potiatur privilegiis, quæ ipsi Principi, ejusque Fisco, vel Civitati de jure competunt.

Obser. CCXXXIX.

De Clericorum, & Ecclesiasticorum exemptione a gabellis, aliisque publicis oneribus, quomodo intelligenda, & practicanda sit.

Obser. CCXL.

Forenses inhabilitari ad bonorum acquisitionem, vel pro eis, ad majora onera obligari, an justum, & rationabile sit.

Obser. CCXLI.

Clericos, & Ecclesiasticos in temporali Ecclesiæ ditione, publica supportare onera laicalia, quæ alibi non supportantur, an justum, & rationabile sit.

Obser. CCXLII.

Extrinsecum nimium alteratum salis, aliorumque mineralium, ac victualium, aliarumque rerum pretium, cum jure privativo exigi, an justum, ac rationabile sit.

Obser. CCXLIII.

Pro uno, eodemque crimine quemlibet Principem, vel Dominum, qui jura Fisci habeat, bona in ejus ditione existentia confiscare, aliqui volunt, illam statuentes propositionem, quod quilibet confiscat in suo.

Obser. CCXLIV.

Monetarum cusio de regalibus est supremo Principi competens, vel cui ipse dederit, ut propterea ejus suprema potestas valorem illi tribuat.

TITULUS XXIV.

De Servitutibus, & Retractibus.

Obser. CCXLV.

De jure prothomiseos, seu de retractu prælativo, ac etiam de coactivo, tam in feudis, quam in aliis bonis.

Obser. CCXLVI.

Quilibet in suo pro libito ædificare potest, ejusque ædificium

TITULUS XXXIV.

De Ordinum collatione,

Obser. CCLXXVIII.

DE domicilio, quando contractum dicatur ad effectum collationis Ordinum, & præsertim in Urbe.

TITULUS XXXV.

De Matrimonio.

Obser. CCLXXIX.

AN Matrimonium ratum adhuc non consummatum, ex Papæ auctoritate dissolvi possit, quamvis causa dissolutionis a jure probata non accedat: Et an idem in vinculo spirituali solemnis professionis regularis, vel Sacrorum Ordinum.

Obser. CCLXXX.

De nova matrimonii forma per Trid. Conc. inducta, & de domilii contractu ad Parochi jurisdictionem inducendam.

TITULUS XXXVI.

De Censuris.

Obser. CCLXXXI.

DE percutiente Clericum fornicarium, alicujus conjunctæ, quando excommunicationem incurrat.

TITULUS XXXVII.

De Jurisdictione, & Præeminentiis.

Obser. CCLXXXII.

PRælatus inferior cum territorio separato, & nullius, dicitur in eo loco verus Ordinarius, tam in jurisdictione ordinaria, quam in delegata, eademque habet potestatem, quam Episcopus in sua diœcesi.

Obser. CCLXXXIII.

Archiepiscopus, vel Episcopus titularis qui diversam figuram, vel personam in loco gerat, puta vicarii Pontificalium Metropolitani, vel illam canonici cathedralis, an provinciæ Episcopos suffraganeos, vel respective antiquiores dignitates, & canonicos capituli præcedat.

Obser. CCLXXXIV.

De ficta continuatione illius cathedralitatis, quæ antiquissimo tempore, etiam sub dubio fuerit, per plura vero sæcula sub diverso, vel opposito statu interrupta, vel abolita.

Obser. CCLXXXV.

Quod Doctor non possit pro debito carcerari, vel pro delicto torqueri.

TITULUS XXXVIII.

De Judiciis, & Judicialibus.

Obser. CCLXXXVI.

QUando adesse dicatur injustitia sufficiens pro rescissione laudi, ac etiam quando dispositio sit conditionalis, necne ad transmissionis effectum.

Obser. CCLXXXVII.

De appellatione de jure canonico admittenda, etiam in possessorio, & de Ægidiana non afficiente personas, & bona ecclesiastica.

Obser. CCLXXXVIII.

De restitutione in integrum adversus rem judicatam, vel tres conformes de facili ex capite ordinariæ, non autem notoriæ injustitiæ concedenda.

Obser. CCLXXXIX.

De judicio præventivo, vel de futuro, dando, vel denegando.

Obser. CCXC.

Fidejussoria cautio de judicio sisti, ac de judicatum solvendo, an ad illam instantiam, illumque judicem, coram quo causa tunc pendebat, solum restricta sit, necne.

Obser. CCXCI.

Condemnatio fructuum judicialium, ex quo tempore facienda sit.

Obser. CCXCII.

De apprehensione in Curia, an causet competentiam fori, & de assumpto, quod Roma communis patria est.

Obser. CCXCIII.

De obligatione penes acta pro aliquarum regionum stylo absque alia citatione exequenda.

Obser. CCXCIV.

De positionibus in judicio cum juramento dandis, ut pariter cum juramento eis respondeatur, ac de altero juramento calumniæ, & similibus.

Obser. CCXCV.

De annullationibus actorum, & processuum, ob aliquos terminos judiciales non adeo exacte servates.

Obser. CCXCVI.

De attentatorum incursu, & pœnis, ac purgatione.

Obser. CCXCVII.

Quando Judici datur consultor, illa adhibetur distinctio, quod si præcipitur, ut de ejus voto judicare debeat, tunc votum, seu consilium sequi teneatur; secus autem si dicatur cum voto, ut tunc illud sequendi obligationem non habeat.

TITULUS XXXIX.

De Delictis, & Pœnis.

Obser. CCXCVIII.

DE foro magis criminoso, ac habente admixtum sacrilegium, vel admixtam proditionem, ac violationem fidei, mitius tamen puniendo. Et de Clerico mitius puniendo, quam laicus puniatur.

Obser. CCXCIX.

Homicidium in loco immuni, non tamen in Ecclesia, vel in cœmeterio patratum, non cadit sub Gregoriana exceptuatione.

Obser. CCC.

De ambitioso repetere volente a Principia conjuncto id, quod pro non assecuta ambita dignitate admiserit.

TITULUS XL.

Varia, seu Miscellanea eorum, quæ ad præfatas materias pertinentia, post earum distributionem, tanquam per speciem Supplementi observata sunt.

Obser. CCCI.

Substitutio pupillaris excludit matrem a legitima.

Obser. CCCII.

Per furorem, vel amentiam patris, non cessat patria potestas.

Obser. CCCIII.

De auctoritate canonum contentorum in Decreto Gratiani. *Obser.* CCCIV.

Salarium famulorum, vel causidicorum, ac operariorum, ubi non adsit statutum, non præscribitur nisi per longissimum tempus triginta annorum.

Obser. CCCV.

Privilegium reputatur illud Cardinalium, & familiarium Papæ, aliorumque Prælatorum, absque solemnitatibus testandi. *Obser.* CCCVI.

Obtinens qui ab uno Judice ex causa subhastationis, & deliberationis, vel adjudicationis, aut remedii possessorii, sive ex alio titulo bona, si ad ista petat reintegrari ille, qui subhastationem, vel adjudicationem, aut remedium possessorium passus est, debet sequi forum privilegiatum possessoris.

Obser. CCCVII.

De Privilegiato succedente alteri non privilegiato, ut ex propria persona declinet forum defuncti, etiam lite cœpta.

Obser. CCCVIII.

Stylus Curiæ Romanæ est semper condemnandi victum in expensis, non attenta justa litigandi causa.

Obser. CCCIX.

Approbatur Curiæ Romanæ stylus habendi terminum pro servato, ut ita extra diem cadentis citationis pronunciare liceat, reprobatur autem stylus aliarum Curiarum, ut eadem citatio ad certam diem, cum aliarum continuatione concipiatur.

Obser. CCCX.

Omne possessorium, juris civilis dispositione attenta, non admittit appellationem suspensivam, quam e converso admittit jus canonicum, excepto illo retinendæ, ac etiam altero adipiscendæ, quod associationis dicitur.

Obser. CCCXI.

Clericos non posse in carceribus pro debito detineri minusque urgeri ultra quam facere possint, Canones disponunt.

Obser. CCCXII.

Bonorum prohibitorum facilius conceditur hypothecatio utpote minoris præjudicii, quam omnimoda alienatio;

Obser. CCCXIII.

Melioramenta intrinseca ex temporis beneficio, vel ex alio accidenti secuta penes resolubilem possessorem legali, vel conventionali retractui subjectum, ad quem pertineant. *Obser.* CCCXIV.

Loca quæ magnam, insolitamque donorum naturæ copiam habeant, per Principes, vel per Civitates sibi appropriari, eorumque usum naturalem prohiberi, an irrationabile, vel rationabile sit.

Obser. CCCXV.

Cum quibus potius judicandum sit, an cum regulis generalibus, vel cum doctrinis punctualibus, vel cum rationibus.

DE

D E
ÆTATE, QUALITATE, VITA, ET STATU HOMINUM, PROOEMIUM.



INgratitudinis, ac temeritatis notam ex his Observationibus a superficialibus Legalis Reipublicæ plebeis mihi objici jam audio, quod ingratus filius adversus nimium benevolam, ac meritam matrem temere invehar. Laudem vero, ac defensionem æque audio a vere scientificis ejusdem Reipublicæ nobilibus, ac magnatibus, ut veræ gratitudinis, ac dilectionis potius futurum sit monumentum. Formosi nanque corporis maculas, & vulnera, peritus, ac benevolus medicus, cum ferro, & igne, asperisque modis, ut curet, & tollat, prudenter aperire satagit, ut ita corpus priori restituatur nitori, & pulchritudini; Non etenim Legis, sed ejus Interpretum, ac Ministrorum revera sunt defectus, ideoque charitatis, atque gratitudinis, ac benevolentiæ, non autem ingratitudinis, ac temeritatis iste censendus est effectus; Meum nanque non est propositum aliquas Majorum propositiones cum proprio refellere judicio, cui sit acquiescendum: Sed quid asperum, vel ineptum, ac irrationabile videatur, indicare, ut ita instructa Posteritas verum agnoscat, ac eligat modum intelligendi, & practicandi Leges, quarum ratio anima dicitur, & sine qua putrido, ac fœtido cadaveri comparantur. Eodam unico veritatis, & justitiæ amore impellente, qui ad alios jam editos impulit labores.

OBSERVATIO I.

De inæqualitate pubertatis inter masculum, & fœminam.

ACcelerante natura in muliere, magis quam in viro generandi potentiam, ut illa ætatis anno duodecimo completo pubes, ac matrimonio apta sit, iste autem non nisi in decimoquarto completo id assequatur; Utroque tamen commodo, ac respective incommodo, cum viri majori prærogativa in ejusdem potentiæ retentione, vel progressu compensato, ut in muliere vix ad annum quinquagesimum perveniat, in viro autem ad septuagesimum protrahatur. Hinc ad omnes alios actus, pro quibus judicii, vel intellectus perfectio necessaria est, & præsertim illum exemptionis a subjectione tutoris, ac alterum factionis testamenti, Juristæ hanc extendunt pubertatis differentiam, ut propterea mulier duodecimo ætatis anno expleto, tanquam jam pubes, totum id assequatur, quod viro non nisi post decimum quartum conceditur. *a*

Irrationabilem autem hanc legem esse, ipsamet lex in utraque proxima ætate comprobat, in prima nempe infantili, & in tertia adolescentiæ, sive minori, dum æqualem viri, ac mulieris conditionem efficit. Ubi etenim hæc biennalis præventiva judicii perfectio in muliere supra virum, in hac secunda ætate danda sit, proportionabiliter in prima, & tertia quoque danda esset; Et tamen non solum id cessat, sed quod magis est, in ulterioribus jam perfectis, ac majoribus juventutis, ac virilitatis, & senectutis ætatibus, fœminam imbecillioris, magisque imperfecti judicii eadem lex declarat, dum illam in spiritualibus, ad ordines, ac Prælaturas; in prophanis vero ad Judicis, & Assessoris, aliorumque publicorum Magistratuum, & officiorum, atque Causidicorum, seu Patrocinantium munera, necnon ad militiam, ac tutelam, & curam aliamque publicam administrationem inhabilitat, *b* pluraque sexus fragilitati remittit, sive illi occurrere satagit, *c*. Quinimo aliquæ particulares leges, quarum frequentem habemus usum in Italia, ad propria etiam bona, & negotia administranda eas reputant inhabiles, ut propterea minoribus exæquatæ, istorum adinstar Judicis, ac proximiorum, vel curatoris auctoritate, & consensu egeant, ut ita earum judicii imbecillitas suppleatur, *d*. Igitur manifesta remanet hujus legis irrationabilitas, ut fragiliori, ac imbecilliori, magisque imperfecto sexui, major judicii perfectio per biennium antea attribuatur; Male arguendo a matrimonio, in quo ita merito, ac rationabiliter statutum est, quia sic ordinavit natura, cui in hac parte parendum est, in aliis autem parendum est rationi.

Id etenim eadem comprobat lex, dum in alimentorum provisione, quæ miserationis gratia ab homine ad pubertatem usque demandata sit, ea dignoscitur disparitas, quod in masculo ad annum decimumoctavum protrahitur pubertas, in fœmina vero in decimoquarto cessat; Ideoque naturæ ordinem lex non servat, sed rationem attendit; quia nempe fœmina in decimoquarto anno perfectam habilitatem ad victum sibi comparandum habere dicitur ex corporis viribus; masculus vero in facultatibus, vel in artibus bene addiscendis majori tempore indiget. *e* Igitur attendenda est ratio, quæ tamen in ea quoque deficit lege, quæ in ætatis venia candem biennalem anticipationem concedit imbecillioris judicii sexui ex eidem præmissis considerationibus pupillarem respicientibus ætatem. *f*

a §. 3. *Instit. quib. mod. tutel. fin. l. qua ætate, ff. qui test. fac. poss. ubi DD. communiter, Et §. 1. Instit. eod. tit. qui test. fac. poss. Surd. de alim. privil. 8. in princ.* b *l. Fœmina ff. de reg. jur. cum notis concord.* c *super prohib. ex Senatusconsulto Vellejano. vel ex lege Julia de fundo dotali, & similibus.* d *in Theatr. sub tit. de alien. & contr. prohib. disc. 31. & seqq.* c *l. Mela ff. de alim. & cibar. legat. cum concord. per Surd. de alim. d. privil. 58. Menoz. de ratioc. comput. 4.* f *l. 2. C. de his qui non ætat.*

OBSERVATIO II.

De minoris ætatis taxa, & varietate.

TErtiam ætatem adolescentiæ, vel imperfectæ pubertatis, quam Juristæ minorem appellant, antiquæ leges Romanorum per novas Græcorum post translationem Imperii in Orientem in hac parte non innovatæ, usque ad vigesimumquintum annum completum extenderunt, adeout non antea quis major, a curatoris auctoritate exemptus, atque ad propriæ rei administrationem, publicaque munera, & officia exercenda habilis reputetur. Occidentalis autem Europæ, præsertim vero Italiæ diversa est praxis, quoniam per leges particulares, alicubi, ut præsertim in utriusque Siciliæ Regnis, ac etiam in aliquibus Etruriæ, ac Insubriæ partibus, ad solam ætatem annorum decem, & octo ex restricta est, qua completa major quis in omnibus reputatur; In Urbe autem ejusque districtu, aliisque Civitatibus, & locis ad illam annorum viginti; Alicubi vero hujusmodi particularibus legibus non extantibus, cum prædictarum antiquarum legum Romanorum dispositione vivitur, ut adhuc ad ætatem annorum vigintiquinque protrahatur; Hebræi vero in eorum sensu, & credulitate in adulta quatuordecim annorum illam perfici volunt.

Id autem irrationabilitatis, ac etiam incertitudinis, & inconstantiæ defectum evidenter continere videtur, ut in una eademque provincia, quinimo in adjacentibus Civitatibus, & locis sub eodem Cœlo existentibus, eosdemque habentibus mores, in eo quod omnibus naturaliter est commune circa judicii ac intellectus perfectionem, vel respective imbecillitatem, adeo magna dignoscitur diversitas,

quodque idem homo, in una Civitate, seu loco morando, post completam breviorem ætatem annorum decem, & octo, vel viginti perfectus pubes, perfectique judicii reputetur; mutando vero domicilium efficiatur inhabilis, ac imperfectus; Et e converso, ut qui in uno loco imperfectus reputatur, ex sola mutatione loci, perfectionem acquirat, ita naturales animi, ac intellectus partes invariabiles mutando, pro locorum, ac domiciliorum varietate, quo nil ineptius, nilve irrationabilius.

Quinimo, quod magis est, ut in uno, eodemque loco, in quo, nec aeris, neque morum diversitas considerari potest (quæ etiam inepte in ejusdem Provinciæ, vel Regionis Civitatibus, & locis consideratur, dum antiqui sapientissimi, ac prudentissimi Romani in universo Orbe illam non considerarunt, sed ubique pariformiter eandem statuerunt ætatem) ista notabilis in aliquorum sensu dignoscatur diversitas pro diversitate status, vel fori, quia nempe sæcularibus legibus localibus hanc ætatis restrictionem facientibus, illisque personas ecclesiasticas non ligantibus; idcirco isti ad juris communis limites usque ad ætatem viginti quinque annorum adhuc minores reputari debeant, ita illam dando irrationabilitatem, qua nulla major, ut in partibus naturalibus, ac invariabilibus, unus, & idem homo, in eodem loco, ob accidentalem qualitatem diversus esse debeat, quodque si laicus post decimum octavum completum jam habilis, ac perfectus pubes effectus, clericatum assumat, exinde imperfectus, ac inhabilis efficiatur; Et e converso, ut clericus adhuc imperfectus, & minor; dimisso clericatu, atque statum sæcularem assumendo, illico major, ac perfectus evadat.

OBSERVATIO III.

De ratione ob quam minor ætas abbreviata est.

SUper assignatione rationis, ob quam hujus ætatis restrictio facta sit, non minor ineptia, vel irrationabilitas dignosci videtur: Duæ siquidem desuper assignari solent rationes; Una nempe excretæ hominum malitiæ, quæ ætatem suppleat, arguendo a sacrorum Canonum dispositione super impuberum habilitatione ad matrimonium contrahendum ea ratione malitiæ supplentis, ætatem. Et altera abbreviatæ vitæ, ac ætatis hominum, quasi quod antiquitus magis longæva esset; Utraque tamen ratio, ipsaquemet præsupposita abbreviatio ineptiam, ac simplicitatem comprobat, Hominum siquidem, ac mundi malitiam, corruptamque naturam ab antiquissimis temporibus, longe antea quam prodirent Romanorum leges, quæ comparative recentes, ac pene coævæ dici merentur, docet infallibile testimonium Sacræ paginæ super historia diluvii, aliisque antiquissimorum temporum actibus, ac etiam omnium hominum Sapientioris oraculum in libro *Ecclesiast.* ibi; *Nec dicas quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? stulta enim est hujusmodi interrogatio*. Ac etiam ibi; *Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est: nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est; jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerant ante nos*; Ipsorumque Romanorum, ac antiquiorum Assyriorum, Medorum, Persarum, & Græcorum comprobant quoque profanæ historiæ, cum semper eandem mundi uniformem fuisse naturam, cum ea localis magis, vel minus tranquillo statu, quem bonorum, ac respective malorum Principum, vel pacis, & belli respective contingentia præbeat, verius censendum sit, ideoque inter Græcorum consuetas fabulas, idealis, ac somniata aurea ætas reponi meretur; ut alibi particulariter, magisque ad rem advertitur. a

Et quoad alteram rationem abbreviatæ ætatis, vel vitæ hominum, sacræ, & prophanæ superius recensitæ historiæ, a temporibus diluvii citra, præsertim vero de tempore, quo hujusmodi prodierunt leges, ad evidentiam eundem convincunt errorem, ac ineptiam, dum ipso Regio Propheta, & Psalmista attestante, qui per multa præcedentia scripsit sæcula, ex tunc hominum anni erant septuaginta, & in potentatibus octuaginta; & si quid amplius, labor, & dolor; quod adamussim, ac præcise currentem describit ætatem.

Ineptiam quoque continet præsupposita studiosa minoris ætatis abbreviatio, ac propterea leges, quæ illam induxerunt, exorbitantes, ac juris communis correctoriæ reputantur, atque termini municipalium legum, & statutorum a jure communi exorbitantium desuper adhibentur. Id enim manifestam redolet fabulam, cum verius sit, quod Romanorum legibus in nostra Occidentali Europa, præsertim vero in Italia per Gothos, Vvandalos, Longobardos, & Francos, aliasque exteras nationes dominantes, pene abolitis, atque in oblivionem abitis, ex earundem nationum moribus, qui adhuc in Regnorum, & Principatuum regimine, ac administratione) quamvis male, ut infra) retinentur, ipsa simplex pubertas pro majori reputaretur ætate, adeout ista tertia ætas adolescentiæ, vel imperfectæ pubertatis, quæ legaliter minor dicitur, ignota esset; Tractu vero temporis, experti populi inconvenientia exinde orientia, illam pubertatem, quæ in anno decimoquarto completa erat ad decimum octavum originaliter in utriusque Siciliæ Regnis, unum tantum eo tempore constituentibus Regnum, atque adinstar in Insubria, & in Etruria, aliisque Italiæ partibus, antequam legum Romanorum casualis inventio, vel respective receptio, ac usus sequerentur, inducta est, ideoque non fuit restrictio, vel abbreviatio illius majoris ætatis, quæ jam ultra progederetur; sed potius extensio, vel ampliatio alias brevioris, unde quando prædicta legum civilium inventio, vel respective receptio, ad sæcula post inventionem, secuta est, ut propterea juris communis vim haberent, jam hujus ætatis status inductus, ac firmatus erat, ac propterea ipsæ Romanorum leges potius exorbitantes, ac novæ, & correctoriæ in hac parte censendæ veniunt, ista simplicitate neglecta.

Quinimo nedum in Regnis, & Principatibus iidem continuant mores, ut pubertas simplex majoris ætatis vim habeat, ut sequenti observatione advertitur, sed etiam in feudatariis inferioribus, ac subordinatis, qui sub Baronum, ac domicellorum genere veniunt, usque ad nostra pene tempora, in enunciatis præsertim utriusque Siciliæ Regnis, ubi comparative major est feudatariorum, ac Baronum numerus, ac feudorum sedes, & scholas, continuarunt, usquequo recentes leges per ampliationis potius, quam abbreviationis speciem, eandem decem, & octo annorum ætatem statuerunt.

Primam quoque rationem excretę malitię ad oraculum convincit nimium irrationabilis praxis, quam in aliquibus Italię partibus, etiam in ipsomet Principatu, vel dominio experimur, atque presertim in Ecclesię temporali ditione frequentius contingit, quod in una Civitate, vel loco longa sit ętas major annorum vigintiquinque, in altera vero adjacenti cum magna vicinitate, sub eodem Cœlo, eisdemque moribus sit brevior annorum viginti, vel decem, & octo, ideoque prorsus incongrua, & inadaptabilis est dicta ratio malitię ac etiam altera abbreviatę vitę, vel ętatis, cum in adeo proximis, & adjacentibus locis neutrum sit verificabile. *

a *Infra Obser. 16.* b *Obser. seqq.* c *Theatr. disc. 1. de Dote, n. fin. & latius disc. 142. n. 9. & seqq. eodem titulo.*

OBSERVATIO IV.

Quod pubes minor ad Regni, vel Principatus administrationem reputetur aptus, & idoneus, non autem ad illam privatæ domus.

SUper regiminis, ac administrationis publicę Regnorum, & Principatuum, ac dominiorum permissione post expletam simplicem pubertatem anno decimo quarto expleto, & alicubi etiam incœpto, ut etiam primę classis Regnorum, ac principatuum praxis docet, & e converso super prohibitione administrationis privatę domus ante annum vigesimumquintum, sive alias ante completam minorem ętatem, eadem, ac major dignosci videtur irrationabilitas. Ubi nanque ad proprię, privatęque domus negotia peragenda, qui inhabilis a lege reputatur, ut propterea curatoris auxilio, ac auctoritate indigeat ob judicii imperfectionem, & imbecillitatem, ac etiam inhabilis reputetur ad minus publicam inferiorum officiorum, & magistratuum, vel tutelæ administrationem, tunc aliqui volunt ut ad hanc majorem administrationem minus aptus, minusque idoneus reputari debeat; Ubi vero iste usus reprehensione dignus dici non mereatur, tunc sub reprehensione cadit lex, quę in privatis, pro privatę domus administrationem, majorem, ac perfectiorem exquirit ętatem, quam in publica populorum, ac Regnorum, & principatuum desideretur, ideoque, vel in una, vel in altera specie, irrationabilitas, ac ineptia pernecesse danda est, sub Judice indecisam relinquendo quęstionem, an una, vel altera pars reprehensione digna dici mereatur.

OBSERVATIO V.

Præſentatio ad beneficium de jurepatronatus facta per pupillum, prævalet præſentationi Tutoris.

PRæſentationem pupilli prævalere debere illi, quam faciat Tutor ad beneficium de jurepatronatus, quod ipſi pupillo competat, magis communis Juriſtarum opinio tenere videtur, *a*. Verum, & id nimium irrationabile cenſendum eſt. Si etenim puero imbecilis, ac imperfecti judicii, lex ejus privatorum temporalium bonorum denegat adminiſtrationem, ejuſque actibus neglectis, illos qui per motorem geſti ſint, attendit, multo magis id procedere debere omnis humana, & legalis ratio dictat in ſubjecta materia, in qua major prudentia, majorque diligentia deſideratur in præficiendo adminiſtrationi Eccleſiæ dignum ac idoneum miniſtrum, tam in literatura, quam in motibus, aliiſque animi dotibus.

Hinc in celebri majoratus quæſtione, an major ætas per naturam ananđenda veniat, vel altera per fictionam, quæ civilis dicitur a lineæ prærogativa inducta, quando de bonorum ſucceſſione, ac adminiſtratione agitur, tunc major natu civili quamvis juniori, ac puero ex dicta lineæ prærogativa probabilior ſententia aſſiſtere videtur; Ubi vero de præſentatione ad beneficia, vel de alio ſimili actu, ſecus, ut major ætas per naturam, neglecta prærogativa lineæ, attendi debeat ratione majoris prudentiæ ad hunc effectum deſideratæ *b*. Igitur prorſus irrationabile cenſendum aſt, ut puero, qui minora denogantur, hæc longe majora concedantur, iſtaque manifeſta irrationabilitas reputanda venit.

a *diſc. 26. n. 11. de Jurepatr. ubi referuntur concordantes,*
b *diſc. 1. & ſeqq. & diſc. 201. & ſeqq. de fideicomm.*

OBSERVATIO VI.

In actibus geſtis per tutorem, requiritur præſentia, & conſenſus pupilli.

IN actibus, qui gerantur per tutores, vel actores, alioſque legitimos adminiſtratores aorum, qui in pupillari ætate conſtituti ſint; Aliqui pro aorum validitate, eorundem pupillorum præſentiam, & conſenſum exigunt; Alii vero negant, cum tali opinionum ſciſſurea, ut etiam magna Tribunalia deſuper variaverunt, modo unam, modo alteram tenendo opinionem, & quandoque articulum ita dubium, atque altioris indaginis reputando, ut indeciſum reliquerint. *a*

Hinc duplea dignoſcitur defectus, unus incertitudinis, & inconſtantiæ, alter vero major irrationabilitatis. Cum etenim in pupillo lea neget perfectum conſenſum, perfectamque judicii operationem circa velle, vel nolle, hinc non videtur, cui legali, vel naturali rationis ſtius interventus, ejuſque conſenſus neceſſitas innitaa ſit, male inferendo ab ao, quod in actu geſto per Curatorem minoris diſponitur, non reflectendo ad eam evidentem rationis differentiam, quod in minore, actus ab ipſo principali geri dicitur ſui compote, atque perfecti conſenſus capaci, cui auctoritatem ſolum præſtat curator, tanquam aſſeſſor, & conſiliarius, qui bonis potius, quam perſonæ datur; E converſo autem pupillus, juxta ſententiam Apoſtoli, ſervo aſſimilatus, omnino ſubditus eſt tutoribus, & actoribus, qui perſonæ potius quam bonis dari dicuntur, ideoque per ipſos directe, ac immediate actus geritur, quamvis alieno nomine, dum in pupillo lex velle, ac nolle negat; Et per conſequens hæc propoſitio inter irrationabiles merito collocanda videtur. *b*

a *Deciſ. 187. p. 10. rec. & in aliis relatis diſc. 35. n. 16. ſub tit. de alien. & contr. probib.*
b *diſc. 35. n. 17. & ſeq. de alien. & contra 5. probib.*

OBSERVATIO VII.

De juramento obligante pupillum proximum pubertati.

UTriuſque, canonici, ac noviſſimi juris civilis diſpoſitionem, adultum ad juratorum contractuum, ac diſpoſitionum obſervantiam obligantem *a*, Extendunt aliqui Juriſtæ, ac Morales ad pupillum, qui ſit pubertati proximus, ideoque doli, & gravis peccati capaa *b*. Veritati autem locum reſervando, quoad ea quæ internum reſpiciunt forum, de quo pro ſtylo non agitur, quoad alterum externum, ac forenſem, de quo ſolum in omnibus animus eſt loquendi, non modicam id redolere videtur irrationabilitatem, ab eadem lege tam communi, quam particulari com-

probatam. Cum etenim ob adeo exercetam hominum malitiam, nimiumque faciles, ac frequentes circumventiones, ipſiſmet adultis in minori ætate conſtitutis, de facili ob aliquam læſionem, communis lea ſuccurrat ope reſtitutionis in integrum, magis vero leges particulares pene in Italia communes ob Apoſtolicam auctoritatem juramenti vim directe tollant, aliæ vero, quæ hac auctoritate deſtitutæ ſint, indirecte illud inutile, ac non operativum reddant, ob doli, ac fraudis præſumptionem *c*. Hinc multo magis eadem præſumptio, quoties contraria omnimodæ ſinceritatis, & bonæ fidei probatio, illam non excludat, præſupponenda eſt in impubere ignorante quid agat, atque ex legis præſumptione perfectum velle, vel nolle non habente cui ſuorum bonorum adminiſtratio interdicta eſt, ideoque irrationabilis, atque humano diſcurſui, vel ſaltem nimis dura, & aſpera hæc extenſio cenſenda venit.

Fortius eandem irrationabilitatem illa comprobante ratione, quæ majoribus quoque, fortius vero minoribus eſt adaprabilis, ex temporum, ac morum varietate reſultans, quod ſcilicet quando leges, & Canones tantam vim juramento tribuerunt, tunc nimium rara, nimiumque matura, & circumſpecta ejus interpoſitio erat, ut non niſi cauſa cognita ſequeretur, atque magna ejus exiſtimatio, magnaque perjurii nota, & infamia, tam de jure, quam de facto eſſet.

Hæc autem omnia hodie ab aula receſſiſſe cernimus, adeout inconſideratam clauſulam de Notariorum ſtylo apponi ſolitam, etiam in majoribus illud redolere videatur, ut ejus vim non percipias. Igitur clarius hujus extenſionis improbabilitas comprobata remanet; ubi tamen aliquod jurantis producat præjudicium; eo etenim ceſſante, inanis eſt inſpectio ſuper juramenti operatione; dum eo etiam ſecluſo, ipſemet actus ea lege naturæ obligata ad id, quod in utilitatem verſum ſit.

a *Auth. Sacramenta puberum, C. ſi adv. vend. cap per veſtras, de donat. inter. vir. & uxor. cum concord. diſc. 29. de alien. & contr. probib.*
b *Seraph. de juram. privil. 83. n. 24.*
c *Dicto tit. de alien. & contr. probib. diſc 28. & ſeqq.*

OBSERVATIO VIII.

Minor qui ſit Juris Doctor, vel mercator, aut beneficiatus jure minorum non eſt cenſendus.

ILlam inhabilitatem, quam, ut ſupra, lex in adoleſcentibus in minori ætate conſtitutis induxit, eadem lex, aut legiſtarum magis communis ſenſus tollit, ubi de illo minori agatur, qui ſit Juris Doctor, vel Mercator, aut Beneficiatus, quaſi quod iſti pro majoribus, ac habilibus habendi ſint, ea ratione aſſignata, quod doctoratus, vel deſcriptio in matricula mercatorum, ſive collatio beneficii, illum idoneum, ac perfecti judicii declaret; Verum & id irrationabilitatem, atque ineptiam redolet, diſtinguendo ſiquidem has qualitates; quoad illam doctoratus, quamvis probabilior, magiſque recepta ſententia in iis, quæ ſunt juris, non autem facti hanc operationem illi tribuat, quaſi quod eorum, quæ in jure diſpoſita ſunt, conſcius, beneque informatus præſumatur ille, qui in eodem jure doctoratus lauream ſit adeptus; Adhuc tamen, in Italia præſertim, ob nimiam facilitatem, cum qua etiam imperiti hunc obtinent gradum, *a* inter fabulas, ac irrationabilitates id reponi meretur.

Adeo etenim iſta legalis facultas, ob tantam opinionum, & legum particularium, ac ſtylorum varietatem, involuta, incertaque reddita eſt, ut via peritiſſimis, provectiſque profeſſoribus diu in foro verſatis, prompta, & facilis hæc notitia detur; Igitur prorſus irrationabile cencendum eſt, atque communi uſui contrarium, ut illi adoleſcentes, qui imperfecti, ac imbecillis judicii reputantur, ob iſtum gradum ab omnino imperitis de facili aſſequi ſolitum, habiles, ac prudentes reputari debeant, quando particulares facti circumſtantiæ id non ſuadeant. *b*

In publica vero mercatura, quoad ea, quæ ipſam concernunt negotiationem, vera, & rationabilis, eſt propoſitio irrationabilis autem, ac inepta ratio; non etenim deſcriptio in matricula, quæ neque ubique in uſu eſt, id operatur, ſed commercii publicus favor, ac libertas, ut non perſonæ, ſed ipſius negotii fidem ſequi ſufficiat, quamvis etiam pupilli, imo infantis jus, ac intereſſe concernat, dum ſæpe contingit, ut infantium quoque, vel pupillorum per inſtitores, ac adminiſtratores negotia peragantur, cum alias deſcriptio in albo mercatorum efficere non valeat habilem,

ac perfecti judicii illum, qui naturaliter inhabilis, ac imperfectus foret, ideoque aliquorum extensio, ut etiam in aliis extra mercaturam ista minor valide contrahat, majorem continet ineptiam, ac irrationabilitatem, cum tunc dicta ratio non intret. c

In Beneficiatis quoque id generaliter, ac indefinite asserere ineptiam, ac irrationabilitatem redolet, cum attenta Canonum dispositione, illa eadem completæ infantiæ annorum septem ætas, quæ sufficit ad Clericatum suscipiendum, ad assecutionem quoque sufficiat beneficiorum, illis exceptis, in quibus ratione ministerii, certa major ætas præscripta sit; Et quamvis per Concilium Tridentinum illa pupertatis quatuordecim annorum demandetur, adhuc tamen in beneficiis de jurepatronatus ex lege fundationis eadem antiqua ætas septem annorum sufficit. d Igitur ineptum est, ac irrationabile, ut puero adeo teneræ ætatis, quinimo impuberi imperfecto, qui legaliter minor dicitur, concedatur Ecclesiæ, ejusque bonorum, ac jurium administratio, dum eidem in privatis, ac propriis bonis lex denegat, ut quemque sensus, ac discursus naturalis ad evidentiam docet.

a *disc. 35. de præminent.* b *disc. 30. de Alien. & Contract. prohib.* c *disc. 34. de Alien. & Contract. prohib.* d *disc. 95. de Benef.*

OBSERVATIO IX.

De minore asserente se majorem.

AN minor, qui se majorem asserat, ubi præsertim jurisjurandi religione istam corroboret assertionem, minorem beneficiis potiatur, necne, Juristæ, ac Morales nimium certant; Aliis affirmantibus, eo quia nemini concedendum est impugnare propriam confessionem, quæ omnem superat speciem probationis, in iis præsertim, quæ in sibi recte cognito facto proprio consistunt, propriumque sit allegare mendacium, & turpitudinem, atque exinde commodum reportare. Aliis vero negantibus, ex eo quod ex eadem imbecilitate, ac facilitate, cum qua inducitur minor ad faciendum actum præjudicialem, inducitur quoque ad faciendum hujusmodi assertionem, per quam de facili fraus fieri potest legi, quæ ita verbis potius, quam rebus imposita esset.

Utraque tamen opinio, ita generaliter, ac abstracte sumpta, irrationabilitatis vitium habet, utpote adversa prædictis rationibus, quarum ambæ in suis respective casibus veræ sunt, ideoque irrationabiles, ac inepti censeri merentur illi, & qui istam quæstionem generaliter, ac in abstracto pertractantes, unam, vel alteram opinionem indefinite in quocunque casu substinere, atque ex majori auctoritatum cumulo, cum consueto improbo labore comprobare satagunt.

Quæstio etenim facti potius, quam juris censenda est, ex facti qualitate, & circumstantiis decidenda ad favorem ejus, qui ex alterius mala fide, & calliditate læsus, ac damnificatus remaneat. Ubi etenim alteri contrahenti, vel ex aspectu, vel ex aliis probabilibus scientiæ causis nota sit, vel nota præsumenda veniat minor ætas, pro affectata vero cautela istam extorqueat assertionem, tunc ista dolum potius, ac machinationem auget, & comprobat, ideoque sibi nocere magis, quam prodesse debet; Ubi vero e converso ex aspectu, aliisque argumentis, & circumstantiis alter contrahens in bona fide versatur, justeve credere potuit, ac debuit huic assertioni, quam fecerit minor, utpote sagax, atque majori ætati proximus, adeout ex istius parte fraudis, ac malæ fidei vitium adsit; Et tunc secus, cum lex minori subveniat & occurrat, ne decipiatur, non autem ut decipiat, & fraudet, atque ita utraque respective opinio verificatur pro qualitate rationis, si qua regulanda est materia.

Ubi namque lex expressa habetur, quæ generaliter, ac præcise aliquid mandet, tunc intrat quæstio, an ratio potius quam litera, vel e converso litera potius, quam ratio attendi debeat. Sed quando ex sensu, vel ex implicita intentione legis in casu per eam non deciso, apud Interpretes promovetur quæstio cum solita, & connaturali opinionum varietate, tunc ratio principaliter inspicienda est, atque ad ejus limites formandum est judicium, non autem auctoritatum inepto cumulo studendum, sive earum literæ incumbendum, cum tunc irrationabilitas ac ineptia adesse dicantur. a

a *De minore se asserente majorem, disc. 29. de Alien. & Contract. prohib.*

OBSERVATIO X.

Quando solemnitatum observantia, vel inobservantia in actibus minorum attendi debeat.

LEge communi, magis vero locali, seu municipali, in contractibus, aliisque actibus minorum, certas statuente, ac demandante solemnitates, puta Judicis decretum, & proximiorum consensum, vel Curatoris auctoritatem; Communis superficialium schola, ad literam hujusmodi legem attendere, ac servare profitetur absque alio discursu, vel reflexione ad singulorum casuum qualitatem, & circumstantiis, ita judaico more in sola litera materiales solemnitates earumque præcisam formam attendendo, ut ubi illæ accedant, atque diligenter servatæ sint, tunc indefinite pro actus validitate judicandum sit, non curato defectu causæ, vel solemnitatum formalium, quasi quod ubi lex expresse causam non exigat, aliud quærendum non sit. Et e converso ubi forma præcisa, quamvis in modico non servetur, ut tunc actus corruat, non curato, an justam habeat causam, & an bona fides potius, altero contrahente exuberet, in ipso vero minore mala, adeout in præcisa formalitate, ac litera totum sit studium, quod etiam in contractibus mulierum, ac aliorum in quibus lex aliquas desiderat solemnitates, servari praxis docet.

Pariter autem irrationabilitatem, ac ineptiam id redolet, dum ita callidorum, & machinatorum, qui cum exacta diligentia hujusmodi solemnitates in verbis recte adimplere satagunt, factis autem legislatoris finem, ac intentionem destruunt, melior conditio redditur, cum malitia, & debravata intentio eos efficiat magis studiosos, ac diligentes; E converso autem deterior est conditio eorum, qui cum bona fide, illaque simplicitate, quam ipsa bona fides, & candida conscientia inducit, ad has subtilitates non reflectendo, veritatis attendunt substantiam, elusi potius, ac decepti remanent a minoribus, aliisque similibus, absque restituendi obligatione, quam cum hujusmodi superstitionibus, ac subtilitatibus, effugiunt, quod apertam redolet irrationabilitatem humano discursui repugnantem. Non itaque in litera, & in verbis judaico, vel pedagogico more, sed in spiritu, ac in ratione legis immorandum est, spectato scilicet fine, vel effectu per ipsam legem desiderato, & ad quem solemnitates inductæ sunt, ut ita Judice, vel conjunctis, seu Curatore minoris imperfectionem supplentibus, habeatur, ac si a majore, qui diligens, ac prudens sit paterfamilias, actus gestus esset, formalem potius, quam materialem solemnitatem spectando, & an finis, vel intentio legis impleatur, necne.

In eo potissimum ista verificari solita ineptia, vel irrationabilitate, ut nulla fiat discretio ætatis; nullave consideratio, an ille minor pupillati, vel e converso majori ætati magis approximet, juxta illam considerationem, quæ in pupillo respective fieri solet, an pubertati, vel infantiæ sit magis proximus, cum aliis circumstantiis, ex quibus inspiciendum est, an minor decipiatur, vel potius decipiat. a

a *De his d. tit. de Alien. & Contract. prohib. disc. 28. cum plurib. seqq.*

OBSERVATIO XI.

De minore delinquente, pœna ordinaria non puniendo.

REceptum est pro regula, ut minor ætas pœnas temperet, ideoque minor criminosus, illas graviores, ac ordinarias non luat pœnas, quas alias pro patratis criminibus, si major esset, luere deberet, illam præsertim ultimi supplicii, a qua ex communi practicorum sensu immunis reputatur, solumque alicubi ex particularibus legibus limitatione inducta, ubi de atrocissimis agatur criminibus pro judicantium arbitrio. Irrationabilitatem autem redolet generaliter, ac indefinite hoc assumptum attendere, præsertim vero, ubi justa superius enunciatam, vere damnabilem varietatem, quam circa hanc ætatem in Italia experimur, illa justa leges Romanorum ad vigesimum quintum protrahatur annum; sive in alium proximum, ac talem, ut alibi pro majori parte in hac Provincia major, ac perfectus pubes ille censendus veniat. Loci namque accidentalis varietas, apta esse non debet tollere delinquentis dolum, & malitiam, nullaque ratio, vel humanus discursus suadere videtur, ut qui in uno loco tanquam major ordinaria pœna pro crimine mulctari deberet, in altero adiacenti ejusdem Cœli eorundemque motuum, debeat esse immunis.

Quinimo in ipsomet loco in quo major ætas adhuc completa

pleta non sit, quemadmodum in matrimonio, aliisque similibus, malitia supplet ætatem, ita nulla suppetit ratio, qui in criminibus idem dicendum non sit, dum adeo accelerata malitia magnam in eo animo arguit malignitatem, malamque dispositionem ad majora crimina crescente ætate perpetranda, ideoque magis expedit venenosam herbam, dum adhuc tenera est, ab horto evelli, quam expectare, ut majores emittat radices, majoraque, ac irreparabilia damna inferat, potissime quia minor, ac extraordinaria pœna, illa præsertim triremium ad tempus, naturalem malitiam potius consovere, meliusque instruere solet. Diferere itaque, atque ad limites rationis, non autem in sonu verborum, & literæ, ista propositio intelligenda, & practicanda est, ubi scilicet pro facti qualitate constet, quod ex adolescentiæ furore, & inadvertentia excusabili potius, quam ex dolo, & malitia positiva crimina perpetrata sint, non autem indefinite ex sola ratione ætatis illam practicare, dum irrationabilitatem potius id redolet, attendendo principaliter rationem, ob quam lex ita disponit, non autem literam; Illæ namque leges ex quibus hoc derivat assumptum, de puerorum delictis agunt, ideoque illis congruere debent, quibus puerorum nomen, & qualitas congruit, non autem aliis, dum legaliter ita minor est ille qui decimo quinto, ac ille qui in vigesimo quarto, vel vigesimo quinto anno incompleto sit, & tamen aperta fatuitas esset istos adeo ætate dispares æqualiter tractare. *a*

a *De min. non puvien. pœna ordinaria* Farin. q. 92. Franch. *dec.* 230. *uni add.* Sanfel. *dec.* 57. Fagnan. *in c.* 1. *de constit. n.* 117. *& seqq.*

OBSERVATIO XII.

De concessione veniæ ætatis.

Disponentibus pluries enunciatis legibus Romanorum, quæ civiles communes, ad differentiam canonicarum, & particularium, seu municipalium dicuntur, ut concessio veniæ ætatis, quæ minoribus fiat, censenda sit de reservatis Imperatori; *a* Hinc Pragmatici, ac etiam Scholastici, qui in sola legum litera procedunt, hanc potestatem aliis denegant Principibus, præsertim vero illis, qui non absoluti, ac omnino independentes essent, quia nempe alium in supremum ratione feudi, vel alias recognoscant, multo vero magis denegant aliquibus subditis magistratibus, quamvis essent ex majoribus; Verum ineptiam, ac simplicitatem id redolet, non distinguendo tempora & mores; Eo siquidem tempore attento, in quo hujusmodi prodierunt leges, in toto illo Ordo, qui Romano subjacebat Imperio, unius erat supremus Princeps, Imperatoris vocabulo explicatus; Alii vero, quibuscunque nominibus, & vocabulis appellarentur, subordinati erant Magistratus, ac dependentes. Cum itaque hodie id cesset, dum hodiernus Imperator, non ubique, sed in sibi subjectis regionibus hanc solum habet potestatem, alibi vero quilibet Princeps in proprio Principatu, etiam ex illo ordine, ut ratione feudi alium recognoscat superiorem in solo alto dominio remoto, quod feudalitatem concernat, omnia possideat regalia, quamvis majora, & primi ordinis, ut propterea tantam dicatur habere potestatem in proprio Principatu, quantam antiquus Romanus Imperator in eo imperio habebat. *b* Hinc evidenter ista convincitur ineptia, vel simplicitas, ex eo præsertim, quod ut superius advertitur, per singulorum Principatuum leges particulares, minor ætas nimium immutata est, diversamque habet metam, illaque a jure positivo pendet. Ideoque si per hoc jus in totum generaliter abrogari, vel alterari potest, multo magis in casibus particularibus moderari, vel dispensari. Quinimo ubi de Principatus consuetudine, vel stilo, ista venia per aliquos Magistratus Principi subordinatos concedi soleat, illi deferendum est, cum id omnimodam non habeat exorbitantiam, vel juris resistentiam. *c* Ista simplicitate, prout, & multis aliis in magna parte derivantibus a legalis historiæ ignorantia, ita opinando, quod prædictæ leges ex imperiali obligent auctoritate, illa præsertim Justiniani earum compilatoris, ac reformatoris, in magna vero parte destructoris, ac innovatoris antiquorum morum Romanorum, & Italiæ, quem Juristæ in legislatorem, eorumque facultatis auctorem agnoscunt, ac venerantur, cum verius sit ex populorum voluntario usu, vel singulorum Principum permissione, vel mandato, illas vim legum habere. *d*

a *l.* 1. *& C. his, qui ven. ætat. cum concord. disc.* 2. *de donat. n.* 21. b *disc.* 2. *de donat. ex n.* 22. *disc.* 161. *de Regal. & alibi.* c *d. disc.* 2. *de donat. n.* 22. *& seqq.*

d *disc.* 1. *de Servit. & in annot. & d. disc.* 161. *de Regal. & alibi, ubi de historia legali.*

OBSERVATIO XIII.

De vita hominis, ejusque æstimatione ab ætate regulanda.

Deferente lege hæredi, qui legatorum onere nimium gravatus esset, quartæ partis detractionem, cui Falcidiæ vocabulum tribuitur. Cum casus frequenter præbeat, ut inter legata adsint illa alimentorum de sui natura ad vitam eorum, quibus præstanda sunt; Hinc pro hujusmodi legatorum æstimatione, dictæque detractionis regulatione, quædam præscripta est taxa ab ætate legatariorum regulanda, non quod ipsis legatariis usque ad illos limites legata præstanda solum sint, & non ultra, vel e converso, ut antea decedentes pro eo tempore quod superesset ad hujusmodi taxæ complementum, ad hæredes transmittant, sed ut ita quædam verisimilis ad præfatum effectum fiat peræquatio, bono tamen, vel respective malo eventu attento, brevioris, vel diuturnioris vitæ super legati præstatione. *a*

Ex ista vero taxa, major forte pars Juristarum infert ad æstimationem vitæ hominis, etiam in contractibus, ac juribus vitalitiis, pro justi, vel injusti pretii, sive læsionis, & injustitiæ regulatione; *b* Verum, & id irrationabilitatem, ac ineptiam evidentem redolet; Tum quia, cum ob modicam ætatem legatarii, vita per dictam legem usque ad annos triginta æstimetur, ita magnum est dare inconveniens, ut magis æstimetur res ad vitam hominis, quam in omnimoda, ac perpetua proprietate æstimari mereatur, dum ista pro regula, quæ ex moribus regionum, quandoque in pluri, vel minori limitari solet, æstimationem recipit a viginti annorum fructibus; Et tamen jus ad vitam, quod absque dubio longe minus valet, æstimandum esset pro annis triginta, quo nil absurdius, nilve irrationabilius.

Tum fortius, quoniam non uniformis est vita hominum, cujus longior, vel brevior duratio a diversitate Cœli, vel aeris, ac etiam a diversitate habitus, vel complexionis, magisque, vel minus regulati modi vivendi, ac similibus accidentibus, & circumstantiis regulam recipit, adeout frequenter unus in quadragesimo, vel in quinquagesimo ætatis anno ob malam valetudinem, vel malum habitum pro decrepito, ac morti proximo haberi mereatur, alter vero in eadem ætate pro juvene forti, ac robusto potius, cum ipse vitæ longævæ reputandus veniat; Igitur omnimodam irrationabilitatem, ac ineptiam redolet, in hac æstimatione dictam taxam, quæ ad diversum prodit effectum, diversamque habet rationem, attendere. *c*

a *l. Hereditatum, ff. ad leg. falcid.* b *Ex relatis Theatr. disc.* 30. *de regal. & disc.* 54. *de donat.*
c *in eisdem proxime citatis locis.*

OBSERVATIO XIV.

Clericus secularis, vel regularis mitius puniendus est, quam laicus pro eodem crimine puniatur.

Illa Clerico gravia perpetrante delicta, ob quæ laicus pœnæ ultimi supplicii subjaceat, mitius illum puniendum fore cum detrusione in monasterio, vel in carcere, sive in ergastulo, aut pro currenti usu in pontificiis triremibus, ex quorundam Canonum dispositione firmat communis Criminalistarum schola, ipsaque praxis docet, adeout idem insimul crimen Clerico, & laico perpetrantibus, iste furcis suspendatur, ille vero ad triremes damnetur, *a* Magnam autem irrationabilitatem, clarumque æquivocum id continet, quoniam ex utriusque Veteris, ac Novæ Sacræ paginæ divino oraculo statutum est, ut qui gravius delinquit, gravius puniri debeat, ideoque cum indubitanter longe gravius delinquere dicatur in eodem crimine Clericus, quam laicus, dum in ipso delinquendi actu sunt æquales, in Clerico vero adsunt ulterius crimina consecutiva, scandali, contraventionis, & violationis instituti, & offensionis, ac injuriæ, quam facit Ecclesiæ, ejusque ordini, hinc omnis naturalis, ac positiva ratio exigit, ut gravior esse debeat punitio.

Ad duplicem vero rationem, cui hoc innixum est assumptum, facilis est responsio, ob Canonum nempe dispositionem, & ob præjudicium, quod toti ordini resultat; Prima namque ratio vera est in abstracto, sed fallaciam habet in applicatione, quoniam Canones ita disponunt, non quia velint Clericos in hoc magis privilegiare, cum præsumendum non sit, ut ita præfato divino oraculo contradicere velint sive quod ita Clericos, quos ad magis honestam vitam

arctant,

arctant, cum hac securitate exemptionis a gravioribus pœnis, ad delinquendum velint allicere, quorum utrumque magnum continet absurdum, utique in sacris Canonibus non admittendum, sed eo quia diriguntur ad forum spiritualem, qui non agit causam sanguinis, neque ultimum practicat supplicium, tam cum Clericis, quam cum laicis, demandant vero degradationem, qua secuta, tanquam ex immutato, atque cessante statu clericali, nulla inter unum, & alterum delinquentium genus remanet differentia, ideoque forus sæcularis omnes pariformiter punit. Et quoad alteram rationem præjudicii ordinis, consultum remanet cum enunciata degradatione, ob quam non consideratur amplius tanquam clericus; Ac etiam quia facile est huic inconvenienti occurrere cum modo minus ignominioso, minusque publico, sed occulto, graviori tamen si possibile est, ut præfatæ alteri nimium convincenti satisfiat rationi, ut qui gravius delinquit, gravius puniatur.

Ea quoque nimium considerabili accedente ratione, ob quam error est cum antiquorum Canonum litera procedere, quoniam eo attento tempore, in quo Canones prodierunt, nimium rarus erat Clericorum numerus, eorumque vivendi modus valde diversus, ac propterea nimium rara erant crimina, ex quibus publica quies, ipsaque Respublica gravia, & frequentia pateretur præjudicia, de præsenti vero hæc ratio cessat ob adeo excretum eorum numerum, longeque laxiorem vivendi modum sæcularium more, ac propterea clarius enunciatur verificatum absurdum detestabile, ut ita ob assecurationem a graviori magis formidata pœna capitis, ad delinquendum Clerici alliciantur.

Quinimo juxta modernam praxim antiquis Canonistis ignotam eos demandandi ad triremes (cum antiquorum Canonum pœna detrudendi in monasterium ob Clericorum copiam, ac immutatos mores, immutatumque monasteriorum statum non sit practicabilis,) majus id producit toti ordini dedecus, & præjudicium, dum longe magis incongruis sæcularem, vel regularem Clericum, qui Ordinum præsertim sacrorum characterem adhuc retinet cum sola suspensione, vel inhabilitatione exercitii, publice, & continue remi in triremi eam adeo ignominiosam, ac infamem vitam, cum tot infamium, ac perditorum hominum, imo infidelium conversatione ducere, sæcularium quoque assiduis percussionibus, & fustigationibus subditum, quam si ab Ordinibus degradatus, ut propterea Clericus, vel religiosus amplius non mereatur dici, sæculari tradatur potestati, legem ei tradendo super eo modo, sive super illa publica ignominia, quæ Ordini præjudicialis esse possit, non autem super substantia punitionis; Idaoque iste recenseri meretur inter Claros errores populares a pluries enunciato fonte derivantes, attendendi leges in litera, non autem in spiritu, vel in ratione, eo modo quo alter practicabatur error nunc agnitus, ut loco privilegiandi Clericos, deterior esset eorum conditio circa modum mortis, ut laqueum potius, quam ferrum pati deberent.

a Farine. *quæst.* 119. *& alibi*.

OBSERVATIO XV.

Christianus Christianum non facit, neque retinet servum. Et de Romani populi jure donandi libertati servos, qui Capitolium ascendant.

QUamvis a jure gentium, sive ab omnium nationum antiquo usu prodiisse bella, & per consequens servitutes, Romanorum leges asserant, aut propterea in bello victi, & capti, victorum, atque capientium efficiantur servi, naturalemque amittant libertatem, ut in sacra Veteris Testamenti pagina in Hebræorum, & Philistæorum bellis, aliisque similibus, ac etiam in prophania historiis legitur; Apud christianæ fidei cultores tamen generica inolevit consuetudo, ut victi in bello, quod inter eos peragatur, detineantur quidem victi, ut ab eis se redimant eo pretio, quod personarum qualitati proportionatum sit, vel, & frequentius, ut victorum hinc inde pro belli legibus, & stylis permutationes fieri valeant, naturali tamen libertate, ac ingenuo statu adhuc retentis, ut servi non efficiantur, ideoque prædicta invaluit propositio, quod Christianus Christianum servum non facit, nec retinet, cum præsupposito, quod de publico bello inter ejusdem religionis Principes, vel populos agatur, juxta Christianorum Principum pene connaturalem nimium deplorabilem conditionem, ac usum.

Quamplurium vero Juristarum, ac Moralium simplicitas, ex consueto derivata fonte procedendi in litera, vel in superficie, illam assignat rationem, quod a Christianæ fidei charactere id derivet, eo quia Christus a diaboli servitute fidelium genus redemerit, ac liberaverit; Verum in hoc ineptia dignoscitur, quoniam si ita esset, exinde sequeretur, quod ubi infideles naturales hostes Mahumetanæ superstitionis cultores Christianorum servi effecti sint, Christianam vero suscipere velint Religionem, ac fidem, libertati donarentur, cujus contrarium docet praxis, & merito, cum revera consuetudo præfatum percutiat casum belli, quod inter Christianos Principes, vel populos peragatur, & qui accidentaliter inimici potius, quam naturales hostes dicuntur, ac propterea in ipso capturæ, vel victoriæ instanti carceratio solum permittitur, non autem servilis status contrahitur; Alias etenim infideles, ac hostes, ita de facili victores eludere possent, Christianæ fidei susceptionem simulando, ut ita libertati donati ad patrios lares, atque ad antiquam superstitionem regredi valeant, iterumque hostiliter militare, ideoque merito hæc simplicitas ex communi sensu, & praxi reprobata est, atque irrisione potius digna reputatur, utpote clatam redolens ineptiam.

Major autem dubitandi ratio in eo dignosci videtur casu, in quo in maritimi, vel terrestris belli conflictu cum infidelibus, illi capiantur Christiani, qui voluntarie pro eisdem infidelibus militent, adeout non sint de illis, qui tanquam infidelium servi cogantur inviti ad eorum operam præstandam, & quibus dominantium succumbentia, victoriam, & consolationem potius producit, ut a misera liberentur servitute, sed sint de iis, qui militum, atque pugnantium personam gerant, an pariformiter eo modo, quo ipsimet infideles tractandi sint, ut servi efficiantur, præsertim vero ubi (ut pro frequentiori praxi contingit) schismatis infectione laborent, magis vero ubi laborent altero apostasiæ a fide, ipsorum infidelium suscepta superstitione.

In hoc ita jure casu forte magis communis sensus adhuc servilem negat statum, dictumque credit intrare assumptum, ut Christianus Christianum servum non faciat, neque retineat. Verum irrationabilitatem, imo asperitatem, tam Christianis Catholicis, quam etiam ipsismet captis nimium præjudicialem sensus iste redolet, cum ita claudicationi infidelibus favorabili fieret locus, quoniam bellum cum nostris fidelibus habentes, schismaticos, vel apostatas ad bellandum adhiberent, utpote a captivitate tutos, a qua e converso nostri exempti non sunt; Ac etiam quia populares, ac inferiores personas, quas absque probabili spe honestæ, ac utilis redemptionis in vinculis retinere non expedit, trucidare oporteret. ita nostris tollendo utilitatem, hostibus vero majus inferendo damnum trucidationis, ideoque inter ineptias, ac irrationabilitates id reponi meretur, ob idem vitium procedendi in litera, vel in superficie, ac generalitate, non autem in ratione.

Eo excepto casu, quod de illis agatur Christianis, qui ab infidelibus in captivitatem in infantili ætate redacti, in eo statu seducti, vel etiam in adulta ætate per vim, & metum, qui in constantem cadat virum, a Christiana religione apostatantes, illico quod ad partea, ac potestatem Christianorum redeant, errorem vere agnoscant, atque pœnitentes illam abjurent sectam, ac reintegrationem petant, quando in fraudem affectate id fieri probabilis non urgeat suspicio; ideoque facti potius est quæstio ex singulorum casuum qualitate decidenda. *b*

Cumque Romani populi magistratus ex Senatore, & Conservatoribus constitutus servos Capitolium adeuntes libertati donet; *c* Hinc antiquæ hujus populi potestati, atque antiqui celebris Capitolii dignitati superficiales id referunt; Verum & in hoc eadem, quæ in omnibus, dignoscitur ineptia eorum, qui in litera, vel superficie ambulant, non distinguendo tempora; dissolutum namque jam diu est Romani populi antiquum Imperium, moderni autem potestas ad civiles subordinatum, & œconomicum privatum ipsius Romanæ Civitatis, ejusque suburbiorum intra illud spatium, cui districtus vocabulum tribuitur, est restricta, ideoque non proprio, & antiquo juri, quod adhuc retineatur, sed pontificiæ prophanæ, vel sæculari id referendum est potestati, ut propterea intra temporalis pontificiæ ditionis terminos vim, ac observantiam id habeat, cum spiritualis Christi vicaria auctoritas non intret, & per consequens male cum iis, qui Romani cives, vel incolæ non sint, vel saltim præfatæ temporalis ditionis subditi, hæc potestas exercetur, ut jus dominicale tollatur iis, qui proprii non sint subditi.

a *Instit. de jur. nat. gen. & civ.* §. 2. b *disc.* 182. *de regal. ubi de hac materia*. c *disc.* 37. *in relat. cur. in fin.*

DE

DE RERUM DIVISIONE, ET ACQUIRENDO DOMINIO.

OBSERVATIO XVI.

De bonorum dominio, & de pecuniarum, & contractuum introductione, & de antiqua hominum communione.

INter quamplures fabulas, quas Græcia somniare, nimiumque colere professa est, illa omnium forte major censenda venit, quam tamen pro infallibili, ac certa historia, & veritate pro majori parte Juristæ, & Morales, ac etiam illi qui humanarum literarum, & eruditionis, ac politicæ se credunt professores, nimium venerantur, quod scilicet antiquis primævisque temporibus hominum vita solitaria, & omnino incivilis, & rustica silvestrium ferarum ad instar esset, postmodum vero paulatim inter eos, quadam societate, & communicatione contracta, efformata esset Respublica, cum omnimoda communione vitæ ac bonorum, adeout nulla dignosceretur dominiorum, vel mei, & tui distinctio, nullæque proinde inter homines adessent privatæ, vel publicæ dissensiones, & discordiæ, & de consequenti in Mundo non adessent justitiæ, & leges, ac magistratus, & lictores, aliique justitiæ ministri, utpote non necessarii in ea ætate, quam iidem fabulatores auream appellant. Deinde vero hominum crescente malitia, dominiorum, ac mei, & tui introducta sit distinctio, quæ publicas, privatasque produxerit discordias, ob quas Juppiter e cœlo justitiam in terram mittere decreverit, atque pro ejusdem justitiæ ministris, leges, & magistratus, ac lictores creati fuerint, istam antiquam societatem, omniumque bonorum communionem ad plures effectus, tam Juristis, quam Moralibus, ac Politicis, & aliis certam præsupponentibus, præsertim in casu necessitatis ex hac ratione licitum asserendo furtum necessitati proportionatum.

Huic autem fabulæ, alteram quoque annectunt consecutivam, ut post hanc distinctiones dominiorum introductionem, ultra secuta sit prius ignoti usus pecuniarum auri, & argenti, vel æris, aliæve similis materiæ, ac propterea ignoti essent contractus, præsertim vero ille emptionis, & venditionis, qui sine pecunia tanquam certo pretio non datur, ideoque prius haberetur solum ille permutationis, istum appellando de jure gentium, alterum vero de jure civili, sive ambos de utroque jure gentium, unum antiquiorem, alterum vero recentiorem post dictam introductionem pecuniæ, quæ a Regibus, & Principibus facta est.

Manifestas autem fabulas, ac ineptias, irrisione quidem dignas, hæc omnia continent, ac majori vero irrisione digni censendi sunt moderni literariæ Reipublicæ professores, & Cives, qui eis credunt, easque confovent, quam illarum inventores, atque primi cultores reputari merentur, dum ultra id, quod ad sensum comprobat ipsa natura, omnes tam sacræ, quam profanæ historiæ, præfatis inventoribus, aliisque antiquis sequacibus ignotæ, per quamplora sæcula antiquiores, & prius quam hujusmodi Græcorum somnia prodirent, hanc fabulam ad evidentiam convincunt.

Attento siquidem prius (ut Christianos ex obligatione decet) certo, ac infallibili veteris sacræ paginæ testimonio, in ipsamet primorum parentum creatione exorta est dominatio, dum prima verba, quæ a Deo cum eis prolata fuerunt, illa sunt, ut dominarentur bestiis terræ, & piscibus maris, ideoque illico natum est dominium, eodemque tempore exorta lex, ne de ligno vetito comederetur, atque ad horas prodiit punitio pro executione justitiæ ob contraventionem cum detecta nuditate, & cum expulsione a paradiso, ac injunctione pœnæ mulieri doloris in partu, & viro in comestione panis in sudore vultus, ob spinas, ac tribulos a terra producendos.

Atque inter eorundem primos filios Cainum, & Abelem, quorum unus fuit agricola, & alter pastor, dignoscebatur etiam distinctio professionum, ac dominiorum, ob quam exortæ sunt æmulationes, & discordiæ, quæ fratricidium produxerunt, ipseque fratricida semper continuo timore correptus, ac profugus vixit, civitates etiam munitas ob timorem ædificando. Igitur si a mundi initio dominiorum distinctio, ac labor, & dolor, & civitatum constructio, & æmulationes, ac homicidia fuerunt, nescitur quale fuerit istud tempus aureæ ætatis, quod a dictis fabulatoribus somniatur, & quinam fuerint illi homines, qui prius silvestrem, ac solitariam duxerint vitam, deindeque in communione sub aurea ætate vixerint.

Prout eandem sacram paginam prosequendo, juxta antiqui Orbis continuationem, usquequo per diluvium illius pene innovatio secuta est, non videtur quomodo dari, vel excogitari valeat casus, adeo magnæ corruptionis omnis carnis, ob quam Deum pœnituit fecisse hominem, ac propterea totum Orbem cum aquis diluvii destruere decrevit, nisi distinctiones dominiorum, ac oppressiones, quas potentes faciebant minus potentibus, necnon usus pecuniarum haberentur, dum sine his non de facili sunt practicabiles luxus, ac morum corruptelæ; Et quomodo sine istis, ac sine contractu emptionis, & venditionis potuisset Noe intra spatium annorum centum, cum tot artificibus, tantaque materia construere majus navigium, quod unquam fuerit, vel futurum sit in mundo.

Post diluvium vero, attendendo antiquiora acta Abraham, inter ipsum, & Loth nepotem ex fratre aderat dominiorum distinctio, quæ rixarum, & inconvenientium causa fuit inter unius, ac alterius pastores; Eodemque tempore supponuntur jam Reges potentes, ac divites invicem bellantes, necnon favores aulæ cum divitiis, quas formosæ uxores, vel sorores, etiam juxta nostra tempora producerent; Et in Isaac ejusdem Abrahæ unico filio, habetur famulatus cum Laban socero divite, necnon inter ejusdem Isaac filios Jacob, & Esau leguntur distinctiones dominiorum cum fraternis æmulationibus, & cum jure primogenituræ: Eædemque æmulationes, & invidiæ in filiis Jacob cum Josepho eorum natu minori, quem vendiderunt pro viginti argenteis Madianitis negotiatoribus; Ergo ex tunc aderat usus argenteæ pecuniæ, atque aderant negotiatores, necnon aderat contractus emptionis, & venditionis, ut etiam liquet ex altera pecunia asportata per eosdem fratres in Ægyptum pro emptione frumenti, cum tot aliis actibus in eadem sacra pagina enunciatis; Et tamen hæc omnia per quamplura sæcula secuta sunt, priusquam præfati fabulatores Græci, miserabilium insularum Archipelagi incolæ, hujusmodi somnia scriberent.

Atque ubi, neglecta sacra pagina, prophanas historias attendere velimus, utpote forte majoris auctoritatis apud eos, qui nomine tantum, non autem re Christiani, dictarum fabularum professores, & cultores esse satagunt. Longe antequam dicta somnia scriberentur, vel quod Græcorum nomen Mundo pateret, habentur magnæ, ac potentissimæ monarchiæ; Assiriorum, seu Chaldæorum, Ægyptiorum, Medorum, & Persarum, magnique leguntur thesauri Semiramidis, aliorumque Regum ex auro, & argento, & gemmis conflati, & reconditi, neque videtur quomodo tam ingentia bella in remotissimis regionibus peragi potuerint absque usu pecuniæ, quinimo absq; usu cambiorum per literas, aliaque media, quæ hodiernis temporibus habemus; Et per consequens, etiam cum personis historiis ad evidentiam ista fabula convicta remanet, atque clara resultat Juristarum, ac aliorum ineptia, & simplicitas procedendi cum hujusmodi fabulosis assumptis antiquæ vitæ communis, atque accidentalis introductionis dominiorum, ac usus pecuniarum, & contractuum per jus gentium, vel civile respective, cum illorum distinctione per prius, & per posterius, quodque aliqui essent de jure gentium, aliqui vero de jure civili; unde his præsuppositis, ad ea inferatur, quæ Reipublicæ regimen, ac justitiæ administrationem concernant. Ipsa namque natura ex quotidiano experimento docet, quod etiam infantes meum, & tuum distingunant, atque frequenter de hoc certent.

a *disc. 170. de regal. ubi de depredationibus, & represaliis.*

OBSERVATIO XVII.

De acquisitione dominii jure belli per viam depredationum, & represaliarum, & simili.

SUper hoc themate non infrequentes dignoscuntur ineptiæ, ac irrationabilitates, quales (ut alias animadvertitur) ita adesse dicuntur, quando admittatur id, quod probabili ratione destitutum admitti non debet, sicut e converso, quando absque probabili ratione negetur id, quod debet admitti, ac propterea asperum, ac irrationabile reputetur id, quod revera tale non sit; Scandalum itaque superficiales concipiunt, cum legalibus propositionibus procedendo, quæ in privatis, & civilibus controversiis habentur, ut illius Principis, cum quo actuale bellum habeatur, innocentium, & pacificorum subditorum bona deprædentur, vel in eis represaliæ committantur, quasi quod isti pro alienis culpis absque proprio delicto has pœnas luere non debeant. Verum hæc ineptia est, quoniam in iis, quæ ad publicum pertinent bellum, ac principatus politicam admini-

stra-

strationem, consuetudo potius attendenda est, non autem super iis immorandum legalibus regulis, & propositionibus, qui privatos, vel civilem ejusdem Reipublicæ, ac principatus administrationem concernunt. *a*

Non minor item dignoscitur inepria in iis, qui cum antiquatum legum Romanorum, vel Græcorum litera, idem jus belli circa postliminium, aliasque contingentias regulare satagunt, ideoque magnas involvunt quæstiones, magnamque ostentare affectant eruditionem antiquitatum, & quid per antiquos Græcos, & Romanos, ac similes servaretur, dum pariter cum currentibus regionum, ac principatuum adeo immutatis moribus, non autem cum jam antiquatis, atque per multa sæcula sub oblivione sepultis procedi debet, ideoque irrisione quidem dignus censendus est ille plausus, quem a superficialibus hujusmodi labores, & scripta recipiunt.

Omnium vero major in iis, quæ ad civilem, vel contentiosum, aut politicum exteriorem forum pertinent (integro selicto loco veritati in iis, quæ pertinent ad interiorem, de quo propositum non est agendi, illa dignoscitur ineptia, quod in privatis militibus, qui jure belli deprædationes, vel alias acquisitiones ab eodem jure pro regionum moribus permissas faciunt, vel in illis privatis, qui ex onerosa, & correspectiva, vel etiam gratuita concessione, bona, & jura acquirunt ab ipso Principe belli auctore, & victore, ejusque ducibus, & ministris necessitatem præsupponunt inquirendi belli justitiam, vel injustitiam, quam plerique inquirendam esse quoque credunt a militibus, ad hoc ut eis militare liceat, vel a subditis, ut subventiones proprio Principi præstent, cum similibus frigiditatibus irrisione potius dignis, dum privatorum non est, Principum arcana perscrutari, quæ neque conjunctis, vel intimis familiaribus communicari solent. Ob tot etenim dominiorum, ac statuum revolutiones, quas historiæ docent in nostræ communicationis orbe Christiano, prorsus impracticabile est injustitiam notoriam convinci, atque ubi de illo agatur supremo Principe, qui jus indicendi publicum bellum habent, tunc justitia per privatos subditos, ac milites potius præsumenda est, tyrannidis notorietate in communi fidelium infideli hoste, & tyranno solum cadente. *b*

a *disc. 170. de regal. ubi de depradationibus, & represaliis.*

b *disc. 58. de feud. & d. disc. 70. de Regal.*

DE LEGIBUS, ET CONSTITUTIONIBUS, AC DOCTORUM AUCTORITATIBUS, OBSERVATIO XVIII.

Quale sit jus immutabile, quod indispensabiliter omnes liget, qualeve mutabile, & quales sint ejus species: Et de erroribus desuper cadentibus.

EAs, adeo frequenter enunciatum jus Romanorum, quod commune civile dicitur, tradit juris species, ac distinctiones, ut aliud sit jus naturale, aliud gentium, aliud vero civile. Naturale dicendo, quod nedum hominibus, sed etiam terrestribus, ac aereis, & aqueis irrationabilibus animalibus est commune, atque hinc descendere dicitur maris, & fœminæ conjunctionem, quæ matrimonii vocabulo explicatur, necnon liberorum procreationem, & educationem. Gentium vero illud dicitur, quod omni humano generi est commune, unde bella, & servitutes, atque contractus prodiisse fertur. Civile autem quod quisque populus, vel quælibet Civitas pro ejus moribus, ac opportunitate sibi statuit. *a*

Non mirum itaque si ejusdem Romanorum juris recentiores interpretes, qui post ejus diuturnam septem circiter sæculorum sepulturam scripserunt, nimiumque in obscuro pro illorum temporum conditione ambularunt, in tot inciderunt simplicitates, & æquivoca circa obligationem alendi, vel dotandi filios, aliosque descendentes, aut parentes, eisque respective legitimam in morte relinquendi, ut juris naturæ ista esse dixerint, ideoque per jus positivum tolli non posse, cum pluribusque similibus simplicitatibus, dum ita dignoscitur, quod etiam in adeo potenti antiquo Romano Imperio, quando literaria Respublica longe magis florebat, quam de eo tempore, in quo primi Juristæ eadem literaria Republica pene mortua, scripserunt, atque in ipsorummet antiquorum Jurisconsultorum, quorum responsa pro legibus attendimus, & tanquam oracula veneramur, connaturale pabulum erant hujusmodi simplicitates, & æquivoca.

Manifestam siquidem ineptiam redolet assumptum juris civilis, cum cujus præsupposito proceditur (reliquendo locum veritati super iis, quæ fides, & Theologia docent satione sacramenti,) ut omnis ea maris, & fœminæ conjunctio, ad quam natura impellit, matrimonium dici debeat, quoniam ita omnes actus fornicarii, quantumvis illiciti matrimonium importarent, ac etiam si juris natura immutabilis esset, non potuissent antiquæ leges humanæ, vel civiles concedere divortium, vel repudium, quoniam non conceditur hominibus facultas derogandi legi naturæ; Minusque lex humana ecclesiastica, quam canonicam dicimus, certam formam præscribere potuisset, qua non servata matrimonium abesse dicatur, quamvis conjunctio secuta sit; Ac etiam pontificia potestas ratum non consummatum matrimonium dissolvere non posset. Illa namque consummati matrimonii dissolubilitas, quæ apud Catholicos viget, atque recepta est, a divino scripto jure ea vinculo religionis manat.

Prout si ea indispensabili gentium jure, ut ista lex dicit, bella, & servitutes provenirent, quodque omnes, qui jure belli capiuntur, servi esse deberent, minus illa potuisset induci non scripta lex universalis, ut christianus christianum non habeat servum, neque legitimam, ac alimentorum obligationem, vel educationis prærogativam ipsa positiva lex tollere posset, cujus contrarium verius, magisque receptum est, cum similibus. Atque si natura omnes ad filiorum alimoniam, & educationem cogeret, hinc sequeretur, quod nulli parentes, in viis, vel in xenodochiis, & orphanotrophiis parvulos exponerent, vel quod eos necarent, aut alias desererent; Et tamen contrarium frequens, & quotidiana docet praxis.

Ipsaque lege dicente, quod illud sit jus gentium (naturale quoque secundarium appellari solitum) quod omnes gentes pariformiter afficit, hinc sequi deberet, ut in bellis, & servitutibus, ac in contractibus, & aliis, quæ istius juris esse dicuntur, uniformes esse deberent leges, & mores Africanorum, & Asiaticorum, ac Indorum, ac etiam Europæ antequam civilitas in hac parte introduceretur; Sive quod iidem essent Christianorum mores, & Turcarum, & Persarum, Tartarorum, Chinensium, & Indorum, aliarumque similium nationum, cujus tamen contrarium pariter inconcussa praxis docet.

Hinc propterea, capiendo jus pro ea lege, quæ ad Reipublicæ directionem, atque civilis vitæ cultum cum vi coactiva ligat, chimericæ potius, ac ideales istæ naturales, vel gentium leges censendæ videntur, cum nullibi scriptæ legantur, ut earum inspici valeat tenor, nullosque habeat glossatores, & interpretes, neque illarum habeatur legislator, cujus inspici valet potestas quanta sit, sed est quidam loquendi modus, ad denotandum quendam naturæ stimulum, vel impulsum, qui a professata religione, atque ab educatione, ac moribus regionis potius derivatus, nobisque ab infantia ex parentum traditione insitus est, sive quod nostræ communicationis populis civilibus quamvis sub diversis vivant Principibus, vel legibus, magis commune sit, ideoque magnus in hoc simplicitatum, & æquivocorum dignoscitur cumulus.

Vera itaque juris præcisi, obligatorii cum vi coactiva (sine qua inanis ejus existentia remanet) ea est apud catholicæ fidei cultores distinctio, ut aliud sit jus Divinum, quod in utriusque veteris, & novi Testamenti Sacra pagina legitur, vel ex Apostolorum, & Discipulorum Christi traditionibus ab eodem divino oraculo derivatis, Ecclesia tanquam tale recipit, ac declaravit, & quod promiscue naturale quoque dicitur, vel continet, ita Deo declarante, qualia sint per ipsum conditæ naturæ præcepta; Aliud vero positivum, vel humanum ecclesiasticum, quod canonicum etiam dicitur, seu Pontificium, in iis tamen quæ spiritualia concernunt; Et aliud civile positivum, vel humanum, idest prophanum, seu laicale, sub quo illa quoque juris pontificii pars venit, quæ temporalis Ditionis Ecclesiæ prophanum regimen concernit; Istæque posteriores species Canonici, & civilis, communes dicuntur ad differentiam juris localis, vel particularis, ut propterea sub communis civilis nomine illud Romanorum in rebus indifferentibus veniat. In feudis vero illud, quod ex consuetudinibus feudalibus constat.

Ea quoque in locali, vel particulari civili, seu laicali jure constituta differentia, ad quam eadem enunciata simplicitas reflectere non solet, quod nempe aliud est jus, quod a supremo Principe, sive a Republica, quæ superiorem non agnoscat, pro toto principatu, vel ditione conditum sit, & aliud illud quod quilibet populus subditus pro ejus moribus sibi constituat, ut istud posterius, sub municipalis, vel

statu

statutarii nomine proprie veniat, atque odiosum reputetur, strictæ, ac rigorosæ intelligentiæ subjectum, ubi a communi jure exorbitet, non autem alterum, quod a supremo Principe, qui in proprio principatu Imperator dicitur, vel a Civitate non recognoscente superiorem supremi principatus jura habente, & exercente conditum sit, cum istud in eo principatu, vel ditione pro communi habendum veniat, magisque privilegiatum, atque favorabile sit, quam commune Romanorum, atque in hoc frequens dignoscitur Pragmaticorum ineptia, & æquivocum, ut generale ejus principatus cum particulari jure municipali confundatur, ac pariformiter tractetur.

Ex his autem speciebus, prima juris divini omnes pariformiter afficit; illudque immutabile est, ut ei humana potestas non deroget, neque dispenset, aliæ vero omnes in scriptum, & non scriptum respective, distinctæ, humanæ subjacent potestati, ac derogationi, vel dispensationi pro diversis potestatibus, ut ecclesiasticum nempe pontificiæ, prophanum vero, seu civile laicali subjaceat potestati. *b*

a *§. 1. & seq. instit. de jur. nat. gent. vel. civ. ubi DD.*
b *disc. 35. de judic.*

OBSERVATIO XIX.

De Jure communi civili Romanorum, an ejus usus, & observantia Imperiali referenda sit auctoritati, vel alteri causæ: Et de ejus historia; Et an leges moderno tempore super addita attendi debeant, atque legis vim habeant?

IStud jus, quod ex Prætorum edictis, & ex Plebiscitis, ac Jurisconsultorum responsis, necnon Imperatorum constitutionibus constat, ad eam quam habemus formam ab Imperatore Justiniano redactum, sive quod hæc forma longe antea præparata, sub eo completa sit, sub Digestorum, Codicis, Institutionum, & Authenticorum, vel Novellarum vocabulis nuncupata, ut in illa civilis Orbis parte, quæ cum eo vivit, ea ejusdem Justiniani auctoritate servetur, magna superficialium pars credit, ejus casualis modernæ inventionis historia omnino ignota; Illi vero qui hujus historiæ notitiam habent, imperiali pariter auctoritati Lotharii, vel alterius moderni Imperatoris Occidentis, qui post inventionem illud publicari mandavit, attribuunt.

Utraque vero opinio æquivoci, ac ineptiæ redolet vitium; illæ namque occidentalis Europæ partes, vel provinciæ, quæ istius juris usum, ac observantiam hodie habent, in enunciati Justiniani temporibus, alieno subjacent Gothorum, & Vandalorum, aliarumque nationum imperio, illaque Italiæ pars, quæ expulsis Gothis ejusdem Imperatoris auctoritati subjacebat, ad nimium breve tempus in eo statu perseveravit ob superventam Longobardorum invasionem, ideoque istæ leges, vel nullatenus receptæ, & practicatæ, vel ad modicum tempus, sepulturæ, ac oblivioni septem circiter sæculorum traditæ fuerunt, casualiter postmodum inventæ de tempore, quo Romanum orientale Imperium in hac Orbis parte ob erectionem alterius Imperii occidentalis, deinde secutam, omnino ignotum, nulliusque in his regionibus auctoritatis erat, & per consequens manifesta remanet ineptia illorum, qui hujusmodi legum usum præfati Justiniani, vel alterius antiqui Imperatoris Orientis auctoritati referunt.

Neque minor est ineptia illorum, qui hanc agnoscentes veritatem, id referunt auctoritati alterius moderni Imperatoris Occidentis, de cujus mandato post enunciatam inventionem publicatæ præsupponuntur, quoniam exceptis illis Germaniæ partibus, in quibus hujus Imperatoris omnimoda, & immediata est potestas, ac administratio, in aliis regionibus, & provinciis, quæ proprios independentes habent supremos Principes, ea nulla est; Quinimo etiam in iis, qui jure feudi majoris, ac veræ dignitatis aliquam ab eodem habeant dependentiam, ac subjectionem, adhuc tamen jura supremi principatus cum jure condendi, ac dissolvendi leges habeant; id fabulæ speciem habet; Si etenim ita esset, non possent Principes in eorum principatibus hujusmodi legibus, utpote ex majori imperiali auctoritate proditis derogare, vel dispensare, cujus contrarium verius, magisque usu receptum est, ideoque populorum usui, ac respective singulorum Principum permissioni, vel ordinationi referendum est. *a*

Ad hæc autem nimium reflectendum est, non autem ut cum præmissa ineptia, vel simplicitate ambulandum sit ad quamplures effectus, ad quos ea venit habenda consideratio, quod cum istæ leges post tot sæcula, postque omnino immutatos mores ex populorum usu habeantur, hinc ad recentium, atque currentium morum limites illæ intelligi, atque practicari debent, non autem earum literæ, vel grammaticali significationi famulandum est, unde tot manant irrationabilitates, & asperitates, ac ineptiæ, in ea præsertim, quod particularium, seu municipalium legum super successionibus intelligentiam, ac praxim respicit, ut in successionum materia advertitur.

Inanis propterea pro forensi praxi labor ille magnus censendus est eorum, qui græcas aliquas leges, & constitutiones imperiales, vel Jurisconsultorum fragmenta colligere professi sunt, atque in antiquis hujusmodi legum voluminibus novas inserere constitutiones, aut veterum observato emendationes, vel facere suppletiones; id etenim quidem, nimiumque commendabilis academicæ eruditionis est argumentum, sed pro legali auctoritate inutilis est labor, ex insignata ratione, quod illæ tantum leges attendi debent, quas antiquus recipit usus, a quo earum tota pendet auctoritas.

a *de his, atque de legali historia, disc. 1. & de servitut. & in annot. & disc. 161. de Regal. & alibi pluries.*
b *d. disc. 2. de servit. & in ejus annot.*

OBSERVATIO XX.

Leges, Constitutiones, edicta, necnon sententias, & decreta, aliaque acta judicialia, ac etiam humanos viventium, & morientium actus, an oporteat lingua latina, vel potius congruat materna ordinaria?

CIvilibus Romanorum pluries enunciatis legibus disponentibus latinam linguam adhibendam esse; *a* Hinc superficiales pragmatici, qui de more, discursu, vel ratiocinio neglecto, vilissimæ literæ famulantur, istam linguam etiam hodie adhibendam esse credunt, ac laudant, Verum tam in legibus, ac edictis, quam in sententiis, aliisque actis judicialibus, magis vero in viventium, vel morientium conventionibus, ac dispositionibus, aliisque actibus extrajudicialibus, ineptiam, ac irrationabilitatem id redolet, quoniam omni ratione, omnique humano discursui nimium repugnat, ut ad amissionem vitæ, honoris, ac bonorum obligare debeat observantia illarum legum, sive illorum edictorum, vel mandatorum, quorum tenorem, ac vim non percipiunt illi, qui observare tenentur. Sive quod obligatus quis esse debeat ab illa conventione, illisque pactis, & clausulis, quæ ignorat, ac intelligit. Vel quod Notarius, aut alter testamenti scriptor, potius quam ipse testator disponat, dum ita testatori ignorat, quid in dispositione contineatur; contra ejusdem legis expressam prohibitionem, ut unus pro altero testetur; Atque in hoc quoque dignoscitur nostrorum majorum ineptia, vel simplicitas ex eodem consueto derivans fonte attendendi in literas leges, ut supra disponentes, ut lingua latina loquendum sit, cum potius id ad evidentiam præfatum convincat abusum; Ideo namque lingua latina loquendum esse decernitur, quia materna, & naturalis illa tunc erat, quam omnes percipiebant, prohibendo ne adhiberetur lingua græca artificialis, quam tunc soli eruditi callebant, & profitebantur, eodem adamussim modo, quo nunc est latina discrete, ad italicam, seu aliam maternam, seu vulgarem. In spiritualibus tamen laudato Ecclesiæ usu. *b*

a *l. sed si pupillus, §. de quo, ff. de instit. act. l. 1. §. de quo, ff. de verb. obl. §. interdum, Instit. eod.*
b *disc. 35. de judic. & in opere, cui titulus est, il Dottor volgare, in proœmio, magis autem ex professo in discursu edito pro defensione linguæ Italicæ post opusculum Episcopi Practici.*

OBSERVATIO XXI.

De Legibus feudalibus ex qua ratione vim habeant legum, & ubi servanda sint.

SCriptæ leges istæ non sunt, quæ aliarum adinstar certum habeant Legislatorem, cujus auctoritas ad observantiam cogat, adeout sit jurisdictionis, ac potestatis effectus, cum revera consuetudines incertum habentes initium illas esse dignoscatur, adhuc sub Judice vigente lite, cum consueta opinionum scissura, an ab antiquis Romanis, vel a Longobardis, aut a Germanis, vel Franchis originem trahant, aliarum consuetudinum adinstar, ex frequenti usu tacitum populorum redolente consensum inductæ, quas varii privati scriptores, inter quos præcipuum occupant locum Obertus, & Gerardus, in scripturam reduxe-

duxerunt, alii vero privata pariter auctoritate in juris civilis corpore post Justiniani Authenticorum, seu Novellarum librum registrarunt, cum aliqua etiam imperfectione, quam moderniores majoris eruditionis professores, privata etiam auctoritate suppleverunt, plerasque alias addendo consuetudines, a diversis privatis JJ. CC. in scripturam redactas, eisque in utraque respective compilatione addendo aliquas Occidentalium, seu Germaniæ modernorum Imperatorum leges, & Constitutiones. *a*

In his itaque legibus, eædem, imo majores apud superficiales dignoscuntur simplicitates, & æquivoca, quæ in legibus civilibus Romanorum in proxima præcedenti observatione enunciantur, tam super earum intelligentia, vel inductione, easdem adhibendo regulas, quæ in veris scriptis legibus conditis auctoritate illius, qui subditos obligandi potestatem habeat, adhiberi solent, ac debent, quam circa earum observantiam, ac respective ligamen eorum, qui sæcularibus non subjaceant foro, ac potestati, & legibus, quasi quod eorum respectu, aliarum sæcularium legum instar, inefficaces, atque non obligatoriæ censendæ sint; Et e converso, ut etiam istorum respectu vim, & efficaciam habeant, ut usus docet, quodque indefinite de omnibus, quæ in enunciatis collectionibus habentur, idem pariformiter dicendum sit, non distinguendo inter illas, quæ revera antiquæ potius, & receptæ consuetudines ex tacito consensu inductæ sunt, & illas, quæ Imperiales contineant leges, & constitutiones, ut in his posterioribus dubitandi ratio ex potestatis, ac jurisdictionis defectu, & ecclesiasticæ immunitatis turbatione intret; secus autem in altera consuetudinaria, quæ mixtum, velut utrumque cleri, & populi consensum habere potuit, vel habuisse diuturnus, ac receptus usus præsumere facit; Ideoque in hacenam legum specie consueta simplicitas, vel ineptia procedendi in litera, & in cortice verborum, pleraque contemptibilia producit æquivoca, illud præsertim super infectione inhabilitationis Clericorum, aliarumque ecclesiasticarum personarum ad feuda assequenda, vel assecuta retinenda, quasi quod hujusmodi leges Clericis tollant id, quod alias eis competeret, suoque jure privent, unde tanquam ecclesiasticæ libertati contrariæ, pro cassis, ac irritis habendæ sint, Id etenim evidentem redolet simplicitatem æquivocorum matrem, quoniam cum incerta sit feudorum origo, & introductio, quæ a consuetudine manar, ista de Ecclesiæ, & ecclesiasticorum consensu quoque ita manare potuit, ex ea probabili ratione, quod cum militiam sæcularem feuda redolcant, onus servitii militaris in sæcularium Principum bello annexum habentia, id Clericis, aliisque personis ecclesiasticis incongruat, imo expresse per jus ecclesiasticum prohibitum sit. Ac etiam quia feuda redolent beneficium, & gratuitam elargitionem, quam largitor ad certas restringere valet personas certam habentes qualitatem, nullam inferendo injuriam iis, qui illa careant, dum nil proprium eis adimitur, sed quod suum est ex liberalitate, & munificentia concedi solitum denegatur. *b*

Totum itaque deferendum est usui, dum ab isto leges pendent, atque hic varius esse dignoscitur, legum litera curanda non est. Illa quoque in hoc usu vigente superficialium simplicitate, ac ineptia, quod nedum regionum, ac locorum mores non distinguunt, sed neque feudorum qualitates, pariformiter cum eisdem regulis, & propositionibus procedendo, atque omnia æque pertractando rustica, & ignobilia feuda, quæ privatorum prædiorum, seu livellariorum bonorum naturam potius habent, solam feudi nuncupationem retinentia; Et illa vera, & nobilia, quæ in civitatibus, & oppidis, aliisque habitatis locis cum jurisdictione, & imperio in vassallos consistunt, ad istorum etiam diversas non reflectendo naturam, & qualitates, quod nempe alia majora, & regalia sint veræ dignitatis, absolutum, ac supremum redolentia principatum, alia vero minora, & subordinata, baronalem, seu domicellatiam solum concedentia prærogativam, quæ pro principatuum, ac regionum legibus, vel moribus quoque varia, ac major, vel respective minor est; Ideoque magna irrisione digna censenda venit hujusmodi superficialium pragmaticorum ineptia, & simplicitas, ut quotquot scriptores de feudis agant in unum super eodem assumpto colligere profiteantur ad regionum, vel feudorum diversos mores, diversasque naturas, & qualitates non reflectendo, ita triticum, & ordeum, ac legumina cum palea, & fœno in idem cum improbo, ineptoque labore colligendo, vel farcinas componendo.

a *de his discurs. 135. de feud.*
b *disc. 54. de feud. ac etiam d. disc. 135. & in aliis.*

OBSERVATIO XXII.

De illis legibus, quæ nauticam artem, vel maritimam negotiationem concernunt, & quæ consulatus maris appellantur.

NOstræ communicationis nunc civili Orbe, tunc penitus barbaro existente, atque sine illis civilibus, & Canonicis legibus, quas hodie habemus vivente, aliasque non habente scriptas leges, nisi illas barbaras, parumque rationabiles, quæ asininæ ab aliquibus non immerito appellantur, a Longobardis, dum Italiæ dominationem habuerunt, ordinatas, dum jam enunciata legum Romanorum casualis inventio, & receptio, atque sacrorum Canonum compilatio, totiusque literariæ Reipublicæ restitutio adhuc secutæ non erant. Ut nauticam vitam, & artem, ac maritimam negotiationem profitentes aliquas haberent leges, cum quibus commercii melius haberetur libertas, ac pacifica negotiatio, aliqua circa nostræ salutis millesimum, forteque antea edita fuere capitula, expresse, vel tacita ab aliis populis recepta, quibus consulatus maris nomen attributum est, & quæ tam legum Romanorum, quam feudalium consuetudinum instar, pro legibus ubique recepta sunt, earumque vim habent.

In hac itaque legum specie, eadem quoque apud ineptos pragmaticos, vel superficiales, simplicitas dignoscitur, æquivocorum productrix, quæ in aliis enunciatis civilibus, ac feudalibus legibus enunciata est, quoniam cum ex privatorum liberiorum cura, & opera hujusmodi antiquis legibus, vel capitulis universalibus, quædam recentes locales ordinationes annexæ sint, ipsum vero volumen omnium complexivum idem retineat antiquum vocabulum Consulatus maris, hinc illi, qui in sola superficie, seu litera ambulant, ad hujusmodi reflexiones non advertendo, omnibus, quæ in tali volumine leguntur, eandem tribuant in litera vim, & operationem, quo nil ineptius, nilve contemptibilius, ac irrationabilius, cum consequentia justitiæ administrationi nimium præjudicialibus, ut frequens docet praxis, quando jusdicenti literæ inserviunt, atque in sola rerum superficie ambulant. *a*

a *De isto consulatu maris, disc. 106. cum pluribus seqq. de credito.*

OBSERVATIO XXIII.

De novis Imperialibus constitutionibus, vel Jurisconsultorum responsis, quæ non extant in antiqui juris civilis corpore, sed fuerunt de novo superaddita; Et de Apostolicis Constitutionibus, vel Decretalibus, quæ de tempore compilationis Decretalium jam extabant, sed in eis non fuerunt registratæ, & a privatis adduntur.

COmmendatione quidem digna censenda est aliquorum Juristarum in utraque latina, & græca lingua ditio, atque antiquitatum indagatio, super antiquorum Jurisconsultorum responsis, quæ in quinquaginta Pandectarum, seu Digestorum libris, justa compilationem Justiniani non adsunt, sed ex quibusdam antiquis codicibus, vel fragmentis desumpta sunt, sive illorum responsorum, quæ in eisdem libris habentur cum aliqua mutilatione registrata, inventa sit suppletio; Idemque in plerisque Imperialibus constitutionibus de tempore compilationis Justinianei codicis jam editis, quæ in eodem codice, justa antiquam vulgatam, ac receptam editionem, super qua antiqui, ac primi Interpretes scripserunt, vel in altero pariter antiquo, & vulgatæ editionis volumine authenticorum non adsint ex Theodosiano codice, aliisque antiquis codicibus, vel fragmentis desumptis, & additis, ut in scholis, & academiis pro ingeniorum exercitio, atque antiquitatum, & eruditionum notitia, & cultura deserviant, quod etiam plerisque Pontificiis epistolis decretalibus jam editis de tempore collectionis Gregorii IX. & quæ ex plerisque aliis præcedentibus collectionibus, & Archiviis, & codicibus desumptæ sint, congruit.

Manifestus itaque censendus est error in judicio pro causis decidendis istas legum species in auctoritate necessaria attendere, duplici resistente ratione, quæ istum convincit errorem; Una nempe Justinianeæ, ac respective Gregorianæ præcisæ determinationis, ut aliis omnibus resecatis, ac neglectis legibus, quæ tunc circumferebantur, illis tantum imposterum deferri deberet, quæ in eo volumine registratæ, ac respective reportatæ habentur, ideoque manifesta est hujusmodi eruditorum, & antiquariorum

irra-

irrationabilitas aliquam etiam temeritatem habens admixtam, ut cum privata auctoritate illas induxerint, vel ediderint leges, quas publica Pontificia, vel respective imperialis auctoritas pro neglectis, & resecatis haberi voluit; Et altera respectu legum civilium, quoniam, ut alibi insinuatum est, earum auctoritas a populorum usu, ac receptione, seu Principum permissione potius, quam a Justiniani, aliorumque Imperatorum Orientis potestate provenit, ideoque illæ solum leges attendi debent, quæ in antiqua, & vulgata editione habentur, per primos, & antiquos glossatores interpretatæ, dum illæ receptæ sunt, aliæ vero non; Hujusmodi eruditione tamen non omnino inutili, sed potius commendatione digna remanente, etiam pro foro practico, ut tanquam magistrales doctrinæ pro ambiguarum legum, ac decretalium interpretatione, vel suppletione deserviant, eisdemque deferendum sit tanquam auctoritati probabili quidem, non autem necessariæ, a

a *de his disc. 1. de servit. & in annot. ad eundem disc. 1. & disc. 35. de judic.*

OBSERVATIO XXIV.

Quomodo auctoritatibus Doctorum deferendum sit.

UBerior errorum, ac ineptiarum fons, vel scaturigo illa est sæpius insinuata, procedendi ut dicitur in fide parentum, cum sola litera, vel superficie auctoritatum, ac etiam cum istarum arithmetico numero, quasi per classes, ac legiones, cum improbo ineptoque labore illarum longos retexendo calculos, nimiumque certando quænam opinio majorem habeat earum numerum, magisque recepta sit, adhibendo illos vere irrisione dignos, positivi, & comparativi, ac superlativi terminos, opinionis communis, magis communis, & communissimæ, atque ita magnam faciendo inutilem chartarum repletionem, cum eo inelegandi, ac ignobili stylo, qui omnibus aliis Reipublicæ literariæ civibus nauseam facit.

Id autem magnam, primæque classis irrationabilitatem, ac ineptiam redolet, quoniam ubi expressa non habetur legitima lex, quæ necessariam habeat authoritatem, ut propterea illi quamvis ratione careat, ex Legislatoris potestate parendum sit, a Sed de Glossatorum, ac Interpretum, aliorumque scriptorum agitur auctoritate, quæ non necessaria, sed probabilis dicitur, tunc eatenus ista attendenda est, quatenus ad instar eorum, quæ in testibus habentur, bonas atque concludentes eorum dicti assignent rationes, ideoque eædem adhibendæ sunt regulæ & considerationes quæ in fide testibus præstanda adhibentur, ut nempe inspiciatur in primis eorum qualitas, & an fide digni dici mereantur, quia integri, probi, periti, & non interessati sint, vel e converso istas patiantur exceptiones. Et secundo inspicitur dictum, an probabilem scientiæ causam necne reddant, vel potius de errore, vel falso convincantur præsupposito; aut quod nullam assignantes propriæ scientiæ causam, de auditu loquantur ad eos, quos vel falsum, vel diversum dixisse constet, cum similibus considerationibus, quæ in fide testibus adhibenda fieri solent, ac debent. b

Ita in scriptoribus agendum est; Cum etenim apud antiquiores factionariæ introductæ fuerunt divisiones inter Citramontanos, & Ultramontanos unis unam, aliis vero alteram de directo contrariam tenentibus opinionem, hinc error, ac manifesta ineptia est Ultramontanos, & Citramontanos confundere in iis, in quibus ista vigeat factionaria divisio. Cumque nostræ communicationis Orbis ad occidentalem Europam restrictus, qui cum legalis facultatis usu vivit, in tot, tantosque divisus sit principatus, & dominia, in quorum singulis diversi, vel oppositi habentur mores, & styli, ac leges, vel opiniones, idcirco eadem evidens intrat ineptia, cumulum faciendi earum auctoritatum, quæ pro singulorum principatuum, ac ditionum legibus, vel stylis, aut moribus diversis, vel oppositis loquuntur; Prout etiam cum Scribentium varia sint genera, peritorum nempe, qui diu cum laude in magnis foris graviora pertractarunt negotia, & eorum, qui adolescentes, vel inepti, nullam fori ac negotiorum habeant praxim ac peritiam, ut propterea collectorum, vel transcriptorum potius, quam Doctorum attributum eis congruat, hinc ineptia manifesta est, istos indigeste cumulare, atque æqua laore tractare, ut ejusdem ponderis, & auctoritatis esse debeant.

Omnium vero major ea est ineptia, quæ stultitiæ redolet speciem, ut in judicando, vel ad veritatem consulendo, illorum adhibeantur, ac attendantur auctoritates, qui venali, vel conductitio more ad pecuniæ, vel requirentis opportunitatem, Advocatorum, ac defensorum more loci proprias dederunt informationes sub consiliorum, vel consultationum aut controversiarum, seu disceptationum alioque simili nomine, cum ita sit adhibere in testes famulos, vel operarios, qui ad ita deponendum pretio conducti sunt, quo nil absurdius, nilve irrationabilius, præsertim vero non perquirendo, quid in iis casibus, de quibus agunt, judicandum sit, & an facti circumstantiæ concordent, necne, cum similibus considerationibus in spiritu, ac in ratione, non autem in litera faciendis. c

a *l. non omnium, ff. de legibus non concordantibus, disc. 34. de jurisd.* b *disc. 32. de judic. ubi de fide testibus adhibenda.* c *disc. 35. de judic. disc. 46. in relat. Curiæ, & in opusculo styli.*

OBSERVATIO XXV.

De Stylo scribendi Juristarum.

INter majores errores populares, non infimum occupat locum iste super prolixo, ac superfluo stylo scribendi in jure ad causarum, ac negotiorum opportunitatem, sive defensionem, quoniam ne dum ipsis Professoribus, ac Scribentibus, sed etiam (imo magis) vulgaribus, error est communis, adeout versuti, ac avari professores, quamvis hanc ineptiam agnoscant, eam tamen studiose colunt, ut ita imperitis litigantibus magis placeant, atque majora extorqueant præmia, ipsique litigantes gratum habeant id; quod omnino ingratum eis esse deberet, ita venenum reputantes medicinam, dum juxta communem Sapientum sensum, superfluitas nimia parit præjudicia veritati, illamque involvit, atque potius calumniantium est pabulum; Ideoque inter ineptias, ac irrationabilitates primæ classis id recenseri meretur, dum auctoritate, ac ratione attentis, id omnino damnatum est. Utraque siquidem pontificia, & imperialis auctoritas, in utriusque canonici, & civilis juris proœmio, vel introductione superflua damnat, easque resecari præcipit, atque cum eodem sensu antiquiores Sapientes utriusque juris interpretes procedunt, & cum quo etiam concordant Philosophi ex eorum regulis, & propositionibus firmantes, quod frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora, ipsaque natura omnium magistra docet superflua expellere, & quæ a Medicis merito vilia excrementa nuncupantur, ac propterea illud prodiit Sapientium receptum axioma; quod stultitiæ species est alere, vel colere excrementa naturæ. Non videtur enim, quæ unquam naturalis, seu legalis ratio, quæ homines a brutis distinguit, suadeat superflua colere, atque in iis, quæ inutilia sunt immorari, præsertim vero circa inanes digressiones, ac superfluos apparatus, magis autem in superfluis allegationum cumulis; ex quibus Juristarum opera universæ Reipublicæ literariæ nauseam faciunt, aliorumque literatorum lectura indigna reddita sunt. Et merito, dum ineptus, imo stultus ille agricola reputari meretur, qui domino in horreis triticum cum palea, & fœno, omnique eo, quod sub falce venit, reponat, in eo namque sua peritia, & opera versatur, ut segreget triticum a palea, aliisque rebus inutilibus. Ineptusque, ac imprudens ille Principis, vel nobilis thesaurarius, vel negotiorum gestor censeri meretur, qui cum possit necessariam, & opportunam pecuniam auream, vel saltem argenteam minoris ponderis, & incommodi, ac melioris usus exhibere, æream in magnis exhibeat sacculis, quamvis enim de jure eundem habeat valorem intrinsecum, de facto tamen longe minoris reputatur valoris, & existimationis, ob illam diminutionem, quæ a Juristis extrinseca, vel accidentalis nuncupatur, & quam ejus qualitas causat, cum similibus exemplis congrue adaptabilibus.

Et licet legale sit præceptum, quod erubescimus sine lege loqui, ideoque illa, quæ proponuntur, cum auctoritatibus probanda sunt, atque ubi necessitas exigat, id recte procedat, & commendatione dignum sit; Adhuc tamen cum congrua, & honesta moderatione practicandum est, ut illæ deducantur auctoritates, quæ meliores, magisque ad rem facientes sint, & quæ alias quoque referant, non autem, ut more transcriptorum, cum inutili chartarum repletione, magnoque lectoris fastidio cumulentur illæ, quæ apud allegatos jam relatæ habeantur; Idque ubi de illo agatur puncto, in quo difficultatis cardo consistat, vel sub quæstione sit, quia nempe una partium uno, alia vero altero modo rem procedere prætendat, & tunc prolixæ probationi condonandum est; Prorsus autem inexcusabilis, atque irrisione dignus censendus est stylus inutiles

facien-

faciendi cumulos in iis, quæ sub quæstione non sint, neque per Judices, minusque per ipsos oppositores controvertantur, vel quod nulla desuper cadat dubitandi ratio; Ideoque in hoc præsertim est deterius operari, quam ipsumet irrationalia animalia faciant, dum ista ut plurimum propter finem operari solent, istius vero operationis nullus est finis.

Atque si in iis, qui ad contendentium opportunitatem scribunt, magnus iste dicendus est error, ineptiarum, ac irrationabilitatum parens, & cultor, longe major censendus est in iis, qui tanquam Judices loquuntur, atque more magistri loqui tenentur, dum in iis illa non viget suspicio, vel complacendi necessitas, quæ in altera Scriptorum specie cadit; Fatuus etenim reputari meretur ille, qui ad æstivi pomeridiani solis lumen probandum, testes in magno numero inducat, magnasque assumat quæstiones super eorum qualitate, & fide, ac dictis singillatim expendendis, cum id solum opportunum, atque commendabile sit in probatione illius facti, quod negetur, ac principaliter in quæstione sit, isteque dicendus est casus in iis propositionibus, quæ hodie receptæ, ac notoriæ sint, ab altera parte non controversæ, neque impugnatæ, super quibus utpote præsupponendis inutiliter chartæ replentur, ideoque nedum inter ineptos, sed etiam inter fatuos, ac irrationales isti recenseri merentur, dum nullus est agendi finis, nullaque ratio. a

a *de his disc. 46. in relat. Cur. & in opusc. styl.*

DE DOTE, ET LUCRIS, ALIISQUE APPENDITIIS DOTALIBUS.

OBSERVATIO XXVI.

De ordine inter obligatos dotare conjunctas puellas.

PRæscribentibus legibus civilibus ordinem suppeditationis alimentorum, ut omnium prima obligatio sit patris, & secunda avi paterni, & sic successive aliorum ejusdem paterni lateris ascendentium, eadem obligatione in ipsorum etiam defectorum hæredes, ac bona transfusa; In istorum vero omnium defectum succedat illa matris, & successive, atque gradatim avi materni, aliorumque ejusdem lateris ascendentium, in quorum omnium defectum subintret illa fratrum, sub quæstione cadente obligatione patrui, vel avunculi; Ex hoc alimentorum ordine, tam Juristæ, quam Morales dotationis ordinem hunc desumpserunt, ut nempe prior dotandi obligatio sit patris, ac successive, & gradatim aliorum ut supra, ita & taliter, ut existentibus jamdiu defunctis proavi, vel abavi, aut ulterioris paterni lateris ascendentis bonis fideicommisso subjectis, ex istis potius puellarum descendentium dos constituenda sit, quam a matre, vel avo materno, seu fratribus adhuc viventibus, & idoneis, quasi quod istorum ultima subsidiaria sit obligatio. a

Id autem manifestam irrationabilitatem, ac ineptiam redolet orientem a neglecta distinctione temporum, & legum, ac mutationis status rerum; Quando etenim præfatum ordinem statuendo, leges in orbe Roma conditæ fuerunt, tunc ita merito juxta antiquorum Romanorum mores statutum est, quoniam pater, vel eo defecto avus, atque ejusdem lateris ascendentes omnimodum jus, omnimodamque potestatem habebant in bonis filiorum, & descendentium, qui servis assimilati proprium possidendi incapaces erant, nullaque proinde dabatur eorum hæreditas, vel successio, & si quæ daretur, illa eorundem agnatorum ascendentium erat, nulla vero matris, aliorumque ascendentium cognatorum, ideoque juste, ac rationabiliter ita statutum est, ut juxta naturalis rationis, & æquitatis ordinem, illos sequerentur incommoda, quos commoda sequebantur, & e contra.

Cum itaque hodie istud antiquum Romanorum jus per novissimum Græcorum ab Imperatoribus in Urbe Constantinopolitana residentibus conditum, præsertim vero a Justiniano abolitum sit, atque omnimoda inducta (irrationabiliter quidem pro nostris moribus) status rerum immutatio, quod scilicet filii, aliique descendentes, patriæ potestatis nexu non obstante, dominii, ac bonorum sunt capaces, proprios hæredes, ac successores habentes, atque in eorum successione, sublata antiqua differentia agnationis, ac sexus, sola proximitas attenditur, adeout coæqualis sit causa patris, & matris, potior vero illa matris, quam avi paterni, & sic successive in ulterioribus ascendentibus, ut proximior quamvis cognatus vincat agnatum remotiorem, atque in gradus æqualitate æqualis sit conditio, fratribus etiam, & sororibus ad successionem admissis; Hinc non videtur quænam ratio suppetat, ac persuadeat, ut cessante præsupposito, cum antiquæ leges dictum ordinem statuerunt, hodie cum illo continuari debeat, & quomodo eædem leges dividi valeant, illas in odiosis contra patrem, aliosque paterni lateris ascendentes attendendo, in favorabilibus autem negligendo, atque ita contra antiquos, & naturales Romanorum, ac Italiæ mores longe meliorem, ac inæqualem reddendo conditionem cognatorum alias abhorritorum, & neglectorum cum omni jure odibili claudicatione; Ideoque manifestam id redolet irrationabilitatem, ac ineptiam, procedendi cum antiquarum legum litera, ad earum immutationem, & correctionem non reflectendo.

Longeque major dignoscitur nostrorum irrationabilitas, ac ineptia, eundem insequendo ordinem in illegitimarum dotatione, potissime vero hodie, quod inter catholicos ob damnatum per sacros Canones, magis vero strictius per Tridentinum Concilium, illum concubinatum in figura matrimonii, qui apud antiquos ethnicos Romanos erat in usu, non dantur amplius veri naturales tantum, omnesque juxta legum civilium rigorem, ac dispositionem spurii censendi sunt ab eisdem legibus neglecti, & erga quos æquitas canonica, etiam recens, aliquam introduxit alendi obligationem, a qua ad istam dotandi per Juristas, ac Morales, illatum est; Cum etenim non servetur præfatus ordo per antiquas leges inductus, hinc magis irrationabile remanet illum in hac specie attendere, atque servare, cum omnimodum ejus fundamentum cesset, longeque magis instet inæqualitas, & claudicatio contra præfatam naturalem æquitatem, ut eum sequantur incommoda, quem commoda sequuntur, quoniam illegitimorum nulla est patris, & agnatorum ascendentium, vel collateralium successio, quæ solum est matris, & cognatorum, ac etiam in illegitimis longe magis, quam in legitimis incerta est ex parte patris filiatio; Igitur, tam legaliter, quam naturaliter manibus palpari videntur irrationabilitas, & ineptia, non quidem legum, sed illorum ejus insipidorum professorum, & quibus, ut sæpe advertitur, leguleicorum magis, juxta Ciceronis loquendi usum, quam Juristarum nomen, & attributum congruit, istum ordinem attendere, dum potius deberet esse conversus.

a *disc. 2. & 145. de dote.*

OBSERVATIO XXVII.

De obligatione patris dotandi filiam, quamvis eo inscio, vel invito nuptam, ac etiam quamvis divitem, ac aliunde provisam.

UTrumque assumptum, quod apud Modernos præsertim pragmaticos Juristas, ac Morales receptum est, ut pater filiam, quamvis eo inscio, vel invito non indigne nuptam, & quamvis divitem, ac aliunde provisam, dotare congrue teneatur, a nimium evidentem redolet irrationabilitatem, ac injustitiam, quæ iniquitatis speciem habet. Si etenim erga filios masculos, quorum ex utroque naturali, & scripto jure major est dilectio, atque melior esse debet conditio, alendi obligatio subsidiaria est, quatenus ipsi de proprio non habeant, hinc non videtur quæ unquam ratio, vel humanus discursus suadere debeat, ut minus dilectus, minusque privilegiatus sexus, hanc majorem habere debeat prærogativam, dum dotandi obligatio a jure antiquo neglecta, ab ista alendi ad instar, atque per assimilationem deducta est, ideoque est dare majorem operationem exemplo, quam exemplari; Atque ubi aliquarum modernarum civilium legum dispositio potius per argumentum, quam per veritatem indefinite hanc statuat obligationem in patre, adhuc tamen illorum temporum conditioni id referendum est, ut propterea tunc rationabilis dici mereatur talium legum dispositio, quoniam adhuc non secuta adventitii peculii introductione, atque non de facili in puellis verificabili existente peculio castrensi, vel quasi, non dabatur iste casus, quod filiæ essent divites, ac aliunde provisæ, ideoque merito pater, cui quærebantur omnia, quæ filiabus deferebantur, hanc habebat obligationem. Male autem id nunc attenditur ob cessatum, ac immutatum rerum statum, dictarumque legum præsuppositum, quo cessante, illarum quoque dispositionem cessare debere congruit, ideoque nullum, nec rationis, nec justitiæ, nec æquitatis fomentum

habet

habet hæc propositio, quæ irrationabilis, injusta, & iniqua merito censenda est.

Eisdemque vitiis, ac defectibus laborat alterum assumptum obligationis dotandi filiam, quæ patre inscio, vel invito jam nupserit, longeque magis ubi utraque accedat circumstantia, quod nempe illa, quæ ita irreverenter nupserit, de bonis propriis provisa sit. Et tamen etiam isto casu nostra ætate, patrem ad dotem præstandam gravatum vidimus, & quod magis est, ad excessivam longeque majorem, quam viri conditio pro ejus patriæ moribus, ita criminosi, ac delinquentis longe meliorem reddendo conditionem, quam si omnibus congruentiæ, ac honestatis legibus servatis, nupsisset, quo nil absurdius, nilve irrationabilius, forteque iniquius.

Merito siquidem lex civilis filiam quamvis nuptam dotari lex obligat, quoniam in ejusdem patris libito, ac facultate repositum erat pro illorum temporum legibus, ac moribus matrimonium irritare, utpote invalidum, ac irritabile ob defectum paterni consensus, ideoque dum dissolutionem negligebat, ac patiebatur ejus continuationem, ita tantum habere decebatur. Cum autem id penitus innovatum, atque abrogatum sit, ut quibuscumque humanis legibus, ac prohibitionibus neglectis, filia omnimodam habeat libertatem, inscio, imo spreto, & invito patre virum sibi eligere, ac ducere, atque firmum sit matrimonium, quamvis cum indigno contractum sit; Hinc nulla subest ratio, cur civilium legum correctarum, & abolitarum attendi debeat dispositio cum tali præsupposito prodita, illas ita dividendo contra omnem naturalis, & scripti juris rationem, ac dispositionem.

Quinimo eadem libertas, juste, ac rationabiliter excludere deberet illam nubendi indigne facultatem, quam filia perfecte adulta post annum vigesimumquintum, ex eisdem legibus civilibus habet, ex cessante earundem ratione, quæ illam excusabilem, patrem vero accusabilem reddebat, dum excusari non potest, ut prius, cur ob denegatam prius nubendi libertatem, ita post eam ætatem indignum virum ducere coacta fuerit, dum illico adulta effecta in diuturno tredecim annorum spatio intermedio virum dignum ducendi libertatem habuit. c

a disc. 1. & 2. & 142. de dote. b d. disc. 1. & 2. de dote. c in eisdem disc. 1. & 2. & 142. de dote.

OBSERVATIO XXVIII.

Dos non imputatur in legitimam ob explicitam donationem, vel illam implicitam, quæ ex stipulatione resultat.

Cum omnis dos, quæ ea necessitate per patrem, vel quemcumque alium ascendentem ad dotandum, ac etiam ad legitimam obligatum, in istam regulariter imputetur, illa huic regulæ tribui solet limitatio, quando explicita, vel implicita accedat donatio, cujus jure dos constituta sit, quamvis de patre agatur, dum illa donationis prohibitio, quæ inter patrem, & filium in potestate in jure habetur, limitationem recipit, ubi in dotis causam fiat; Implicitam, seu tacitam donationem ad hunc effectum, ac alios, de quibus infra, sequenti observatione, desumendo a forma stipulationis conceptæ super dotis restitutione per virum, vel ejus heredes facienda, ut si redditum soli filiæ stipulatum sit, ita implicita adesse dicatur donatio, quæ hanc tollat imputationem; Aliquibus etiam facilius in matre, aliisque ascendentibus, quam in patre, vel avo paterno immediato, hanc imputationem excludentibus.

Id autem irrationabilitatem continere videtur, etiam ubi ex verbis explicitus resultet donationis titulus, quoties probabilis causa donandi alias quam jure filiationis, vel ea dotandi obligatione, quæ a præcisa legis necessitate, vel ab altera congruentiæ resultet, non accedat, quoniam verus, ac probabilis sensus illarum legum, quæ istam denegant imputationem ratione donationis, ille videtur quando donatio, non tanquam filię, vel descendenti ex solo sanguinis, vel honestatis, & congruentię motivo proveniat, sed ab alia extrinseca, & accidentali causa, ob quam filia, vel altera descendens donataria tanquam extraneus benemeritus potius consideretur; frequentius etenim illa verba, quæ explicitam redoleant donationem, a stylo, vel inadvertentia Notariorum, quid agant, vel dicant, ignorantium, potius manare solent, quam a dotantis voluntate istum considerantis effectum, non de facili præsumendum, neque considerari solitum.

Major autem, & clarior irrationabilitas videtur adesse, ubi de illa donatione implicita agatur, quæ ex formula stipulationis, vel ex simili leguleica subtilitate, ac superstitione desumitur, cum neque Notarius, qui illam concipit, imo neque ipsimet superficiales pragmatici id sciant, vel advertant, multo igitur minus idiotæ dotantes sciunt, atque advertunt ad hujusmodi subtilitates, ac superstitiones, ex quibus, citra omnem eorum voluntatem, duplici gravamine, ac præjudicio affecti reperiuntur, uno dotis, & altero legitimæ, res quidem absurdissima ipsi naturali ratione, ac humano discursui contraria.

Improbabilis quoque censenda videtur differentia, quæ inter patrem, ac matrem, aliosque ascendentes ad istum effectum constitui solet, quoniam patria potestas in hoc proposito nulla videtur consideratione digna, dum æque profectitia dicitur dos, quæ filiæ in potestate, ac illa, quæ emancipatæ constituitur, atque in dotis causam etiam inter patrem, & filiam in potestate, dari potest donatio alias prohibita, igitur non videtur cui rationi hæc differentia inter patrem, & matrem, aliosque ascendentes innixa sit. a

a de his disc. 31. & 32. & 154. de dote, & disc. 215. eod. tit.

OBSERVATIO XXIX.

De dote ad patre reversura, non autem ad alios dotantes ex necessitate, ubi eis superstitibus matrimonii sequatur dissolutio, & de istius reversionis cessationis ob eandem donationem, de qua observatione præcedenti, vel ob renunciationem a dotata factam.

Dotem a patre profectam ad ipsum superstitem de tempore soluti matrimonii reverti debere lex disponit jure consolidationis, ac reversionis in priorem causam, non autem jure novo, quamvis nova sibi incumbat necessitas in eadem non imminuenda quantitate, vel specie, filiam adhuc superstitem pro ulterioribus nuptiis dotandi, ut propterea hæc nova dos ex tempore ejus constitutionis hypothecam desumat, altera priori jam abolita, & resoluta. a

Cum itaque in parte solum ita disponatur, hinc literæ simulando, in aliis dotantibus communis Doctorum schola generaliter id negat, ut propterea illico de mulieris dotatæ dominio irretractabili, ac transmissibili dos fiat, dotantis neglecta supervivenria de tempore dissoluti matrimonii; In patre quoque eandem reversionem negando, ubi donationis titulus accedat, ut præcedenti observatione animadvertitur, Vel ubi dotata renunciationem ad favorem dotantis, vel alterius ejus intuitu fecerit; Aut ubi per ipsius mulieris obitum superstitibus viro, & filiis, matrimonii dissolutio sequatur, ex quadam consuetudine, quæ Martini dicitur.

Omnia hæc assumpta, nedum ratione destituta sunt, sed etiam asperitatem, vel respective aliquam ineptiam continere videntur; Quo enim ad primum, ut ad patrem non autem ad alios ascendentes, qui ex legali obligatione, & per consequens, quod ex necessitate potius, quam ex voluntate dotaverint, reversio fieri debeat, nulla videtur excogitabilis ratio probabilis, cui hæc differentia innixa sit, quinimo ad alios potius, quam ad patrem reversio tanquam ex cessante causa fieri deberet, illorum namque minor est obligatio, ideoque plus gravari non debent, sed facilius relevari, quoniam in ea dote, quę ex necessitate legis prętatur filię emancipatæ, vel alias patriæ potestatis nexu cessante, adhuc eadem intrat regula reversionis, ideoque patriæ potestati referendum id non est, & per consequens non videtur, cuinam probabili rationi hæc differentia innitatur, dum non paterna qualitas ratione patriæ potestatis hujus reversionis causa est, sed potius legalis necessitas ob certam causam inducta, ut ea cessante, illa cessare debeat, ideoque dicendum est, quod patet demonstrative potius, quam taxative ratione frequentioris contingentiæ per legem consideretur, atque id quod in eo disponitur, generaliter in omnibus, qui ex legali necessitate dotant, magis procedere debeat.

De illa vero cessatione reversionis, quæ ex donationis titulo desumitur, proxime præcedenti observatione jam actum est occasione imputationis, dum ibidem dicta, ad hunc quoque punctum congrue applicantur.

Et quoad alteram cessationem ex renunciatione desumptam, vera quidem, ac rationabilis est propositio in abstracto, quando factum assistat, cum congrua juris theorica applicetur, quia nempe dotans, non ut legis obligationem impleat, atque ex ejus necessitate compulsus dotem constituat,

sed potius, ut cum dotanda tanquam cum extraneo contrahente, onerosum, atque correspectivum contractum nagotii causa ineat, tanquam per occultam emptionem, & venditionem spei renunciatorum jurium, quorum illa dos verisimile, atque congruum judicetur pretium, cum ista sit ratio, cui hæc theorica innixa est, secus autem ubi pater, vel alter dotans, ut sanguinis officium gerat, atque legalem, ac naturalem impleat obligationem, ad hunc dotationis deveniat actum, renunciationem vero a puella dotata recipiat, potius ut cuidam communi usui satisfiat, juribus renunciatis, quæ in remota, vel parum probabili spe consistant, atque talem æstimationem non habeant, taleque proportionatum pretium non mereantur, cum tunc ex cessante theoricæ, vel conclusionis ratione, manifesta videatur irrationabilitas, ac inepta illam indefinite attendere, ita præsupponendo implicitum contractum onerosum, & correspectivum absque voluntate, ac sine pretii correspectivitate. *b*

a *disc. 34. & 166. de dote.*
b *disc. 155. & 178. de dote.*

OBSERVATIO XXX.

De eadem reversione ad patrem dotantem impedita per existentiam filiorum, & viri ex consuetudine Martini.

ALtera superius enunciatæ reversionis cessatio, quæ a viri, ac filiorum ea dissoluto matrimonio superexistentia resultat, ex ea consuetudine, quæ Martini dicitur, eandem, imo evidentiorem Pragmaticorum continet ineptiam, & equivocum, istam consuetudinem capiendo tanquam legem municipalem juris correctoriam, ut propterea statutorum, ac legum municipalium a jure exorbitantium ad instar, stricte, ac rigorose attendenda sit, & per consequens, quod Martino loquente de casu, in quo per mortem mulieris viro, ac filiis superstitibus matrimonium dissolvatur, illa extendi non debeat ad casum, de quo non loquitur, ubi nempe per mortem viri superstite muliere talis dissolutio sequatur, quamvis ex eo pariter supersint filii. *a*

Regulando quoque istam consuetudinem in eo casu, in quo intret, eodem modo, quo statuta, & consuetudines locales regulantur, quæ deferunt dotem filiis, *b* ut isti directe, & ex propria persona ad dotem vocati dicantur ex avi dotantis potius, quam ex matris substantia, ex consuetudinis beneficio, non autem ex ejusdem avi judicio illam obtinentes, ut propterea nec unius, nec alterius hereditariam qualitatem habere teneantur, neque aliquo possint onere ab uno, vel ab altero gravari, illud solum admittentes onus, ut hanc dotem in legitimam ab avo dotante eis debitam, imputare teneantur. Denegata e converso hac imputatione, ubi juxta casus proxime præcedenti observatione insinuatos, de mulieris patrimonio dos censenda sit, ut illam tanquam matris heredes obtineant, ideoque dotem, ac etiam legitimam ab avo dotante assequantur.

Omnia vero hæc singulariter, ac distincte attenta, irrationabilitatem, ac respective leguleicam simplicitatem, vel ineptiam redolere videntur, utpote cum eo procedentia præsupposito, quod ista consuetudo de illa sit specie, quæ scriptam legem jam legitime editam, & obligantem corrigat, ac destruat, quasi quod adeo potens, ac magnus Princeps, & Legislator in toto illo Orbe, qui cum legum civilium usu vivit, fuerit iste Martinus, ut tot magnorum Regum, ac Principum, eorundemque Pontificis, & Imperatoris superior, in eorum regnis, ac dominiis ita statuere potuerit, atque Legislatoris universalis potestatem habuerit, non advertendo, quod iste fuerit quidem simplex hujusmodi tunc repertarum legum antiquus glossator, singularium potius opinionum amicus, ut propterea ab eo prodierit illud vulgare inter forenses dicterium, quod ubi in judicantium, vel consulentium cœtu, vel congressu quis in ejus voto, seu opinione est singularis, Martinus remanere dicitur.

Et licet aliqui id recte callentes advertant, ipsum non esse quidem consuetudinis auctorem, ac introductorem, recte scientes, quod ista lex non scripta, certum non habet Legislatorem, sed ex tacito, longevo, ac frequenti populorum usu inducitur, ipsum tamen esse ajunt ejusdem consuetudinis a populis inductæ relatorem, quasi quod ubi de universali, ac notoria consuetudine agatur, deficiendum sit Doctorum testimonio, cui super particulari consuetudine non defertur. *c*

Attamen id eandem quoque redolet simplicitatem, ac ineptiam. Juxta siquidem pluties enunciatam legalem historiam, *d* iste antiquus glossator nimium proximus fuit casualis inventionis hujusmodi legum temporibus, quando adhuc vix erant notæ, parumque in aliquibus locis, non autem ubique, ut hodie ex populorum usu receptæ, ideo verificabile non remanet hujusmodi non scriptæ legis essentiale requisitum diuturni, atque continuatis populorum usus cum actuum multiplicitate, sed verius est, ut iisdem legibus, non ex Justiniani auctoritate, ut leguleicorum vulgus cum consueta simplicitate opinatur, sed ex populorum receptione ac usu, legum vim habentibus, in ipsomet initio, quo hæc receptio sequi cœpit, ista lex, quæ de dotis reversione ad dotantem agit, recepta non sit, quando supersint filii, ob diversos tunc vigentes mores, ideoque dicenda non est consuetudo correctoria, & destructiva jam extantis, ac inducti juris, sed potius impeditiva, ne illud jus extaret, neque oriretur, ita ejus initio se opponendo, quod extantibus filiis adhuc matrimonii reliquiæ durare dicantur, ac propterea dotandi causam cessare non faciant, sed hanc impediant reversionem.

Ista itaque ratio æque congruit casui, in quo per mortem mulieris, superstite viro matrimonium dissolvatur, ac alteri converso, in quo per mortem viri muliere superstite id sequatur, quoniam non conjux, qui superest, sed filii sunt illi, qui hanc reversionem impediunt, ideoque ista casuum discretio omni remanet ratione destituta, quoniam vel in neutro, vel in utroque casu idem pariformiter dicendum venit, atque non solum, ubi dotans pater esset, sed etiam ubi quicunque alter ascendens, qui ex legis necessitate dotaverit, ut propterea indefinite, qualis qualis sit natura dotis, per filios superstites, ac respective nepotes in ejusdem dotantis legitimam sibi debitam illam imputari debeat, cum nedum apertæ irrationabilitatis, sed etiam iniquitatis speciem id redolere videatur, ut hujusmodi ex filia nepotes, duplicatam legitimam assequantur, unam nempe in materna dote, & alteram in legitima ex propria persona eis debita, contra omnem rationem, humanumque communem usum, & discursum, ita meliori existente conditione remotiorum ex fœminino minus dilecto, minusque favorabili medio descendentium, quam sit illa filiorum masculorum primi gradus, ideoque improbabilitatum, ac simplicitatum massam ista continet consuetudo, quæ tot involutarum quæstionum disputationibus cum tanta opinionum varietate ansam dedit. *e*

a *disc. 34. 152. & 155. de Dote.* b *disc. 102. cum plur. seqq. de Dote.* c *disc. 35. de Judic. nu. 84.*
d *disc. 161. de Regal. & disc. 1. de Servit. ubi in hac historia, & ejus additione.*
e *dict. disc. 34. & 152. & 155. & 166. de Dote.*

OBSERVATIO XXXI.

De Dote puellis descendentibus constituenda ex fideicommisso, neglecta testantis prohibitione, quamvis totum fideicommissum everti oporteat.

QUadam novissima Justiniani lege, cui novellæ, vel authenticæ nomen tribuitur, seu verius quodam ejusdem novellæ compendio, privata auctoritate per Irnerium primum casualiter inventarum legum civilium expurgatorem, ac publicatorem, quæ Authentica nuncupatur, liberis paterno fideicommisso non obstante dotem deferente, *a* Quamvis revera Legislatoris, vel compendiatoris esset sensus de patre, ac respective de filiabus primi gradus tantum loqui, quibus debita est legitima, cujus loco subrogatur dos, fideicommissi vinculo proinde non subjecta. Interpretes tamen antiqui parum, magis vero moderni Pragmatici, fimbrias desuper nimium dilatare professi sunt in iis, quæ forte neque Legislator, neque Summator unquam cogitarunt, præsertim vero, ut de quocunque, sive primi gradus, ac immediato, sive de mediato, ac remoto ascendente utriusque paterni, ac materni lateris agatur, ubi puellæ descendentes aliud promptum in bonis propriis, ac liberis præsidium non habeant, contrario expresso fideicommittentis judicio neglecto, dos debita sit, quamvis totum oporteat fideicommissum everti.

Id autem omni videtur legis, ac rationis fundamento destitutum, ideoque consuetam redolet irrationabilitatem, ac ineptiam; triplex namque super isto puellarum dotandarum privilegio, ex Scriptorum potius, quam ex ipsius legis sensu inducto, assignari solet ratio. Una nempe publici favoris, quæ in dotandis puellis consideratur, ut earum honestati occurratur, atque Respublica hominibus repleatur; Altera præsumptæ, ac verisimilis voluntatis fideicommit-

ten-

rentis, qui si viveret, ita vellet, ac mandaret; Et tertia legalis necessitatis, quia idem si viveret, erga descendentem non provisam, quamvis per plura media remota sit, in defectum aliorum, quorum prior sit causa, & obligatio dotandi, premeretur, quasi quod ista parentum, utpote sanguinis potius, quam charitatis obligatio per mortem non cesset, sed ipsa bona tanquam per speciem oneris realis prosequatur, cujus contrarium est intollerabilius. *b*

Cum itaque prima ratio, ex communi sensu merito reprobata sit, quoniam si vera esset quorumcumque licet collateralium, vel extraneorum fideicommissis congruere deberet, cum tamen solum illis ascendentium congruere magis receptum sit, hinc ad alias duas rationes restricta est hæc lex, vel obligatio, quarum prima præsumptæ, seu verisimilis voluntatis absque dubio per expressam prohibitionem tollitur, cum nunquam præsumptio adversus contrariam expressam veritatem intret, ideoque solum altera superest ratio legalis necessitatis, quæ neque in toto urget, quoniam fideicommissi ordinator si viveret, utique ad dandum totum quod possidet, cogi non posset. Igitur manifeste omni rationi contraria hæc propositio remanet, ut totum fideicommissum everti valeat.

In eo tamen casu ex præsumpta, & verisimili fideicommittentis voluntate rationabiliter omnimodæ eversionis assumptum attendendum est, ubi fideicommissum in vocato, ac prędicto genere ulteriorem progressum habiturum non sit, sed dissipationem, ac omnimodam destructionem ex locali lege, vel ex Principis suprema auctoritate, ac derogatione ad favorem extraneorum, minusque dilectorum pati debeat, ut ex. gr. in Ecclesiæ temporali ditione in fideicommissis, quæ per Barones possessa sint, ex particulari lege exorbitanti ad creditorum favorem contingit, vel ubi ad extraneum substitutum minus dilectum bona transitum facere debeant, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, *c*

a *Auth. res quæ C. Com. de leg. & in corpore unde sumitur.*
b *disc. 37. & seqq. & latius, disc. 145. de dote.*
c *disc. 82. de feudis ad materiam Bullæ Baronum, & d. disc. 145. ac etiam disc.* 188.

OBSERVATIO XXXII.

De extractione dotis restituendæ uxoribus descendentium, ex fideicommisso facienda.

Certum est, ut neque Justinianus Legislator, neque Irnerius Summator in illa lege, de qua præcedenti observatione actum est, ad istud restituendæ dotis mulieribus extraneis, quæ descendentium uxores fuerint, vel sint privilegium illam extrahendi a fideicommisso, cogitarint, ideoque nescitur quo spiritu, quave ratione id extensum fuerit, & per consequens certius apertam irrationabilitatem id continet ob plures differentiæ rationes, quæ inter constituendam, & restituendam dotem dignoscuntur.

Ubi etenim de dote constituenda fideicommittentis puellis descendentibus, aliunde non provisis agitur, tunc expressa prohibitione non accedente, verisimilis, ac prę̄sumptæ voluntatis ratio est adaptabilis, ut ex eodem decoris familiæ, ac posteritatis motivo, ex quo ad masculorum favorem fideicommissum disponens ordinavit, perpetuamque bonorum conservationem optavit, fœminarum honestati quoque consulere voluerit, cum istarum vita inhonesta, & prostitutio, proprio nomini, proprięque posteritatis, ac familiæ honori, ac decori nimium prę̄judicet; Prohibitione vero accedente, ob quam ista excludatur ratio, alia quoque urget prę̄cedenti observatione insinuata legalis necessitatis, qua testator si viveret, premeretur, vel ejus defuncti bona remanerent affecta; Istæ autem rationes, præsertim autem posterior, extraneæ mulieri, cui dos restituenda est, non adaptantur.

Et quamvis in sponsi patre, qui illum habeat in potestate, illa necessitatis ratio ab aliquibus in proposito consideretur, quæ circa donationem propter nuptias, vel dotis restituendæ cautionem, sive obligationem a lege statuta est, nil tamen ad rem id relevat; Vel quia ista species donationis, ac respectivę cautionis ab aula recesserit, & merito ob innovationis juris antiqui, vel novi, per quod ita cavebatur, per novissimum jus introductivum peculii adventitii per quod filiusfamilias dominii, & possessionis, ac habendi heredem effectus est capax, ideoque cessat ratio, cui antiquæ, vel novæ legis dispositio innixa erat; Vel quia catenus pater dictam donationem facere, vel respective cavere tenebatur, quatenus ad ejus manus dos perveniat, cum ita remaneat ejus indemnitatis, ac præjudicio consultum, ideoque nullatenus inferendum est ad casum, ut sponso liceat iri dissipando dotem, quam recepit, fideicommissum evertere. *a* Et nihilominus in solo paterno fideicommisso in omnem eventum istud restituendæ dotis privilegium, ex præmissa ratione intrare deberet, nullatenus vero in materno, & avito, aliorumque ascendentium remotiorum utriusque materni præsertim lateris, ideoque manibus palpatur extensionem istam omni prorsus rationis, ac probabilitatis fundamento destitutam esse.

Altera quoque clariori, ac fortiori accedente discriminis ratione inter dotem constituendam, ac restituendam, quoniam puellis descendentibus, quæ ex paternis, vel avitis imprudentiis, ac dissipationibus in eo indigentiæ statu constitutæ sunt, nulla potest objici culpa, nullumque suppetit remedium, quo mediante cum earum cura, & diligentia malo occurrere valeant; In restituenda vero bene mulieri consultum remanet, dando dotem in specie, vel in quantitate bene investita, & cauta, juxta frequentiorem prudentum patrum familias usum, ac praxim, ideoque illam libere dando dissipationi subjectam, de propria culpa, & imprudentia redarguenda est.

Itaque ratio salvat a consideratione in contrarium fieri solita, quod scilicet testatore perpetuum ordinante fideicommissum in hęredibus gravatis, aliorumq; vocatorum posteritate ac descendentia, ita per antecedens necessarium ad uxorem ducendam, & per consequens ad dotem recipiendam eos invitasse dicatur, dum ita recte huic desiderio, ac etiam fideicommissi conservationi æque consultum remanet; Idque verum etiam ubi admittenda esset præfata ratio, quæ tamen ex magis probabili, magisque recepto sensu minus vera censenda est, quoniam alias ca attentata, in transversalium quoque, ac extraneorum fideicommissis, idem privilegium procedere deberet, juxta aliquorum sensum huic rationi innixum, magis tamen communiter, & merito reprobatum, ut nonnisi in ascendentium fideicommissis illud comperiar; *b* Ideoque firmum, ac evidens est, hanc extensionem prorsus irrationabilem, omnique probabili fundamento destitutam esse; Si etenim hæc ratio implicitæ licentię testatoris desiderantis vocati generis propagationem, huic beneficio locum aperire deberet, illud etiam quibuscumque fideicommissi possessori mutuantibus, vel credentibus pro gemmis, & vestibus, aliisque expensis nuptialibus competere deberet, cum eadem congruat ratio.

a *disc. 44. & seqq. & 145. & 162. de dote.* b *eisdem supra citatis locis, & præsertim discurs. 145. de dote.*

OBSERVATIO XXXIII.

De eadem extractione a fideicommisso facienda ad favorem extraneæ uxoris descendentis pro lucro dotali, sive pro donativo, aut augmento, quod per virum conjugi factum sit.

Longe major exorbitantia, & irrationabilitas in ea dignoscitur hujus beneficii, vel privilegii extensione, ut etiam pro lucro dotali, quod hodie in usu est, civili Romanorum juri forte ignotum, in fideicommissi perniciem, ac supplantationem competat, *a* ac etiam pro illo augmento, quod donationis titulo voluntarie sponsus uxori faciat; *b* In his etenim nulla subesse videtur excogitabilis ratio, cui hæc extensio innixa sit, dum ipsummet novissimum jus civile, quod nimium ampla, ac excessiva concedit privilegia, illud præsertim potioritatis mulieribus, quæ nimium ab eo commiserantur, istam comprobat improbabilitatem, quoniam doti solum, non autem lucris, vel antenuptialibus donationibus privilegia concedere profitetur, *c* congruæ rationis assignata differentia, quod in dote de damno vitando mulier agit, ideoque commiseratione digna est, non autem in iis, in quibus de lucro captando contendit.

Et quamvis illa antenuptialis donatio, quæ sub augmenti, vel alterius vocabuli specie fiat, quando aliquod justum, ac probabile habeat inæqualitatis motivum, ratione ætatis, vel notabilitatis, aut valetudinis, speciem contractus onerosi, & correspectivi redolere dicatur, ad alios tamen effectus id referendum est, illud præsertim, ut sub donatione inter conjuges prohibita non cadat, vel ne secundo nubentium pœnis subjaceat, non autem ad istum, quoniam nubendum est pari, quoties de tertii agatur præjudicium; Sicuti etenim puella descendens, cujus absque dubio in hoc beneficio potior est conditio, non potest, ut virum inæqualem duceret, pro inęqualitatis compensatione majorem ac excessivam dotem constituere, quamvis ipsamet esset fideicommissi possedirix, ideoque domina, *d* ita multo minus ad favorem extraneæ mulieris est admittendum, ideoque id omni destitutum est ratione, quoties facti qua-

strationi commissa est, & quæ nec volens poterat in hac exactione se ingerere, & quatenus posset, non congrueret, ita post diuturnum tempus, ac immutatum rerum statum, indotata remanere debeat, ac propterea improbabile prorsus est in hoc puncto cum generalitatibus procedere pro frequenti vitio, ac ineptia, quoniam in utroque tam parentis, quam extranei casu, ex facti qualitate, & circumstantiis potius totum pendet, ac regulandum est. *a*

a *disc. 70. & 71. de Dote.*

OBSERVATIO XXXVII.

De invalida obligatione mulieris ultra medietatem dotis, non autem infra.

NIl forte frequentius in Romana præsertim Curia per ora forensium volitat, quam hæc propositio, ut mulierum obligationes, quamvis justa causa, & solemnitatibus (ubi necessariæ sint) munitæ fuerint, ad limites medietatis dotis validæ sint, ultra vero invalidæ, quasi quod expressa, & literalis desuper habeatur lex, quæ ita præcise determinet, ideo absque alio ratiocinio, vel discursu, eo ipso, quod salva est medietas dotis, in reliquis executio concedi tur, infra vero medietatem indefinite negatur, quæstione cadente, an hæc impugnatio ad hæredes defunctæ mulieris transferatur, & an excessus medietatis totam vitiet obligationem, vel ipse vitietur, excessus, vel an ubi de alia dote constituenda agatur, idem procedat, cum similibus. *a*

In hoc autem, irrationabilitas, ac ineptia quoque dignosci videtur, siquidem si centum Causidici, & Judices hanc propositionem quotidie decantantes, ac prædicantes interrogentur ubinam id fundatum sit, vel unde proveniat, utique nonaginta id ignorabunt, tanquam nudi testes de auditu in fide ejus, quod ab aliis eis traditum est, ambulantes (ut forte in majori rerum practicarum parte contingit) indeque de consequenti provenit irrationabilitas applicationis.

Nullibi siquidem in jure cautum est, an de dimidia tantum, vel de alia parte dotis mulier disponendi facultatem habeat, cum ultra dispositionem Senatusconsulti Vellejani, quod ad fidejubendum pro viro est restrictum, duæ habeantur prohibitiones, illa nempe legis Juliæ de fundo dotali, quæ hodie per juramentum in alienationum, aliorumque contractuum, & obligationum instrumentis apponi solitum, pene abolita videtur; Et altera generalis, & abstracta, ut mulier suæ dotis conditionem facere non valeat deteriorem, istaque pariter ob ejusdem juramenti interpositionem, quod omnia juris positivi obstacula tollit, quoties de publico favore principaliter non agatur, vel quod actus bonis moribus naturalibus non adversetur, abolita videtur, nisi talis accedat valde notabilis læsio, quæ doli, & circumventionis præsumptionem in mulieribus ob sexus fragilitatem de facili cadentem, inducat, ac propterea interet naturalis defectus consensus, ob quem de consequenti corruat juramentum, quod suam consuetam non faciat operationem, istaque est vera, germanaque ratio, cui hæc innixa est conclusio, antiquioribus, ut media ignota, per Modernos inducta.

Super istius autem valde notabilis læsionis, quæ dictam producat præsumptionem, regulatione, apud eosdem Modernos orta est quæstio, quam pro magis communi sensu, iisdem regulare, ac decidere visum est cum terminis illius læsionis, quæ in contractu emptionis, & venditionis, aliisque similibus datur, ob excessum nempe ultra dimidiam; Sed male parumque rationabiliter; Tum quia isti caderent termini, quando super ipsa dote principaliter aliquis initus est contractus; Tum clarius quoniam solus excessus in dimidio, simplicem, ac enormem producit læsionem, quæ apta quidem est ad rescissionem contractus, non autem ad nullitatem, præfatamque doli, ac cessantis consensus præsumptionem, ex qua nullitas resultat, cum ad hunc effectum illa major desideretur læsio, quæ enormissima dicitur, *b* ideoque assumptum ita generice, ac simpliciter sumptum, probabili remanet destitutum ratione, clarumque continet in vero puncto juris æquivocum.

Probabilior autem, magisque germana hujus assumpti ea ratio videtur, quod cum dos ad illum introducta sit finem, ut mulieribus congrue provisum sit, idque nedum ex privato ipsarum commodo, & favore, sed etiam ex illo Reipublicæ pro mulierum honestatis conservatione, ac etiam pro humani generis multiplicatione, hinc publico intrante favore, qui privatorum juramento vim tollit, actus irritari meretur, ideoque spectandus est effectus, an mulier congrua provisione destituta remaneat, necne, iste vero effectus certam non habet regulam, sed a quantitate dotis pendet, ob

quam aliquando, ubi etiam in modico deficiat, hoc præjudicium adesse dicitur, & aliquando non adesse, ubi etiam sit in excessu: Ut puta, pro qualitate personæ, ac regionis more, aliisque circumstantiis in dotis congruæ taxa considerari solitis, mille congruam dotem constituunt, c aliqua vero mulier, quæ ex beneficio fortunæ, vel ex alio casu dotem decem mille habeat; tunc etenim ubi decima remaneat pars adhuc de congrua, & competenti dote recte provisa remanere dicitur, ideoque conclusio non intrat, sive ejus ratio non adaptatur, ne indotata remaneat; Et e contra si solum mille habeat, quibus diminutis male provisa remaneat, adeout indotata dici valeat, tunc etiam in modica parte conclusio intrat, ita ex hac ratione cum sua proportione materiam regulando, non autem cum dicta generalitate, quæ irrationabilis remanet, omnique probabili destituta fundamento, ejusque applicatio claro laborat æquivoco. *d*

a *disc. 20. 95. & 96. de dote.* b *disc. 27. de empt. vend.* c *disc. 144. de Dote.* d *disc. 95. & seqq. de Dote.*

OBSERVATIO XXXVIII.

De distinctione inter minorem, & mulierem majorem super valida alienatione, vel obligatione in causam dotis.

JUre communi, vel municipali absque certis solemnitatibus, inhabilitantes minores, ac mulieres, juxta frequentem statutorum Italiæ usum, quæstio cadit, an dos in hoc privilegiata sit, vel in ejus causam hujusmodi legis forma neglecta, & non obstante prohibitione, valida sit minorum, vel mulierum obligatio, aliaque dispositio; Atque ex magis communi, magisque recepto sensu, ea adhibetur distinctio inter minores, & mulieres, ut in minoribus spectanda sit causa necessaria, atque ad necessitatis limites ac propterea causa voluntaria non sufficiat, in mulieribus autem majoribus secus, ut indefinite in causam dotis, dummodo ea principalis, ac præcisa sit, valeat actus, quamvis ex voluntaria causa sequatur, idque ob quandam legem civilem, quæ de Vellejano agit, istum excipiente casum, exindeque ista licentia in mulieribus desumpta est.

Idem autem irrationabile quoque censendum est, atque æquivoci vitio laborare, cum etenim hujusmodi leges locales mulieris sexus fragilitatem expertæ, illas minoribus ita exæquaverint, easdemque proinde præscripserint solemnitates materiales, ac formales respective; Hinc non videtur cuinam probabili rationi, vel fundamento, hæc distinctio innixa sit, dum ita major datur operatio cuinam laicali legi civili ad id per argumentum inductæ, quam jurisjurandi vinculo, quod per legem, ob naturæ defectum ab ea præsumptum, sublatum est; Quamvis etenim dotis causa ob Reipublicæ bonum merito privilegiata sit, ac propterea dispositiones, quæ in eam fiant, illam non habent malam præsumptionem, quam in aliis actibus lex communis, vel particularis inducit, attamen id tunc recipiendum est, quando pietatis, ac religionis, vel publici boni stimulus ad id impellat, ut non provisæ puellæ provideantur, earumque honestati consulatur, absque notabili proprio incommodo, & jactura, etiamsi legalis non urgeat necessitas, istoque casu, nedum in muliere majori, sed etiam in minori actus videtur congrue sustentabilis, eo modo, quo piæ, ac favorabiles sustinentur dispositiones. Secus vero ubi alterius privatum commodum potius id percutiat, & a quo mulieris quamvis majoris circumventio, ac machinatio sequi potest, adhibendo pro quæsito, & affectato colore, vel pro captiosa cautela causam dotis, quam alter contrahens alias ex legali, vel accidentali obligatione constituturus esset. Idem etenim est, ut mihi præstetur, vel quod meo intuitu, atque pro mea solvenda obligatione præstetur alteri; Ac propterea eisdem dotis terminis retentis, receptum est, ut profectitia, vel respective in legitimam imputabilis censenda veniat illa dos, quæ per extraneum intuitu patris, vel alterius, ad dotem, seu legitimam respective obligatum puellæ detur, *b* ideoque irrationabilis, & æquivoca ista remanet distinctio, ita simpliciter, ac indefinite sumpta, non reflectendo ad dotandi causam, vel motivum.

a *disc. 16. cum plur. seqq. de Dote.* b *disc. 154. de Dote.*

OBSERVATIO XXXIX.

De potioritate dotis restituendæ adversus anteriores viri creditores.

REstituendæ, non autem constituendæ, vel constitutæ doti, lex potioritatis privilegium concedit, ut alios

quamvis anteriores, nedum chirographarios, sed etiam hypothecarios non privilegiatos creditores vincat, iisque præferatur, cum aliis vero privilegiatis, ut conquassatis privilegiis, prærogativa temporis patiatur, Istudque privilegium Scholastici in legis litera ambulantes, etiam adversus eos, qui expressam, atque conventionalem habeant hypothecam extendunt, istam tamen extensionem rationabiliter, ac merito forus non recepit, ideoque privilegium ad istos restringit, qui anteriorem legalem, vel tacitam solum hypothecam habeant, ea congrua ratione assignata, quod lex suam tantum tollere censetur provisionem, non autem illam, quam homo ex ejus industria, & providentia comparavit. Dupliciter tamen ubi de expressa, & conventionali agatur hypotheca, id limitando; Primo nempe ubi de bonis propriis ipsius mulieris, quæ loco quantitatis cum vera æstimatione data sint, agatur, ut ad ista subsidiarium habeat regressum quodam jure dominii, ac vindicationis adversus quoscunque anteriores, ac privilegiatos; Et secundo ubi de bonis per virum postea quæsitis agatur, amplectendo in sensu forte magis communi, eorum attento numero, præfactum æqualem concursum ea temporis beneficio regulandum, cum privilegiatis ob privilegiorum conquassationem, qua posita cum juris, ac temporis ordine procedendum sit. *a*

In ea itaque parte, in qua in ipsismet bonis per mulierem datis subsidiaria conceditur vindicatio, quæ hypothecas omnes vincit, rationabilis quidem est provisio, cum antefere emptoris creditores venditori in ipsamet re vendita ex quadam procedat nimium rigorosa subtilitate, quæ speciem iniquitatis redolere videtur, ut in crediti materia advertitur, ideoque merito illa temperanda est ob majorem æquitatem, quæ mulieri assistit, sexus fragilitati; ac simplicitati consulendo super omissa illa dominii reservatione, ita per leges suppleta, quam sagaces, ac prudentes venditores adjicere solent. *b*

In altera vero parte præbente potioritatem adversus anteriores, qui expressam, & conventionalem hypothecam habeant, in bonis postea quæsitis, irrationabilitatem fateri oportet, ideoque ex hoc rationis defectu; juncto etiam majori concursu auctoritatum in contrarium, ista propositio omnino reproba dici meretur, utpote rationis, ac auctoritatis destituta fundamento, cum de facili fraudis, ac doli aditus aperiri valeat, curando ante matrimonium cum alienis mutuatis pecuniis se idoneum reddere ad bonorum acquisitiones post matrimonium affectate faciendas, ita bene simulando magnam dotem, ut detegi non valeat simulatio; Ad illum solum effectum favocabilis præsumptionis dotali privilegio probabiliter assistente, ut proximæ acquisitiones, quæ dotali receptæ pecuniæ proportionatæ sint, cum ea factæ præsumantur, quando contrariæ non urgeant præsumptiones, ut propterea præfati subsidiarii privilegii in bonis propriis æstimatis ad instar, subsidiaria concedatur subrogatio rei loco pecuniæ. *c*

Æquivoci etiam vitio laborat assumptum concursus æqualis cum privilegiatis ex sola ratione temporis ob privilegiorum conquassationem, illud generaliter, ac indefinite in quocunque privilegiato creditore, cui potioritas etiam adversus anteriores a lege conceditur, attendendo; Ubi etenim ex solo legis privilegio id provenit, ut fisco contingit, tunc admittendum id est, secus autem ubi non legis est gratia, & privilegium, sed potius justitia, quæ probabili naturali, ac legali rationi innixa sit, tunc enim irrationabilitatem potius id continet, ideoque vitium æquivoci dignoscitur non bene distinguendi hos potiores, ac privilegiatos creditores, quales nempe sit, qui potioritatem habeant ea sola legis gratia, & benignitate, & alios, qui ex justitia, & ea ratione illam obtineant. *d*

a *disc.* 77. *& seqq. & disc.* 166. *de Dote.*
b *d. disc.* 77. *&* 166.
c *disc.* 83. *&* 84. *&* 166. *de Dote.*
d *disc.* 81. *&* 166. *de Dote.*

OBSERVATIO XL.

De jure offerendi non competente contra mulierem pro dote constante matrimonio.

ILlud juris offerendi beneficium, quod unius ejusdem debitoris creditoribus contra alios lex concedit, sive agendo contra pignoris detentorem, sive excipiendo, ut in ejusdem pignoris detentione se tueantur, magis communis Juristarum opinio, quibusdam ejusdem legis subtilitatibus; vel superstitionibus innixa, negat contra mulierem pro ejus doribus creditricem in bonis viris constante matrimonio, illud solum concedendo eo dissoluto; *a* Verum id irrationabilitatem, quoque, atque inutilem circuitum redolere videtur, dum eadem mulier, ubi non jure dominii, sed jure pignoris tanquam creditrix bona viri detinere profiteatur, processum executivum super eorundem bonorum executione, & subhastatione, ea veriori, magisque recepta sententia non impedit; Illo tamen temperamento ex Romanæ Curiæ praxi adhibito, ut interim donec subhastatio, ac deliberatio perficiatur, promptaque sit pecunia per licitatorem oblata, sibi pro dotali credito solvenda, non amoveatur a possessione, ne alias pignore, & credito careat, ideoque pecuniæ, in qua dotale creditum consistit, receptionem, ut ejus cura, & diligentia investiatur pro assecuratione, recursare non potest; *b* Igitur nulla suppetere videtur probabilis ratio, cur iste magis dispendiosus, magisque viri debitoris patrimonio damnosus circuitus fieri debeat, & non debeat admitti brevior, ac promptior modus juris offerendi, quoties eadem non urgeat æquitas, ob quam idem subhastationis processus dispendiosus, ac damnosus denegari quandoque solet, & merito, ubi nempe justus bonorum valor dotale creditum non excedat, cum tunc æmulationis, ac malignitatis speciem id redolere videatur, ideoque ejusdem Curiæ praxis docet in dicto processu executivo ultra dictam clausulam, *non amota*, alteram adjici, *dummodo oblationes excedant*; Et per consequens paritformiter in hoc remedio cum eadem praxi, eisdem regulis procedi debere suadet probabilis ratio, cui potius, quam illi irrationabili superstitioni, quæ a legum litera derivat, deferendum est, non attendendo literam, quæ occidit, sed spiritum, qui vivificat, ut generaliter in omnibus fieri debere sanctius esset, spectando finem, vel effectum ab ipsa lege desideratum, non autem verborum formulas, vel inutiles subtilitates, ac superstitiones.

a *disc.* 88. *de dote, & disc.* 200. *eod. tit.* b *disc.* 40. *de Judic.*

OBSERVATIO XLI.

Quando mulieri dotem repetenti, rerum amotarum, vel præsumptæ solutionis, aut non redditæ rationis, obstet exceptio.

PLures in hac exceptione dignosci videntur irrationabilitatis, & incongruentiæ, ac æquivocorum defectus, ab eadem mox insinuata infecta radice derivantes, attendendi in litera leges, atque aliquibus superstitiosis, ac inutilibus subtilitatibus inhærendi, sive in puncto juris, vel in abstracto inquirendi quod magis, vel minus communis Doctorum opinio velit; Inconstantiæ quoque vitium experiendo, ut quandoque pro muliere super hujusmodi exceptionis rejectione, & quandoque contra eam pro exceptionis obstantia in eodem individuo casu respondeatur. *a*

Verius namque est, ut facti potius, quam juris censenda sit quæstio, pro facti qualitate, & circumstantiis, a ratione potius quam a litera legis regulanda. Quamvis etenim statuta sit regula, ut rerum amotarum, vel præsumptæ solutionis, aut non redditæ rationis administratæ tutelæ, vel curæ filiorum, quæ viri debitoris hæredes essent, exceptio obstare non debeat mulieri dotem repetenti, & merito, ne ob hujusmodi turbidas, ac altioris indaginis exceptiones retardetur dotis restitutio, quæ celeritatem desideret, atque dilationes non patitur ex natura alimentorum, quæ a dotis fructibus mulier assequi debet; Æque tamen recepta est limitatio, quando incontinenti de rebus amotis constet, vel quod talis esset administratio, ut ex pecuniis, ac bonis ad manus ejusdem mulieris obventis, quæ ultra administrationis sumptus exuberent, verisimiliter satisfacta sit, aliquam habendo favore hæredum debitoris circumspectionem, ubi de rebus amotis agatur, ne alias ansa detur mulieribus cum viris cohabitantibus, ubi hæres sit absens, vel alio detentus impedimento, hæreditatem expilandi, ac bona occultationi subjecta usurpandi cum hac certitudine, quod interim ejus crediti dotalis restitutio per hanc exceptionem retardationem non recipiat. Est enim iste quidam legum rigor, qui vere, & proprie, juxta literam diversum percutit casum, ubi nempe cum viro adhuc vivente super dotis restitutione sit quæstio, quod juxta mores, ac frequentiorem usum illorum temporum, in quibus hujusmodi leges prodierunt

runt ex causa discordiarum, & malevolentiæ fiebat, ut tunc proprie illa congruat ratio per easdem leges assignata, ut vir superstes ex eadem indignatione, & malevolentia, ex qua divortium sequitur, dotis restitutionem denegare, vel differre, sub hoc prætextu calumniose satagat, dum vivens, ac valida, suorumque bonorum habens custodiam, & administrationem, non de facili rerum amotioni subjacet, sicuti subjacet vir infirmus, ac moribundus, vel eo defecto hæres absens vel alias impeditus, ut propterea mulieri facilis, atque commoda reddatur amotio, & occultatio, quæ pro viri qualitate verisimilitudinis faciem habeat; Ideoque magnum irrationabilitatis vitium dignoscitur in legum litera in omni casu rigorose procedere, ad hujusmodi distinctiones, & circumstantias non reflectendo, in earundem legum, (ut præmissum est) potius spiritu, & ratione, quam in litera, & verborum formalitate immorando; eo quoque æquivoco in Pragmaticis accedente, ut istud mulierum, ac dotis privilegium peculiare esse putent, cum potius a justitia, & a ratione id proveniat, ut supra; Illud etenim vere, & proprie privilegium est, quod privat legem, idest quod contra legis regulam, vel dispositionem ex gratiosa indulgentia aliquid concedatur, non autem id, quod ex justitiæ, ac rationis motivo ad ambiguitates adimendas explicetur, ideoque ad limites rationis, cui assumptum innixum est, illud intelligendum, ac practicandum venit, atque alias irrationabilitates, ac ineptiæ, & æquivoca exinde resultant. b

a disc. 94. de dote, & disc. 183. eod. tit.
b d. disc. 94. & 183. de dote.

OBSERVATIO XLII.

De usuris dotalibus, & fructibus pignoris soluto matrimonio debitis necne.

DEferente lege in litera, non solutæ dotis, quæ in quantitate consistat, usuras viro matrimonii constantis onera supportanti, vel eidem pariformiter concedente pignoris fructus, ex eadem ratione utrique usurarum assecutioni, vel fructuum, pignoris licitæ perceptioni adaptabili, ut non crediti pecuniarii redoleant lucrativas accessiones ratione temporis ex mutuo explicito, vel virtuali assequendas, in quibus proprie usura illicita consistere dicitur, sed potius, ut damni, quod in onerum matrimonialium supportatione sensit, justam, & æquam importent restaurationem, adeout neque requiratur illa mora, quæ alias pro licito interesse lucri cessantis, vel damni emergentis necessaria est, cum ipsa onerum supportatio loco moræ stare dicatur, atque promptam, ac probatam inducat damni justificationem, quoties expressa, & conventionalis non accedat dilatio, quæ pars pretii dicitur. a

Hinc Juristę, ac Morales in sola hujusmodi legum litera ambulantes, quando dissolutum sit matrimonium, ac propterea de stricta juris censura dos talis esse desierit, atque in purum creditum pecuniarium transitum fecerit, ex præfatæ rationis cessatione, opinantur prædictarum usurarum, vel fructuum pignoris assecutioni, vel perceptioni citra usuræ vitium locum non esse, ut propterea simplicis creditoris pecuniarii ex causa expliciti, vel impliciti mutui ad instar usuræ, vel respective pignoris fructus, qui percepti sint, quamvis consumpti in sortem ipso jure imputentur, illamque extenuent, quamvis de ipsamet muliere vidua, vel ejus agatur filiis, qui in eorum alimoniam, vel substentationem hujusmodi usuras, vel pignoris fructus erogaverint, ita insensibiliter ipsa muliere, de filiis dotis proprietatem amittentibus. b

Magnam vero irrationabilitatem, nimiamque duritiem, ac asperitatem id continere dicendum est, illa namque dicitur illicita accessio, quæ usurariam redoleat pravitatem, ac propterea prædictus resultet extenuationis sortis effectus, quæ ex implicito, seu virtuali mutuo a suffocato debitore, per callidum fœnesatorem sub affectato velo, seu colore extorqueatur, lucri, & negotiationis caussa, ut ita pecuniam naturaliter sterilem, & infructiferam, ita fœcundam, ac fructiferam contra naturam reddat, secus vero ubi dote de sui natura fructiferis bonis destinata, ut ex fructibus mulier, & filii substententur, cum bona fide, ac naturali simplicitate per eos, qui hujusmodi legales subtilitates, ac superstitiones non calent, accessiones, vel respective pignoris fructus percepti, atque in dictam causam doti connaturalem erogati, consumptive sint, ac propterea imputatio magnum damnum, ac notabile præjudicium pariat amissionis proprietatis, ita moroso debitore commodum, & lucrum reportantes ex propria mora, propriove delicto in damnum, & supplantationem innocentis, ac simplicis, & idiotæ creditoris, cui mora, & injuria facta est, non restituendo debito tempore, ac ad formam obligationis illam dotem, qua restituta pro ejus natura, & destinatione probabiliter investita esset, ut æquivalentes perciperentur fructus, ex quibus mulier, & filii sunt alendi, ideoque omni prorsus ratione, & æquitate, imo rigorosa justitia istud assumptum censendum est destitutum.

Ea quoque consideratione id comprobante, quod plereque habentur leges a Sede Apostolica etiam approbatæ, hujusmodi usuras, vel respective fructus post dissolutum matrimonium pro dotali quantitatis credito deferentes, quod nedum a laicali, sed neque a Pontificia lege statui posset si redoleret illicitam usuram, quam ipsamet Pontificia potestas, utpote jure divino damnatam, reddere licitam non valet; Ideo siquidem hujusmodi leges validę reputantur, suamque in foro praxim, ac observantiam habent, quia non est decernere in eo, quod juris est, sed in eo, quod est facti, præsumptam ita inducendo probationem illorum extremorum, vel requisitorum, quæ pro licito lucri cessantis, vel damni emergentis interesse assequendo necessaria reputantur, ut pro justificatis haberi debeant, ideoque id quod humana lex facere potest, partium explicitæ, vel etiam implicitæ, ac virtuali conventioni denegandum non venit, quando hæc onesta, & verisimilis pro more loci dignoscatur; Facti itaque potius, quam juris dicenda est quæstio pro facti qualitate, cum naturali æquitativo discursu potius quam judaico, vel grammaticali more regulanda, inhærendo, ut frequentes advertitur, spiritui, non autem literæ.

Non modica quoque inconstantia, seu varietate in hoc puncto accedente, ut in uno foro diversum sit judicium, ac in altero, quo nil absurdius, magisque contrarium naturæ legis, quæ certa, & constans esse debet utique. c

a disc. 110. cum plurib. seqq. disc. 161. de dote, & eod. tit. disc. 196. cum seqq. b eisdem mox cit. locis c eisdem locis supra citatis.

OBSERVATIO XLIII.

De fructu, vel usurarum dotalium taxa.

ILlæ scriptæ, vel non scriptæ leges, quæ ut præcedenti observatione advertitur, usuras dotales viro, constante matrimonio, vel eo dissoluto, aut separato mulieri deferunt, prudenter quidem, ad lites, & ambiguitates, vel captiones dirimendas, certam, ac uniformem statuerunt taxam, quæ temporum in quibus prodierunt moribus, & usui adaptata, & rationabilis erat. Eandem vero taxam post notabilem eorundem morum, & communis usus alterationem adhuc servare, & exequi, cum sola legum litera procedendo, eique mordicus judaico more inhærendo, Pragmatici pro consueta ineptia profitentur, quod magnam irrationabilitatem, magnamque duritiem, ac asperitatem redolere dicendum est; Ideo namque lex quando prodiit illam statuit taxam, quia tunc pro communi usu tanti intererat, illamque summam verisimiliter investimentorum occasiones producebant, ideoque cum nunc eædem occasiones vix illius antiquę taxæ dimidium præbeant, nulla subest, nec humana, nec legalis ratio, quæ illam servari debere suadeat; Interesse namque ficta est suppletio ejus, quod creditor, nisi mora sibi fieret, verisimiliter assecuturus fuisset; igitur non potest, nec debet fictio veritatis fines adeo egredi, neque creditori tribuendum est ultra id, quod vere, seu verisimiliter interfit, cum dura, miseraque irrationabili, & cæca servitute parendo literæ, neglecta ratione, quæ anima legis est, Res quidem magna repræhensione, magnoque contemptu digna. a

a de materia disc. 110. & seqq. & 161. de dote, discurs. 169. & seqq.

OBSERVATIO XLIV.

De confessione dotis sine adminiculis, ut ejus veritatem non probet.

RAtionabiliter quidem, ac juste recepta propositio est, ut sola habitæ dotis confessio, quæ probabilibus veritatis argumentis, & adminiculis munita non sit, veritatem non probet in præjudicium tertii interessati, qualis esse frequentius solet viri confitentis creditor, vel possessor fideicommissi, ad quod pro dotis restitutione actio subsidiaria ex legis beneficio competat, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, ut de alterius confitentis præjudicio agatur, quamvis jusjurandi accedat religio, cum ista sit fomentum pietatis, & veritatis, non autem fraudis, & mendacii, dumquoad tertium hoc assumptum probabili innixum est

rationi fraudis, & collusionis de facili, invito ad favorem usuris præsumendæ. *a*

Irrationabilitas vero clara dignoscitur in ejusdem propositionis, vel assumpti receptione, & praxi, ubi cessante præjudicio tertii, de illo confitentis tantum, vel ejus hæredis agatur. Asperum siquidem, atque irrationabile videtur, ut pro frequentiori contingentia, inter populares præsertim, ac simplices, recipiente viro ab inexperta, & simplici muliere cum maritali fiducia dotem, absque eo quod illi accedant actus, ex quibus Juristatum formalitas argumenta, & adminicula desumit, ipsoque viro veritatem confitente, bonamque fidem agnoscente, non debeat ejus confessioni deferri in facto proprio, & in sui præjudicium, potissime vero, & fortius ubi eadem accedat jurisjurandi religio, quæ tertium quidem merito non afficit, nulla vero subest ratio cur ipsum jurantem afficere non debeat. Quamvis etenim leguleica simplicitas derivata ex omnium irrationabilitatum, & æquivocorum matre, attendendi nempe leges, & auctoritates in litera, credat isto etiam casu eandem fraudis rationem adaptari, & per consequens eadem cadere propositionem, quod juramentum tanquam vinculum religionis, & pietatis non debet esse fomentum fraudis, ac iniquitatis, & mendacii, eo quia lege prohibente donationem inter conjuges, ita nuda confessio referenda sit ad fraudem, quæ legis prohibitioni fiat indirecte faciendo id quod directe prohibitum est. Claram tamen simplicitatem id redolet, cum hujusmodi juris civilis prohibitio pene abolita sit, atque idealis effecta; Tum ratione juramenti, quod hodie pro communi usu in omnibus pene viventium actibus pro Notariorum stylo, vel formulario adjicitur, & quod extra controversiam hodie, præfati juris civilis obstaculum removet, atque hanc donationem validam reddit. Tum etiam quia receptum quoque est, ut ubi donatio sit antenuptialis, vel in causam augmenti dotis, aut priusquam mulier fiat uxor, vel ad viri domum traducatur, sub ista non cadat prohibitione, ideoque cum absque alio facto tertii, ab ipsiusmet viri confitentis libito, ac facto pendeat hujusmodi prohibitionem tollere, atque ubi velit validam donationem pro libito uxori, vel sponsæ facere: Hinc nulla suppetit ratio, cur illum actum, quem licite, ac valide, publiceque, & palam facere poterat cum veritate, facere voluerit cum mendacio, & cum perjurio, dum in dubio præsumenda non sunt crimina sine causa, & in iis, in quibus ligamen, vel prohibitio non augeat.

Atque ubi etiam ex facti circumstantiis donationem potius implicitam, quam dotem vere habitam confessio redoleat, quia nempe vir habens in animo dotandi mulierem, quam ea amoris motivo indotatam ducere voluerit, ad rem cohonestandam pro ejus existimatione, ita dotem congruam fingat, adhuc tamen actus magis honestus, ac licitus, atque ex prudenti honorifico motivo gestus, invaliditatem causare non debet; si enim magis imprudenter, & cum minori decore actus initus esset, validus esse deberet, dum prohibitio, ut præmissum est, dotis augmentum, imo integram dotationem non percutit; Igitur prorsus irrationabilis in hac parte censenda videtur hæc propositio, potissime, ubi simulationis non accedant argumenta, quod nempe ad solam pompam simulata confessio facta sit, talique casu diversa est propositionis ratio, simulationis nempe, non autem fraudis prohibitæ donationis. *b*

a *disc. 159. de dote, & in aliis ibi recensitis.*
b *eodem disc. 159. & in aliis ibi recensitis.*

OBSERVATIO XLV.

Datis in dotem locis montium, vel aliis juribus vacalibus, & vitalitiis, sive usufructu, quid restituendum veniat.

QUamvis Pragmatici multas desuper adhibeant distinctiones, ac subtilitates ex verborum cortice vel contextura desumptas, an ipsum jus in abstracto in dotem datum sit, vel potius fructus exinde procedendi, qui principaliter in contractum deducti sint, tanquam per speciem sortis, ut priori casu nihil restituendum veniat, nisi ipsum jus percipiendi in futurum, quatenus adsit, ac duret, & tale quale sit, non autem id, quod medio tempore constantis matrimonii perceptum fuerit; Secus autem in altero casu, ut tunc fructus percepti proprietatis naturam habeat, adeout illorum intermedia fruitio stet loco illorum fructuum, quos in compensationem onerum matrimonii vir obtinere debet, & suos facit. Ineptiam tamen, ac irrationabilitatem evidentem id redolet, ex eodem consueto, & connaturali fonte manantem, procedendi cum verborum formalitatibus, vel cum legum & auctoritatum litera, aut cum conclusionum superficie, non reflectendo ad substantiam veritatis, & facti pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis desumendam. Cum etenim quandoque ipsorum vacabilium, seu vitalitiorum jurium fructus, ac emolumenta talia sint, ut pro qualitate personarum, ac moribus Regionum, currentibus matrimonii oneribus via proportionata sint, ac propterea in quotidianos, & currentes consumantur usus, tunc utique irrationabile, ac fabulosum est, ob verborum formulam, seu contexturam, uno, vel altero modo ab imperito Notario conceptam, ita virum obligare ad restituendum in sorte, vel proprietate id, quod tanquam proportionatum fructum pro matrimonii oneribus supportandis percepit, & consumpsit; Secus vero ubi (quod tamen nimium rarum est, forteque unquam ad praxim deducibile) adeo magna, & excessiva sint hujusmodi emolumenta, ut fructus ex eorundem investimento percipiendi præfatis oneribus non respondeant; Ideoque non juris, sed facti censenda est quæstio, ex præmissis considerationibus, ac facti circumstantiis regulanda, & decidenda, evidensque proinde remanet error, irrationabilitatum, ac ineptiarum, & asperitatum productivus, cum distinctionibus, ac formalitatibus ex verborum cortice desumptis procedere, cum potius in spiritu, vel in ratione, ut supra procedendum veniat.

a *disc. 35. de Regal. & disc. 148. de Dote.*

OBSERVATIO XLVI.

De fructibus, vel usuris dotalibus debendis a Patre, vel altero ex legis dispositione dotare obligato, etiam pro tempore antecedenti, priusquam dotis constitutio petatur, ac respective demandetur.

MAgnam quidem asperitatem, ac irrationabilitatem istud continere videtur assumptum, præsertim vero ubi aliam jam insinuatam contineat asperitatem, ut nempe filia aliunde provisa, inscio, vel invito patre nubente, eaque, & viro per notabile tempus differentibus, atque sub silentio dotis constitutionem, & taxam a Judice non petentibus, pro retroacto tempore usuræ dotis, quæ petita non fuit, neque in rerum natura extitit, ad rigorosam, & statutariam taxam debeantur; Nimium quidem aspera, & exorbitans, atque irrationabilis res censenda est, ut pro eo debito ad quod Pater juste, vel saltim non improbabiliter non teneri credebat, vel quod petendum non esse opinari potuit, quia sic magis eidem filiæ expediret, aut quod petitum adhuc incertum esset ob non factam taxam, sive quod taxatum in stabilibus, non autem in pecunia solvendum esse congrueret, excessivas, & insolitas, atque pro temporum conditione omnino incongruas usuras absque culpa, & mora, quinimo cum ejus injuria, ex ipsius filiæ culpa pati debeat, potissime ubi ea provisa jam congrue sit, ut etiam subsequens condemnatio ad dotandum, aspera, & irrationabilis potius censenda veniat; Tantus itaque adest asperitatum, ac irrationabilitatum cumulus in legali facultate, cujus anima, & essentia in ratione consistit.

OBSERVATIO XLVII.

Pater dotando filiam simpliciter, de suo dotasse censetur, non autem de ejusdem filiæ bonis, quæ ipse apud se habeat, & quatenus dicat, ut stricte id intelligi debeat.

SImpliciter, alio non expresso, Patre filiam dotante, ut de suo totam dotem constituisse censeatur, ut propriæ legali satisfaciat obligationi, lex præsumit, quamvis penes eum filiæ bona in specie, vel in quantitate existant, ut pro frequentiori contingentia præsertim sequi solet, ubi maternæ dotis ratione, ipsius filiæ debitor existat: Sive ubi exprimatur, quod de paternis, ac maternis dotaret, ut stricte hujus expressionis interpretatio facienda sit, censeri nempe dotem de paternis prius constitutam ad ejus obligationis limites, in excessu autem quatenus adsit, & non alias de maternis, vel de ipsius dotatæ propriis. *a*

Non modicam autem asperitatem, ac irrationabilitatem id redolere videtur, quoniam communi usui, ipsique humano discursui, ac sensui repugnare videtur, quoties fraude, malaque fide in patre cessante, pro Regionis usu, ac personarum qualitate digno viro cum congrua, & competenti dote filiam collocaverit, adeout illa non digno-

scatur

scatur culpa, vel fraus, quæ in indignis, vel in inæqualibus nuptiis, ob minus congruam dotem adesse solet, ita namque juste credidit de suis, ac filiæ bonis dotare, ac ab utroque legali, & conventionali debito, vel onere se eximere, id non exprimendo; quia hujusmodi legalium subtilitatum, ac superstitionum, quæ vix peritis professoribus innotescunt, ignarus probabiliter esset; Si enim callens cogitasset, utique, vel expressisset, cum verborum implementum nimium facile, & commodum sit, vel si filiam ita pinguius dotatam esse debere credidisset, utique longe magis alius, & dignis nuptiis collocasset. Ideoque ubi rationalium, non autem irrationalium more judicandum sit, pacti potius, quam juris censenda est quæstio pro facti qualitate, veritatis, ac verisimilis voluntatis substantiam, non autem istas superstitiones in litera attendendo. *b*

a *disc. 354. de dote, & eod. tit. disc. 177.* b *Ibidem.*

OBSERVATIO XLVIII.

Augmentum dotis a viro factum mulieri, ad ipsum superstitem non redit, sed ad mulieris hæredem transmittitur.

MAgis communis, magisque receptus Juristarum, ac Moralium sensus, generaliter ac indefinite firmat, ut illud augmentum, quod sub dotis, vel donationis, aliove titulo valide faciat vir uxori, ista præmoriente sine prole ab eo suscepta, non ad ipsum virum superstitem redeat, sed ad mulieris testatum, vel intestatum, quamvis extraneum hæredem transmittatur. *a* Verum asperitatem, ac irrationabilitatem faciennis voluntati, ac naturali veritati, & æquitati adversam id redolere videtur, cum verius facti censenda sit quæstio pro facti qualitate dicenda cum ratione potius, quam cum litera, vel cum propositionum generalitate. Ubi etenim ex correspectiva conventione id sequatur, sine qua illud matrimonium alias non esset secutum, quia nempe in nobilitatis, vel ætatis, aut formæ, seu valetudinis, vel alterius inæqualitatis, aut injuriæ, vel damni compensationem id secutum sit; Et tunc recte procedit assumptum, cum tunc non ex viri, sed ipsius mulieris ære, ac substantia, tale augmentum sequi dicitur. Ubi vero ex mera benevolentia, & liberalitate, & ex illo verisimili motivo, ut ipso viro premoriente, superstes mulier in statu viduitatis decenter, ac bene vivere valeat, vel alias dignas contrahere nuptias, adeout casum extra dotantis intentionem probabiliter secutum esse facti circumstantiæ suadeant; Tunc asperitatem, atque irrationabilitatem tale assumptum redolet, utpote ob indiscretum, ac literalem legis rigorem, invito domino, rem suam auferens sibi, & suis, illamque extraneis notitis, & non cogitatis tribuens, contra naturalem veritatem, & æquitatem, quibus innixæ esse debent lex, & justitia.

a *disc. 27. & 165. de dote.*

OBSERVATIO XLIX.

Dotis Monialium esse illicitas, plurium est sententia, & quatenus licita sint, ut non possint minui, vel augeri sine Superiorum licentia.

ILlicitam utpote simoniacam plerique Morales, ac Juristæ reputant illam dotem, quæ Monasterio per puellas habitum in eo suscipientes, ac emittentes professionem solvitur, quasi quod pro statu monastico, qui rem spiritualem importat, pecunia, vel alia res temporalis detur. *a* Æquivocum autem cum simplicitate admixtum id redolet; verum namque est assumptum, ex quo ipsi ad istam inferunt consequentiam, in qua tamen fallacia residet, quoniam non pro habitu, vel statu Monastico dos præstatur, sed pro temporali alimentorum onere, ad instar dotis, quæ pro carnali assignatur matrimonio, cui tanquam Sacramento eadem congrueret ratio, ut aliquorum etiam est sententia, communi tamen calculo merito reprobata. Fabulæ siquidem speciem evidenter habet assumptum, ut pro duplici continuo, ac perpetuo cœlibatus, & carcerationis martyrio obtinendo, pecunia, vel alia res temporalis solvenda esset.

Illius autem diminutionis prohibitio Superioribus inconsultis, & sine justa causa, rationabilis censenda est, cum speciem prohibitæ alienationis id sapiat in hoc fragili sexu, altera vero prohibitio augmenti, ubi alias dos uniformis esset ex aliquo justo motivo inducta, irrationabilis videtur, quando facti particulares circumstantiæ aliter non suadeant. *b*

a *disc. 167. de dote.* b *disc. 11. & 4. disc. 167. de dote.*

OBSERVATIO L.

Dotes, quæ filiabus, aliisque mulieribus debentur, esse juris gentium, ideoque per leges positivas tolli, vel restringi non posse plerique volunt: Alii vero easdem leges matrimonii libertati adversari, ac propterea irritas esse credunt.

JUris gentium esse dotem, ac dotandi obligationem in genere, vel in substantia, jus autem civile modum tantum statuere, penes concors videtur Juristarum, ac Moralium sensus, eoque retento, plerique opinantur illas positivas leges dotium moderatorias, quarum usus in plerisque locis Orbis civilis nostræ communicationis habetur, utpote juri gentium adversas invalidas esse, & non obligatorias; Alii vero istum non sequentes sensum, alium adversus easdem leges habent, ut tanquam libertatis matrimonii impeditivæ ex Divini, vel saltem Ecclesiastici juris dispositione irritæ sint. *a*

Idem vero, quod occasione legitimæ superius dictum est, in primo assumpto procedit, atque ex eisdem rationibus ineptiam, vel irrationabilitatem redolet, cum apud Historicos de plerisque legatur nationibus, ut istum dotium usum nullatenus habeant, quinimo aliqui oppositum; ut potius viri dotem tradant mulieribus, ideoque totum ex humano, vel civili jure provenit, cui alterum jus æque humanum in toto, vel in parte derogare potest; Matrimonii vero libertati nullatenus hujusmodi leges præjudicare dicuntur, cum potius moderatam respiciant taxam, ut immoderatis occurratur excessibus, & luxibus, Reipublicæ damnosis, atque ubi taxa est generalis in toto populo, ut omnes pro qualitate, vel ordine personarum eodem debeant jure metiri, tunc nullum fieri dicitur præjudicium huic libertati, cui tunc præjudicatum, quando de certarum personarum tali restrictione agatur, ut ea matrimonium liberum sequi probabiliter impediat; *b* ideoque idem intrat error procedendi sine ratione, vel discursu in litera, & cum generalitatibus, quæ sunt ineptiarum, & irrationabilitatum parentes.

a *disc. 143. de dote.*

b *disc. 143. de dot. & disc. 73. de Testam.*

OBSERVATIO LI.

Statutis vel legibus localibus prohibentibus mulieri, quæ filios habeat, de dote disponere, ut per ultimam voluntatem, non autem per actum inter vivos hæc prohibitio intelligenda sit.

CUm non infrequentes, in Italia præsertim, hujusmodi locales scriptæ, & non scriptæ habeantur leges originatæ ab hujus Provinciæ moribus, priusquam sæpius enunciata legum civilium casualis inventio, ac receptio sequeretur, per quas mulieribus, quæ filios relinquant, inhibetur in toto, vel in aliqua quota, de dote præsertim extra filios disponere valeant, Hinc illorum Juristarum, qui adeo vilem, & contemptibilem profitentur exactum literæ famulatum, inepta interpretatio induxit, ut hujusmodi prohibitio illas tantum capiat dispositiones, quæ per ultimam fiant voluntatem, non autem inter vivos, quamvis absque causa, & ex mere lucrativo donationis titulo, neglecto statu gravis infirmitatis, ob quam mors immineat, nisi positivæ fraudis adsit probatio, super qua vera, vel præsumpta, magnas (irrisione quidem dignas) cum solita factionaria scissura, involvunt quæstiones, totum id desumendo ex grammaticali, seu leguleica significatione verbi *disponere*, ut actus per ultimam voluntatem tantum, non autem illos inter vivos capiat, ac denotet. *a* Ita namque admittendum est illud inconveniens ab eisdem legibus adeo damnatum, ut sit imponere legem potius verbis, quam rebus, quodque leges contemptu, & irrisione dignæ potius censendæ sint, cum ita de facili cum sola verbali formalitate eludi valeant, quo nil ineptius, nihilque irrationabilius.

Eadem namque ratio, ob quam prohibitio facultatis disponendi per ultimam voluntatem inducta est, consimilibus mere voluntariis, & lucrativis dispositionibus, inter vivos a probabili causa non munitis æque congruit, ideoque in ratione potius, quam in litera, ut par est, procedendo, de illis inter vivos actibus ab ista prohibitione exceptis id intelligendum est, qui aliquod justum, atque si non physice saltem moraliter necessarium habeant motivum, juxta prudentem, ac rationabilem declarationem per aliquos antiquiores hujusmodi legum interpretes factam, ut nempe mulier, nupta, vel casta, vel libera, vel sana vivat, &

sic

sic ubi ex hujusmodi justis causis dispositio fiat, quibus necedentibus irrespective, ultimis quoque voluntatibus ideo congruere debet, ut semper mulieri, quæ pro ejus sanitate, aut libertate, vel castitate fruenda, & conservanda, beneficium aliquod obtinuerit, ob quod ex antidotali obligatione, ad congruam remunerationem se agnoscat obligatam, prohibitam esse non debeat, ut id, quod per actum inter vivos per isto beneficio assequendo facere potest, facere quoque valeat per ultimam voluntatem pro beneficio jam assecuto, quod magis certum est, dum assequendum est magis incertum, magisque fallax; Ideoque non litera, sed ratio, seu verisimilis intentio legis attendi debet, spectato principaliter fine, vel effectu per eam considerato, & sic in rei substantia potius quam in superficie seu verborum formalitate, & grammaticali intelligentia immorandum est, cum alias irrationalium potius, quam rationalium more judicium, vel consilium proferri dicatur. *b*

a *disc. 102. cum seqq. de dote*. b *Ibidem*.

OBSERVATIO LII.

An æstimata, vel inæstimata censeantur bona data in dotem, quæ in specie, vel respective in quantitate consistere dicantur.

Mirabile est, quam in hoc themate Juristæ, ac etiam aliqui Morales se involvant, in verborum cortice, ac formulis vim constituendo, & an a quantitate, vel a specie initium habeat dotis constitutio, cum plerisque similibus formalitatibus, ab omni ratione, ac prudenti discursu alienis. *a* Cum etenim de actibus agatur, qui per inexpertas puellas, vel per idiotas parentes, aliosque conjunctos dotantes, ac sponsos respective peragantur, explicantur autem per Notarios, & alios, qui dotales tabulas ordinant, & conscribunt, potius vero, ubi in ignota latina lingua id sequatur, hinc frequens quidem dignoscitur irrationabilitas, cum asperitate quandoque conjuncta, hujusmodi contrahentium voluntatem, cujus revera potius quam juris est quæstio, ex illis deducere verbis, quæ contrahentes nec dixerunt, nec perceperunt, quo nil ineptius, nil irrationabilius, atque humano discursui magis contrarium, ita voluntatem desumendo ex eo, in quo voluntas non fuit, dum ignotum est; Cum ratione itaque, non autem cum litera, seu verborum formalitate in hoc procedi debere, viros docet rationales, ex facti tempe qualitate, & circumstantiis pro modo personarum, & bonorum, ac frequentiori Regionis more substantiam verisimilis voluntatis perscrutando, & attendendo, atque ubi dubium cadat, id, quod mulieris magis interest, eligendum est, cum sexui ob ejus imbecillitatem, ac doti ob Reipublicæ bonum, favor præstari debeat; Ea quoque ineptia in idem concurrente, ut generalis in uno sensu regula statuatur cuicunque casui applicabilis, quod magis expediat mulieribus habere dotem in quantitate, utpote invariabili, atque deteriorationibus, & infortuniis non subjecta, quam in specie; Pariter etenim pro singulorum casuum circumstantiis id regulandum est, præsertim vero ex majori, vel minori idoneitate viri, ac etiam ex qualitate bonorum, ac regionis respective, ob quam nimium expediat potius speciem habere; Vera namque æstimatio emptionis, & venditionis contractum occultat; Igitur inquirendum est ex tota facti serie, an ista voluntas adsit faciendi istos duos contractus.

a *De hoc disc. 158. de dote cum ibi notat.*

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

OBSERVATIO LIII.

De intestatæ successionis ordine per jus novissimum introducto, ac recepto.

Antiquorum Romanorum leges, ac mores, etiam post amissam libertatem, & postquam ex aristocratico, & democratico simul junctis, monarchicum regimen sub Imperatoribus constitutum est, donec in ipsa Roma sedes imperialis fuit, diversum dabant successionis ordinem, in Græcia quoque duorum sæculorum spatio circiter continuatum usque ad Justinianum, cui sub Judice lis est, an in isto successionis ordine, aliisque pluribus legum Romanorum ordinatoris, ac reformatoris, vel potius destructoris, & corruptoris attributum congruat, dum cum nimia inconstantia, & variatione, ut Chronistæ volunt, male morigerato Triboniano ejus, vel magis Theodoræ dominatricis directore leges figente, ac refigente, ille demum statutus fuit ordo, immutationem quoque probabiliter recepturus, si ulterior vita hanc dedisset facultatem, ut scilicet omni antiqua agnationis, & paterni, vel materni generis, vel sexus differentia sublata, sola gradus proximitas attendatur, ita coæquali existente jure masculorum, & feminarum, ac agnatorum, & cognatorum.

Irrationabilitatem autem ista lex novissima redolet, dum antiquis, ac etiam tunc recentibus adversatur Romanorum moribus, neque illis Græcorum diversis referibilis est dum, ut præmissum est, per duo sæcula, in ea Regione cum eisdem continuatum fuit, & merito, ut ita familiæ magis conserventur, ipseque quodammodo naturalis stimulus ad majorem masculorum, ac agnatorum amorem impellit, ut tot fideicommissorum, ac primogeniorum, & majoratuum ordinationes, totque feudales, & emphyteuticæ acquisitiones, ipseque Regnorum, ac Principatuum successionis ordo pro magis communi usu docet.

Longe vero majorem redolet irrationabilitatem, ac ineptiam sensus primorum glossatorum, ac interpretum, qui Itali fuere, has leges, juxta alias insinuatam historiam, post septem circiter sæculorum sepulturam, ac oblivionem repertas, atque ex populorum voluntario usu potius quam ex antiqui Romani Imperatoris authoritate recipi cœptas, ita recipere, ac interpretari, ut antiquis Romanorum legibus prævalere debeant, atque cum earum ordine procedi. Ineptia quidem, qua nulla major, dum tempore, quo per Justinianum ista novissima lex condita est, nulla pene hujus Imperatoris erat in Italia potestas, illaque modica, quam recuperaverat, cito sub Justino ejus filio desiit per occupationem Longobardorum, quorum leges, ac mores antiquis prædictis conformes erant, ideoque isto jure novissimo nunquam recepto, neque practicato, cum eis continuatum fuit; Igitur clara eorum simplicitas, ac fallacia dicenda est.

Omnium vero major irrationabilitas, ac ineptia mediorum, ac modernorum Scriptorum ea censenda est, quod cum ad hunc errorem advertentes populi curaverint illi occurrere cum statutariis, aliisque localibus legibus antiquorum morum, hoc errore sublato, restitutivis, vel continuativis, ita eorum animo declarando prædictum Justinianum, vel Theodoræ feminæ parum rationabile jus non recipiendi; Adhuc tamen eorum simplicitas, ad præmissa non reflectendo, sed cum consueto vitio in litera ambulando, has leges cum exorbitantium, & correctoriarum odibilium legum municipalium regulis, ac rigorosis restitutionibus metitur, quo nil ineptius, nilve irrationabilius, exindeque magna, & frequentia resultant æquivoca, justitiæ ac veritati nimium præjudicialia. *a*

a *De his disc. 1. de Success. ab intest. & aliis seq. eodem titulo.*

OBSERVATIO LIV.

Statutum excludens matrem, & cognatos, ob collaterales agnatos, ut non suffragetur patri, vel avo paterno: eo quia de eis non loquitur.

Ex jam in præcedenti observatione insinuata ineptia super stricta intelligentia illarum localium legum, quæ cognatos propter agnatos, vel feminas propter masculos ab intestata excludunt successione, illa aliquorum Pragmaticorum maxima resultat irrationabilitas, & asperitas ab aliquibus Tribunalibus quandoque canonizata, ut illud statutum, quod matrem, & cognatos excludit ob collaterales agnatos usque ad aliquos ulteriores gradus, non suffragetur patri, & avo paterno, utpote in litera non mentionatis ex axiomate, ut hujusmodi leges ad literam, atque in solo verborum grammaticali sensu rationis identitate, imo majoritate neglecta, attendi debeant; ineptia quidem, ac irrationabilitas, qua nulla major, dum ita potentius est causatum, quam causa, atque deterioris conditionis est ille, cui juxta enunciatas antiquas Romanorum leges, ac mores totum debebatur, quam illorum, qui ex modernæ legis dispositione exclusi sunt, quando sint gradu impares, & quando æquales ex ejusdem legis benignitate ad aliquam admittuntur portionem hujusmodi ineptiis, ac irrationabilitatibus ex illo semper opportune repetendo, & inculcando vitio resultantibus, procedendi in litera, non autem in spiritu, vel in ratione, sive cum generalitatibus in abstracto, absque debito humano discursu, vel ratiocinio, quod in omnibus principatum occupare debet pro hujusmodi effugiendis erroribus. *a*

a *disc. 15. de Success. ab intest. & ibi annot.*

OB-

OBSERVATIO LV.

De eodem Statuto feminarum exclusivo propter masculos agnatos, non attendendo ubi de Clerici defuncti successione agitur, quamvis inter laicos quæstio sit.

Major forte, quam præcedens, ea censenda videtur irrationabilitas, quam ex aliquorum minus communi sensu, ab aliquibus tamen magis Tribunalibus male recepto, nostra experimur ætate, ut ibi de Clerici, vel alterius Ecclesiasticæ personæ jam defunctæ intestata successione tractetur, non statuti, vel alterius laicalis particularis legis cedo attendi debeat, sed illa enunciati novissimi juris civilis, quamvis in successione nulla Clericorum, vel Ecclesiasticorum adsit mixtura, sed inter laicos legi æque subditos, quæstio sit, quasi quod personæ defunctæ exemptio attendi debeat; Irrationabilitas quidem primæ classis nulli probabili penitus innixa fundamento, dum antiquus possessor jam annihilatus est, suaque nil interest, an unius, vel alterius debeat esse successio, ideoque cum exempto nullis exerceri dicitur potestas, ac jurisdictio.

Et quamvis ea soleat assumpti ratio assignari, ut moriens utpote locali legi non subditus, non cum illa, sed cum communi, quæ ipsum afficiebat, decedere voluerit, cum intestata successio quoddam decedentis testamentum pro eo a lege conditum potius importare dicatur; Attamen ita est excusare, vel tueri unam irrationabilitatem cum altera majori. Clericatus etenim, vel alia Ecclesiastica qualitas mores non alterat naturales, neque homines irrationales, vel singularis judicii reddit, ut nolle censeantur ea, quæ omnes alii volunt, atque ipsemet vellet si de populo esset, utpote communibus moribus, ac rationi magis adaptarunt, dum juris civilis ordo potius irrationalis nostrisque moribus contrarius est, ut superius advertitur; multo vero clarior irrationabilitas remanet, ubi hujus voluntatis locali legi adaptatæ, atque conformis argumentum, imo naturalis accedat sufficiens probatio, quæ ea defectu solemnitatum in ultimis voluntatibus desideratarum insufficiens reputetur, cum tali casu manibus quidem palpabilem irrationabilitatem, ac asperitatem adesse videatur. *a*

a *De his disc. 6. de Success. ab intest. & in aliis eod. tit.*

OBSERVATIO LXVI.

De eodem Statuto locali, diversum succedendi ordinem præscribente, ut non afficiat personas Ecclesiasticas.

Ordinem intestatæ successionis a locali præscriptum lege super feminarum præsertim, vel cognatorum, aut forensium exclusione, illos non afficere, qui ob Clericatum, vel aliam Ecclesiasticam qualitatem ab ea lege, ac foro utpote laicali exempti sunt, credit quædam Pragmaticorum schola, idque in monialibus præsertim frequentius praxis docet, cum frequentiores istæ sint leges feminarum exclusivæ propter masculos; Sed male quidem, ac irrationabiliter, atque contra magis communem, magisque probatum sensum; Nullam etenim jurisdictionem, vel potestatem cum Clerico, vel cum Ecclesiastica persona lex exercet, minus sibi quæsitum jus tollit, ut deteriorem ejus faciat conditionem, sed bona, quæ sub legislatoria dominio habituali, ac potestate existunt, cui sibi videtur, defert, eorumque solum capaces reputat, qui certam habent qualitatem non quidam Clericatus, vel Ecclesiastici status odio, sed ex alio honesto fine, qui totum illud complectitur genus consideratum in ipso nativitatis instanti, & priusquam illa obtineatur accidentalis qualitas, quæ exemptionem producit; Ubi etenim jure Divino, vel etiam Ecclesiastico successio illis deferatur, quos lex laicalis excludit, tunc non improbabilis dubitandi ratio caderet, sed cum hic ordo proveniat etiam ab alia lege laicali, quæ magis exorbitans dici mereatur, hinc nulla ratio probibet cur altera lex laicalis, & popularis, quæ rationi, ac populi moribus magis adaptata est, eam tollere non possit. Si etenim jus novissimum feminarum, & cognatorum habilitativum non adesset, vel non esset receptum, utique non possent Clerici Cognati, vel feminæ moniales conqueri, quod antiquiores leges etiam Civiles, & laicales Romanorum eas inhabiles reputent, igitur neque isto casu.

Eo etiam non modico accedente inconvenienti, quod irrationabilitatem magis comprobat, quod scilicet ubi feminæ, vel cognati sunt seculares, isti liberos, ac posteros procreant, ac propterea si ad successionem admittuntur, tunc bona, si non conservantur in agnationibus, & familiis, conservantur tamen in sanguine defuncti, adeout quædam ratio, vel stimulus naturalis assistat; Ubi vero Monialibus, vel Religiosis defertur successio, tunc bona in penitus extraneos transeunt, cum juxta opinionem eorundem Canonistarum, & moralium, qui hanc sustinent irrationabilitatem, bona directe, ac immediate jure suo Monasterio quærantur, adeout ipse Religiosus conjunctus nullum sentiat particulare commodum, ideoque melioris conditionis erunt extranei, quam illi de sanguine contra omnem naturalem rationem; Et quemadmodum homo cum fideicommissi perpetui ordinatione, illis bonis, quæ privatæ subjacent dispositioni, hanc legem adjicere potest, ut cognati, & Clerici, ac religiosi non succedant, ita non videtur, cur lex idem facere non valeat eadem ratione, quod id non fiat Clericorum, vel Religiosorum odio, neque ut jus acquisitum eis tollatur, sed quod ex honesto, ac rationabili fine certa desideretur qualitas.

a *disc. 5. de Success. ab intest. & aliis pluries, eod. tit.*

OBSERVATIO LVII.

De utraque personarum, ac bonorum copulativa subjectione desiderata ad hoc, ut statutum intret, quodque mixtura persona non exclusa facit illud cessare.

Ambo hæc assumpta, in magis communis sensu eorum, qui forum sequuntur, recepta sunt, quamvis non desint qui contrarium volunt, ac practicant, præsertim vero primum utriusque subjectionis tam personarum, quam bonorum adeo rigorose desideratur, ut non sufficiat statutorum combinatio, quia nempe in utroque loco personarum, ac bonorum adsit cognatorum exclusivum. Et quoad alterum mixturæ, vel existentiæ in medio personæ non exclusæ, ut cessare faciat statutum, atque aperiat locum ordini juris communis, extenditur, ut quamvis illa persona, quæ mixturam causat, ex alio defectu sit insuccessibilis, vel quod succedere nolit, adhuc statutum cesset.

In utroque autem, si non adest irrationabilitas positiva, adhuc tamen deest congrua ratio; unde saltim quædam asperitas, seu leguleica dignoscitur rigorosa superstitio, quæ irrationabilitatem redolet, quando ad hujusmodi legum, & statutorum veram rationem, ac naturam superius insinuatam reflectatur. Utriusque namque assumpti eadem assignatur ratio odibilitatis, ac strictæ naturæ hujusmodi legum; ut propterea de facili ab eis recedatur, ad hoc ut fiat reversio ad jus commune favorabile; Et tamen isto casu res in oppositum est, dum revera exclusio non provenit a præcisa auctoritate legis particularis, volentis rem a jure exorbitantem decernere, sed potius ab explicata voluntate populorum continuandi in antiquis moribus contrariis, dictasque novissimas leges non recipiendi, ideoque ubi cum ratione, atque cum humano discursu, ut decet, procedendum sit, superstitiosæ remanent istæ conclusiones nulli probabili rationi innixæ, sed a quibusdam superstitiosis subtilitatibus manantes. *a*

a *De primo assumpto utriusque subjectionis disc. 4. de Succ. ab intest. Et de altero existentia personæ in medio, disc. 3. eod. tit.*

OBSERVATIO LVIII.

Quando Statuta, quæ feminas exclusas dotari mandant, eas faciant extraneas, necne, & quatenus faciant, quamdo per parentes habilitatæ, atque suitati restitutæ dicantur, & an unica sufficiat dos.

Ad dignoscendum, an statutum feminarum exclusivum istas faciat extraneas, vel adhuc conservet suas ad plerosque effectus nimium considerabiles super dote, quam eis præstari debere ab eodem statuto præcipitur, illos præsertim, quod ubi suitas conservatur, tunc dos succedit loco legitimæ, ac propterea oneribus, vinculis non subjacet, statimque defertur, atque fructus producit, & ad feminæ hæredes transmittitur, sive ad ejus liberam est dispositionem, quamvis nuptiarum carnalium, vel spiritualium non adimpleatur conditio, sine qua dotis nomen, & essentia non datur, cum aliis effectibus exinde resultantibus, & qui e converso cessant, ubi extranea reputatur, ut propterea legitimæ loco non succedat.

Illa mere verbalis, vereque superstitiosa consideratur ver-

verborum formalitas, vel contextura, quod si statutum simpliciter excludit, vel ab exclusione incipit, quæ in jam perfecta oratione sit, deinde vero dotem dari mandet, tunc extraneam illam faciat, atque dos in isto casu nuptiarum tantum demandata, loco legitimæ non succedat, secus autem e converso, ubi a dote incipiat, vel in eadem orationis contextura illa demandetur, ac propterea super hujusmodi verborum formalitate cum grammaticalibus significationibus apud scribentes multæ leguntur frigiditates, quibus nullæ majores. a

Id autem apertam redolere videtur irrationabilitatem, ac ineptiam; Quoniam lex non verbis, sed rebus imposita est, ejusque ratio, vel finis spectari debet pro conservatione bonorum in agnationibus, & familiis, & ne patrimonia scissuram, ac detrimentum patiantur a feminis, nisi quando honestatis ratio, quæ admixtum quoque habet Reipublicæ favorem, ita ex quadam necessitate exigat, & sic ubi urgeat ille finis, ob quem dotium introductio secuta est, & in quibus contra omnem rationem iste sexus magis privilegiatus est quam masculinus; ideoque cessante illa ratione, vel necessitate, semper femina pro extranea habenda est, quodque dos per statutum rationabiliter demandata, tunc præstari debeat, quando sequatur illa conditio, sine qua iste dotis terminus non intrat, non curando an illius, qui vice, ac nomine populi loquitur, juxta illorum temporum grossitiem, vel exiguorum locorum imperitiam, uno, vel altero modo elocutio concepta fuerit, & præsertim ubi latina, quæ hodie vulgaribus ignota est, atque diversas pro magistrorum qualitate habet phrases, vel modos, spectando etiam rationem, vel finem, sive substantiam verisimilis voluntatis, non autem corticem, & figuram verborum, eodem modo, quo in defunctorum ultima voluntate interpretanda, verius faciendum est, cum istæ interpretationes pari passu ambulent.

Ex eodem autem discursu, vel ratione, de improbabilitate, ac ineptia magis redargui merentur illæ formalitates, ac superstitiones, quæ cum magna quidem nausea leguntur in ea quæstione, an unica dos excludat ab omnibus illis successionibus, de quibus statutum loquatur, vel potius an ex quolibet asse, vel patrimonio dos debita sit, ita dando inconveniens nimis apertum, nimiamque irrationabilitatem, ut eadem puella multas habeat dotes, contra omnem usum, omnemque rationem, ex sola verborum conjectura, & subtili grammaticali significatione, quo nil absurdius nilve ineptius.

Majorem vero omnium irrationabilitatem, ac asperitatem illud redolet assumptum, quod defuncto, de cujus successione agitur, testamentum ordinante, atque cum statuto exclusivo se conformando, indotatis feminis dotem, vel dotatis aliquid modicum benevolentiæ gratia relinquendo, ad exuberantem cautelam per imperitos Notarios potius, quam ex ipsorum testantium voluntate demandando, ut id pro legitima, ac omni eo, quod de jure competat, relictum censeatur, ita inferatur ad agnitionem in suam ut propterea legitimæ locus fiat ad superius recensitos effectus, aliosque similes, quo nil absurdius, cum ita id quod ad ædificandum ordinatum est, serviat ad destruendum, quodque cautela adjecta ad favorem, & gratiam masculorum, qui tanquam magis dilecti honorati sunt, eis noceat, atque diversum producat effectum, interpretando voluntatem in oppositum naturalis veritatis, ob solam superstitionem verborum, quæ Notariorum potius, quam testantium concepta sunt diverso modo, quam ex factis pateat. Vera si quidem, ac rationabilis propositio est, ut hujusmodi leges de intestata successione agentes, cessent in casu testati, atque defunctorum voluntas eis prævaleat, sed fallacia, & irrationabilitas est in applicatione, cum id procedat, quando ejusdem conclusionis, ac regulæ verificatur ratio, cui innixa est, quia nempe constet testatorem æque, vel magis diligere, ac tractare voluisse feminas, ac masculos, atque ita a statuto recedere, illoque non uti, sed potius in contrarium disponere, non autem quando cum illo potius se conformare in animo habuit, ejusque dispositioni com propria voluntate robur adjicere, ut ita masculis excludentibus magis consulatur, dum alias est convertere antidotum, ac medicinam in venenum, quodque noceant ea, quæ ut prosint, ordinata sunt.

a *disc. 3. & 17. & in aliis, eod. tit. de Success. ab intest.*
b *d. disc. 13. & 34. & seq. de dote, & disc. 2. de Legitim. & in aliis pluries.*

OBSERVATIO LIX.

De adoptivorum, vel arrogatorum successione intestata.

Legitime arrogatum cum supremi Principis auctoritate, ita contradistinctum ab eo, qui cum authoritate inferioris Magistratus adoptetur, cui adoptati nomen congruit, pro vero agnato in omnibus haberi debere, etiam ad effectum activæ, ac passivæ intestatæ successionis transversalium arrogantis, antiquæ Romanorum leges disponunt.

Illas vero hodie in litera intelligere, & practicare, magnam quidem primi ordinis irrationabilitatem, cum ineptia, & asperitate conjunctam redolere videtur. Tum ob earundem legum dispositionem variatam, atque intestatæ successionis ordinem immutatum per illud jus, quod novissimum dicitur, per quod sublata antiqua agnationis, & cognationis, ac sexus differentia, sola ratio proximitatis sanguinis, & naturæ attenditur; Tum fortius ob notabiliter immutatos mores, quorum diversitatem in hujusmodi legum intelligentia, & praxi principaliter attendi debere frequenter advertitur, ex ea convincenti quidem ratione, quod cum hujusmodi leges hodie habemus, non ex legislatoris necessaria potestate, qua concurrente, de ratione ex Juristarum sensu quærendum non est, a Sed habeamus ex voluntaria populorum receptione ab eo originata, quod comparatione ad illas leges, cum quibus in illis incultis, ac barbaris sæculis vivebatur, rationabiles, beneque ordinatæ essent; b Hinc ad istos limites rationis, ac bonis ordinis, prout currentibus moribus congruant, attendi debere, omnis ratio, omnisque humanis discursus exigit.

Dictis etenim Romanorum moribus attentis, in quibus sola agnationis ratio habebatur, nedum familiis, & agnationibus in universum, nimium expediebat eas ita per utramque viam naturæ, & artis multiplicari, atque numerosas effici, ut in Comitiis, aliisque contingentiis, majoris essent potentiæ, ac existimationis, ac propterea inter omnes agnatos quædam societas, illudque reciprocum mandatum, quod societati inest, adesse videbatur, ut hujusmodi fierent solemnes arrogationes, quorum solemnitas pro illis moribus publicitatem quoque inducebat, ut propterea isto etiam respectu implicitus adesset agnatorum consensus; Ac etiam quia ob tunc abhorritum, neglectumque cælibatum, qui ad publicos honores, ac munera inhabilitatem producebat, ita quodammodo necessitas cogebat id practicare, ut cum isto arrogationis, vel adoptionis remedio consuleretur inhabilitati.

Hæc autem omnia juxta nostros modernos mores cessant, quinimo in plerisque ditionibus, in Romana præsertim, res est in oppositum; Ideoque his omnibus consideratis, ipsoque usu docente, quod a tempore casualis inventionis, ac receptionis hujusmodi legum, talis successionis casus in praxi secutus non legatur, exinde manifesta resultat asperitas, ac irrationabilitas eorum, qui in sola litera dictarum legum, ac illarum auctoritatum, quæ cum dictis legibus pertranseunt, absque alio discursu, vel ratiocinio, diversum efformant judicium. c Vere quidem contemptibile, ac irrationabile, ex ipsiusmet naturalis discursus, ac rationis aperta repugnantia, ut omnino extraneus, qui morienti fit ignotus, sanguine conjunctos excludere debeat.

Intestata namque successio, testata fingitur, ut nempe ita decedens, testamentum, quod lex ejus vice, ac nomine fecit, facere voluerit, quia sciens quosdam habere sanguine conjunctos, juxta legis communis, vel localis jam statutum ordinem ad successionem vocatos, illosque reputans pro naturali instinctu esse successionie dignos, superfluum, ac inutile reputaverit testamentum condere; Et tamen, ut his non obstantibus, viles, vel indignos, aut abhorritos, sive ignotos a præmoriente fratre, vel alio conjuncto arrogatos, ita invitus habere debeat successores, iis exclusis quos ille voluit, & habere credidit, irrationabilitas quidem, ac ineptia, & asperitas, quibus nullæ majores, ex eodem perpetuo quidem damnando abusu, ac errore manantes, procedendi in litera irrationalium more, neglecto ratiocinio, ac rationalium discursu, per quem homines a brutis distinguuntur. d

a *l. non omnium de l. 16. cum aliis, disc. 35. de Jud.*
b *disc. 1. de Serv. & in annot. disc. 161. de Regal. & disc. 1. de Success. ab intest. & frequenter.*
c *Vet. 10. post dec. Rembold.*
d *De his, disc. 37. de Success. ab intestat.*

OB-

OBSERVATIO LX.

De regulatione intestatæ, vel testatæ successionis ex tempore mortis naturalis, vel civilis.

DUplex in hoc themate dari solet casus, qui dubitandi ansam præbeat, an civilis, vel naturalis mors potius pro successionis regulatione attendenda veniat; Unus nempe ubi in captivitate mors naturalis sequatur, unde præcedat civilis, quæ ea eadem captivitate resultat; Et alter, ubi mors civilis a Monastica, seu regulari professione solemni proveniat, in Religione præsertim pro frequentiori contingentia, quæ etiam in communi bonorum profiteatur incapacitatem.

Utroque casu legum dispositione attenta, civilis potius, quam naturalis mors attendenda venit, sive de testata, sive de intestata successione agatur; Naturali autem veritate, ac ratione spectatis, asperum potius, ac irrationabile dicendum venit, ut idem, de cujus bonis, ac successione agitur, contingente præmorientia eorum, quibus una, vel altera per mortem civilem delata est successio, ipsa bona videat penes omnino extraneos, & quandoque exosos dicto successori ex diverso latere conjunctos, illos vero de proprio sanguine videat exclusos, ac depauperatos, quod ipsi naturali sensui, ac discursui nimium repugnare videtur. *a*

a *disc. 35. de Testamento & disc. 11. de Success. ab intest.*

OBSERVATIO LXI.

De modo computandi gradus in successionibus statutariis, quæ diversæ sint ab ordine juris communis.

VIgentibus præsertim in Italia frequenter enunciatis Statutis, ac legibus localibus pervertentibus intestatæ successionis ordinem a novissimo jure civili præscriptum, ut ita ad antiquas leges, vel antiquos mores fieret reversio, excludendo nempe fœminas, & cognatos propter agnatos intra certum gradum. Hinc orta est inter Scribentes quæstio, quæ ob consuetam factionariam divisionem inter involuta recensenda venit super graduum computatione, an juxta juris civilis dispositionem facienda sit, ut quælibet persona faciat gradum, vel potius juxta illam Juris Canonici, per quam duæ personæ unum gradum constituunt, ut propterea duplicatio, vel respective dimidiatio intret; ut (ex. gr.) quatuor gradus Canonici, quos frequens praxis, occasione impedimenti matrimonialis enumerat, Octo civiles constituant, & sic respective in aliis.

Quamvis autem discurrendo in abstracto cum generalitatibus, probabilior, magisque fundata censenda videatur opinio volentium attendi debere computationem juris civilis, quando ipsa lex aliter non exprimat (dum expressione accedente, utpote in claris non intrant quæstiones, & argumenta) ex ea congrua ratione, quod in hac successionis materia nulla haber partes lex Canonica, quæ solum pro dicto effectu regulandi consanguinitatem, & affinitatem super impedimento matrimonii cum gradu enumeratione se ingerit, dum successio a jure civili normam recipit, ideoque ejus dispositio in graduum computatione potius attendenda venis; Adhuc tamen procedere in litera, vel in hujusmodi generalitate, consuetus producit irrationabilitatum, ac ineptiarum malos effectus, cum ob graduum restrictionem, quando juris civilis computatio attendenda esset, pene fatua, & inutilis, ac inverisimilis ipsa lex remaneret, ideoque ratiocinium pariter in hoc opportunum, imo necessarium videtur, perscrutando nempe usum loquendi regionis, ac tempora, in quibus lex edita sit, necnon qualitatem, seu numerum graduum, ac multi, vel pauci, & breves sint, ut exinde verisimilis voluntatis statuentium desumatur substantia, eodem modo quo in testantium voluntate, frequenter quidem, sed semper utiliter animadversum est, cum a statutis ad ultimas voluntates, & e converso recte detur argumentum. *a*

a *disc. 17. de Success. ab intest.*

OBSERVATIO LXII.

An defuncti ab intestato aversio, vel indignatio cum aliqua persona, apta sit illam excludere ab intestata successione.

QUamvis illorum, qui rationi magis inhærent, sit sensus, ut ubi legitime constet illum, qui ad intestatam successionem a lege sit, vocatus, defuncto exosus ac juste odibilis esset, tanquam ingratus censeri debeat, ideoque ab intestata successione excludendus, clarius vero ubi idem decedens in ejus testamento, quod ex legis subtilitate potius, quam ea defectu voluntatis, ratione alicujus deficientis solemnitatis, vel ea causa exhæredationis, vel præteritionis, aut caducationis ob hæredis præmorientiam, vel ob alium similem defectum non sortiatur effectum, ut propterea eo non obstante intestatus decedat, hunc declaret animum, illumque ab ejus excludat successione; Adhuc tamen magis communis, magisque receptus sensus eorum, qui neglecta ratione, servili more literæ famulantur, & quorum longe major est numerus, id negat, ac talem personam ad successionem admittit. *a*

Evidentem autem irrationabilitatem id sapere videtur, utpote omni rationi naturali, & æquitati, ac humano discursui contrarium, ut nempe ea irrationabili quadam subtilitate legis, seu verius ex ejus mala intelligentia, & applicatione in litera potius, quam in ratione obtinere debeat bona ille, quem constat defunctum abhorruisse, ac noluisse successorem, cum etenim intestatæ successionis ordo per legem statutus, morientium continere dicatur implicitam, vel præsumptam voluntatem, quo non testando huic ordini accomodasse præsumantur, hinc manifesta videtur rationis, ac humani discursus repugnantia, ut hæc præsumptio, vel fictio naturali veritati ita prævalere debeat, cum verius pro facti qualitate, & circumstantiis interponendum videatur judicium, an cum posset valide testari, idque negligendo, ita indignatio cessata videatur, ut propterea a priori recesserit voluntate, vel potius in ea perseverando testatus non sit, quia improvisa, vel inopinata morte præventus non potuerit, aut quia crediderit jam bene testasse. *b*

a *disc. 27. de Success. ab intest.* b *Ibidem.*

OBSERVATIO LXIII.

De successione, & hæreditate paciscentis ex pacto non danda.

FUturam hæreditatem, ac successionem viventis, ex istius pacto, vel conventione obligatoria, & irretractabili, dari non posse leges disponunt, quamvis matrimonii favor, vel intuitus accedat, ut propterea in dotalibus tabulis ita conventum sit, atque ad instar id extendunt Juristæ, quamvis in conventionali fideicommisso pro familiæ, & agnationis decore conservando tali inita esset conventio, quam etiam juris jurandi religionem validam, vel saltem irrevocabilem non efficere credunt, sive de tota, sive de quota sit conventum, ut licet intrinsece ipso jure irrita non sit, adhuc tamen pro libito sit irrevocabilis, triplici desuper assignata fulta ratione; Una nempe ob testandi libertatis ademptionem. Altera ob legis resistentiam, ac prohibitionem, ne hæreditates pacti dentur, cum per solas ultimas voluntates dari debeant; Et tertia ob votum captandæ mortis, quod hujusmodi continent dispositiones, ideoque bonis moribus contrariæ censendæ sint. *a*

Evidentem vero ineptiam, ac irrationabilitatem hæc omnia continent, potissime autem clarius, ubi non de tota hæreditate, sed de quota conventio sit, cum tunc prima ratio cesset ademptæ libertatis testandi, quæ apud Juristas mere legali simplicitate retenta magni fieri solet, forteque omnium aliarum major, ac efficacior reputari; Nulla namque ratio suadet, cur ille, qui mille possideat, per viam quantitatis, ex decem de novem partibus, & ultra pacisci valeat, & per viam quotæ non possit de semisse, & minus, ut ipse rationalis discursus ad sensum clare docet.

Verum ubi etiam de tota sit conventio, quæ tamen justum, ac prudens, & rationabile motivum habeat fortius vero ubi onerosam, & correspectivam potius quam lucrativam redoleant causam, ut pro frequentiori contingentia in ea verificatur conventione, quæ matrimonii intuitu in tabulis fiat dotalibus, vel ubi pro reciproco, sive agnatio fideicommisso sequatur, ideoque pariter justum motivum habeat, magis vero ubi jurisjurandi sincera munita sit religione, cum tunc nulla probabilis ratio suppetat cur hanc datam fidem violare liceat: Præmissis neutiquam refragantibus rationibus, quibus hæc leguleica ineptia, & asperitas innixa est; Singulas namque expendendo parum concludens prima intestabilis ratio est, quoniam hæc facultas non divino, vel naturali jure, cui derogari, vel renunciari non possit, comperit, sed ex humanæ, sed civilis legis benignitate, quinimo plerique eam damnant, utpote continentem rem ipsi naturæ adversam, ut ille qui jam annihilatus est, atque bonorum dominium amplius non habet, in tempore inhabili præcipiat, ac disponat: Ac etiam quia sicuti facto suo potest quis intestabilem se reddere, solemnem puta emittendo professionem in aliqua

pro-

probata Religione, sive in servitutem juxta antiquos Romanorum mores, aut in arrogationem dando, vel ubi in usu sit confiscatio, delinquendo, aut tantum contrahendo æs alienum, quod assem longe superet, ut propterea de facto inanis reddatur ista testandi facultas, ita non videtur quænam ratio suppetat, ut ex pacto, quod juramentum, ac justum habeat motivum, id fieri non valeat.

Minoris vero momenti est altera legis resistentiæ ratio, ut hæreditates pactis dari non valeant; id etenim a legum civilium Romanorum subtilitate, ac superstitione quadam provenit, ideoque nulla ratio prohibet cur illi renunciari non possit. Ea præsertim pluries insinuata consideratione, quod nisi hujusmodi legum moderna casualis inventio, ac receptio secuta esset, adeout hujusmodi subtilitatum, ac superstitionum notitia non haberetur, tunc nostræ communicationis Orbis eodem continuaret jure, vel usu, quo intermedio spatio septem, vel octo sæculorum durante, hujusmodi legum sepultura, vixit, atque hoc posito, cum juramentum ex Canonum dispositione semper ad observantiam obliget, quando bonis moribus naturalibus non resistat, vel bonum publicum principaliter non lædat, hinc non videtur cur in hac prohibitione, quæ a positivo mere laicali jure manat, illud suam facere non debeat operationem, potissime dum idem jus non ex legislatoris necessaria potestate sed ex voluntario populorum usu vim recipit, ideoque ab eodem usu declarationem, vel restrictionem recipere debeat.

Fabulosa demum nostris temporibus in Christiano Catholico Orbe pro ejus currentibus moribus a Christiana Religione, & pietate regularis censenda venit illa tertia ratio, quæ forte apud antiquos Ethnicos Romanos carentes Religionis, ac æternæ vitæ stimulo, pro illis moribus considerabilis esse poterat, voti nempe captandæ mortis, quoniam illa etiam cadere deberet in ingenti donatione, vel in alia conventione, cujus dilata sit executio post mortem, vel in Regnis, & Principatibus, aut in feudis pacti, & providentiæ, & in fideicommissis, aliisque similibus necessariis successionibus, ac etiam in investituris abusivis, & in gratiis expectativis, vel in coadjutoriis, atque in fructuum, vel pensionum reservationibus super dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis, & tamen hæc ratio negligitur. b

Tunc autem super hujusmodi futuræ successionis, ac hæreditatis pactis, & conventionibus probabilis dubitandi ratio cadere potest, quando cessante justo motivo nimiæ imprudentiæ, simplicitati facientis, & e converso calliditati, ac seductioni recipientis, actus ob nimiæ inverisimilitudinis rationem sit referibilis, ac propterea illa dignoscatur voluntatis defectus, qui a natura potius, quam a juris civilis præmissis subtilitatibus, ac superstitionibus provenit, cum hunc defectum juramentum non suppleat, eo quia illud est pietatis, ac Religionis vinculum, non autem fraudis, & impietatis fomentum. Ista vero consideratione cessante, omnimodam improbabilitatem, ac ineptiam redolent præmissæ nostrorum majorum traditiones, a consueta derivantes simplicitate, vel æquivoco attendendi antiquas Romanorum, vel respective modernas Græcorum leges in litera, ad hujusmodi distinctiones, & considerationes non reflectendo. Si etenim juramentum, quod præfatum naturale non patiatur vitium ab eodem moderno jure Civili, magis vero a Canonico, efficax reputatur, ut illum suppleat defectum, qui a minori provenit ætate, in qua minus perfectum, præsumitur judicium, ut propterea aliquis naturæ defectus adesse dicatur, hinc multo magis hujusmodi defectus, qui ex mera legis positivæ, & sæcularis subtilitate derivant, supplere debet, ideoque inter Pragmaticorum irrationabilitates, ac ineptias merito id recensendum videtur. c

a *De fideicommiss. disc. 141. & de Renunciat. disc. 16.*

b *d. disc. 141. 213. & 216. de fideic. disc. 1. de Emphyt. & disc. 16. de Renunc. & alibi.*

c *Eisdem locis supra citatis.*

OBSERVATIO LXIV.

De Pactis super futura hæreditate, & successione tertii viventis.

Eadem legis Civilis prohibitio eisdem innixa rationibus, quæ in præcedenti habentur observatione, super pacto futuræ hæreditatis, ac successione ejusdem paciscentis, in hac specie quoque dignoscitur pacti, vel conventionis super hæreditate, ac successione tertii, cujus propterea consensus præcise necessarius pro validitate actus requiritur, neque ille sufficit, nisi usque ad obitum perseveret, ac propterea est pro libito revocabilis, Verum etiam in hoc ineptia, & irrationabilitas dignoscitur.

Ubi etenim sincera sit pactio, quæ justum, ac prudens, & rationabile motivum habeat, atque onerosum potius, & correspectivum redoleat contractum, juxta casus eadem præcedenti observatione ponderatos, tunc ex eisdem rationibus, & argumentis, eadem resultat irrationabilitas, ac ineptia, ubi præsertim accedat vinculum juramenti; Ita etiam fraudibus, & collusionibus aperiri videatur aditus, ut ii, qui hujusmodi legum subtilitates, ac superstitiones non callendo paciscentium sequatur fidem, illosque faciant correspectivos actus, quos alias acturi non essent, ita elusi & circumventi remaneant, quod utique absurdum, ac asperum, & irrationabile censendum est, naturæ legi oppositum, cujus anima est ratio. Potissime vero ubi pro locorum moribus, ac personarum qualitatibus ipsa conventio quodammodo connaturalis, atque usus recepta sit, ut in illis contingit renunciationibus, quæ per puellas carnali, vel spirituali dote provisas fiant, aut in hæreditamentis, quæ pro filiarum, vel conjunctarum dote, vel ejus parte pro magis qualificato matrimonio promittantur, & assecurentur; cum similibus, quibus eadem congruat ratio, ideoque pariter inter simplicitates, ac ineptias id recenseri merentur, ab eadem derivantes origine attendendi antiquas leges in litera, non reflectendo ad morum, ac temporum, aliarumque circumstantiarum diversitatem, & ex qua diversitate revera hodie in omnibus judicium efformandum est, quando rationabile, non autem fatuum, ac irrationabile illud efformandum sit; Ubi etenim legislatores, & Jurisconsultos irrationales viros præsupponamus; tunc admittitur, ut cum hujusmodi legalibus procedatur propositionibus in litera; Secus autem si rationales, quoniam tunc non in litera, sed in spiritu procedendum est.

a *disc. 16. de Renunc.*

DE TESTAMENTIS, ET CODICILLIS, ALIISQUE ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

OBSERVATIO LXV.

De variis Testamentorum formulis, & formalitatibus.

In duo genera testamentorum prior divisio est, unum eorum, quæ de jure communi, eorumque regulari natura privilegiata sunt, & alterum non privilegiatorum. Privilegiata sunt illa, quæ ad pias ordinantur causas, vel per parentes inter liberos absque notabili inæqualitate, atque in hoc genere sola naturalis probatio, quacunque neglecta solemnitate, sufficit, & merito, ac rationabiliter quidem; In illo nempe parentis inter liberos, quia distributionem quandam a natura, seu naturali instinctu demandatam potius, quam dispositionem fraudis, & machinationibus subjectam importare dicitur, a Et in altero ad pias causas, quia ejusdem fraudis, vel machinationis cessat suspicio, ob quam lex tot induxit solemnitates, ac etiam quia Ecclesia, & pia causa juris positivi civilis solemnitatibus non subjacet, sed naturalem veritatem attendi debere Canones disponunt, iisque rationibus id referendum est, non autem privilegio particulari, quod eadem lex positiva concesserit, ut superficialium vulgus opinatur, ac propterea in hoc etiam dignoscitur ineptia. b

Quamvis etenim inter testamenta privilegiata, militare quoque recenseatur ac etiam illud, quod ruri, aut tempore pestis fiat, ut tot non exigant solemnitates; attamen per accidens id sequitur, minusque sola probatio naturalis sufficit cum solum aliqua solemnitatum pars in eis remissa sit, ideoque sub sequenti genere cadunt. c

In altero itaque testamentorum genere, quod extra liberos, ac extra piam causam fiat magna quidem hodie dignoscitur varietas, quæ nimium evidenter legalis facultatis hodiernam comprobat irrationabilitatem, & inconstantiam; Si enim solemnitatum requisitum naturali rationi innixum esset, exinde sequeretur, ut illud in omnibus testamentis, aliisque ultimis voluntatibus æqualiter desiderandum veniret, cum omnibus eadem congruat ratio, cujus contrarium ipsæmet leges civiles docent, quoniam ultra enunciatas differentias ab ipso jure civili inductas in testamento, quod in castris, vel ruri, aut pestis tempore fiat, illa quoque ex eodem jure manat differentia inter testa-

stamentum, & codicillos, vel alias ultimarum voluntatum species, ut in testamento septem requirantur testes, qui viri literati se subscribant, atque sigilla apponant, ac etiam sint rogati, aliaque habeant requisita, ubi testamentum solemne sit, ac etiam testatoris habeat subscriptionem; Nuncupativum autem eundem habeat numerum testium, cum aliis solemnitatibus in apertura, & publicatione requisitis; Codicilli vero, aliæque species ultimarum voluntatum quinque sint contestæ testibus, totque non exigant solemnitates; Et tamen effectus, veritate inspecta, est idem, dum ob jam receptam facultatem prohibendi trebellianicam, & falcidiam, revera idem est effectus, idemque emolumentum ex testamento jure directo, vel ex codicillis jure obliquo resultat, totam in hæreditatem assequendo. Igitur spectato effectu, manifestam redolet superstitionem omni ratione destitutam hæc adeo notabilis differentia inter testamentum, & codicillos, aliasque simplices ultimas voluntates super majori, vel minori solemnitatum requisito.

In eodem item testamentorum ad prophanas causas genere, nostræ Italiæ (quæ aliarum comparatione, exigua quidem Provincia est) attentis moribus, mirabilis est diversitas; Attento siquidem jure Romanorum, quod commune civile dicitur, generaliter septem desiderantur testes, cum tot aliis solemnitatibus, & requisitis, ut supra; In Ecclesiæ vero temporali ditione, ac etiam extra, in testamentis Clericorum, ad Canonici juris præscriptum, solus Parochus, vel Confessarius cum duobus testibus, vel sine Parocho quatuor testes sufficiunt, d Et in Veneta, Lucana, Senensi, ac aliis Civitatibus, atque in adjacenti Sardiniæ Insula, aliisque locis sufficiunt tres testes, e In Pedemontana vero Regione quædam judicialis, magisque publica requiritur solemnitas, f cum similibus differentiis; Atque in ipsamet Urbe mirabiliter istæ dignoscuntur differentiæ quoniam inter laicos cives, & incolas, qui Romanos Statuto sint subjecti, illo generaliter disponente, ut jus civile Romanorum servari debeat, septem testes, aliæque solemnitates juris civilis desiderantur, idque in his testamentis in Urbe conditis, adeo rigorose super ejusdem juris civilis solemnitatibus practicatum est, ut quamplura irritata fuerint testamenta, ideoque nimium excessiva asperitate, ac irrationabilitate hæc judicia non immerito redarguenda veniunt. g In iis vero, qui ob ecclesiasticam forensem qualitatem statuto non sunt subjecta cum juris Canonici dispositione proceditur, ut propterea dum testes cum Parocho, vel Confessario, aut sine isto, quatuor sufficiant testes, magnas desuper quæstiones retexendo in illis sæcularibus, qui diuturnam in Urbe vitam duxerunt, an occasionalis eorum mora fuerit, ut propterea verum non contraxerint domicilium, ideoque ad formam juris Canonici potius, quam civilis sufficiat eos esse testatos. h In Cardinalibus autem, vel Papæ domesticis, & familiaribus, ac aliis, quibus etiam Papæ placeat illud concedere indultum, quod apud antiquiores præsupponitur Cardinalium singulare, cum sola naturali probatione ad instar testamenti ad pias causas admittitur, atque cum nimia facilitate, ac lautudine proceditur, in privatæ schedulæ recognitione, ut propterea latus fraudibus, & machinationibus aditus, cum eorundem indultariorum quandoque præjudicio aperitur. i Tantus itaque irrationabilitatum, ac ineptiarum cumulus dignoscitur, ut in eadem Civitate, eodemque populo cujus uniformes sunt mores, atque in eodem actu, cui eadem indivisibilis, ac naturalis ratio congruit, tot habeantur diversitates; Si enim actus est de sui natura suspectus, utpote falsitatibus, & machinationibus subjectus, ac propterea lex induxit tot solemnitates ad certam probationem, igitur irrationabilitatem continent leges, & indulta; quæ istud concedunt privilegium, quod odium potius continet, quia facilius testantes machinationibus subjacent; l atque si actus de sui natura id non exigit, ergo irrationabiles sunt leges, quæ tot solemnitates, & rigores induxerunt.

a *de Testam. inter liber. disc. 26. & 27. de Test.*
b *de Test. ad pias causas, disc. 13, & seqq. eod. tit. de Test.*
c *de Test. militari, disc. 18. de Test. & de facto tempore pestis, disc. 27. eod. tit.*
d *disc. 25. de Test.* e *disc. 10. & 11. de Test.*
f *disc. 12. de Test.*
g *disc. 2. & 3. & 5. de Test. cum seq.*
h *Otthob. dec. 145. dec. 369. & 372. p. 9. rec.*
i *disc. 6. & seqq. eod. tit. de Test.*
l *d. disc. 6. & disc. 8. de Test.*

OBSERVATIO LXVI.

De filiorumfamilias intestabilitate.

ANtiquis Romanorum legibus intestabiles reddentibus eos, qui in patris, vel avi sunt potestate, & quasi filiifamilias nuncupantur, utpote alieni potius, quam proprii juris viri, ex ea præsertim congrua ratione ista resultante intestabilitate, quod eo tempore, vel eo statu aucento, cessabat attestandi, vel aliter disponendi subjectum, dum filiusfamilias, dominii, ac possessorii jure proprio, ac etiam habendi hæredem, & successorem incapax erat, ideoque servo assimilabatur, quoniam totum id, quod acquirebat, patri acquirebatur. Earumdem legum dispositionem adhuc hodie vigere concors Juristarum, ac etiam Moralium schola credit, quod utique manifestam redolet simplicitatem, ac ineptiam, nulli probabili innixam rationi; Illa siquidem ratio, cui, ut supra, antiquiores leges innitebantur, hodie jam cessat, quoniam per recentiores leges sub juris novissimi vocabulo explicari solitas, quæ Græcorum potius, quam Romanorum dici merentur, consideratio cessantis subjecti non intrat, dum filiifamilias, patriæ potestatis nexu non obstante, ejus quod acquirunt, etiam ab ipsis parentibus, in quorum potestate sint, ubi titulo validæ donationis, non autem simplicis assignationis peculii sequatur, dominium, ac possessionem obtinent, Ac propterea hæredem intestatum, patrumfamilias ad instar, eum eodem successionis ordine habent, adeout in nihilo patria potestas meliorem patris, vel avi faciat conditionem; Ac etiam quia eorumdem patrumfamilias more, omnes faciunt contractus, libereque disponunt, salvo illo usufructu, quem lex patri reservat; ideoque nulla videtur subesse congrua ratio, cur filiusfamilias vivens, dissipatorios, ac læsivos, fraudibus, & læsionibus subjectus actus inter vivos facere valeat, prohibeatur vero moriens hæredem, ac successorem sibi destinare, magisque prudentem, ac laudabilem, atque in jure favorabiliorem actum facere, a Et per consequens inter legales superstitiones, & irrationabilitates pariter id recensendum videtur.

a *disc. 34. de Testam. ubi de testamento filiifamilias.*

OBSERVATIO LXVI.

De prioris testamenti irrevocabilitate, ac professoris inefficacia, ubi certa non adjiciantur verba vel signa.

MOdernorum est cautela, antiquis forte ignota, impediendi operationem legalis dispositionis, ut per posterius validum, ac perfectum testamentum, prioris revocatio resultet, quamvis revocatoriæ clausulæ, vel verba non adjiciantur, ut non procedat quando in priori illa adjiciatur cautela, quæ a practicis nuncupatur derogatoriarum derogatoria, quod scilicet illud per posteriora unum, vel plura non censeatur revocatum, nisi in revocante quædam verba, vel signa in primo expressa adjiciantur. a An autem ista cautela operativa sit necne, & quatenus sit, an in præcisa forma debeat impleri, sub quæstione est; Aliquibus eam invalidam, & captiosam reputantibus, quasi quod ita sit legi fraudem facere, illumque actum, qui de sui natura est pro libito revocabilis, facere irrevocabilem; Aliis vero eam laudantibus, atque prudentem reputantibus, ut ita infirmorum præsertim, & morientium violentis concussionibus, ac importunis molestiis occurratur, ideoque juxta cujuslibet genium dividuntur in judicando, vel consulendo fori professores; unam, vel respective alteram generaliter, ac indefinite sequendo opinionem, ut vel simpliciter damnanda, vel respective simpliciter laudanda, & approbanda sit ista cautela.

In hoc autem quoque irrationabilitas, ac ineptia versatur, ita generaliter, ac indefinite in sola auctoritatum litera in omni casu procedendo, perinde ac si de juris articulo agatur, cum verius facti quæstio potius censenda sit, decidenda ex singulorum, seu particularium casuum circumstantiis, bonam, vel malam fidem respective comprobantibus, an scilicet ex eis probabiliter, ac saltim adminiculative constet serio, ac prudenter eam adjectam esse cautelam a testatore, ut illis occurrat importunis molestiis, vel seductionibus, quibus graviter infirmi, ac moribundi subjecti esse solent, ut inviti testari cogantur, dum ita a molestiis se eximendo, ad id deveniri solet cum certitudine, quod actus inutilis remaneat; Vel e converso sit testamentarii fraudulenta, & captiosa cautela, ita reddendi testatorem intestabilem, ac testamentum irrevocabile: Rationalis itaque viri est cum hujusmodi reflexionibus, & considerationibus

nibus procedere pro facti qualitate, & circumstantiis, non autem cum generalitatibus in abstracto, vel cum auctoritatum litera in omni casu, cum tunc ineptiæ, ac irrationabilitatis vitium adesse dicatur.

Idemque, posita hujus cautelæ validitate, & efficacia, sequitur super ejus implementum, an præcisum esse debeat, vel æquipollens sufficiat, ut pariter ex facti qualitate decisio pendeat, an præcisa forma neglecta sit, quia testator sciens, ac volens ex prædicta ratione eam adhibere neglexerit, vel e converso non adhibuerit, quia oblitus fuerit, revera tamen cum ultima decedere, omnesque alias præcedentes dispositiones revocare in animo habuerit, ideoque non litera, vel verborum formalitas, sed ratio legis, atque veritatis substantia debet attendi, ac aliar ineptia, & irrationabilitas adesse dicatur. *b*

a *disc. 76. de Test.* b *Eod. disc. 76. de Test.*

OBSERVATIO LXVIII.

De Testamenti nullitate ratione præteritionis, ejusque salvatione a Clausula codicillari, vel æquipollenti.

ILlud pluries enunciatum jus novissimum, quod Græcorum potius, quam Romanorum dici meretur, eam induxit superstitionem, ut ubi etiam liberis, vel parentibus, quibus legitima debetur, in toto, vel in parte illa requiratur, id non sufficiat, nisi honorabilis institutionis titulus adjiciatur, & sine quo adesse dicatur quoque præteritio, eodem modo quo si omnino neglecti forent, ut proinde ipso jure testamentum irritum sit; Idemque magis, ubi vera, & omnimoda naturalis accedat præteritio, vel exhæredatio sine causa.

Istum autem rigorem Interpretes in parte moderari curarunt cum clausula codicillari, vel altera *omni modo meliori*, per quas ubi præteritio scienter facta sit, testamentum resolvitur in codicillos, per quos ab intestato venientes, legitima retenta, trebellianica vero denegata ob prohibitionem duarum contemporanearum detractionum ex fideicommisso puro, istius juris gravati censeantur hæreditatem restituere illis, quantum favore in testamento dispositum sit; Magis communiter tenendo, ut hujusmodi clausulæ suam faciant operationem, quamvis non constet, de testantium præcepto, & voluntate adjectas esse, sed potius verisimilitudo urgeat id secutum esse ex stylo, & formulario Notarii, ipsis testantibus earum vim, & operationem non callentibus, ut præsertim in mulieribus, & rusticis aliisque idiotis contingit. *a*

Hæc autem omnia irrationabiles continere videntur superstitiones, ac formalitates omni ratione destitutas, inutiles inducendo circuitus, ac litium, & calumniarum fomentum; Ita etenim a peritia, vel imperitia, vel a voluntate Notarii pendere dicitur ultima testantium voluntas, ut hujusmodi clausulas adjiciendo, illa suum sortiatur effectum, secus autem negligendo, ideoque est dare inconveniens ab ipsis met Romanorum legibus adeo abhorritum, ut ultima voluntas morientis ab alieno pendeat arbitrio; Ac etiam quia veritate inspecta, id nullum continet effectum, sed prorsus inanem importat circuitum; Nihil enim refert, an directum jus hæreditarium testamentarii, vel intestati sit; dum pariformiter testamentarius totum obtinet, quod ex testamento valido, atque huic vitio non subjecto obtinere, ac sperare potest, & e converso intestatus nihil plus assequitur, quam legitimam, in casu testamenti validi, & perfecti adhuc assequibilem, atque non denegandam, ideoque non videtur ad quid hujusmodi formalitates deserviant, utpote sine aliquo effectu, quo cessante superstitionis titulus merito intrat, cum sola veritatis substantia apud rationales viros attendenda veniat, & an scienter, vel ignoranter præteritio, vel ex vero, sive e converso falso præsupposito exhæredatio secuta sit pro regulatione voluntatis, quæ in casu ignorantiæ, vel falsi præsuppositi deesse dicitur. *b*

a *disc. 57. cum plur. seqq. de Test.* b *Locis supracitatis.*

OBSERVATIO LXIX.

De localibus legibus, quæ mulieribus absque aliqua majori solemnitate testari prohibent, an valeant, & an locum habeant ubi in loco exempto dispositio facta sit.

EOdem modo, quo ex motivo fragilitatis sexus, facilisque seductionis, aliquæ Italiæ locales leges, mulieres quamvis ætate majores, ad contractus, & obligationes, vel alienationes faciendas absque certis solemnitatibus inhabilitant, irritos aliar declarando actus; Ita aliquæ, licet minus frequentes leges locales in factione testamenti quasdam in eis desiderant solemnitates ultra ear, quas Jus commune generaliter in testamentis præscripsit. Eis vero non servatis, adhuc plerique volunt sustineri testamenta, vel quia hujusmodi leges per subditas Civitates conditæ invalidæ censendæ sint, utpote libertatem testandi ab ipsamet natura concessam adimentes, vel restringentes, aut ita inducentes, ut morientis ultima voluntas, ab aliena pendeat voluntate; Vel quod ubi etiam leges valeant, atque servari debeant, adhuc tamen earum dispositio cesset, ubi juramentum accedat, vel quod in Ecclesia, aut in alio loco facto, & exempto a sæculari potestate conditum sit, cum similibus. *a*

Verum, & hæc inter leguleicas ineptias, & irrationabilitates recenseri merentur, quoties istæ locales leges, quamvis per subditas Civitates conditæ sint, supremi Principis auctoritate ita sint munitæ, ut generaliter juri communi prævalere debeant, quamvis illi adversentur. Ubi etenim hanc non habeant auctoritatem, tunc peculiaris testamentorum materia nil speciale operatur, cum generaliter in quibuscunque aliis, quæ juri communi adversantur, illæ suam non faciant operationem: Potestate vero in aliis indifferentibus actibus præsupposita, tunc nulla subest ratio, cur in testamentis idem dicendum non sit, cum ex alias insinuatis, factio testamenti, atque rerum suarum dispositio post mortem, quando quis amplius non est dominus, atque annihilatus est, ideoque in tempore inhabili, non a jure naturæ proveniat, ut inepte aliqui literæ famulantes, vel solam superficiem callentes opinantur, sed a legis civilis, vel positivæ benignitate, cui altera lex positiva derogare potest; Quemadmodum etenim Romanorum leges cum ini solemnitatibus hanc potestatem restringere, aliæ vero diversarum ditionum leges posteriores easdem solemnitates in parte remittere potuerunt: Ita non videtur cur lex localis alias addere non valeat solemnitates, ubi pro regionis moribus ita sexus imbecillitati occurrere videatur.

Exemptionem vero loci, in quo actus fiat, vel juramentum, quo idem actus muniatur, consideratione digna non videri probabilior ratio suadet, cum inhabilitationem personæ lex percutiat, ne alias testandi obtineat facultatem, quam sicuti servis, ac Religiosis professis, & filiis familias lex adimere potuit, ita non videtur, cur alteri personarum generi adimere non valeat etiam generaliter, & indefinite illas absolute faciendo intestabiles, vel reddendo eas tales quatenus certam ab ea præscriptam formam non servent, ut in cæco præsertim habetur.

a *De materia disc. 19. cum duobus seqq. de Testam.*
b *De Testam. Cæci, disc. 33. de testam.*

OBSERVATIO LXX.

De certa probatione identitatis schedulæ testamentariæ, ut suppositionis excludatur possibilitas.

ADinventa (judiciose quidem, ac rationabiliter) per Juris Civilis interpretes, quadam media testandi forma, per quam scrupulosæ subtilitates, ac superstitiones a legibus Romanorum in testamentis solemnibus inductæ evitentur, utpote raro ad praxim deducibiles, adeout revera claram redoleant superstitionem, ac etiam evitetur illa publicitas, quæ nuncupativo inest testamento, ob commune hominum votum, ut nonnisi post mortem eorum pateat voluntas, ut nempe nuncupativum fiat testamentum cum implicita nuncupatione relative ad schedulam testamentariam, quam penes aliquem fiduciarium, vel in certo designato loco relinquere testator profiteatur, vel quod clausam, & sigillatam coram testibus Notario custodiendam tradat, nonnisi post ejus mortem aperiendam; Hinc super ista testandi forma, quæ rejectis aliquorum criticorum superstitiosis dubitationibus jam in praxi, etiam quoad hæredes institutionem est recepta, *a* non modici invaluerunt asperitates, ac irrationabilitates super identitatis schedulæ omnino certa probatione, quæ contrariam excludat suppositionis possibilitatem, ac propterea antiquæ supra enunciatæ superstitiones, quas leges Romanorum in testamento solemni induxerunt, & pro quibus abolendis ista diversa forma introducta est, restitutæ videntur.

Istud autem inconveniens ex eodem oritur vitioso fonte procedendi cum auctoritatum litera, seu mala applicatione, ut illæ auctoritates, quæ alios percutiant casus, in quibus machinationis, ac suppositionis probabilia urgeant

argu-

argumenta; quibuscunque aliis casibus, quibus eadem non congruat ratio, applicentur. *b* Id etenim irrationabilitatem, ac ineptiam redolet, quoniam naturaliter impossibile est talem dari certam probationem, per quam contraria fraudis, & machinationis excludatur possibilitas, ideoque ne alias omnes inviti intestati decedere cogantur, cum morali potius, ac probabili, quam cum physica probatione procedendum est, legis ratione principaliter attenta ex facti qualitate, & circumstantiis desumenda; præsertim vero an verisimilem, vel inverisimilem, seu bene, vel male ordinatam contineat dispositionem, & quænam sint majora veritatis, vel falsitatis, & suppositionis argumenta, non autem cum litera auctoritatum, vel cum propositionum generalitate, ut quod in diversis casibus consultum, vel judicatum est, in quibuscunque aliis diversas habentibus circumstantias, consulendum, ac judicandum sit, cum id apertam ineptiam redoleat, ac irrationabilitatem, dum ita inanis remanet hæc nova forma ad hunc effectum inducta, ut tollantur antiquæ superstitiones, per quas de facili testamenta abolentur. *c*

a *disc. 1. de Testam. cum plurib. seqq.*
b *Ibid.* c *Ibidem.*

OBSERVATIO LXXI.

De testamentorum invaliditate ex defectu voluntatis, non autem solemnitatum, quia nempe conditum sit per nutus, & signa ad interrogationem alterius. Vel quia ad falsas, ac dolosas suggestiones. Aut quia infirma prætendatur mens. Vel quod voluntas adhuc imperfecta sit, ad terminum testandi non redacta.

SOlemnitatibus, quæ in Testamentis pro eorum diversa qualitate requiruntur, bene, ac sufficienter adimpletis, frequenter eorum invaliditas per intestatos successores, aut per priores testamentarios deduci solet ex defectu, vel imperfectione voluntatis, quæ omnes tangit species, illasque non admittit distinctiones, quæ in altero solemnitatum defectu inter liberos, & extraneos cadunt, sive inter piam, & prophanam causam, dum liberorum, vel piæ causæ favor, solemnitatum quidem supplet defectum, utpote juris positivi ex cessante causa, vel ratione, ob quam illæ desiderantur, non autem alterum voluntatis, utpote naturalem. *a*

Multiplex autem iste defectus esset solet; Vel quia ad interrogationem alterius per verba affirmativa, vel per nutus, & signa dispositio concepta sit; *b* Vel quia ad alterius falsas suggestiones contra illos, qui alias justa naturæ ordinem institui deberent, sive qui in priori testamento instituti sint; *c* Vel quia infirma tunc præsupponatur mens, ut propterea testandi facultas non competat. *d* Vel demum quia adhuc imperfecta sit voluntas, ex eo quod superventa mora, vel aliud accidens illam impediat omnimodam actus perfectionem, quam desiderari, vel præordinatam esse constet, *e* cum similibus imperfectionibus voluntatis, quibus eadem congruat ratio.

In his autem respective casibus, non infrequentes forus asperitates, ac irrationabilitates cum ineptia conjunctas experitur, ex eodem consueto fonte manantes procedendi cum auctoritatum litera, vel cum propositionum generalitate, non reflectendo cum debito discursu, vel ratiocinio ad singulorum casuum circumstantias, illam præsertim verisimilitudinis, vel inverisimilitudinis, ac bonæ, vel malæ dispositionis; Facti namque potius, quam juris istæ censendæ veniunt quæstiones pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulare debentibus judicis arbitrium, ut boni, ac prudentis, & rationalis viri partes expleat, non autem mali, ac imprudentis, & irrationalis; Præsertim vero iis, quæ juris sunt, an Scriptorum auctoritatibus, vel Tribunalium decisionibus deferendum sit, combinando scilicet unius, vel respective alterius casus circumstantias, & an earum combinatio adesse dicatur necne: Manifestæ siquidem fatuitatis, ac ineptiæ speciem sapit, ita regulare inverisimilem, maleque ordinatam dispositionem, quæ de sui natura machinationis, vel fraudis speciem redoleat, ac alteram verisimilem, beneque ordinatam, quæ machinationem, ac fraudem excludat, sive ita regulare illam imperfectionem, quæ sit circa ipsam præcisam individuam dispositionem, & illam, quæ sit circa alias dispositiones, postquam illa, de qua fit quæstio, jam bene perfecta, & completa sit, nullaque urgeant probabilia argumenta, quod in eo instanti revocationem, vel moderationem recipere debeat cum similibus considerationibus, quæ rationalium more, cum ratione potius, quam cum litera legum haberi debent, atque alias error est perpetuus procedere cum litera, vel cum traditionibus more irrationalium, sive cum judaico, vel grammaticali stylo, potius quam cum illo professorum juris, cui non scientiæ, sed prudentiæ potius attributum congruit.

a *disc. 23. de Testam. & in aliis eod. tit.*
b *De hac specie, dis. 33. & 39. tit. de Testam. & disc. 78.*
c *De hoc disc. 33. eod. tit.*
d *De hoc disc. 38. cum pluribus seqq. eod. tit.*
e *Et de hoc disc. 23. & seqq. eod. tit.*
f *Locis supra citatis.*

OBSERVATIO LXXII.

De Senatusconsulto Liboniano, super iis, qui testamento sibi adscribunt.

ILlorum temporum ita exigentibus moribus, quando solemnior vel in scriptis testamentorum rigorosa in usu erat forma, ob tunc forte expertas fraudes, antiquæ leges, quæ vere sunt Romanorum, utpote in Urbe ante Imperii translationem in Græciam sub ethnicis Imperatoribus ex responsis prudentum depromptæ, cum Liboniano Senatus consulto contra sibi in testamento adscribentes, rigorose agunt, ut nedum eadem dispositionis infectio resultet, sed etiam falsitatis punibilis præsumptio; *a* Istarum denique legum dispositionem ad literam (excusabiliter tamen) primi interpretes accipientes, cum eis indefinite processerunt quoad infectionem actus, quo vero ad punitionem, ad sinceritatem, ac bonam fidem respectum habuerunt, ut ista excuset, non autem validam reddat dispositionem, atque cum hoc sensu recentiores, insequendo antiquiores, processisse videntur. Aliqui vero ad testantis qualitatem, ac privilegium reflectendo, volunt, ut Cardinales, & alii qui Pontificium, vel alterius supremi Principis indultum habeant, huic Senatus Consulto non subjaceant. *b*

Utrumque vero assumptum vitiosum videtur, atque irrationabilitatis, ac ineptiæ defectu laborare; Vitiosum namque censendum est hodie ob immutatos mores, immutatamque religionem, ac superventam christianam pietatem, cum dicto ethnicorum antiquo rigore circa istam falsitatis præsumptionem ita rigorose procedere, ut quando veritatis, ac sinceritatis probabilia accedant argumenta, adhuc tamen id ad excusandum a pœna solum sufficiat, non autem, ut sustineatur dispositio, ideoque juste, ac rationabiliter aliqua magna Tribunalia diversum habuerunt sensum, *c* cum potius veritatis substantia, quam rigor formalitatum attendi debeat; Et e converso vitiosum quoque est, ut ob minus solemniter testandi facultatem, præfatarum legum dispositio, vel enunciatum Libonianum Senatus Consultum intrare non debeat, *d* quoniam id non percutit solemnitatis, sed voluntatis defectum, inductumque est ad occurrendum fraudibus in ipsorum testantium gratiam, & indemnitatem, ideoque deterioris conditionis esse non debet indultarius, quam ille, qui tali careat indulto, dum ita esset retorquere in odium id, quod favore inductum est. Hinc namque sequitur, ut consuetæ irrationabilitates, ac ineptiæ dignoscantur ex dicto vitio resultantes procedendi cum litera legum, & auctoritatum, non autem cum ratione, ac spectato fine vel effectu per leges considerato, quodque in ista voluntatis, ac facti potius, quam juris quæstione, cum generalitatibus conclusionum procedi non debeat, sed cum circumstantiis facti, præsertim vero cum illa utriusque qualitatis Testatoris, & testamentarii, & an primus sit talis, quod verisimiliter testamentum non subscripserit, neque Notario præsentaverit, nisi attente, & accurate legerit, ubi sit clausum, & an dispositio sit verisimilis, cum similibus considerationibus, pro locorum, personarum, temporum, ac bonorum qualitate. *e*

a *In juribus relatis disc. 8. de Test.* b *Jacob. Gall. cons. de quo eodem disc. 8. de Testam.* c *d. disc. 8.* d *Jacob. Gall. cons. 50. cum aliis d. disc. 8.* e *Eod. disc. 8.*

OBSERVATIO LXXIII.

Testamentum ad favorem conjunctorum cum assertione pietatis, vel cum alicujus pii operis injunctione, an pium, vel prophanum censendum sit.

PEr classes, cum consueta opinionum scissura, disputant Juristæ, ac etiam Morales istam quæstionem, an testamentaria dispositio facta ad favorem conjuncti, cum expli-

sita ratione pietatis, vel cum illis implicita, quam suadeat paupertas ejus, cum quo dispositum est, sive causas disponendi, puta pro dote, vel pro alimentis, & similibus, dicenda sit prophana, utpote referibilis ad motivum sanguinis, vel potius pia ex motivo animæ; Unde moderniores in litera, vel cum numero auctoritatum ambulantes Arithmeticorum potius, quam Jurisconsultorum assumendo partes, cum solito improbo contemptibili labore probare satagunt, quænam opinio sit magis communis, a Id autem ineptiam quoque redolet, cum verius attenta ratione, cum qua procedendum est, facti, & voluntatis potius, quam juris dicenda sit quæstio, a facti qualitate, & circumstantiis regulanda, & decidenda; Ubi etenim disponens nullum exprimat suæ intentionis motivum, ut propterea ad juris præsumptionem recurrendum sit, tunc sanguini potius, quam pietati ea referenda veniat, quamvis paupertas quoque accedat, nisi alia urgeant diversæ voluntatis argumenta, quæ huic legis prævaleant præsumptioni, Si vero exprimat causam pietatis, puta quia pro ejus anima, vel pro amore Dei ita disponere profiteatur, & tunc inspiciendum est, an istius causæ assertio tertii, vel Reipublicæ, aut legis fraudem continere valeat, necne, ut quando contineat, tunc assertio non attendatur, nisi aliunde ejus veritas justificetur, quia nempe accedat testamentarii paupertas, vel alia qualitas miseratione digna, cui pietatis potius, quam sanguinis motivum congruat; Sed si nulla consideratur fraus, vel præjudicium, tunc causæ expressæ deferendum venit, cum nulla dignosci videatur ratio, vel prohibitio, cur cum conjuncto, quamvis alias proviso, & non miserabili, disponens profiteri non valeat, quodque illi beneficium conferat, potius ex motivo pietatis, vel charitatis, quam illo sanguinis, ideoque de hoc agere generaliter, & in abstracto, sive cum sola litera, vel cum numero auctoritatum procedere, ineptiæ, ac irrationabilitatis solitum producit effectum. b

Eademque distinctio alteram regulare debet quæstionem, An dispositio, quæ in opus pium directa est, puta celebrationis missarum a conjuncto faciendæ cum insolita, & excessiva mercede, pietatis, vel potius sanguinis motivum habeat, cum inspiciendum sit, an fraudem tertii, vel Reipublicæ, aut legis id redolere valeat, qua cessante nil prohibet pro pio opere, utpote inæstimabili, magnam, ac insolitam statuere mercedem, quæ accessorie, & consecutive, conjunctorum potius, quam extraneorum, pro bene ordinata, seu regulata charitate prophanum concernat commodum, c ideoque pariter cum litera, vel cum generalitatibus in hoc procedere, eosdem malos jam insinuatos producit effectus,

a disc. 19. de Testam. b Ibidem.
c disc. 12. & disc. 17. cum duobus seqq. de Testam.

OBSERVATIO LXXIV.

An testamentum minus solemne, in quo pia causa hæres instituta sit, valeat quoad prophanas dispositiones, quæ ab ipsa pia causa instituta adimplendæ sunt.

NEgant plerique, ex eo quod piæ causæ peculiare privilegium sit, ut ejus favore minus perfecta sustineatur dispositio, ubi solemnitatis, non autem voluntatis imperfectio sit, quodque propterea inutiles prophanæ dispositiones remaneant, utpote extra privilegium, sub generica dispositione juris cadentes. Id autem probabile censendum videtur, ac recipiendum, ubi pia dispositio sit particularis, ac propterea aliis prophanis inutilibus reputaris, legitimorum ab intestato hæredum commodo, earum cedat infectio; Secus vero ubi ipsamet pia causa, quæ alias intestatæ successionis jus non habeat, tanquam hæres universalis in eodem testamento instituta, vel tanquam talis de jure ex beneficio juris accrescendi reputanda, totum capiat, unde sibi onus incumberet alias adimplendi prophanas dispositiones perfectas, quarum minus solemnium non implementum suæ cedat utilitati; Tunc etenim asperitatem, ac irrationabilitatem id redolet, contrariam illi naturali veritati, & æquitati, quam pia Ecclesia, piave causa servare profitetur, ac debet, aliosque monet, ut serveot; Istud namque privilegium, non ex mera legis positivæ benignitate manat, ut aliqui superficiales male opinantur, ut solemnitatum imperfectio negligatur, quando perfectæ voluntatis sufficiens habeatur naturalis probatio, sed potius provenit a diversa ratione, ut nempe quoad eam sola naturalis veritas attendi debeat; Ideoque si ipsa pia causa illam dispositionem veram, ac sinceram reputat alienam ab illa fraudis, & machinationis suspicione, ob quam positiva lex solemnem introduxit probationem, hinc sequitur, ut hanc veritatem dividere non possit, nec debeat, sed voluntatem disponentis in omnibus servet, ex naturali, & æquitativa regula, *quod quisque juris, &c.* Et ne alias in ipsa verificetur illa, quam ex ipsamet damnat, ac prohibet, illicita locupletatio de alieno invito domino, quoties prophana dispositio, fraudis, & machinationis probabilia non habeat argumenta, ideoque & in hoc dignoscitur error irrationabilitatum, ac ineptiarum productivus, cum litera, vel cum generalitatibus procedere, b

a disc. 17. & seqq. de Testam.

OBSERVATIO LXXV.

De Testamento, quod Episcopus faciat pro anima decedentium ab intestato.

VIgente in aliquibus diœcesibus ista consuetudine, ut pro iis, qui ab intestato decedunt, Episcopus pie pro eorum anima testetur; Super istius consuetudinis praxi, consueta dignoscuntur extrema vitiosa, asperitatum, ac irrationabilitatum, & ineptiarum productiva, ex eodem fonte manantia procedendi, neglecta ratione, cum litera, vel cum generalitatibus; Aliqui namque hanc invalidam reprobant, ac damnant consuetudinem, ob expressam juris prohibitionem, ut unus pro alio testetur. Alii vero illam laudantes, ac validam reputantes, indiscrete extendunt, effrænatamque Episcopo concedunt facultatem pro libito disponendi, nimiumque legitimos intestatos hæredes gravandi, Et quod magis est, pietatem convertendo in impietatem, & nequitiam, ut Episcopus sibi ipsi, vel suis, id quod dispositum est, applicet, ut propterea bona, & pia consuetudo in abusum, atq; in corruptelam convertatur Probabilem namque rationem hujus consuetudinis introductio habet, ut ejus, qui improvisa, vel inopinata morte præoccupatus, propriæ animæ suffragio consulere non potuit, vices, ac partes suppleat Episcopus animarum sibi commissarum pastor, & custos, neglecta juris civilis prohibitione, ut unus pro alio testari non valeat, quodque ultima voluntas ab alieno non pendeat arbitrio, cum pia causa hujusmodi juris civilis prohibitionibus, ac dispositionibus non subjaceat, ideoque ubi ea vigeat, commendatione potius digna censenda est consuetudo, ad limites tamen hujus rationis, cui innixa est, practicanda; pro qualitate scilicet, ac statu personæ, ejusque assis, atque pro numero, & qualitate hæredum, cum distinctione, an de liberis, vel de transversalibus, vel de magis, ac minus proximis, vel magis, ac minus indigentibus, ac etiam pro aliorum consimilis qualitatis piorum, & prudentum virorum testantium consuetudine moderata, adeout verisimile sit, quod idem facturus fuisset defunctus si mori cogitasset, in eos pios applicando usus, erga quos constet ex particulari defuncti affectione, vel consuetudine, sive ex generali more Regionis eum fuisse verisimiliter dispositurum, ideoque pariter idem dignoscitur error procedendi cum auctoritatum litera, vel cum propositionum legalium generalitate in abstracto, cum verius procedendum sit cum ratione, quæ ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis rationalis, ac prudentis viri more est regulanda,

a disc. 24. de Testam.

OBSERVATIO LXXVI.

Hæreditas Codicillis directe dari, vel adimi non potest. Atque agnoscens hæreditatem ex testamento, quod invalidum detegatur, non recurrit ad Codicillos.

IDem quod alias observatum est super inutili, parumque rationabili differentia inter Testamenta, & Codicillos, cum idem sit effectus, eademque in vana, ac altera testandi specie ratio cadat, ad istud quoque adaptatur thema, ut codicillis hæreditas, nec dari, nec adimi valeat. a

Id etenim nullam probabilem videtur habere rationem, cui innitatur, ut propterea legalem potius redoleat superstitionem, ac formalitatem irrationabilem; Cum etenim hodie receptum sit, ut illi testato, vel intestato directo hæredi, cui ex codicillis injunctum est restitutionis onus illi, qui sit in eis vocatus, omnis trebellianicæ, vel similis detractio prohiberi valeat, adeout integrum assem, integramque hæreditatem codicillarius assequatur. Hinc spectato fine, vel effectu, non videtur cuinam rationi probabili hoc innitatur assumptum, quod inanes, atque irrationabiles, litiumque & calumniarum nutritivos potius importare videtur circuitus, dum ita eadem congruat ratio, ob quam Ecclesiæ, vel piæ causæ favore id sequi

potest,

potest, *b* ideoque cum rationali discursu reflectendum est ad rerum statum de tempore, quo idem prodiit assumptum, quando hæc omnimoda fieri non poterat detractionum prohibitio, ut propterea illud alicujus esset operationis; Hodie vero isto cessante præsupposito, claram id redolet irrationabilitatem, ac ineptiam.

Prout etiam vel irrationabilis, vel aspera censenda est illa legis dispositio, quod qui hæreditatem agnovit ex testamento defectivo, ad codicillos recursum habere prohibeatur, & cum hujus legis dispositione plerique misere, ac viliter literæ famulando procedunt, dum vix hæc antiqua rigorosa superstitio peritis professoribus innotescit, ideoque asperum, ac irrationabile videtur, ut absque scientia, & voluntate danda sit electio adeo præjudicialis, quæ delatæ hæreditatis amissionem, ac renunciationem operetur. *c*

a *disc.* 20. *&* 21. *de Testam.*
b *d. disc.* 20. *&* 21. *de Testam.* c *disc.* 57. *de Testam.*

OBSERVATIO LXXVII.

Ultima morientis voluntas in alterius viventis voluntatem conferri non potest.

Decedentis ultimam voluntatem, alterius supervìventis voluntati committi non posse lex civilis prohibet, puta si dicatur hæres institui, seu legatarius fieri ille quem alter volet; *a* Cumque lex Canonica id permittat, hinc piis tantum dispositionibus istam posteriorem legem congruere, magis communis, magisque receptus est Juristarum, ac Moralium sensus, quasi quod pius hæres, vel legatarius a moriente jam declaratus fuerit, nempe Deus, in quem pietatis opera principaliter dirigi dicuntur, adeout unius, vel alterius pii operis species, vel modus accidens potius, quam substantiam perentiat. *b* Istamque speciem dispositionis, quæ in alienum arbitrium, vel in alienam voluntatem collata sit, antiquiores sub captatorio genere cadere crediderunt, sed male, & æquivoce, cum captatoria diversam habeat speciem pariter ab eadem lege prohibitam, quod etiam male, ac irrationabiliter est receptum, quando justum accedat motivum, ut alibi advertitur.

Ad salvandam itaque in prophanis hanc disponendi speciem, ille consideratur casus, in quo hæredis, aut legatarii persona, in testamento, vel in alia dispositione explicata non sit, ut quicunque innotescat, bene tamen alteri ab eodem testante sit communicata, cum tunc ille, cui id commissum est, non disponentis, seu arbitratoris, sed testis potius personam gerere dicatur, ac propterea magis communis eorumdem Juristarum est sensus, ab aliquibus magnis Tribunalibus quoque canonizatus, ut declaratio istius fiduciarii testis, cui licet unico ob ejus fidem a testatore approbatam, plena adhibetur fides, jurisjurandi religione adhuc munita esse debeat, quodque alias ea non interposita illi deferendum non sit, atque inutilis remaneat declaratio, quæ semel facta non sit amplius variabilis, quodque verisimilitudinis quoque pro facti qualitate fomentum habere debeat, cum plerisque aliis restrictionibus, ac formalitatibus, in quibus etiam consueta inconstantia, & opinionum scissura dignoscitur. *c*

In utroque autem assumpto irrationabilitatis, ac ineptiæ dignosci videtur vitium, ex eodem originatum fonte procedendi cum legum litera, non autem cum ratione, minusque reflectendo ad temporum, ac morum diversitatem, juxta quam hujusmodi leges intelligere, ac practicare congruit, dum ex moribus potius, quam ex legislatoris auctoritate illis utimur; Quidquid enim antiquorum Romanorum mores, atq; tunc experta inconvenientia suaderent, ac propterea hujusmodi leges condere visum est, ac prohibitiones facere; Attamen hodie nulla videtur congrua ratio suppetere, cur pro nostris moribus ille qui morbo oppressus, vel mortis cogitatione turbatus, cum matura deliberatione de bonis suis disponere non valet, prudenti, ac probato amico id committere prohibendus veniat, ad hoc ut tanquam ejus vicarius, vel mandatarius, ejus vice, ac nomine id expleat, quoties fraudis, & machinationis desint suspiciones, & argumenta, dum Ecclesia cum ejus legibus, quas Canonicas dicimus, id non reputat illicitum. *d*

Eodemque laborare videtur vitio aliorum assumptum super præcisa necessitate juramenti præstandi per illum, cui decedens ejus voluntatem communicare professus est. Nullo etenim divino, vel naturali jure cautum est, ut testes jurati esse debeant, quinimo neque antiquæ civiles Romanorum leges id exigunt, sed recentiores non immerito id in illis statuerunt testibus, qui ab interessatis partibus electi, atque inducti sint, ac propterea seductionis, vel subornationis suspicio, sive possibilitas viget; Ideoque cum de illo agatur, quem testator probum, ac fidum declaravit, ejusque dicto deferri voluit, neque illi, in quorum gratiam declaratio fiat, alios inducere valent, dum ab ipso defuncto jam electa, & approbata est persona, Exinde sequitur, ut nulla subsit ratio congrua, cur illa legalis necessitas, quæ generaliter in testibus a partibus interessatis electis, & inductis desideratur, in hac specie desideranda veniat; Si enim istum fiduciatium aliorum testium ad instar metiri deberemus, sequeretur, quod cum sit unicus, plenam non deberet facere fidem, ipsique idem congruere deberet assumptum, quod dictum unius, dictum nullius, in hac præsertim adeo suspecta materia, in qua ipsa lex probatione naturali concludenti contenta non fuit, sed magnam nimiumque septem qualificatorum testium solemnem desideravit probationem; Si ergo testantis approbatio hunc majorem supplet defectum, istamque longe majorem facit operationem, exinde sequitur, ut clare superstitiosa censenda veniat ista juramenti solemnitas, quoniam si fiduciarius illam fallat fidem, quam testator in eo habuit, debet iste sibi imputare, cur male elegerit, & quatenus detegatur malitia, vel fidei violatio in dubio non præsumenda, tunc ita Judicis intrabit officium si juramentum præstitum sit, sive non, potissime ob modernos mores, ob quos inconsiderate pro stylo, vel pro sola formalitate illud præstari solet, ac propterea vel non sufficit in perjurare volente, vel in viro probo non est necessarium, & sic inutilem continet formalitatem.

a *disc.* 42. *& seqq. de Test.* b *Loc. cit. ac etiam disc.* 23. *& seq. eod. tit.* c *disc.* 44. *&* 47. *de Test. & disc.* 182. *&* 183. *de Fideic.* d *Locis citatis.*

OBSERVATIO LXXVIII.

De Testamento minoris ad favorem Curatoris, vel infirmi ad favorem medici, aut inquisiti, seu litigantis ad favorem Judicis, vel Notarii, aut defensoris.

Minoris testamentum, aliamve ultimam voluntatem ad Curatoris favorem invalidum esse plerique volunt; *a* Et alii idem opinantur, ac firmant in illo infirmi ad favorem medici, vel inquisiti, seu litigantis ad favorem Judicis, vel Notarii, aut Causidici defensoris. *b* Error autem irrationabilitatum, ac ineptiarum de more productivus est, cum hac generalitate, seu legum, & auctoritatum litera in omni casu procedere, cum verius procedendum sit cum ratione, cui innixa est hujusmodi personarum passiva intestabilitas, an illa pro regionis moribus, aliisque facti circumstantiis congruat, nec ne, ut probabilis non liberæ voluntatis, vel concussionis, & machinationis intret suspicio, vel præsumptio, qua cessante nulla cadit ratio, cui id innitatur. *c*

a *Disc.* 30. *de Test.* b *Disc.* 31. *eod. tit. de Testam.* c *Locis citatis.*

OBSERVATIO LXXIX.

De Captatoria dispositione.

Duplex in isto Captatoriæ termino, seu vocabulo, vitium dignoscitur; Unum nempe antiquiorum, ac mediorum, a recentioribus tamen agnitum, & correctum, super istius vocabuli intelligentia, vel significatione, opinando quod duplicem dispositionis speciem contineat, unam ubi dispositio directa sit ad captandam alienam successionem, & dispositionem, quia nempe Titius hæredem Semproniun instituat, sub ea lege, ut Sempronius e converso se, vel suos instituat, vel aliter eorum favore disponat; & alteram, ubi decedens ejus voluntatem alteri committat, ut pro eo disponat; Vere namque, ac proprie iste terminus priori disponendi modo congruit, posteriori autem non; Atque in hoc antiquiorum, ac mediorum error, vel æquivocum versatur, cum Captatoriæ terminus nullatenus intret: sed alter prohibitionis, ne ultima unius voluntas ab alieno arbitrio, vel voluntate pendeat, & de qua prohibitione alibi agitur.

In ipsa vero propria, & vera Captatoria, Irrationabilitatis quoque dignoscitur vitium ab eodem solito fonte originatum, procedendi cum litera, vel cum generalitatibus, ratiocinio neglecto, quod distinguere, beneque applicare docet; Quamvis etenim, juxta ea, quæ in præfato altero disponendi modo observatum est, pec antiquas Romanorum leges, indefinite, ac generaliter iste disponendi modus damnetur, atque infectus declaretur, quia forte ita illorum temporum exigerent nobis ignoti mores, qui inconvenientia exinde re-

fultantia docerent. Hodie tamen pro nostris moribus a christiana pietate notabiliter immutatis, præsertim vero circa tunc valde suspicatum votum captandæ mortis, erroneus, ac irrationabilis ille videtur Interpretum sensus, ab aliquibus magnis Tribunalibus quandoque receptus, in rigore, ac generalitate literæ procedere, istam prohibitionem recipiendo etiam ubi ex aliquo honesto, ac rationabili, & commendabili fine, citra fraudem, & captionem aliquam sequatur, ut ita nempe pro conservatione bonorum in agnationibus, & familiis, & ne illorum scissura earum decori, ac nobilitati præjudicet, neve extra illas transeant, ita unus magis providus, magisque prudens, alterum alliciat ad quandam honestam, atque commendatione dignam successionis communionem, ad instar illius reciproci fideicommissi conventionalis per contractum, quod licet ab aliquibus, qui eodem laborant vitio, damnetur, attamen ineptia, & reprehensione digna est damnatio, ut alibi advertitur, cum eadem intret ratio, Sive ad instar illius potestatis, quam lex, vel Juristarum magis receptus sensus tribuit testatori gravandi illum, quem honorat, atque de ejus bonis ad emolumenti limites disponendi valeat, cum pariter eadem intret ratio, ideoque eadem intrare debeat dispositio; Et per consequens assumptum, ut justo, ac honesto accedente motivo adhuc ista disponendi species invalida censenda sit, omni destitutum videtur probabili rationis fundamento; Istud namque captatoriæ vocabulum ab altero captionis, vel captandi derivat, ad instar ejus, qui cibum in hamo pisci offert, ut illum capiat, atque interimat, ideoque ad hujus rationis, vel derivationis limites intelligenda est ejus prohibitio, ubi malo animo fiat. a

a De his disc. 42. & 43. de Testam.

OBSERVATIO LXXX.

Quod non possit quis pro parte testatus, & pro parte intestatus decedere, ideoque institutus in re certa, non dato, vel data, ac deficiente herede universali; efficitur talis ex juris accrescendi beneficio.

ISta est apud Juristas recepta propositio in themate insinuata, ut institutus in usufructu, vel in re certa, ubi alter non detur universaliter institutus, vel quod datus deficiat, quia nempe testatori præmoriatur, vel incapax fiat, aut quod hæreditatem agnoscere nolit, efficiatur hæres universalis ex beneficio juris accrescendi; Idque etiam contra testantis judicium plerique procedere volunt, ob implicantiam ut quis pro parte testatus, & pro parte intestatus decedat, ut neque volens ita decedere valeat. a

Magnas, nimiumque involutas desuper quæstiones retexendo, cum consueta factionaria scissura, magnoque, ac improbo labore eorum, qui in arithmetico Scriptorum numero vim constituunt, eosque colligunt, an scilicet ex potentia juris accrescendi, vel ex dicto alio inconvenienti decedendi testatus in parte id proveniat, sive an ex tacita, & præsumpta mente testantis, vel ex potentia legis, quæ potestatem alias faciendi adimat, vel an ille, qui fingitur ita universalis hæres, censeatur fideicommisso gravatus bona restituere venientibus ab intestato, verborum, vel clausularum operationem ponderando, atque in eis totam vim constituendo. b

Hæc autem irrationabilitatis, vel ineptiæ vitio quoque laborare videntur, ob illud, quod omnium aliorum vitiorum est fons, vel parens, procedendi cum litera, vel cum formalitatibus verborum, nullo rationis naturalis, vel verisimilitudinis fomento munitis; Verius namque est, ut voluntatis, non autem potestatis ista sit quæstio, quæ propterea pro hujusmodi voluntatis quæstionum natura, facti potius, quam juris censenda est, decidenda ex singulorum casuum circumstantiis, quæ ex ipsius testantis qualitate, ac facto derivent, non autem ex formalitate verborum, & clausularum, quæ potius Notarii sunt ex formulario transcripta, psithacorum more pro stylo adjiciendo, eorum vim, ac operationem ignorando. Ubi namque probabilia non accedant voluntatis argumenta, ut penitus neglectis, ac abhorritis legitimis ab intestato successoribus, particularem testamentarium, minus quidem quam universalem, sed isto deficiente magis, quam intestatus dilexerit, ut ad eum omnem hæreditatem obvenire voluerit, tunc naturali rationi, ac veritati, & æquitati repugnat, ut ob hujusmodi superstitiones, ac formalitates, auferantur bona eis, quibus defert lex, & natura, quando moriens contrarium non statuat, quodque ille, cui moriens certam rem, vel summam solum relinquere voluit, ita totum præter disponentis voluntatem obtineat, ideoque in omissis, in quibus hominis deficit provisio, vel dispositio, illam naturæ subintrare debere, omnis humana ratio, & æquitas, ac discursus exigere videntur, quibus istæ formalitates adversantur.

a disc. 3. de hered. & heredit. b Eod. disc. 3.

OBSERVATIO LXXXI.

De conditione Viduitatis adjecta in ultimis voluntatibus, quando vitiet, vel vitietur.

ANtiquis Romanorum legibus, quæ ante susceptam Christianam fidem sub ethnicis Imperatoribus, ex ethnicorum Jurisconsultorum responsis editæ sunt, quamvis sub Justiniano Christiano Imperatore in hanc quam habemus formam collectæ, ac reformatæ, in digestorum libris collocatæ sint, disponentibus, ut illæ conditiones, vel præcepta, quæ per ultimas voluntates, mulieribus præsertim adjiciuntur, ex quibus cælibatum, seu viduitatem pati cogerentur, pro non scriptis haberi debeant, ut propterea eis neglectis, atque conventione non obstante, dispositiones effectum sortiantur.

Hinc antiqua (excusabilis tamen) primorum Interpretum, & glossatorum simplicitas, cum qua moderniores in parentum fide pro consuetudine avium, vel pecudum ambulant, illa testantium præcepta, vel conditiones, ex quibus explicite, vel implicite, seu directe, vel indirecte cælibatus, vel viduitas resultat, pro improbis, & cassis habendas esse dixerunt, ut eis vitiatis firma remaneat dispositio, ubi sit per ultimam voluntatem, secus autem ubi per actum inter vivos, nimium quam par est, forteq; ultra antiquorum legislatorum, vel Jurisconsultorum sensum id ampliando. a

Æquivocum vero, ac evidentem ineptiam id redolet ex eadem radice manantem, procedendi cum litera, non autem cum ratione, atque non reflectendo ad temporum, ac morum distinctiones. Ut enim præmissum est, hujusmodi leges prodierunt de tempore, quo Romanus Populus Idolorum cultor erat, Christianæque fidei lumine adhuc orbatus, ideoque temporalibus totus intentus, cælibatum utpote Reipublicæ præjudicialem nimium abhorrebat, adeout cælibes, quinimo & conjugati, qui liberis carerent, quandam infamiæ speciem incurrerent, ut publicorum munerum, & bonorum incapaces reputarentur, ac propterea adoptionum, & arrogationum inolevit usus, ut ita ars, vel industria, naturæ vitium suppleret, ideoque merito hujusmodi præsuppositis moribus istæ leges prodierunt.

Cum itaque Redemptor noster tanquam novus, & optimus Medicus nova contraria medicamenta antiquis morbis tunc regnantibus juxta Gregorii sententiam adhibuerit, atque virginitatem, & viduitatem, imo cælibatum in matrimonio nimium commendaverit, ut tot Sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum, & Conjugatarum, ac Viduarum acta docent, ac propterea commendabilior, longeque favorabilior hodie apud Catholicos judicetur cælibatus, quam status conjugalis, nedum in iis, quæ forum internum, atque cælestem patriam concernunt, sed etiam in muneribus, & honoribus præsertim Ecclesiasticis, ut Romanæ præsertim Curiæ praxis docet. Hinc manifesta remanet ineptia, & irrationabilitas continuationis, ac retentionis istius assumpti, per quod Civilistæ majus bonum, contra Divinum, & Ecclesiasticum præceptum prohibent, vel impediunt, e converso autem juxta consueta istius facultatis extrema vitiosa, Canonistæ Morales, & pro reprobis, vel non scriptis, ac irritis illas habent dispositiones, quæ matrimonii carnalis expressam, ac præcisam habeant conditionem, quasi quod ita a cælibatu, & a statu Religioso fiat reversio. b

Utrumque tamen extremum vitiosum est, quoniam eatenus ista posterior Canonistarum, ac Moralium propositio procedit, quatenus de depravata disponentis intentione constet, quod ex vitæ cælibis, & Religiosæ odio ita disposuerit, secus autem ubi alium honestum, quamvis mere prophanum finem habeat, conservationis puta agnationis, & posteritatis, vel Reipublicæ favoris, ut hominibus repleatur, cum tunc dispositio, quæ nuptis, vel nubendis tantum congruat, cælibatus professoribus exclusis, valida sit, ac servanda, ut etiam in casu converso, ubi cælibatus meliorem spiritualem habeat finem, imo etiam prophanum, honestum tamen, ac rationabilem, adeout irrationabilis, & iniqua nuptiarum odibilitas cesset. In dubio autem ubi finis, vel ratio expressa non sit, magis acceptum est (& merito,) ut bonus finis præsumi debeat, omnem possibilem capiendo intellectum pro exclusione criminis non præsumendi, quando ad alium licitum, & honestum finem actus est referibilis, e Igitur manibus palpa-

tur

tur illorum simplicitas, & ineptia, qui cum prædictarum antiquarum legum dispositione, & antiquorum Scriptorum sensu, ac traditionibus procedunt. Antiqui etenim excusabiles censendi sunt, utpote in sæculis barbaris Republica literaria pene mortua, scribentes, moderni vero inexcusabiles, cum ob ejusdem Reipublicæ restitutionem, seu revivisentiam, majora habuerint lumina.

Dubitandi itaque rationes in hujusmodi conditionibus hodie, non a prohibita per leges civiles viduitate manant, sed potius a sacris Canonibus, magisque a Concilio Tridentino, ne matrimonii libertati aliquod fiat præjudicium, vel præstetur impedimentum; Atque in hoc etiam non modice dignoscuntur simplicitates, & æquivoca illorum Juristarum, & Moralium, qui eodem laborant vitio procedendi in legum, vel in Canonum, & Conciliorum, ac auctoritatum litera, potius quam in spiritu, non reflectendo ad rationem, vel finem; Verius namque procedendum est cum eisdem distinctionibus, de quibus supra, an scilicet conditiones, quæ adjiciuntur, aliquem habeant honestum finem cum libertate matrimonii, moraliter, non autem physice compatibilem, quia restrictio ita concepta sit, ut libertatem vere non adimat, discrete, & honeste tamen exercert debeat, sive quod non sit dispositio inductiva pœnæ, sed invitativa lucri per viam qualitatis, cum qua, & non alias illud emolumentum assecutorum sit, adeout ille, qui non assequitur, nullum patiatur damnum, vel jacturam, ideoque idem utriusque vitiosi extremi vitium cum irrationabilitate conjunctum dignoscitur. *d*

a *Disc. 73. de Test. & disc. 44. de Fideicom.* b *Ex relatis dis. 12. & 167. de Dote, & dis. 63. & seq. de Fideic.* c *Dict. disc. 73. de Test. & disc. 44. & 62. de Fideic. ac etiam disc. 12. & 167. de Dote, & alibi.* d *Eod. disc. 73. de Test. disc. 44. de Fideic. & disc. 14. de matrim.*

OBSERVATIO LXXXII.

Viduitatis conditio, quæ licite, ac valide per virum uxori adjecta sit, an oculos habeat retro in casu contraventionis, pro restitutione fructuum, vel emolumentorum, quæ pro tempore observantia percepta sunt.

NImium in hoc Juristæ, ac etiam aliqui Morales, cum consueta opinionum scissura se involvere videntur, magis vero communiter illam adhibent distinctionem in foro magis receptam, inter universalem dispositionem, quæ hæreditatem importat, & particularem, cui legati vocabulum pro frequentiori contingentia congruit, ut quando de hæreditate agitur sub ista viduitatis conditione per virum uxori relicta, contraventio habeat oculos retro, ideoque obliget ad restitutionem fructuum, & emolumentorum perceptorum medio tempore, quo servata sit, per quamcunque verborum formulam concepta fuerit, ex ea ratione, quod hæreditas in diem dari non potest; Ubi vero de legato, vel alia particulari dispositione agitur, tunc in verborum formula fundamentum constitui solet, ut concepta dispositione per talem dictionem, quæ conditionem redoleat, tunc conditionalis dicatur, ideoque consensum ab initio adimat, ac propterea retrotractio intret cum restitutione fructuum intermedii temporis; Secus autem ubi concepta sit per dictionem, *donec*, vel æquipollentem, quæ modum denotet, magnas retexendo quæstiones, ubi in gerundio affirmativo, vel negativo, viduitas apposita sit, an conditionem, vel modum importet. *a*

Omnia vero hæc leguleicas frigiditates, ac ineptias omni destitutas ratione potius continere videntur; Tum quia ex frequenter insinuatis, verborum formulæ, Notariorum potius, quam ipsorum testantium pro frequentiori contingentia esse solent; Tum etiam quia nimis asperum, ac superstitiosum est quod mulier ignara, muliebri simplicitate donec in observantia conditionis perstitit, fructus percepit, bonaque fide consumpsit, ad hanc restitutionem ob hujusmodi subtilitates cogenda sit, cum potius substantia veritatis spectanda veniat, & an in dolo, malaque fide positiva pro facti qualitate, & circunstantiis versata fuerit, & quænam sit verisimilis disponentis voluntas, quæ ipsi innotescat mulieri. Frigiditatem præsertim continere illa consideratione, quod ubi de universa hæreditate agatur, tunc indefinite intret retrotractio, quamvis verba ita concepta sint, ut modum potius, quam conditionem importent. Non videtur etenim cui rationi hæc superstitio innixa sit, ut quemadmodum substitutio hæredi instituto fieri potest sub conditione status secularis, vel sub conditione retentionis cognominis, aut status non criminosi, vel alterius qualitatis, in cujus defectu, substitutioni, ac oneri restituendi absque hac retrotractioni locus fiat, *b* ita idem sequi non possit in ista specie conditionis, quodque sicut in aliis, hæreditas in diem, vel sub conditione dari non dicitur, sed potius adjici conditionalis substitutio, ita in præsenti idem dicendum non sit; Potissime quia interim emolumentum in fructibus perceptum, onerosum potius, & correspectivum dici posse videtur, ob injunctæ viduitatis observantiam; Et per consequens irrationabilitatem, ac asperitatem ista continent, quoties in litera, non autem in ratione, vel in spiritu procedatur.

a *Disc. 48. 49. & 51. de Servit. & alibi.*
b *Sub tit. de fideic. pluries.*

DE FIDEICOMMISSIS ET SUBSTITUTIONIBUS, AC MAJORATIBUS, ET PRIMOGENITURIS.

OBSERVATIO LXXXIII.

De concursu inter patruum, & nepotem, vel inter juniorem, & seniorem in majoratibus, & an isti differant a primogenituris.

DEcisionem proxime sequenti observatione insinuatam, atque hodie ubique in primogenituris receptam, ac firmam, ubi sexus diversitas non accedat, in majoratibus etiam Hispaniæ, qui Regnorum, ac Principatuum ad instar, pro illis legibus, & stylis regulantur pariter firmam, ac receptam, quædam Pragmaticorum schola negat in Italiæ majoratibus, ita differentiam constituendo in hac Regione inter primogenituras, & majoratus, ut in prima specie præfatus ordo servari debeat, secus autem in altera, in qua, non civilis, & ficta, sed naturalis, & vera major ætas attendenda veniat, ut propterea, qui prius natus est, inter concurrentes potior in successione esse debeat.

Negat vero altera schola, illam tamen adhibendo distinctionem inter utilitariam successionem bonorum, & honorificam, seu præeminentialem successionem jurium, in quorum exercitio aliqua major desideratur prudentia, ut priori casu idem primogeniturarum ordo, in majoratibus quoque cum lineæ prærogativa attendi debeat per fictionem potius quam per veritatem, in altero vero secus, quasi quod ratione majoris prudentiæ, quam actus explicandus exigit, senior, vel major ætas per veritatem a disponente desiderata sit. *a*

Ubi ergo juxta hanc distinctionem, de prima bonorum utilitaria successione agitur, tunc omnino irrationabilis, ac inepta, nullique juris, vel rationis fundamento innixa censenda est primæ scholæ sententia, quæ majorem ætatem per naturam desiderat, illamque prærogativæ lineæ præfert, ob pleraque absurda, & inconvenientia, quæ manibus palpabilem hanc irrationabilitatem, ac ineptiam ostendunt, ubi præsertim non de primo ingressu novæ successionis, ad quam assequendam plures concurrant lineæ, sed de ejusdem lineæ continuatione, & progressu agatur, quia nempe deficientis possessoris filium, utpote natu majorem, extraneus de eodem vocato genere senior, neglectis lineæ, ac proximitatis prærogativis, ex illa sola ætatis excludere velit, atque de bonis in ejus lineam jam ingressis spoliare; Ita etenim post remotissima tempora, in quæ hujusmodi primogeniorum, ac majoratuum ordinationes dirigi solent, inextricabiles, & continui sequerentur litium labyrinthi super legitimatione personarum, ac verificatione descendentiæ, cum qualitate legitimitatis, ob frequentem mixturam illegitimorum, vel allectorum in familiam, sive illorum, qui ab infimo, ac depresso statu, ex fortunæ beneficio ad majorem elati, atque casualiter alicujus illustris, vel nobilis familiæ idem habentes cognomen, hanc affectant identitatem, atque cum alteratis mediis probare satagunt, *b* ideoque ob brevem in seniori totius familiæ viro præsupponendam vitam, ita hujusmodi majoratus perpetuam haberet litigiosam vacationem, dum prius seniorum contendentium vita, quam lis terminaretur.

Ac etiam, identitatis probatione posita, dum cum longo temporis tractu rerum status notabiliter immutari solent, eædemque familiæ in plures dividi colonnellos, quarum alii nobiles, alii vero plebei, *c* hinc maximum nimiumque irrationabile sequeretur inconveniens disponentis voluntati verisimiliter contrarium, ac abhorritum, ut rustici, & ignobiles, vel alias viles, & infames, in hujusmodi majoratibus succedendo, dedecus potius, quam decus familiarum producerent, quodque filii possessoris, qui in nobi-

li, forteque magnatitin statu constituti sunt, ita pauperes, ac viles evadant, e converso autem illi, qui jam fuit ignobiles, ac viles, ad breve tempus illam contemptibilem potius, ac irrisione dignam faciant figuram, ita in dies practicando scænarum mutationes, atque ut vulgo dicitur *gl' albi bassi*, quo nil absurdius, nilve irrationabilius, communi usui, atque prudentum verisimili voluntati contrarium, ideoque manifestam id redolet irrationabilitatem, ac ineptiam, *d*

In altera vero specie, in qua non de bonorum, ad utilitatem, & fructum successione agatur, sed de illa jurium ad honorem, & præeminentiam, adhuc eadem irrationabilitas, eademque absurdorum consideratio cadit, ut dedecus potius, quam decus familiarum sit, cum hoc ordine hujusmodi actus exerceri; Ideoque plusquam certa non refragante voluntate, sub nam majoris nomine, illum esse vocatum, ac desideratum esse dicendum venit, qui capitis, vel domini domus ex prærogativa lineæ primogenitæ inter omnes alias primam faciat figuram, atque alias aperta irrationabilitas, ac leguleica ineptia dicenda est. *e*

a *Disc. 1. & seqq. & disc. 201. & seqq. de Fideicom.*
b *Disc. 32. præmin. disc. 50. de Fideicom. & alibi,*
c *Disc. 31. de Jurepatr. & d. disc. 50. de Fideicom,*
d *Dict. disc. 1. & 201. de Fideicom.*
e *Locis proxime cit. & disc. 36. de Jurepatr,*

OBSERVATIO LXXXIV.

De ordine successionis in primogenituris inter Patruum, & Nepotem,

QUamvis in regnis, & principatibus, in quibus vere, ac originarie ista successio singularis, ac individua, cum prærogativa primogenituræ post dissolutum Romanorum Imperium, in nostræ communicationis civili orbe introducta fuit, ac etiam in feudis prius dignitatis, deinque in aliis, & præsertim in illis regnorum utriusque Siciliæ, principatus, ac regni ad instar, & demum in privatis, ac indifferentibus bonis, in quibus ex privata dispositione jure fideicommissi singularis, quod antiquis legibus, ac Trebelliano senatusconsulto forte ignotum fuit nimium apud nostros majores involuta fuerit quæstio, an primogenitura per naturam, vel potius per civilitatem, seu fictionem attendenda veniat, quia nempe ex possessore, cui succedendum est, prædefuncto filio naturaliter primogenito, superstit alter, quia ita ex secundo effectus fuerit primus, & immediatus, ex prædefuncto autem superstit filius ætate junior, atque gradu remotior, cujusnam potior successionis causa esse debeat, & quis eorum obtineat primogenituræ prærogativam, adeout reputaretur quæstio, quæ duelli decisione digna esset, ut quandoque practicatum esse fertur.

Hodie tamen sopita jam remanet ad favorem nepotis contra patruum, ut minori ætate, atque gradus minori proximitate non obstantibus, a prædefuncto patre primogenito sibi transmissam obtineat prærogativam, ac propterea fictus, vel civilis potius primogenitus, vel natu major dicatur, ita fictione, vel arte prævalente veritati, vel naturæ, quod an justum, ac rationabile, vel e converso injustum, & irrationabile sit, sub judice indecisa est quæstio problematica, opinionum, ac rationum hinc inde copiosa, Academici potius congrua, quam forensibus; Neutra vero de positiva irrationabilitate, vel injustitia redargui posse videtur, eo tamen præsupposito termino, quod in utroque eadem masculina agnatitia qualitas concurrat, adeout filius primogeniti defuncti patris personam cum eadem qualitate repræsentare dicatur. *a*

Magnam vero irrationabilitatem, atque speciem iniquitatis aliquorum locorum ea praxis redolet, ut præsertim in utriusque Siciliæ Regnis, magis vero in citeriori contingit, ut in illorum de sui natura individuorum feudorum successione, fœmina ex masculo primogenito prædefuncto superstes, vincat patruum, qui ætatis, & gradus, ac sexus majores habeat prærogativas, ab hac sola ficta prærogativa, lineæ vincendas, irrationabiliter quidem, atque contra Italiæ præsertim antiquos, ac præsentes mores, ita statutum, vel receptum est, cum revera ob diversitatem extremorum a quo, & ad quem, verificabilis non sit illa transmissio, vel repræsentatio, ex cujus beneficio filius locum Patris occupet, illumque repræsentet. *b*

a *Disc. 13. de Feud. disc. 1. & seqq. & 201. & seqq. de Fideicom.*
b *Dict. disc. 13. de Feud,*

OBSERVATIO LXXXV.

An primogenituræ stent in suspenso, eodem modo, quo Fideicommissa?

FIrmam, ac receptam conclusionem, quæ in simplicibus fideicommissis habetur, ut ad favorem secundi geniti subsidiarie vocati post defectum primum, non dicatur factus casus donec duret spes, vel potentia durationis primi generis, ac futuræ nativitatis, & existentiæ personarum de illo; Hispani negant in illis primogeniis, ac majoratibus qualificatis, ut nempe in eis practicari non debeat illa suspensio, vel existentia in pendulo, quæ ad juris communis limites in fideicommissis datur, ut interim sius, vel penes hæredem ultimi deficientis, juxta unam sententiam, vel sub administratione Patris ejus, qui nasci speratur, juxta alteram, vel sub administratione patris ejus, qui nasci speratur, cui in casu non nativitatis ex diverso genere debita sit successio, juxta alteram, quæ probabilior reputari videtur. *a*

Hanc itaque restrictionem, in qualificatis primogeniis, ac majoratibus Hispaniæ procedentem, aliqui moderni Pragmatici pro consueto adeo damnabili, ac præjudiciali vitio procedendi in litera, non distinguendo regiones, & circumstantias, credunt indefinite Italiæ, aliarumque Regionum cum terminis juris communis viventium, primogeniturіs, & majoratibus, ex privata dispositione ordinatis quoque convenire, isto sensu quandoque ab aliquibus Tribunalibus canonizato. *b*

Id autem evidens æquivocum, & per consequens ineptiam, ac irrationabilitatem redolet, cum hujusmodi primogenituræ, vel majoratus, revera idem sint, ac simplicia, & ordinaria fideicommissa, ideoque cum eisdem regulis metienda, alia non constituta differentia, nisi exclusionis concursus pluralitatis successorum, ut singularis, ac individua debeat esse successio, juxta linearum prærogativam, & ordinem; Et per consequens idem, quod in pluralitatibus fideicommissi est receptum, in hoc singulari quoque statuendum venit. Erronee arguendo ab iis, quæ desuper apud Hispanos habentur, cum in eodem sensu eadem conclusio ibi quoque procedat in iis non qualificatis majoratibus, & primogeniis, quæ nostrorum ad instar in privatis, ac indifferentibus bonis ex privata proveniunt dispositione; Præfata restrictione procedente in iis, quæ ad differentiam, qualificata dicuntur, quia nempe in Civitatibus, Oppidis, & Villis, cum jurisdictione in vassallos, & cum dignitate, vel alia præeminentia ex Principis auctoritate, ac privilegio sint erecta, & ob eam congruam rationem, ob quam in Ecclesiasticis beneficiis passivi jurispatronatus certo personarum generi debitis, cessante lege fundationis, eadem denegatur suspensio, ob administrationem scilicet eis annexam, ideoque ubi hæc ratio cessat, evidens remanet irrationabilitas, hanc distinctionem dictæ rationi innixam admittere; *c* Unde edoceri semper debemus quam frequentes, & graves oriantur errores procedendi in litera, & non reflectendi ad rationem, cui leges, vel auctoritates innituntur, & quæ legis anima in omnibus esse debet, eaque neglecta resultant de consequenti æquivoca, irrationabilitates, & ineptiæ, justitiæ, ac veritati nimium præjudiciales.

a *eod. disc. 7. de Fideicom. & alibi,*

OBSERVATIO LXXXVI.

Appellatione primogeniti, an veniat unigenitus, & an appellatione secundogeniti, veniat ille, qui de tempore dispositionis erat tertio, vel quarto genitus; de tempore autem facti casus, ob aliorum, defectum, sit secundus.

IN utroque ex his casibus, Irrationabilitas, ac ineptia dignoscuntur, ex eadem mox insinuata, & damnata radice orientes procedendi in litera, non autem in spiritu, & in ratione. In aliquorum etenim Scriptorum de hoc genere famulantium literæ sensui, per aliqua Tribunalia quandoque recepto, dispositionis ordinatæ ad favorem primogeniti incapax reputari meretur ille, qui aliis destitutis fratribus, unigenitus existat, quasi quod sibi non conveniat dispositio, eo quia ille dicatur primus, quia alios post se habeat, ad quorum differentiam istud sortiatur vocabulum; Sed evidentem id redolet errorem, dum ipsamet sacra infallibilis pagina docet, quod Christus Dominus istud primogeniti sortitur vocabulum, cum tamen ex Catholicæ fidei præceptis certum sit, quod alios non habuerit fratres,

quorum

quorum credulitas hæretica eſt. Tunc autem id recipiendum venit, quando hæc litera fomentum habeat illius rationis, cui innixa ſit diſponentis voluntas, quia nempe plurium exiſtentiam præciſam conſideraverit, ac voluerit, puta quia primogenitum eatenus illi deſtinaverit ſucceſſioni, quatenus extet ſecundogenitus, in quo alterius ſucceſſionis adimpleatur finis, ut familiarum, vel domorum conſervetur pluralitas, ac evitetur plurium ſucceſſionum unio in ſingulari perſona, cum ſimilibus circumſtantiis banc præciſam voluntatem redolentibus, ex ratione, vel ſpiritu, non autem ex litera regulandis.

Idemque in altera ſpecie diſpoſitionis, per quam ſecundogenitus vocetur, ut ſpectata ratione, ſine attento fine, vel effectu, non naturalis, ſed civilis ſecundogenitus veniat. Nil etenim refert, an de tempore diſpoſitionis alter adeſſet, qui ſecundogeniti locum occuparet, ille vero, qui de tempore facti caſus ob aliorum prædeceſſorum illum occupat locum, tunc tertium, vel quartum, aut ulteriorem occuparet, niſi facti circumſtantiæ probent, quod de illa præciſa perſona diſponens ſenſerit, aliam vero noluerit, ita ſubſtantiam voluntatis potius, quam corticem, ac figuram verborum attendendo, cum iſta propoſitio interpretationum ambiguarum voluntatum defunctorum regulatrix eſſe debeat, & ſine qua ſemper æquivocorum, ac irrationabilitatum, & ineptiarum incurſus habetur; ideoque irrationabile fuit quoddam judicium, merito retractatum, inhærendi literæ, atque excludendi a ſecundogenitura illum, qui de tempore facti caſus erat ſecundus. *a*

a *diſc.* 209. *de Fideicom.*

OBSERVATIO LXXXVII.

Qualitas laicalis in ſucceſſore deſiderata, an præciſe requiratur de tempore facti caſus, ut propterea clericatus in minoribus retractabilis obſtet.

IDem vitium, quod in proxime præcedenti obſervatione dignoſcitur, experimur quoque in hoc aſſumpto, quod ſi diſponens ex probabili motivo conſervationis poſteritatis, vel familiæ, vel alio, quod honeſtam habeat rationem, juxta alias ponderata, ſæcularem qualitatem deſideret in ſucceſſore, cum Clericorum, vel Religioſorum inhabilitatione, ita mordicus in litera procedatur, ut ſi ille primogenitus, vel alter, cui vocatio congruit de tempore facti caſus reperiatur in diverſo ſtatu retractabili Clerici in minoribus, vel Novitii, debeat inhabilis reputari, ideoque a ſucceſſione repelli, quamvis declaret animum immutandi ſtatum; atque obtinendi qualitatem a diſponente volitam, ut propterea adimpleatur finis, vel effectus ab eo deſideratus. *a* Id etenim evidentem redolet irrationabilitatem, ac ineptiam a miſura orientem ſervitute, quam Pragmatici literæ profitentur, negligendo ſpiritum, ſeu rationem, ob quam ſubſtantia voluntatis, vel finis, ac effectus a diſponente volitus impleatur, quoniam ſpiritus, vel ratio, quamvis expreſſe repugnet literæ, prævalere debet, juxta celebrem, nimium quidem rationabilem rem judicatam, ut ordinante teſtatore juvenem eligi, qui uxorem ducere, ac filios procreare valeat pro familiæ vera, vel ficta conſervatione, laudata fuerit electio ſenis, vel provecti viri, qui plures jam habebat filios, cum ita melius, & pinguius adimpleri dicatur voluntas, ac melius ille obtineatur finis, vel effectus, qui ab eo deſideratus eſt; Idemque in admiſſione provectæ viduæ, quæ plures habebat filios ad illam diſpoſitionem, quæ ad favorem puellæ pro eodem fine ordinata erat, cum ſimilibus, Cum etenim inhabilitatis Clericorum, vel Religioſorum illud habeat motivum cælibatus, qui huic ſtatui annexus eſt, hinc nulla legalis, vel naturalis ratio ſuadet, cur ille, qui hunc ſtatum retractabilem illico dimittit, vel dimittere ſe promptum offert, atque ita diſponentis voluntatem, ac deſiderium adimplere, excluſus remanere debeat ab illa ſucceſſione, quam ſibi natura, & voluntas diſponentis, aut lex deferunt. *b*

a *Diſc.* 8. *n.* 8. *de Falcid. latius in Rom. de Cæſarinis, diſc.* 201. *eod. tit. de Fideicom.* & *diſc.* 16. & 17. *de Feud.* b *Diſc.* 45. *de Fideic.* & *dict. diſc.* 262. *eod. tit.*

OBSERVATIO LXXXVIII.

Qui ſemel delatam primogenituram, vel majoratum agnoſcere noluit, an in futura vocatione ſit inhabilis ad illam obtinendam.

ILla in primogeniis, ac majoratibus frequenter contingit incompatibilitas, quæ in prælaturis, & beneficiis eccleſiaſticis per ſacros Canones demandata eſt, vel ſimilitudinaria, & ad inſtar ex legibus univerſalibus Principatus, ut in Hiſpania, *a* vel ex particularibus ob explicitam diſponentis voluntatem, aut ex eadem deducta implicite ab onere cuilibet incumbente deferendi cognomen, & inſignia ſine mixtura, ut duæ, vel plures primogenituræ, vel majoratus ab eadem perſona obtineri, ac retineri non valeant. *b*

Iſta igitur incompatibilitate poſita, duæ occurrunt diſputandi occaſiones; Primo nempe, an ille, qui jam unam obtinuerit, ea dimiſſa alteram poſtmodum vacantem aſſequi valeat, quod aliqui negant, quaſi quod per aſſecutionem unius, effecerit ſe alterius incapacem; Et ſecundo quatenus unam jam obtentam dimiſerit, vel vacantem aſſequi neglexerit ut alteram obtineret, vel retineret, an murato Conſilio poſſit ad jam dimiſſam, vel neglectam regredi, atque magis negativa urget.

In utroque tamen erroneum, ac irrationabile eſt, ita generaliter, ac indefinite procedere, quoniam in primo caſu, tam juris regula, quam ratio, eccleſiaſticorum beneficiorum ad inſtar, contrarium ſuadent, ut incompatibilitas percutiat retentionem utriuſque, non autem aſſecutionem ſecundæ, per quam vacet prima, quoties particularis lex erectionis aliter non diſponat; Et quoad alterum, opinio negans innixa regulæ, ut ad jura dimiſſa, vel poſitive neglecta non detur amplius regreſſus in præjudicium alterius, cui ſucceſſionis jus apertum ſit (quatenus tamen dimiſſionis explicite, vel implicite actus non ſit aliqua exceptione elidibilis, ut pro infecto habendus veniat) procedit in illamet vacatione, ſecus autem ubi illa effectum jam ſortita ſit in altero vocatam, denuo autem altera tanquam per novum caſum contingat, cum tunc opinio negans, irrationabilis, & æquivoca cenſenda veniat, utpote nulli innixa rationi, ideoque error eſt, neglectis caſuum diſtinctionibus, cum generalitatibus procedere. *c*

Idemque dignoſcitur error in procedendo generaliter, ac indefinite in ipſamet ſubſtantia incompatibilitatis, quoniam pariter non in litera, ſed in ſpiritu, & in ratione procedendum eſt, reflectendo an diſponentis voluntas reſiſtat necne, cum aliquando pro facti qualitate, potius pluralitati voluntas aſſiſtere ſoleat, adeout ſi diſponens viveret, veriſimiliter id cuperet, atque gratum haberet, quia nempe altera ſucceſſio ſuperveniens priori conjuncta, longe majorem poſteritati ferret decorem, ac nobilitatem, cum ſimilibus, quibus eadem congruat ratio, quæ potius, quam litera, ſeu verborum formula (ut in omnibus contingit) attendi debet. *d*

a *diſc.* 13. *de Fideic.* b *diſc.* 7. & 12 *eod. tit. de Fideic.* c *dicto diſc.* 12. & 13. *de Fideic.* d *eiſdem locis citatis.*

OBSERVATIO LXXXIX.

De differentia ſuper faciliori conjecturalis Fideicommiſſ inductione inter aſcendentes, & extraneos,

QUamvis nulla deſuper expreſſa legis diſpoſitio habeatur, ex magis tamen communi, magiſque recepto ſenſu interpretum, præſertim vero modernorum, in fideicommiſſis conjecturalibus inducendis, atque in conjecturarum pondere, & efficacia metiendis, ea eſt recepta diſtinctio per forenſium ora volitare ſolita, inter aſcendentes, & extraneos, ſub quorum nomine, collaterales conjuncti quoque veniunt, ut in illis primi generis, minores, ac leviores conjecturæ ſufficiant, longeque facilius fideicommiſſum inducatur, in aliis vero difficilius, ideoque, tam in numero, quam in pondere, majores deſiderandæ veniant conjecturæ, atque hoc jure hodie vivitur. *a*

Irrationabilitatem autem id redolere videtur, dum ratiocinando, vel diſcurrendo, oppoſitum potius dicendum eſt. Fideicommiſſum etenim gravamen, atque ſervitutem importat, ideoque minoris dilectionis erga inſtitutum eſt argumentum, dum ex Evangelico oraculo, cui plus datur plus diligit, & e contra; Atque hinc ſequitur, ut irrationabile videatur, quod major dilectio præſupponenda ſit erga extraneum, cujus favorabilior cauſa ita fiat, quam erga filium, vel alterum directum deſcendentem de proprio ſanguine naturali ter magis dilectum, quod rationi repugnat.

Et quamvis illi rationi hæc differentia innixa videatur, quod majoris amoris, ac dilectionis argumentum erga propriam poſteritatem, & deſcendentiam, quam erga illam extranei præſumendum veniat; Fallax tamen, & æquivoca, ex humano diſcurſu, ac frequentiori uſu, iſta ratio remanet, quoniam fideicommiſſorum, ac primogeniorum, & majoratuum ordinationes, cum longo, ac perpetuo tractu, & fortius cum graduum pluralitate, & cum ſtrictiſſimis alienandi prohibi-

hibitionibus, enixoque desiderio conservationis bonorum, unde propterea æternitas a disponente pro frequentiori stultitia desiderata videtur, non ex motivo dilectionis futuræ posteritatis provenire solet, cum pariter irrationabilitatem redoleat, magis diligere ignotos post remota tempora nascituros, quam jam natos, & cognitos, sed potius ex propria dilectione, propriaque vana ambitione, ita mortalitatem evadendi, propriumque nomen perpetuandi; Et quandoque in sordidis avaria, ex motivo invidiæ, & malignitatis, ut ita propria misera continuetur natura, quodque successores illam liberam non habeant bonorum fruitionem, ac dispositionem, quam ipse vivens sibimet denegavit; Et per consequens, ineptum, & irrationabile remanet, ut melioris conditionis extranei, quam sui in hoc esse debeant, dum verisimiliter magis in extraneis, quam in suis, lautiorem vitam, ac bonorum distractionem, disponentem abhorruisse, omnis ratio ad evidentiam suadere videtur, ipseque humanus discursus probat.

a *frequenter sub diversis quæstionibus, sub tit. de fideicom.*

OBSERVATIO XC.

De conjecturarum, & præsumptionum uniformi regula, super illarum pondere, & efficacia.

INter Juristarum irrationabilitates, ac ineptias, a pluries inculcato vitio procedendi in litera orientes, ea in isto proposito dignoscitur frequens, generalem, ac uniformem in conjecturarum, & præsumptionum pondere, & efficacia statuendi regulam, ut propterea illa conjectura, quæ in aliquibus casibus efficax reputata sit, in omnibus aliis talis reputari debeat, & e converso illa, quæ aliquando reprobata est, atque inefficax reputata, paciformi jure in omnibus censenda veniat. Id etenim claram redolet irrationabilitatem, ac ineptiam, quoniam cum non juris, sed facti, & voluntatis quæstio sit, hinc regulæ desuper non cadunt generales, minusque diversorum casuum exempla per necesse stringunt, sed in singulis casibus pro eorum qualitate, & circumstantiis judicium efformandum est, præsertim ex regionis moribus, atque testantium, & respective bonorum qualitate, substantiam verisimilis voluntatis potius attendendo, prudentis viri more, atque prudentem, & rationalem præsupponendo disponentem, quam judaico, vel grammaticali more attendendo literam, ex qua stultus, vel imprudens, aut irrationalis testator veniat præsupponendus; ideoque compatiuntur, ut eædem individuæ conjecturæ, in aliquibus reprobentur casibus, atque inefficaces reputentur, in aliis vero approbentur, atque ponderosæ, & operativæ sint; Sive quod in aliquibus sufficiant casibus, in aliis vero eædem, ac aliæ longe majores, insufficientes reputari mereantur; Itaque a censendus est unus ex clarioribus, & frequentioribus superficialium erroribus procedentium in litera, non autem in spiritu, & in ratione.

a *Pluries sub titulo de fideicom. occasione agendi de efficacia conjecturarum.*

OBSERVATIO XCI.

De vocatione filiorum in conditione positorum.

MAgna, nimiumque involuta est apud antiquiores, ac medios Juristas quæstio, an filii in conditione positi censeantur vocati, apud modernos vero magis recepta est negativa opinio vocationis exclusiva, quæ statuta est pro regula, ex contrariis conjecturis limitanda, & super quibus magnæ discordantiæ opinionum, rerumque judicatarum dignoscuntur diversitates, ut propterea in fideicommissaria materia ista quæstio frequentius tradat forensibus pabulum disputationibus, absque eo, quod veritatis judicium desuper efformari valeat, a Id autem irrationabilitatem quoque in humano discursu, vel ratiocinio redolet; Alium etenim finem filiorum mentio, & conditio habere probabiliter non videtur, nisi illum, ut hæres gravatus eos habere debeat successores, dum ejusdem extraneos hæredes in casu non existentiæ filiorum, testatorem abhorruisse liquet; Nulla siquidem congrua videtur excogitabilis ratio, cur ille, qui filiis careat, libere disponendi facultate carere debeat, sed alterum habere teneatur necessarium hæredem a testatore injunctum, & quod ille, qui filios habeat, hanc obtineat libertatem, ut istis exclusis, extraneum habere valeat hæredem, vel (ut frequentius contingit) nullum post mortem habeat hæredem, ac successorem, quia vivens omnia dissipet; Ideoque rationi, ac verisimili testantis voluntati potius opposita videtur hæc opinio, quam communis modernorum sensus recepit pro regula, dum hæc potius in contrarium statuenda videtur, quando cum ratione, ac humano discursu potius quam cum ineptia deferendi auctoritatum literæ, & calculo, procedatur; Itaque modernorum potius Pragmaticorum, quam antiquorum Literatorum recepta opinio, inter easdem irrationabilitates, ac ineptias merito collocanda videtur.

a *disc. 73. & seqq. de fideic. disc. 220. & 221. eod. tit.*

OBSERVATIO XCII.

De vulgari in fideicommisso, vel anomala, in universa hæreditate, quando procedat.

JUris regula disponente, ut caducatio unius, vel plurium antecedentium substitutionum graduum, omnium sequentium caducationem procedat, ut propterea libertatem bona adipiscantur, illam magis communis, magisque receptus Juristarum sensus limitat, atque inanem reddit, ex implicita, seu præsupposita vulgari impropria, & obliqua, quæ ad directæ differentiam, in fideicommisso dicitur, apud moderniores, pro Romanæ Curiæ præsertim loquendi usu, anomala nuncupata, ut ulteriorem, ac mediatum gradum per antecedentis corruptionem, & caducationem subingressionis jure, proximum, ac immediatum faciat. a

Id autem altera schola limitat, quando de expressa, vel tacita, & conjecturali testantis voluntate constet, quod mere fideicommissariam, seu gradualem facere voluerit substitutionem, quæ propterea ad favorem secundi substituti facta non censeatur, nisi quatenus prima sortiatur effectum, adeout primi substituti, non autem primi instituti, & gravati personæ, altera sequens facta sit substitutio, & sic successive, & gradatim. b

Utraque theorica, vera, & recepta, ac rationabilis est, præsertim vero posterior, quæ super limitatione cadit, quando vere constet, disponentis talem esse præcisam voluntatem quæ dominans, & regina censenda est, neglecta ratione, cui innixa sit, quoniam, quid testantes voluerint, non autem quare voluerint attendi debet; Irrationabilitas vero, ac ineptia in hujusmodi desumenda voluntate consistere solet, faciendo id in litera, non autem in spiritu, & ratione, atque obediendo formalitati, vel grammaticali sensui verborum, quæ frequentius Notarii sunt, eorum vim, & operationem non callentis, atque ad hujusmodi juris subtilitatis vix peritis juris professoribus notas non reflectentis; Nulla siquidem probabilis ratio suadere videtor, cur in uno, & non in altero casu testator ulteriores substitutos unum, vel plures vocare voluerit, cum imo potius censendum videatur, ideo plures adjecisse gradus ad hoc, ut ita magis ad abhorritos extraneos hæredes bonorum transitus impediatur, atque caducationi occurratur, ideoque nisi ex facti qualitate, & circumstantiis de verisimilis hujus voluntatis substantia constet, in dubio, ut testantem virum rationalem, non autem irrationalem, ut decet, præsupponamus, pro dictæ limitationis exclusione respondendum est, atque alias irrationabilitatis vitium dignoscitur.

a *disc. 107. de fideic. & disc. 253.* b *eod. disc. 107.*

OBSERVATIO XCIII.

De eadem vulgari anomala in rebus particularibus.

NOn modica est inter scriptores quæstio, an quod præcedenti observatione pro regula statuitur, circa præservationem ulterioris substitutionis a caducatione ob præcedentis gradus corruptionem jure vulgaris anomalæ, procedat quoque, ubi non de universa hæreditate, & substitutione agatur, sed de particulari in certis rebus facta. Eaque apud eosdem videtur magis communiter accepta distinctio, ut a verborum formula, & qualitate id pendeat, quod scilicet si vere directa, & civilia sint verba, ista in tret operatio, secus autem si obliqua, vel communia. a

Ista vero quoque videtur irrationabilitas, vel ineptia inter illas primæ classis merito recensenda; Si etenim primarii, & eximii professores, & Jurisconsulti interrogentur, ut hæc verba eorumque diversam naturam, & operationem distinguant, nulli forte, vel nimium rari erunt, qui ex improviso id agant, cum maturo tamen studio recte acturi; Igitur manifestam fabulam, ac irrationabilitatem redolet in Idiota testatore, ut plurimum morbi vi, atque mortis cogitatione turbato, hujusmodi observare subtilitates, ac supersti-

stitio-

ditiones, minusque in Notario frequentius imperito, idque non callente; Ideoque substantia verisimilis voluntatis potius attendi debet, ut etiam in iis bonis, vel primum, vel eo deficiente secundum, ac ulteriorem substitutum habere voluerit successorem.

a *disc.* 108. *de fideicomm.*

OBSERVATIO XCIV.

De reciproca inter plures ordinata, ut solis superstitibus, non autem prædefunctorum filiis conveniat.

UBi pluribus cum æquali dilectione institutis, reciproca inter eos injungitur substitutio, in portione illius, qui absque prole deficiat, magis communis, magisque in foro recepta est sententia, ut ad favorem superstitum tantum locum habeat substitutio, non autem prædefuncti filiorum, quasi quod soli superstites vocati sint, ubi præsertim aliquod verbum prælativum, vel æquipollens accedat; a Verum id irrationabilitatem testantis voluntati potius adversam continere videtur, cum nulla suppetat congrua, & probabilis ratio, cur testatore æqualiter diligente omnes institutos, eorumque filios, quos proinde in conditione posuit ad exclusionem substitutorum, in defecta portione inæqualis esse debeat successio, atque filiis, qui ex prædefuncto supersunt, denegari debeat repræsentatio personæ patris, vel subingressio in ejus locum, dum e converso illa opinio, quæ recepta videtur pro regula, nulli innixa est rationi, sed solum verborum formalitati, quæ semper irrationabilitatem, ac ineptiam redolet, quando congrua non assistat ratio, ob quam a judicio testatoris hæc inæqualitas provenire dicatur, dum verba ut plurimum sunt Notariorum magis, quam disponentium,

a *disc.* 31. *de fideicom,*

OBSERVATIO XCV.

De resolutione numeri pluralis in singularitates.

REsolutionem hanc, magis communis, magisque recepta opinio firmat pro regula, consuetæ limitationi subjecta, quæ ex diversa etiam tacita, & conjecturalis disponentis voluntate resultet, quia nempe testatore plures instituente cum reciproca inter eos in portione deficientis absque liberis, & cum ulteriori substituto, omnibus ita morientibus, si casus præbeat, quod unus, vel plures decedant prius cum liberis, ultimo autem loco decedat unus absque liberis, ut in hac portione purificari dicatur substitutio, quamvis pluribus facta sit ex hac resolutione pluralitatis in singularitates, ob quandam legis, ejusque interpretum declarationem contrariam significationi verbali, vel grammaticali, illi rationi innixam, ut eadem sit proportio totius, quoad totum, & partis quoad partem, ideoque sicuti omnibus institutis absque prole descendentibus in universa hæreditate illum testator dare voluit substitutum, ita idem voluisse censetur in ea parte, in qua eadem conditio verificetur. a

Rationabilis videtur hæc propositio in genere, vel in substantia pro exclusione caducationis substitutionis ad impediendam in ultimo ita moriente bonorum libertatem, dum ita constat, testatorem illam voluisse, atque extraneos hæredes abhorruisse; Irrationabilitas vero, & asperitas videtur esse in modo resultante ab æquivoca intelligentia, ut exclusis filiis unius, vel plurium prædefunctorum, hæc ultimo loco defecta portio ulteriori deferatur substituto; Nulla etenim probabilitatem id habere videtur, sed quod potius prædefunctorum filiis superstitibus, jure vocationis resultantis a positione in conditione, seu verius jure repræsentationis, aut subingressionis, quæ facilius quam vocatio datur, potiora jura in hac successione illi habere debeant, magis pro regula, quam pro illa limitatione, quam aliqui ex verisimili prædilectione statuunt, quoniam ipsamet natura substitutionis, quæ in numero plurali omnibus facta est ad favorem ulterioris substituti, istam incontinenti probare videtur voluntatem, seu prædilectionem, quodque ulterior substitutus, utpote minus dilectus, subsidiarie sit vocatus post extinctum genus prius vocatum, & contemplatum, ideoque genus prædilectum prius vocare voluerit. Unde quando in spiritu, vel in ratione, non autem in litera procedendum sit, pro superstitibus filiis prædefunctorum in conditione positis, potius quam pro ulteriori substituto respondendum est, ac alias irrationabilitas intrat, nisi facti circumstantiæ istam excusent, atque verisimilem disponentis voluntatem in contrarium esse probabiliter suadeant, tanquam per speciem limitationis potius quam regulæ, dum ita ratio exigere videtur. b

a *disc.* 93. *cum tribus seqq. de fideic.* b *ibid.*

OBSERVATIO XCVI.

De prohibita transmissione fideicommissi conditionalis, per morientem conditione pendente.

PRohibentibus legibus, ad instar primæ, ac directæ hæreditatis, transmissionem fideicommissi universalis non purificati per substitutum morientem conditione pendente; Aliqui, fideicommissi particularis transmissioni locum esse volunt; Alii vero, quorum opinio magis communis, magisque recepta est, in hac etiam specie idem affirmant, quoties vere conditionale sit; secus autem ubi ab initio purum, ac perfectum sit legatum, cujus executio, non autem substantia ad mortem hæredis, vel ad aliam conditionem dilata sit, exindeque, fideicommisso adhuc durante, illud iis qui supersunt proximiores, solum deferunt, negant vero prædefunctorum substitutionum hæredibus transmissionis jure venientibus.

In suis casibus, in quibus assumpti ratio assistat, illud probabile dici meretur, ubi nempe prædefuncti hæres extraneus esset, qui ex transmissi jure sui auctoris, illum de sanguine prætenderet excludere, vel cum eo coæqualem habere concursum, sive quod aliis non superstitibus substitutis, quamvis illi, qui ex eis supersunt, essent liberi, & de sanguine, objiceretur tamen de hac regula transmissionem negante per gravatum de substitutionis caducatione, ac bonorum libertate contendentem; Sed quando fideicommissi onus adhuc duraturum sit, atque ulteriorem habeat progressum, unde propterea cesset favor libertatis, atque contentio sit de sola pertinentia, vel concursu cum altero substituto, tunc irrationabile videtur in filiis, vel descendentibus prædefuncti, negare istud transmissionis, vel repræsentationis, aut verius subingressionis in locum parentis beneficium, ex eadem proxime præcedentibus observationibus, assignata ratione, quod cum testatori illud genus æque dilexerit, nulla subesse videtur congrua ratio, cur ex hujusmodi legis subtilitatibus, ac superstitionibus, aliqui ex eo admitti debeant, aliqui vero excludi ob illam gradus prærogativam, quam longior vita eis tribuat; Sufficere namque videtur, ut ille, qui ex prædefuncto superest, primum, ac potiorem occupet locum in sua linea, & in suo colonnello æqualiter contemplato, & dilecto, cum in hujusmodi fideicommissariis successionibus, perpetuam, seu longam durationem habentibus, incongruum videatur (ubi præsertim diversitas linearum accedat) illum attendere ordinem, qui in intestatis successionibus ex quodam libito conditoris novissimi juris Græci potius, quam Romani præscriptus est, cum potius attendenda veniat verisimilis testantis voluntas, quæ erga omnes de illo genere pariformiter ordinata est, ideoque sensus Juristarum ab intestatæ successionis ordine regulatus, in hac parte irrationabilis videtur.

a *disc.* 17. & 18. *disc.* 112. & *seqq. de Fideicom.*

OBSERVATIO XCVII.

De tacita, vel a jure subintellecta conditione si sine filiis, in solis ascendentibus, non autem in transversalibus, vel extraneis attendenda.

IN fideicommissi onere, quod per testantem scripto hæredi ad alterius personæ, vel generis favorem adjectum sit, lex eam supplet, vel subintelligit, quamvis omissam conditionem si ille sine liberis decesserit, quasi quod naturali rationi, ac pietati repugnet alienam sobolem propriæ anteponere, ideoque minus scriptum, quam volitum consensum est. a

Quia vero leges ita statuentes, patrem, vel avum cum filiis, vel nepotibus, aliisque de propria sobole disponentem præsupponunt, hinc interpretes, pro consueto vitio, literæ famulantes, ad ascendentes, qui cum descendentibus disponant, id restringunt, negant vero ubi cum transversalibus, quamvis arcto sanguine conjunctis, magis vero cum remotioribus, vel extraneis. b

Quinimo etiam ubi dispositio sit descendentium cum ascendentibus; c Atque in filiis, & descendentibus multas involvunt quæstiones, an in legitimis, & naturalibus tantum id procedat, vel etiam in illegitimis, aut legitimatis, vel adoptivis, & an respective in matre testante, aliisque materni lateris ascendentibus, atque ubi pia causa sit substituta, quale privilegium prævaleat, quasi quod inter privilegia id recensendum sit, cum similibus. d

Frigiditates vero, ac inutiles chartarum repletiones, improbosque Pragmaticorum labores hæc omnia sapere videntur,

cur, quoniam non juris, sed voluntatis, & per consequens facti quæstio est, incapax proinde regulæ generalis quibuscunque casibus pariformiter adaptabilis, atque inter ineptias recenseri meretur præsuppositum, ut filiationis, vel descensivæ qualitatis peculiare sit privilegium, unde propterea de altero piæ causæ privilegio contendatur, sive ubi alii filii, vel descendentes essent substituti, an intret conquassatio, quoniam descensiva qualitas illum solum operatur effectum, ut a jure probatam inducat præsumptionem, quæ alio extrinseco non indigeat fomento, ut collaterales, vel extranei indigere videntur; Verum sicuti in liberis, & descendentibus ista juris præsumptio per contrarias præsumptiones, & conjecturas elidibilis est, ita e converso in transversalibus, vel extraneis, magis vero in ascendentibus, de facili est inducibilis pro facti qualitate, & circumstantiis, ex quibus attenta legis ratione, non autem litera, minusque Scriptorum numero, metienda est verisimilis voluntatis substantia, an scilicet personam institutam tantum disponens honorare, ac providere voluerit ex personali affectione, vel merito, quod eandem personam non egrediatur, neque posteritati congruat, ut propterea verisimiliter major erga substitutum, quam filios institui, dilectionis, & æquitatis ratio assistat, vel e converso totum genus potius in ea persona contemplatum fuerit, ut major dilectionis, & æquitatis ratio assistat instituti posteritati, quam substituto, unde propterea earundem legum assignata ratio adaptetur, quæ non taxative, sed demonstrative stare potius videtur; Iisque unus est ex erroribus illorum, qui procedunt cum litera, vel cum auctoritatum numero, non autem cum ratione. *e*

a *l. cum avus, ff. de condit. & demonstr. & l. cum acutissimi, C. de fideicomm.*
b *disc. 31. 74. & 115. de fideic. & in Summa fideic. n.* 138. Fusar. *q.* 394. *& seqq. & 397. & in aliis proximis.*
c Fusar. *qu.* 398. d *de his* Fusar. *qu.* 393. e *Locis sup. citat.*

OBSERVATIO XCVIII.

De remissione, vel respective reservatione fideicommissi per concordiam, vel divisionem.

GRavia fideicommissariæ successionis controversia, alias quoque complectens quæstiones, per concordiam sopita fuit cum scriptura privata continente aliqua capitula a partibus, earumque sapientibus ordinata, sub lege celebrandi desuper publicum instrumentum, ut ad dies secutum est; Cumque in capitulis, fideicommissum pro futuris casibus esset indefinite præservatum; in instrumento autem eadem præservatio concepta legeretur quoad alios, non autem quoad unum transigentium; Hinc istius morte secuta, cum ejus hæredibus, vel creditoribus nova exorta controversia restricta ad punctum, an capitulis, vel instrumento potius deferendum esset, introductaque causa in magno, ac supremo Tribunali pro capitulorum tenore attendendo, & per consequens pro fideicommissi duratione in tribus instantiis, novem præviis resolutionibus, vel decisionibus, tres prodierunt sententiæ conformes, quarum executio, per alterum magnum, ac supremum Tribunal præservata fuit, atque de facto secuta, Hisque peractis, eidem Tribunali a quo dictæ tres sententiæ prodierunt, denuo pro stylo commissa causa in devolutivo, ex eisdem nulla juris, vel facti novitate, vel alteratione accedente, pro sententiarum infirmatione, ac fideicommissi remissione, ad instrumenti normam in tribus aliis instantiis, septem, & forte ultra præviis resolutionibus, vel decisionibus, prodierunt tres aliæ conformes, atque in quarta, quæ in eodem Tribunali septima est, tribus sententiis pariformiter, atque tam magno decisionum numero hinc inde concurrentibus, ancipites steterunt judices, quibus ob perplexitatem concordiam demandare visum est. *a*

Ea hac itaque serie, magis forte quam in quocunque alio casu, Judicum, rerumque judicatarum inconstantia, & veritatis incertitudo, ac irrationabilitas elucent, eademque manifesta convincitur ineptia illorum interni fori professorum, qui de Advocatis, ac de Judicibus agentes super obligatione sequendi magis probabilem, relicta minus probabili, vel super obligatione abstinendi ab injustarum causarum patrocinio, & defensione, vere ignorantes, quid dicant, adeo se diffundunt, atque de fori professoribus adeo male obloquuntur.

Dicant etenim isti, atque indicent, quænam in isto casu esset magis, vel minus probabilis, & quisnam defensorum injustam tueretur causam, atque ab isto casu ad alios similes, quorum magna pars in eodem, aliisque magnis Tribunalibus disputantur, inferatur. *b*

Inconstantiam itaque, ac incertitudinem docet ipsa facti series, irrationabilitatem vero comprobant tres sententiæ conformes, non quidem pedaneorum, ac inferiorum Judicum, sed ipsiusmet magni Tribunalis, novem (ut præmissum est) præviis disputationibus, ac decisionibus. Ut enim litibus demum finis imponatur, lex pro ultimo decisore, tertiam statuit sententiam, ut ita per tres conformes, veritas, quæ in ambiguo erat, firmari dicatur, ac propterea ulterior denegetur appellatio, idque irrationabiliter quidem, ne lites æternæ sint, atque rerum dominia perpetuo sint in incerto, instantiarumque processus detur in infinitum; Igitur post tres conformes, ubi plus quam evidens non sit injustitia, manifesta est irrationabilitas, ut ex illo judicio, quod re integra in casu ambiguo de novo interponendum videretur, atque ex capite justitiæ nimium dubiæ, & incertæ, tres adeo mature latæ sententiæ conformes infirmentur, magis vero dum adhuc re integra, vel infecta, probabilius pro primo, quam pro secundo judicato, respondendum videatur. *c*

a *De hac serie disc. 179. de fideic. & in ejus annot.*
b *Eod. disc. 179. de fideic. & disc. 46. in Relat. Cur.*
c *Eodem disc. 179.*

OBSERVATIO XCIX.

Testatore mandante in dubio responderi pro existentia fideicommissi, adhuc in dubio pro non existentia respondetur.

PUnitionem humanæ ambitionis, ac stultitiæ dominandi, & administrandi bona postquam mortui, & annihilati sumus, atque reddendi perpetua ea, quæ inevitabiliter in hoc mundo caduca, & mutabilia sunt, convincit præsertim iste casus, quod nempe mandante testatore, qui plures constituit fideicommissi gradus; atque juris professor erat, ut in dubio pro existentia, & duratione fideicommissi responderi deberet, etiam ostendendo ambitum, ut in perpetuum si fieri posset, bona sub ejus ordine, ac dispositione conservarentur. Attamen ad breve tempus, eodem adhuc durante ævo, sive ætate, exorto dubio, in quo secluso etiam dicto præcepto, non improbabiliter pro fideicommissi existentia, & duratione responderi deberet pro expiratione, ac non existentia, extraneorum favore istos ditando, descendentes autem Testatoris depauperando, promptum erat responsum, nisi quædam suffocata concordia secuta esset. Justum quidem, ac rationabile judicium Dei pro insinuata punitione humanæ ambitionis, injustum vero, ac irrationabile judicium hominum, dum testator juris professor bene callens superstitiosas Juristarum subtilitates, ita providit, aliam meliorem magisque prudentem provisionem non excogitando, & tamen ea neglecta sit.

a *De isto casu agitur disc. 93. de fideicomm.*

OBSERVATIO C.

De Hypotheca legali competente necne in bonis ejus, qui fideicommisso gravatus est, pro bonorum fideicommissi distractione, vel mala administratione.

ANtiquioribus ignota ista quæstio, apud recentiores brevis temporis intervallo, ex consueta opinionum varietate, involutionem passa est; Aliquibus generaliter, ac indefinite istam concedentibus hypothecam, ex ea probabili ratione, quod legalem, ac necessariam id importat administrationem pro eo, qui per se ipsum administrare non potest, & cui imputandum non est cur ejus vice voluntarium deputando administratorem, de conventionalis, ac expressæ hypothecæ cautela solicitus non fuerit; Aliis e converso generaliter, ac indefinite illam negantibus ex legali rigore, ac literæ famulando, eo quod in jure id non habeatur cautum; Et aliis quorum sensibus aliqua magna adhæserunt Tribunalia, utriusque sententiæ mediam conciliativam tenendo, ut si dolus nedum expressus, sed etiam præscriptus, qui ex fideicommissi scientia resultat, interveniat, tunc prior opinio pro hypothecæ competentia recipienda sit, secus vero isto dolo cessante, ut tunc posteriori opinioni deneganti adhærendum veniat.

Majoris itaque irrationabilitatis vitio ista conciliativa, vel distinguens ultima opinio redarguenda videtur, cum nullum nec juris, nec rationis dignoscatur fundamentum, cui innixa sit; Aut enim cum rigore literæ, aut cum ratione procedendum est; Si cum rigore literæ, & tunc secunda

ds opinio negans generaliter, ac indefinite sequenda est; Ubi vero cum ratione, & tunc prior affirmans opinio generaliter, ac indefinite amplectenda videtur, eo modo quo in quocumque sub necessaria, & legali administratione vivente cautum est, ideoque inter legulcicas irrationabilitates tertia opinio media, seu distinguens recensenda videtur. *a*

a *disc. 36. de Cred.*

OBSERVATIO CI.

Fideicommissum, per donationem, vel alium actum inter vivos ordinari non potest; Neque secundo, vel alteri donatario successive vocato, illud jus, vel actio ad bona districta in tertios possessores competit, quæ vocato ad fideicommissum per ultimam voluntatem ordinato conceditur.

IN hoc præsertim themate, non modica illorum superficialium, qui literæ, vel numero auctoritatum famulantur, inepria, & irrationabilitas dignoscitur, dum ob quasdam superstitiosas formalitates opinantur, ut fideicommissa per donationem, vel alios actus inter vivos ordinari non possint, quasi quod singularem habeant ultimarum voluntatum viam, quodque ubi etiam valeant, adhuc tamen secundo, vel ulteriori, qui jure fideicommissi inter vivos ordinati sit vocatus, denegant illam bonorum donatorum vendicationem a tertiis possessoribus, in quos per donatorem, vel primum donatarium distracta sint, quæ secundo, vel ulteriori vocato ad fideicommissum ordinatum per ultimam voluntatem competere, ipsimet admittunt. *a*

Utrumque vero assumptum ineptias, ac irrationabilitates continet; Non videtur etenim, quæ legalis, vel naturalis ratio prohibeat per donationes, aliosque contractus inter vivos, idem ordinari fideicommissum, quod per ultimam voluntatem ordinari potest; Quinimo potentior assistit ratio, ut inter vivos ordinetur; Tum quia cum majori intellectus, ac sensuum libertate, ac maturitate fiunt dispositiones inter vivos in statu valetudinis, quam per ultimas voluntates, quæ frequentius a graviter infirmis, & moribundis, morbi acerbitate, ac mortis cogitatione nimium perturbatis ordinari solent, magisque fraudibus, & machinationibus subjectæ sint, unde propterea lex majores induxit solemnitates; Tum etiam quia potestatis major dubitandi ratio cadere videtur in iis dispositionibus, quæ per ultimam ordinentur voluntatem, utpote collatam in tempus inhabile, quando disponens jam annihilatus est, nullumque retinent dominium, quam per actum inter vivos, per quem adhuc vivens, ac dominus de tempore habili bona a se abdicat, atque in alios vocatos transfert.

Prout respectu alterius assumpti, potentius videtur vinculum, quod adhuc vivens dominus ejus bonis injicit, atque in eis perfecte imprimit, quam illud quod injungitur de tempore inhabili ab eo, qui non est amplius dominus; Atque potentior videtur obligatio primi donatarii, restituendi ulterioribus, utpote facta erga dominum viventem, a quo recipit bona sub ea lege eisdem impressa, quam in hærede, vel legatario sequatur, ideoque omni probabilitatis, ac rationis fundamento hæc assumpta destituta videntur, atque inter irrationabilitates, & ineptias collocari merentur.

a *disc. 63. de Donat. & disc. 141. de Fideicomm.*
b *Locis proxime citatis, & præsertim disc. 65. de Donat.*

OBSERVATIO CII.

De Fideicommissaria successione naturalium legitimatorum.

ILlegitime susceptos, qui ob extremorum habilitatem per subsequens matrimonium legitimationem ab initio ex legis fictione assequuntur, eadem lex a veris legitimis in matrimonii constantia susceptis regulariter non distinguit, ut propterea ad fideicommissaria successionem æque aspirent. *a* Quinimo, ut ad feudalem, & emphyteuticam pacti, & providentiæ admittantur, nisi disponentis resistat voluntas, quia vere de iis, qui in matrimonii constantia suscepti sint, intellexerit. *b*

In illis vero, qui ex Principis, vel alterius hanc habentis facultatem rescripto legitimati sunt, cum ea proceditur distinctione, an pura, & generica sit legitimatio supremi Principis, qui nullam habet suæ potestatis restrictionem, vel ab eodem restricta sit cum clausula *sine præjudicio venientium ab intestato*, aut sit inferioris, qui restrictam habeat facultatem, ut propterea dictam clausulam adjicere debeat, vel quod eam non adjiciendo, adhuc adjecta censeatur, ut priori casu legitimatio ad istum quoque effectum prosit, In posterioribus vero secus, nisi ordinatoris fideicommissi voluntas expressa, vel tacita assistat, quod hanc legitimorum speciem non abhorruerit. *c*

In prima vero specie legitimatorum per consequens matrimonium, plures disputantur quæstiones, ubi matrimonium in mortis articulo sit contractum, ob fraudis suspicionem, & istum necne operetur effectum; *d* Sive testatore desiderante nativitatem, vel procreationem in constantia matrimonii, an sufficiat nativitatis, vel requiratur etiam conceptio; *e* Atque in altera specie legitimatorum per rescriptum, alia quæ nimium involuta videtur, excitatur quæstio, an extra territorium legitimantis attendatur; *f* Vel an oculos habeat retro, ut jam alteri remotiori delatam auferat successionem. *g*

In his autem omnibus respective idem dignosci videtur error, irrationabilitatum ac ineptiarum productivus, procedendi cum formalitate, & grammaticali rigore literæ, seu verborum, ac etiam cum superficie, ac numero auctoritatum, vel cum propositionum generalitate; In ea etenim præsertim parte, quæ ordinatoris fideicommissi voluntatem percutiat, respectu legitimatorum per subsequens matrimonium immorari solet, an adhibitum sit verbum *nasci*, vel aliud *concipi*, sive alterum *procreari* cum similibus frigiditatibus; Atque respectu illorum per rescriptum, an contextus dispositionis denotet, necne, abhorrescentiam, quoniam verius est procedendum esse cum ratione potius quam cum litera, perscrutando nempe substantiam verisimilis voluntatis, desumendam ex circumstantiis facti potius, quam ex verbis, quæ frequentius Notarii potius, quam testantis esse solent, sive uno, aut altero modo concipi pro loquentis usu, vel phrasi, potissime ubi non in materna currenti lingua, sed in latina dispositio concepta sit, inspiciendo nempe principaliter, ac potissime Regionis morem, & an eo attento illegitimi legitimati, in majori, vel in minori sint existimatione. *h* Ac etiam qualitatem testantis, & qualitatem familiæ, & an legitimatis provisio congruat cum similibus circumstantiis, verisimiliter unam, vel alteram denotantibus voluntatem; Alicubi etenim illegitimi a legitimis nihil, vel parum differunt; Alicubi vero pro vilibus, ac abjectis reputantur, Igitur manifesta ineptia, & irrationabilitas est, in omni casu pariformiter cum eisdem procedere propositionibus, vel auctoritatibus; Ac etiam alicubi pro moribus Regionis, vel testantium sensu, magis adhorriti esse solent legitimati per subsequens matrimonium, quam per rescriptum, cum prima species præsupponere videatur indignas, ac abhorritas nuptias cum vilibus, & inhonestis mulieribus, cum similibus considerationibus, cum quibus pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis cum ratione, non autem cum litera proredi, ac judicari debet.

a *disc. 233. de fideicomm. & disc. 15. de Feud.* b Bich. *decis. int. alias decis. 105. part. 5. rec. & loc. cit.*
c *disc. 68. & 69. de fideicom. & in aliis eod. tit.* d Capyc. Latr. *consult. 123.* Ursin. *de feud. p. 1. qu. 4. art. 3.*
e *d. dec. 101.* Bich. f *disc. 54. de Testam. disc. 161. de Regal.* g *d. disc. 68. de Fideicomm. & eod. tit. disc. 223.*
h *d. disc. 68. & 69. de Fideic. disc. 65. Donat. & alibi.*

OBSERVATIO CIII.

Vocatis post defectos agnatos, masculis cognitis, qui a fœminis agnatis procreati sint, hisque non extantibus aliis masculis remotioribus, vel extraneis, pro agnationis artificiali renovatione. An de immediate procreatis a fœmina agnata dispositio intelligenda sit, vel etiam illis congruat, qui per plura media descendunt ab eadem fœmina.

CUm frequens testantium, præsertim vero Italorum, sit usus Italiæ, ac antiquorum Romanorum moribus adaptatus, eorumque instaurativus, vel continuativus, ut occurratur errori, ac simplicitati primorum Interpretum recipiendi in hac Regione illud novissimum jus Græcorum, quod agnationes destruit, ordinandi nempe fideicommissa, & primogenita masculina agnatitia pro folia masculia de vera, & natorali agnatione, & familia effectiva, vel contentiva, sive de utraque donec duret. Ea vero in ultimo fine masculina prole morienti defecta, demandandi ejus fictam, seu artificialem renovationem in illis masculis, qui a fœminis agnatis procreati sint, ut familiam, & agnationem assomant, atque in eorum posteritate conservent, hujusmodi vero non extantibus masculis, alii de magis remotis cognatitiis generalibus, vel prorsus extranei pro eodem adimplendo fine vocentur.

Hinc

Hinc magna, nimiumque involuta exciatia est quæstio pro consueto factionario more, opinionum habens scissuram, rerumque judicatarum non infrequentem varietatem, & inconstantiam, an illis masculis vocatio solum conveniat, qui immediate a fœminis agnatis procreati fuerint, ut propterea habeant agnatitium latus maternum, vel etiam illis, qui per duo, seu plura fœminea, vel cognatitia media, ab eadem agnatione descendant. Atque licet pro istorum quoque vocatione, ex magis communi sensu, regula statuta videatur, de facili tamen alteri adhærendo opinioni, limitatio admitti solet ex contraria disponentis voluntate, quæ immediatis assistere videatur, illa ex verborum figura, vel formalitate desumendo, an scilicet verbum *nasci*, seu *procreari*, vel verbum *descendere* adhibeatur, & an dictio *ex*, vel alia similis adsit, quæ personalitatem, ac immediatam qualitatem denotet. *a*

Quando itaque de ista quæstione peragi contingat cum ultimo gravato deficiente, qui ob deficientem in substitutis istam immediate procreationis qualitatem a testante desideratam, de substitutionis expiratione, bonorumque libertate contendat, tunc stricta, & rigorosa criticatio hæc, quæ Judæis, vel Grammaticis potius, quam prudentibus Jurisconsultis congruit, attendi debet; Licet neque rationabilis, ac verisimilis dici mereatur ob deficientem probabilem rationem, dum ita ab agnatione unus, ac alter extraneus est, qui pariformiter ficte, vel artificialiter familiam est renovaturus; Adhuc tamen favor libertatis bonorum urget, sive non incongrua urget ratio, quod eatenus disponens ultimum prædilectum de agnatione gravare voluerit, quatenus illi supersint, qui agnationis adeo proximi sint, ut quodammodo tales dici valeant, alias non gravaturus.

Sed quando ista duplex cessat ratio libertatis nempe, ac favoris agnatitii generis prædilecti, adeout fideicommissum ulteriorem habeat progressum ad remotiorem, vel penitus extraneum genus, & tunc nisi plusquam clara, & expressa habeatur voluntas disponentis, adeout super ea nulla dubitandi ratio cadat, nisi omnino irrationalis, forteque stultus, ideoque intestabilis disponens præsupponendus veniat, manifestam irrationabilitatem, ac asperitatem redolet, ut ex literali, vel grammaticali alicujus verbi, vel dictionis significatione, iste in judicando, vel consulendo capiatur intellectus; Potissime vero ob sæpius insinuatam rationem, quod scilicet verborum structura Notariorum, vel aliorum potius, quam ipsorum testatorum esse solet, Igitur prudentis, ac rationalis bonique viri more, ex tota facti massa, omnibusque illius casus circumstantiis, veritatis, ac verisimilis voluntatis substantia desumenda est, præsupponendo, ut præmissum est, testatorem virum prudentem, ac rationalem, non autem imprudentem, stultum, & irrationalem.

a de disc. 28. cum pluribus seqq. de fideicomm.

OBSERVATIO CIV.

Gravatus restituere filiis, ut non censeatur gravatus restituere nepotibus.

ISTam, quæ abstracte sumpta vera, ac rationabilis est propositio, ubi de gravaminis expiratione, ac bonorum libertate agatur, quando diversæ voluntatis efficacia non urgeant argumenta ob regulas, quæ libertati assistunt, ac servituti resistunt; Erronee illi qui neglecta ratione famulantur literæ, ad illum extendunt casum, ut fideicommisso durationem habente, aliis remotioribus, minusque dilectis locus aperiatur: *a* Id autem inter asperitates, ac irrationabilitates, naturali æquitati, ac rationi repugnantes, merito recensendum est, quoniam ubi fideicommissi ordinatorem, virum prudentem, ac rationalem præsupponere debeamus, non autem stultum, & irrationalem, tunc nulla ratio, nullaque verisimilitudo id suadet, quodque verborum conceptio, quæ unum, vel alterum genus, vel gradum denotet, per Notarium ita inconsiderate facta, vel quod testator sub eo vocabulo filiorum, omnes posteros per quodam loquendi usu exprimere in animo habuerit, eo modo, quo omnes dicimur filii Adam, & Abrahami, ita restringenda sit; Idemque de filiabus ulteriorum gravatorum, quando pro facti qualitate aliqua peculiaris, ac probabilis non urgeat ratio, quæ hanc suadeat restrictionem ad filias primi gravati, ut excludantur filiæ aliorum successorum, earumque posteri, ut propterea ad extraneos, vel alios minus dilectos, eodem fideicommissi vinculo retento, bona transeant; Id etenim humano repugnat discursui, & rationi, cum quibus potius procedendum est, verisimili voluntatis viri prudentis, ac rationalis attendendo substantiam, non autem judaico, vel pedagogico more in litera, vel in verborum formalitate, ac figura procedendo, cum irrationabilem superstitionem potius id redoleat; ideoque ut sæpe advertitur, non juris scientia, sed juris prudentia hæc dicitur.

a disc. 71. de fideicomm.

OBSERVATIO CV.

De facultate concessa hæredi, qui fideicommissi onere ad certi generis favorem sit gravatus, inter honoratos gratificandi, atque pro libito disponendi inter eos quomodo intelligatur.

ISto præsupposito themate, quod disponens hæredem gravando fideicommisso ad favorem certi generis, puta ejus posteritatis facultatem illi tribuat, inter personas de genere, vel generibus vocatis gratificandi, earumque aliquas præeligendi, sive alias meliorem unius efficiendi conditionem; Jurisstarum præsertim vero recentiorum subtilitas, vel superstitio nimium hanc restringere curavit facultatem; Vel quia ubi de primo hærede, vel successore loquatur dispositio, ut tanquam personalis, ad alios in perpetuo fideicommisso successores trahenda non sit; Vel quia moderate aliqua major benevolentia, vel gratificatio cum unis, quam cum aliis concessa censeatur, non autem ut aliquibus totam, vel magnam partem aliis omnino, vel in magna parte exclusis, vel neglectis concedere liceat. *a*

Utrumque tamen assumptum, quendam literæ legis rigorem, humanæ rationi, ac prudentiæ contrarium sapere videtur; Tum quia magis opportunum censensum est possessori pro tempore istam omnimodam, ac effrænatam concedi facultatem inter ejusdem generis personas gratificandi, dummodo ipsum genus non egrediatur, ut juxta temporum opportunitatem, aliasque contingentias, illam successionem, quæ pluralitatem admittit, singularem ad primogenii, vel majoratus formam efficiat, ut alibi occasione feudorum advertitur, dum ita experientia docente, familiarum, ac generum nobilitas, & decor magis conservantur, quod forte antiquis Romanis conditoribus legum, cum quibus vivimus, ignotum fuit, ideoque ab eisdem legibus arguere, non autem a currentibus moribus postmodum introductis, errorem redolet; Tum etiam quia, ubi hujus singularis, commendabilis successionis ordo jam sit introductus, cum quandoque naturæ, minus maturos præmittere soleat fructus, melioris vero postmodum producere, hinc naturali rationi, humanoque discursui magis adaptatum videtur, ut patri inter liberos, ista gratificandi, seu præeligendi concedatur facultas, quæ inter privatos pro frequentiori contingentia, quæ legaliter, ac naturaliter attendenda est, illa non patit inconvenientia, quæ in publicis dignoscuntur, cum in patre præsumptio cadat æqualis affectionis erga filios, ut propterea, æqualitate posita, meritum virtutum, tanquam substantiale, prævaleat illi merito accidentali, quod præbet sola natura, quæ frequenter in hoc parum prudenter operari solet; Ac etiam, ut ita liberi, aliique minores parentes, aliosque majores magis venerentur, atque cum virtutibus, bonisque moribus, eorum benevolentiam captare studeant, unde pleraque Reipublicæ bona resultarent.

Ea quoque omnium congrua, legali etiam ratione accedente, quod ille, qui fideicommissi onere gravatus est, juxta veriorem, magisque receptam sententiam, verus, ac proprius est dominus pleno jure, illa rejecta sententia, quæ illum usufructuarium reputat, adeout in alio non differat ab illo, qui nullo sit restitutionis onere gravatus, nisi in eo, quod non possit vivens, vel moriens extra illud personarum genus bona transferre, atque successionis ordinem a fideicommissi ordinatore præscriptum intervertere, ideoque habet plenum dominium ab hoc fræno restrictum; Unde propterea quando ab eodem, qui vinculum adjecit, vel frænum apposuit, illud tollatur, vel moderetur, tunc possessor non distributoris, vel executoris, aut arbitri partes gerere dicitur, sed potius domini jure suo, tanquam per obstaculi remotionem, vel fræni relaxationem; Atque in hoc superficialium, qui literæ vilem profitentur famulatum, consistere videtur error, vel æquivocum, ut ea, quæ de arbitrio, vel executore, seu distributore, aut alio fiduciario disposita sunt, qui boni, ac prudentis viri, ejus bene a lege, & a ratione regulatum arbitrium interponere debet, applicent illis, qui ex hæreditario directo, vel obliquo titulo dominium habent, atque tanquam domini potius disponere dicun-

dicuntur, ob magnum discrimen, quod inter unam, ac alteram dignoscitur speciem, ideoque in ratione potius, quam in litera, vel superstitione procedendum est. *b*

a *de his disc. 55. & 57. de Fideicomm.* b *Eodem disc. 55. & 59. de Fideicom, & disc. 93. de Testam.*

OBSERVATIO CVI.

De utraque pupillari, & exemplari substitutione, quæ per parentes liberis intestabilibus fiat.

PArentes pro liberis, qui ratione firmi intellectus, aut mentis intestabiles essent, testari mediante directa substitutione, quæ pupillaris, vel respective exemplaris dicitur, rationabile quidem, ac honestum est, cum sæpius casus præbeat, ut illi proximiores, quibus juxta ordinem a lege statutum, intestata successio debita est, tanquam ignoti, vel exosi male meriti censendi veniant, ideoque de jure, vel saltem de facto sint indigni, ut propterea naturalis ratio, ac veritas eorum successioni resistant, ita supplendo defectum naturæ, ut hoc testamento mediante, huic occurratur inconvenienti.

Adhuc tamen aliquæ irrationabilitates in modo, sive in restrictionibus, vel formalitatibus, quæ desuper habentur, dignosci videntur; Respectu siquidem substitutionis pupillaris, quæ infantibus, vel impuberibus fiat, ut hæc facultas nonnisi patri, vel avo, qui illum puerum habeat in potestate, conceditur, adeout si idem pater, vel avus ratione emancipationis, vel alias ex legia dispositione ista eatenus potestate, hanc non habeat facultatem, quæ propterea matri, aliisque ascendentibus per lineam maternam, ac etiam paternam, in quibus dicta potestas non verificetur, ista denegetur facultas. *a*

Non videtur etenim, quæ ratio naturalis id exigat, vel suadeat, dum in omnibus parentibus eadem affectio, eademque ratio sanguinis consideratur, adeout per jus novissimum, ista sanguinis, ac proximitatis ratio, in utraque activa, & passiva successione, ac etiam in ipsamet intestata, intra terminos legitimæ æqualiter consideretur, omni sublata antiqua differentia, quæ ratione patriæ potestatis inter patrem, vel avum paternum habentem hanc prærogativam, & alios ascendentes dignoscebatur, ut propterea avus per matrem a successione excludatur, atque patris æqualis cum matre sit conditio, illis solum exiguis remanentibus patriæ potestatis reliquiis, quæ in usufructu, & in administratione legali consistunt, istæque pene annihilatæ quoque videntur ob facilem prohibitionem, nedum expressam, sed etiam tacitam, & conjecturalem, ideoque non videtur cui rationabili fundamento differentia hæc innixa sit.

Istud autem vitium ex eodem consueto nascitur fonte, procedendi cum litera, neglecta ratione; Quando siquidem leges hanc prærogativam patriæ potestati singulariter concesserunt, cum eo processerunt præsupposito, quod filius in potestate nil proprium haberetur, magnaque esset patria prærogativa, ut sibi acquireretur quidquid deferretur filio, de cujus bonis disponendo, tanquam de propriis potius disponere videretur. Cum itaque per novissimam peculii adventitii introductionem, ac alteram diversi ordinis succedendi, hodie nulla dignoscatur amplius patriæ potestatis prærogativa, hinc irrationabile videtur, ut procedi debeat cum litera illarum legum, quarum ratio, ac præsuppositum hodie cessant.

Illud etiam ponderando, quod eadem est ratio in impubere, ac in amente, vel furioso, & tamen in substitutione exemplari, quæ furioso, vel amenti fiat, ista non dignoscitur differentia patriæ potestatis, sed omnibus parentibus talis conceditur facultas; *b* Igitur in pupillari, patriæ potestatis requisitum omni destitutum est rationis fundamento.

Irrationabilitas quoque in eo dignosci videtur, quod puberi per paganum directo substitui non potest, quamvis patria potestas adsit, & tamen id fieri valet per militem, quamvis patriam non habeat potestatem; *c* Non videtur etenim, quæ ratio differentiæ in hoc dignoscatur, & quare militaris qualitas potius hanc prærogativam inducat, dum illa differentia, quæ inter paganos, & milites dignoscitur circa diversas testamentorum solemnitates, vel circa duplicis matrimonii, ac duplicis hæredis habitum, suas congruas habet rationes, quæ in hoc non videntur dignosci.

In altera quoque specie substitutionis exemplaris, aliqua dignosci videtur irrationabilitas in restrictione ad fratres, unde propterea illi, qui miseram, ac ineptam profitentur literæ servitutem, adeo per classes certant, an masculinum concipiat fœmininum, ut conveniat etiam sororibus, & quare convenire non debeat quoque nepotibus ex fratribus, & sororibus, aliisque conjunctis; *d* Vel quare, cum utrumque genus pupillorum, & amentium sit æque intestabile ex eadem ratione, cum pupillis facultas libera, & effrænata esse debeat, etiam ad extraneorum favorem, cum exclusione quoque Matris a legitima, idem vero in altero genere amentium pariformiter dicendum non sit, dum rationis identitate urgente, vel in utroque genere eadem danda esset distinctio, vel in utroque neganda, unde liquet, quod non cum ratione, sed cum formalitatibus irrationabilibus proceditur.

a *Disc. 79. de Fideic. & in Summa Fideic. n. 27. & seqq.*
b *De exempt. disc. 184. de Fid. & in summ. Fid. ex n. 46.*
c *In summa Fideic, n. 54. d d. disc. 184. in summa, ubi sup.*

OBSERVATIO CVII.

Exclusio specialis, ab uno substitutionis gradu non operatur exclusionem a vocatione generali.

NEgativa est regula magis recepta, ut specialis exclusio ab uno substitutionis gradu non præjudicet, neque exclusis tollat, quin sub genere, ad cujus favorem alter substitutionis gradus conceptus esset, veniant, nisi ex delicto, vel odio constet exclusionem provenire. *a* Asperitatem tamen, ac respective irrationabilitatem quandoque, tam regula, quam limitatio continere solet, ex eodem damnabili præfatorum inconvenientium productivo vitio, procedendi cum litera, vel cum generalitatibus potius quam cum ratione; Frequenter etenim accidit, quod generaliter ab utraque vocatione speciali, & generali excludere Testator voluerit, tam personam, quam progeniem; quoniam ita exclusionis motivum suadeat, & tamen exclusio non sortiatur effectum, quia major verborum amplitudo, ex Notarii potius, vel alterius Scriptoris facto omissa sit. Et e converso, ut exclusio talem habeat verborum amplitudinem, ut etiam innocentis posteritatis inhabilitatem perpetuam denotet, cum tamen excludendi motivum personale sit, quod posteria non congruat, ideoque irrationabilitas exinde, ob literam, vel formulam verborum resultat contra disponentis voluntatem.

Principaliter itaque immorandum videtur in causa, vel in motivo exclusionis, atque exinde verisimilis desumenda est substantia voluntatis, præsertim vero, an proveniat ex demerentia personali, quæ in posteritatem non influat, vel e converso, ut istam quoque afficiat, ut exempli gratia, pro frequentiori contingentia, sequitur ubi ob indignas nuptias cum plebea, vel infami, & inhonesta muliere vir nobilis contrahat, cum similibus pro moribus regionis, ac Testantis genio, & qualitate ponderandis; Et per consequens ineptum, ac irrationabile perpetuo censendum est, cum generalibus regulis, & propositionibus, vel cum formalitate verborum, eorumque grammaticali significatione procedere, neglecta ratione.

a *Disc. 46. & 49. de Fideicomm.*

OBSERVATIO CVIII.

An ille, qui vocatus est post mortem ejus, qui in universo usufructu est institutus hæres, censendus veniat hæres primus, ac directus, vel potius obliquus, & substitutus jure fideicommissi.

INter involutas Juristarum quæstiones, cum solita opinionum non modica scissura, dignoscitur ista, an scilicet Testatore unum instituente hæredem in usufructu universali, ut pro frequentiori contingentia cum uxore practicari solet; alterum vero post istius mortem instituente hæredem universalem in proprietate, ista post alterius mortem concepta vocatio, primam, ac directam importet institutionem, ut propterea illico hæres iste censeatur, quamvis usufructuarius adhuc vivat, vel potius aliquam, ac fideicommissariam substitutionem continere dicatur; Aliis vero posteriorem sequentibus sententiam, ut propterea non desint qui pro vere contemptibili ineptia, in arithmetico numero, unius, vel alterius sequacium, majorem vim constituentes, magnum, improbumque desuper adhibeant laborem.

Quamvis autem apud moderniores, magis probabilis, magisque recepta sit prior opinio, ab aliquibus etiam Tribunalibus canonizata, ad plerosque effectus exinde resultantes, illum præsertim, qui pro frequentiori contingentia huic disputationi ansam præbere solet, ex ducationis, vel res-

jecti-

pective transmissionis, ubi ille, qui post alterius mortem in verbis est vocatus, præmoriatur, eo quia non verborum attendi debet cortex, vel formula ratione vocationis post mortem, sed potius rei substantia, quod cum institutus in usufructu, illius servitutis legatarius vere censeatur, idcirco hæredem proprietatum ab initio dare oportet, dilata post mortem proprietatis utilitate. *a*

Adhuc tamen in utriusque sententiæ sequacibus, idem dignoscitur error, ineptiarum, ac irrationalitatem productivus, procedendi indefinite in omni casu cum litera, vel cum generalitatibus. Constituta siquidem in dubio regula, juxta priorem opinionem, ut post usufructuarii mortem, ad proprietatem vocatus, ab initio dicatur hæres, constituenda quoque venit limitatio, juxta alteram opinionem, quando facti circumstantiæ talem esse disponentis voluntatem verisimiliter suadeant, quia nempe primum vocet usufructuarium, quia ea vulgi opinione, talis de facti reputari solet ille, qui per fideicommissum restitutionis onere gravatus est, ut propterea de isto improprio casuali potius, quam de altero proprio, ac formali usufructu dispositio intelligenda sit.

Clara siquidem asperitas, ac irrationabilitas, intentioni disponentis contraria, non infrequenter sequi solet, ut penitus extraneus a testante nullatenus contemplatus hæres præmorientis, illum excludat prius vocatum, ac prædilectum, quem solum morientem ad favorem alterius, quem supponat superstitem, gravare voluerit, non autem extranei ejus transmissarii, ideoque clarus censendus est error, quæstionem istam in abstracto peragere, atque cum magis communi, magisque sensu Scriptorum in litera, & in numero decidere, cum verius decidenda sit ex ratione ex facti circumstantiis desumenda, cum qua verisimilis voluntatis disponentia substantia potius perscrutanda venit. *b*

a *Disc. 2. de Hered. & disc. 33. de Leg. & detr.* b *ibid.*

OBSERVATIO CIX.

An filii procreati ex eo matrimonio, cujus contemplatione donatio Patri facta est, pro eorum alimentis, adversus ejusdem Patris donatarii creditores, potioritatem habeant in bonorum fructibus. Et quid de filiis debitoris, qui sit possessor fideicommissi, ad quod ipsi vocati sint.

NEgativam partem contra filios, ubi præsertim donator, vel fideicommissi ordinator non sit ascendens, cujus quamvis defuncti bonis onus alendi descendentes infixum sit, sequi videtur magis communis Juristarum sensus, ab eo regulatus legali rigore, quod filii donatarii, vel alias fideicommisso gravati, quamvis necessariam sperent successionem, interim tamen nullum jus habere dicuntur in fructibus, qui de liberis, ac indifferentibus bonis possessoris, & debitoris esse dicuntur, cum sola spes eventualis, & quæ caducari potest, nullum jus tribuere dicatur. *a*

Naturali autem rationi, ac humano discursui; a legum quoque principiis non aberranti, id adversari videtur, ob verisimilem fideicommissi ordinatoris voluntatem, quod nempe cum etiam in transversalibus, vel extraneis, ex motivo conservationis, vel alio per eum considerato, in eo genere bonorum conservationem sub tractu successivo desideraverit, ita magis desiderasse censetur alimoniam, ac substentationem eorum, quos sibi successuros credidit, & optavit; Magis vero ubi de illis agatur bonis, quæ donata sint intuitu illis certi, ac determinati matrimonii, dum pars donationis adhuc substentatio dicitur, ideoque, nedum donatoris, sed etiam illius, qui de donatione sollicitus fuit ex parte mulieris, assistere videtur voluntas, *b* ac propterea dictum assumptum legali rigori innixum, probabili ratione destitutum videtur.

Et quamvis ista consideratio sufficiens merito non reputetur, ut in fideicommisso ejus, qui non sit ascendens, inferent ea, quæ per legem in fideicommisso ascendentis super constituendis, vel extrahendis dotibus disposita sunt, illa rejecta sententia, quæ ex præfata ratione id affirmat, ideoque irrationabilis reputata; *c* Attamen longe diversa est ratio; Tum ex eo quod istud onus dotis bonorum substantiam, ac proprietatem tangit, ac fideicommissi eversionem induxit, quod non est in alimentis, quæ ex fructibus percipiuntur; Tum etiam, quia mulieribus, quæ de dotis restitutione contendant, recte consultum esse potest cum ejusdem dotis tuto, beneque cauto investimento ab initio, de quo dotantes solliciti esse possunt, ac debent; Ac etiam in dotibus constituendis, diversa est ratio, quam in alimentis eorum, qui fideicommissum conservaturi sunt, ex præmissa ratione verisimilis voluntatis ad eandem conservationem ordinatæ, quæ fœminis dotandis non congruit, ideoque non bene ab una ad alteram provisionem in hoc proposito arguendi facultas concedenda est, quando cum ratiocinio procedatur.

a *Disc. 171. de Fideic.* b *Disc. 1. & seq. de donat.* c *Disc. 145. de Dote.*

DE HÆREDE, ET HÆREDITATE,

OBSERVATIO CX.

De duplici, vel multiplici hærede, & hæreditate, ac patrimonio in pagano non dandis.

IN pagano (ubi cujus nomine omnis utriusque sexus venit, cui militis attributum non congruat) duo patrimonia, duasque hæreditates, vel duos hæredes insolidum dari lex prohibet, atque incompatibile reputat, regionum, vel Provinciarum quantumvis remotarum diversitate neglecta, ut ubicunque bona, vel jura sita sint, unum, & idem constituant patrimonium, vel assem, unamque hæreditatem, ac unicum hæredem, cujus personam formalem per plures materiales personas efformari, vel repræsentari posse per quotas, seu viriles, non est prohibitum. *a*

Ex singulari tamen privilegio militibus (sub quorum genere hodierna præst feudatarii veniunt) ista prærogativa competit, ut duplex habere valeant patrimonium, quorum unum militare, seu feudale sit, alterum vero paganicum, quod pro hodierno loquendi usu forensi, allodiale, alicubi vero burgensaticum dicitur, & per consequens, ut duplicem hæreditatem, duplicemque hæredem in solidum habeant, *b* Idque militum ad instar, Clericis quoque congruit, ut unum habeant ecclesiasticum, & alterum prophanum patrimonio, ac hæc respective hæreditatem, & hæredem. *c*

In hoc autem, respectu Paganorum, sive indifferentium, qui neque feudatarii, neque Clerici sint, aliqua Juristarum dignosci videtur simplicitas, vel ineptiam, ex eodem vitioso derivata fonte, procedendi cum legum, & auctoritatum litera, vel cum regularum, ac propositionum superficie, neglecto ratiocinio, quod distinguere, aliasque opportunas, ac rationabiles reflexiones facere docet; Istud namque assumptum per antiquas Romanorum leges, pro illorum temporum conditione, cum eo firmatum est præsupposito, quod totus Orbis antiquo Romano Imperio subjectus, unum eundemque constituebat principatum sub eadem lege viventem, adeout ubique unus, ac idem esset homo ejusdem Principatus pars, & membrum; Hodie vero manifesta censenda est ineptia, ac irrationabilitas, generaliter, ac indefinite hoc statuere, cum procedat in uno, eodemque principatu, quamvis in plures divisus esset Provincias, cum tunc eadem congruat ratio, vel proportio, secus autem ubi diversi sint inter se independentes, eodem modo, quo de confiscatione, ac similibus insinuatum est, quoniam tot sunt Imperia, vel Orbes, quot sunt Principatus, totque finguntur diversæ leges ex cujuslibet Principis potestate editæ, quamvis sociativo quodam jure Principes, ac Populi, eisdem Romanorum legibus pariformiter utantur, ideoque plura inter se distincta patrimonia, pluresque hæreditates, ac hæredes in pagano recte dantur. *d*

Quinimo, quod magis est, etiam in eodem Principatu, ob distinctionem Territoriorum, in quorum quolibet particularium legum usus inolevit, recte datur hæc distinctio, ut propterea in unius Territorii bonis, unus necessarius, & in illis alterius, alter voluntarius hæres habeantur, sive unius loci bonorum hæreditas, ac successio diversu regulatur modo ab altero, ut aliqui in uno sint capaces, & in altero incapaces, vel in uno admittantur, & in altero excludantur. *e* Igitur fabulosum remanere videtur hoc assumptum, indefinite attendere, atque procedere cum antiquarum legum litera, dum id ineptiam, & irrationabilitatem redolet.

a *Disc. 3. de Hered. & disc. 9. de success.*
b *Eodem disc. 3. de Hered. & disc. 19. 21. & 22. de feud.*
c *Disc. 7. de Testam.*
d *Dict. disc. 3. de Hered. & disc. 9. de Success. & disc. 161. de Regal.*
e *Ibidem, & disc. seqq. dict. tit. de Success. & disc. 103. seqq. de dote.*

OBSER-

OBSERVATIO CXI.

Hæres qui integrum, ac fidele non conficiat inventarium, an istius beneficio privetur,

HÆredis personam, ac patrimonium, cum persona, & patrimonio defuncti, antiquiori lege Romanorum omnino confundente, ut propterea nulla discretio dignosceretur in universo jure activo, & passivo, ideoque neglecta inspectione, an vires hæreditariæ sufficerent necne, de proprio hæres teneretur ad debita, & legata, aliaque onera hæreditaria, cum omnimoda suorum jurium confusione, quoties irrevocabiliter hæres esset; ubi autem revocabiliter, cum eorum suspensione, vel obdormitione, donec revocationis, vel restitutionis casus sequeretur, ideoque aliquando ingens damnum in proprio ære qualitas hæreditaria parere solebat; Hinc istius periculi timore illi perterriti, quibus testatæ, vel intestatæ deferebantur hæreditates, illas agnoscere negligebant, atque, ubi extranei essent, eas expresse repudiabant, ubi vero sui abstinebant, postquam temperato rigore antiquioris legis, quæ illos efficiebat necessarios, abstinendi beneficium sortiti sunt, atque hinc sequebatur, ut quamplures remanerent hæreditates jacentes, cum defunctorum injuria, & cum creditorum, aliorumque interessatorum præjudicio,

Huic itaque malo occurrere studit lex media, illud adinveniendo remedium, quod juris deliberandi dicitur, quia nempe adeunti hæreditatem, anni terminus concederetur, qui deliberandi dicitur, ut intra illum hæreditatem possidendo, & administrando, sufficientes obtineret notitias, tam de viribus, quam de oneribus hæreditatis, atque ita deliberare valeret, an illam retinere, vel repudiare expediret; in casu retentionis, eisdem de quibus supra præjudicialibus effectibus resultantibus, qui cessarent in casu repudiationis; Compertum vero est, quod ita sufficiens non esset medicina, quæ præfatum curaret malum, quinimo, quod majora produceret inconvenientia; Vel quia creditores, aliique jus habentes, studiose dissimulare, eorumque jura in hoc termino occultare satagebant, ut ita magis in tuto ponerentur, dum loco unius patrimonii, duo haberent affecta; Vel quia fraudibus creditorum, aliorumque interessatorum supplantationibus latus aperiebatur aditus, quod nempe illi, quibus hæreditates deferebantur, hoc remedio abutentes, infra annum bona occultationi subjecta, occultando, vel dissipando, in fine anni hæreditatem repudiarent.

Hinc Justinianus Imperator antiquarum legum Romanorum in parte reformator, & in parte, (ut pluries enunciatum est) violator, vel destructor, ut in materia intestatæ successionis præsertim secutum est, melius, longeque prudentius, aliud adinvenit remedium, quo hodie utimur, beneficii nempe inventarii infra certum terminum, cum certis ab eo præfinitis solemnitatibus per adeuntem faciendis, ut eo confecto omnia prædicta cessarent inconvenientia, & respective præjudicia, dum tam hæredis, quam creditorum ita consultum remanet indemnitati; Hæredis nempe, ut ejus jura integra, & illæsa, atque a confusione præservata remaneant, & ne ultra vires hæreditarias in persona, & bonis propriis molestias aliquas pati valeat, adeout administratoris potius, quam veri, ac proprii hæredis partes gerere dicatur intra onerum metam, in excessu autem sit verus hæres, & dominus, ideoque absque timore damni in lucri potentia esse dicatur; Et respectu creditorum, aliorumque jus habentium, ut ita cum hoc remedio inventarii, occupationibus, & expilationibus consultum sit.

Ubi vero adeuntes hoc beneficio uti negligant, tunc nullam eis adjici novam pœnam, præterquam illam amissionis falcidiæ, quæ ex quadam superflua expressione ejus, quod jam inest, in hac novissima lege ponus declaratur, sed remanet in priori statu antiquæ legis super omnimoda patrimoniorum confusione, & respective obligatione, cum dicto periculo damni de proprio.

Cum autem istud necessum sit beneficium sub lege, ut cum demandata solemnitate, debitaque fidelitate, & integritate conficiatur inventarium, cum alias inutilis, ac fatua lex remaneret; Hinc apud interpretes, aliosque Scriptores in casu vitii solemnitatum, vel respective infidelitatis, & non integritatis, intrat quæstio, an actus ita vitiatus remanere debeat, ut pro infecto habendus veniat nec ne, atque super hoc consueta factionaria dignoscitur divisio; Ea vero apud forenses Pragmaticos magis recepta videtur distinctio, quod ubi sit defectus in solemnitatibus, quæ non integre, ac non bene servatæ sint, sive in non bene distincta bonorum, ac jurium descriptione, tunc actus vitiatus, ac infectus censendus veniat, ideoque inventarii beneficium prædictos non operetur effectus; Ubi vero solemnitatibus bene adhibitis, beneque facta descriptione illorum bonorum, & jurium, quæ describere placuit, vitium esset in fidelitate, quia nempe scienter, ac dolose, seu mala fide, omissum sit aliqua describere bona, vel jura, ut ita creditores laterent, sibique illa occultandi daretur aditus, & ne de illis rationem reddere teneatur, & tunc beneficium non amittatur, sed vel juxta unam sententiam (experientia docente) non practicatam, teneri deberet ad duplum ejus, quod occultatum est, vel juxta alteram in praxi magis receptam ut ad simplum teneatur, perinde ac si bona descripta essent; Potissime vero ob adinventam cautelam adjiciendi ex formulario in inventarii confectione protestationem, ut ea, quæ omissa, vel neglecta sint, pro descriptis ex tunc haberi debeant, quamvis ex intervallo post lapsum terminum, ac detectum defectum describantur.

Id autem apertam redolere videtur irrationabilitatem, quoniam potius ratione, vel humano discursu attentis, in oppositum res se habere deberet, ut nempe quando aliquis dignoscatur in solemnitatibus, vel in minus diligenti describendi modo defectus, tunc de facili huic sit condonandum, Cum etenim non omnibus hujusmodi legales innotescant dispositiones, ac subtilitates, idcirco quoties ex parte facientis abest malitia, bonaque exuberat fides, vel quia ipsorum adeuntium vice, ac nomine Causidici, aliique mandatarii, & negotiorum gestores, aut Notarii hujusmodi solemnitates, ac formalitates explicare soleant, absque eo quod principales sciant, an bene, vel male sequantur, opinantes bene sequi. E converso autem ubi de altero infidelitatis, & non integritatis vitio agitur, cum dolo, malaque fide ipsius principalis, ratione certæ scientiæ saltem præsumptæ, ex qua fraudis, & occultationis mala resultat præsumptio, & tunc nulla dignoscatur justa excusationis causa, ut in alio solemnitatum, vel diligentiarum defectu dignoscitur, atque dicitur magis eludi, vel fraudari lex, ejusque finis, vel effectus, quæ propterea verbis potius, quam rebus imposita diceretur; Et per consequens in isto casu magis, quam in altero, actus pro infecto haberi debet. Unde liquet, quod procedere cum legum, & auctoritatum litera, vel cum earumdem auctoritatum cumulo, debito neglecto ratiocinio, ineptias, ac irrationabilitates parit, ad sensum patentes.

a *De his disc. 17. cum pluribus seqq. de Hæred.*

OBSERVATIO CXII.

De Hæreditatis directa, vel Fideicommissaria, transmissione non danda.

NEgatur pro regula hæreditatis jam delatæ, sed non agnitæ transmissio, quoties de prima, & directa agitur, aliquas eadem regula recipiente limitationes ratione suitatis, vel sanguinis, aut pendentiæ termini ad deliberandum, sive ope restitutionis in integrum; Nimium in hac posteriori limitatione scriptoribus se involventibus, adeout una ex magis nodosis juris quæstionibus reputari videatur.

Ubi vero obliqua, seu fideicommissaria sit, tunc eadem transmissio pro regula negatur, quando conditione adhuc pendente, sequitur mora substituti, secus autem si post illam jam purificatam, ut tunc transmissio intret; Limitatione quoque dari solita, ubi diversa dignoscatur fideicommittentis voluntas etiam præsumpta, vel conjecturalis, & super qua metienda, eadem habetur variatio cum opinionum scissura; Aliis magnas, nimiumque efficaces desiderantibus conjecturas; Aliis vero exiguas admittentibus; Atque aliis distinguentibus inter ascendentes, & extraneos. b

In hac itaque posteriori specie transmissionis obliquæ, seu fideicommissariæ hæreditatis; Quando pro substitutionis expiratione, ac bonorum libertate quæstio cadat, tunc a probabilitate, ac naturali ratione ista regula, quæ transmissionem negat, atque caducationem inducit, non aberrare videtur, ubi facti circumstantiæ disponentis voluntatem non suadeant eandem dilectionem erga præmorientis successores potius, quam erga illos gravati; Sed quando libertatis favore cessante, ulteriorem progressum habere debet fideicommissi onus, ut ad alios remotiores, minusque dilectos, ac subsidiarios gradus bona transeant, tunc irrationabilitatem, ac asperitatem, verisimili disponentis intentioni contrarium, hæc regula redolere videtur, ubi ex præmoriente

riente supersunt successores, quibus major æquitas, ac ratio assistat, Ideoque dignoscitur quoque vitium hujusmodi defectum productivum, abstracte procedendi cum generalitatibus, vel cum auctoritatum litera, seu numero, dum potius cum ratione, ex singulorum casuum circumstantiis metienda, procedendum est.

In altera vero specie primæ, ac puræ hæreditatis, quæ delata, & non agnita sit, regula generalis negativa, irrationabilitatem potius hodie manifestam sapere videtur, ob cessantem illam rationem, cui innituntur illæ leges, quæ eam negant, utpote editæ cum diverso tunc temporis vigente præsupposito, ut declaratio voluntatis requireretur ejus, cui hæreditas deferebatur, ob alias insinuata nimium gravia præjudicia, quæ agnitio parere poterat; Id etenim cessat ob posteriorem beneficii inventarii introductionem, ideoque dignosci non videtur probabilis ratio, cui hæc regula innitatur, dum regula in contrarium potius statuenda videtur, limitanda, quando æquitas, vel ratio humana resistere, illamque negari debere exigeret. c

a *Disc. 15. & 16. de Hered. vel de Success. ab intest.*
b *Disc. 112. & seqq. de Fideicomm.*
c *Dict. disc. 16. de Success. ab intestat.*

OBSERVATIO CXIII.

Gravamen, quod hæredi simpliciter injunctum est, ut de primo tantum, non autem de ulteriori hærede intelligendum veniat.

EX generali juris regula, quæ libertati assistit, atque onerum, & gravaminum multiplicationi, ac durationi resistit, ista ex magis communi Juristarum sensu recepta videtur propositio, ut in onerosis, ac præjudicialibus, sub hæredis nomine, primus tantum veniat, non autem secundus, vel ulterior, quodque propterea legata, & onera quantumvis pia, vel alias rationabilia, & commendatione digna, quæ hæredi injuncta sint, primum, ac immediatum non egrediantur. a

Irrationabilitatem vero non infrequenter id sapere solet, cum a ratione, ac verisimilitudine alienum videatur, ut decedens, qui aliquod pium, & commendabile, seu alias rationabile, vel gratum desiderando opus pium, jam cognitum, ac dilectum, gravare voluit hæredem, atque eo magis aspere agere, ac onerare voluerit secundum, aliosque ulteriores ignotos, erga quos nullum urgeat personalis affectionis, ac benevolentiæ motivum, ideoque non cum litera, vel cum propositionum generalitate in hoc procedendum est, sed cum ratione, ex injuncti oneris qualitate, aliisque facti circumstantiis desumenda, & cum qua verisimilis voluntatis disponentis perscrutanda est substantia, an temporaneam facere voluerit dispositionem, ad primi hæredis personam restrictam, vel potius perpetuam, ac successivam, ut sub hæredis nomine, omnis demonstratus censeatur, qui pro tempore talis extiturus sit; Regula etenim prohibitiva extensionis de primo ad secundum hæredem, in iis recipienda est, quæ obligationes inter vivos concernunt, de sui natura odiosas, stricteque interpretandas, non autem in ultimis voluntatibus, in quibus benigna facienda est interpretatio pro operis qualitate, ad quam potissime, ac principaliter reflectendum; b Isteque unus est ex erroribus, illorum qui literæ, & generalitatibus famulantur.

a *Disc. 34. de Legat. & disc. 38. de Cred.*
b *Dict. disc. 38. de Cred.*

OBSERVATIO CXIV.

De licentia, quæ per legem tribuitur hæredi beneficiato, solvendi creditoribus, vel legatariis primo venientibus.

LItera novissimæ Græcorum legis alias enunciatæ, per quam commendatione quidem dignum inventarii beneficium in hærede introductum est, tunc forte non cogitando ad malitias, & inconvenientia, licentiam tribuit hæredi beneficiato, creditoribus hæreditariis, ac legatariis primo venientibus solvendi, ut ipse ab aliorum quamvis anteriorum postmodum venientium molestiis tutus reddatur, ipsis anterioribus, vel respective æqualibus actione remanente vendicandi solutum ab iis, qui solutionem obtinuerunt. a

Praxis vero docuit, ut id claram saperet irrationabilitatem, ac asperitatem, ob fraudes de facili cadentes, atque difficile, ac raro justificabiles, ut collusive solvendo iis, qui minus idonei sint, atque solutum illico dissipent, anteriores, vel potiores supplantari de facili sint, adeout lex irrationabilis, ac dura remaneat.

Hinc merito illi interpretes, qui in hac parte, legis rationi potius, quam literæ obsecuti sunt (quod utinam in omnibus fecissent) illam statuerunt propositionem, ut hæres quamvis hoc beneficio munitus, boni administratoris gerendo partes, atque officium, ubi plus quam certa non sit hæreditatis idoneitas, & opulentia, adeout omnibus quandocunque venientibus possit esse consultum, teneatur a primo venientibus idoneas exigere cautiones, quibus mediantibus, consultum remaneat anterioribus, vel potioribus, aut æqualibus, qui postea veniant; Istaque diligentia neglecta, atque libere facta solutione, proprium esse debeat periculum, atque pro infecta solutio haberi. b

Et hoc itaque monemur, atque docemur, quod non litera quamvis clara ipsarummet legum, multo igitur minus cum illa auctoritatum, sed cum ratione procedi debet, ut in isto casu proceditur.

a *l. fin. Cod. de jure deliberation.*
b *Disc. 52. & 53. de Cred. disc. 25. de hered.*

OBSERVATIO CXV.

De Herede, ac Successore universali, vel particulari, illum impugnante actum, quem auctor, donec vixit, non impugnavit, vel illud rejiciente onus, quod idem auctor numquam rejecit.

UBi actus regulariter obligatorius, ex lege communi, vel particulari sit impugnabilis, quæstio est, an hæc impugnandi facultas hæredi universali, vel particulari successori concedatur; Atque ubi infectio sit ipso jure, ut præsertim in ea contingit, quæ in minoribus, vel mulieribus resultat a statutis, ubi certa non servetur forma; a Vel etiam in modernorum sensu, ex juris communis intentione, ubi de illo per mulierem inito actu agatur, per quem indotata remaneat, b & tunc receptum est hanc impugnandi facultatem cuicunque successori, quinimo tertio concedi; Quæstione cadente, ubi de illo agatur actu, qui non censeatur ipso jure invalidus, sed solum ope exceptionis elidibilis, ut in minore, ad juris communis terminos, sequi dicitur.

In hoc autem irrationabilitas dignosci videtur, ex eodem producta vitio procedendi cum litera, vel cum generalitate, neglecta ratione, quæ distinguere, beneque applicare docet, quoniam pro facti qualitate, & circumstantiis, inspiciendum est, an principalis contrahentis acquiescentia, vel silentium, habeat necne aliquod probabile motivum, vel argumentum agnitionis veritatis, bonæque fidei, quia nempe recte sciens naturalem veritatem, atque sinceritatem actus, quodque vere causa correspectiva intercesserit, in ejus utilitatem, vel voluptatem versa, absque alia fraude, vel machinatione, ita ex lege conscientiæ, & honestatis se agnoverit obligatum, unde propterea ab impugnatione actus abstinuerit, ne in æterna vita ejus anima gravamen sentiat; Isto namque casu irrationabile est, ut ex legalibus generalitatibus, quæ absque his considerationibus superstitionem potius redolent, successori ad proprium lucrum, & dilationem, auctoris animam gravare permittatur.

Adeoque ista extenditur formalitas, vel superstitio, ut si moriens, conscientiæ timore correptus, ac prævidens debita per eum contracta, ratione minoris ætatis, vel alterius qualitatis, ex legum præsertim localium rigore, impugnabilia esse, expresse mandet, quod omnia ejus debita per successorem persolvantur, adhuc tamen superstitio illorum, qui judaico more literæ famulantur, istud præceptum negligi posse volunt, quasi quod de legitimis non impugnabilibus debitis intelligi debeat. c Res quidem ab omni ratione, ac probabilitate aliena, quoniam nisi moriens hanc habuisset suspicionem, vel dubitationem, frustra tale dedisset præceptum, quod ita fatuum, ac inane remaneret, ubi ad debita legitime contracta, & non impugnabilia restringendum sit, dum hæc ejus approbatione non indigeant, ideoque in hoc etiam, cum ratione, non autem cum litera, vel generalitatibus procedendum est, perscrutando nempe ex facti qualitate, & circumstantiis, verisimilis voluntatis, ac veritatis substantiam.

a *Disc. 33. de alien. & contr. probib.*
b *Disc. 97. de Dote.*
c *Dict. disc. 33. n. 29. de alien. & in ibi relatis decisionibus.*

DE

DE LEGITIMA, ET TREBELLIANICA, ALIISQUE DETRACTIONIBUS.

OBSERVATIO CXVI.

Fiscus a patre vivente legitimam filii delinquentis exigit; Et tamen jus delinquenti delatum, quod ab ejus animo pendet, non agnoscit, neque illud onus a legitimo rejicit, quod delinquens rejiceret potest.

EXorbitantiæ quidem plures, ac irrationabilitates in hoc dignoscuntur themate, cum vitiosis extremis; Pro aliquarum etenim ditionum legibus, vel stylis, aut receptis opinionibus, Fiscus cogit parem adhuc viventem, ut legitimam in casu ejus præmorientiæ tantum filio delinquenti debitam sibi præstet; a quod quidem asperum est, nimiumque exorbitans, cum non detur legitima viventis, atque sit quædam incerta eventualis obligatio, quæ ob filii præmorientiam potest non contingere; Quinimo parens duplicatæ legitimæ onus parere potest, quia nempe ex criminoso præmoriente filio superstitibus liberis, istis ex persona propria alia debita sit legitima in morte, ac onus alimentorum, & durationis in vita.

Alia quoque accedente ratione, quæ istam convincit asperitatem, ac irrationabilitatem, quoniam legitima loco alimentorum subrogata est, ideoque tertius odiosus, qualis est Fiscus, nullo modo eam capere debet, ne alias naturali stimulo impellente, aliud alimentorum onus parens quoque supportare cogatur.

E converso autem, quod minus est, nullamque asperitatem, vel irrationabilitatem continet, fisco denegatur, agnoscendi nempe jus delinquenti delatum, quod quilibet ejus, licet extraneus hæres agnoscit, b Atque negatur fisco jus rejiciendi a legitima onera, & gravamina, quod ipsi filio competit, atque in quemcunque transfert hæredem; Videatur itaque quantum sit vitium extremorum, ut in una re, adeo large, ac exorbitanter, in alia vero adeo stricte procedatur, exindeque in utroque extremo, irrationabilitatis dignoscitur vitium.

a *disc.* 160. *de Regal.* b *Eodem disc.* 160.

OBSERVATIO CXVII.

Legitimam esse de jure naturæ debitam, ideoque per statutam, legesque locales in totum non posse tolli plerique volunt.

LEgitimam liberis a parentibus debitam, utpote alimentorum loco subrogatam, de jure naturæ esse, Juristarum concors videtur sensus; Magna inter eos cum consueta opinionum divisione per classes, ac legiones, quæstione peracta in altera legitima, quæ per liberos parentibus debita est, an ea civilis juris, vel pariter naturalis obligatione resultet, magis tamen apud modernos recepta, & per aliqua magna Tribunalia canonizata est opinio, quæ parentes liberis exæquat, ut propterea unis, ac aliis, eodem naturali jure pariformiter debita sit, atque hinc multi inferunt, illam per statuta, aliasque particulares leges, fœminarum, & cognatorum exclusivas, in totum non posse tolli, ex deficienti potestate legis humanæ, seu positivæ derogandi iis, quæ de jure naturæ debita, seu disposita sunt.

Inter primæ vero classis ineptias, ac irrationabilitates, ista connumerari meretur opinio apud recentiores merito damnata, aliquibus etiam magnis Tribunalibus istum canonizantibus sensum pro talis potestatis competentia, quoniam ut aliarum consimilium propositionum occasione pluries advertimr, nullibi ista præsupposita naturæ lex, quæ id præcipiat, registrata legitur, cum reveræ aliud naturæ scriptum, ac præcise obligatorium jus non habeatur, nisi illud, quod tanquam divinum, in utraque veteri, ac nova sacra pagina registratum, Christiana Religio docet, atque servare cogit, reliqua vero, quæ apud Romanorum leges juris naturalis esse enunciantur, ita per loquendi modum explicari dicuntur, ob quendam naturalem instinctum, ab opinione potius, vel a civili educatione insitum; Ille siquidem instinctus naturalis, quem eædem leges Romanorum in brutis quoque considerant, & explicant, illam solum pereunt obligationem, quam genitores, præsertim vero matres agnoscere videntur erga genitos pro eo tempore, quo ipsamet natura illos inhabiles efficit, ad necessarium sibi victum comparandum, ista vero præcisa cessante necessitate erga liberos jam adultos, ac habiles ad victum necessarium sibi comparandum cum industria, seu labore personali, minus vero erga parentes, nullibi natura docet, sed totum ab eisdem Romanorum legibus provenire dicitur; Potissime vero dum absque inopiæ, vel divitiarum discrimine, liberis, ac respective parentibus, quamvis divitibus, & provisis, ea decernitur in quoties, & modis eidem legi placitis, ac variatis, adeout nisi istarum legum casualis moderna inventio, ac respective receptio secuta esset, nec quidem istud legitimæ vocabulum, multo vero minus quota, & privilegia cognita essent; Ac propterea sicuti humana, seu positiva lex, illam inducere potuit; ac etiam antiquiori tempore matri, ejusque parentibus non agnatis denegare, ita nulla subest congrua ratio, cur modernioribus particularibus legibus positivis, eadem concedenda non sit potestas.

Clarius vero, ubi localis lex subditi populi particularis non sit, adeout legis municipalis nomen ei congruat, sed potius sit talis, ut juris communis, quod præfatis Romanorum legibus prævaleat, nomen mereatur; Ideoque inter irrationabilitates, ac ineptias, etiam ex majoribus id recenseri meretur, ex eodem vitio productas procedendi cum litera, & generalitatibus, absque illo ratiocinio, quod homines tanquam rationales decet, atque reflectere, ac distinguere docet, alias vero irrationabilium pecudum, ac avium more potius procedi dicitur. a

a *De his disc.* 10. *& seqq. de Legitima, & alibi pluries, eod. tit. & in altero de Success. ab intest.*

OBSERVATIO CXVIII.

De legitima præcise institutionis titulo relinquenda in quot a bonorum stabilium, & mobilium pro rata, adeout arbitrium illius debitor non habeat relinquendi in fructibus, vel in pecunia, seu mobilibus; Ac etiam ut fideicommisso, vel alteri oneri, & gravamini subjici non valeat, & quando subjiciatur, ut sola testamenti acceptatio sine ejus speciali mentione non præjudicet, nisi quadam adhibeatur cautela, quæ Soccini *vulgo nuncupatur, & qualis sit hujus cautelæ ratio.*

QUamplura legitimæ per Græcas leges novissimas, ac etiam per Juristarum magis communes, ac receptos sensus, concessa sunt privilegia, ut nempe institutionis honorabili titulo præcise relinqui debeat sub pœna irritationis testamenti ipso jure, quodque absque aliquo onere, vel conditione pure debita sit; adeout conditiones, & onera ipso jure rejiciat, illaque pro non scriptis habeantur, quamvis testamenti, vel alterius dispositionis verbis, vel factis approbatio, vel acceptatio sequatur, nisi specifica legitimæ habeatur mentio, ubi quædam non adhibeatur cautela, quæ *Soccini* vulgo nuncupatur, in cujus casu sola verbis, vel factis testamenti approbatio cum hæreditatis agnitione pro talis oneris acceptione sufficit, quodque in fructibus vel in pecunia, seu mobilibus, vel in aliqua bonorum specie per morientem assignari non valeat, sed præcise in omnibus speciebus quota præstanda sit; a Magnam, nimiumque involutam pro consueto factionario more quæstionem retexendo, an in legitima, quæ per parentes liberis debita est ex jure naturæ, solum ista procedant privilegia, non autem in altera, quæ e converso per liberos parentibus, quasi quod non ex natura, sed ea civili jure istis debita sit; Ex magis tamen communi, magisque recepto sensu, utraque pariformi existente prærogativa, ut naturæ jure dicatur debita, ideoque eadem intrent privilegia. b

1 In his autem propositionibus consuetæ dignosci videntur ineptiæ, ac irrationabilitates cum asperitate respective conjunctæ, ex eodem infecto fonte manantes, procedendi cum litera, non autem cum ratione, quæ distinguere docet mores, & tempora; Siquidem quoad honorabilis institutionis tituli necessitatem, cum pro communi stylo, seu formulario clausula codicillaris, vel alia **omni modo meliori**, sive utraque simul in testamentis adjici soleat, atque duplicis detractionis competentia in hac pura fideicommissi restitutione non detur, bine adesse, vel non adesse institutionis titulum, mere inanem redolet circuitum, nullumque habere videtur rationabilem finem, vel effectum, ut propterea ad meram id reducatur formalitatem, quæ superstitionis habeat speciem, dum idem est in substantia effectus, ille vero effectus, qui in ordine judicii dignoscitur, ita calumniarum, ac litium damnabile fomentum producit.

Quo vero ad bonorum speciem, & qualitatem, in qua comperat, atque relinqui debeat legitima, nulla congrua subest ratio, cur parenti, cui pro frequentiori contingentia, juxta naturæ cursum, vel ordinem, istud incumbit onus,

prohibitum esse debeat, ut in posteritate conserventur bona stabilia, quæ conservationi magis apta sunt, ipsiusque assis proprietas diminutionem, vel scissuram non patiatur, legitimam vero in pecunia, vel in mobilibus dissipationi subjectis persolvat, vel in stabilium fructibus, dum eadem lex istam quotam ab omni onere, ac vinculo exemptam liberæ dispositioni, ac dissipationi subjectam esse præcipit, ideoque irrationabilitatem ista singulorum bonorum scissura redolere videtur.

Ubi vero eam contingeret rationem assignari, ut salva proprietate, ex ejus fructibus liberi, vel respective parentes illa percipiant alimenta, quorum loco subrogata est legitima ad hunc effectum a lege demandata, & tunc si ista excluditur irrationabilitas, altera subintrat negandi potestatem adjiciendi onus fideicommissi, vel primogeniti, ex justo, ac rationabili motivo conservationis bonorum in posteritate, & familia; Si etenim fructus, salva proprietate, quæ non alienetur, ad alimenta sufficiunt, ergo male, ac sine ratione proprietati vinculum honestum adjici negatur; Et si proprietas consumenda est, ut proprietas liberæ sit dispositionis, ergo male, ac irrationabiliter adstringitur parens assignare stabilia, suumque assem distribuere in illis bonis, quæ perpetuæ conservationi apta sunt, ei prohibendo istud debitum in pecunia, vel mobilibus dissolvere.

Non levi etiam irrationabilitatis ducto argumento ex eo, quod antiqui prudentissimi, ac sapientissimi Romani, quorum virtus ita enituit, ut pene totius Orbis cum raro, ac singulari exemplo nacti sint imperium, conservatum donec penes eos in Urbe Roma sedit, dissolutum vero postquam ad Græcos transiit, quoniam licet ipsi legitimam liberis loco alimentorum decreverint, non tamen ista concesserunt privilegia parentibus adeo onerosa, quæ per Græcos pro eorum moribus concessa sunt, nulla naturali ratione ad id impellente, cum naturæ instinctus ad subsidiaria solum alimenta erga indigentes liberos, qui ea sibi parare non valeant, parentes obliget; Igitur nulla subest congrua ratio, cur fideicommissi onus, vel aliud simile, ex justo, ac rationabili motivo conservationis bonorum in agnatione, vel posteritate adjici non valeat, frequentius in ipsorummet liberorum prohibitorum gratiam, ut a dissipationibus ita coerceantur, eorum statum honorificentius conservando, quando cum fructibus eorum congruæ consultum sit sustentationi.

Si etenim (rationabiliter quidem) magis receptum est ut fideicommissum, quod in casu delicti ordinatur pro exclusione fisci, legitimam quoque capiat, illiusque privilegium non intret, *c* ita non videtur cur ex præfato alio justo, ac rationabili motivo idem onus imponi non possit, ubi (ut præmissum est) necessitati, vel congruentiæ consultum remaneat, dum ita ille adimpletur finis, ob quem lex liberis, vel respective parentibus istam necessariam detulit successionem.

Longe vero majorem irrationabilitatem, ac asperitatem ultimum continet assumptum, ut parentes liberos ultra hanc necessariam portionem in reliquo asse honorando cum onere fideicommissi, quod legitimam quoque capiat, quia ejus detractionis expressa accedat prohibitio, ipsisque liberis paternam acceptantibus dispositionem, ejusque vigore aliorum bonorum, in quibus parens liberalitatem cum eis exercuit, commodum ad vitam reportando, licitum esse debeat, istud proprii auctoris judicium impugnare; atque commodum contra disponentis voluntatem assequi ob solam verborum superstitiosam formalitatem, quæ rationem in nihilo diversificare facit, quoniam si in legitimæ acceptatione specialis mentio facta sit, vel si in ejus prohibitione illa fuerit adhibita formalitas, cui *Cautela Soccini* per Pragmaticorum vulgus nomen tribuitur, tunc legitimæ detractio non competit, secus autem ista verbali formalitate non adhibita, illud practicando inconveniens enixe ab eadem lege damnatum, ut lex verbis potius, quam rebus imposita censeatur, quodque non veritatis substantia, sed verborum superstitiosa formalitas attendi debeat, quod irrationabilitatem legi naturæ contrariam redolet, dum nulla probabilis differentiæ ratio dignosci videtur inter casum, in quo ista cautela adhibeatur, vel omittatur; Quamvis etenim illa soleat ratio assignari, quod utile sit filio potius totam oneratam assequi hæreditatem, quam solum legitimam liberam; Adhuc tamen inepta est hæc ratio, utpote non verificabilis, dum labor bessis vinculati longe minus pro communi usu æstimatur, quam triens liberum importet. *d*

a *disc.26. cum plurib. seqq. de Legitim. & alibi pluries.*
b Dunan. *d.76. disc.17. de Leg. & in aliis eod. tit. pluries.*
c *disc. 160. de Regal.*
d *disc.17. & seq. de Legitim.*

OBSERVATIO CXIX.

De alienationibus, quas constet esse primas, in legitimam, aliasque detractiones referendis, ideoque validis, donec per impugnantem de præcedenti consumptione doceatur.

QUamvis legitima, & respective trebellianica, quotitativa sit portio, ex singulis detrahenda bonis pro eorum qualitate, ut propterea respectu legitimæ in ascendentis, vel respective descendentis ejus debitoris facultate repositum non sit in pecunia, vel in mobilibus, sive alias in certis bonis eam assignare, ut præcedenti observatione advertitur; Ubi tamen aliquorum bonorum, quæ fideicommisso subjecta sint, distractio fiat, ut ista ex quadam recepta æquitate, in hujusmodi detractiones credere debeat, atque illam unius, vel certarum rerum in solidum in istam causam substineatos, cujusdam occultæ divisionis jure, per quam una, vel plures certæ res in solidum pro ista quota, seu virili electæ sint, aliis bonis pariter in solidum pro fideicommissi portione remanentibus, apud forenses est receptum; Licet namque id præfatæ adversetur propositioni, per quam (adhuc irrationabiliter) parentis facultas, ut supra restringitur, adeout contradictio dignoscatur; Attamen ita generaliter, ac abstracte id considerando, quando cum ea sequatur bona fide, & æqualitate, quæ inter consortes dividentes est servanda, tunc rationabilis potius, quam irrationabilis ista æquitas censenda est; Tum ad evitandam singulorum bonorum scissuram, ob quam etiam in veris, ac expressis divisionibus inter fratres, aliosve consortes, idem adhiberi solet stylus, ut uni una, alteri altera res in solidum assignetur; Tum etiam commercii libertatis gratia. *a*

Irrationabilitates vero, ac asperitates a superficialium Pragmaticorum literæ famulantium indiscretis extensionibus resultant, ut hujusmodi detractionum causam cedere debentibus illis alienationibus, quas constet esse primas, lege ita præsumente pro exclusione delicti; quando inventarium desit, cogatur fideicommissarius hujusmodi alienationum impugnator, rem pene impossibilem facere, justificandi scilicet statum hæreditatis, ut ita pateat quantum detractiones importent, ac etiam de illarum præcedenti consumptione docere debeat, quamvis reliqua bona hæreditaria in toto, vel in parte notabili quoque distracta, & consumpta sint ob possibilitatem, quod alienationi posterior ista fuerit consumptio, ideoque tertio emptori legitime acquirenti præjudicare non apta; Ita namque fideicommissaria hæreditas ita omnibus bonis destituta remanet, illis nempe stabilibus, quæ extent in tertios valide, ut supra distractis, & aliis, quæ in mobilibus, vel in juribus consisterent, penitus consumptis, adeout amplius non extent, sive quod eorum desperata sit recuperatio.

Alteram quoque super Trebellianicæ detractione extensionem faciendo, juxta unam sententiam ab aliquibus etiam magnis Tribunalibus quandoque canonizatam, ut licet ubi de extraneo hærede agitur, fructus in hanc detractionem imputentur, unde propterea tractu temporis ita consumpta, seu absorta remaneat; *b* Attamen si in principio, antequam fructuum perceptio hunc operetur effectum, alicujus rei fiat alienatio in ejus distractionis causam expressam, vel a jure subintellectam, adhuc alienatio substineri debeat, competente solum hærede fideicommissario actione contra gravatum pro reintegratione, ad quam idoneus frequenter esse non solet, unde in utroque fideicommissum damnificatum remaneat, quod omni destitutum est legali, ac naturali ratione; ista enim dicitur detractio, quæ non importat creditum certum, & purum in quota, sed potius ex fructibus, quoniam ita est assequendum.

Atque circa alterum assumptum super legitima, omnis ratio suadet; ut isto casu neglecta dicta æquitate, procedatur cum regula, de qua præcedenti observatione, ut quota, seu virilis competat ex singulis rebus, ut ita bona stabilia distracta, quæ extant, eidem detractioni subjaceant, in eadem quota, & non ultra, dum eatenus præfata currat æquitas, quatenus verificetur ratio, cui innixa est dictæ implicitæ, & occultæ divisionis, quæ bonam fidem redoleat, non dandam sine æqualitate, ut scilicet fideicommisso tanquam consorti remaneant bona coæqualia; Cum etenim lex novissima dissipabilem præsupponat legitimam, quam propterea liberam,

atque

atque ab omni fideicommissi onere exemptam esse voluit; E converso autem eadem lex, ex rationabili motivo perpetuæ conservationis bonorum in posteritate, vel agnatione, fideicommissa laudaverit, eaque sub Augusto perpetua, & obligatoria effecerit; Hinc evidens resultat hujus assumpti irrationabilitas, ac asperitas; Ab eo quoque comprobata, quod ita hæres gravatus, ex propria culpa, proprioque delicto, omittendo conficere inventarium, cujus omissio hodie dolum, ac malam fidem redolet, lucrum, & commodum reportat in præjudicium innocentis, & offensæ fideicommissariæ hæreditatis, cui impossibilis ita redditur illa probatio, quæ per Pragmaticos absque ratione desideratur, ita nimium planum aperiendo aditum fraudibus, ac hæreditatum expilationibus, & supplantationibus, magnus quidam asperitatum, ac irrationabilitatum cumulus ab eodem consueto derivatus vitioso fonte, procedendi cum litera, vel cum superficie auctoritatum, & conclusionum, ratiocinio, vel discursu neglecto. *d*

a *disc. 25. de Legit. disc. 128. de Fideic. & alibi.*
b *disc. 33. de Legit. & Detract.* c *eodem disc. 33.*
d *d. disc. 25. de Legit.*

OBSERVATIO CXX.

Quanta sit legitima masculi, ubi vigeat statutum fœminarum exclusivum, si parens, legitima masculo relicta, ipsas fœminas exclusas hæredes universales instituat.

NOn solum irrationabilitas, sed etiam contradictio in hoc dignosci videtur, ut vigente statuto fœminarum exclusivo, quod eas efficiat extraneas, si parens testando, aliquid licet modicum eis honoris gratia, sive pro Notarii imperitia, opinando majorem adhibere cautelam, relinquat, hæredem vero instituat masculum, ita cum statuto se conformando, illique potius robur tribuendo, censeatur eas restituere suitati, ut propterea numerum, & partem faciant, ut alibi animadvertitur; Sive quando etiam ipsæ ad proprium commodum partem non faciant, ut illam faciant ad commodum fideicommissi, ut propterea masculus gravatus, propriam legitimæ virilem tantum obtineat liberam, fœminarum vero portiones jure fideicommissi restituere debeat. *a*

Et e converso, quod quando Parens testando adeo recedit a Statuto, ut non solum fœminas restituat suitati pro assecutione legitimæ, sed earum conditionem longe meliorem efficiat, quia ipsas in universo asse hæredes instituat, masculo autem solam legitimam de jure debitam relinquat, ita necessitati potius satisfaciendo, nullam cum eo volens liberalitatem, ac benevolentiam exercere; Et tamen ut isto casu masculus integram, ad ejus liberam dispositionem obtineat legitimam, etiam pro fœminarum portionibus; *b* Non videtur etenim quomodo hæc simul stare possint, ideoque, vel in uno, vel in altero, aperta dignoscitur irrationabilitas, ac ineptia.

a *disc. 5. de Legit.* b *disc. 6. de Legitim.*

OBSERVATIO CXXI.

Quomodo debeatur legitima nepotibus ex pluribus prædefunctis filiis primi gradus, quorum nullus extet.

LIcet apud antiquiores, ac medios, magna, nimiumque involuta fuerit quæstio, quam plerique cum consueta simplicitate, cæsarea indigere decisione putarunt, an intestata nepotum ex pluribus prædefunctis filiis, vel respective fratribus successio, adeout nullus primi gradus extet, in stirpes, vel in capita esse debeat; Hodie tamen pro firma regula, illa est recepta sententia, ut in capita sit, ob cessantem rationem repræsentationis, ob quam locus est successioni in stirpes; Et tamen in legitimæ assecutione, & computatione, in stirpes, potius quam in capita id agendum est, quia sic cujusdam novissimæ legis litera dictat. *a*

Omnis namque repugnare videtur ratio, quoties præfatum assumptum circa intestatæ successionis ordinem retinendum sit, quoniam legitima dicitur portio, seu quota ejus, quod ab intestato ille obventurus esset, & per consequens contradictoria hæc videntur, ideoque vel in uno, vel in altero, irrationabilitatem, ac errorem dari oportet, isto resultante effectu a consueta mala causa procedendi in litera, non autem in ratione, atque cum debito discursu.

a *disc. 8. de Legit.*

OBSERVATIO CXXII.

An substineatur, ac valida sit illa lex laicalis, quæ parentem eximit ab onere legitimæ erga filios religiosos.

QUibusdam extantibus in Italia sæcularibus legibus localibus, quibus communium potius, quam municipalium attributum, ac operatio congruit, quia nempe non a subdita, sed a libera Civitate conditæ sint, cum facultate derogandi juri communi, per quas filiis religiosis actio assequendi legitimam alias de jure communi debitam denegatur, præterquam in eo, quod ipsi parenti eis relinquere placeat.

Hinc superficiales ecclesiasticæ Immunitatis zelatores, pro consueto vitio procedendi in litera, non autem in ratione, has leges cassas, & irritas censendas esse credunt, sive quod Religiosos tanquam exemptos non afficiant; Verum in hoc irrationabilitas, ac ineptia dignosci videntur, quoniam lex nil cum exemptis, eique non subditis disponit, nilve eis jam quæsitum aufert, sed solum proprium subditum ab illa eximit obligatione, quam ipsamet lex positiva sæcularis induxit, eodem modo, quo in fœminis præsertim, vel in cognatis agere solet, non quidem in odium religionis, sed ex justo, ac rationabili motivo, quod in dubio præsumendum est, illius facultatis ad instar, quæ privatis testando tribuitur, Religiosos, & Clericos inhabilitandi ad fideicommissariam successionem.

Cum etenim in eorundem Ecclesiasticorum, ac zelatorum sensu, bona, & jura, quæ ex religiosi professi persona defetuntur, directe, ac immediate Monasterio acquiri dicantur, adeout ipsius Religiosi voluntas, vel factum non requiratur, ejusque nullum sit privatum commodum, quod Monasterii in universum, omniumque Religiosorum extraneorum esse dicitur. Hinc rationabilis, beneque regulata videtur lex, quæ ita disponat, ob cessantem alimentorum rationem, cui istius oneris introductio innixa est ex quodam naturali sanguinis instinctu, ut propterea major in hac specie exclusionis ratio vigeat, quam in illa fœminarum, quæ in sæculo sint nuptæ, vel descendentium ex eis; Et per consequens irrationabile remanet assumptum. *a*

a *disc. 28. de Legit.*

OBSERVATIO CXXIII.

De legitima debita nepotibus ex filio prædefuncto, cui Pater donationem fecit contemplatione illius matrimonii, ex quo ipsi procreati sint, ab eis quoque assecutam.

IN uno, vel in altero ex duobus judiciis inter easdem partes prodiris, asperitas, vel irrationabilitas danda videtur, ob æquitatis, & rationis naturalis, ac verisimilis voluntatis deficientiam, ubi rationalium, non autem irrationalium more judicandum sit. Cum etenim Pater filio certum contrahere volenti matrimonium, ex istius causa, vel contemplatione bona donaverit, ipseque filius Patri prædecesserit, unde propterea donandi causa cessavit, tunc, vel ratione exigit ex verisimili voluntate regulata, ut donatio resolvatur, atque ad Patrem revertatur, ex cujus substantia filii ex eodem matrimonio suscepti, ac superstites, legitimam assequantur, vel quod legitimæ loco eadem succedat donatio, cum qua ita præventive legitima assignari videtur, non autem ut iidem filii utrumque assequantur, cum id omni æquitati, & rationi, ac etiam veritati naturali nimium repugnare videatur, *a* ut etiam occasione dotis filiæ in legitimæ neptum ex ea imputandæ, alibi advertitur.

a *disc. 29. de Legit. & disc. 7. de Donation.*

OBSERVATIO CXXIV.

Quando duæ quartæ, Legitima nempe, & Trebellianica detrahantur.

IN filiis istud Juristarum magis communis, magisque receptus sensus introduxit privilegium, aliis vero negat, ut duas faciant legitimæ, & Trebellianicæ detractiones, ex tamen sub lege, ut in conditionalis fideicommissi, non autem puri casu procedat, ut isto posteriori casu una tantum fiat legitimæ detractio, non autem altera Trebellianicæ. *a*

Irrationabilitatem vero, ac ineptiam redolet credulitas, quod hoc sit filiorum speciale privilegium; Cum etenim legitima æris alieni speciem habeat, in cujus deductione qualitas hæreditaria cum fideicommissi gravamine in nulla con-

sideratione habetur, adeout nil referat eum esse hæredem; Trebellianicam vero obtinere debeat tanquam hæres gravatus utpote diversam repræsentans personam, Hinc nulla subest ratio, cur extraneo hæredi, qui pure sit gravatus, concedenda sit Trebellianica, istaque sit neganda filio, cui e converso concedatur, ubi sit gravatus sub conditione, quoniam ratiocinando res in oppositum potius esse deberet, ut nempe quando pure filius gravatus est, tunc illam obtineat, dum tunc incommodum habeat aditionis, & restitutionis hæreditatis absque aliquo commodo ne sit pejoris conditionis, quam extraneus; E converso autem in casu fideicommissi conditionalis dum habetur intermedium commodum fruitionis bonorum pro tempore ejus vitæ, vel pendentiæ conditionis, istud sufficiat; Igitur omnis ratio deest, imo adversatur.

a *disc. 32. de Legitima, & Trebell. & alibi.*

OBSERVATIO CXXV.

An Trebellianica liberis primi gradus possit prohiberi, & quando prohibita censeatur.

INter illas Juristarum valde nodosas, ac involutas quæstiones, quæ risum quidem, ac bilem eodem tempore promovent, ob adeo magnos, improbosque labores per antiquiores, ac medios Juristas desuper adhibitos, ista præsertim dignoscitur, quæ licet apud modernos frequentiue jam sopita videatur, ut indefinite, sive de filiis primi gradus, sive de ulterioribus liberis, vel extraneis agatur, Trebellianica etiam tacite prohiberi valeat, propterea ut voluntatis potius quam potestatis quæstio sit; Adhuc tamen in plerisque locis, etiam in foro hodie negativa, in filiis præsertim tenaciter tenetur, magis vero in schola. a

Irrationabilitatem vero, ac ineptiam, ex eadem literæ servitute manantem, id clare redolet, cum nulla congrua subsit ratio, ob quam rei suæ hanc legem adjicere non liceat etiam in filiis primi gradus, in quibus magis quam in extraneis ratiocinando hæc potestas danda est; Aut enim purum est fideicommissi onus, vel conditionale; Si purum, tunc inanis, ineptaque dispositio remanet, dum ob legitimæ detractionem, hæc alia contemporanea denegatur, ut præcedenti observatione advertitur; Et b conditionale, & tunc dum pro tempore vitæ, vel alterius pendentis conditionis commodum hæreditatis obtinetur, non videtur subesse ratio, ob quam ista prohibitio fieri non valeat.

Ea quoque istam irrationabilitatem comprobante consideratione (quamvis etiam in suo genere irrationabili, ut alibi animadvertitur) quod in filiis, ac descendentibus facilius fideicommissi onus admittitur, ut bona in sanguine, ac posteritate conserventur; Ergo magis in istis, quam extraneis congruit ut integra, vel quominus fieri potest, diminuta conservetur hæreditas a detractionibus exempta.

Generaliter vero, sive de descendentibus, sive de extraneis agatur, ex illa simplicitate provenit negantium sententia, quod neglecto ratiocinio ad motum, ac temporum non reflectitur distinctionem, ac veritatem; Jure siquidem antiquo, medio, ac etiam novo attentis, non improbabiliter hæc in testantibus neganda videbatur potestas, in eorum potius gratiam, ne alias contra votum intestati decederent, dum stante alias insinuato periculo, ut hæreditatis aditio grave inferret in proprio ære damnum, ac jacturam, congruum ac rationale videbatur, ut istud obtineretur commodum præfati periculi, & incommodi compensativum; Hodie vero, quod ob id modernam inventarii introductionem, huic malo consultum est, ista ratio cessat, potissime ubi (ut pro frequentiori contingentia) conditionale sit fideicommissum, per quod commodum intermediæ fruitionis obtinetur.

Non minores item ineptiæ in altera voluntatis quæstione dignoscuntur, quando prohibitio non sit expressa, unde propterea tacite ex conjecturis, & argumentis illa desumenda sit, & quam quoque sufficere jam receptum est; b ponderando nempe judaico, seu grammaticali more verborum superficiem, vel corticem, & an adsit necne verbum, quod integritatem, vel totalitatem denotet; c Cum verius substantia veritatis, ac verisimilis voluntatis ex facti qualitate, & circumstantiis desumenda in ratione, non autem in litera debeat attendi.

a *disc. 37. de Legitim. & Detraction.*
b *disc. 32.* c *d. disc. 32. de Legit.*

OBSERVATIO CXXVI.

Liberi non imputant fructus in Trebellianicam, extranei vero imputant.

ALias enunciata est contradictio, ex qua irrationabilitas in hoc assumpto quoque dignoscitur, quod nempe in liberis, ac descendentibus facilius fideicommissum inducitur, levioresque ac minores reputantur sufficere conjecturas; Et tamen e converso statuitur, ut in eisdem liberis, in quibus magis per fideicommissi vinculum bonorum conservatio, ad futuræ posteritatis commodum, & decorem desideratur, major detur dissipandi facultas, majorque fideicommissi diminutio. Ista namque contradictoria sunt omni probabili destituta ratione, ex misera literæ servitute inepte deducta, dum alimentorum ratio, quæ in liberis magis, quam in aliis urget, in proposito non cadit, quoniam cum legitimæ, totiusque hæreditatis fideicommissariæ fructibus abunde consultum remanet, igitur inepta, omnique ratione destituta est hæc propositio, vel distinctio.

DE LEGATIS, ET USUFRUCTU.

OBSERVATIO CXXVII.

Proprietatis legatarium, ac etiam usufructuarium universalem, de usufructu rei particularis alteri legato participare debere dispositum est.

SI uni fundus, alteri vero ejusdem fundi ususfructus relinquatur; Vel si uni ususfructus universalis, alteri vero ille certæ rei, tunc fundi, vel respective universalis ususfructus legatarium participare debere de medietate ususfructus particularis, Juristæ ex aliquarum legum dispositione, vel sensu firmant; a Irrationabilitatem autem, naturali veritati, ac substantiæ voluntatis disponentis contrariam, hæc assumpta continere videntur, utpote ab eisdem Juristis desumpta ex quibusdam superstitiosis verborum significationibus ac formalitatibus, quæ utique testantibus ignotæ sunt, potissime quia verborum formulæ, ac phrases a Notariis, vel ab aliis fiduciariis, potius quam ab ipsis testantibus frequentius concipiuntur, ideoque ratio, & justitia exigunt, ut ipsa naturalis veritas, atque verisimilis voluntatis disponentis substantia spectetur; Siquidem testantes simpliciter uni fundo, alteri vero simpliciter ejus usumfructum relinquendo, de hoc toto intellexisse, naturalis discursus ad sensum docet, ut fundus sit alterius ob certo secuturam cessationem ususfructus, utpote ad vitam, non autem ut hoc dividatur. a

a *disc. 31. de Legit.*

OBSERVATIO CXXVIII.

De Bulgari consuetudine, ut uxor, quæ domina, & usufructuaria relicta est, alimentaria solum esse debeat.

COnsuetudinem habentibus viris, qui filios superstites scriptos hæredes sub uxorum, & respective matrum educatione exituros relinquunt, ipsas uxores dominas patronas, & usufructuarias relinquendi: Hinc alter communis usus, cui consuetudinis Bulgari nomen tribuitur a (quia de illa iste antiquus Glossator testetur, eodem modo, quo de altera Martini consuetudine, in dote, aliisque similibus animadversum est,) ut non verum, ac formalem usumfructum hæc dispositio importet, sed solum alimenta dominicali quodam, seu matronali jure assequenda, cum quadam præeminentia in domo, prout matrem hæredum, ac respective defuncti uxorem decet, ut propterea hæredes pleno jure, tam in proprietate, quam in usufructu cum hoc onere bona obtineant; Idque justum esse, ac rationabile, tam communi usui, quam verisimili disponentis voluntati innixum videtur.

Adhuc tamen in hoc, irrationabilitates, ac ineptiæ frequentes dignoscuntur, ex eodem consueto manantes fonte procedendi in sola litera, vel formalitate verborum, quæ frequentius Notariorum potius, quam ipsorum testantium sunt, potissime vero ubi dispositio non in materna, & currenti lingua, sed in latina concepta sit, quam Testator non callet, atque ad Notarii phrases, seu loquendi formulam non advertat, ut per aliquam dictionem conjunctivam uxoris cum filiis, vel aliam similem grammaticalem subtilitatem, ac superstitionem, verus, ac formalis ususfructus relictus censeatur, cum verius ad veritatis, ac verisimilis voluntatis substantiam, ex facti qualitate, & circumstantiis, quam ad verborum corticem, ac formulam pro hac metienda voluntate reflectendum sit. a

a *disc. 48. 51. & 52. de Servit.*

OB-

OBSERVATIO CXXIX.

Sub legato mobilium, quænam veniant.

IN hujuſmodi legatorum interpretationibus, Pragmaticorum vitium procedendi cum verborum ſuperficie, ac formulis, vel cum legum, & auctoritatum litera, frequenter aſperitates, ac irrationabilitates producere ſolet, ut præter teſtantium mentem, unis detur plus, quam diſponens dare voluit, & aliis minus, dum Juriſtæ nimium certantes, cum conſueta factionaria diviſione ſuper legum, quæ deſuper habeotur, intelligentia, vel inductione, ſive ſuper aliqua anthinomia, plures adhibent diſtinctiones, multaſque involvunt quæſtiones, an ad mobilia domus hoc legatum reſtringendum ſit, vel potius omnia ubicunque ſint, complectatur; Atque uno, vel altero caſu, an complectatur nomina debitorum, ac merces, & gemmas, ac argenta, & ſimilia, necnon ſemoventia, præſertim vero, an pecuniam numeratam, ſuper qua, ubi ad mobilia domus legatum reſtrictum ſit, major cadere videtur involutio, cum diſtinctionibus ſuper ejuſdem pecuniæ deſtinatione; an ſcilicet emptioni ſtabilium, & æquipollentium, vel potius negotiaoni deſtinata ſit, adeout caſualis, vel accidentalis, dicenda veniat retentio in domo; Vel e converſo ibi retineatur peculii, ſeu præſidii cauſa, aut quod quotidianis occurrentibus uſibus expedibilis eſſe dicatur, ut propterea in hoc non modica dignoſcatur veritatis incertitudo.

Inconvenientia itaque iſta ex præfato derivant vitioſo fonte, procedeodi cum litera legum, ſive cum diſpoſitionis cortice, & an dictiones, & clauſulas, ac verba diſpoſitio contineat, quæ univerſitatem denotent, vel e converſo reſtrictionem habeaot, neglecta ratione, quæ diſtinguere, beneque applicare docet; Magis vero ad illas non reflectendo conſiderationes, quæ pro hac interpretatione congrue facienda haberi debet, an ſcilicet diſpoſitio per ipſum Teſtatorem ore proprio dictantem, vel propria manu conſcribentem, in ejus naturali elocutione concepta ſit, vel e converſo per Notarium, vel alium audientem teſtantis voluntatem in compendio, vel in ſubſtantia, elocutionem autem pro ejus ſtylo concipiendo; Et fortius ubi latina artificiali potius, quam naturali lingua; Ac etiam ad qualitatem perſonarum, atque ad temporum, ac morum diverſitatem, reflectendo, quod hodie pro noſtris modernis moribus non de facili ille habetur antiquorum Romanorum frequentior, peneque communis uſus, retinendi pecunias domi peculii, ſeu præſidii cauſa, cum ſimilibus conſiderationibus, dum facti, ac voluntatis potius, quam juris cenſenda eſt quæſtio pro facti qualitate, & circumſtantiis decidenda, veriſimilem perſcrutando illius teſtantis voluntatem, cum ratione legum, neglecta litera, ac etiam neglecta verborum, & clauſularum, & dictionum formalitate, inſpiciendo nempe, an pro qualitate, & conſuetudine teſtantis, ac illis legatarii, nec non hæredis univerſalis, ac aſſis hæreditarii, aliorumque legatorum numero, ac alia qualitate ipſorum mobilium, nec non communi Regionis uſu, una, vel altera interpretatio, ſive unus, vel alter intellectus veriſimili voluntati diſponentis magis congruat, iſtius ſubſtantiam principaliter perſcrutando, non autem in verborum ſuperficie, vel in legum litera, ſive interpretum ſubtilitatibus, illis præſertim, quæ a ſcholis derivant, vel a Conſulentium ſervili ſubtilitate ob avaritiam ut pecuniæ inſerviant, atque alias nonniſi aſperitates, & irrationabilitates, & ineptias, judicia, vel conſilia deſuper continent, præter vel contra teſtantium intentionem.

a *De his diſc. 5. 6. 10. 11. & in aliis de Legatis.*

OBSERVATIO CXXX.

In Legato generis, cujus ſit electio, an hæredis, vel legatarii, & quatenus unius, vel alterius, quomodo illa facienda ſit.

IDem, quod proxime præcedenti obſervatione animadvertitur, huic themati quoque congruit, & in quo fortè major legum anthinomia, vel diverſus ſenſus, ac interpretum ſciſſura dignoſcitur, pluresque (non tamen pacifice) adhiberi ſolent diſtinctiones, an legatum omnino inutile cenſendum ſit, quia nempe dicatur relinqui animal, undedando muſcam, vel formicam, legatum adimplere dicatur, vel relinqui fundum, unde idem ſequatur implementum dando palmum terræ, ſive ubi major adſit certitudo, adeout non omnino inutile cenſendum ſit, an ad unum, vel alterum dirigantur verba, ſive an de illo genere in hæreditate adſint ſpecies, cum altera diſtinctione, an de inanimatis agatur, quæ ſemper habere expedit quamvis deteriora, & viliosa eligantur, vel de animatis, quæ, ubi deteriora ſint, quandoque magis expedit non habere, quam habere, quia nempe inutiliter victum eis præſtare oportent, cum ſimilibus diſtinctionibus, in quarum ſingulis conſueta habetur factionaria diviſio, & per conſequens major veritatis dignoſcitur inconſtantia, ſive incertitudo.

Pariter itaque hujuſmodi inconvenientia ex eodem reſultant vitioſo fonte, procedendi cum legom, & auctoritatum litera, vel cum generalitatibus in omni caſu, aut cum verborum (cum ſæpius teſtantium non ſunt, ſed notariorum) cortice, & grammaticalibus ſignificationibus, cum verius procedendum ſit cum ratione, eodemque pluries inſinuato ſtylo induendi prudentis & diſcreti, ac rationalis viri perſonam, qualis non autem imprudens, ac indiſcretus, & irrationalis præſupponendus eſt Teſtator, ejus veriſimilem, beneque regulatam intentionem perſcrutando, ex facti circumſtantiis, potius quam ex juris apicibus, attendendo nempe eaſdem enunciatas qualitates, ipſius teſtatoris, & legatarii, & reſpective hæredis, necnon quantitatem aſſis hæreditarii, aliorumque legatorum, & onerum illi adjectorum; Principaliter autem perſcrutanda ratio eſt, vel motivum legandi, ſive finis, vel effectus a legante veriſimiliter conſideratus, vel deſideratus cum ſimilibus circumſtantiis, ex quibus ſubſtantia veriſimilis voluntatis metienda eſt, non autem immorandum in litera, quæ ſemper occidit, atque aſperitates, & irrationabilitates, ac ineptias producit. a

a *De his diſc. 12. & 13. de Legat. & in aliis.*

OBSERVATIO CXXXI.

De regulatione legati uſusfructus bonorum mobilium, quæ uſu conſumuntur, & de cautione per uſufructuarium præſtanda.

ILlam adhibente lege genericam diſtinctionem in uſufructu, inter ſtabilia, vel pro ſtabilibus habentur, atque fructum ſtatutis temporibus ſalva ſubſtantia, vel cauſa productiva præbent, & inter mobilia, vel æquipollentia naturaliter, vel civiliter fructum ſalva proprietate non producentia, unde propterea uſus, vel fruitio ipſius proprietatis conſumptionem, vel attritionem cauſat: Hinc generaliter eadem lex, uſufructuarium ad cautionis præſtationem obligat, cum diverſa tamen forma, quando de ſtabilibus, vel æquipollentibus agitur, ut cautio de utendo, ac fruendo arbitrio boni viri, ipſamque ſubſtantiam conſervando præſtanda ſit, ut propterea illam uſufructu finito, in eo quo citra culpam reperiatur ſtatu, reſtituere ſufficiat, omni caſuali diminutione proprietarii periculo cedente; Ubi vero de altera bonorum ſpecie agitur, quæ uſu conſumuntur, tunc cautio præſtanda eſt de reſtituendo valorem, ſeu pretium, quod tunc currebat, omni comodo, vel incommodo, ſeu augmento, vel decremento intermedio, quamvis caſuali, ſpectante ad ipſum uſufructuarium, qui iſta rerum dominus efficitur, atque pretii debitor eſt, ut in ejuſdem pretii retentione, ac fruitione conſiſtat uſusfructus, donec illa duret.

Adeo vero iſta cautio neceſſaria reputatur, quod illam pro forma præciſa requiri credunt aliqui, & ſine qua inutilis remaneat uſusfructus, adeout ſi uſufructuarius manu ſua fructus percipiat, eos reſtituere teneatur tanquam indebite perceptos; atque ubi uſufructuarius eam idoneam præſtare nolit, tunc antiquiores, ac medii deſperatum reputant opus, ut propterea diſpoſitio evaneſcat, vel ſine effectu remaneat, quaſi quod in forma præciſa nullum attendendum veniat implementum per æquipollens.

Non modicum itaque cumulum aſperitatum, ac ineptiarum id continet, in primis circa dictam reſtrictionem ad duo bonorum genera, ut propterea quidquid non producit fructum, ſalva ſubſtantia, veniat ſub genere eorum, quæ uſu conſumuntur, quoniam etiam in iſtis, quæ hujuſmodi conſumptionem ob uſum patiuntur, intrat diſtinctio, an conſtituant univerſitatem, quæ per ſubrogationem conſervetur, ac duret, ut in tabernis mercium, & victualium, vel aromatum, & pharmacorum, ac ſimilium, necnon in gregibus, & armentis verificatur; Ac etiam in bonis ſingularibus, alia intrat diſtinctio, an ſint de iis, quæ perneceſſe omnimodam patiuntur conſumptionem ex uſu, qui alias obtineri non poteſt, ut ſunt triticum, vinum, oleum, & alia uſualia hujuſmodi, vel potius ſint mobilia ſolidæ materiæ, quæ ſtabilium ad inſtar, perpetuitatem quodam-

modo habere dicantur, atque licet naturaliter infructifera sint, fructum tamen cum usu salva substantia producere dicuntur, adeout etiam sub locationis, & conductionis contractu cadant, ut sunt suppellectilia, & vasa, aliaque bona, ferrea, ænea, aurea, & argentea, seu lapidea, ac tabulæ pictæ, & similia. Quinimo etiam in sericis, laneis, & linteis, suppellectilibus, magisque usualibus, idem cum sua proportione verificatur, ut cum usu non illico consumptionem patiantur, sed paulatim, ac insensibiliter cum diuturno temporis intervallo, ut propterea idem verificari dicatur, atque sub contractu locationis, & conductionis cadant, ut in aulæis, culcitris, tapetis, & aliis hujusmodi verificatur, quæ senescere potius, atque aliquam diminutionem pati, quam usu consumi dicuntur. Atque in iis laneis, vel sericis magis usualibus breviori attritioni insensibili subjectis, ut sunt linteamina, & similia, adhuc pro facti qualitate, & circumstantiis, verisimilis disponentis voluntas metienda est, an in ipsarum specierum usum relinquendi in animo fuerit, ut restituendum sit id, quod ex eis superesset, atque in eo, in quo reperiantur statu, ad instar illorum mobilium, & suppellectilium, quæ in dote viro inæstimata dantur sub nomine corredi, vel acconci explicari solita, cum similibus considerationibus pro facti qualitate; a Igitur evidens remanet error, ac ineptia procedendi cum legum, vel antiquarum auctoritatum litera, ad hujusmodi non reflectendo distinctiones, & considerationes, & sic in spiritu potius, & in ratione, quam in litera.

Prout circa formam cautionis, ubi de bonis stabilibus, ac fructifera agitur, si fructus ante ejus præstationem percepti sint, tunc indiscretus, ac irrationabilis antiquorum censendus est rigor, obligandi ad restitutionem, ubi plusquam clara, & criminosa mala fides inexcusabilis non accedat, dum hujusmodi subtilitates, ac superstitiones non de facili innotescunt, ideoque moderniores melius, ac rationabilius de facili excusationem induxerunt; Ubi autem est res in fieri, quia cautio præstanda sit, tunc evidentior dicendus est error, vel ineptia desiderandi cautionem pro forma præcisa, adeout si præstari non valeat, inutile sit legatum, quoniam si de censibus, aut locis montium, & similibus juribus agitur, facile, ac promptum est remedium, quod cautionem supplet inhibitionis nempe, aut vinculi, ut sors recipi, & consumi non valeat; Et si de stabilibus tunc etiam juratoria sufficere videtur, atque ubi facti circumstantiæ illam reputent insufficientem, adhuc de facili consultum esse potest cum alicujus probati administratoris præpositione. Ubi vero de mobilibus, quæ usu consumuntur, vel dissipationi, & occultationi in sorte, vel in substantia subjacent, & in quibus antiquiorum simplicitas, ubi cautio præstari non potest, opus reputat desperatum, ita serviliter obediendo literæ, melius provisum est per recentiores obediendo rationi, cum investimento nempe pretii in occasione fructiferas, ut ita salvo jure proprietarii, consultum quoque sit usufructuarii indemnitati, ac usufructus inutilis non remaneat, vel cum æquipollenti remedio pro facti qualitate, prudenti Judicis arbitrio adhibendo, quoniam non litera, sed ratio legis attendi debet, vel spectari finis, aut effectus ab eadem lege consideratus. b Et per consequens perpetuus est error, asperitatum, ac irrationabilitatum, & ineptiarum fons, ac parens, procedendi cum auctoritate literæ, vel cum regularum, & propositionum generalitate absque discursu, & ratiocinio, quæ distinguere, atque ad legislatorem, vel effectum, seu finem adimplendum reflectere docent.

a *disc. 47. & seqq. de Servit.* b *Ibidem, ut supra.*

DE DEBITO, ET CREDITO,

OBSERVATIO CXXXII.

De concursu creditorum, ac prioritatis, & potioritatis ordine.

ILlam civiles Romanorum leges, cum quibus in utroque Ecclesiastico, & sæculari foro ista regulatur concursus creditorum materia, quando leges particulares aliquam non præbeant limitationem statuit ordinem, ut inter illos creditores, qui utraque expressa, vel tacita hypotheca careant, unde propterea chirographarii, vel personales dicuntur, æqualis esse debeat conditio, æqualisve concursus nulla temporis discretione data, ideoque de debitoris bonis ad integrum debitum non idoneis pro rata summæ, vel quantitatis diminutionem pati debent omnes, qui agendo per concursum veniunt pariformiter, & per contributum, illis exceptis, qui privilegiati sint, qualis antiquiori jure attento, ante legalis hypothecæ introductionem erant, dos, fiscus, depositum, etiam irregulare, ac refectio, vel conservatio bonorum, & similes, qui aliis potiores existunt, potioritate quoque posterioribus in re, quam jam de tempore habili habuerint, excipiendo concessa.

Postquam vero, adinstar pignoris veri, illud fictum, ac intellectuale introductum est, cui hypothecæ nomen tribuitur, de duplici specie, una nempe conventionali, quæ expressa dicitur, & altera legali, quæ dicitur tacita, utpote sine conventione ex legis privilegio, & benignitate concessa notabilem dictus ordo alterationem recepit, ut illi, qui unam, vel alteram haberent hypothecam, quamvis recentiores, ac etiam per longum tempus posteriores, illos vincant, qui una, vel altera carentes hypotheca, personales, vel chirographarii dicuntur; Inter ipsos tamen hypothecarios attendendo ordinem temporis, ut qui in isto est prior, in jure sit potior, cum eodem æquali concursu, ubi sint agendo in tempore æquales, atque cum eadem possessoris potioritate, quæ excipiendo, data æqualitate, ut supra, conceditur.

Quæstione inter scholasticos præsertim cadente, an hypothecæ tacitæ, & expressæ eadem sit conditio, vel potius ista, quamvis posterior illam vincat, ut aliquorum est sententia, minus tamen in praxi recepta. Adhuc tamen aliquibus continuantibus privilegiis, etiam adversus istos anteriores hypothecarios, ut est illud dotis, de quo alias actum est, ac illud Fisci, & alterum in praxi frequentius mutuantium in causam redemptionis, vel refectionis, aut conservationis ita tamen ut in istam causam præcise creditum sit, cum subsecuta versione, sive mutuantium ad rem emendam, qui de expressa ipsius rei sibi consulant hypotheca.

Isto concursu cadente inter illos, qui jure crediti veniunt, secus autem inter eos, qui jure dominii in re propria, quam in ratione dominii vendicent, ut in depositariis speciei, vel in creditoribus pro pretio rei venditæ, cujus dominium sibi reservaverint, contigit, aut in iis, qui separationis bonorum habent beneficium. Vel quod Principis, vel alterius, ad quem pertinet, decentia, vel assensus in rebus obligari prohibitis, potiores reddat illos, qui habeant, quamvis posteriores, adversus eos qui carent. a

Aliquibus autem iste ordo non caret irrationabilitatibus vel asperitatibus, & præsertim circa æqualem concursum absque temporis distinctione, inter illos, qui æque personales, vel chirographarii sunt, cum inter istos etiam humana ratio, & æquitas exigere videantur, ut idem temporis ordo, qui inter hypothecarios attenditur, debeat attendi. Durum enim, ac irrationabile videtur, ut æqualis esse debeat conditio illius, qui penes campsorem, vel alterum negotiatorem pecunias deposuit, vel alias credidit, quando illum tutum, ac idoneum, nullique æri alieno obnoxium esse recte sciebat, ideoque ejus fidem secutus est, alias non secuturus; Et illum, qui credidit minus idoneo, & obærato, quamvis adhuc bonorum suorum administrationem retineat, cum ita fraudibus, & collusionibus de facili aperiatur aditus, ac etiam in potestate, ac libito debitoris repositum sit, ita cum ejus dissipationibus creditores, quos jam habeat, supplantare; Ideoque non videtur, quæ ratio suppetat, ut idem ordo temporis, qui inter hypothecarios attenditur, inter chirographarios quoque servari non debeat.

Eadem rationabilitas, vel durities in potioritate posteriorum hypothecam habentium, contra chirographarios anteriores dignosci quoque videtur. Ubi etenim de vero agitur pignore, cui pugni derivatio congruit, quia nempe in rebus manualibus consistat, creditori vere, ac effective traditis, adeout penes debitorem non sint, neque ex ipsorum possessione ditior appareat, tunc aliqua dignosci videtur probabilitas, ut in ipso pignore tantum, detentoris potior sit conditio, etiam adversus anteriores hypothecarios, ex ea etiam æquitate, quam commercii libertas exigere videtur, quamvis Juristarum asperitas adversus hypothecarios id non admittat. b

Ubi vero de isto ficto, ac ideali pignore agitur, quod in sola verborum formalitate consistit, nullam inducendo alterationem status debitoris, penes quem adhuc remanent, & continuant bona jam quæsita, & alia, quæ postmodum sibi obveniunt, tunc superstitiosam irrationabilitatem ista lex potius continere videtur, ex eadem superius insinuata ratione, ut qui fidem secuti sunt illius, quem tunc recte sciebant esse in bono statu, atque alias non contracturi, ita delusi remaneant, quodque in libito sit debitoris ita

ris ita supplantare creditores, atque aliis hypothecare illa bona, quæ spectata naturali veritate, non sunt amplius sua, sed creditorum, a quorum juribus absorpta jam sunt, ideoque istud censendum potius est legale judaismum irrationabile.

a *De hoc ordine inter creditores sub tit. de Credito*,
b *disc. 23. de Credito*.

OBSERVATIO CXXXIII.

Venditor in re propria, vel in ea, quæ cum ejus pecunia quæsita est, postponitur emptoris creditoribus.

Fidem de pretio habens venditor, nisi de hypotheca sibi consulat, inter chirographarios creditores recensetur ut cum eis concursum habeat, non autem cum hypothecariis, quibus etiam posterioribus, in ipsamet re sua postponitur. Ubi vero hypotheca se muniat, tunc nisi alterutru sit sollicitus adhibere cautelam reservationis dominii, æqualem cum aliis hypothecariis fortunam, vel naturam sortitur, ut cum ordine temporis, etiam in ea sua concurrat; Adeoque legalis superstitio crevit, ut generalis hypotheca, ex plurium sententia non suffragetur in ipsamet re vendita, in qua proinde quocunque alio creditore sit deterior, quasi quod speciali nota indigeat, neque sub generali obligatione veniat.

Dictaque adhibita reservationis dominii cautela, non desunt aliæ superstitiones super istius reservationis incompatibilitate cum contractu emptionis, & venditionis, ut propterea interim in alterum locationis, & conductionis contractum resolvatur, ideoque venditor locatoris gerens personam, rei subjaceat periculo, sine quo pretii fructus, vel accessiones aliquas, citra usuræ labem percipere non liceat.

In eo vero, qui pecuniam ad rem emendam credat, antiquiori jure attento nulla dignoscebatur prærogativa, quam recentior lex induxit, ut quando de speciali ipsius emendæ rei hypotheca sibi consuluit, potioritatem adversus anteriores hypothecarios non privilegiatos obtineat in ipsamet re: cum privilegiatis autem, ex conquassatione privilegiorum cum ordine temporis procedat; nisi illam adhibeat a moderniotibus inventam cautelam, quæ alteri reservationi dominii æquipollet, ut super ipsa re quærenda, antequam de emptoris dominio fiat, alterius quæri non valeat, sed suum primo imprimatur, ut in affectu in debitorem transeat. a

Plures autem irrationabilitates, vel saltim asperitates in his dignosci videntur, adeo ut per quandam legalium superstitionum speciem, a verborum, & cautelarum formalitate, neglecta naturali veritate & æquitate, totum pendeat, quasi quod in notarii libro sit, venditorem reddere in re sua potiorem, necne, istas adiiciendo, vel negligendo cautelas; Vel quod eodem venditore ex bona fide, ac probitate sequente fidem emptoris, solo verbo, vel cum privata scriptura, non adhibito peritorum notariorum, vel aliorum sapientum consilio, ex quo istæ superstitiosæ verbales cautelæ adhiberi solent, ita re, & pretio, contra omnem naturalem, ac legalem rationem, & æquitatem, carere debeat, atque in re sua, vel respective in ea, quæ cum ejus pecunia comparata est, & quæ alias in debitoris patrimonio non extitura esset concursum, & sic cum aliis ea solo beneficio temporis pati debeat ex quadam legali subtilitate, ac fictione, ut habendo fidem de pretio, duo dicantur occultati actus, a venditore verisimiliter nunquam cogitati, ita inducendo sine voluntate illum contractum, qui voluntatis est effectus, & sine qua dari non potest, scilicet pretium receperit, eodemque instanti per novum contractum emptori mutuo crediderit.

Ratio itaque, & æquitas simul junctæ contrarium potius exigere videntur, ut scilicet naturalis veritatis, se verisimilis voluntatis attenta substantia, neglectisque hujusmodi verbalibus formalitatibus, ac superstitionibus, rem suam, vel de sua pecunia emptam, ubi ea ad hunc effectum data sit, vendicare liceat, ne alias contra naturalem æquitatem re, & pretio careat, atque ita emptoris creditores non de bonis proprii debitoris, sed alterius, contra omnem probabilitatem satisfiant, ideoque merito aliquæ locales leges ita rationabiliter quidem disponunt. b

a *De his agitur sub tit. de Credito, præsertim disc. 3. 4. 6. & 23. & in aliis.*
b *In Civit. Avenion. disc. 81. & 166. de Dote, & alibi, Card. de Luca, Lib. XV.*

OBSERVATIO CXXXIV.

De concursu creditorum ex causa onerosa, & illo ex causa lucrativa, qualis eorum potior esse debeat conditio.

Apud antiquiores plana; receptaque erat propositio, ut in concursu creditorum foventium causam onerosam & correspectivam, cum illis, qui ex titulo donationis, vel æquipollenti, lucrativam foveant, potior sit conditio habentium causam onerosam, quamvis essent in tempore posteriores. Modernorum vero subtilitas illam adhibere cœpit distinctionem, ut inter chyrographarios id recipiendum sit, ut qualitas causæ onerosæ, privilegii speciem inducat, secus vero ubi accedat hypotheca, qua positis, cum solo temporis ordine sit procedendum, ut in tempore anteriores, neglecta causæ lucrativæ, & onerosæ distinctione, posteriores vincant; Et quamvis hæc distinctio aliquibus etiam ex modernis non placeat, atque aspera, & improbabilis videatur, major tamen aliorum modernorum classis, obediendo magis literæ, quam rationi legis, ubi de fraude, & collusione non constet, illam sequitur; Cum eo tamen præsopposito, ut ambo eodem jure creditorum veniant; Ubi etenim ille, qui lucrativam causam foveat, jure dominii veniat, quia nempe ipsæ species donatæ sint, quamvis pene donatorem adhuc extent, ideoque illarum domini figuram adhuc faciat; quia nempe cum legalibus superstitionibus, & commentis, quæ fraudes, & circumventiones nutriunt, ex nunc donata sint bona, dilata executione donationis post mortem donatoris, cui reservetur ususfructus, ut tunc extra controversiam donatarius, creditores postea contrahentes vincant, cum semper potior sit causa dominii, quam hypothecæ. a

Verum hæc irrationabiles formalitates, ac legales superstitiones continere videntur, & quæ (ut præmissum est) fraudum, & commentorum pabulum, & occasio sunt, ita eludendo finem credentium illis, quos vident divites, & idoneos, utpote illorum bonorum publicos possessores, atque alteri æri alieno non subjectos, ignorando hujusmodi donationes, quæ ut plurimum in occulto fieri solent ad filiorum, vel conjunctorum favorem, ut ita illi, qui debita contrahere in animo habent, alienasque dissipare pecunias eorum bonis non remaneant destituti.

Quando itaque donandi, citra fraudem, & collusionem sincerus accedat animus, cum vera, & naturali traditione actus exequi debeat, ut ita mundus agnoscat, quod illis bonis jam destitutus est donator, itaque ita pauperior effectus, unde propterea magis caute, & circumspecte procedatur ei credendo, non autem, ut cum illa ficta, & ideali traditione, quæ a constituto, vel a reservatione ususfructus, aliaque verbali formalitate pendet, fingatur pauper, vere autem, ac de facto juste ab ei credentibus reputetur dives; Id etenim apertam redolere videtur irrationabilitatem, imo iniquitatem, naturali æquitati, ac libertati commercii, ipsique Republicæ oppositam, & præjudicialem, quinimo legis essentiæ contrariam, quoniam lex veritatis, & justitiæ, ac æquitatis mater est, & nutrix, ideoque semper rationem, ac veritatem naturalem potius quam hujusmodi fictiones, ac superstitiones a verborum formalitatibus resultantes attendi debere, justum videtur, ac rationabile.

a *disc. 31. de Credito.*

OBSERVATIO CXXXV.

De Creditoribus ex causa panis, aliorumque cibariorum, seu vestium, & medicamentorum.

Aliquæ locales leges hujusmodi creditoribus adversus quoscunque alios potioritatem concedunt, dum jus commune, merito quidem, ac rationabiliter aliam non concedit potioritatem, nisi pro expensis funerum, & ultimæ infirmitatis, quoniam ita pietatis, & charitatis, ac humanæ civilis societatis ratio exigit, creditoribus vero ex causa victualium, & vestium, seu medicamentorum, extra dictum casum, nullum concedit privilegium adversus hypothecarios, sed solum in aliquorum sensu, in chirographariorum concursu, dictæ vero locales leges istam concedunt potioritatem, præsertim in Urbe creditoribus ex causa panis publicæ annonæ favore, cum nimis verborum amplitudine adversus quoscunque quantumvis anteriores, & potiores, ac privilegiatos. a

Quando itaque discretam istud privilegium praxim habeat, tunc rationabile quidem, ac honestum censendum est, ubi præsertim de illo agitur pane, qui rem rusticam, seu

agrariam artem exercentibus pro fructuum recollectione, & cultura est necessarius pro operatiorum alimonia, ut in illis fructibus prioritas tantum intret, tanquam pro necessariis expensis ante omnia detrahendis, & super quibus injustum esset aliis creditoribus jus concedere, utpote in re, quæ non est debitoris; Irrationabilitatem vero, ac fraudum, & commentorum pabulum hujusmodi leges continent, quando in litera indefinite practicantur, absque temporum, & bonorum distinctione, non reflectendo an congruat necne ratio, cui illæ innixæ sunt, & ad cujus rationis limites practicandæ veniunt, cum alias perditi debitores, per notabile tempus negligendo contra communem usum, omnemque probabilitatem, solutionem hujusmodi victualium, quæ manualiter, ac prompte in dies, & tempora solvi solent, & quandoque non infrequenter colludendo cum pistoribus, aliisque hujusmodi victualium venditoribus, majora fingunt debita, ut creditores supplantent, quo nil absurdius, nilve irrationabilius contra verisimilem legislatoris mentem; Ideoque in hoc etiam clarius dignoscitur error pragmaticorum, attendendi, ac practicandi legis in litera more judaico, non autem in spiritu, & in ratione, ut omnino decet, atque faciendum est, spectato fine, vel effectu, ob quem illa prodiit, præsupponendo legislatorem, ut decet, virum prudentem, & rationalem, non autem irrationalem, & iniquum, qui cum iis legibus fraudes confovere velit.

OBSERVATIO CXXXVI.

Creditoribus Baronum in Statu Ecclesiasticorum, quomodo occurrat ea lex, quæ Baronum Bulla dicitur.

Singularis est in temporali immediata Romanæ Ecclesiæ ditione lex, cui Bullæ Baronum vulgo vocabulum tribuitur, ut Baronum, ac Domicellorum ejusdem immediatæ ditionis sub nomine Status Ecclesiastici explicari solitæ creditores cujusdam supremi Tribunalis collegiati, quod Congregationis Baronum nomen sortitur, officium implorare valeant pro executione mandatorum, quæ legitime a competentibus ordinariis, vel delegatis Judicibus obtenta sint, super omnibus bonis tanquam jurisdictionalibus privatis, cujuscunque sint qualitatis, & quamvis possideantur a tertiis, qui jure suo independenter a debitoribus possidere profiteantur ex fideicommissis, vel primogenituris, seu investituris, & pactis, quibus omnibus eadem congregatio derogandi potestatem habet, alia ipsorum debitorum bona, eorum loco subrogando.

Istam vero legem nimium ample praxis interpretata est tam circa baronalem, vel domicellariam qualitatem, ut ea quantumvis modica, & ad breve tempus, cum revera minus legitimo titulo possessa, & administrata baronalis, vel domicellaria jurisdictio, ac potestas sufficiat, quam etiam circa æris alieni qualitatem, indifferenter ad ejus causam, vel occasionem, vel tempus non reflectendo, seu pro quovis debito, cui personæ, & bona libera debitoris subjaceant, ista vinculorum deletio, etiam post mortem debitoris, atque jus perfecte quæsitum possessori independenti fieri solet.

Communis itaque sensus irrationabilem, nimiumque asperam, ac exorbitantem istam reputat legem, quasi quod inviolabile jus naturæ, vel gentium tollendo, jus tertii violare dicatur, unde propterea non desunt qui legislatorem, ac legem de iniquitate redarguunt, quinimo hanc denegant potestatem in privatorum creditorum gratiam, sine illa publica causa, quæ desiderari solet, ut juri tertii derogari, ac præjudicari valeat.

Verum in mala interpretatione potius, quam in ipsa lege irrationabilitas, ac asperitas, & exorbitantia, forteque iniquitas dignosci videntur, illam pro consueto judaico stilo in litera, non autem in spiritu intelligendo. Ubi etenim de illis agatur debitis, quæ ex justa, honestate, magis vero ex necessaria causa, & insperato non culposo accidentali infortunio, contracta sunt, tunc æqua potius, & rationabilis, atque commercii libertati, & Reipublicæ favorabilis est censenda, dum successores de lucro potius contendere dicuntur, creditores autem de damno, & excusabiles ob Baronum potentiam, vel reverentiam, ob quam saltem moraliter coacti, & inviti potius, quam voluntarie crediderunt; Secus autem ubi de illis agatur debitis, quæ ex vitiosis, vel imprudentibus dissipationibus, aut in causam alienam, sine causa contracta sint, absque eo quod creditores præfatam justam habeant excusationem potentiæ, vel reverentiæ; Magis vero ubi de culpa, vel fraude ipsi creditores redargui valeant, quodque de illis agatur Baronibus, & Domicellis, qui in statu privato depresso constituti, æreque alieno pressi, aliquam exiguam studiose affectent baroniam, ut ita cum hac lege, fideicommissa, vel investituras destruere valeant; Tunc etenim omnimodam id redolere videtur irrationabilitatem, ac exorbitantiam, quæ ut præmissum est, in mala praxi, malaque intelligentia consistere dicitur, dum ita prodigalitas, & imprudentia confoveri videntur, quod in adeo probi, ac docti legislatoris constitutione non est præsumendum. a

a *disc. 73. & 74. cum multis seqq. de Feud. ad hanc materiam Bullæ Baronum.*

OBSERVATIO CXXXVII.

De obligatione creditorum recipiendi pecuniam vinculatam.

Magna hæc a vulgo reputari solet irrationabilitas, magnaque exorbitantia, & asperitas, ut qui pecuniam liberam credidit, eam cogatur recipere vinculatam, cum cautione idonea, quæ magnum præstare solet incommodum, ac detrimentum, de restituendo emptori bonorum debitoris in casu evictionis, ac etiam anterioribus, vel potioribus creditoribus, aut loco cautionis, quam præstare nolit, vel non possit, illam cum hoc vinculo investitam habere. Cum etenim vincula pro eorum numero, & qualitate notabiliter de valore minuant. Ita est dare absurdum justitiæ, & æquitati contrarium, ut qui centum credidit, tantundem recepturus, ita quinquaginta, vel sexaginta circiter recipere cogatur; Ideoque eandem justitiam, & æquitatem exigere aliqui non improbabiliter credunt, ut id quod interest, debitor debeat reficere. b

Æquivocum tamen, ac ineptia dignoscuntur, hæc ita generaliter intelligendo, nimiique casui applicare. Ubi etenim ita sequatur, quia sic necessitas exigat, quia nempe alias ex bonorum defectui debitori distractione, quæ per Judicem in concursu, vel per hæredem beneficiatum fiat, pretium obtineri non valeat, neque deliberari debeat adeout alia injustitia esset, ut aliorum interessatorum præferventur præjudicia, vel quia justus alias non inveniatur emptor, vel quod alia suppetat justa causa pro facti qualitate, & circumstantiis.

Quamvis etenim in ipsis legibus civilibus, vel in earum antiquis interpretibus hujusmodi cautiones, & vincula explicite non legantur, quinimo in contrarium sit regula, ut creditor vinculatam pecuniam recipere non teneatur, ex præmissa ratione violationis justitiæ commutativæ, ut non restituatur tantundem quantum receptum est, ac etiam expresse cautum sit, ut creditor pignoris, quod ejus jure vendatur, evictionem non præstet; Attamen implicite, ac virtualiter id inesse dicitur, quia creditor, qui ab hærede beneficiato, vel a licitatore bonorum debitoris, vel a Judice penes quem sit administratio pecuniæ ex eorundem bonorum venditione obventæ, ostendere se tenetur aliis, qui venerint, vel venire possint, anteriorem, vel potiorem, cumque id pene impracticabile sit justificari, hinc pro majori facilitate istud adinventum est remedium, quod propterea justum, ac rationabile censendum est, c ut ita creditores jacturam, vel diminutionem patiantur ex debitoris infortunio tanquam ex casu, atque de rei natura, Et per consequens irrationabilitas, & ineptia dignoscitur in judicando irrationabile, ac injustum id, quod non est tale.

Ut etiam sequitur in eo vinculo, quod adjiciendi stylus est a supra enunciato Tribunali Congregationis Baronum, quando in ipsorum creditorum gratiam, cum pariter enunciata exorbitantia fideicommissis, & investituris, aliisque vinculis derogat; Siquidem nisi hæc derogatio fieret, atque hoc interponeretur officium creditores, nihil de stricto jure super iis bonis prætendere, vel consequi possent. Igitur conqueri non possunt, quod cum de justitia nihil obtenturi essent, ita ex gratia, & ex largitate concedentis diminutam, seu vinculatam rem obtineant.

E converso autem, irrationabilitatem, ac asperitatem, quinimo iniquitatis speciem redolet, ubi debitor sit idoneus, ut in ipsius gratiam, vel in emptoris ejus bonorum privatam exuberantem cautelam inviti creditores cogantur ad hujusmodi vinculum patiendum, quando ipsi eorum jura experiri ad alia debitoris bona eligant, ut ita pecuniæ liberæ, prout data est, integram assequantur restitutionem.

Continet itaque idem actus rationabilitatem, & irrationabilitatem, sive justitiam, & injustitiam respective pro casuum qualitate, & circumstantiis, ideoque in hoc dignosci-

gnoscitur superficialium ineptia, & error indefinite de hoc se conquerendo, vel abloquendo, dum ita ineptum est id, quod est irrationabile, in litera potius, quam in spiritu leges recipere, & practicare, sicuti e converso reputare injustum, & irrationabile id, quod non est tale, sed oppositam potius naturam habet; Idque derivat a consueto vitio procedendi in litera, vel in superficie, non ratiocinando, seu non reflectendo ad casuum distinctiones, & qualitates.

a *disc. 97. & 99. de Feud. disc. 30. de Regal. & disc. 53. & 54. de Credito, & alibi.* b *Eod. disc. 99. de Feud. & alibi.* c *d. disc. 53. & 54. de Cred. & disc. 97. & 99. de Feud.* d *Eisdem disc. 97. & 99. de Feud.*

OBSERVATIO CXXXVIII.

De privilegiis, & indulgentiis, quæ cum debitoribus practicari solent.

DUplicem debitorum speciem lex distinguit; Unam eorum, qui privilegiati sunt, quia ratione sanguinis, vel reverentiæ, aut gratitudinis, vel ratione ordinis, & dignitatis, ultra quam facere possunt, conveniri non valeant, neque omnimodam, ac formalem coërctionem cum personæ afflictione pati debeant, ut (ex. gr.) sunt parentes, & juxta unam sententiam fratres, ac benefactores, & largitores, nec non Clerici, & qualificati milites, vel Senatores, & similes. Et alteram generalem omnium, qui hujusmodi privilegio non potiantur.

In prima specie, irrationabilitatem, ac asperitatem frequens praxis docet, cum inepta, maleque ordinata charitate indefinite commiserando illos debitores, qui alienæ pecuniæ dissipatores revera commiseratione digni non sunt, ita eorum potius vitia, malosque mores, a quibus dissipatione provenerunt confovendo in perniciem creditorum, qui onerosam causam fovent, atque de damno vitando contendunt, procedendo cum consueto vitio in litera, sive cum generalitate styli, non distinguendo singulas species, vel singulorum casuum circumstantias, ex quibus verius id practicandum est; Puta (deducendo ad speciem, atque exemplicando in Clericis, in quibus frequentior est contingentia istius beneficii, ut praxis docet;) Pro congrua Clericorum substentatione, & ne in dedecus ordinis mendicare cogantur, Ecclesia sollicita est, ut de aliquo beneficio, vel patrimonio sint provisi, cujus redditus pro Regionum, vel Diœcesum consuetudine sufficientes reputentur, quando sint in Sacris, atque in statu irretractabili constituti, non autem quando in minoribus dum tunc in eorum facultate est, immutato statu cum artificio, vel famulatu, alioque personali exercitio victum sibi comparare, unde propterea canones eum providere negligunt. Igitur irrationabilitas, & asperitas est Clericos in minoribus ad hoc admittere beneficium in creditorum damnum, & supplantationem, dum illam provisionem Tridentinum Concilium non curat.

In iis vero, qui in Sacris constituti sint, si Ecclesia pro loci qualitate, cum præsupposito, quod aliud ex Clericatu non sortiantur emolumentum, aliudque personale exercitium eis incongruat, cum certa taxa patrimonii eos sufficienter provisos reputat, ut (ex. gr.) contingit in iis, qui in Subdiaconatus, vel Diaconatus ordine sunt constituti; Igitur manifesta irrationabilitas, & injustitia est, ob alias personales qualitates a Clericatu extraneas, majorem præservare summam, vel tantam facere ad favorem culposi debitoris, in præjudicium tertii non culposi, quam absque alterius præjudicio provisio innocentia importat.

Ubi vero ille in presbyterali ordine sit constitutus, atque juxta communem aliorum, qui in eodem constituti sint ordine, cum eleemosyna missæ quotidianæ, aliisque officiis, & servitiis spiritualibus, quæ Clerico congruunt, victum sibi honestum comparare valet, ut non culposi Clerici practicant, & tunc injustum, ac irrationabile est ad hunc effectum in creditorum perniciem, & beneficium in bonis dubio affectis clericum culposum debitorem admittere, dum illud mere subsidiarium esse debet, & quando alias ordinis decori consultum non sit, non autem, ut culposus in malis moribus, & in otio, ac ignavia confoveatur, huic lautiorem concedendo vitam, quam alii clerici non debitores, & non culposi ducunt; Idemque ubi pro regionis moribus, & qualitate, sine ordinis dedecore, & præjudicio, cum famulatu, vel alio honesto exercitio, idem sequi possit effectus; Ut (ex. gr.) in Romana Curia contingit, quod ob magnam Prælatorum, aliorumque qualificatorum Ecclesiasticorum copiam, facilis, ac promptus est honestus famulatus cum statu clericali honorifice conservando compatibilis. Igitur quando potest debitor ita occurrere fini, ob quem hoc beneficium inductum est, ad illud admitti non debet; Eademque proportio attendenda est in militibus, qui militando, vel cum eodem honesto famulatu eorum substentationi consulere possunt, istud beneficium tanquam mere subsidiarium in solo subsidii casu practicando. a

In aliis vero debitoribus, qui hoc non potiuntur privilegio, antiquæ leges nimiam continebant asperitatem, ut in corpore luere deberent, qui in ære non possent, sive quod creditorum servi fierent, aut quod eorum carnificinæ subjacerent, vel saltim ut infamem, ac ignominiosam cessionem bonorum, quæ adhuc hodie viget, præfatis aliis majoribus rigoribus exulatis, pati deberent. Hodie vero a converso, juxta Romanæ Curiæ præsertim praxim, quædam nimia impotentium debitorum indiscreta commiseratio habetur, ut propterea creditores ad alimenta, etiam commoda, dum in carceribus existunt, eis suppeditanda cogantur, qui propterea loco cogendi, & recuperandi id quod sibi debetur, majorem ita bonorum suorum jacturam patiantur, ita libenter hujusmodi perditis hominibus carcerationem patientibus, ut hilarem, & otiosam ducant vitam sumptibus creditorum, quo nil absurdius, nilve irrationabilius. b

Ista itaque provenit irrationabilitas ex eodem vitio practicandi leges, vel stylos in litera, atque in omni casu pariformiter procedendi cum generalitatibus, non reflectendo cum debito ratiocinio, ad singulorum casuum circumstantias, & an ille debitor ex culposo infortunio in illo impotentiæ statu sit constitutus, ut propterea commiseratione dignus reputari mereatur, vel e converso culposus reputandus veniat, ut ei commiserandum non sit, sed quod potius de justitia practicari debeat antiquum assumptum, ut qui non habet in ære, luat in corpore.

Præsertim vero, ubi de illis agatur debitis, quæ sine justa causa, & necessitate, quæ commiseratione digna sit, atque pro vitiosis dissipationibus contracta sint de tempore, quo debitor jam se sciebat, & agnoscebat non idoneum, cum id speciem furti, vel illius criminis, quod sub truffæ vocabulo pro loquendi usu, applicari solet, redoleat, ideoque personæ punitioni potius locus esse deberet, quam hujusmodi commiserationi, ac provisioni, ut ratio, & justitia exigunt; Atque hinc manat, quod semper erroneum censendum est, ac ineptum, cum generalitatibus, & in litera sine debito ratiocinio, quod distinguere decet, procedere cum similibus considerationibus, quibus eadem congruat ratio.

a *De hoc beneficio, disc. 118. cum plur. seqq. de Credito.* b *disc. 19. in Relatione Curiæ.*

OBSERVATIO CXXXIX.

De moratoriis, & dilationibus, vel de remissione partis debiti a supremi Principis indulgentia, vel ob consensum majoris partis creditorum, per Judicem de justitia concedendis.

EAdem, ac præcedenti observatione, irrationabilitas, & asperitas resultat a stylo procedendi in omni casu cum generalitatibus, & in litera in hac materia moratoriæ, vel dilationis, aut remissionis partis debiti. Quandoque siquidem irrationabile, ac asperum est concedere, & quandoque irrationabile, ac asperum est denegare, quoniam singulorum casuum circumstantiæ, uno, vel altero modo regulare debent arbitrium Judicis, inspecta semper legis ratione, non autem litera.

De duplici siquidem specie hujusmodi dilationes, ac moratoriæ, vel remissiones esse dignoscuntur; Una nempe; quæ Principis, vel a supremi Magistratus talem habentis potestatem, indulgentia, & concessione pendeat; Et altera, quæ per Judicium juxta juris tramites, ob majoris partis creditorum consensum concedenda est.

Prima species certam non habet regulam, dum Princeps legibus est solutus, atque potestatem tollendi jus tertii habet; Quia vero secundum leges vivere debet, atque ex vi directiva saltim, si non coactiva, ejus potestatem honeste cum justitia exercere debet, idcirco irrationabile, ac injustum reputatur id concedere, quando talis non accedat causa, quæ publicum bonum, vel favorem concernat, puta quin

divi-

divini, vel humani belli, aut magnæ penuriæ ita exigat ratio, vel quod ab hostibus depopulati loci populatio, quam sequi expediat, hujusmodi concessionis causa, sit cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

In altera vero specie, quæ sub Juristarum judicio magis cadit, ad rationem, ob quam lex ita disposuit, principaliter est reflectendum, ut scilicet obærati, vel minus idonei debitoris creditoribus negotium sociale, & commune gerentibus, atque Universitatis, vel Collegii speciem quamdam constituentibus, id quod major pars concludit, quia sic universitati, vel communi, & sociali negotio magis expediat, minorem obliget partem, eo modo, quo in socialibus, vel in communitativis, & collegistivis negotiis de jure statutum est; quia nempe ex illa dilatione, & moratoria, vel respective remissione partis debiti, melior debitoris status, & fortuna sperari valeat, ut ita idoneus efficiatur, non autem, ut sine hac probabili spe, aliove justo motivo, ex sola complacentia, & quandoque cum fraude, quia cum occultis cautelis, illi qui consensum præstant, atque majorem constituunt partem consultum sit: vel quod ex livore, vel æmulatione erga alios minorem partem constituentes, aut ex cessatione interesse, quia sint posteriores, recte scientes ab anterioribus bona, quæ extant absorberi, de facili istum præstent consensum absque proprio præjudicio, sed cum illo anteriorum, vel potiorum, cum similibus, quibus eadem congruat ratio. Igitur non in superficie literæ, vel in generalitate regularum, & propositionum est procedendum, sed in spiritu, & in ratione legis, reflectendo ad rationem, cui legis dispositio innixa est, sive ad finem, vel effectum, ad quem ipsa prodiit, & an obtineatur nec ne, atque alias irrationabilitas, ac asperitas, & ineptia inesse censentur. a

a *disc. 98. & 152. de Credito.*

OBSERVATIO CXL.

De promissione facti alieni quando afficiat.

PRomissionem facti alieni, ad præcisum implementum, vel ad id quod interest de proprio supplendum, non obligare, sed solum ad competentes diligentias cum eo adhibendas, cujus factum promissum est, antiquam Juristarum schola concordat; Moderna vero id limitat, quando quædam cætera clausula, *Ita quod*, *&c.* adjiciatur, quasi quod ista accedente, promissor, si factum præstare non valeat ad id, quod interest, teneatur; diligentiis adhibitis non excusantibus. a

Irrationabilitatem vero, ac ineptiam id redolere videtur quasi quod a Notarii peritia, vel imperitia, sive ab ejus libito, & facultate pendeat ad id obligare, vel non obligare, hujusmodi clausulam adjiciendo, vel negligendo, Potissime vero ubi de illo agatur promissore, qui verisimiliter hujus clausulæ vim, ac operationem non percipiat, ita substantiam voluntatis, a qua pendet obligatio, regulando ab aliena, non autem a promittentis obligatione. Verius itaque dicendum est, ut non verborum, & clausularum formalitas attendi debeat, sed voluntatis substantia ex conventionis qualitate, aliisque facti circumstantiis desumenda, & an illa promissio ita conventa sit, ut effectum omnino sortiri debeat, isto spectato, qui fuerit causa actus correspectivè initi ad ipsam promissionem alias non secututi, quodque alias dolo, & fraudibus cum contrahentis elusione locus fieri posse, colludendo cum eo, cujus factum promissum est, ut propterea diligentiæ quandam cæremoniam, ac verbalem formalitatem redoleant, juxta exemplum, quod huic germanæ, ac rationabili declarationi ansam, vel occasionem dedit, illius promissionis, quam sponsus faciat de renunciatione per sponsam facienda, postquam in ejus domum, ac potestatem traducta erit, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, quæ hujus assumpti regularis esse debet, spectata ut præmissum est, veritatis, ac verisimilis voluntatis substantia, vel fine ac effectu, ad quem promissio directa est, non autem immorando in sola litera, & an adsit, necne, dicta clausula, *ita quod*, ubi adsit, dum quandoque inepte, ac extra conventionis naturam adjecta esse potest, & ubi desit, quod ea imperitia, vel ex inadvertentia Notarii, vel partis omissa sit. b

a *disc. 124. de Credito, & disc. 13. de Renunciat.*
b *Eisdem locis secund. cit.*

OBSERVATIO CXLI.

Potest ille, qui ære alieno pressus est, non agnoscere illud fortunæ beneficium, quo mediante creditoribus valeat satisfacere, atque in præjudicium creditorum nolle agnoscere hæreditates, & successiones, & fideicommissa, & legata.

NON solum asperitatem, & irrationabilitatem, sed apertam redolere videtur iniquitatem hoc assumptum, ut debitor cui testata, vel intestata, directa, seu fideicommissaria hæreditas defertur, sive legatum, aut etiam donatio sibi absenti facta est, aliudque hujusmodi fortunæ obvenit beneficium, quo mediante fidem datam adimplere potest, atque alienum æs dissolvere, idem beneficium valeat non agnoscere, ut ita in creditorum perniciem, ac supplantationem illa successio, seu legatum alterius cedat commodo, qui lucrativam foveat causam; Exindeque sequi solet, ut perditi, ac iniqui debitores ita ab eorum creditoribus premium, novasque pecunias per quamdam furti, vel rapinæ speciem extorqueant, pro suæ iniquitatis, & non servatæ fidei pretio, ad hoc, ut ad agnoscendum inducantur, a res quidem nimium aspera, irrationabilis, & iniqua omni humanæ rationi, ac discursui contraria, ipsique animæ, & conscientiæ pro veriori sententia præjudicialis, ideoque nimia commendatione dignæ censendæ sunt illæ locales leges, quæ id prohibent, ac damnant; b Atque mirandum est, quod ita non mandetur ubique, præsertim vero in Romana Curia majoris admirationis occasio subest, cum illa canonicæ æquitatis, & Christianæ pietatis metropolitica sit, & tamen ut adeo tenaciter literæ aliquarum antiquarum civilium legum incumbat, adeout etiam in legitima id attendat. c

Nulla siquidem urget ratio probabilis, quæ hanc suadet facultatem a leguleica derivantem consueta ineptia, immorandi antiquarum legum civilium literæ, non reflectendo ad temporum, ac morum, & effectuum differentiam; Antiquiori etenim Romanorum tempore in quo hujusmodi prodierunt leges, Christiana pietas, atque interni fori stimuli non vigebant, ac etiam ubi de universali testata, vel intestata, directa, vel obliqua successione, ac hæreditate agebatur, de qua proprie dictæ leges agunt, quædam non improbabilis non agnoscendi urgebat ratio, cui potius quam creditorum fraudi poterat id referri, ne scilicet proprio incerto damno, ac molestia in persona, & bonis propriis pro defunctis debitis, & legatis ille se supponeret, ad quæ ob adhuc non adinventum præservativum inventarii beneficium tenebatur. Hodie vero quod ob præfatum inventarii beneficium res in tuto posita est, dictumque cessat periculum, quod magis abest a legatis, & donationibus, ac fideicommissis particularibus, adeout certum importent lucrum absque damni timore, manifestam id redolet nequitiam. Cumque lex, patri, ac domino, & monasterio occurat causam foventibus lucrativam, ut filio, vel servo, aut religioso agnoscere nolentibus, ipsi patri, vel domino, aut monasterio agnoscendi facultas detur, ac generaliter, ut quæcumque indebite, ac irrationabiliter denegatum consensum judex ex ejus officio suppleat; Hinc non videtur quænam legalis, vel humana ratio id deneget creditoribus causam foventibus onerosam, ut cum hac vere irrationabili leguleica ineptia, & superstitione iniquæ debitoris malitia, & fraus foveantur, quo nil ineptius, nilve irrationabilius, quod ex eo semper inculcato manat errore procedendi in litera, non autem in spiritu, ac ratione legis, atque non distinguendo mores, & tempora.

a *disc. 173. & sequ. de credito.*
b *Statutum Januæ, de quo disc. 137. de Credito n. 12.*
c *Locis citatis, & in annot.*

OBSERVATIO CXLII.

De locali lege sæculari, statum decocturi debitoris preventive declarante, ideoque creditorum conditionem æqualem efficiente, ut non afficiat clericos.

DEcocti debitoris creditores, qui infra quatriennium cum eo contraxerint, ad coæqualem concursum venire debere, nulla temporis, vel anterioritatis ratione habita, disponit quædam localis lex, cum superiorum auctoritate a mercatorum foro, condita, quam comprehendere quoque credita, quæ jurejurando religionis munita sint, rationabiliter, ac fundate, neglectis dubitantibus, receptum est; Irrationabiliter autem aliqua tribunalia illorum sensui adhæserunt, qui putant non comprehen-

dre creditores clericos, aliasve ecclesiasticas personas, utpote a statuentium sæcularium jurisdictione, ac potestate exemptas, ac pluries insinuata propositione, quod paria sunt forum sortiri, ac legibus ligari. *a* Æquivocum vero, ac irrationabilitatem id redolet, non quidem ex fallacia applicationis, quoniam lex nullam potestatem exercere, vel operationem facere dicitur cum clericis, vel aliis ei non subditis, sed cum debitore sæculari proprio subdito, quem ita decocturum, decocto de jure assimilandum, per quadriennium antea declarat, unde de consequenti præfatus effectus manat; Alias etenim neque debita jurata complecti deberet, ex eadem ratione, quod sæcularis potestas juramento non derogat, neque illius vim directe enervat, & tamen ab eisdem Tribunalibus contrarium receptum est.

Ac etiam quia idem dici deberet quoad forenses, quamvis laicos, quibus eadem congruit ratio exemptionis a potestate legislatoris. Quinimo generalis juris communis dispositione attenta, quando decoctionis imminentis, ac præparatæ, quæ jam detectæ æquiparatur, declaratio pro moribus regionis, vel pro stylo Tribunalis, aut ex particularibus facti circumstantiis, (ut rationabilius est, sequi debere) declaratio fiat per judicem sæcularem debitoris, qui concursus super ejus patrimonio sit competens, neque ista declaratio clericos, & alios ab illius foro exemptos afficere deberet, & tamen contrarium verius est, atque in praxi receptum, ex præmissa ratione, quod nulla cum clerico, vel cum exempto exercetur directa, & coactiva jurisdictio in ejus persona, & bonis, sed eidem tanquam actori voluntarie, ad laicalem forum venienti, denegat id, quod ejusdem fori leges omnibus creditoribus denegari debere recipiont; Potissime vero, quia dicenda non est lex talis, ut sit potestatis effectus, sed potius effectus est rationis, ac veritatis naturalis, quæ omnes pariformiter afficere debeat, ita pro moribus regionis declarando, ut ille negotiator, qui decoctus detegitur, præsumatur decoctionem a dicto spatio præparasse, seu prævidisse imminentem, ut fraudibus occurratus, quoties talis veritatis, ac sinceritatis probatio non accedat, quæ hanc legalem præsumptionem, vel suspicionem omnino destruat; Atque huic rationi innixa est exceptuatio dotis, vel similis in eadem lege contenta, ut a simili comprobat Piana Constitutio super forma creandi census cum pecunia numerata, ut illa non requiratur, quando de dote agitur, quia tunc præexistere dicitur causa veritatis, quæ suspicionem tollit, sive illam cessare facit rationem, ob quam lex illam statuit formam, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, ideoque istud assumptum inter irrationabilitates collocari, ac numerari meretur. *b*

a *disc. 10. de credito*. b *Ibidem*.

OBSERVATIO CXLIII.

In bonis alienari, & obligari, seu hypothecari prohibitis, hypothecari, vel alienari potest commoditas, quæ afficiat tertium, in quem valide bonorum dominium translatum sit.

PRohibitione alienationis, vel obligationis non obstante, alienari, vel obligari posse rei prohibitæ commoditatem, receptum est, quasi quod nullum jus in re, vel ad rem id tribuat, ejusque substantiam nullatenus afficiat, sed nedum contineat factum perceptionis fructuum, qui separati a causa productiva prohibitionem habente, aliorum indifferentium, ac non prohibitorum bonorum jure habentur, ita distinguendo alienationem ususfructus ab hac alienatione commoditatis, juxta quamdam idealem, parum tamen rationabilem extentionem alias insinuatam. *a*

Sustentabile autem id, etiam in parte ratiocinativa forte videtur, ad evitandas prohibitionis pœnas, aut pro concursu illorum, quibus eadem commoditas alienata, vel obligata sit, cum iis qui careant hypotheca, vel quod in ea, sive in alienatione sint posteriores, ita tamen ut in eodem alienante, vel hypothecante continuet ipsius rei, & causæ productivæ dominium. Ubi vero ipsa rei proprietas, ac substantia, vel causa productiva in tertium ex particulari titulo translativo dominii valide, ac perfecte transierit, ut contra istum hujusmodi hypothecæ exercitium, ac effectus competat, omnimodam continere videtur irrationabilitatem, quoniam illi fructus, qui postquam res de alterius dominio effecta est, producuntur, ad actualem, ac præsentem dominum pertinent, atque actualis dominii sunt sequela; Cumque in eorumdem sensu receptum sit, ut hæc alienatio, vel obligatio ipsius rei, vel causæ productivæ substantiam nullatenus afficiat, nullumque jus tribuat in re, vel ad rem, sed importet nudum factum personale, quod residet penes alienantis, vel hypothecantis personam, ex qua cessionarius, vel creditor illos obtineat fructus, tanquam de bonis illius, ideoque cum iste desierit esse dominus, nulla videtur subesse ratio, cui hoc innitatur assumptum; Et per consequens inter legales irrationabilitates, ac superstitiones collocari meretur.

a *disc. 61. & 170. de feudis, Disc. 146. & 147. de dote. & Disc. 44. & 58. de emphyt. disc. 10. de credit. & alibi.*
b *Ibidem.*

OBSERVATIO CXLIV.

Bona per consensum creditoris ab hypotheca liberata, in eadem non reincidunt, si denuo per debitorem quærantur.

QUamvis expressa desuper legis dispositio habeatur, ut bona hypothecæ affecta, ab ista solvantur per explicitum, vel implicitum consensum per creditorem eorum distractioni præstitum, quamvis non ex nullitate, vel resolutione distractionis, sed ex novo titulo, vel causa ad manus ejusdem debitoris redeant, ut sub generica omnium futurorum, & acquirendorum bonorum hypotheca non veniant; Attamen in hac posteriori parte, omni probabilis rationis fundamento ista lex destituta videtur, ideoque inter legales irrationabilitates merito id recensendum venit. Probabilem siquidem rationem habet hæc solutio in gratiam tertii ad cujus manus bona obveniunt, ut jam impressa hypotheca ita extincta, reviviscentiam non habeat; Sed non videtur quæ ratio suadeat, cur sub generica futurorum, & acquirendorum bonorum hypotheca, quæcunque alia bona veniant, & tamen venire non debeant ista, quæ priorem, & antiquam naturam amplius non retinent, sed ex novo, ac diverso jure tanquam omnino nova, & diversa quæsita sunt, ideoque sub futurorum, & quærendorum genere cadere debeant.

a *disc. 34. de credito.*

OBSERVATIO CXLV.

Privilegiatus creditor anterior actionem habens ad bona, ad quæ alii non habent, cogendus non est per posteriores illa differentia bona experiri.

MOdernorum forensium sensus magis receptus est (cum hæc apud antiquiores in obscuro fuerint,) ut ille anterior creditor, qui ultra temporis privilegium, alterum quoque habeat, quo alii careant, ejus jus exercendi ad quædam bona differentia, puta fideicommissaria, vel feudalia, & similia, cogi non valeat invitus in his bonis ejus jura experiri, ut propterea locum aliis privilegiatis relinquat in aliis bonis indifferentibus, sed ista occupare valeat, ut ita ab utraque bonorum specie posteriores exclusi remaneant, ab una nempe, quia actionem ad illa non habeant, & ab altera, quia anterior adsit, qui ea occupet. *a*

Irrationabilem vero asperitatem redolet, in litera, vel in generalitate id attendere, quando congrua non suadeat ratio, quæ juste creditorem impellat, ut rigorose jure suo utatur, quia nempe erga fideicommissi, vel feudi, aut similis differentis rei successorem, quem ex ejus privilegio molestare posset, aliquod urgeat rationabile affectionis motivum, quod non habeat erga extraneos debitoris creditores, ut (ex. gr.) pro frequentiori praxi contingit in muliere, quæ pro dotis datæ restitutione, vel constitutæ assecutione hoc habeat privilegium, quod experiri nolit super hujusmodi differentibus bonis, quæ jure feudi, vel fideicommissi, & simili, penes ejus extent filios; cum similibus, quibus eadem congruat ratio; ista vero cessante ratione, adeout rigorosus absque causa remaneat suæ facultatis usus, tunc irrationabilis censenda est asperitas, quam judicis æquitativum officium moderari debet, illius moderationis ad instar, quam modernorum praxis rationabiliter induxit adversus illam rigorosam facultatem, quam lex creditori concedit ejus arbitrio bona debitoris exequendi, quamvis longe majoris valoris essent, sive conspicua, & qualificata, quæ conservari debere in ea progenie, ratio, vel æquitas suadeat, quoniam si alia adsunt bona, cum quibus creditori commode, & absque præjudicio consultum sit, iste rigor temperari debet. *b*

a *Disc. 30. & 127. de Credito, & alibi.*
b *Disc. 126. & 127. de Credito.*

OB-

OBSERVATIO CXLVI.

De concursu Domini pecuniarum furatarum super mercibus, quæ cum illis emptæ sint, cum furis creditoribus.

DE stricta juris censura, quando literæ parendum sit, ubi pecuniarum fur, cum illis merces, aliaque bona emit, in his furis creditores pecuniarum dominum vincere debent, ea eadem ratione, ob quam in ipsamet re vendita, fide habita de pretio, anteriores creditores emptoris venditorem vincunt, quoties dominii reservatio non accedat. a Verum sicuti in isto posteriori assumpto contra venditorem magna dignoscitur irrationabilitas, ut superius animadversum est, ita quoque in isto aperte dignosci videtur, cum naturalis veritas, & æquitas potius, ac etiam ratio attendi debeant, atque legis literæ, vel rigori prævalere, ut rationabiliter aliqua magna Tribunalia agnoverunt. b

a *disc. 26. de Credito, & in annot.* b *Apud Clesum, dec.* 340.

OBSERVATIO CXLVII.

De geminata, vel reiterata solutione debiti, quod putativo creditori solutum est.

ALteri, quam vero creditori debiti facta solutio, an debitorem liberet, necne, inter magnas, nimiumque involutas Juristarum quæstiones recensetur cum consueta opinionum scissura, quæ vitiosa producit extrema; Aliquibus generaliter affirmantibus; Aliis vero generaliter negantibus; Et aliis plures adhibentibus distinctiones, ac declarationes, super quibus etiam non modicus dignoscitur conflictus, adeout veritas omnino incerta adhuc remaneat.

Ex eodem autem frequenter damnato vitio procedendi cum generalitatibus, & in litera, ista provenit involutio, quæ asperitates, ac irrationabilitates producit; quoniam cum facti potius, quam juris ista censenda est quæstio, quæ proinde generalis regulæ quibuscumque casibus, indefinite applicabilis incapax est, ex facti qualitate, & singulorum casuum circumstantiis decidenda, prudentis judicis arbitrio, qui boni, ac rationalis viri, & prudentis J. C. non autem viri irrationalis, vel superstitiosi legistæ, aut puri grammatici partes explicet, ac gerat, inspiciendo nempe, an ille, cui solutum est, bonæ, vel malæ fidei putativus creditor dici mereatur, vel alias justa, & rationabilis concurrat credulitas, vel excusatio in debitore, qui istas non calleat subtilitates, ac superstitiones, quæ vix ipsarum legum professoribus innotescunt; Ad illam præsertim reflectendo circumstantiam, an verus creditor cum certa scientia, debitori, qui alteri solvit innotescat, quia cum eo contraxerit, ipsique fidem dederit, vel e converso veri creditoris incerta sit persona, quia nempe vero, ac certo defuncto creditore, incerta sit ejus veri hæredis, & successoris persona, unde propterea hæredi putativo, solutio fiat; Tunc etenim cum eisdem procedendum non est regulis, & auctoritatibus, quæ alterum præcedentem percutiunt casum, atque facilius ille qui solvit, a culpatione dignus censendus est; Ideoque non in litera, vel in generalitate, sed in spiritu, & in ratione, pro facti qualitate, & circumstantiis, in hoc etiam procedendum est, atque alias magna irrationabilitas resultat, ut sine culpa, & cum bona fide hoc damnum debitor pati debeat. a

a *disc. 59. de Credito.*

OBSERVATIO CXLVIII.

De actione de in rem verso, vel negotiorum gestorum, quando competat contra eum, cujus negotium gestum est.

VAlde frequens in Romana Curia est usus illorum, qui Prælatorum, & aliorum absentium, principaliter aulica, accessorie vero etiam aliqua judicialia, & œconomica peragunt negotia, & qui in ejusdem Curiæ relatione, in quinta specie collocati sunt, Agentes, pro loquendi usu nuncupati, contradistincti a quatuor aliis speciebus, Advocatorum, Procuratorum, Sollicitatorum fori, & Sollicitatorum Datariæ, & Cancellariæ, qui Speditioneri appellantur; a Isti vero non habentes mandatum ad negotia pro faciendis alienationibus, vel pro contrahendis debitis, & obligationibus Prælatorum, aliorumque beneficiatorum absentium, vice, ac nomine, cum pecunias, quas illi per literas, ut plurimum transmittunt pensiones super eorum Ecclesiis, vel beneficiis reservatas statutis terminis persolvunt Cardinalibus, aliisque Romanam Curiam sequentibus, pro antiquo stylo (qui forte in aliquem pertransit abusum.) Cum itaque unus ex istis agentibus Episcopi absentis, sub assertione indigentiæ pecuniæ ad effectum solvendi unum, vel plures maturatos terminos pensionis, per dictum Episcopum debitæ, pecuniam ad interesse suscepisset, quæ vere in istam causam erogata fuit, Episcopus autem de hoc ignarus, æquivalentiam de more transmiserit Agenti, qui ad aliquod tempus ære alieno oberatus, ac defectus detectus esset; Hinc ille, qui pecuniam ei credidit judicium contra Episcopum instituit ex duplici fundamento, uno cujusdam expressi mandati, quod supponebat adesse, & altero ex actione de in rem verso, vel negotiorum gestorum, dum de versione docebatur per banchi partitas, atque in hoc judicio non modica secuta est aliquorum Tribunalium variatio & inconstantia, modo pro actore, modo pro reo respondendo. b

Quatenus itaque ad præmissam posteriorem de in rem verso, seu negotiorum gestorum actionem pertinet, quæ in jure consistit (dum alter punctus mandati expressi, potius facti, quam juris erat) idem quod in aliis irrationabilitatibus, ac asperitatibus dictum est, dignosci videtur, ab eadem productum causa procedendi in litera, vel superficie legum, & auctoritatum, absque discursu, vel ratiocinio, quod docet distinguere, atque reflectere ad facti qualitatem, & circumstantias, ex quibus applicatio regulanda est illarum legum, vel propositionum, quæ generaliter, ac abstracte veræ sunt, ac rationabiles, ubi congrue applicentur, ubi vero incongrue sint applicatæ, irrationabilitates, ac asperitates producunt. Tunc etenim in eo qui agentis, vel negotiorum gestorum assertionem, ac fidem sequitur, absque expresso mandato, una, vel altera negotiorum gestorum vel de in rem verso actio intrat, præsertim vero ista posterior, in qua præcipua fuit quæstio, quando illud, quod versum probetur, suam habeat durationem, adeout de tempore intentatæ actionis illud præexistat, unde nisi hæc actio suum sortiatur effectum, illud resultaret inconveniens, ut ille, cujus negotium gestum est, & in cujus utilitatem versio secuta est, ita de lucro contenderet, quod de aliena pecunia faceret. Secus vero ubi de damno vitando certat, quia negotiorum gestori pecuniam persolverit, unde propterea ejusdem debiti duplicem solutionem facere cogendus esset; Id etenim, stante Curiæ usu frequentiori, ut hujusmodi agentium, seu negotiorum gestorum munus exerceri soleat per eos, qui fortunæ bonis parum provisi, ita victum sibi comparant, & quorum idoneitas in ære exquiri non solet, sed ea exquiritur, quæ in negotiis aulicis præsertim, ac etiam in forensibus diligenter peragendis opportuna est, & per quorum manus, tractu temporis ingentium summarum solutiones cum transmissis pecuniis fieri solent, ita maximum, nimiumque irrationabile dandum esset inconveniens, quoties ubi cum superstitioso aliquorum superficialium sensu in litera procedendum esset, ut impracticabile redderetur Magnatum, ac Prælatorum absentium commercium, quodque nimium latus aperiretur aditus fraudibus, & collusionibus, ut ita omnes illæ solutiones, quæ absentes cum propria credunt facere pecunia, cum aliena fiant, atque ita ignari, ac inviti, sine proprio facto & consensu, magno ære alieno pressi reperiantur, ideoque apertam id redolet irrationabilitatem, ac asperitatem. c

a *in Relat. Curiæ, disc. 46. n. 133.* b *In casu, de quo disc. 72. de Credito, & in annot.* c *Eod. disc. 72.*

OBSERVATIO CXLIX.

De confessione extrajudiciali, quæ parte absente facta sit, an probet, necne, ubi præsertim in epistolis familiaribus amico fiduciario conscriptis illa contineatur.

QUamvis inter probationes, primum, ac certiorem occupet locum confessio, ubi de proprio, non autem de alieno facto, vel de eo, quod in jure consistit, illa fit, vel quod erronea, sive dolo, ac fraude extorta non probetur; In judiciali tamen confessione id procedit, in extrajudiciali vero, inter utrumque civile, & canonicum jus, discordantia dignoscitur. Primo siquidem jure attento, extrajudiciali confessioni plenæ probationis robur tribuitur, quando ea parte præsente fit, ubi vero ipsa absente, tunc ut semiplenam tantum probationem faciat. Attento vero altero jure, vel æquitate canonica, etiam ubi absente parte fit, ut plenam faciat probationem, unde propterea ex loci, vel fori qualitate pendere solet, an plena, vel semiplena resultet probatio; quoniam ubi cum civili jure vivitur, semiplena est; ubi vero cum canonico, plena. a

Inter

Inter legales autem irrationabilitates hæc distinctio collocari meretur, quoniam cum probatio naturalem percutiat veritatem, quæ esse, & abesse eodem tempore non potest. Hinc non videtur quænam congrua suadeat tatio, ut accidens casuale, per quod judicium in uno potius, quam in altero peragatur foro, in quorum uno una lex, & in alio altera servetur, rei substantiam, ac veritatem alteret, ut ita diversimode judicandum veniat, dum una, & eadem est inalterabilis veritas, ipso naturali, vel inalterabili jure, vel discurso attento.

Majorem tamen asperitatem, ac irrationabilitatem continere videtur posterior lex canonica, cui immerito æquitatis nomen tribuitur, ut parte interessata absente, si cum amicis fiducialiter, vel cum aliis incidenter, & ex alio forte motivo loquendo, & opinando, quod concludentis probationis præjudicium grave id non gereret, aliquid afferatur, quod mature in judicio, vel etiam extra præsente interessato non asfereretur, exinde talis debeat sequi probatio; Ideoque nulla subest ratio probabilis, cui ista æquitas innitatur, nullumque motivum, ob quod æquitatis nomen congruat, cum potius asperitatis irrationabilis speciem id habeat.

Fortius vero ubi eadem confessio, non ex ore, sed ex epistola familiari, quæ fiducialiter amico conscripta sit, deducatur, quoniam cum epistolæ sigillo clausæ transmitti soleant amicis, quod secretam fiduciam denotat, hinc nimiam asperitatem, ac irrationabilitatem, communi usui, ac humano discursui contrariam id redolet, ut exinde confessio, quæ plenam faciat probationem, in præjudicium ejus, qui ita debitum confiteatur, vel agnoscat, ut judicialis probatio resultet, quam probabiliter nunquam in animo ille habuit, resultare debeat, ideoque inter legales irrationabilitates id collocandum videtur.

a *disc. 23. de Judiciis, & 76. de Credito.*

OBSERVATIO CL.

An pater ad ea teneatur debita, quæ filius pro publicis magistratibus, vel muneribus exercendis contraxerit.

FIliusfamilias Romanæ Curiæ prælaturam suscipiente de consensu patris, in cujus domo victum huic statui congruum haberet, si inscio, vel invito patre extra ipsam Curiam, legationis, vel aliud simile dispendiosum munus obtinente, pro quo exercendo æs alienum contraxerit, orta est quæstio, an creditoribus, qui huic filio mutuarunt, actio contra patrem competeret, atque contra partem judicium prodiit. a

Irrationabilitatem vero, ac asperitatem redolere videtur hoc judicium, ex eodem consueto infecto manantem fonte, attendendi leges, vel propositiones, & auctoritates in litera, non autem in spiritu, vel in ratione, ex qua regulanda est applicatio; Illæ siquidem leges, quæ parentem obligant ad totum id, quod ex magistratu, vel munere, quod patre consentiente susceptum sit, proveniat, illud percutit debitum, quod ex ipsius magistratus, vel muneris natura, tanquam consecutivum, vel connexum provenit, non autem ex eo diverso, ac majori, cui primum munus aditum aperiat, vel habilitatem præstet, ex ejusdem filii ambitione, vel gloria obtento, cum id nullum habere videatur probabile rationis fundamentum. Ea potissime non, semel insinuata accedente consideratione, ad quam literæ servi reflectere nesciunt, eo quia destituti sunt discursu, ac ratiocinio, quod id edocet, quod scilicet illæ leges, quæ patrem publico filii muneri consentientem obligant, cum antiquo procedunt præsupposito incapacitatis filiorumfamilias aliquid habendi proprium, eo quia recentior adventitii peculii introductio adhuc secuta non erat, quo præsupposito retento, longe diversa cadebat ratio, quæ nunc in clericis præsertim non intrat. b

a *disc. 86. de Credito.* b *Ibid. & alibi sæpius.*

OBSERVATIO CLI.

Barattariæ vocabulum quid significet, & quando illa commissa dicatur.

IN maritimis præsertim, pro frequentiori usu, ac praxi, contractibus, & negotiis, istud barattariæ barbarum adhiberi solet vocabulum, eo quia in assecurationibus, vel in maritimo cambio, aut in trajectitiæ pecuniæ conventione, solet exceptuari. a Super istius autem vocabuli interpretatione, non modicam inconstantiæ, ac simplicitatis, ac etiam irrationabilitatis dignosci solet vitium, quod ex eodem consueto infecto manat fonte procedendi cum litera, non autem cum ratione, ex qua contrahentium voluntas regulanda est, ut pro quacumque culpa, vel etiam pro omni specie fraudis accipiatur, cum verius istud vocabulum eam denotet præordinatam, ac studiosam machinationem, quæ principaliter ordinata sit ad navis, vel mercium amissionem, vel commissum, aut alium casum, ob quem idem sequatur effectus, non autem ubi culpa, vel etiam fraus ad alium principaliter ordinata sit finem, quamvis accidentaliter præfatus amissionis, vel peremptionis, aut deteriorationis mercium, sive navis effectus resultet, ideoque in hoc irrationabilitas, ac inepția dignosci videntur, capiendo quid pro quo, atque applicando ad casum, cui ratio non congruit.

a *disc. 93. & 107. cum seqq. de Credito.*

OBSERVATIO CLII.

De mercium, ac navium assecurationibus.

EXperti negotiatores, quod assecuratorum genericum, atque connaturale vitium est, libenter assecurationes faciendi, earumque præmium ad lucrum, & negotiationem recipiendi, quando vero casus contingit periculi, promovendi lites; Hinc in hujusmodi assecurationum apocis, & conventionibus, ad omnem removendam dubitandi occasionem adjicere, solent ex pacto, idem quod in aliquibus legibus, vel ordinationibus nauticæ, seu maritimæ rei disponitur, ut contingente casu, teneantur assecuratores, prompte, ac summarie mercantili more mercium assecuratarum pretium solvere, quibuscumque neglectis exceptionibus judicio ordinario reservandis; Et tamen hoc non obstante, quotidiana praxis Urbis præsertim, aliorumque Civitatum, & Locorum, in quibus cum judicio ordinariorum judicum, ac professorum juris proceditur, docet oppositum, ut per legales subtilitates, ac superstitiones, & consuetum vitium procedendi cum litera, vel cum generalitatibus legalium propositionum, vel auctoritatum, inextricabiles hujusmodi lites efficiantur, adeo ut iis, qui assecurati fuerunt, magis expediret assecurationem secutam non esse, cum ita duplici subjaceant damno, & jacturæ, naufragii nempe, vel alterius casus in mercibus assecuratis, & in hujusmodi diuturnarum litium sumptibus, magis vero incommodis, ac diversionibus, quæ in negotiatoribus magna parant damna, & præjudicia; Id autem inter legales irrationabilitates, & abusus recensendum videtur eodem modo quo in literarum cambii implemento, aliisque similibus mercantilibus negotiis advertitur, cum potius probatorum, ac peritorum mercatorum juxta judicaturæ regulas, & stylos, quam juris professorum judicio cum leguleicis subtilitatibus, & superstitionibus, hujusmodi causæ simpliciter, ac de plano peragi, ac decidi debeant; Cum etenim pro frequentiori praxi, & contingentia hujusmodi apocæ, & conventiones, cum mercantili stylo, & simplicitate, non autem cum Juristarum cabalis, & subtilitatibus concipi soleant, hinc sequitur prorsus irrationabile censendum esse, ut cum hoc posteriori stylo potius quam cum priori, dubia quæ super eis oriuntur, examinari, ac decidi debeant, cum in omnibus eadem patere, ac servari debeat via, quæ ab initio electa, & recepta est. a

a *disc. 106. cum pluribus sequent. de Credito.*

OBSERVATIO CLIII.

De facultate illius contra quem jura cessa sunt offerendi cessionario, id quod ipse cedenti solvit.

AD reprimendos voluntarios litium redemptores, qui hanc turpem mercaturam, pro illorum temporum, ac regionis Græcorum moribus, cum aliquo forte frequentiori usu exercere satagebant, jus civile statuit, ut illi contra quos hujusmodi cessiones procurarentur, facultatem habeant a cessionariorum molestiis se liberare, offerendo id, quod ipsi pro eis obtinendis solverint cedentibus, quamvis modicum esset, neglecta quacumque relinquatur donatione, quamvis personæ intuitu factam esse diceretur, ut fraudulenta potius censenda sit assertio. Quia vero antiquiores (excusabiliter quidem) literæ magis famulantes, generaliter ac indefinite in omni casu id procedere opinabantur, idcirco recentiores illi, qui majores legum rationem commendabilius insecuti sunt, involuntariis tantum redemptoribus jurium incertorum litem requirentibus, & qui agendo illas promovere debeant, procedere declararunt, non autem in possessoribus, ut in possessione bonorum se confoverent, vel etiam agendo, ubi de juribus claris, ac nominibus certis agatur.

Quem-

Quemadmodum autem in antiquioribus aliquid dignoscebatur, ex præfato literæ famulatu, irrationabilitatis, ac ineptiæ vitium, super dictarum legum generali intelligentia, & praxi, ita quoque in magis modernis pragmaticis, ex eodem errore procedendi in litera, idem dignoscitur vitium super præfatis declarationibus, quæ judiciose, & rationabiliter a recentioribus traditæ sunt, ad earum tamen limites præcise se restringendo, ut generaliter in omni qui extiturus sit actor, illicitus reputetur actus, ut propterea legum provisio intret, & e converso in omni, qui futurus sit reus, ut de cessis juribus excipiat, atque cum eis se tueatur, licitus reputetur, non parum quoque se involvendo in eo, an jura cessa omnino certa, & clara, vel e converso dubia, & litigiosa dicenda sint. Atque ubi cessantibus limitationibus, præfatarum legum dispositionem intrare dignoscatur, ad earum literæ præcisos limites, solum id quod solutum est, & non ultra restituendum esse putando.

Hæc autem, ineptias quoque, ac irrationabilitates redolent, quoniam ex eisdem motivis, ex quibus præfati recentiores dictas limitationes, vel declarationes tradiderunt, generaliter idem statuendum est in omni casu, in quo intret eadem ratio, cum qua propterea potius, quam cum litera in hoc procedi debet, spectato nempe fine habito per leges, occurrendi fraudibus, & abusibus, se regulando cum moribus regionis, & cum actuum frequentia, atque cum temporum, ac bonorum, & jurium, & personarum qualitate, adeout facti potius, quam juris censeri debeat quæstio, decidenda prudentis, ac probi, & rationalis viri arbitrio, a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulando, an scilicet cessionarius in bona, vel respective in mala fide versetur, & an actus fraudulentus necne censendus veniat, quod etiam in eo, qui possessor sit, ac reus extiturus, quandoque verificari solet, & e converso ubi extiturus sit actor, adhuc, quoties bonæ fidei necessarius potius, quam voluntarius reputari mereatur actus. Imo ubi etiam sit mere voluntarius, adhuc facti circumstantiæ illum commendabilem, ac licitum reddere possunt, ad compescendam nempe potentiam, & suffocationem, ac majorem fraudem & malam fidem ejus, contra quem jura cessa exercenda sint, ut propterea malæ fidei, ac fraudis præponderantia attendi debeat, (ut præmissum est) pro regionum moribus, ac personarum qualitate, aliisque facti circumstantiis notorum regulando. Ideoque ineptiam, ac irrationabilitatem redolet cum litera, vel cum generalitatibus procedere. Habendo quoque rationem periculi incertæ aleæ per cessionarium suscepti, ac etiam, an de fisco agatur, vel alio, cui eadem congruat ratio.

Idemque cum sua proportione ex rationis identitate dicendum videtur in ea cessionis prohibitione in potentiorem, quæ in Jure habetur, cum pariter a legis fine, vel ratione, non autem a litera hæc prohibitio regulanda sit, & an fraudem, ac malam fidem redoleat necne, cum aliquando commendabile sit, ac justitiæ adaptatum, ad potentis oppressionem effugiendam, alteri magis potenti se commendare, suaque jura cedere, dum magis culposus prior censendus venit, qui alterum in ista constituit necessitate, cum similibus considerationibus, quibus eadem congruat ratio, quæ propterea, non autem litera debet esse legis regulatrix.

a *De hac materia, disc. 60. & 149. de credito.*

OBSERVATIO CLIV.

De Cessione, quæ pro solvendo potius quam pro soluto intelligenda est, ut cessionario negligente, ipsi non obstet, adeout contra cedentem ei remaneat actio integra.

SÆpius inculcatum vitium procedendi cum litera, vel cum generalitatibus, neglecto discursu, vel ratiocinio, in hoc etiam themate operatur, ut ea, quæ generaliter, ac abstractive vera, & rationabilia sunt, aspera, & irrationabilia efficiantur. Rationabile siquidem est, ut qui cessum nomen a proprio debitore accepit, pro solvendo potius quam pro soluto, (ut in dubio verius est præsumi debere,) non debeat ejusdem nominis periculo subjacere, sed ut mandatarii, vel negotiorum gestoris super illius exactione partes suscepisse dicatur, cum facultate id quod exactum sit, pro ejus satisfactione retinendi. In eo tamen asperitas, ac irrationabilitas non infrequenter dignosci videtur, ut creditori, ac respective cessionario per notabile tempus negligenti, adversus cedentem, adhuc integra sit actio, unde propterea debitor ex exactionis remaneat justa spe, vel credulitate elusus, & per consequens, non cum litera, vel cum generalitatibus, sed cum ratione, ex facti qualitate, & circumstantiis desumenda, propositio hæc regulanda videtur, an talis nempe adfuerit negligentia, quæ ratione, & æquitate naturali suadentibus, negligentis damno cedere debeat.

a *disc. 64. & seq. de credito.*

OBSERVATIO CLV.

Laudator, vel Approbator personæ, an fidejussoris loco habendus veniat.

OPinionum diversitas de more in hoc dignoscitur themate. Aliquibus obligationem fidejussoriam ex laudatione, vel approbatione personæ simpliciter, ac indefinite desumentibus. Aliis vero negantibus, ubi doli, ac fraudis non adsint efficacia argumenta. a Utraque vero sententia, simpliciter, ac abstracte sumpta, ut literæ famulantium sumendi est consuetudo, ineptias, & irrationabilitates, vel asperitates istius styli effectus connaturales continet, quoniam facti, & voluntatis potius, quam juris est quæstio, ideoque non ex auctoritatum litera, vel numero, seu propositionum generalitate decidenda est, sed ex singulorum casuum circumstantiis pro qualitate personarum, ac negotiorum, seu effectuum, pro quibus laudatio, vel approbatio fiat. Inspectis etiam locorum moribus, aliisque similibus habitis considerationibus, ex quibus substantia voluntatis reciprocæ, tam laudatoris, quam ejus, cui fiat laudatio, desumenda est. Quandoque etenim hujusmodi laudationes famulorum, vel aliorum, qui ad aliquod opus assumendi sunt, sive cum quibus aliquod peragendum est negotium, urbanitatis, & officii gratia sequi solent, ipso laudatore bonam habente opinionem de persona laudata, unde ipsemet illusus remaneat, istoque casu lex, & ratio exigunt ut dolo, & fraude cessantibus non resultet exinde obligatio. Quandoque autem e converso, & præsertim apud mercatores, & negotiatores, laudatio, seu approbatio, assecurationis, vel fidejussionis speciem redolet, ut in fide laudatoris credatur laudatio, cui alias non crederetur, cum similibus considerationibus, pro qualitate facti; b ideoque manifesta convincitur ineptia, & irrationabilitas eorum, qui auctoritatum literæ, discursu, vel ratiocinio neglecto, simpliciter famulantur, atque in omni casu cum generalitatibus procedunt, inquirendo an una, vel altera opinio majorem habeat auctoritatum, vel decisionum assistentiam cum similibus irrationabilitatibus, & ineptiis, quas non infrequenter forus experitur.

a *disc. 90. de credito.* b *Ibidem.*

OBSERVATIO CLVI.

De debitore suspecto de fuga, quando talis dicatur necne.

LIteræ, seu traditionum, ac generalitatum famulatus discursu, vel ratiocinio neglecto, in isto themate non infrequenter ineptias, ac irrationabiles asperitates producit, quoniam posito assumpto, quod in suis casibus verum est, ut ille debitor, qui bona stabilia in loco non possideat, suamque deterioraverit conditionem, unde cum creditoris irreparabili præjudicio de fuga suspectus redditus fuerit, de facto ad instantiam creditoris illum talem jurantis, nulla prævia condemnatione, vel monitione, carcerari valeat, ad hoc ut judicium cum cautione assecuret; plerique cum hac generalitate in omni casu cum litera ambulantes, in magnas incidunt ineptias, ac irrationabilitates, non distinguendo loca, & personas, an scilicet de loco contracti debiti, vel de alterius ordinarii domicilii debitoris agatur, seu potius de loco in quo accidentaliter, seu occasionaliter, aut itinerando ille debitor ibi moretur, dum generaliter, ac indefinite in litera id intelligendo, ac practicando, ut quicumque non possessor bonorum stabilium in loco, de fuga suspectus jurari valeat, ita quilibet ditissimus magnatitii etiam, ac supremi ordinis in extera Civitate, in qua itinerando per transitum, sive ex alia occasione reperiatur, de fuga suspectus jurari possit, quo nil ineptius, nilve irrationabilius, ideoque in ratione, non autem in litera, vel generalitate, juris propositiones alias in suis casibus veræ, & rationabiles attendi, & practicari debent.

a *disc. 112. & 113. de credito.*

DE

DE DEPOSITO.

OBSERVATIO CLVII.

De Depositario solvente cum mandato, vel ordine deponentis qui falsus detegatur.

IN hoc etiam assumpto eadem, quæ in sequenti observatione insinuatur, dignoscitur vel asperitas, vel irrationabilitas ex eodem consueto derivata fonte, procedendi cum generalitatibus, & in litera; Quamvis etenim generalis juris regula, vel theorica illam adhibeat distinctionem an de vero, & regulari agatur deposito, quod in specie consistat, vel e converso de improprio, ac irregulari pecuniæ, quæ cum reliquis depositarii, vel campsoris pecuniis confusa sit, utpropterea debitum generis potius dici mereatur, ut priori casu quando in depositario justa verificetur credulitas & excusatio, adeout de nulla valeat redargui culpa, ad quam lex illum obligat, liberationem assequatur, ea ea ratione quod fortuiti casus speciem id redolet, ideoque ejus est periculum, cujus est dominium, in altero vero secus ea eadem ratione, ut ejus periculum sit, cujus est dominium, quale in depositario potius, quam in deponente residere dicitur.

Adhuc tamen in applicatione, asperitas, ac irrationabilitas dignosci videntur, quando de illo agatur depositario, qui non ad proprium lucrum & negotiationem, sed ex charitatis, publicæque commoditatis, & favoris motivo illud munus exerceat, totaque pecunia insimul confusa, eamdem depositi irregularis naturam, ac speciem habeat, ut propterea pro subjectæ materiæ qualitate irregularia de juris censura dici mereantur deposita, naturali autem veritate inspecta, regularia potius dici mereantur, ut tunc irrationabiliter idem rigor adhibeatur qui in altero casu, non immerito, neque irrationabiliter adhibetur, quoniam depositi commodum quod campsor reportat, cum istius periculi incommodo compensari meretur; Unde propterea edocendi sumus errorem esse cum litera, vel cum generalitatibus procedere neglecto ratiocinio, quod ita distinguere, vel ad hujusmodi circumstantias reflectere docet, cum revera pro facti singulari qualitate, quando rationalium more procedendum sit, hujusmodi quæstiones peragendæ sint ac decidendæ. a

a *disc. 58. de credito.*

OBSERVATIO CLVIII.

De eadem depositarii obligatione duplicatam faciendi depositi solutionem, ob conditionum in eo adjectarum malum implementum.

EXorbitans quidem, atque magnam redolens asperitatem, ac irrationabilitatem, illud videtur judicium, quod legis literæ, vel quandam legalium propositionum generalitatibus innixum est, ut quædam sacra ædes, quæ ex pietatis publicæque commoditatis motivo principaliter deposita in ejus banco recipit, ad reiteratam illius solutionem in ingenti summa condemnaretur ad favorem deponentis, eo quia demandatam ab eo solutionem fecisset illi cui solvendum erat ob non bene adimpletas in deponentis ordine, vel mandato quasdam adjectas conditiones, quæ de facto, naturali veritate attenta, impletæ fuerunt, illæ tamen pro non adimpletis habere debeant ob quasdam locales leges, quæ in loco depositi, neque eximiis, ac primariis Jure consultis bene innotescebant. Cum etenim ipsa sacra ædes inanimatum sit corpus, culpæ propriæ incapax, quod infantis, & fortius ad instar, sub aliena vivit administratione, quæ in hoc munere penes duos ministros residet, quorum uni campsarii nomen habenti pecuniæ custodia, & numerario incumbit, alteri vero habenti nomen ratiocinatoris incumbit cura inspiciendi veritatem ordinum, de facto, & an ille qui eos bancos dirigit, esset creditor liberæ dispositionis necne. Hinc non videtur, quæ unquam humana, seu legalis ratio suadere valeat, ut de illo defectu, qui consistit in apice juris localis diversæ ditionis, quod neque in ditione depositi notum est eximiis Juris professoribus, teneri debeat sacra ædes inanimata, vel ille administrator, qui ratiocinatoris, non autem consiliarii legalis partes implet. Attenta potissime consideratione, de qua supra, ut longa differentia dignoscatur inter illum depositarium, qui artem campsoriam privato jure ad mercimonium & lucrum exercet, & sacram ædem, quæ ex pietatis motivo pro publica commoditate istas explet partes, ut priori casu magis campsori imputandum sit, cur peritos non bene consuluerit, quodque istius casus periculum ratione dominii pecuniæ esse debeat, compensando depositorum commodum cum hoc incommodo, secus autem in hac depositarii in specie, in qua deponenti potius imputandum videtur, cur leges, & conditiones clarius, ac melius non adjecerit, ne scilicet pecunia solveretur, nisi ipso audito ad effectum inspiciendi, an bene adimplerentur, necne, ideoque iste casus inter aspera, & irrationabilia judicia reponi meretur.

a *disc. 68. de credito.*

DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

OBSERVATIO CLIX.

De Præscriptionibus, & de exceptionibus, cum quibus illa impediri solet, ut pene unquam perficiatur.

RAtionabile quidem, atque Reipublicæ proficuum, & commendatione dignum, prudentiorum judicio censetur præscriptionis beneficium, vel præsidium, ideo a legibus introductum, ut eo mediante, dominiorum certitudo, & commercii major libertas, atque populorum major habeatur civilis quies: Quamvis etenim ex aliorum sensu, odium, ac asperitatem redolere videatur, ut qui non dominus est, ex solo beneficio temporis absque legitimo titulo efficiatur talis, & qui est dominus, ut per solam negligentiam, suorum bonorum, vel jurium privationem patiatur, quasi quod pro levi delicto nimium gravem patiatur pœnam. Attamen quia istud odium est privatum, e converso autem superius consideratus favor est publicus, hinc sequitur, ut iste illi veniat anteponendus, ideoque favorabile potius, ac rationabile, quam odiosum, & irrationabile hoc præsidium ubi de longissimi temporis præscriptione agatur, censendum est, adeout de irrationabilitate redargui mereantur qui illud asperum, ac odiosum reputant.

Adeo vero magnas Juristarum subtilitas exceptiones, ac subductiones advenit, ut in praxi quodammodo ideale hoc præsidium remanere videatur, ultra etenim illud impedimentum, quod lex canonica induxit malæ fidei, ratione peccati, unde propterea de irrationabilitate id redargui non meretur, sed potius apud christianæ pietatis cultores commendatione dignum censendum est, (quamvis & in eo asperitates, ac irrationabilitates, & ineptiæ non desint super istius malæ fidei regulatione, cum solum illa debeat attendi, quæ vera, & certa sit, ut propterea dicta gravis peccati ratio verificetur, non autem ubi præsumpta, vel incerta, dubiave sit,) pleraque alia introducta fuerunt impedimenta, ratione tot subductionum, vel excusationum, ac restitutionum, ut pene unquam ejus perfectio detur, quod inter legales irrationabilitates, ac formalitates recensendum videtur; Ubi namque longissimi temporis intervallum, nimiumque inverisimile silentium accedit, tunc non ex sola ratione temporis, minusque ex punitione negligentiæ dicendum est hoc præsidium resultare, sed ob tituli probabilem præsumptionem, cujus memoria perierit, vel per successores, præsertim vero particulares, vel mediatos non habeatur notitia, ob cujus defectum potius ille qui jam desiit esse dominus, ita de alieno potius locupletetur. a

a *disc. 69. de credito.*

OBSERVATIO CLX.

De mala fide obstante etiam hæredi, ad præsumptionem impediendam.

IPsi principali debitori proprii debiti recte conscio, vel ipsi alienæ rei scienter occupatori, & usurpatori, præscriptionis præsidium ratione peccati denegati per legem canonicam, rationabile potius, & commendatione dignum esse proxime præcedenti observatione advertitur; Idem vero procedere in hærede, juxta aliorum sensum, a quibusdam etiam magnis Tribunalibus laudatum, irrationabilitatem redolet, quoties vera, & expressa scientia in eo quoque non verificetur, cum tunc illa cesset unica peccati ratio, cui lex canonica innixa est. a

Si etenim in ipsomet primo, qui præscriptionem cum ejus possessione inchoat, eatenus istud urget impedimentum quatenus expressa, certaque sit alieni juris scientia, & propterea præsumpta, vel dubia non sufficiat; Hinc non videtur, cuinam probabili fundamento istud innitatur assumptum in hærede, quem lex ignarum præsumit, quando ex ejus possessione initium desumit præscriptionis, adeout illa proprii malæ fidei auctoris juvari nolit, illamque

cum

cum propria non conjungere. Unde propterea inter legales irrationabilitates, ista quoque recenseri meretur, etiamsi de primo, ac immediato hærede agatur, magis vero si de ulteriori, ac mediato.

a *disc. 21. de judic. 131. de credito.*

DE USURIS, ET INTERESSE, AC FRUCTIBUS.

OBSERVATIO CLXI.

De contractu trino, qui pro usuræ exclusione considerari solet.

QUorumdam Juristarum, magis vero Theologorum subtilitas adinvenit contractum, qui trinus dicitur, ob quem explicitum mutuum usurarium omni jure damnatum ideale remanet, raro, vel nunquam verificabile. Ubi siquidem negotiationis, & lucri causa quis pecuniam alteri indigenti dat, primus fingitur inter eos initus contractus illius licitæ, ac laudatæ societatis, in qua unus pecuniam, alter vero operam ad commune commodum, & incommodum ponit; Istoque contractu in quadam prima intellectus operatione jam perfecto, alter in secunda instantanea ejusdem intellectus operatione fingitur assecurationis sortis, quam pecuniæ receptor faciat, recipiendo pro assecurationis mercede a socio pecuniæ domino quandam partem verisimiliter separari lucri, quod sub ejus portione caderet, ad instar ordinarii, ac frequentis contractus assecurationis mercium pro certa mercede; Istoque jam perfecto secundo contractu tertius fingitur ex tertia pariter instantanea intellectus operatione: alterius assecurationis lucri, quam idem pecuniæ receptor faciat loco mercedis, alteram recipiendo dimissionem portionis lucri sperati, ut propterea conventum lucrum una cum sorte ab omni periculo, certum, ac tutum obtineatur.

In scholis, & circulis, vel accademiis idealiter hæc discurrendo theoricam, illa vera quidem, ac fundata dicenda venit, cum omnes isti contractus de eorum natura liciti censendi veniant. In foro autem judiciali practico, in quo de externis, atque de actis, & probatis, non autem de internis efformatur judicium, ideam, & chimeram id potius redolet, ad praxim non deducibilem, quoniam ut utriusque assecurationis sortis, & lucri congrua socio operario merx præstetur, ac ulterius aliqua ad commodum socii datori pecuniæ remaneat lucri participatio, istud in magna, nimiumq; excessiva, & inverisimili præsupponendum est quantitate, cum forte in triginta, & ultra pro centenario non sufficiat, ut quatuor, vel quinque circiter sic assecuratus obtineat, dum a lucro portionem socii operarii deducere oportet.

In hoc itaque vitium dignoscitur procedendi in litera, vel in generalitate in abstracto neglecto debito, & convenienti discursu, vel ratiocinio & non reflectendo an practice, & de facto illa verificetur ratio, cui Juristæ, ac Theologi hanc substinentes speciem contractus innituntur, quod scilicet pecuniæ receptor triplicem distinctam, vel diversam gerere dicatur personam, unam nempe socii operarii, alteram tertii assecuratoris sortis pro congrua mercede, & alteram pariter tertii assecuratoris lucri pro altera mercede, perinde ac si duo diversi negotiatores, & assecuratores essent a primo societatis contractu extranei, an scilicet si post initum primum contractum societatis cum receptore pecuniæ, alii qui verisimiliter reperirentur negotiatores, & assecuratores, qui sine mixtura pecuniæ datæ, in qua consistere potest mutuum, cui fraus cum hoc pallio fiat, eosdem facerent contractus eadem contenti mercede, quod utique inverisimile est; Ideoq; manifestam id sedolet improbabilem superstitionem, ac subtilitatem, per quam illud quod revera in partium intentione usurarium mutuum est, licitum redditur, imponendo legem potius verbis, quam rebus, atque judicando in litera, non autem in spiritu, & in ratione.

a *dec. 1. de usur.*

OBSERVATIO CLXII.

De Societate ad Capitale salvum.

POntificia Constitutione hanc societatem in animalibus aliisque mercibus, ac bonis expresse damnante, illamque usurariam declarante, eadem præcedenti observatione enunciata Juristarum, & Theologorum subtilitas, vel superstitio utrumque induxit extremum vitiosum, ut una sententia idealem, atque nunquam verificabilem hanc prohibitam societatem reddat. Altera vero commercium pecuniæ adimat, omnemque animalium, vel mercium societatem illicitam, & usurariam reputet; In utroque igitur extremo, asperitatis, ac respective irrationabilitatis vitium adesse dicitur, ex eodem resultans fonte, procedendi in litera, non autem in ratione legis, cum verius juris ista non sit quæstio, quæ cum regulis, & propositionibus generalibus, vel cum authoritatibus in abstracto, vel in diverso concreto decidenda sit, sed potius facti, & applicationis eodem adamussim modo, quo est præcedens super contractu trino, an scilicet illud majus lucrum probabile, non autem figuratum, ac ideale, quod socio animalium, vel mercium receptori dimittitur, vere justum, atque condignum sit illius assecurationis pretium, atque ab hoc pendet, & regulanda est materia; Reliqua vero omnia, frigiditates, ac ineptias continent, sive superstitiones, accademiis, & scholis pro juvenum ingeniis exercendis, non autem exteriori practico foro adaptatas. a

a *disc. 2. de usur.*

OBSERVATIO CLXIII.

De nautico fœnore, seu de cambio maritimo.

NAviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo quod suscipiat in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus, (præcisa hæc sunt verba decretalis Gregorii IX.) a cujus dispositio plerisque Juristis, & Moralibus non modicarum ineptiarum occasionem dedit. Aliqui etenim, quodcunque maritimum negotium, præsertim vero illum contractum, cui pro negotiatorum loquendi usu, cambii maritimi vocabulum tribuitur, sub hoc prohibito usurario fœnore collocant; Alii vero e converso retinentes literam Decretalis, quodque agatur de mutuante naviganti pecuniam sub conventione lucri ratione periculi, cui se supponit, cum parte ratiocinativa, stringentes quidem, probare curant, ut lucrum non usurarium, sed licitum censeri debeat, utpote onerosum potius, & correspectivum, atque periculi compensativum, ad instar illius præmii, quod pro mercium assecurationibus, vel pro fidejussionibus percipitur, vel illius majoris excessivi lucri, quod convenitur in sponsionibus, vel in societatibus officiorum, aliisque incertis naturæ, vel fortunæ aleis, atque hoc stante mendosam dicunt decretalem, ex errore scriptorum, vel impressorum, qui omiserint dictionem negativam, ut quemad. dicitur *usurarius est censendus*, dicere debeat, *non est censendus*.

Utrumque autem extremum vitiosum dicendum est, ex eodem infecto principio procedendi in litera, vel in generalitate; Siquidem circa primam sententiam, verius videtur, ut decretalis loquens de mutuante, trahenda non sit ad illum contractum, qui societatis, vel cambii, sive assecurationis pecuniæ sub honestis conventionibus navigationi proportionatus fiat, ideoque irrationabilitas est in mala intelligentia, malaque applicatione. Major autem irrationabilitas, ac temeritas in altera dignoscitur sententia, quam a quibusdam suspectis Scriptoribus manantem, mirum est, quod modernos religiosos, & catholicos habeat sequaces; absonum enim est ut privatis licentia tribuenda sit canones in tot exemplaribus concorditer uno modo disponentes, pro libito corrigere, supponendo, vel supplendo verba, quæ oppositum habeant intellectum, quoniam ita omnium legum, & canonum publica, & necessaria auctoritas cum privata facultate eludi posset, quo nil absurdius, nil ve irrationabilius; Potissime vero, quia antiqui interpretes, & glossatores, qui vivebant de tempore, quo illa prodiit, & quorum aliqui in tali constitutione erant dignitate, ut aliquam participationem positivam in ejus editione habuerint, eum eodem processerunt sensu; Ideoque temeritas hæc ab ineptia potius, quam ab ingenio provenit, male applicando decretalem de una contractus specie loquentem, ad alteram speciem, de qua ipsi agere profitentur, ita male procedendo in litera sine discursu, vel ratiocinio, quod ita distinguere docet.

a *Cap. Naviganti, de usur.* b *disc. 3. de usur.*

OBSERVATIO CLXIV.

De mixtura mutui cum altero contractu locationis, & conductionis, vel emptionis, & venditionis, & simili, an usuram contineat, atque alium contractum inficiat.

EMptore, vel conductore, venditori, seu locatori pecuniam mutuante, vel e converso venditore, seu locatore id agente cum emptore, vel conductore, magna in-

voluta

voluta est quæstio apud Juristas, & Morales, an ista mutui, vel pecuniæ mixtura usuram inducat, ideoque locationis, vel venditionis contractum inficiat, Atque consueta extrema vitiosa, quæ ex litera, vel generalitatibus manant, dignoscuntur, asperitatum, & irrationabilitatum productiva; Plerique namque in rigore literæ ambulantes, ubi etiam pretii justitia in altero contractu accedat, usuram adesse credunt, quasi quod cum mutuo pecuniæ receptorem suffocaverit ad vendendum, sed locandum, vel respective ad emendum, vel conducendum, quodque ista interpretativa coactio usuram redoleat tanquam præmium in mutuante consideratum tollendi in mutuatario libertatem ut pro frequentiori praxi in iis, qui penurioso tempore pecunias, vel merces recipiendo ad operarum præstationem tempore messis, vel alterius recollectæ se obligant, Asperitatem autem, ac irrationabilitatem ista sententia redolet, quando justitia nullam ratione mutui recipiat violationem, vel alterationem, quia de justo pretio, quod exiturum sit, vel de præsenti verisimili, & honesto pro communi usu conventum sit, cum prorsus irrationabile, ac ineptum dicendum veniat, ut deterioris conditionis esse debeat ille, qui absque læsione justitiæ de tempore indigentiæ gratuitum subventionis præstat officium, vel mercedis aut pretii, anticipatam facit solutionem, quam alter, qui hæc deneget; Tunc enim usura adesse dicitur, quando illa pecuniæ mutuatio, vel anticipatio justum diminuat, vel respective augeat pretium, ut propterea lucrum datori pecuniæ eaoset cum damno receptoris, & in quo usura consistere dicitur, non autem ubi salva justitia, aliquod producat datori comodum, & receptori incomodum, cum dicto officio juste, ac rationabiliter compensabile, ideoque in hoc irrationabilitas, & ineptia, ac etiam asperitas dignoscuntur, ex eodem fonte manantes procedendi in litera legum, vel in propositionum generalitatibus, ad congruas non reflectendo distinctiones, minusque ad legis rationem, quæ ita distinguere docet. *a*

a *disc. 5. & 6. de usur.*

OBSERVATIO CLXV.

De usuris judaicis permittendis, vel prohibendis.

SUperficialium in litera, cum quodam indiscreto rigore ambulantium, in hoc etiam irrationabilitas, & ineptia dignoscuntur, ut scandalum concipiant de Principibus, qui Judæis in eorum ditione morantibus usuras exercere permittant; Aliquibus indefinite istam negantibus potestatem; Aliis vero eam admittentibus, quando Apostolica accedat Auctoritas; Utrumque enim assumptum probabili destitutum est ratione; Ubi namque actus peccaminosus, atque intrinsece illicitus ratione usuræ non est permittendus, tunc nil prodest Pontificia auctoritas, utpote in re a divino jure prohibita, cui Pontificia potestas non dispensat; Ubi vero divina cessat prohibitio, & tunc nulla subest ratio, cur ille, qui in propria ditione Imperator est, id permittere, vel tolerare non valeat; Ea namque non est canonizatio, ut ita licitum declaretur id, quod revera illicitum sit, sed est permittere, vel tolerare in iis, quorum ex majori defectu fidei desperata est salus, ideoque ab isto usuræ puncto abstinere, vel non abstinere nil refert; *a* Solumque in Christianis ne tanquam Judæorum cessionarii, vel mandatarii, in rem propriam eas exigant, interdicendum est, eisdemque Judæis quatenus ad fidem convertantur; *b* Sed ubi in eo statu sunt, tunc ineptiam, ac irrationabilitatem id redolet; Potius vero ex politicis regulis ad subditorum suffocationi consulendum taxa præfinienda est, quam excedere non liceat, ut in ipsamet Urbe Catholici Orbis Metropoli, ob Papæ, & Curiæ residentiam praxis docet. *c*

a *disc. 4. de usur. & disc. 14. de Cambiis.*
b *d. disc. 5.* c *d. disc. 6. & in Annot.*

OBSERVATIO CLXVI.

De pacto commissorio valido, & invalido.

COmmissorium pactum lege improbante, per quod creditor ubi debitoris mora accedat, in mutui restitutione pignoris dominus efficiatur, Pragmaticorum simplicitas indifferenter cum generalitate literæ id intelligendo, quamcumque conventionem, per quam creditor per implicitum emptionis, & venditionis, vel dationis in solutum contractum rei debitoris dominus efficiatur, illicitam, ac damnatam putat: verum id irrationabilitatem, ac ineptiam redolet, eodem modo, quo supra in contractu emptionis, & venditionis seu locationis, & conductionis cum mixtura mutui, dignoscitur, quoniam a justitia, vel injustitia pretii, & conventionis id pendet; Ubi namque justitia pretii accedit, ut propterea mutuatarii jus non efficiatur deterius, neque illud mutuatoris uberius, cum lucro, quod mutuum producat, & tunc nulla subest ratio probabilis, cui hæc innitatur prohibitio, ideoque asperitatem redolet aliquorum Tribunalium judicantium, ut pro facti qualitate, nulla concurrente pretii Injustitia, & mutuatarii læsione, vel suffocatione, minusque creditoris depravata intentione illud pactum commissorium reprobatum sit. *a*

a *disc. 8. de usur.*

OBSERVATIO CLXVII.

De contractu antychresis, vel ad gaudendum.

CIvilibus Romanorum legibus istum laudantibus contractum, qui antychresis, vel ad gaudendum dici solet, quod nempe mutuanti pecuniæ liceat gaudere pignore, quod el mutuatarius præstat; Canonistæ, & Morales magnam atque apud eos nimium involutam texunt quæstionem, an per canonicas leges, præfatæ civiles usurariæ infectionis rationes correctæ sint, ut propterea conventio invalida censenda sit, cum consueta pugna, consuetisque vitiosis extremis, quæ ab ineptia connaturali procedendi cum litera, vel cum generalitatibus derivant; Alii namque simpliciter, ac generaliter affirmant correctionem, ideoque indefinite conventionem invalidam, ac usurariam reputant; Alii e converso contrariam de directo tenent, generaliter, ac indefinite conventionem licitam esse substinentes; Et alii distinguunt, an jus redimendi sit in facultate, vel in necessitate debitoris cum aliis formalitatibus, ac generalitatibus in abstracto; Verum ineptiam, ac Irrationabilitatem id redolet, quoniam quando pro pecunia, qua mutuatarius pendente restitutione fruatur, juste loco damnorum, & interesse, vel ex alio juridico titulo pro moribus regionis, creditori accessiones debeantur, quæ pignoris fructibus respondeant, adeout justitiæ læsio, ac debitoris damnum, cum creditoris excessivo lucro non adsint, ideoque implicita sequi dicatur fructuum, ac interusuriorum compensatio, tunc nulla subest probabilis dubitandi ratio de conventionis validitate; Ubi vero e converso nullæ citra usurariam labem pro mutuata pecunia debeantur accessiones, quæ aliam non habeant justificationem, nisi illam, quæ ex ista conventione resultat, vel debitæ sint minus, quam fructus importent, & tunc usuraria intrat infectio; Ideoque in dd. disputationibus ineptia, & irrationabilitas dignoscuntur ex dicto vitioso manantes fonte procedendi cum litera, vel cum generalitatibus in abstracto, non autem cum ratione docente ita distinguere. *a*

a *disc. 9. de usur.*

OBSERVATIO CLXVIII.

De conventionibus usurariis, & de interesse lucri cessantis, vel damni emergentis in genere.

PRincipatum forte inter Juristarum, ac Moralium inconstantias, ac asperitates, & irrationabilitates occupare videtur ista materia usurarum, quæ pro credito quantitatis sub nomine interesse lucri cessantis, vel damni emergentis ex conventione, vel ratione moræ judicis officio exigantur; Apud omnes enim ejusdem catholicæ fidei professores uniformis est religio, atque uniformis, ac individuus animæ, vel conscientiæ forus, atque ubique usura, utpote jure divino damnata, intrinsece mala, & illicita reputatur, ut nulla scripta, vel non scripta humana lex eam licitam reddere valeat; Et tamen apud utriusque fori professores tanta dignoscitur varietas, imo contrarietas opinionum, & sententiarum, ut unus, idemque contractus inter easdem personas pro loci, vel fori varietate in uno loco, vel foro sæculari sit licitus, recteque creditor petat, vel exactas retineat, suasque faciat accessiones; In altero autem loco, vel foro ecclesiastico sit illicitus, ideoque accessiones non exactæ peti non valeant, exactæ autem, licet sponte, cum magno indiscretoque rigore sortem extenuent, & si quid ultra solutum sit repetatur. Cum etenim apud omnes unum, & idem receptum sit principium, unaque sit causa, non videtur quomodo tanta detur effectuum diversitas.

Solet hæc inconstantia, vel irrationabilitas ex eo excusari, ut non in iis, quæ juris sunt, varietas adesse dicatur, cum istud ubique invariabile sit, ut quod intrinsece illicitum, & usura-

usurarium, effici non possit licitum, & non usurarium; sensit in iis, quæ sunt facti, ut nempe in uno loco, vel foro pro certis, ac notoriis, & justificatis generaliter in omni casu, & persona habeantur illa requisita, quæ in alio loco, vel foro, specialem, ac individuam in quocumque casu, cum quibusdam formalitatibus justificationem exigunt; In hoc autem irrationabilitas, ac asperitas dignoscuntur, quoniam, aut verum est facti præsuppositum, ut pro loci, vel regionis moribus illa requisita certa, & notoria sint, aut non; Si est verum, ergo male in diverso loco, vel foro id impugnatur, atque specialis desideratur probatio, quæ in rebus generalibus certis, ac notoriis desideranda non est; Aut non est verum, ergo reproba remanet consuetudo, vel stylus canonizando usuram, quam jure divino illicitam nullatenus humana potestas licitam reddere potest, ideoque pernecesse in uno, vel in altero foro irrationabilitas, ac ineptia danda est.

Atque ubi spectata veritate, pro regionis moribus universalibus, ac personarum qualitate, ista lucri cessantis, vel damni emergentis requisita communia, & notoria sint, vel nimium verisimilia, ut propterea conventio partium non importet reddere licitum id, quod naturaliter, & intrinsece illicitum sit, sed ut concorditer bonam fidem, ac veritatem contrahentes recognoscant, & tunc apertam irrationabilitatem, atque superstitionis speciem redolet stylus desiderandi quasdam formalitates super speciali justificatione, cum ita sit imponere legem, potius verbis, quam rebus, atque in formalitatibus, potius quam in naturali veritatis substantia immorari; Idenque illud producit inconveniens, ut longe melioris conditionis existat callidus, ac versatus fœnerator, qui ad usuras palliandas hujusmodi formalitates, quarum implementum est nimium facile, diligenter adimplere satagit, quam sit illa probi viri in sua simplicitate, ac bona fide ambulantis, atque rem licitam agere opinantis, unde propterea de hujusmodi diligentiis, formalitatibus non est sollicitus; Et per consequens hujusmodi cautelæ adhibitæ malam fidem potius in mutuante arguunt; Et e converso indiscretus rigor desiderandi hujusmodi requisita cum formalitate, attendendo leges, & regulas in litera, non autem in spiritu, vel in ratione dolí, ac fraudis fomentum est in debitoribus, qui alienas pecunias extorquere curant ab iis, qui hujusmodi subtilitates, ac superstitiones non callentes, cum dicta bona fide ambulant, ut ita cum diminutis solutionibus in causam fructuum, vel accessionum, quæ in dies consumuntur liberationem obtineant, atque creditores inscii propriciate destituti remaneant, ita charitatis officium, & beneficium in maleficium, & iniquitatem convertendo, ut etiam alibi occasione usurarum dotalium advertitur.

Facti ergo potius, & applicationis, quam juris ista dicenda est quæstio, vel materia, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis potius regulanda, & decidenda, an illa bonam, vel respective malam de facto redoleant fidem, justamque inducant excusationem, & credulitatem, non autem judaico stylo cum litera, vel cum generalitatibus procedendum est cum hoc stylo, quo attento irrationabilitatum, & ineptiarum, & æquivocum vitium pene inevitabile remanet. a

Quamvis enim specialiter in hac materia, & generaliter in omnibus aliis a jure prohibitis, conventio, vel respective confessio partium attendenda non veniat, cum in earum facultate repositum non sit legis prohibitionem eludere, atque licitum reddere id, quod illicitum est; In pura tamen confessione, a qua omnimoda pendeat probatio, id recipiendum est, ac procedit, non autem ubi probabilia accedant veritatis argumenta, vel adminicula, inter quæ illud verisimilitudinis magni faciendum est, atque principem locum occupare solet, ac debet.

a *disc. 22. cum plurib. seqq. de Usuris cum seq.*

OBSERVATIO CLXIX.

De fructuum recompensativorum debito, conventionali, vel judiciali pro rei emptæ pretio non soluto.

Retento præsupposito, quod Romana præsertim Curia, probabilius quidem, constanter tenet, ut pro non soluto per emptorem pretio, quoties istud primævam, ac nativam adhuc retineat pretii naturam, quia nempe in alium contractum fructuum productivum, puta censur, vel cambii legitime conversum non sit, nullæ debeantur usuræ, vel accessiones, ubi res vendita infructifera sit, ubi vero fructifera, ut non nisi ad ejusdem rei fructus metam usuræ, vel interusuria debeantur, quibus fructuum recompensativorum vocabulum pro forensium loquendi usu tribuitur, quodque siquid ultra solutum est in sortem imputetur, vel repetatur.

Plures asperitates, ac irrationabilitates in hac usurarum, vel fructuum specie dignosci, praxis docet, utrique contrahentium respective favorabiles, & dolosas, ex eodem vitio manantes cum litera, vel cum propositionum generalitate procedendi. Primo nempe circa eorum taxam conventionalem, quam plerique improbant, utpote de usura suspectam, ubi illam excedit fructuum rei venditæ taxam generalem, quam lex, vel Juristarum recepta traditio statuit, in vigesima sortis proportione alibi insinuata; Duplicem namque irrationabilitatem, ac ineptiam id redolet; Tum in ipsamet legali uniformi taxa merito improbata, ac irrationabili reputata; Tum etiam quia possibile est, ut verum pretium in sorte sit injustum, ac diminutum cum majori fructu compensabile, cum pacta pretii pars dicantur; Ac etiam non implicat, quod idem venditor ad rem vendendam impellatur, ut pretium eroget in extinctione debiti fructiferi, vel in emptionem aliorum jurium, aut in aliam occasionem majoris redditus, cum alias venditurus non fuisset, si in eo inferiori fructu, quem frequentius bona præsertim stabilia jurisdictionalia, vel alias conspicua reddunt, contentum esse voluisset, ideoque ratione interesse lucri cessantis, ac damni emergentis, nulla ratio prohibere videtur de majori quantitate posse conveniri.

Secundo, facta conventionali taxa quæ pro illius temporis conditione justa, & proportionata sit, si casus fructuum rei venditę diminutionem causet, ut venditoris damno id cedat, ne ad taxam conventam exigat; Id enim omnimodam redolere videtur irrationabilitatem, quoniam emptoris tanquam domini periculum esse debet, cujus esset commodum augmenti, de quo venditor non participaret, ideoque damno sine spe lucri ita subjacet; Sufficit namque ad excludendam usurariam pravitatem, ut conventio tunc licita, & justa fuerit, dum ita emptor ex mora, & delicto commodum reportaret, sibique imputet cur pretium non solverit.

Longe vero major asperitas, ac irrationabilitas dignoscitur, ubi secuta præfata fructuum rei diminutione ea non obstante, ipse emptor illam non denunciando, minusque de ea protestando, fructus juxta primævam taxam solverit, ut deinde excessus imputatio in sortem, vel repetitio competat, cum venditor hujus diminutionis ignarus, atque non obligatus esse sollicitus, in bona versatus fuerit fide, sibique emptor utpote fructuum rei suæ conscius imputet, cur ad id non advertit, atque alias est dolis, & fraudibus latum aditum aperire, eodem modo quo in cambiorum interusuriis advertitur.

Et tertio, ut hujusmodi fructus, vel usuræ venditori per emptorem debeantur, quamvis nulla intercedat mora, vel culpa non solvendi, quinimo ut solutionis impedimentum ex ipsius venditoris non implemento, vel alio ejusdem, aut tertii facto, aut ex casu provenerit; quasi quod non sit moræ, vel culpæ effectus, sed æquitatis, ne re, ac pretio eodem tempore fruatur; Error namque in hoc etiam dignoscitur cum hac generalitate in litera procedere, cum potius in dicta ratione procedendum sit, & an illa nec ne applicetur, cum emptor pretium ex facto venditoris vere otiosum in banco tenere potuerit, multo vero magis, ubi pro eo aliis subjectus fuerit usuris, vel damnis, unde propterea non intret dicta ratio utriusque fruitionis, ob quam de lucro certet de re aliena faciendo, ideoque ad limites rationis, non autem literę, vel generalitatis regulę procedendum est, atque alias asperitas, & irrationabilitas, ac ineptia non desunt.

OBSERVATIO CLXX.

De usuris pro legato, vel pro donatione.

In legato pręsertim frequentius, in donatione autem rarius (eadem tamen ratione cadente) quæstio est, an ex testatoris, vel donatoris præcepto pro retardata quantitatis solutione accessiones, vel usuræ legatario debitæ sint, ut non solutæ petantur, vel solutæ non imputentur, neque repetantur, & e contra. Illamque Juristæ, ac etiam aliqui Morales magis communem, magisque in foro præsertim autem Romano receptam adhibent distinctionem, quod si in legatarii, vel donatarii facultate repositum non est sortem exigere, tunc debeantur accessiones utpote principaliter

ter sub dispositione cadentes tanquam per speciem sortis, annuæque præstationis; Ubi vero talis competat facultas, ideoque ob moram, vel solutionis retardationem testator, vel donator accessiones præstari mandat, & tunc secus, ex rationa desuper assignari solita quod non potest testator licitas reddere illas usurarias accessiones, qui illicitæ sunt. a Verum omnimodam irrationabilitatem, ac legulciam superstitionem id redolere videtur, usuraria namque infectio, ab illo vero, & explicito, vel interpretativo, ac implicito provanit mutuo, quod admixtam habet in mutuante depravatam fœnerandi intentionem quę ex legis pręsumptione saltem præsupponenda ast, & in mutuatario suffocationem, cujus ratione, ex vi, & implicita coactione potius, quam ex voluntate solvat accessiones, ita de damno vitando potius, quam de lucro captando, contendendo; Cum itaque in legatatio vel donatario, nulla dignosci valeat depravata intentio, quam mutuando, vel aliutu faciendo contractum, qui ajus corrupta natura in mutuum resolvatur, creditor habuerit, quodque ad id indigentem mutuatarium contrahentam coegerit, vel induxerit, dum ex tenii beneficio, nulla ejus industria, vel præordinatione accedente id assequitur, testatoris autem, vel donatoris hæres de proprio non contendit damno, suique patrimonii diminutione, sed da bonis defuncti, qui hanc legem rei suæ pro pinguiori legatarii, vel donatarii beneficio, & provisione adjicera voluit, & cui plus, imo totum relinquere poterat, atque nihil hæredi ad id gravato relinquere; Hinc nulla videtur probabilis urgere ratio, cur in pœnam hæredis, qui ejus non adimpleat voluntatem, adhuc ut stimulum illi daret, id demandara non potuerit; Vel quia desideraverit, atque in animo habuerit, ut ille cui suæ benavolentiæ beneficium contulit, providi patrisfamilias more, legatam, vel donatam quantitatem in fructiferas honestas occasiones illico erogaturus esset, ut propterea salva proprietate, cum fructibus illi consultum, ac provisum remaneret, ideoqua nulla videtur probabilis ratio subesse, ob quam usuraria infectio cum ejus asperta affectibus in hoc admittenda sit.

a *disc. 29. & seqq. de usur.*

OBSERVATIO CLXXI.

An Socius, vel mandatarius, aut administrator, absque nova indigentiæ denunciatione, pecuniam ad cambium vel ad interesse suscipiat, & quid de fidejussore.

ILlum alicujus negotii socium, vel mandatarium, sive institorem, cum casu indigentiæ facultas attributa sit, pecunias ad cambium, vel aliod interesse suscipere, hanc exercera possa facultatem, nisi mandanti, vel domino, aut socio, supervenientæ necessitatis casum denunciet; Aliqui volunt, quorum sensum magna Tribunalia quandoque canonizasse constat. a

Rationis autem fundamento destitutum id videtur; quoniam commissa administratio, hanc pro negotiorum natura importara videtur de jure facultatem, fortius itaque ubi expressa hominis dispositio quoque accedat, cum negotiorum explicationibus hujusmodi moræ non de facili congruant; Ac etiam quia supervacanea esset facultatis concessio, in cujus abusus casu, diversa mandati contra mandatarium, vel negotiorum gestorum actio ad id quod interest, competere potest, non autem ut facultatem deesse dicendum sit.

Diversa vero in eo casu, qui a simili considerari solet, ratio cadit, in eo, scilicet qui ad diem, vel sub certa conditione ex una causa creditor sit, cui in casu solutionis convento tempore promissæ, & non impletæ, facultas detur supponendi debitorem cambiis, vel aliis interusuriis, ut contraria conventione non accedente, creditor facultatis usum denunciare teneatur, b cum tali casu agatur de conversiona unius causæ debendi minus duræ in aliam magis duram, & usurariam, atque debitor sperare, vel cogitare potest creditorem non esse ita rigide acturum, talique sibi concessa facultate usurum, ob quam de lucro potius contendere dicitur, quod diversam in administratore habet rationem, ideoque irrationabiliter ab uno casu ad alterum fit illatio.

Eamdem denunciationis, vel protestationis necessitatem, generaliter, ac indefinite illi, qui in litera, vel in generalitatibus ambulant, statuunt in fidejussore, qui debitum pro principali debitora solvit, cambiis, vel aliis usuris eum supponendo; Ineptiam etenim, ac irrationabilitatem hæc litera, vel generalitas redolet, procedit siquidem ubi cum propria pecunia infructifera solutio facta sit, pro cujus reintegratione æquivalentem summam sub cambii, vel aliis fructiferis occasionibus ponere velit ad ejus lucrum, secus autem pro indemnitate, ac damno vitando id agat, quia nempe a creditore coactus, atque propriam non habens pecuniam, ab aliis ad interesse recipiat, vel quod propriam pecuniam jam in fructiferas occasiones, investitam eroget, aut quod suorum fructiferorum bonorum distractionem patiatur, c cum similibus quibus eadem congruat ratio, ideoque erroneum, ac ineptum, & irrationabile semper est, cum litera, vel cum generalibus conclusionibus procedere absque ratiocinio, quod distinguere, & applicare docet.

a *disc. 14. & 16. de camb.* b *disc. 1. eod. tit. de camb. & alibi pluries, ibid.* c *disc. 34. de usur.*

OBSERVATIO CLXXII.

De usuris centesimis, ac similibus, de quibus antiquæ Romanorum leges loquuntur, quænam sint.

DIversas usurarum species, præsertim vero, ac frequentius centesimas antiqui Romanorum legibus enunciantibus, ea Jurisstarum, & præsertim antiquiorum, ac mediorum, quorum errorem agnoverunt, ac emendarunt recentiores, dignoscitur simplicitas, vel ineptia, a qua immunes aliqui moderni non remanent, ab eodem derivans fonte procedendi cum litera, vel cum superficie, ut istas crediderint adeo excessivas, ac exorbitantes esse usuras, quod in unius anni spatio sortem æquarent, & quæ pro vulgari loquendi usu, cum quo eadem simplicitas processit, dicuntur centum pro centum. Consuetus autem iste effectus est negligendi ratiocinium, atque in sola litera ambulandi; Centesimæ namque ideo dicebantur, quia quolibet centesimo mense sortem æquabant, metam importantes pro nostro loquendi modo duodecim pro centenario, quam metam, utpote gravem excedi non posse, eædam statuerunt leges, in quarum tamen moderna praxi, & applicatione, eadem dignosci quoque videtur ineptia, vel respective irrationabilitas, non reflectendi ad morum, ac temporum varietatem, per quam antiquis Romanorum moribus abolitis, eorumque dissoluto imperio, quandoque nostra præsertim Italia experta est, præfatam adeo asperam, ac exorbitantem usurarum metam, ut unius anni spatio sortem æquarent; Id autem præfatos antiquiores interpretes non autem medios, vel recentiores ab hac inepta reddit excusabiles; Frequentior vero, magisque nostris temporibus proximus erat usus a currenti adeo diversus, ut in triennii spatio usurę æquarent sortem, ideoque manifestus remanet error illorum, qui in legum, vel in antiquorum scriptorum litera procedunt, non distinguendo mores, & tempora, ex quibus ista regulari solet taxa. a

a *de his disc. 6. de usur.*

OBSERVATIO CLXXIII.

De uniformi, ac generali taxa fructuum bonorum stabilium.

CUM unus ex antiquioribus interpretibus legum civilium, post sæpius enunciatam earum casualem inventionem, cui glosæ nomen tribuitur, loquendo juxta patrios mores, illam dicat esse justam fructuum bonorum stabilium taxam, quæ vigesimam sortis importat, ut propterea vigesimo quoque anno illam æquet; Hinc pragmaticorum caterva pro connaturali ineptia, non distinguendo loca & tempora, ac mores pro generali, ac uniformi regula ubique attandenda, istam statuit, ac recipit taxam, quo nil ineptius, nil vel irrationabilius, cum juxta praxim proxime præcedenti observatione insinuata, notoria praxis quemque doceat, quàm magna pro regionum, ac provinciarum, ac temporum qualitate dignoscatur diversitas; quam eadem praxis in eadam regione, vel ditione valde notabilem docent pro singulorum locorum qualitate, & situatione, ut in magnis, ac divitibus, & industribus, seu mercantilibus Civitatibus, & locis, in quibus affluat pecuniarum copia, quia rara est investimentorum occasio, fructus neque ad dimidium ascendant ad illos, qui in parvis, vel pauperibus locis, in quibus e converso vigeat penuria pecuniæ, & copia bonorum, & occasionum, ideoque manifestam id redolet irrationabilitatam, ac ineptiam; Potissime vero quia fructuum diversitas, a periculorum, & accidentium magis vel minus frequentiori contingentia, vel a majoribus, vel minoribus publicis oneribus pro temporum conditione recipit normam, ideoque ubi rationalis viri more, non autem cum pecudum, vel avium consuetudine in litera proceden-

dum sit, incapax taxæ uniformis ac generalis hujusmodi fructuum materia censenda est, sed pro singulorum locorum, ac temporum, & morum particulari qualitate, & circumstantiis regulanda.

DE CAMBIIS

OBSERVATIO CLXXIV.

De cambiis excessive solutis, quomodo imputari vel repeti debeant.

QUando realitatis ad præscriptum Pianæ constitutionis justificatio desit, illaque in odium debitoris habenda non sit pro existente, ac propterea ob non impletum susceptum mandatum intret refectio ejus quod interest illam adesse, adeout siccum potius, quam reale cambium censendum sit, extranei tunc remanent termini excessus; quoniam vitium est in substantia, sive in toto, ideoque quidquid accessionis jure solutum est, utpote ratione mutui, in quod, corrupta cambii natura, contractus resolvitur, illicitum, & usurarium est: Ideoque non jure repetitionis indebiti, ut una credit opinio, sed juxta alteram, quam licet rigorosam, non tamen improbabilem Romana Curia sequitur, intrat imputatio ipso jure, quæ in dies, & tempora sortem extenuat. Et per consequens, licet nimium subtilis ac indiscretus rigor videatur, non tamen improbabilis dici meretur, ut illa intret gradualis imputatio, quæ vulgo apud practicos forenses in Curia scaletta nuncupatur.

Verum ubi contractus cambii sit licitus, ac validus in genere, sive in substantia, quia nempe realitatis justificatio accedat, sive quod in odium debitoris, ut supra fingenda sit, unde propterea contra eum intret obligatio ad damna, & interesse, in ejusdem autem debitoris gratiam certa, & verisimilis, ac honesta facta sit cambiorum taxa, ut plus ejus comodo cedat cujusdam implicitæ remissionis, si vero minus importet, non possit creditor nisi illud minus exigere, juxta frequentiorem contrahendi morem, casus vero præbeat, quod cambia currentia minus importent quam importet taxa, ad cujus rationem ita debitor excessive indebitum solvat, tunc una opinio ab aliquibus Tribunalibus etiam cum variatione canonizata, credit, eidem imputationi vulgo scalettæ adhuc locum fore.

Verum id evidentem continere videtur irrationabilitatem, & æquivocum, quoniam eo ipso quod supponitur cambii contractus in genere, sive in substantia validus, atque cambiorum currentium quamvis in minori summa licite productivus, tunc abesse de consequenti dicitur mutuum expressum, vel interpretativum, sine quo non datur usura, cujus proinde termini extranei penitus, atque impropriì remanent, cum potius intrent termini justitiæ, & injustitiæ, ac læsionis, sive alii conditionis indebiti, vel conditionis sine causa, quibus retentis, consumptio quæ bona fide secuta sit, a restitutione, seu repetitione excusat, vel quatenus ratione malæ fidei non excusaret, adhuc tamen donec debitor indebitum declaret, atque compensationis, qui magis ad rem facerent, nullatenus vero illi imputationis, ubi præsertim non coacta, sed spontanea sit solutio, dum cessante usuraria infectione, non intrat illa præsumpta coactio, quam ex legis potentia in debitore, licet sponte solvente, una opinio, quæ magis in Curia recepta est, fingit. Ideoque patens est æquivocum, ac terminorum confusio, quamvis de illa cambii specie agatur, ut creditore nnus, ac mandatum, & curam cambiandi suscipiente, in eo expressa, vel præsumpta, & præsupponenda sit scientia veri casus, ut propterea cum mala fide excessum exigere dicatur, minorum cursuum ignaro debitore, quoniam semper circumventio, ac læsio, vel injustitia erit, nunquam tamen usura, quæ materiæ parvitatem non admittit, neque accessiones in parte tolerat, sed totum vitiat, & corrumpit.

Clarius vero, atque ad nimiam evidentiam irrationabilitas, ac asperitas intrant, ubi ipso debitore cambiandi curam, ac mandatum suscipiente, in eo concurrat, vel præsumenda sit veri cambiorum cursus scientia, in creditore autem ignorantia, vel justa credulitas, ut propterea in bona fide versatus fuerit, recipiendo quod a debitore solutum est ut ita cum supponere debuerit veri cursus conscium, dum ita intrant termini indebiti scienter soluti irrepetibilis, præsertim consumptione accedente, cum alias illud esset dare inconveniens juri positivo ac naturali contrarium, ut mendax, & culposus debitor ex ejus delicto commodum, & locupletationem reportet in supplantationem innocentis creditoris, qui bona fide illi credidit, atque dolis, & fraudibus latus aperiretur aditus, ut debitores morosi non restituendo statuto tempore id, quod sub isto contractu recipiunt, ita cum diminutionis solutionibus, creditores decipiendo, liberationem a debito reportent, creditores vero ignorantes, ac inviti bona fide consumantes id quod sub nomine licitorum fructuum, vel accessionum exegerunt, sorte principali destituti, ac spoliati remaneant, quo nil asperius, nil ve irrationabilius. a

a *De his disc. 28. de camb. & disc. 31.*

OBSERVATIO CLXXV.

De litterarum cambii acceptatione non obligante ob tunc secutam, vel imminentem, aut brevi supervenientam scribentis decoctionem.

COntra communem, imo concordem negotiatorum sensum veram habentium notitiam tractarum, seu litterarum cambii, quædam moderna legalis subtilitas, vel superstitio, commercii libertati nimium præjudicialis inolevit, ut ille cui cambii literæ directæ sunt, acceptatione non obstante, pendente consueto termino solutionis, istam deneget, vel cum inextricabilibus litibus differat, ob tunc jam detectam, seu imminentem, ac præparatam scribentis decoctionem, sive ob eam secutam post acceptationem intra breve spatium, ut verisimilis ejus notitia de acceptionis tempore non haberetur.

Irrationabilitatem autem id redolere videtur, quando in eo cujus favore literæ conscriptæ, ac respective acceptatæ sint, onerosam, & correspectivam, non autem lucrativam fovente, bona exuberet fides omnisque absit fraudis, & collusionis suspicio, quia nempe pecunias in uno habens loco, illius vero in altero indigens, cum eo qui publice, & palam ibi idoneus reputatur negotiator, cambium ineat litterarium per corresponsalem in loco ad quem jam occupatum, adeout ut nisi negotiatorum usus certam concederet dilationem, incontinenti, loco promissionis, pro negotiatorum more solutionem fecisset, ut in iis literis, vel tractis contingit, quæ non ad usum, sed ad libitum adjectis atque ut vulgo dicitur, *a vista, ò a piacere*, conscribuntur. Cum etenim negotiatorum, & corresponsalium sit mos expectandi literas certioratorias vulgo *d'avviso*, sine quibus ipsarum litterarum acceptatio sequi non solet. Hinc juste, ac rationabiliter propriæ negligentiæ potius imputandum est, cur de corresponsalis statu sollicitus ut par erat, non fuerit, cum ejus magis quam privato accidentaliter scribentis fidem sequenti debeat esse cura, & sollicitudo de illius statu notitiam habere, ideoque ejus debet esse periculum, non autem ut qui de loco ad locum pecuniam trahit, ut ejus celerem, ac promptum habeat usum, hujusmodi legalibus subtilitatibus, ac superstitionibus cum diuturnis, & inextricabilibus litibus, ac duplicato damno sumptuum, & incommodi litis debeat esse subjectus. Res quidem nimium irrationabilis, nimiumque aspera, & commercii, libertati, ac securitati præjudicialis, quoties, ut præmissum est, bona exuberat fides, omnisque deest fraudis, atque collusionis suspicio, itaque facti potius, quam juris inspectio cadit, non autem illa, an qui literas acceptat, mandatarius vel fidejussor cum leguleicis frigiditatibus ac superstitionibus censendus veniat.

a *De his disc. 20. 25. & 26. de cambijs, & disc. 33.*

OBSERVATIO CLXXVI.

Cambiorum platealium, & nundinalium, an licita sit continuatio, vel circulatio, & an una species magis licita sit quam altera.

PRimam cambiorum licitam transmissionem sive ad plateas, sive ad nundinas, dummodo realitatis requisitum ad Pianæ Constitutionis præscriptum cum litterarum vera transmissione accedat, nemo negare videtur, quoniam humano commercio potius ea necessaria, nimiumque Reipublicæ utilis, ac opportuna est; secundam vero, aliasque ulteriores cum continuatione, vel circulatione, aliqui generaliter, ac indefinite negant; Alii e converso absque distinctione affirmant; Et alii inter platealia, & nundinalia distinguunt, in prima specie platealium improbantes, in altera vero nundinalium admittentes, principaliter ideireo irregularium, aliis vero regularium nomen tribuendo. a

Irrationabilitatem vero hæc posterior distinguens opinio redolet, quoniam Piana Constitutio, quæ unica est materiæ

nos-

norma, & regulatrix hanc non adhibent distinctionem, sed pariformiter de plateis, vel locis, ac nundinis agit. Quinimo magis antiqua, magisque necessaria, & magis realis est prima platealium species quam altera nundinalium, cum sine hoc literario commercio de loco ad locum vita civilis duci non valeat, bene, aut sine his idealibus cambiatoriis nundinis, ideoque vel in utraque admittenda, vel in neutra pariformiter deneganda est continuatio, cum hæc generaliter, ac indefinite ab eadem damnetur constitutione. Æquivocum autem est in ejusdem continuatione intelligentia, vel applicatione, ut non ea quæ de facto pro negotiatorum stylo sequatur, talis dicenda sit, sed illa quæ ex pacto, ac necessitate, ut debitor non possit ab ea se liberare; illam namque in praxi frequens revera tale novum est, cum cambium suum in nundina, vel in platea recipiat finem, illud vero quod regreditur, omnino novum sit, & sic successive. a

a *Disc. 1. & 27. de Cambiis.*

OBSERVATIO CLXXVII.

De præciso literarum interventu pro realitatis justificatione, & an eandem receptam pecuniam cambiare oporteat.

Reale cambium Piana Constitutione solùm approbante, siccum autem reprobante, atque usurarium declarante, unum ab altero cum literarum vera transmissione, ac eo saltim implemento quod inter negotiatores in usu est, distinguitur, ut propterea quidquid aliqui minus fundate dicant, sit literarum scriptura veritus necessaria, super ejus autem justificatione, quodque vere intervenerit, cum consueta opinionum scissura, quæstio dignoscitur. Aliquibus admittentibus partium conventionem sufficere ut creditoris, vel tertii cambiatoris liber, vel assertiones sufficiant; Aliis vero pro forma præcisa indefinite, ac in omni casu, ipsasmet desiderantibus literas saltim redditus, vel responsiva, quę missivas, vel accessus præsupponunt, vel earum sumptum ex quodam nundinarum libro, seu quinterno, qui in subjecta materia protocolli speciem habent, legitime extractum, ut propterea quælibet alia species probationis præclusa sit.

Utraque vero opinio irrationabilitatem, atque extremum vitiosum continet; Prima namque latum aperiret aditum fraudibus, & elusioni legis, quæ ita verbis potius quam rebus diceretur imposita; Illo quoque in materia usuraria vel de usura suspecta obstante certo assumpto, ut partium conventionibus, vel assertionibus aliunde non comprobatis, nullo pacto defetendum veniat: Altera vero quamdam inducente formalitatem, quæ judaicam redolet superstitionem, dum etiam in iis quę de jure scripturam exigunt pernecesse, ad hunc illius interventum, ubi peremptionis probabile accedat argumentum, propterea fraudis ac affectionis desit suspicio, per alias probationis species justificari non est prohibitum; Potissime vero ubi de cambiis jam solutis, & de computis jam solidatis agatur, atque aliquod notabile accedat temporis intervallum, cum probabilitate, quod literæ, utpote in jam terminato negotio, negligi potuerunt, dum etiam in prohibitis ac suspectis, illa confessio, quæ sufficiens habeat adminiculorum fomentum, attendenda venit. Ideoque facti potius quam juris ista censenda est quæstio, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, bonam, vel malam fidem redolentibus decidenda; Consuetus autem error cum auctoritatum litera, vel cum propositionum generalitate procedendi, asperitates, ac irrationabilitates, & ineptias in hoc producere solet.

OBSERVATIO CLXXVIII.

An clericus contractum cambii activum, & passivum inire valeat, & quatenus non, an exinde debitor cambia decursa deneget.

Mercaturam, seu negotiationem canonica lege clericis prohibente, aliquorum modernorum simplicitas, vel inepția, ex consueta proveniens superficialitate, in contractu cambii antiquioribus ignoto, a moderna forma ex Piana constitutione derivante, clericos hujusmodi contractum active, & passive peragendi, inhabiles putat, quasi quod illicitam mercaturam, & negotiationem id redoleat, ideoque a debitore cambia exigi non posse credidit, istumque sensum aliqua tribunalia quandoque secuta sunt. a

Ineptiarum tamen, ac irrationabilitatum cumulum id redolet. Omnium vero prima, & major illa est, quæ in incapacitate passiva consistit, ne scilicet pecuniam in ejus indigentiis clericus ab aliis ad cambium accipere valeat; ideoque merito eadem tribunalia istum calami lubricum retractarunt, quoniam cambiorum prohibitio percutit illicitum clericorum lucrum, & ne illo allecti, divinum deserant cultum, aliaque peragant negotiatoribus congrua, clericis autem incongrua, non autem ut in eorum indigentiis prohibeantur cum hoc medio ita illis occurrere, cum ita longe deterioris conditionis status clericalis eos redderet. In altera vero ejusdem contractus activi inhabilitate, adhuc ineptiam, ac omnimodam irrationabilitatem importat indefinite, ac generaliter id statuere, dum in primo cambio nullam habente continuationem, vel circulationem, solumque tutiorem, commodiorem literariam pecuniæ trajectionem, vel respective commutationem, quæ pro cōmercii commoditate necessaria est de loco ad locum, actus exinde sequeretur quod infelix, ac deterior clericorum conditio redderetur, istam commoditatem eis denegando; Ubi vero de tractu successivo, & de circulatione agatur, adhuc de stricto jure neque illicita dici potest negotiatio, cum ex jam in ista cambiatoria materia superius insinuatis vera continuatio non sit, sed in singula nundina, vel singulo termino novi cambii ex integro creatio. Quia vero ista species negotiationis e vulgi opinione solis mercatoribus, & negotiatoribus congrua reputari videatur hinc merito clericis per superiores prohiberi potest, ac debet, ubi publice, ac palam campsorum, ac negotiatorum morum id agatur, scandali potius ratione, quam ex contractus intrinseca, & naturali qualitate; Secus autem ubi sub alieno nomine, illo ipsorum occultato, ex illa personarum ac nominum simulatione, quæ in jure licita reputatur, vel quod alias dicta scandali ratio cesset id peragatur, b ideoque manifesta convincitur ineptia procedentium in litera, vel in auditu, absque alio discursu.

Eademque dignoscitur inepția, ubi etiam iste contractus sub illicita negotiatione caderet, opinando ut exinde ejusdem contractus infectio, ac debitoris exemptio, ex cambiorum cursu resultet, cum negotiationis prohibitio acquisitionem non impediat, neque tertio cum quo negotiatio alias sæcularibus licita, fiat commodum, vel lucrum pateat, seu solum lucrum tanquam illicite, & turpiter quæsitum ecclesiasticus fiscus tanquam ab indigno avocet, c ideoque semper edocemur quam magnus error sit in litera, vel in generalitatibus ambulare, atque testem de auditu potius, quam de propria scientia causa agere.

a *disc. 17. de Camb. & in annot.*

b *disc. 6. de Camb.* c *Eod. disc. 18.*

DE CENSIBUS

OBSERVATIO CLXXIX.

De generali, ac uniformi censuum reductione.

Novus ab Hispania in Italiam utrique communi, civili, & canonico, eorumque primis Interpretibus ignotus irrepsit censualis contractus illorum censuum, qui cum pecunia constituuntur magnam habentes fructiferi mutui speciem, vel similitudinem, & qui consignativi dicuntur ad illorum differentiam, qui reservativi nuncupantur, quia super re, quæ alteri concedatur quædam præstatio loco dominicalis portionis, emphyteotici, seu livellarii contractus ad instar reservetur; Sub judice adhuc indecisa pendente lite, an in Hispania originem habuerit, vel potius in Germania, dum in hac regione occasione celebris Constantiensis Concilii de istius contractus validitate disputatum esse liquet. a

Validitate vero præsupposita, quia nempe in eis præscripta forma bene servata sit, fructuum majorem taxam, pontificiæ leges pro illorum temporum conditione, in forte decima parte statuerunt, ut propterea cùm decennii circulo sors æquetur, quocunque prohibito excessu, istarumque legum pluralitas illam dirimit quæstionem, an earum una localis censenda sit, dum pro certis prodiit Regnis, dum ob aliarum concursum ita generalem esse communis Juristarum, & Theologorum schola recepit.

Cum itaque moribus immutatis, atque auri copia, & valore exceptis bonorum stabilium, aliarumque fructiferarum occasionum, fructus qui erant antiquitus majores modernis temporibus magnam receperint diminutionem, ut propterea alicubi nimium excessiva hæc taxa videatur; Hinc illi qui rerum solam superficiem callent, credunt uniformi locum fore generali reductioni, ad eam

minorem vigesimæ, ac minoris partis taxam, quam aliquarum regionum, seu locorum, in quibus major sit pecuniarum copia investiendarum pecuniæ productiva, praxis docet. Verum id evidentem redolet irrationabilitatem & æquivocum, quoniam cum ex meliori, vel deteriori fundi censiti qualitate, cujus peremptionis periculo subjacet creditor, ac etiam ex majori, vel minori debitoris idoneitate, ac facili, vel difficili exactione, regionumque, seu locorum qualitate, ac moribus; major, vel minor pendeat fructuum taxa, cum præmissæ circumstantiæ bonæ, vel malæ, pars pretii, vel fructuum sint, Hinc evidens irrationabilitas est, atque ineptia, certam, ac uniformem desuper statuere regulam, aut ex iis, quæ in una regione, vel ditione statuta sint ad diversas inferre ditiones, ac regiones, cum totum ex locorum, ac personarum, & bonorum pendeat diversa qualitate, ob quam diversimoda congruit fructuum conventio, vel taxa. *b*

a *De his disc. 32. de Cens.* b *Eod. disc. 42. de Cens.*

OBSERVATIO CXXX.

De Census nullitate ob non servatam formam adhibendam,

AD illas dirimendas quæstiones, quas aliqui Canonistæ magis vero Theologi excitabant, non acquiescentes determinationibus Martini V. Nicolai V. & Calixti III. B. Pius V. Constitutionem edidit super istius contractus censualis forma, præsertim vero ut cum pecunia tunc actuali, & numerata fieri deberet ad excludendum ne fieret pro pecunia, quæ ex diversa causa jam debita esset, vel quod futuræ numerationis fides haberetur, sive pro mercibus, necnon ut super certa re stabili, fructifera, propria, & capaci, vel aliena de consensu domini certis finibus designata constitueretur, cujus peremptionis, vel infructuositatis periculo subjaceret credito perpetuo impeditus repetere sortem ex ejus parte demortuam, cum libertate debitoris quandocumque redimendi, absque eo, ut ad id cogi valeat, damnatis quibuscumque pactis rescissoriis, vel repetitivis.

Super istius formæ necessitate, dictæque Constitutionis receptione, ac observantia, magna dignoscitur inter utriusque juris, ac etiam moralis Theologiæ professores discordia; Aliquibus volentibus, quod in populorum facultate fuerit hanc legem non recipere, & servare, præsertim vero super dicta nova forma pecuniæ numeratæ, quasi quod substantiam contractus, atque usurarium materia non percutiat, in qua Pontificiæ legi parendum est, non autem in illa accidentali forma, quam sibi potius tanquam Principi in propria ditione præscribere visum est; Aliis vero e converso id negantibus, quodque Papalibus legibus editis in materia suspectiva de usura, & per consequens spirituali, non procedat id, quod in laicalibus legibus super requisito acceptationis, ac usus populorum habetur, sed ubique servanda sit; Adeo mordicus, atque in rigore literæ, istam attendendo formam, ut aliqui actualem, ac minutam, & exactam desiderent numerationem totius summæ, cujus defectus in parte totum actum vitiet, quodque neque sufficiat ordo directus campsori, vel mensæ nummulariæ, solumque cedulam bancariam loco pecuniæ numeratæ admittendo; Atque in pactis repetitivis, vel rescissoriis, illa aliqui generaliter, ac indefinite admittunt, dictæ Constitutionis prohibitione non obstante; Alii vero ea generaliter, ac indefinite improbant, quamvis non ad creditoris libitum, sed ob debitoris moram in fructuum solutione concipiantur. *a*

Vitiosa extrema, & per consequens irrationabilitates hinc inde desuper dignosci videntur, ex eodem fonte, omnium irrationabilitatum, & æquivocorum productivo, procedendi in legum, vel in auctoritatum litera; Aliena siquidem ab aliqua temeritate non est opinio, quæ Papæ auctoritatem in hoc negat, eamque a populorum receptione, & usu vim recipere credit; & e converso a superstitione leguleica immunis non est altera opinio, quæ talem formam adeo exacte, & rigorose attendit, præsertim in casu, in quo cum ordine directo banco, jam impleto, atque affectum sortito, contractus esset initus, cum in spiritu, vel in ratione potius, ista lex attendi debeat, spectato fine, vel effectu per legislatorem considerato; Id comprobante ejusdem Pontificis praxi de facili sanandi hunc defectum, constito de veritate crediti, vel pretii soluti, etiam cum retrotractione. *b*

a *De his disc. 1. cum plur. seq. de Cens. & disc. 32. eod. tit.*
b *disc. 3. & 4. eod. tit. ac etiam disc. 35.*

OBSERVATIO CLXXXI.

Census extinctus, vel redemptus cum pecunia, vel cum æquivalenti revocabili, cujus avocatio sequatur, an & quomodo reviviscat.

OCcasione judicialis concursus creditorum frequentius quandoque tamen etiam ex voluntaria conventione, præbente casu, ut censuum redemptiones, vel extinctiones sequantur cum pecunia ex pretio bonorum debitoris obventa, sub obligatione restituendi anterioribus, vel potioribus creditoribus, aut emptori, qui eam dedit in casu evictionis, sive cum assignatione, ac datione in solutum bonorum, quæ ita magis avocationi subjacent, ista contingente; Una Pragmaticorum opinio credit, ab aliquibus Tribunalibus quandoque canonizata, ut reviviscentiæ censuum locus fiat pro cursu fructuum in eadem antiqua quantitate, quamvis bona quæ loco census recipere creditori placuit, longe minorem reddant fructum, ut præsertim pro frequentiori contingentia sequitur in illis locis montium, in quæ loco cautionis pecunia investiatur, eo quia aliam eam idoneam creditor præstare non valeat, vel nolit. *a*

Justum siquidem, ac rationabile est, ut hujusmodi creditoris quoad anterioritatis, & potioritatis locorum indemnitati consultum sit, ut per receptionem pecuniæ, vel rei avocabilis, quæ postmodum avocetur, non inerit vera, & formalis novatio, quando illa faciendi expressa, & clara desit voluntas, in dubio non præsumenda. Irrationabile autem, ac asperum videtur, ut ad priorem taxam fiat reversio, dum loco census diversam tam minus fructuantem creditori recipere placuit, compensato minori fructu, cum commodo resultante a cessatione contractus censualis, qui duplex continet incommodum, vel periculum; Unum nempe irrepetibilitatis sortis, quæ quoad ipsum est inutilis, ac demortua, dum hujusmodi vocatione sequuta, in ejus libito, & facultate repositum est illam a posterioribus creditoribus, vel ab aliis debitoris bonis assequi; Et alterum peremptionis, vel infructuositatis fundi censiti, ut ita amplius huic non subjaceat periculo; Ideoque nulla suadere videtur probabilis ratio, cur ad majorem fructum regredi liceat, atque plus obtinere, quam revera interfit si casus avocationis non contigisset; Ista vero irrationabilitas ab eodem provenit vitioso fonte ambulandi in litera, non autem in spiritu, & in ratione, unde propterea irrationabilia hæc sequuntur judicia, quæ justitiæ, ac veritati præjudicialia sunt, eorundem Juristarum contemptum apud alios literariæ Reipublicæ cives producunt.

a *disc. 81. de Feud. & disc. 15. & 16. de Censibus.*

OBSERVATIO CLXXXII.

In censu vitalitio fundum frugiferum, & numerata pecunia formam ad instar perpetui volunt aliqui.

PLana Constitutione in perpetuis redimibilibus censibus consignativis ex jam alibi insinuatis certam pecuniæ numeratæ, aut fundi capacis, & frugiferi certam formam præscribente; Opinantur aliqui, quorum sensibus quandoque magna Tribunalia adhæserunt, ut etiam in censibus vitalitiis eadem adhiberi debeat forma in utroque requisito; *a* Errorem vero, ac irrationabilitatem id continere videtur, vel quia de hac specie lex in verbis non loquitur, ideoque omissa remanet sub juris communis dispositione; Vel fortius, quia eadem non congruit ratio, quæ in omnibus obtinere debet principatum. In perpetuo namque censu, quamvis pecunia, quæ in sorte datur, sit ex parte creditoris irreparabilis, unde propterea ad hanc denotandam irrepetibilitatem per quemdam loquendi modum, demortua & indebita dicitur, naturaliter tamen, & de facto vivit, atque durat tanquam fundus, vel causa productiva fructuum in perpetuum, adeout si debitor ab hoc onere, vel servitute velit eximi, illam restituendi onere premiatur, multique dentur casus, in quibus ob aliquod non implementum, vel ob detectam fundi incapacitatem, illius repetitio detur, quam creditor cum tot adinventis cautelis præviderit, ac speraverit, ideoque facilis transitus digno sci videatur ad censum personalem, qui quoddam interpretativum, seu palliatum mutuum usurarium redolere videtur, ideoq; ut his occurratur fraudibus dicta forma introducta est. *b* Hæc autem omnia cessant in censu vitalitio, qui revera aliud non importat, nisi emptionem incertæ aleæ eo modo quo in domorum emptionibus ad vitam habetur, *c* atque sors vere, & naturaliter, ac de facto hinc inde demortua est, omni repetibilitatis spe sublata, ideoque nulla subest ratio,

cui

cui hæc innitatur sententia, quæ merito inter irrationabiles collocanda venit.

a *disc. 9. de Cens.* b *disc. 35. de Cens.*
c *disc. 1. de Empt. & Vendit.*

OBSERVATIO CLXXXIII.

Detecto fundo censito alieno, vel incapaci, an cesset cursus fructuum.

MOdernorum subtilitas, quæ superstitionem quandam potius redolere videtur, ineptæ serviendo literæ Pianæ Constitutionis, quæ censualia contractus pecunia mediante constitui est regulatrix, multa super fundi censiti qualitate statuit; Præfata namque Constitutione solum desiderante, ut sit res immobilis de sui natura fructifera, certis designata finibus, qua pereunte, vel infructifera effecta in toto, vel in parte, census etiam in toto, vel in parte pereat, seu diminutionem patiatur, pleraque in lege non contenta moderni Juristæ, ac Morales addiderunt, & præsertim ut idem fundus de libero dominio, liberaque dispositione sit impositoria, vel alterius, qui impositioni consensum præstet, non solum hac libertate, & capacitate desiderata in dominio, sed etiam in hypotheca, ut ab ære alieno, quod cum hypotheca sit contractum non absorbeatur; Id autem nullum rationis habere videtur fundamentum, adeout inter irrationabilitates istud assumptum reponi quoque mereatur, quamvis jam apud eos receptum sit, dum apud eosdem e converso magis receptum est, ut ista species personale potius, quam vere reale importet onus, a quodque census impositio alienandi facultatem non impediat, aliumque non operetur effectum, nisi illud, quod quodlibet creditum hypothecarum operatur adversus tertium possessorem, ex ea ratione, quod non ad aliom finem res immobilis de sui natura fructifera, & certa desideratur, nisi ut sit subjectum contractus pro regulatione periculi, cui censuarius subjacere debeat ad exclusionem census personalis, qui mutui palliati suspicionem habet, ideoque censuarius nullum in fundo, ejusque fructibus dominium, vel servitutem, aut aliud jus reale habere dicatur, *b* nullaque propterea subesse videtur congrua ratio, cur de pleno, ac libero impositoris dominio esse, vel continuare debeat, & quare subsequens evictio, vel pro executione hypothecarum anteriorum distractio, census validitati, ac durationi præjudicare debeat, cum sufficiat fundum extare, ut casus peremptionis in toto, vel in parte pro regulatione periculi dignosci valeat, penes quamcumque manum ille sit, eo modo quo in societate officii, vel censu, alioque jure vitalitio requiritur pro subjecto, ac regulatione periculi personæ moralis, sed opus non est ut sit illa creditoris, vel debitoris, cum etiam illa tertii destinari valeat.

Verum ubi pro facultatis miseria, & ineptia a modernis Pragmaticis inducta, cum hoc præsupposito procedendum sit, ut citra omnem rationem illis deferatur modernorum authoritatibus, quæ necessariæ non sunt, sed solum probabiles (quod etiam generaliter ineptiam, ac irrationabilitatem redolet;) Adhuc tamen in eorundem magis communi, ac probabiliori sensu, cum ea proceditur distinctione, quod si creditor alieni dominii, vel onerum, quæ totum fundum absorbeant a principio, vel incapacem illum reddant, sit conscius, ut tunc tanquam ex cessante subjecto census personalis dicatur, ideoque nulli debeantur fructus, minusque damna, & interesse, cum scientis deceptio consideratione digna non sit, istamque non producat actionem; Secus vero ubi ignarus, qui cum bona fide, istaque credulitate super fundi dominio, ac libertate, & capacitate debitori assertionem sequatur, ut tunc quamvis nulli debeantur fructus census, quem non extare ex defectu fundi (licet male, ut supra) præsupponitur, debeantur tamen tanquam damna, & interesse.

His autem, quæ plures continent irrationabilitates, non contenta moderna superstitio, etiam in hoc posteriori casu, in quo pecuniæ dator in bona fide, justaque credulitate ab initio sit versatus, ut propterea salam damna, & interesse consequatur, istorum quoque debitum cessare velit post supervenientem evictionis, vel alieni juris, aut hypothecarum scientiam, ita mendacem, & culposum debitorem, qui bonæ fidei creditorem fefellit remunerando, innocentem vero creditorem deceptum puniendo, quo nil absurdius, nilve irrationabilius, ita primas irrationabilitates in iis requisitis, quæ per legem non demandantur fecundas efficiendo matres aliarum majorum, quæ ex eisdem resultat, quodque ita formalitatibus, ac superstitionibus, legalibus, male applicatis, omni neglecta ratione irrationalium more misere, ac viliter serviatur.

a *disc. 58. de donat. & disc. 92. de Regal.* b *Ibidem.*
c *disc. 13. & 31. de Censibus.*
d *Eod. disc. 31. de Cens. & eod. tit. disc. 34.*

OBSERVATIO CLXXXIV.

De extinctione, vel cessatione census, ex eo, quod creditor fundi censiti dominium nanciscatur.

EX eisdem, quæ in præcedenti observatione insinuata sunt, ista quoque convinci videtur irrationabiliter præfati assumpti per eosdem modernos Pragmaticos statuti, quod si creditor census, post illum jam legitime impositum, censiti fundi dominium nanciscitur, extingui dicatur census, onde propterea fructuum cursus cessare debeat, & de consequenti sortis repetitioni locus fiat, illa assignata ratione incompatibilitatis dandi servitutem in re propria. *a*

Duplex namque in hoc dignoscitur irrationabilitas. Primo nempe in præsupposito, quod ista species census, realem, ac veram importet servitutem incompatibilem cum dominio, cum re vera, ut præmissum est, ad alium finem, vel effectum fundi certi frugiferi, & capacis existentia non desideretur, nisi ut subjectum sit periculi penes quamcumque resideat manum, *b* ideoque sicuti census durationem habet, ubi fundus extra debitoris dominium, penes tertium existat, ita non videtur quid prohibeat ad manus ejusdem creditoris tanquam tertii, ex diverso titulo devenire posse.

Et secundo quoniam ita de facili dicta lex eludi posset, eique ex parte creditoris fraus fieri, affectando nempe censiti fundi dominium obtinere, ut ita extincto, vel resoluto censu, sibi pateat actio ab invito debitore sortem repetendi, quæ ex ejus parte, ad exclusionem mutui usurarii, demortua, & irrepetibilis ad ejusdem legis præscriptum esse debet.

a *disc. 28. de cens.* b *observat. præcedenti.*

OBSERVATIO CLXXXV.

De census præscriptione, ac debitoris censualis liberatione non danda, quocumque temporis spatio accedente; Et e converso de præscriptione fructuum ultra annos 29.

IMpræscriptibilem esse censuario sorte, ac in jure exigendi fructus in futurum, magis communis, magisque receptus est Juristarum, & Moralium sensus, ea ratione assignata, quod cum sors ex creditoris parte demortua sit, ac irrepetibilis, idcirco de negligentia imputari non potest, unde intrat regula, quod non valenti agere non currit præscriptio. Quo vero ad fructus, cum magis recepta sit opinio, ut in annuis, vel alias temporaneis præstationibus, tot sint præscriptiones quot sunt anni, vel termini maturati; Hinc ea eadem ratione, quod pro futuris, & maturatis agi non potest, sequitur ut longissima tricennalis præscriptio intret solum in annualitatibus, quæ longissimum spatium excedant; Ideoque apud forenses superficiales inolevit praxis, cum pene omnia sciant de auditu, nullam tamen habentes scientiæ causam, vel rationem, ut in censibus quantumvis antiquis, judicium bene instituatur pro fructibus ab annis viginti novem citra, ultra vero male, quasi quod expressus legis casus adesset, ut pro antecedenti tempore peti non valeant, pro subsequenti autem negari non possint. *a*

Hæc autem irrationabilitatem, & ineptiam complicant, atque in eis utrumque dignoscitur extremum vitiosum, violandi nempe rationem naturalem, vel rigorem legalem, ut propterea in utroque defici dicatur.

Ubi etenim cum rigore legis, adhibendo terminos præscriptionis, procedendum sit, tunc nulla subest ratio, cur ab annis viginti novem fructus peti valeant, non autem pro antecedenti ulteriori tempore, in quo potest præscriptio non currere, ratione malæ fidei debitoris adhuc viventis, aut ejus hæredis, in quem transfundi eamdem malam fidem, quædam Pragmaticorum schola credit; Vel quia subduci debeat tempus pupillaris ætatis, vel consimilis impedimenti, ob quod de jure præscriptio obdormit, vel quod si adest cursus, adhuc tamen adversus eum concedenda veniat restitutio in integrum ratione minoris ætatis, aut absentiæ, vel alterius justi impedimenti, sive justæ ignorantiæ, cum similibus subtilitatibus, ac superstitionibus, ex quibus istud nimium rationa-

bile præscriptionis remedium inductum est, ut ita rerum dominia certa redantur, atque antiquitatis litibus, ac prætensionibus recludatur aditus, ac imponatur finis, redditum est ideale; Sive quod ob creditoris privilegium, quia nempe sit Ecclesia, vel alter privilegiatus, vel quod ita exigat qualitas crediti ratione juramenti, non sufficiat præscriptio triginta, sed requiratur illa quadraginta, vel respective centum annorum; *b* Et per consequens ista formalitas, vel traditio, ut ab annis viginti novem citra, non autem ultra fructus peti valeant, & cum qua, tanquam cum casu expresso legis proceditur, ineptiam redolet.

Ubi vero probabilius, atque cum magis prudenti consilio per viam præsumptæ solutionis potius, quam præscriptionis procedendum sit; Et tunc nulla subest ratio, cur magis in tricennali, quam in vicennali, vel decennali, aut alio termino admittenda sit hæc præsumptio, cum ista certam non habeat temporis metam, vel regulam, solumque tempus ad illam non sufficiat, nisi alia accedant argumenta, & adminicula, ex quorum affirmativo, vel negativo concursu majoris, vel minoris ponderis quandoque brevius intervallum abundat, & quandoque longius non sufficit; *c* Ideoque pariter ista uniformis regula concedendi actionem ab annis viginti novem, & denegandi pro tempore antecedenti, eamdem redolet ineptiam, & irrationabilitatem.

Rationi vero, ac naturali veritati, & æquitati congruit, ut hujusmodi formalitatibus, ac superstitionibus neglectis, non per viam formalis præscriptionis, quæ vim habeat extinguendi actionem, atque tollendi creditum, quod alias verum, ac præexistens præsupponatur, tanquam per speciem pœnæ ob crimen negligentiæ istum operando effectum, & quo casu ista rigorosa legis formalitas, cum altera ejusdem legis rigorosa formalitate super dicta obdormitatione, vel subductione temporis, aut restitutione in integrum, merito compensanda est; Sed ubi per viam præsumptæ extinctionis census procedatur, talisque præsumptio de facili admittatur. Cum etenim ad ejusdem Pianæ legis præscriptum, in debitoris libertate repositum sit hoc onus redimere cum restitutione acceptæ sortis, unde propterea licet ista debiti, & crediti speciem non habeat ex parte creditoris, eam tamen habet ex parte debitoris; Hinc de consequenti generaliter intrant ea, quæ de cujuscumque crediti indifferentis præsumpta solutione habentur, ut ob verisimile creditoris silentium in adeo longo tempore cum aliis præsumptionibus, & argumentis, quæ pro facti qualitate, & circumstantiis habeantur, ista præsumptio intret, potissime vero ubi hujusmodi antiquata excitetur prætensio cum successore, quamvis immediato, magis vero, ubi sit mediatus, ac ulterior, & fortius ubi sit singularis, & tertius extinctionis ignarus, quam dictæ circumstantiæ adesse probabiliter arguant, dum alias præfatis retentis formalitatibus, etiam post sæcula, nulla dabitur dominiorum certitudo, vel securitas, quod utique vel asperum, vel irrationabile censendum est. *d*

a *disc. 20. de cens. disc. 21. de judic. & disc. 32. de cred.*
b *de his omnibus in materia præscriptionis, d. disc. 21. de judic. ubi concordantes, & disc. 31. de credito.*
c *de materia præsumptæ solutionis, disc. 105. & 132. de cred. & alibi pluries.* d *disc. 20. de cens. cum seq.*

OBSERVATIO CLXXXVI.

De deposito sortis ad Pianæ Constitutionis præscriptum faciendo pro census extinctione.

Liberam facultatem Piana Constitutione concedente debitori censuario, vel successori universali, ac etiam particulari, extinguendi censum per actum retrosimilem restitutionis acceptæ sortis, ubi creditor voluntarie, & concorditer eam non recipiat, (dum accedente consensu, nulla præscripta est forma, sed per acceptationem, vel per compensationem, omnemque aliam liberationis speciem fieri valet, cujuscumque indifferentis crediti ad instar,) Tunc certam eamdem Constitutio præscribit formam, interpellationis nempe per duos menses antea creditori faciendæ, quæ sub disdictæ vocabulo ex frequentiori forensium loquendi usu explicari solet, quodque ultima die bimestris, vel etiam antea, dummodo ejusdem bimestris fructuum oblatio fiat, citetur creditor ad recipiendum sortem, & fructus integros, eoque statuta die, vel hora non comparente, vel recusante, liceat deponere, unde propterea depositum cum competentis judicis decreto demandatum, veræ solutionis, ac extinctionis vim habeat, eumdemque effectum producat.

Super istius autem depositi validitate, dictæque formæ servatione, etiam post diuturnam pecuniæ depositatæ otiositatem, ex creditoris negligentia, vel pertinacia, magnas quidem, ac frequentes forus practicat asperitates, ac irrationabilitates, & ineptias ex consueto vitioso manantes fonte procedendi in litera, vel in rigorosis irrationabilibus formalitatibus, quæ revera damnabilium superstitionum habent speciem, ut licet naturalis veritas in contrarium urgeat, quia nempe debitor in bona fide versatus, hanc formam servaverit, atque pecuniam vere deposuerit, adeout ex ejus parte omnis fraudis, vel malitiæ, aut culpæ suspicio absit; negligentia vero, vel protervia magis in creditore convincatur, quodque ob aliquas judiciales formalitates cum discreto rigore ad præcisam literam judaico more attendendas nimium exacte non servatas, puta ratione alicujus prætensæ incompetentiæ judicis, aut non integritatis ob aliquem superstitiosum defectum, qui non in veritate naturali, sed in subtilitate, ac rigorose legali consistat, depositum nullitate laborare dicatur; unde propterea eo habito pro infecto census tanquam adhuc vivus interim fructus produxerit, atque debitor duplici subjaceat detrimento, *a* Id autem nimiam asperitatem, naturali veritati, & æquitati contrariam producere videtur, cum verius ac rationabilius videatur, ut facti potius quam juris ista reputanda quæstio sit cum facti circumstantiis pensandis prudenti arbitrio judicis, qui boni, ac rationalis viri partes gerat, non autem asperrimi, ac barbari, & irrationalia more inspicitur, ex cujus parte bona, vel respective mala fides accedat, & quisnam potius culposus dici mereatur, quodque in dubio potius contra creditorem de lucro captando contendentem arbitrium regulandum sit, quam contra debitorem agentem de damno vitando, atque contendentem de libertate, cui in dubio assistit regula. *b*

a *disc. 22. cum plur. seqq. de cens. & disc. 51. de dote, & alibi.* b *Ibidem.*

DE DONATIONIBUS.

OBSERVATIO CLXXXVII.

De donatione omnium bonorum.

Illud idem, quod in aliquibus observationibus super pactis, & conventionibus hereditatis viventium habetur in hac specie, procedit etiam donationis universalis omnium bonorum, & jurium præsentium, & futurorum, quoniam ex eisdem rationibus, illa præsertim intestabilitatis, eam ipso jure invalidam, justa causa, & juramento non obstantibus, concors Juristarum schola credit; Eadem idcirco cadit irrationabilitas, & ineptia ex eisdem loco citato factis ponderationibus, ea quoque addita, quod ipsamet schola admittit hujusmodi donationem piæ causæ favore sustineri; Ergo ex actu jurato, vel ex justo, sinceroque motivo sustineri quoque debet ex dilemmate, quod; Aut defectus est naturæ & illum piæ causæ favor non supplet, cum ea tantum, quæ juris positivi sunt, suppleat; Aut est juris humani, & quemadmodum iste privilegiatus favor illius tollit obstaculum, ita magis tollere debet jurisjurandi vinculum, ac religio; Solumque adeo imprudens, ac effrænata prodigalitas, infirmi, & imperfecti judicii, vel seductionis, ac fraudis præbere videtur argumentum, quod ita contra piam causam quoque urget, præsertim ubi de primo imperfectionis judicii defectu agatur, quoniam in altero præsumptæ fraudis, vel machinationis piæ causæ qualitas, privilegium quidem non inducit, sed aliquam negationem illius malæ præsumptionis, quæ in privato cadit; Ideoque inutiles, ac ineptos continent labores illæ subtilitates, quæ pro hujusmodi specie donationis salvanda, cum verborum formalitate, & criticatione habentur, ut loquens universaliter de bonis, jura & actiones non comprehendat, vel quod si non exprimantur, futura illa non complectatur, sed ad præsentia restrictionem pati debeat, atque ita in dubio interpretari, sive quod aliqua ususfructus, vel alicujus modicæ quotæ, aut quantitatis reservatio illam salvet, ut ita intestabilitatis cesset obstaculum, vel inconveniens, cum similibus superstitionibus, ac frigiditatibus a verborum formalitate, eorumque grammaticali significatione potius quam a rei veritate, & substantia desumi solitis, cum non modica irrationabilitate, vel asperitate, quoniam ratio, vel motivum potius principaliter inspici, ac attendi debet. *a*

a *De hac specie donationis agitur disc. 33. de Don. & conferunt quæ habentur d. disc. 141. & in annot. de Fideic.*

Q 5

OBSERVATIO CLXXXVIII.

De caducatione donationis, ob donatarii prædeceffum donatore vivente.

CUm parentes, aliique majores, vel benevoli, liberis, ac aliis, donationes, pro frequentiori ufu caufativas ea quadam, fi non præcifa, faltim morali neceffitate facere foleant, præfertim contemplatione matrimonii, vel ad effectum, ut ad facros ordines ad titulum patrimonii promoveantur, five ut prælaturam in Romana Curia fufcipere, aut quod in bello, vel in aula Principis affiftere valeant, cum fimilibus caufis, & quandoque fine caufa ex mera benevolentia; Hinc præbente cafu præmorientiæ donatarii fuperftite donatore, cadere folet quæftio caducationis, vel refpective ceffationis, tanquam ex ceffante caufa, quoties pactum refolutivum expreffe adjectum non fit, in cujus cafu, tanquam in claris omnes ceffant quæftiones, & argumenta cadentia in ambiguo.

In hoc autem Juriftarum fchola diftinguere folet, an inter vivos, vel caufa mortis donatio cenfenda fit, ut priori cafu non caducetur, fed ad hæredes donatarii tanquam res proprii patrimonii jam effecta tranfmittatur, fecus autem in altero; Atque ad id dignofcendum, ubi aliqua mentio mortis habeatur, adhiberi folet diftinctio, an in illam fubftantia, vel refpective exequutio collata fit; *a* Ubi vero fit inter patrem, & filium tunc diftingui folet, an fit fimplex affignatio, quæ peculio profectitio referatur, vel potius vera, & perfecta fit donatio, quam vel caufa, vel frequentius juramentum hodie validam, ac firmam reddit, adeout quodammodo illa videatur prohibitio, quæ in jure civili defuper habetur, atque cum hac generalitate procedi videatur. *b*

Verum, & in his irrationabilitas, & æquivocum dignofci videntur, quoniam ad donandi caufam principaliter eft reflectendum; Ubi etenim mere voluntaria, & fine caufa fit, tunc tolerabilis eft legalis rigor, qui tamen non modicam afperitatem quandoque etiam continet, ut præter, vel contra donatoris voluntatem, quæ revera fit providendi perfonam donec ipfe donator ita vivat, eoque præmoriente deftinatam fucceffionem, cum hoc titulo præveniat cum certo præfuppofito ejus præmorientiæ, nullatenus cogitando ut turbato naturæ ordine fequuturus fit donatarii prædeceffus, in cujus cafu utique donandi animus abfuit, fed ex claufulis per Notarios ex formulario, atque inadvertentia frequentius, quandoque tamen ex donatariorum calliditate ftudiofe adjici folitis, donatori ignotis, atque ab eo non cogitatis, datur abfurdum, ut donator, & præfertim pater adhuc vivens, aliofque habens liberos, fe ipfum, & iftos depauperatos, extraneum autem abhorritum, in quem præmoriens filius donatarius difpofuerit, ditatum videat, quo nil abfurdius, nil ve irrationabilius; Adhuc tamen ubi de mere voluntario actu fine caufa agitur, fibi imputandum eft, cur nulla præcifa, vel morali urgente neceffitate hunc actum fecerit, vel quod faciens non præcaverit.

Sed ubi actus certam habet caufam quæ pro moribus regionis, vel pro qualitate perfonarum, aut pro honefto, eidemque donatario proficuo fine præcife, vel moraliter neceffaria fit, faltim ex neceffitate honeftatis, & congruentiæ; Tunc ob eafdem formalitates verborum, & claufularum, quæ ex Notariorum imperitia, vel malitia, ut fupra adjici folent, ipfis donatoribus legales fubtilitates, & rigores non callentibus hanc refolutionem, vel ceffationem negari tanquam ex ceffante caufa, manifeftam redolere videtur irrationabilitatem, quafi quod in facultate repofitum fit Notarii, cum hujufmodi verbis, & claufulis, quæ frequentius ex imperitia, & inadvertentia pro formolario, quandoque vero ex malitia adjiciuntur, ita inducere involuntariam, ac omnino inverifimilem non refolubilem donationem; Unde propterea præfatum detur abfurdum, ut donator adhuc vivens, fe ipfum, ejufque liberos, vel dilectos attinentes depauperatos videt, ut extranei abhorriti ditentur. *c*

Ut præfertim fum expertus in magno Jurifconfulto meo præceptore in ftylo fcribendi, quod facta donatione contemplatione matrimonii cuidam conjuncto cum perpetuo fideicommiffo ad favorem donatarii pofteritatis, ifto prædefuncto magno ære alieno preffo ob vitiofas diffipationes, juxta frequens, beneque connaturale literatorum fatum, habendi indignos fucceffores) ob quamdam chimericam, idealemque baroniam, intrante forfan Bulla Baronum deftruente fideicommiffa, aliaque vincula, ita fe ipfum, ac filios ex donatario fuperftites denudatos videre timuerit, ob donationis denegatam refolutionem ratione hujufmodi formalitatum, non reflectendo ad veritatis fubftantiam, & ad caufam, qua ceffante, juftum, ac rationabiliter videtur, ut effectus ceffare debeat, cum alias actus verifimiliter geftus non effet, *d* ideoque inter irrationabilitates, & afperitates ifta collocari meretur.

a *difc. 37. & feqq. de Donat.* b *difc. 40. & 41. de Donat.*
c *difc. 8. & feqq. difc. 17. de Donat.*
d *In cafu, de quo difc. 9. de Donat. & difc. 85. de Feud. & difc. 139. de Fideicommiffis.*

OBSERVATIO CLXXXIX.

Retrodonatio, quam donataria Mater filio donatori faciat an folemnitatibus egeat.

AD bellum iturus notabilis, ac dives juvenis, bonorum fuorum donationem inter vivos donat matri, quæ eidem filio regredienti, atque uxorem deducere deliberanti, eadem bona retrodonat, feu retrocedit, non bene, ac exacta fervatis illis folemnitatibus, quæ in donationibus per mulieres præfertim faciendis per leges locales magis quam per communes defiderantur, ideoque dubitatione defuper orta, inconftans, vel varium profertur judicium, quandoque nempe pro validitate, & quandoque pro invaliditate refpondendo. *a*

Inconftantiæ itaque, ac etiam irrationabilitatis in hoc dignofcitur vitium, ab eodem originatum confueto fonte procedendi cum litera, vel generalitate legis, non autem cum ratione, quæ bene applicare docet. Vera namque conclufio eft, ut illæ folemnitates, quæ in donatione requiruntur, in retrodonatione quoque exigantur, ubi prior donatio valida, perfectaque fit, cum in effectu novam importet donationem, quodque fanguinis conjunctio ab hujufmodi folemnitatum obfervantia non eximit; Verum ad rationis limites, cui conclufio innixa eft, intelligenda venit, ubi nempe illa fubeffe valeat fraudis, ac feductionis præfumptio, vel fufpicio, ob quam ita legiflatores occurrere curarunt, non autem ubi veritatis, ac bonæ fidei potius recognitio fit, quod nempe per illum, qui ad bellum iturus eft, qui naturali infpecta veritate, caufa mortis donationem potius facere, ac refpective recipere in animo fuerit, quamvis Notarius diverfimode illam pro formulario conceperit, ipfis partibus ad has non reflectentibus distinctiones, ac Juris fubtilitates eis ignotas, quodque ita tanquam ceffante caufa declaretur id quod agere voluerint, ideoque ratio, non autem litera legis iftius difpofitionem ac praxim regulare debet. *b*

a *difc. 68. de Donat.* b *ibidem.*

OBSERVATIO CXC.

De folemnitatibus, quæ in donationibus defiderantur, & quando illarum defectus attendi non debeat.

RAtionabiliter, quidem communibus, aut localibus legibus infinuationem, aliafque folemnitates defiderantibus, ut ita de libera firma, & determinata conftet donandi voluntate, quæ non de facili præfumenda eft, utpote imprudentiæ potius, ac vitii, quam virtutis actus, quoties virtutis meritum ad commutativæ, vel refpective diftributivæ juftitiæ limites, ac proportionem non fequatur, ut propterea in remuneratoria donatione non defiderentur, minufque in illa, quæ ad vitam reftricta, incertum habeat emolumentum. Hinc illi, qui pro frequentiori ufu, literæ, vel generalitatibus obfequi, atque exacte formulari profitentur, indefinite regulam in quocunque perfonarum genere cum uniformi ftylo tenent, ac practicant; In limitationibus autem nimium fe involvunt, cum confueta factionaria fciffura, plures retexendo quæftiones, fuper meritorum nempe veritate, & an ex fola donatoris affertione juftificentur, necne, eorumque qualitate, an fcilicet ex lege juftitiæ, & civilis obligationis, vel potius ex lege congruentiæ, & honeftatis, & ex obligatione antidotali illud exigant præmium, ac etiam fuper vitalitio jure plures adhibendo diftinctiones. *a*

Frequenter autem iftæ generalitates, quæ a fola litera, non autem a ratione legis regulentur, ineptias, ac irrationabilitates producunt, quoniam naturali rationi, ac prudenti, beneque regulato repugnat difcurfui, ut ita regulanda veniat ea donatio, quæ per privatæ fortunæ, ac imbecillis intellectus perfonam cum ejus depauperatione, vel confiderabili incommodo fiat abfque probabili honefto motivo, & illam quæ per Principem, vel Magnatem, qui extra propriam ditionem

nem jure privari reputandus veniat, fiat ea honesto, & congruo, ac etiam solito motivo familiares, vel benevolos remunerandi, & an meritorum assertio donatoris, ac donatarii qualitate attenta, sit incongrua, ac inverisimilis ex Notarii stylo, vel affectata cautela proveniat, vel potius utraque attenta qualitate, verisimilis censenda sit, & an eadem respective qualitati merita ad speciem deduci, atque aliunde justificari congruat, vel regionis mores permittant, necne; Ideoque error censendus est, cum legum littera, vel cum propositionum generalitate procedere, cum facti potius, quam juris dicenda veniat quæstio, pro facti qualitate, & circumstantiis regulanda, & decidenda, principaliter in omni casu ad rationem reflectendo, cui lex innixa est, sive ad finem, vel effectum, ob quem illæ præscriptæ sint solemnitates, isteque dicitur judicandi, & consulendi modus rationalium more, alter vero more irrationalium. *b*

a *disc. 94. de feud. disc. 1. 6. & 60. de donation. & disc. 70. eod. tit.* b *Ibidem.*

OBSERVATIO CXCI.

An donatarius universalis, hæredis ad instar, ad inventarii confectionem teneatur, aut alias ultra vires ejus intret obligatio.

MAgis communis, magisque receptus Juristarum sensus negat, legalium regularum, vel axiomatum rigorosa formalitate attenta, ut lex quæ de hærede loquitur, donatario non adaptetur quamvis universali, eo quia licet ad quosdam effectus loco hæredis habeatur, attamen ficte, ac improprie talia dicatur unde propterea anomali vocabulum, seu terminus ei tribuitur, cum altera quoque procedendo generalitate, ut donatarius, aut legatarius qui pari passu judicari solet, ultra emolumentum, seu commodum non gravetur. Inter irrationabilitates autem probabilius id recenseri meretur, cum in omnibus ad amussim eadem legalis, ac naturalis ratio quæ hæredi congruit, universali donatario quoque congruere videatur, possibilis nempe occultationis pecuniarum, & mobilium, & nominum debitorum, aliarumque hujusmodi rerum, quæ occultationi ac dissipationi subjaceant, ideoque latus ita fraudibus aperiri potest aditus perditis debitoribus, qui pro eorum naturali propensione, & stylo creditores supplantare satagunt, ut loco instituendi hæredem illum, in quem fraudando creditores, bona obvenire cupiat, donationem illi faciat universalem, ideoque manifesta dignosci videtur naturalis rationis, ac æquitatis repugnantia. Neque assignata ratio congruit ut oneta in donatione commodum non excedant, quoniam in donatione universali complectente nedum bona, sed jura tam præsentia quam futura, commodi certitudo non est verificabilis, ob enunciatam possibilem occultationem, ideoque merito inepta, & irrationabilis hæc sententia reputanda videtur. *a*

a *Disc. 44. & 45. de donat.*

OBSERVATIO CXCII.

Donationes quæ ultra alimentorum metam illegitimis factæ sint quamvis juramento vallatæ invalidæ a plerisque creduntur.

NOn modicam irrationabilitatem, ac leguleicam ineptiam, istud quamplurium Juristarum assumptum redolet, ut iis quos leges civiles Romanorum spurios appellant, ab illis diversos, quos naturales tantum nuncupantur, eædem leges in successione, & capacitate aliisque effectibus majori prosequuntur favore, pater donare, aut alias vivens, vel moriens elargiri prohibeatur, quodque alias donatio, vel dispositio invalida sit, quamvis jurisjurandi religione, vel alio justo ac rationabili motivo sit munita, in eamdem civilium legum literam se fundantes. Atque respectu juramenti illam assignantes rationem, ob quam consuetam ei denegant operationem, ut contra bonos mores naturales esse dicatur, dum ita crimen confovetur, atque delinquendi occasio, vel incentivum præbetur.

Irrationabilitatem autem, ac ineptiam non modicam, ut præmissum est, id redolet, cum omnia quæ ex humano, vel positivo sæculari jure prohibita sunt, ubi publici favoris, qui principaliter urgeat, ratio non obstet, vel bonorum morum naturalium repugnantia, ex qua peccatum resultet, non adsit, juramento accedente licita, & obligatoria sint. *b*

Ita quoque ipsa lege canonica in hac filiorum specie comprobante, quod eis quantumvis ex damnato, & punibili coitu susceptis, alimenta, vel eorum loco dotem pro sexus qualitate patrem, aliosque ascendentes obligat legum Civilium dispositione neglecta. *c* Igitur ineptum, ac fabulosum est, ubi juramentum accedit, cum sæcularium civilium legum litera procedere.

Peccandi vero occasio, vel peccati, ac delicti fomentum, tunc pro juramenti observatione considerari meretur, quando elargitio ex libidinis, vel alterius vitii motivo fiat, ut in futurum peccandi occasionem tribuat, vel continuationem peccati nutriat, prout in ea verificatur donatione, quæ concubinæ in eo statu continuanti fiat, secus autem si talis esse desierit, atque ad melioris frugis finem ea fiat, cum adhuc valida sit. *d* Multo itaque magis, ubi de filiis agitur, qui licet ex peccato suscepti, nullum tamen ipsi peccatum, vel culpam contraxerunt, neque parentum iniquitatem ferre debent.

Tunc autem juramento via tollitur, quando prohibitio non in odium fiat elargientis, vel ejus cui fiat elargitio, sed principaliter in gratiam tertii, cui fraus fiat, ut exempli gratia in ea verificatur prohibitione, quæ binubo parenti in gratiam primi matrimonii liberorum fiat, ne elargitionem immoderatam erga secundam faciat conjugem, ideoque tunc ad rem istam, adaptari prohibitionem dicendum est, quando eadem pro largitionis immoderatione ratio congruat.

Ea quoque consideratione hanc superficialium ineptiam ac irrationabilitatem convincente, quod adhuc prædictam attendunt, atque colunt differentiam inter naturales tantum, & spurios, illos primi generis favorabiliores reputando, quoniam hodie, ex canonum, & Concilii Tridentini dispositione concubinarum damnante, naturalium tantum, in quibus juris civilis requisita verificantur, deterior esse debet conditio, cum ex prohibito, magisque damnato coitu suscepti potius reputandi sint, neque antiqua concubinarum retentio in figura matrimonii apud Catholicos hodie permittenda, & præsupponenda est, illaque favoribus prosequenda.

b *Disc. 62. de donat. ubi concordantes.* c *Dicto disc. 62. de donation. & disc. 142. & 145. de dote.*
d *Disc. 42. de donation.*

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE

OBSERVATIO CXCIII.

An dominus non refuso pretio, vendicet res proprias a quocunque emptore, & possessore.

COncedente lege facultatem domino ejus rem vendicandi a quocunque possessore nullo refuso pretio, quod iste pro ea solverit, non curato an versatus esset in bona fide, quæ a punitione excusat, non autem, petendi pretii refectionem tribuit. *a* Hinc illi qui literæ legum superstitiose obsequuntur, atque vilissime serviunt, indefinite id attendunt, & practicant, ad aliud non reflectendo. *b* Irrationabilitatem, autem ac respective asperitatem id redolet, cum verius, non in litera, sed in spiritu, ac ratione legis pro communi usu procedendum sit, distinguendo an ab eo qui jure belli occupaverit bona fide possessor cum isto pretio quæsierit, vel in publico assecurato portu, aut emporio res empta sit, sive ut bona fide egerit, ut negotium utile pro rei domino gereret, vel e converso an in mala fide sit versatus, vel quod fides publica ipsum juste excuset, non autem affectate. *c* Vel quod privilegium publici commercii libertatis rationem annexum alias disponat, cum similibus circumstantiis, quibus eadem congruat ratio, vel e converso, ut in mala fide sit versatus, vel quod fide publica ipsum juste excuset, non autem affectate, *d* Ideoque idem frequens dignoscitur error irrationabilitatum productivus in litera, vel cum generalibus propositionibus procedendi.

a *L. in Civilem.* b *disc. 58. de feud. & disc. 192. de regal. & disc. 7. de usur.* c *Locis citat. ac etiam disc. 6. de Usur.*
d *locis citat. ac etiam disc. 6. de usur.*

OBSERVATIO CXCIV.

Venditori quandoque solvendum est rei venditæ pretium, quamvis ipsam rem non tradat, sed penes eum illa remaneat.

ASperum, ac exorbitans, & irrationabile judicare solent superficiales literæ legum professores, illam praxim non infrequentet contingibilem, ut aliquarum rerum, vel mercium emptor pretium solvere cogatur, quamvis ipsam rem, utpote statuto tempore non receptam, amplius non habeat, eaque penes venditorem remaneat, quasi quod naturali æquitati, ac scriptæ legis expressæ dispositioni repugnet, ut emptor re careat, & pretio, venditor autem utrunque obtineat,

tineat, unde propterea hujusmodi conventiones ab eis pœnales reputantur, quasi quod id sequatur in pœnam non servandi conventionem super relevatione, seu receptione statuto tempore, ex indeque inferunt ad regulam in foro receptam, & merito, quod pœnas conventionales canonica equitas, ultra id quod interest, exigi prohibet.

Id autem redolet ineptiam, & æquivocum, quoniam, non pena, sed interesse partis hunc producit effectum, quando de iis agitur mercibus, vel rebus, quae penes venditorem remanere, nil refert, ob illarum copiam, qua scateat, ideoque pretium in statuta temporanea venditione, ac receptione potius, quam in ipsarum rerum intrinseco, ac naturali valore consistit, legis autem dispositio, ac naturalis equitas in iis procedit rebus, quæ ubi penes venditorem remaneant, duplicatum rei, & pretii producant prohibitum emolumentum.

OBSERVATIO CXCV.

An ea læsio ultra dimidium, quæ in privata conventionali emptione, & venditione requiritur, in judiciali quoque ad hastam publicam requiratur.

PErmittit lex contrahentibus, ut cessante dolo expresso, vel præsumpto liceat se circumvenire, infra dimidium justi pretii; Unde propterea considerabilis non sit, neque enormis dici valeat, ad contractus rescissionem apta illa læsio, quæ dimidium non excedat, idque in conventionali emptione, & venditione, seu datione in solutum, aut permutatione, aliove simili contractu extra controversiam procedit, quando localis lex aliter non statuat, quia minorem exigat læsionem, ut in Urbe contingit, quod ex ejus statuto sufficit excessus tertiæ partis. *a*

Quæstio vero cadit, ubi non de conventionali, ac privata, sed de judiciali, ac publica emptione, & venditione, agitur, quæ cum judicis decreto, & auctoritate ad publicam fiat hastam, unde propterea subhastatio dicitur, an eodem jure censenda sit, vel potius minore contentetur læsione in sexta, Fisci, vel Reipublicæ ad instar, ut rescindenda veniat; Atque in hoc solita factionaria dignoscitur Juristarum divisio; Aliquibus volentibus, ut sola sexta sufficiens esse debeat; Aliis vero, ut nulla inter istam speciem, & alteram conventionalem constituta differentia, eadem quæ in ista, in illa quoque desideretur, inter se divisis etiam aliquibus magnis Tribunalibus, ut in aliquibus una, & in aliis sit recepta opinio. *b*

Ultra istarum opinionum legalibus propositionibus, ac fundamentis munita sit, non quæritur, ut in omnibus aliis sequimr observationibus, utpote extra institutum, quod non de legali, sed de illa naturali, quæ sit hutusuo discursui magis adaptata, est quærere, ista vero attenta naturali ratione, improbabilis, ac inepta censenda est prior opinio, quæ istas exequat species, probabilior vero altera, quæ distinguit, ut in judiciali minor læsio sufficiat, Fisci, & Reipublicæ, vel Minorum ad instar; Ubi enim de privata voluntaria, seu conventionali distractione agitur, tunc ille qui se circumveniri patitur, & quem liberam suorum bonorum administrationem habere supponitur, potest volens illam rem, vel ejus partem donare, seu pretii partem remittere, ideoque id egisse censetur, vel dici potest, quod sibi imputet cur non bene, ac diligenter ejus rem non administraverit; In altera vero judiciali, cum judex id agat tanquam administrator a lege debitori & bonis datus, istam non habeat donandi, vel remittendi facultatem, neque se tanquam imprudentem, ac socordem gerere potest, cum boni, prudentisque viri partes gerat; Hine manat ut illamet ratio, quæ in Fisci, & in Republica, ac in Minoribus, qui sub aliena vivunt administratione, cadit, in hac venditionis specie intret, ita naturali ratione, humanoque discursu ad sensum probantibus; Potissime vero quia lex in ista specie provisionem dedit, quam in altera omisit, quia neope, ubi pro isto pretio emptor, seu licitator non inveniatur, creditor ad cujus instantiam venditio fit, eam pro justo pretio pro frequentiori stylo, sexta dempta, bonorum habere potest adjudicationem; *c* Ideoque irrationabilis altera sententia censenda est.

a *de his disc.* 117. *&* 118. *de Regal. & in annot. & disc.* 43. *de locat.* b *disc.* 24. *de empt. & vend. &* 25. *&* 28. c *disc.* 40. *de judic. et disc.* 54. *de empt. et vendit.*

DE ALIENATIONIBUS, ET CONTRACTIBUS PROHIBIT.

OBSERVATIO CXCVI.

De contractibus gestis per prodigum, antequam per Judicem competentem sibi interdicatur administratio, & an hæc interdictio attendenda sit, si Judicem incompetentem esse, vel non bene judicialem ordinem servasse, ex intervallo detegatur.

COntractus illos, qui per eum fiant, cui ratione prodigalitatis per judicem competentem interdicta sit bonorum suorum administratio, irritos esse magis communiter apud Pragmaticos receptum est, qui post hujusmodi interdictionem sequantur, non autem antea; Quinimo & illos, qui postea initi sint, ubi a minus competenti Judice, vel a competenti, non tamen bene judicii ordine servato, illam factam esse detegatur. *a* Irrationabilitatem autem, ac ineptiam evidentem id redolet, quando non de vere onerosis, & correspectivis contractibus agatur, qui prudenti conveniant patrifamilias, sed de lucrativis ipsam prodigalitatis, & imprudentiæ causam habentibus, sive illa explicita sit, sive tacita, & ab aliqua onerosa causa velata, quæ tamen aliam veritatis non habeat justificationem, nisi illam, quæ a facientis resultat confessione, merito in prohibitis, vel suspectis non attendenda, ubi veritatis efficacia non accedant argumenta, vel adminicula; *b* Cum enim de judicii naturali imperfectione agatur, hinc a judicis auctoritate, vel facto illa imprimi non dicitur, sed jam impressa ex naturæ vitio per ipsum Judicem declaratur; Unde propterea, justa declarationis naturam, nihil nunc de novo fieri dicitur, sed quod jam factum sit aperitur, juxta naturale practicum exemplum a legibus præberi solitum, *c* in excutiente grana a spicis, ut tunc grana creari, vel efformari non dicatur, sed per multum antecedens tempus per naturam jam creata, & efformata aperiri, levando solum velum, quod ob humani oculi imbecillitatem impediebat, ne jam extantia viderentur. Non potest namque judex de justitia aliquem declarare prodigum, eique cum gravi injuria suorum bonorum, interdicere administrationem, nisi prodigalitatis actus præcedant; Igitur fabulosum, atque prorsus irrationabile est sustinere lucrativos prodigalitatis actus, ex eo quod interdictio administrationis adhuc sequuta non esset, cum id illos tantum sustinere debeat actus, qui vere onerosi, & correspectivi sint, ratione libertatis commercii, ac bonæ fidei contrahentium cum eo.

Idemque ubi per minus competentem judicem, sive per competentem minus valide gestum sit, quoties subsequens eventus ejusdem inhabilitationis naturalem comprobat veritatem, adeout infectio a sola juris subtilitate pendeat, non autem a deficiente præexistentia veritatis naturalis, quam etiam actus qui ita nulliter gesti sint, comprobant. *d*

Eademque in hac specie dignoscitur irrationabilitas, & ineptia, quæ insinuatur, eorum, qui legis, vel judicis sæcularis declarationem afficere non debere putant Clericos, aliosque ab illa potestate exemptos, minusque actus juratos ex eodem defectu potestatis; quoniam illa exerceri non dicatur cum iis exemptis, ad quorum favorem actus a prodigo initi sint, sed cum proprio subdito, illius statum declarando, ut hac declaratione facta, ubi naturaliter eam minus veram esse detegatur, tunc intret defectus juris naturalis, quod omnes absque personarum distinctione pariformiter afficit, eodem modo, quo in declaratione stultitiæ, vel amentiæ sequitur, cum similibus, quibus eadem ratio congruat; Unde liquet quam detestabile, ac ineptum vitium sit procedere cum litera, non autem cum ratione.

a *disc.* 36. *de alien. & contract. prohibit.* b *disc.* 159. *de dote, & disc.* 23. *de judic.* c *l. adeo septima §. cum enim, ff. de aquir. rer. dom.* d *Eod. disc.* 36.

OBSERVATIO CXCVII.

De obligationibus, aliisque contractibus filiorum familias.

PRohibente SenatusConsulto Macedoniano rigorose in filiosfamilias mutui contractum; Cum ista prohibitio ex Canonici juris præscripto cesset, quando actus jurisjurandi religione sit munitus, atque, damnatione quidem digous, inoleverit stylus, pene in omni obligatione, vel contractu, tanquam formularii clausulam, juramentum adjiciendi, unde propterea hæc legis provisio inutilis, pe-

neque

neque idealis remaneret; Hinc in plerisque locis, per municipales, vel particulares leges, huic malo occurrere curatum est, nedum in contractu mutui, sed in omnibus aliis, qui per filiosfamilias, extra causam patris, vel sine ejus consensu fiant, prohibitionem adjiciendo, atque ita eam concipiendo, ut vel explicita directa ratione Apostolicæ auctoritatis, vel etiam implicita indirecta ratione præsumptionis doli, ac metus, & fraudis, sequatur juramenti enervatio.

In istarum vero legum particularium intelligentia, & praxi, ex eodem vitio formulandi literæ, sive formalitatibus, ineptiæ, ac irrationabilitates dignoscuntur, dum in ea nostri Juristæ nimium involutam, ac altam efformant quæstionem, tanta dote vere indignam, in terminis quoque juris communis peractam, super donatione causa mortis cum patris consensu, an scilicet iste pro forma, & solemnitate, ad personam integrandam requisitus esset, vel potius pro ejusdem patris interesse, ut verius, ac rationabilius est. Unde propterea in prioris sententiæ sequacibus, ut pro forma, & pro solemnitate ad personam integrandam desideretur, ineptiæ, ac irrationabilitates, non modica irrisione dignæ habentur, super consequentiis, exinde deductis, ut pro forma præcisa in ipso actu intervenire debeat, adeout nec præcedere, neque subsequi valeat. Magis vero, ut neque ad ipsiusmet patris favorem, & commodum adjici valeat, ex generali propositione in suis casibus vera, inepte autem ad rem applicata, ut prohibitum sit sibi ipsi authorari. Verius namque est, quod ita lex paternæ consulere voluit indemnitati, ne ipso inscio, filius sub ejus cura, & educatione viventibus, pro adolescentiæ, vel juventutis erroribus, ære premantur alieno, atque in necessitate constituantur insidiandi parentum vitæ, ideoque pro solo interesse consensum desiderari suadet ratio, quæ magis attendenda est. a

Altera quoque forte major verificari solita ineptia, & irrationabilitas, ut in quocunque filiosfamilias generaliter, ac indefinite id attendatur, ad præfatam non reflectendo rationem, ob quam lex prodiit, occurrendi scilicet, ut illi, qui in paterna domo, ac mensa sub patris potestate, & cura de omnibus provisi sunt, adeout aliam non habeant æs alienum contrahendi, vel alienationes faciendi occasionem, nisi pro vitiosis dissipationibus, quæ parentibus occultæ sint, id non agant, ideoque male, ac inepte eædem leges, ut quandoque praxis docuit, illis filiisfamilias adaptantur, qui licet de stricta juris censura, ob cessantem explicitam, vel implicitam emancipationem, ad alios effectus tales dici merentur, attamen uxorati cum propria familia, more patrumfamilias, & quandoque more nobilium, ac magnatum primæ classis, a patre seorsum vivunt, atque figuram faciunt, unde propterea earundem legum ratio nullatenus eis congruit; Et consequenter inter ineptias, ac irrationabilitates ex literæ famulam orientes, id recensendum est, cum attenta ratione pro facti qualitate, & circumstantiis potius hujusmodi legum observantia regulanda sit. a

a *disc. 33. de dote*. b *disc. 146. de Credito*.

OBSERVATIO CXCVIII.

Alienationem, vel obligationem bonorum, ad quorum titulum, quis ad sacros Ordines est promotus invalidam simpliciter plerique opinantur.

INhibente Concilio Tridentino Episcopis, ne ad sacros Ordines promoveant nisi illos, qui provisi fuerint de ecclesiastico beneficio ad congruam substentationem sufficienti, quod nisi habeatur aliunde commode vivere, resignari prohibetur sub decreto annullativo, vel saltim ad titulum sufficientis patrimonii, quod ubi pariter congrua non superveniat provisio, nullatenus alienari posse absque Episcopi licentia disponitur, a Hinc superficiales, qui in sola litera, non autem in ratione ambulare profitentur, duo firmant in hac secunda specie tituli patrimonii, Primo nempe, ut dictæ alienationis prohibitio indefinite omnem speciem, etiam obligationis percutiat in omnibus illis bonis, quæ ad hunc titulum assignata sint; Et secundo, alias facta alienatio, vel obligatio ipso jure omnino irrita sit ad omnes effectus; Istam omnimodam nullitatem deducentes, vel per assimilationem ex iis, quæ in beneficio statuta, & recepta sunt, vel ex operatione, ac significatione illius dictionis *nullatenus*, quæ præcisam prohibitionem denotat. b

Verum, & in hoc irrationabilitas conjuncta cum ineptia dignosci videtur, ex eodem vitio immorandi in litera, sive in verborum formalitate, non autem in ratione, quæ principaliter attendi debet, ut scilicet clericus congruam donec vivit provisionem habeat, ne cum ordinis, vel status clericalis dedecore mendicare cogatur, ut comprobat ejusdem conciliaris decreti contextus, dum in utraque tituli specie prohibitionem non simpliciter adjicit, sed donec alia habeatur provisio; Ac etiam comprobatur ex eo, quod receptum est, Regulares ad eosdem ordines promovendi, quoties jam solemnem emiserint professionem, sine beneficio, & sine patrimonio promoveantur ad titulum paupertatis, & Religionis, eo quia per ipsam Religionem jam de necessariis, ad victum & vestitum sunt jam provisi, quatenus illa sit capax in communi, & quatenus non, quia mendicitatem per vetitatem profiteatur, quia tunc mendicare, juxta Religionis statutum non incongruit, neque dedecus parit. c Igitur lex ad limites intelligenda est rationis, qua attenta irrationabilitas, vel ineptia convincitur primi assumpti, ut prohibitio generaliter, ac indefinite omnia illa percutiat bona, quæ ultra generalem taxam pro stylo, seu lege diœcesana in omnibus promovendis congrua reputatur, cum quandoque vel ad luxum, & pompam sæcularem, vel frequentius ad publica onera fraudanda hujusmodi excessivæ assignationes fieri soleant, ideoque intelligendum venit ad limites illius congruæ necessitatis, per quam dicto inconvenienti præjudiciali ordini in universum occurratur, non autem in excessivo. d

Idemque in altero assumpto super generica, & indefinita annullatione actus, perinde ac si gestus non esset; Idenim nullum rationis fundamentum habere videtur; Tum ob discretivam in eodem decreto contentam, quod ubi scilicet Concilio visum est decretum annullativum adjicere, id egit, ergo ubi non repetiit, signum est quod noluit; Tum etiam ob duplicem differentiæ rationem, quæ in beneficiis urget, quia nempe resignatio non a solo facto, & voluntate possessoris pendet, sed principaliter ab illa superioris, ad quam illam admittere pertinet; Ideoque receptum est, ut in resignatione istius qualitatis expressa, & individua fieri debeat mentio sub eadem nullitate, ac etiam quia beneficium ad vitam tantum competit, ac pro substentatione, absque alio proprietatis dominio ad hæredes transmissibili; In bonis autem prophanis indifferentibus, ubi pariter ad vitam tantum non competant, sed pleno jure obtineantur, habetur proprietas transmissibilis ad hæredes, ideoque nulla assistit legalis, vel humana ratio, quinimo expresse resistit, ut illa omnimoda nullitas initer, quæ inficiat actum etiam post cessatum indigentiæ tempus per Clerici mortem, vel per aliam provisionem de sufficienti beneficio, aut quod alias idem obtineatur finis, solumque dicenda venit nullitas causativa, vel secundum quid, ut scilicet alienationis, vel respective obligationis suspendatur effectus, ne fructus bonorum, donec ordinati necessitas durat, tangi valeant, sed ei reservari debeant, eodem modo quo generaliter, antequam ista conciliaris lex emanaret, in aliis Clericorum bonis canones ex eadem ratione provident. Ideoque in his manifesta dignosci videtur irrationabilitas, ac ineptia illorum, qui neglecta ratione, in solo rigore, vel formalitate verborum immorantur; Esset enim alias dare in eodem promoto, vel ejus hærede locupletationem de aliena sine causa, imo ex proprio delicto, & culpa, quo nil absurdius, nilve irrationabilius. e

a *Sess. 21. de reform. c. 2. disc. 14. in annot. ad idem Concil.* b *disc. 38. de alien. & contr. prohib.* c *disc. 41. n. 23. de Regul.* d *dict. disc. 38. de alien.* e *Eod. disc. 38. de alien.*

OBSERVATIO CXCIX.

De claudicatione contractus initi inter Ecclesiam, & privatum.

ECclesia faciente in privatum suorum bonorum alienationem, vel alium contractum præjudicialem, ac prohibitum, adeout alienatio, vel alter contractus ipso jure irritus declaretur, atque pro infecto habeatur, justum quidem ac rationabile id censendum est, quoniam infanti, vel pupillo assimilatur, ut sub aliena necessaria administratione vivat, hinc a lege ita ejus indemnitati adversus malam administrationem occurri merito debuit. Istud vero assumptum, asperitatem, ac irrationabilitatem sapere videtur, quod per Interpretes firmatum est, ut claudicationem, ac inæqualitatem hujusmodi actus Ecclesiæ favore debeat, quia nempe in Ecclesiæ facultate repositum sit illum impugnare, vel denegare observantiam, alteri vero contrahenti

non

non liceat, sed invitus ad observantiam cogatur; a Cum enim inter contrahentes æqualitatem servari debere, naturalis æquitas, & justitia suadeant, ipsa vero Ecclesia, æquitatis, & justitiæ matrem, & peculiarem cultricem se profiteatur; Hinc ista inæqualitas, vel claudicatio, rationis habere videtur resistentiam. Quamvis enim con[illegible] valeat ratio pœnæ, vel altera præsumpti doli in eo, qui negl[illegible]. Canonum forma contrahit cum Ecclesiæ Prælato, vel rectore, aut alio administratore, quem recte scit, vel scire debet proprium non peragere negotium; Attamen simplex juris præsumptio hæc est, generaliter in omni casu ad literam non intelligenda, vel practicanda, sed ubi facti circumstantiæ illam comprobent, & coadjuvent, secus autem ubi excludant, quia cum simplicitate, bonaque fide processum sit per eos, qui hujusmodi non calleant juridicas subtilitates, magis vero ubi captio, malaque fides potius in Prælato, vel altero Ecclesiæ nomine contrahente dignoscatur.

a *disc. de alienat. & contractib. prohibitis, num....*

OBSERVATIO CC.

De restitutione fructuum bonorum Ecclesiæ, vel aliorum male abstractorum, non autem de restitutione censuum exactorum.

BOnorum Ecclesiæ, vel alias alienare prohibitæ personæ, sine certa solemnitate, & causa, his non bene servatis, distractorum, emptorem non facere suos, atque ad eorum restitutionem teneri, firmat magis communis, magisque receptus Juristarum, & Moralium sensus, ab aliquibus etiam magnis Tribunalibus canonizatus; a Id autem negat in fructibus censuum per Ecclesiam, vel alium alienare prohibitum impositorum, qui jam exacti sint, illa assignata ratione impliciti status validitatis, in quo census fuit donec nullitas declaretur per Ecclesiam, quæ volens, illi stare potest; b In utroque autem assumpto, irrationabilitas, ac respective asperitas dignosci videtur; In posteriori nempe irrationabilitas, quoniam eadem est alienationis bonorum, ac impositionis censuum prohibitio; c Atque in utroque actu eadem intrat claudicatio præcedenti observatione improbata, ob quam idem inesse dicitur implicitus status, ideoque in utraque specie pariformiter vel admittenda, vel deneganda est fructuum restitutio, cum utrique eadem congruat ratio, cujus discrimen non dignoscitur.

In primo vero asperitas adest, potissime vero ubi de facto beneplaciti Apostolici, & causæ verificatio de facto adsit, annullatio autem actus ex juris, vel Juristarum nimia subtilitate, vel rigore judicialis ordinis non bene servati, aut simili juris dispositione alteri contrahenti ignota resultet, tunc enim id nimiam redolere videtur asperitatem contrariam illi naturali veritati, & æquitati, quam Ecclesia præ cæteris servare profitetur, & cujus ratione ipsa tot assequitur commoda, & privilegia; Quamvis enim ex non bene servatis solemnitatibus a jure statutis, malæ fidei resultet præsumptio; Attamen ista juris tantum præsumptio est omnibus debilior, ideoque de facili ex contrariis præsumptionibus etiam elidibilis, per quas mala fides positiva excludatur, quam sufficit ad hunc effectum abesse; Igitur error est, asperitatum, ac irrationabilitatum productivus, cum litera, vel cum conclusionum generalitate in hoc themate procedere, cum verius inspecta ratione ex facti circumstantiis metienda procedendum sit, an malam positivam arguant fidem, sine qua rationi, & æquitati naturali repugnat ad perceptos, consumptos fructus condemnare.

a *disc. 1. de Alien. & Contract. prohibit. & disc. 4.*
b *Eod. disc. 1. num....* c *d. disc. 5. & disc. 7. eod. tit.*

OBSERVATIO CCI.

An per Ecclesias, vel Ecclesiastica loca sine solemnitatibus, quæ in alienationibus ab eis faciendis requiruntur, activi census reduci atque ad minorem fructum, vulgo sbassati valeant sive novi census passivi pro antiquiorum graviorum legitime impositorum extinctione possint creari.

EO retento jam certo, ac recepto præsupposito, ut etiam census consignativi, qui cum pecunia constituuntur, stabilium quamdam speciem habeant, seu eis æquipolleant, ob formam a Piana Constitutione inductam, ut super immobilibus, ac fructiferis rebus, & non alias imponi valeant, unde propterea, tam activa eorum jam quæsitorum voluntaria translativa alienatio, quam passiva impositio sub bonorum Ecclesiæ prohibita alienatione cadant, nonnisi cum solemnitate, quæ hodie in beneplacito Apostolico consistit, ac necessitatis, vel evidentis utilitatis justa causa, fieri valeat, eo excepto casu, in quo necessaria, atque de jure probata dicatur activi census alienatio, per retrovenditionem, seu extinctionem ad ejusdem Pianæ Constitutionis præscriptum debitori petenti pernecesse faciendam. a

Hinc duæ præsertim agitari solent quæstiones; Una nempe, an Ecclesia, quæ activos census tanquam creditrix possidet, ut extinctionem a debitore comminatam, vel oblatam evitet, ob investimentorum difficultates, vel deficientes tutas occasiones, fructuum reductionem absque alia solemnitate facere valeat. Et altera, an pro antiquioribus legitime, ac solemniter jam impositis passivis censibus gravioribus extinguendis, novæ fieri valeant impositiones ad minorem rationem, ut propterea certa, & ea ipso facto incontinenti probata dicatur utilitas. In utraque autem illorum qui vilem literæ profitentur famulatum, negativus videtur sensus, b omni tamen probabili ratione destitutus, ita namque legis prohibitivæ ratio nullatenus adaptari dicitur, dum novum Ecclesiæ gravamen, vel præjudicium non sequitur, quoniam in posteriori actu onus minui potius dicitur, atque in priori nulla sequitur proprietatis, vel sortis principalis alienatio, vel deterioratio, quæ in fructu est, sub prohibitione non cadens, utpote ministrorum potius pro eorum substentatione concernens interesse; Ac etiam quia necessarius potius, quam voluntarius dicitur actus, quoties ex moribus regionis, ac frequentiori tunc currenti usu bona fides exuberet, omnisque fraudis absit suspicio, ut ita inanes evitentur circuitus Ecclesiæ, qui potius præjudiciales sunt in amissione majoris anterioritatis, ubi per actum retrosimilem necessarium, ac inevitabilem, antiquo censu extincto, novum cum eadem, vel diversa persona creare oporteret; Dubitantium ineptiam & irrationabilitatem convincente æquivoco a literæ famulatu resultante, procedendi cum in iis auctoritatibus, quæ de censibus agunt reservativis ad nimium notabilem differentiam inter unam, & alteram speciem non reflectendo.

a *disc. 1. de alien. & contract. prohibit. & in aliis proximis, eod. tit.* b *d. disc. 1. & disc. 6. & 10. & 25. eod. titul. de Alien. & Contract. prohib.*

OBSERVATIO CCII.

Solemnitates statutariæ requisitæ in contractibus minorum, & mulierum, non desiderantur in iis, qui fiant penes acta judicialia.

ASsumptum in suis casibus est verum, & rationabile, fallacia vero, quæ irrationabilitatem producit, consistit in mala applicatione, quæ ab eodem resultat consueto vitio famulandi literæ, vel generalitatibus, neglecto discursu, vel ratiocinio, quoniam ad instar eorum, quæ alibi insinuantur occasione executionis obligationum penes acta, id recte procedit quando cum vero calore judicii contentiosi, illa fiant acta, quæ ex natura judicii, vel causæ pendentis, tanquam vere judicialia per speciem quandam necessitatis, pro compilatione processus agenda sunt; Secus autem in iis, quæ voluntariæ, atque extra dictam rationem, quæ non adaptetur, coram privato Notario ille actus qui fiat coram illo, qui sit actuarius, unde propterea in verbis dicatur fieri penes acta, fieri potest, tunc cessante ratione, cui innixa est limitatio, quoniam cum regula procedendum est, dum alias omnis ratio cessare dicitur, atque lex verbis potius, quam rebus imposita diceretur, nimiumque lata via aperiretur fraudibus, ac elusioni legum, quæ, ut fraudibus occurratur, certam formam, vel certas solemnitates exigunt, ideoque in omnibus edocemur idem, ut non in litera, vel superficie, sed in spiritu, & in ratione, attendi, & practicari debeant leges, vel propositiones legales, nam alias ineptiæ, & irrationabilitates resultant.

DE FEUDIS.

OBSERVATIO CCIII.

Bona, quæ intra fines feudi per feudatarium possidentur, an feudalia, vel alia allodialia censenda sint.

UTrumque vitiosum extremum, irrationabilitatum productivum, patitur hoc assumptum; Una enim opinio quidquid a feudatario intra feudi fines possideatur, feudale reputat, ideoque cum ipso feudo devolutioni subjectum; Altera vero in oppositum, ut excepto ipso territoriali, vel feudali, ac jurisdictionali jure in abstracto, quidquid possideat fructiferum, allodiale, ac juris privati censendum sit. Utrumque vero extremum, ut præmissum est, vitiosum dici debet, ideoque de ineptia, & ir-

& irrationabilitate merito redarguendi sunt illi, qui unam, vel alteram opinionem in litera, & in abstracto generice sequuntur, cum facti potius dicenda sit quæstio, ex bonorum qualitate regulanda; Ubi enim ea sunt bona, quæ privatam habent admixtam industriam cum natura, atque aliis feudi privatis incolis congruunt, privata, & allodialia in feudatario quoque in dubio præsumenda sunt, quando expressa, vel etiam præsumpta in contrarium non urgeat probatio, e converso autem feudalia, quæ primævum naturæ statum retinent, aut quod ex eorum facie, & qualitate publici juris esse potius ostendantur, sive aliquam habeant jurisdictionem, ac preeminentiam annexam, quæ privatis non congruat; Irrationabilitatem quoque redolente generali assumpto immorandi in litera investituræ, ac in iis, quæ de stylo, & ex formulario in investituris feudalibus adjici solent. a

a disc. 2. 3. 56. & 133. & in aliis de Feudis.

OBSERVATIO CCIV.

De feudo dividuo, ut fieri non valeat individuum.

QUando feudum sit novum ex causa, vel titulo oneroso, neque aliqua explicita, vel implicita concurrat ad favorem vocatorum perfecta, & irrevocabilis donatio, unde propterea intret regula jam recepta, quod primus acquirens ex causa onerosa præjudicare potest successoribus, quamvis concessio formam habeat pacti, & providentiæ, tunc nulla cadit ratio dubitandi, ut secluso jure, vel interesse domini, quoad jus, vel interesse vocatorum, immutari valeat forma, vel natura feudi, ut de dividuo, juxta illam formam, quæ dicitur Longobardorum, efficiatur individuum, juxta illam formam, quæ dicitur Francorum, quoniam si primo acquirenti conceditur, quod est plus, multo magis concedendum est minus, potissime ubi immutatio est in melius, ut infra; Dubitandi autem ratio cadit, quando agatur de feudo novo ex causa lucrativa, utpote ex munificentia Principis, vel de antiquo habente formam pacti, & providentiæ dividuo, ut propterea omnibus hæredibus sanguinis cum ordine gradus, vel sexus simultanea successio conveniat, an immutari per possessorem ejus natura valeat, atque ad formam individuam cum ordine primogenituræ redigi; Simpliciter affirmativam aliquibus cum minori sequacium copia tenentibus; Aliis vero magis communiter sequentibus negativam apud practicos magis receptam; Utraque tamen opinio ita simpliciter, & in litera sumpta, irrationabilitatem redolere videtur, quoniam regulando, ut decet materiam a ratione, ita irrationabile est possessori, qui non sit primus acquirens, ut supra istam tribuere licentiam, per quam jus tollatur vocatis, sicuti e converso irrationabile est eam denegare, cum tam familiarum decori, & notabilitati, quam justitiæ administrationi, ac subditorum regimini, quinimo in nobilibus, & qualificatis feudis ipsismet dominis, ut certos, magisque qualificatos habeant milites, ac proceres, & magnates, magis expediat ad individuam formam Principatuum ad instar, nobilia, & qualificata feuda regulari. Ideoque ratio exigit, ut a facti circumstantiis, quæ justam producant causam, ac bonam fidem, id regulari debeat, quando nempe re adhuc integra, nullisque natis successoribus, adeout nemini jus tolli, vel præjudicium fieri dicatur, neque æmulationis, vel fraudis cadat suspicio, justo accedente motivo, sicut congruat, ut tunc laudabile opus censendum sit, atque a domino approbandum, secus autem e converso, ut propterea, non in litera irrationabilitatem patiente, sed in spiritu, & in ratione pro facti qualitate regulanda sit quæstio. a

a de hoc agitur disc. 9. & 10. de Feud. cum sequen.

OBSERVATIO CCV.

De successione fœminarum in feudis in concursu masculorum.

OMnimoda cessante exclusione fœminarum in feudorum successione, quæ per Dominum impediri nequeat, quæstio autem sit cum masculis remotioribus ejusdem generis vocatis, quænam prævaleat prærogativa, sexus, vel gradus, Juristæ in litera, vel in generalitatibus de more insistentes dividuntur; Alii namque generaliter, ac indefinite gradus proximitatis, sexus neglecta differentia, juxta ordinem indifferentia successionis prælationem præbent; Alii vero gradum postponunt sexui. Error vero, ac irrationabilitas in utroque dignoscitur extremo, atque cum hac generalitate, vel cum litera, & numero authoritatum de hoc loquentium procedere, non distinguendo regiones, earumque mores, ac stylos, necnon feudorum qualitates; Ubi etenim talis vigeat scripta, vel non scripta lex, ut solam lineæ prærogativam attendat, non curata prærogativa ætatis, ac sexus, vel gradus, tunc illa quidem irrationabilis censenda est, a sed servanda, ideoque ubi inter illos de eadem linea in solo casu æqualitatis gradus, sexus prævaleat, atque vincat ætatem, non autem in casu inæqualitatis, ut tunc gradus prævaleat sexui, ut in feudis Regnorum utriusque Siciliæ contingit, præsertim certius in illo citerioris, quoniam aspera quidem ac irrationabilis est lex, sed servanda. b

Ubi vero certa scripta, vel non scripta lex, particularis desit, tunc magis intrat error, ac irrationabilitas procedentium in litera, & non distinguentium naturam, seu qualitatem feudi; Quando enim illud ignobile sit, atque omnino improprium, & corruptum, quia nempe in prædiis rusticis ad allodialium indifferentium instar in fructuum utilitate consistant, feudalem tantum pro more regionis nuncupationem habentia, in effectu autem emphyteuticam, seu livellariam, vel censualem qualitatem, & tunc bonorum indifferentium ordo attendendus veniat, c eodem modo, quo in illis bonis, quibus subfeudorum congruit vocabulum, quæ ab inferiori feudatario concessa sint; d Secus autem, ubi de illis feudis, vel subfeudis agatur, quæ nobilem, ac primariam importent militiam principatus, cum jurisdictione, & imperio in vassallis, & cum dignitate, vel prærogativa baronali, cum tunc magnam redolere videatur irrationabilitatem iste ordo tum ob antiquam, ac originariam feudorum naturam, ab illa probabili derivatam ratione, quod cum importet militiam, ista fœminis incongrua est; Tum etiam ob subditorum regimen, & administrationem, Principatus adinstar, ut ex abusu potius, & irrationabili introductione contra antiquorum Romanorum mores, in sexu fœminino resideant; An demum pro nobilitatis, & decoris familiarum conservatione, adeout barbarum videatur, extantibus masculis agnatis, ac vocatis, cum hoc ordine acquirentium familias depauperare, illasque in deteriori, magisque privato statu constituere, ut per medium unius fœminæ, prorsus extraneæ, & quandoque infensæ, ac etiam ignobilis familiæ, ita divites, ac nobiles efficiantur, quo nil absurdius, nilve irrationabilius, Italiæ præsertim attentis moribus continuativis illorum antiquorum Romanorum; Et per consequens oppositum verisimili acquirentium voluntati, unde propterea introductio, barbaris potius nationibus, quæ in ea, aliisque Europæ provinciis post Romani Imperii dissolutionem, dominationem habuerunt, referenda venit, vel nostrorum majorum simplicitati, ac ineptiæ, & quandoque malitiæ, ut in ea asperitate contingit, de qua supra. e

a disc. 13. de feudis, & disc. 53. eodem tit. b eod. disc. 13. de feudis, c disc. 11. de feud. d disc. 7. eodem tit.
e dicta disc. 13. de feud.

OBSERVATIO CCVI.

De feudorum refutatione pactionata, ut invalida sit, vel quod pactiones vitientur, illaque firma remaneat.

NImium disputant utriusque Siciliæ Regnorum feudistæ, an illa refutatio, quam feudi possessor in proxime successurum tanquam per speciem præventivæ successionis facere potest, si pactionata sit, invalida censenda veniat, vel potius, vitiatis pactis, & reservationibus, firma remaneat, eis in diversas abeuntibus sententias, Alii namque volunt ipsas pactiones vitiari, ut eis pro non scriptis habitis, valida sit refutatio; Alii vero, ut utrumque substineatur, quia nempe pactio, quæ frequentius in usufructus, vel fructuum, & jurisdictionis reservatione consistere solet, intelligenda sit eo modo, quo citra prohibitæ alienationis speciem valere potest, pro reservatione scilicet commoditatis, ac perceptionis fructuum & exercitii jurisdictionis, ut facti sunt, non autem juris; Et alii demum, ut ob individuum voluntatis totus actus vitietur, istaque posterior opinio magis communis, magisque recepta est, cum insinuata nova distinctione, aliquibus eam moderantibus, ut nempe id procedat quando reservatio esset de usufructu prout juris est, quam quod tunc importet formalem servitutem, quæ feudi alienationem, vel divisionem importat, secus autem, ubi de commoditate, vel de reservatione fructuum, non autem usufructus, prout facti potius, quam juris, cum tunc sub prohibita alienatione non cadat; Atque exinde Pragmatici in litera ambulantes in aliis ditionibus extra dicta Regna, idem ex illorum feudorum occasione auctoritate affirmant. a

Duplex

Duplex autem æquivoci, & irrationabilitatis vitium in hoc dignosci videtur; Æquivoci nempe generaliter id adhibendi in aliis regionibus, ac ditionibus in quibus, cum jure consuetudinario communi feudali vivitur, auctoritates præfatorum Regnicolarum, non advertentes ad longe strictiorem prohibitionem ibi vigentem ex lege particulari, quæ extra legislatoris ditionem non est attendenda.

Irrationabilitas vero, vel asperitas etiam Regnicolarum, magis vero aliorum in hac subtilitate, quæ superstitionis habet speciem, absque alicujus probabilis rationis fomento; Alienationis enim feudorum probibitio, eam habet rationem, ut dominus ignotum, aut invisum, vel suspectum, sive magis potentem non habeat militem, & vassallum, ideoque merito sub hac prohibitione non cadit refutatio in proxime successurum, utpote jam volitum, & approbatum per investituram, & quia revera non est alienatio, sed successio, quæ præveniatur, ita possessore se fingente præventive mortuum; Asperum itaque ac omni probabilis rationis, & æquitatis videtur destitutum fundamento, ut qui se feudo privat, impedimis esse debeat, cessante præjudiciali fraude, quæ fieret domino, vel alteri agnato successionem sperandi, non possit usufructum, vel aliam prærogativam sibi reservare. Sive quod id possit cum quadam verborum formalitate, reservando nempe fructus, vel eorum commoditatem, ac jurisdictionis exercitium, non autem usumfructum, quasi quod iste jus tribuat, atque feudi alienationem, ac scissuram importet, commoditas vero, vel reservatio fructuum non tribuat jus, sed factum, ideoque scissuram, ac alienationem non importet; Ita namque verificari videtur assumptum a lege damnatum, ut non rebus, sed verbis lex imposita sit, dum effectus est idem, ideoque irrationabilem, ac idealem superstitionem id redolet. *b*

a *disc. 13. & disc. 76. de feud. cum seq.*

b ibidem, & disc. 110. cod. tit. de feud. ubi de distinctione inter usumfructum, & commoditatem.

OBSERVATIO CCVII.

Fœmina secundogenita innupta, potior est in feudi successione primogenita nupta.

Localis est hæc lex, Regnorum nempe utrinsque Siciliæ, ut in iis feudis individuis, quæ Francorum more, cum primogenituræ ordine regulantur, potior sit conditio filiæ fœminæ secundogenitæ innuptæ quæ in capillo pro illius regionis loquendi usu dicitur, exclusa primogenita maritata, & dotata, quæ donationi consensum præstiterit. *a* Rationabilia vero, & honesta, vel potius irrationabilis, & aspera sit ista lex, disputant Scribentes cum consueta opinionum scissura, aliquibus approbantibus, aliis autem reprobantibus.

Verius autem videtur ut in modo potius, quam in substantia consistat asperitas, ac irrationabilitas, ut etiam agendo de conditione viduitatis alibi advertitur, ideoq; confusus intrat error, ac irrationabilitatum patens proceditur cum auctoritatum litera, cum ineptum sit in sola patentum fide sequi id, quod rationis non habeat assistentiam, ac judicare irrationabile id quod revera non sit pro casuum distinctione, quæ omnium regulatrix esse debet.

Ubi enim aliqua non urgeat ratio probabilis, ob quam, contra naturæ, ac legis ordinem, ob solam qualitatem matrimonialem in coæquali concursu fœminini sexus, primogenita postponatur secundogenitæ, tunc irrationabilis, ac aspera dicenda est lex, cum ita matrimonium pœnam induceret, illudque propterea impedimentum reciperet; Si vero aliquod justum accedat motivum, quia nempe feudatario filios masculos unum, vel plures habente, in quibus radicata sit spes successionis, a qua proinde alienæ sint fœminæ, quarum prior cum hoc præsupposito virum ducat magis privatæ fortunæ, ac inferioris ordinis, casus autem postea præbeat masculorum defectum, tunc istum, ac probabile est, ut secundogenita, quæ innupta sit primum occupet locum, ut ita, non tanquam privata puella a successionis spe aliena, vel remota, sed tanquam proxime successura, magis dignum, magisque proportionatum ducat virum, cum similibus circumstantiis, quibus eadem congruat ratio.

Ut e converso in primogenitorum successionibus casus rationabiliter quandoque præbet, ut secundo, vel ultrogenita, quæ tunc civiliter pro statu nuptiali primogenita reputatur, ideoque tanquam proxime successura qualificatum duceret virum alias non obtentura, vincat eam quæ naturaliter primogenita sit, sed postmodum matrimonio habilis fiat, idque ratio, & æquitas suadeant pro facti circumstantiis perpetuo attendendis, ut judicium irrationabile sit. *b*

a *disc. 14. de Feud.* b *disc. 201. de fideicomm.*

OBSERVATIO CCVIII.

De lege prohibente feudatariam nubere sine domini consensu.

Consueta extrema vitiosa, irrationabilitatum, ac asperitatum productiva ex eodem fonte derivantia attendendi leges, vel propositiones in litera, non autem in ratione, illasque applicandi generaliter omni casui, istorum circumstantias non distinguendo, dignosci videntur in hoc assumpto prohibitionis, quæ fœminæ feudatariæ, vel proxime successuræ in feudo fiat, ne sine domini consensu matrimonium contrahat, aliquibus adjectis pœnis; Doctores enim in classes cum magna scissura dividuntur; Aliquibus id laudantibus, ipsamque facultatem sæculari potestati generaliter, ac indefinite tribuentibus; Aliis vero pariter generaliter, ac indefinite accerrime negantibus, eo quia non valeat sæcularis potestas in iis, quæ mere spiritualia sunt, quale est matrimonium, se ingerere, ejusque impedire libertatem, unde propterea qualibet classium ejus tenaciter substinere volente opinionem, multa dignoscuntur, ac resultant inconvenientia, utrique, spirituali, ac prophanæ Reipublicæ præjudicialia. *a*

Vitium itaque, ut præmissum est, in extremis consistit, ratiocinativam negligendo partem, qua mediante, sacra adhibeatur anchora distinctionis casuum, & effectuum, cum qua omnia conciliantur. Ubi enim sæcularis potestas, ex eo quod mulier ejus feudataria sit, vel speretur, directe matrimonii libertati se opponat, illudque indefinite prohibeat, unde jam volitum faciendum impediat, vel factum annullet, vel dissolvat de facto, sive quod ob idem contractum, personalibus, vel realibus pœnis in bonis propriis, & allodialibus contrahentes afficiat, & tunc opinio negans verior censenda est, beneque ejus rationes, & fundamenta adaptantur. Ubi vero, non directa, & præcisa prohibitio fit, sed indirecta, vel causativa, ex justo nempe, ac rationabili motivo, ne occasione matrimonii feudum ad hostem, vel alias invisum, sive magis potentem transeat, unde propterea ipsi domino notabile parari valeat præjudicium, cui occurrere ita quærat, adeout non ipsum matrimonium in genere prohibitio percutiat, atque ob ejus odium pœnæ inferantur, sed proprii damni, ac præjudicii præservationem id respiciat, quodque in casu contraventionis, non in persona, minusque in bonis propriis liberis per modum pœnæ procedatur, sed solum per subtractionem beneficii ab ipsomet domino collati in feudo, quod beneficium dicitur, sive in annullatione actus donationis in feudo, unde propterea vir ex causa matrimonii, vel dotis nullum desuper, nec in sorte, nec in fructu, vel administratione, quinimo in tenuta jus in eo quærat, & tunc justa, & probabilis est prohibitio, ideoque improbabilis potius damnatio, vel reprobatio remanet, & e converso irrationabilis est ejus laudatio, eo modo, quo in pluries enunciata viduitatis, vel respective status conjugalis, ac sæcularis conditione advertitur, cum clericorum aliorumque ecclesiasticorum exclusione, *c* attendendo nempe motivum, vel finem, an rationem, & honestatem necne redoleat; Ideoque semper edocemur, irrationabilitates, ac asperitates omnes ab isto fonte derivare, procedendi in litera, vel cum generalitatibus in abstracto, non reflectendo ad rationes metiendas ex facti qualitate, ac diversis circumstantiis, ex quibus dignoscendum est an justitiam, vel æquitatem, & honestatem prohibitio, necne contineat.

a *disc. 30. de feudis disc. 73. de testam. disc. 1. de dote.*
b *Ibidem.* c *observ. 35. & 46.*

OBSERVATIO CCIX.

Feudum individuum primogenito debitum, an illi imputandum sit in legitimam.

Desuper scribentes, non absque consueta connaturali opinionum scissura illam generalem adhibent distinctionem, ut novum feudum a patente ex causa onerosa quæsitum, ac etiam antiquum hæreditarium imputetur, illud vero antiquum, quod pacti, & providentiæ formam habeat, unde propterea non ex bonis, & substantia parentis, ex qua debita est legitima, sed aliunde proveniat, imputari non debeat, dum primo casu a parente, ejusque substantia provenire dicitur, nisi titulus donationis explicite, vel impli-

implicitæ accedat, absque eo quod de imputandi animo constet, atque super unius animi probatione, tam in hac feudali materia, quam generaliter in omni primogenituræ inter vivos erecta, magnæ haberi solent quæstiones, cum non modica resolutionum inconstantia, & varietate. *a*

Irrationabilitatem vero istæ generalitates continent, dum probabilius, ubi rationalium, non autem pecudum, vel avium more judicandum sit, cum distinctione procedendum est; Ubi enim feudum tale sit, quod allodialis privatæ rei liberæ dispositionis habeat speciem, quia nempe ignobile, & rusticum nullam habens annexam dignitatem, & administrationem, & tunc recte imputatio intrat, cum alias de mero lucro, & locupletatione filius contenderet utrumque obtinendo contra domini voluntatem; Aut vero de feudo nobili, quod dignitatem, saltem baronalem, magis vero titulatam, ac administrationem subditorum annexam habeat, quodque liberæ non sit dispositionis, & tunc irrationabilis est imputatio, cum ita illa naturæ magna prærogativa, quæ in primogenitura consistit, in odium, & gravamen tendat, ut bona non liberæ dispositionis titulo obtinere cogatur, ideoque deterioris conditionis esse debeat primogenitus quam alii sint filii; Ac ulterius, ut illis subjacere debeat majoribus sumptibus, & incommodia, quæ feudalis dignitas, ipsaque primogenituræ prærogativa secum ferunt; Hæc itaque, sive eorum æstimatio subducenda est, & siquidem superest, in quo filius de mero, ac excessivo contendat lucro, illud imputandum est, non autem totum; Idemque in illa præsertim primogenitura, quæ intuitu, & occasione certi matrimonii erecta sit, cum eadem ratio congruat; Quamvis enim totum id quod ex paterna substantia obvenit, imputandi voluntate accedente, imputandum sit, id tamen procedit, ac recipiendum est, quod lucrativam importat causam, illique non præjudicat libertati, quam filius habere debet in iis bonis, quæ ex causa legitimæ obtinet; Ideoque non extremum, a quo, sed potius extremum ad quem in proposito venit attendendum, spectata legis ratione, non autem litera, cum qua in omni casu pariformiter producantur, cum tunc evidens adesse dicatur irrationabilitas, ac ineptia, quæ justitiæ, & veritatis præjudicia involvunt.

a *disc. 19. de feudis, ubi de imputatione feudi, & de imputatione primogenituræ, disc. 191. de fideicommissis, & disc. 24. de legitim. cum seq.*

OBSERVATIO CCX.

Alienationes, & contractus in feudis, absque assensu sunt ad libitum revocabiles, cum restitutione fructuum ex parte emptoris, ac refectione interesse pretii ex parte venditoris.

Illam pœnitendi, ac retractandi actus quamvis jurisjurandi religione munitos licentiam, quam feudistæ tribuunt utrique contrahentium super feudis, quando domini non accedit assensus, asperam, ac irrationabilem aliqui credunt, sed male, quoniam cum res in contrahentium privato, liberoque commercio non sit, firmitatem propterea tales actus non habeant, sed pro infectis habendi sunt, eodem modo, quo in iis habetur conventionibus, quæ super Ecclesiæ bonis fiunt, aut super Ecclesiasticis beneficiis, & pensionibus, aliisque similibus rebus, vel juribus spiritualibus, utpote in privato non existentibus commercio. Si enim irrationabilitatem, ac turpitudinem id redoleret, ex eo quod propterea jurata violetur fides; Pontificia lex id non permitteret, ideoque de irrationabilitate potius redargui merentur, qui hoc redarguunt assumptum, in quo neutri fieri dicitur injuria, dum æqualis, ac reciproca est licentia utriusque, recteque ab initio scire potuerunt, ac debuerunt, quod actus ex sui natura, usquequo valido muniretur assensu, retractationi subjectus esset, ideoque negligendo hunc perficientem actum gerere, ita implicite de eadem pœnitendi facultate convenisse dicuntur. *a*

Retrotractionem quoque in hac pœnitentia, vel retractatione dari ad initium actus, unde propterea illo semper habito pro infecto, dominium nunquam abdicatum, ac respective translatum censeatur, atque de consequenti fructus ad venditorem pertineant, *b* neque asperum, vel irrationabile censendum est, cum etiam Ecclesia in ejus bonis id practicet, ac recipiat, nisi adeo ambigua sit res, ut bona fides exuberet, ob quam justitia, & ratio exigant, ut qui percepit, atque consumpsit, ab eis excusetur. *c* Itaque posita fructuum restitutione, justum, & æquum, ac rationabile est, ut venditor, cui facienda est restitutio fructuum emptori, interesse reficiat pretii, quod in manibus habuit, ne detur inconveniens naturali æquitati contrarium, ut fructus & pretium eodem tempore obtineat. *d* Illud vero apertam redolet irrationabilitatem, ac asperitatem, ut ipsi emptori, hanc pœnitendi facultatem exercenti, licitum sit feudi longe minores fructus offerre, pretii vero soluti interusuria in aa majori quantitate, quam regionis mores concedant, petere, & consequi, dum ita ex illo proprio facto, quod delictum potius in honestatis saltem regulis redolet, cum commodum, & lucrum reportaret, atque venditor, ultra id quod interest, patiatur interesse, dum ita fraudibus, & machinationibus latus aperiri posset aditus, ideoque non nisi ad limites fructuum hoc interesse suppleri, vel compensari, æquum, & justum est, non autem ultra, cum in injustum, iniquum, & irrationabile sit. *e*

a *de hac facultate revocandi, ac veniendi contra factum proprium in feudis, disc. 30. & 31. de feud. & generaliter disc. 61. de donat. & in tit. de alienat. & contract. probib. disc. 1. & seqq. & sub tit. de benefic. & altero de pension. & alibi.* b *dicto disc. 31. de feud.* c *disc. 1. & 4. de alienat. & contract. prohibit.* d *dicto disc. 1. & 4. de alienat. & contract. prohibit. dicto disc. 31. de feudis, & tit. de usur. pluries occasione agendi de fructibus recompensativis ad terminos text. in l. curabit.*

e *eodem disc. 31. de feud. & dicto tit. de usur. in proposito fructuum recompensativorum.*

OBSERVATIO CCXI.

Devoluto feudo, devolvi subfeuda, an rationabile sit.

Eodem continuante vitio attendendi leges, vel auctoritates in litera, vel cum generalibus regulis, ac propositionibus in abstracto procedendi; Stante juris axiomate, ut resoluto jure datoris, acceptoris quoque jus resolvatur; Aliqui indefinite volunt, feudo devoluto, devolvi quoque subfeuda ab ipso feudatario concessa. Alii vero eatenus hanc subfeudorum devolutionem cessare volunt, quatenus ea legitima dici valeant, suaque habeant requisita, ut gratis absque aliqua recompensa, & sine fraude, atque personæ æqualis conditionis fiant.

Hæc autem æquivoca, & irrationabilitates redolent, cum a facti qualitate, & circumstantiis potius id pendeat, distinguendo an subfeuda, quæ de toto fiant feudo, ut nihil remaneat subinfeudanti; qui propterea in feudantis vices explicare dicatur, tanquam ejus organum, vel mandatarius, ut tunc prædicta desiderentur requisita, secus vero ubi de illis agatur inferioribus subfeudis, quæ sub excadentiarum nomine ab aliquibus feudistis explicari solent, pro feudi natura, & qualitate concedi solita, & quæ sub fructuum potius genere cadunt, cum tunc, etiam pretio, vel recompensa mediante, concedi posse, atque personæ æqualem conditionem esse potius, impropriam atque prohibitam, receptum est.

Et circa fraudem ex imminenti, seu verisimiliter formidata devolutione deduci solitam, illa habenda est consideratio, an subinfeudatio omnino nova sit de rebus alias subinfeudari insolitis, vel potius de continuatione rei concedi solitæ, & devolutæ, cum ista posterior species inter fructus recenseatur a possessore in quocunque statu sit, quoties non sit præventiva, immatura, fraudulenta perceptio ad consequendos; Ideoque idem convincitur error asperitatum, & irrationabilitatum, ac ineptiarum parens, procedendi in litera, vel in propositionum generalitate, non autem in spiritu, & in ratione pro facti qualitate, & circumstantiis, cum quibus procedendum potius venit. *a*

a *de his disc. 1. de feud. & in annot.*

OBSERVATIO CCXII.

In feudis, & hereditatibus, aliisque universalitatibus, non præstatur evictio, nisi in expressis, de quibus promissa sit.

Exorbitantem, ac asperam aliqui putant hanc legalem propositionem, ut feudi, quod universitatem importare dicitur, vel hæreditatis, aut alterius similia juris, quod universitatem redoleat, evictio præstanda non sit, nisi de ipsa universitate, vel genere, non autem de singulis membris, quæ non extare comperiatur, vel extantia postmodum deficiant, quasi quod locupletationem de alieno, ab utroque naturali, & positivo jure damnatum id importet. E converso autem alii in rigore literæ mordicus immorantes, nullam attendunt asperitatem, quæ ita ex magna emptoria læsione, ac venditoris indebita locupletatione sequatur, quia sic per legem disponatur. In utroque autem extremo,

tremo, irrationabilitatis, ac afperitatis virium adeffe dignofcitur, ex eodem fonte literæ derivatum, cum verius, attenta legis ita difponentis ratione, ifta propofitio regulanda, & practicanda veniat, pro facti qualitate, & circumftantiis, an fcilicet illa univerfitas, talis qualis ea fit, per bonæ fidei venditorem diftrahatur, in ejus locum ponendo emptorem, qui illam fufcipiat aleam, cui idem venditor abfque relevatione fubjaceret, unde propterea nulla confideretur circumventio, feu læfio, quæ dictum producat inconveniens illicitæ locupletationis de alieno; Vel e converfo prædictum verificetur inconveniens, ad quod principaliter eft reflectendum, fpectata, ut præmiffum eft, congrua ratione, cui legis difpofitio eft innixa, non autem fimplici litera, cui ratio refiftat, vel faltem non affiftat, rationalis viri more judicando. *a*

a difc. 32. de feud. & difc. 18. & 26. empt. & vendit.

OBSERVATIO CCXIII.

Servitia per vaffallos uni baroni, vel domicello præftita, an fucceffori, vel domino debeantur.

SOlent vaffalli alicui baroni, vel domicello, benevolentiæ perfonalis gratia, & quandoque ex concuffione, ac tyrannide aliqua præftare fervitia, quæ fub angariarum, & perangariarum vocabulis per practicos forenfes explicari folent; Feudo autem devoluto, dominus, vel ille, qui denuo fit inveftitus, vel quod a priori poffeffore quæfierit, eadem fervitia exigere intendunt, quafi quod ipfi feudo, vel caftro annexa fint, atque cum eo in quemcunque tranfeant poffefforem; Cum confueta vero opinionum fciffura fcribentes defuper certant utrumque vitiofum extremum generaliter affirmativam, vel generaliter negativam fubftinendo, vel aliquas genericas adhibendo propofitiones, ac diftinctiones ex auctoritatum defumptas litera, in qua folum proceditur; Verum & id afperitatem, vel irrationabilitatem, ac æquivoca continet, cum verius pro facti qualitate, & circumftantiis, fpectatis origine, vel occafione, ac modo procedendum in hoc veniat pro diverfarum regionum, vel ditionum ftylis, & legibus, ac moribus, ideoque in fpiritu, & ratione legis, non autem in litera, & in generalitatibus immorandum eft, cum ita id quod eft licitum, quandoque reddatur illicitum, & e contra, *a*

a difc. 52. & 65. de feud.

OBSERVATIO CCXIV.

Qui poffidens caftra, & bona jurifdictionalia, voluntarie alterius fe fubditum, ac feudatarium facit, an jure Baronis, & feudatarii omnibus tractari debeat.

FRequenti docente praxi, quod juxta Italiæ præfertim motus, adeoque immutatum ftatum, aliquorum oppidorum, & caftrorum poffeffores, qui ad differentiam illorum magnorum, ac potentium, quibus Principum abfolutorum nomen congruit, Barones, vel Domicelli nuncupantur, quamvis illud dominium jure pleni, ac liberi allodii, Principum ad inftar, poffiderent, ut ab adjacentium potentium oppreffionibus redderent fe tutos, prudentia, vel vi ita fuadente, alicui potenti Principi fidelitatem juraverint, ejufque vaffallos, ac ligios fe fecerint, rem fuam in feudum ab eis recipiendo; quod apud fuperficiales implicantiam continere videtur, fed male, cum verius non implicet per occultam præambulam donationem id fequi. *a*

Hoc autem pofito, iidem fuperficiales in fola litera, ac rerum fuperficie ambulantes, iftos æque, ac alios vaffallos, & feudatarios, & qui ex infeudantis beneficio, & vera conceffione receperunt, reputant, eifque illa denegant jura regalia, quæ aliis feudatariis, ac Baronibus denegantur; Id autem afperitatem, ac irrationabilitatem redolet, obftrictam fignificationem, ac naturam donationis, ut quominus donatum fit, interpretari debeat, ideoque ut quoad alterum dominium, ac fuperioritatem, non autem quoad alia referenda fit voluntaria fubjectio, adeout his exceptis, continuationis jure totum id quod obtinebant, retineant, cum aliud fit, regulare beneficium ab alio receptum, ut quominus concedenti præjudicet, interpretandum fit; Aliud vero, ut rem fuam alteri fubjugatam, quominus fieri poteft, fubjugaffe, fibique præjudiciale cenfendum fit, rationem attendendo, feu rerum principia inquirendo, non autem cum fola litera, neglecto congruo difcurfu, ac ratiocinio procedendo, *b*

Card. de Luca, Lib. XV.

a difc. 54. 56. de feud. & in aliis ibid.
b d. Difc. 63. de feud.

OBSERVATIO CCXV.

Alienationem, aliamque difpofitionem feudorum, & bonorum jurifdictionalium prohiberi, an juftum & rationabile fit.

VEram, ac propriam alienationem, per quam res de facto ab uno abdicetur, atque in alium transferatur, prohiberi in feudis, ac dominiis nobilibus, & jurifdictionalibus, quæ vaffallorum imperium, & adminiftrationem annexam habeant, cum explicito, vel implicito juramento fidelitatis erga Principem, cujus nobiles, ac milites primi ordinis hujufmodi feudorum, ac dominiorum poffeffores dicuntur, juftum, ac rationabile eft, abfque fcientia, & licentia ipfius Principis, & domini, ut ifte fciat in quem tranfeant, & ne in hoftem, vel in fenfum, five fufpectum, aut nimis potentem id fequatur, *a* eodem modo, quo de jufta, & rationabili prohibitione mulierum, hujufmodi feuda, & dominia poffidentium, ne nubant, fuperius advertitur.

Quamvis enim hujufmodi jurifdictionalium dominiorum, ac bonorum diverfæ fint fpecies; quod aliqua naturam habent veri, ac recti feudi, quod feudalibus regulis, & legibus fubjacet, alia vero feudi corrupti, & improprii, ut propterea allodii potius naturam habeant, atque jure communi potius, quam feudali metienda fint; Adhuc tamen merito per principatuum, & ditionum leges particulares, quoad iftam prohibitionem indifferenter ita ftatutum eft, cum eadem congruat ratio, non curata diftinctione inter feudalia, & allodialia, five inter feuda recta, & propria pacti, & providentiæ, & mere hæreditaria, & impropria, cum fimilibus diftinctionibus, quoad alienandi facultatem per Juriftas dari folitis, cum illæ fuccefforum præjudicium potius concernant, quam illud domini, vel Principis, nifi confuetudo, vel ipfius inveftituræ lex id concedat, iftamque contineat licentiam.

In altera vero fpecie alienationis fictæ, & impropriæ, quæ in hypotheca, vel in conceffione ufusfructus, & fimili confiftit, dignofci videtur afperitas, ac irrationabilitas, uti rei fuæ libera prohibeatur adminiftratio, ac difpofitio, cum nullum exinde Principi, vel Domino præjudicium paretur, ex dilemmate, quod aut res ob veram feudalem naturam, devolutioni, vel caducitati fubjacet, aut non; Si non fubjacet, nil fua intereft; & fi fubjacet pariter ejus ceffat præjudicium, cum onera fine affenfu impofita feudum non afficiant, nifi durante jure impofitoris, quo ceffato refolvuntur, ex recepto axiomate, quod refoluto jure datoris, illud acceptatoris refolvitur, ideoque non videtur quale rationis probabile fundamentum habeat hujufmodi prohibitionum extenfio ad hanc fpeciem impropriæ, ac intellectualis alienationis, quæ naturali veritate atten[illegible], revera adeffe non dicitur, cum de facto res in dominio poffefforis adhuc perfeveret; Unde propterea ea quadam Juriftarum metaphyfica, vel fuperftitiofa fubtilitate manere dicitur, ut ligamen in re propria fine ratione injiciatur.

Licet enim, pofita illa impropria alienatione, quæ per hypothecationem fequi dicitur, ifta dicatur præparatio alienationis veræ, ac de facto, cum ejus vigore ad judicialem fubhaftationem procedi valeat; *b* Adhuc tamen ifta non videtur congrua ratio, cum hic actus propria, & privata creditoris hypothecarii auctoritate fequi non valeat, fed neceffaria fit illa ipfius Principis, & domini, vel ejus Judicum, & Magiftratuum, per iftos non concedenda, nifi adimpleatur ejufdem prohibitionis ratio, ut in benevolum, & gratum licitatorem tranfeat, quatenus bona talis naturæ fint, ut affenfus veræ, ac propriæ alienationi denegari non poffit, nec debeat; Ubi enim denegari poteft, ita id fequi poteft in voluntaria, ac in ifta judiciali, & coacta venditione; Ideoque ifta fpecies prohibitionis omni videtur deftituta ratione, fed ex legali irrationabili fuperftitione derivat, ut litium inextricabiles producat labyrinthos. *c*

Eadem dignofci videtur irrationabilitas, & fuperftitio in altera metaphyfica diftinctione, inter alienationem ufusfructus, & illam fructuum, feu eorum commoditatis. *d* Quoniam de facto, ipfaque naturali veritate infpecta, idem uterque actus importat, eumdemque unus, vel alter actus producit effectum, præterquam illum terminationis, ut in ufufructu attendatur vita ufufructuarii, &

in commoditate attendatur illa alienantia, sed iste effectus non intrat ubi desit licentia, vel assensus domini proprietatis, ideoque formalitatem, ac ideam ista distinctio redolet.

Idemque in locatione, per quam de facto res in conductorem transeat, ut propterea ipse, & possessoris, ac administratoris jurisdictionis, & imperii figuram faciat, ut si ad tempus non longum citra decennale spatium fiat, licita sit, secus vero si ultra, quoniam potius indifferenter prohibitio cadere deberet, dum naturali veritate inspecta huic actui eadem congruit ratio, quæ veræ, & propriæ alienationi, ut supra adaptatur, & sic pariter totum revera est formalitas, vel superstitio sine ratione.

Irrationabilitas quoque, vel ineptia in Juristis dignoscitur, pro consueto vitio procedendi in litera, non autem in spiritu, vel in ratione, quod generaliter, vel indifferenter in omni feudorum specie, tam in parte prohibitiva, quam in alia permissiva easdem adhibent, ac attendunt auctoritates, & regulas, non reflectendo ad debitam qualitatis, & naturæ feudorum, & dominiorum distinctionem, & an sint nobilia, & jurisdictionalia consistentia in oppidis, & locis habitatis cum jurisdictione, imperio, & vera administratione, quibus præfata ratio congruat, vel e converso sint rustica, & ignobilia in prædiis ad solum fructum, vel pecuniarum utilitatem consistentia, quibus dicta ratio non adaptetur, cum similibus considerationibus, ex quibus inspiciendum est, an congruat, necne prohibitionis ratio, quæ more rationalium debet esse regulatrix, non autem litera, vel superficies, quæ irrationales potius regulat.

a *disc. 66. cum plur. seqq. de feud.*

b *disc. 13. & 151. de Cred. disc. 78. de feud. & disc. 1. de Alien. & contr. prohib. c disc. 13. & 151. de cred. disc. 78. de feud. disc. 58. de Emphyt. & alibi.*

d *disc. 47. 61. 85. & 110. de feud. & 44. de Emph. & alibi.*

OBSERVATIO CCXVI.

Feudum concessum tanquam francum, & nobile, an corrumpatur, ac efficiatur alienabile; Et concessum tanquam antiquum, an sit tale, ubi vere sit novum.

AMbæ istæ propositiones, quæ apud quamplures in litera ambulantes receptæ videntur, ut nempe ubi feudum tanquam franchum, & nobile concedatur, liberæ sit dispositionis, ut propterea feudalibus non subjaceat restrictionibus, quodque ubi tanquam antiquum, & paternum, vel avitum, tale censendum veniat, quamvis tale revera non sit, quia de novo quæsitum, æquivoco, & irrationabilitate laborant, ob consuetum vitium ambulandi in litera, non autem in ratione, ac discursu, neque diversas distinguendo circumstantias Ubi etenim ex investituræ contextu pateat, verum, ac rectum feudum ejus natura non alterata concessum esse, atque facti, & providentiæ formam habere, cum restrictione ad certum genus, de stylo autem, seu formulario clausulas nobilis, & franchi honoris, prærogativæ etiam adjectas esse, ut pene ubique stylus inolevit ad excludendam illam feudorum speciem, quæ juxta antiquum usum, ignobilia, & servilia onera habebant, tunc irrationabile, ac ineptum est, ut accidens verborum, & clausularum ad unum finem pro stylo, vel formulario adjectum, substantiam alteret, de qua ex investituræ contextu pateat. *a* Idemque ubi naturali spectata veritate facti, nova sit revera concessio, vel acquisitio, ea eodem tamen honorificentiæ, ac prærogativæ motivo, illa adjiciatur clausula, ut paganum, vel avitum, sive antiquum censendum sit, eo quia antiquum feudum nobilitat, novum vere non, ut veritas huic fictioni prævaleat, magisque attendatur. *b*

a *disc. 54. & 107. & 134. de feud.*

b *disc. 12. & 19. de feud.*

DE EMPHYTEUSI.

OBSERVATIO CCXVII.

De præventiva, vel abusiva feudi, vel emphyteusis investitura, aut officii concessione.

PRæventivas investituras, vel concessiones, quæ abusivæ per Juristas frequentius dici solent, de feudo, vel emphyteusi, aut officio, alioque simili jure adhuc pleno, pro quando vacationis, vel devolutionis casus advenerit, absque consensu possessoris, neque per supremum Principem fieri posse plerique volunt; Consensu autem prædicto accedente, aliqui adhuc supremo negant; Alii vero idem tantum permittunt, non autem inferioribus, quibus alias rei vacantis concessio competat, ideoque hujusmodi concessiones irritas esse credunt; Duplici desuper assignata ratione, una nempe voti captandæ mortis, & altera supplantationis successoris. *a*

Omnia vero hæc, irrationabilitates, & æquivoca continent; primum etenim ratione voti captandæ mortis, hodie pro nostris moribus inter fabulas recensendas esse alibi advertitur; quoniam ubi hæc ratio urgeret, utique supremos, ac absolutos quoque ligaret Principes, cum bonis moribus naturalibus id sit adversum, ideoque eorum non se extenderet potestas, magnumque esset irrationabile absurdum, ut Papa, qui Christi Vicarius, atque interni fori supremus est director, animarum saluti ex officii debito intentus, ac aliorum exemplar, gratias expectativas, & coadjutorias, quandoque inscio; imo etiam invito possessore, vel coadjutore, aliasque similes provisiones de dignitatibus, & beneficiis plene concederet, ut ita delinquenti, atque graviter peccandi fomentum, & occasionem præberet; Ideoque nimia dignoscitur leguleica simplicitas, hanc rationem pro illis moribus tunc vigentem, hodie attendere, cum inepto literæ legum famulatu, absque ratiocinio, vel discursu.

Hinc, tam in supremis Principibus, quam in subordinatis, ac inferioribus Magistratibus, ista ratio nullius remanet momenti, nullumque præstat obstaculum, cum tertii possessoris jus non tollatur, nullumque illi fiat præjudicium; Ea solum considerabili differentia inter supremos, & inferiores accedente, in feudali, vel emphyteutica concessione, ut inferior possessoris proximioribus tollere non valeat illam æquitativam renovationem, cui utpote a quodam mere positivo non scripto jure manati, supremus absque dubio derogare potest.

Quo vero ad literam rationem supplantationis successoris; Quando peculiaris principatus lex, vel consuetudo non urgeat, magis receptum videtur, ut ea supremæ potestati obstaculum non præstet, cum successorum quoque intersit prædecessorum facta servari, ne alias eadem metiantur mensura per successores, qua ipsi eorum prædecessores metiti sunt. Inferioribus autem, ac subordinatis, recte urget hæc ratio, quando legitima non suffragetur consuetudo. Adhuc tamen æquivocum est assumptum, ut concessio ipso jure irrita censenda sit, quoniam implicitum habeat statum validitatis, dum vacationis casus ipsius concedentis jure adhuc durante sequi potest, ideoque firma est, suumque sortitur effectum, & per consequens non ipso jure irrita, sed resolutioni subjecta potius censenda est, ut re adhuc infecta, resoluto jure datoris, illud resolvatur acceptoris.

a *disc. 3. de Regal. disc. 1. de Pension. & disc. 2. de Emphyteusi.*

OBSERVATIO CCXVIII.

De renovatione emphyteusis, an juxta ordinem intestatæ successionis, vel potius juxta illum antiqui sanguinis regulari debeat præsertim in concursu matris cum amita, cum similibus.

FEudali, vel emphyteutica investitura terminata sine delicto, sed ex natura, ob finem generationum, ad quas concessio facta sit, ubi dominus directus pro se bona devoluta retinere nolit, sed aliis cum eodem feudi, vel emphyteusis titulo denuo concedere decernat, vel quod consuetudine, aut privilegio ad id teneatur, tunc ex quadam non scripta æquitate receptum est, ut præferre teneatur ultimi possessoris hæredes, ubi hæreditariam qualitatem prior investitura habeat, ubi vero sit pacti, & providentiæ, ut propterea sanguinis hæredibus tantum conveniat, sanguine proximiorem. *a*

In hoc itaque posteriori casu, cum probabiliter magis receptum sit, ut ad instar fideicommissariæ successionis, in hac quoque materia feudali, vel emphyteutica proximitas a persona ultimi morientis potius, quam ab illa primi acquirentis reguletur; Hinc quædam classes Pragmaticorum, qui in litera, non autem in spiritu, vel in ratione legis procedunt, physicam, ac naturalem majorem proximitatem attendendo, latera, vel causas proximitatis non distinguit, ideoque juxta frequentiorem contingentiam, matrem amitæ præfert, cum similibus concursibus, istam renovationem regulando, juxta ordinem bonorum indifferentium intestatæ successionis, atque huic opinioni aliqua Tribunalia quandoque adhæserunt. *b*

Magnam autem irrationabilitatem, magnumque æquivocum id redolet, quoniam eodem retento ordine fideicommis-

missariæ successionis, qui potius quam ille intestatæ approximat, atque attendendus venit, regulanda quidem est proximitas ex persona ultimi, retentis tamen, ac præsuppositis terminis habilibus, ut nempe adsit proximitas, & conjunctio primi acquirentis, vel respective ordinatoria fideicommissi, cujus persona inspecta dici non valeat ille proximior extraneus, qualis est mater, vel alter per maternum latus attinens, quamvis etiam de eodem agnatitio, & paterno genere conjunctus esset, in quo tamen sit remotior; Ex ea patenti ratione, quod renovatio dicitur sequela, & ficta continuatio finitæ investituræ, quam ita fingitur continuare, ideoque nonnisi illis, qui sint de genere primi investiti, vocatio congruit, cum hujusmodi prælationis fundamentum sit quædam non scripta æquitas innixa prædecessorum meritis, & possessioni, ac propterea ille, qui sit a prædecessoribus, præsertim vero a primo acquirente extraneus, atque de diverso latere, vel genere, nullum pro se habere dicitur fundamentum rationis, qua cessante, irrationabile, ac ineptum remanet assumptum, idque a consueto vitio derivat procedendi in auctoritatum litera, & superficie, neglecto discursu viri rationalis, ipsaque ratione, quæ legis anima est, ac regulatrix esse debet.

a *disc. 3. de Emphyt. & in aliis, eod. tit. pluries,*
b *Eodem disc. 3. de Emphyt.*

OBSERVATIO CCXIX.

De renovatione investitura emphyteutica debita proximiori ultimi deficientis, quomodo practicanda sit.

NUllibi lege obligatur dominus, qui rem emphyteuticam devolutam pro se retinere nolit, sed alteri concedere cupiat, ut ultimi deficientis proximiorem investire teneatur, istumque cum eisdem legibus, & pactis præferre; Adhuc tamen in plerisque regionibus, vel Ecclesiis, ex antiqua recepta consuetudine, vel ex Pontificio, aut alterius Principis privilegio, introducta est hæc necessitas, ut neque pro se retinere, neque canonem, seu laudemium alterare dominus valeat; Idque asperum, ac irrationabile reputari solet, dum lex mandat neminem invitum ad rem suam, uni potius quam alteri concedendam cogendum esse; Male vero id redarguitur, ideoque in hoc etiam superficialium irrationabilitas, ac ineptia dignoscitur, cum ex alias insinuatis, ita ineptum, ac irrationabile sit, asperitates, ac irrationabilitates in rigore literæ sequi, & practicare, sicuti ea reputare aspera, & irrationabilia, quæ vere talia non sint, quoniam, vel commercii necessitas, vel incultiorum bonorum cultura, & melioratio, id rationabiliter pro locorum qualitate suadet, vel, & fortius, ob eam probabilem famam, ut bona privatorum essent, voluntarie in protectionem pro illorum temporum factiosis calamitatibus Ecclesiis donata, ut ab eisdem contemporanee sub hoc titulo denuo reciperent. a

Ista vero consuetudinaria, vel privilegiativa cessante necessitate, quædam non scripta æquitas, a civilium, seu feudalium legum, vel earum interpretum sensu derivata, non quidem concedendi, vel renovandi necessitatem in domino pro se retinere volente induxit, minusque restrictionem facultatis in canone, vel in laudemio, ut ejus meliorem faciat conditionem, sed in prælatione sub eisdem legibus, ac oneribus, quæ ab alio offeruntur, quod rationis quidem fomentum habet, quamvis enunciatus scriptæ legis rigor resistat; Adhuc tamen ista æquitas, quæ indiscrete quandoque, & ad literam authoritatum illam laudantium practicetur, asperitates, ac irrationabilitates producere solet, unde propterea æquitas in iniquitatem transeat, cum ex omni naturali, & positiva lege prohibita locupletatione cum alieno damno, vel circa denegatam refectionem melioramentorum, vel circa indebite crimeatam refectionem ejus, quod ab extraneo investito pro laudemio, vel alia recognitione solutum sit, aut super fructuum interim decursorum pertinentia, absque subjectione periculi, cum similibus asperitatibus exinde provenientibus, quod in litera, non autem in spiritu, vel ratione procedatur, non perquirendo scilicet hujus prælationis originem, quodque non a scripto jure proveniat, sed ab æquitate absque domini, vel alterius investiti damno, vel aliquo præjudicio exercenda, ne alias, ut præmissum est, æquitas in iniquitatem resolvatur, ut etiam in regulanda proximitate sanguinis dignoscitur. b

a *disc. 5. cum pluribus seq. de emphyt. disc. 12. de emphyt. cum seq.* b *observ. 72. eodem disc. 76.*

Card. de Luca, Lib. XV.

OBSERVATIO CCXX.

Generatio activa acquirentis, an computanda sit inter illas, ad quas feudalis, vel emphyteutica, vel similis concessio restricta est.

MAgnum quidem in hoc puncto inter Juristas certamen dignoscitur, unde propterea pro utraque opinione, de more classes, ac legiones habentur; Aliquibus affirmativam tenentibus, ut activa generatio computanda sit ex hujusmodi concessionum stricta natura, & interpretatione, ut ita quo citius fieri potest, ad ejus antiquam causam bona concessa redeant; Aliis e converso negativam tuentibus, cui magis naturalis ratio assistere videtur; Priori vero affirmativæ, quæ apud modernos Pragmaticos magis recepta est, potius quidam assistit rigor leguleicus irrationabilis, cum naturaliter implicet, ut quis se ipsum generet, quodque activa generatio computetur, quoniam ipse naturalis discursus de passivis intellectum esse docet; Alii vero mediam conciliativam tenentes opinionem, in verborum, vel dictionum literali formalitate, magis irrationabiliter judaico, vel grammaticali more insistere solent, & an adsit verbum relativum, aliudve simile, unde propterea in pedagogicis sensibus judicia efformantur; quo nil magis irrisione dignum, ut alibi advertitur occasione comprehensionis sexus feminini, vel cognatorum sub masculinæ generationis vocabulo; Ineptias autem præmissa continere videntur, cum verius pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, substantia verisimilis voluntatis agentium spectanda sit, non autem in simplici verborum formalitate insistendum, cum verba Notariorum potius, quam partium esse soleant, vel an una magis, quam altera opinio majores habeat sequaces, magisque communis dicatur. a

a *disc. 13. cum seqq. de emphyteus.*

OBSERVATIO CCXXI.

An concessio censeri debeat potius Emphyteutica, vel perpetua locationis, pro effectuum diversitate exinde resultante.

INter nodosas, nimiumque controversas quæstiones quas forus, cum non modica inconstantia in emphyteutica materia practicat, videtur ista, an contractus veræ emphyteusis, vel potius perpetuæ locationis censendus veniat, ad plerosque nimium considerabiles effectus exinde resultantes, & præsertim pro transitu ad extraneos hæredes, & pro exemptione a caducitatibus, ac laudemiorum oneribus, & a prælatione, ac similibus servitutibus, quibus emphyteusis est subjecta, non autem perpetua locatio; Atque ad id dignoscendum, in verborum formalitatibus, aut in aliquibus generalibus propositionibus, vel in iis auctoritatibus, & decisionibus, quæ diversos percutiunt casus, fundamentum constitui solet, sæpius judicium in eodem casu variando; a Id autem ineptiam, ac irrationabilitatem continet tanquam consuetos, & connaturales effectus detestabilis usus procedendi cum litera, vel cum generalitatibus, quoniam ex frequenter insinuatis, Notariorum potius quam partium verba esse solent; ideoque substantia verisimilis voluntatis partium indaganda est, ex facti potius circumstantiis, & qualitate quam ex verbis, attendendo nempe frequentem regionis morem, contrahentium, ac bonorum, & pactorum, & canonis qualitatem conjunctim, non autem cum illa generica distinctione inter exiguum, vel magnum fructibus correspondentem canonem, quoniam si id sufficeret, nunquam in Ecclesiis, & minoribus, ac similibus, quibus absque justa causa utilitatis bonorum suorum alienationes, & concessiones facere non permittitur, emphyteuticus contractus practicabilis esset; Magni facienda itaque ista circumstantia venit, tanquam unum ex efficacibus argumentis, cum aliis conjungendum, tota facti massa inspecta, non autem, ut clausis oculis in omni casu cum istis, & similibus generalitatibus procedendum sit.

a *disc. 30. cum pluribus seqq. de emphyteus.*

OBSERVATIO CCXXII.

Emphyteusis ecclesiastica, an restricta ad solos sanguinis successores, vel ad extraneos transitoria sit.

IDem quod præcedenti observatione insinuatum est, in hoc themate quoque dignoscitur, ut nempe cum quibusdam procedatur generalitatibus, vel cum majori, & minori auctoritatum calculo, similibusque idealitatibus, non distin-

guendo singulorum casuum circumstantias, illatu præsertim moris regionis, vel qualitatis bonorum, ideoque consuetæ dignoscuntur irrationabilitates, & ineptiæ, & quandoque asperitates cum rerum judicatarum inconstantia, & varietate; Voluntatis enim, & per consequens facti potius, quam juris est quæstio, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulanda, & decidenda, non autem Scholasticorum more cum generalitatibus, ac idealitatibus in abstracto procedendo, vel cum aliquarum auctoritatum litera, quæ diversos percuriant casus, cum tunc ineptia, & irrationnabilitas remaneant. a

OBSERVATIO CCXXIII.

De purgatione moræ, ex æquitate concedenda, vel deneganda.

EMphyteutam in solutione canonis morosum per biennium, ubi ecclesiastica sit concessio, & per triennium, ubi sit prophana, nisi lex investituræ, vel consuetudo alium statuat terminum, jure suo privatum lex declarat, unde propterea caducitati locus fiat; Quædam vero æquitas, quam aliqui frequentius a jure Canonico derivare volunt, alii vero etiam a civili originari certant, hunc temperant rigorem, ut ad moræ purgationem, ubi jus domini deregius effectum non sit, admittatur morosus, cum decursorum canonum prompta solutione, ob quam sibi incursa remittatur caducitas; Idque moderniores extenderunt, etiam ubi dispositioni legis accedat dispositio hominis, quia in investitura, vel in concessione eadem adjiciatur prohibitio; Verum & in hoc asperitatem, ac irrationabilitatem sequi, frequens praxis docere solet, ut quod juste, atque miserationis gratia ex æquitate introductum est, cum iniquitate exerceatur, ideoque morosi, & delinquentis malitia potius confoveatur, cum præjudicio domini innocentis, cui non adimplendo, injuria facta est, dum ita malitiosus emphyteuta studiose hanc recognitionem negligere potest, ut domino non curante, ejusque subsequente morte, vel respective mutatione, ut in Ecclesiarum Rectoribus, & Prælatis contingit, ita res in oblivionem transeat, ipseque directum dominium, ac rei libertatem usurpet, ab ista æquitate assecuratus, ut ejus detecta malitia, impunitus remaneat, quo nil absurdius, nilve irrationabilius; a Idque ab eodem manat fonte procedendi indefinite cum litera, & cum generalitatibus, cum verius practicandum sit, spectata ratione, vel fine, ob quem istud æquitativum præsidium introductum est, quando nempe paupertatis, vel absentiæ, alteriusque justi impedimenti ratio, aut justa ignorantia probabilem præbeant excusationem, quodque ille morosus a culpa, & malitia positiva immunis, ista æquitate dignus reputandus veniat, non autem quando ex malitia, vel protervia, dum iidem sacri Canones, ac pontificiæ leges id comprobant; b Vel quando pro motibus regionis congrua assistat ratio, ut generaliter cum legis rigore procedatur, istaque recepta non sit æquitas. c Ideoque pro facti qualitate, & circumstantiis, cum ratione potius, quam cum litera legis in ista æquitate regulanda procedendum est, rationalium, non autem irrationalium more judicando.

a *disc. 42. & seq. & disc. 46. de emphyteus.*
b *disc. 5. de feud.* c d *disc. 46. de emphyteus.*

OBSERVATIO CCXXIV.

Transitus ad manum mortuam rei emphyteuticæ an a Domino impediatur, & quando denegetur ista facultas extra manum non mortuam ponendi.

ANtiquarum legum, vel antiquorum interpretum rigor statuit, ut domino facultas concedatur denegandi, vel impediendi emphyteuticæ rei transitum ad Ecclesiam, vel aliam manum mortuam, ad quam ex successione, vel alio non culposo titulo obvenerit, unde propterea illa obligationem habeat extra manum non mortuam infra annum reponendi, accepto pretio ab eo, in quem transferat, ubi prohibitio ex sola dispositione legis proveniat; Ubi vero illa quoque hominis accedat, ut tunc domino concedatur vendicatio, dicta denegata facultate extra manum mortuam reponendi. a

Asperitas autem, ac irrationabilitas in hoc etiam dignosci videatur, id ad literam, & cum generalitate indifferenter practicando, sine illa circumstantiarum distinctione, quam humanus discursus, ac ratiocinium docent; Ubi namque de illa concessione agitur, quæ ad certum genus, atque ad certum sanguinem restricta est, tunc iste casus mortuæ manus non datur cum proximiore sanguinis hærede ob solemnem professionem incapaci effecto rem obtinendi jure privato (probabilius quidem) magis receptum sit, monasterio excluso, ad alium sanguinis proximiorem res transeat, eodem modo, quo in feudis dispositum, ac receptum est; Ubi vero hæreditaria concessio est, unde propterea ad quemcunque extraneum hæredem est transmissibilis, tunc non videtur cuinam rationi hæc innixa sit prohibitio ob cessantem ejus rationem tollendi spem devolutionis, qualis in illis viget concessionibus, quæ ad certas generationes, vel ad certum sanguinem restrictæ sunt; Sola namque discriminis ratio illa considerabilis videtur in mere hæreditaria, ubi penes privatam, ac non mortuam manum sit, ut illa sperari valeat devolutio, quæ juxta unam opinionem, cessante legitimo testato, vel intestato hærede, sequatur in exclusionem Fisci, quod modicum, nimiumque rarum redolet præjudicium, abunde compensatum a commodo resultante a quindenniorum introductione, quando penes manum mortuam perseverare permittitur, per quam alteri consultum est præjudicio laudemiorum, quæ obtinentur ea causa alienationis, quæ in Ecclesia est prohibita. Igitur evidens irrationabilitas videtur, hoc assumptum, juxta hodiernos mores post dictam modernam introductionem quindenniorum antiquioribus ignotam ita indifferenter practicare; Majorem vero asperitatem redolet alterum assumptum, quando dispositioni legis altera hominis accedit super hoc transitu, ut devolutioni locus aperiatur, atque denegetur facultas reponendi extra manum mortuam, cum æquivalentiæ receptione potissime, ubi ea non culposo titulo, id sequatur, adeout omnis delicti, & positivæ contraventionis absit suspicio, quia nempe cum bonorum universitate, & ex titulo directæ, vel obliquæ successionis universalis, ea res transeat, cum tunc formalem pœnam id redoleat sine delicto, vel quod delictum importet pie disponere.

a *disc. 48. & seq. de emphyteus. & in annot.*
b *dicto disc. 48. & 59. cum sequen.*

OBSERVATIO CCXXV.

De quindenniorum introductione, ac solutione.

PErmittente domino emphyteuticæ rei transitum, ac retentionem ad manum mortuam, quam de jure prohibere potest, ut proxime præcedenti observatione advertitur; Ut illi occurratur præjudicio, cui dictæ facultatis prohibendi ratio innixa est, quia nempe tollatur ea spes laudemiorum, quæ occasione alienationis extra personas per investituram vocatas solvi debent ratione consensus in alienationibus per dominum præstandi; Hinc ad instar introductionis Cancellariæ Apostolicæ in beneficiis, quæ manui mortuæ unita sunt, ut occurratur Annatistarum, & officialium præjudicio, in hac emphyteutica materia, idem quoque inolevit quindenniorum usus, qui in beneficiis introductus est. Rationabilis autem dicenda est introductio in genere, vel in substantia ob rationis identitatem, Irrationabilis autem in modo omnino similitudinario, circa quindecim annorum taxam; Ista namque in ecclesiasticis beneficiis ad solam vitam provideri solitis rationabiliter introducta est, dum compensata junioris, ac senioris ætate, probabilis, ac moderata est taxa a frequentiori contingentia regulata, cum per necesse beneficiorum vacationes, ac respective novæ provisiones secuturæ sint; Hæc autem ratio emphyteusi non congruit, cum per sæcula, seu per remotissima tempora probabiliter casus dari valeat, ut transitus bonorum intra personas ejusdem generis sequatur, nullaque fiat alienatio, ideoque certo extitura non sit consecutio laudemii, ut in consecutione annatæ pro beneficii vacatione, ac provisione extitura est, quando penes manum mortuam unitum non sit, unde propterea taxa suam non habet proportionem, sed irrationabilis, ac aspera censenda est, cum ad proportionem probabilis spei, pro personarum, ac bonorum qualitate, ac more regionis fieri debeat; Tunc autem eadem taxa rationabilis, & justa reputanda est, quando a quolibet novo successore, feudorum ad instar, petenda est renovatio, ejusque occasione solvendum est laudemium, vel alia recognitio, cum tunc vere, ac proprie intret assimilatio, atque beneficialis materiæ ad instar, ista quoque emphyteutica regulanda sit. a

a *disc. 49. & 50. de emphyteus. & in annot.*

OB-

OBSERVATIO CCXXVI.

Canonis diminutio, an per Emphyteutam petatur ob accidentalem rei emphyteuticæ notabilem diminutionem.

QUamvis in annalis, vel alias temporaneæ, & currentis locationis, & conductionis contractu, remissionem pensionis lex concedat conductori ob notabilem accidentalem non culposam, neque prævisam fructuum diminutionem; Attamen in isto emphyteutico contractu eam denegari magis receptum est; *a* Quæstione cadente in locatione perpetua, vel ad remotum plurium generationum tempus, an jure emphyteusis, vel jure temporaneæ locationis veniat iste contractus metiendus; probabilior autem opinio illum emphyteusi exæquat. In hoc vero idem dignoscitur error, asperitatum, & irrationabilitatum productivus, generaliter in omni casu procedere cum sola litera, quoniam verius reflectendum est ad rationem, cui differentia inter unum, & alterum contractum innixa est, qualis probabilius illa videtur, ut magnum commodum retroacti temporis longævi, antequam diminutionis casus contingat, istud compenset incommodum; Quamvis enim alia considerari soleat ratio inæqualitatis, quia nempe in casu augmenti, ac notabilis casualis melioramenti augmentum canonis dominus petere non valet; Non tamen ea congrua videtur, cum etiam in temporanea locatione cadat, & tamen negligitur. Igitur ad limites rationis conclusio practicanda videtur, quando nempe, juxta antiquam regularem emphyteusis naturam, exigua sit præstatio in dominii recognitionem, secus autem quando magna, quæ fructibus respondeat, unde propterea discriminis cesset ratio, cujus potius verificetur identitas, ut locationi assimiletur; Altera namque discriminis ratio assignari solita, ut in isto emphyteusis, aut perpetuæ locationis contractu sequatur translatio dominii, cujus sequela periculum esse debet, & quæ ratio in temporanea non cadit locatione; Attamen ex quadam legali subtilitate, vel superstitione potius, quam ex naturali veritate ista disparitas provenire videtur, quoties temporaneæ locationis ad instar, canon, vel responsio naturam potius habeat a fructibus regulata, ideoque irrationabilitas intrat.

a *disc. 54. de emphyteus.*

DE LOCATIONE, ET CONDUCTIONE.

OBSERVATIO CCXXVII.

Antiquo conductori adversus novum prælationem lex denegat.

CUM una lex congruum dicat, ut antiquus conductor novo præferatur; *a* Altera vero rem suam vendendi, vel locandi cuilibet libertatem concedat, injustum reputando, ut quis vendere, seu locare, & e converso emere, seu conducere invitus cogatur; *b* Hinc apud antiquiores involuta exorta est quæstio super hac prælatione, cum solita opinionum varietate; Aliis generatim, ac indefinite in vim primæ legis eam concedentibus; Aliis e converso in vim alterius legis indefinite negantibus, alteri legi respondendo, ut procedat in Fisci, vel Reipublicæ bonis, ob illam differentiæ rationem, quod ubi novus non reperitur conductor, antiquus ad reconductionem cogi valet, ideoque illud incommodum cum eo commodo compensatum remanent, secus autem in privatis, in quibus ista non cadit ratio; Et aliis inter Ecclesias, & privatos distinguentibus, ut in istis pars negativa procedat, in Ecclesia vero affirmativa, ex ea differentiæ ratione, quod ipsa æquitatem magis servare tenetur; Magis communiter tamen in foro apud moderniores, excepto Fisco, vel Republica, cui dictæ coactionis congruit ratio, tam in privatis, quam in Ecclesia pars negativa recepta est. *c*

Adhuc tamen irrationabilitatem redolet in litera cum hac generalitate in omni casu procedere, cum verius pro facti qualitate, & circumstantiis procedendum sit in spiritu, vel in ratione, qualis non est dicta libertas, quam legis rigor concedit, ut Pragmaticorum major pars opinatur, ex eodem vitio procedendi in litera, sed est eadem, quæ adversus retractum prælativum considerari solet, ut odiosus, atque exorbitans reputetur, ne scilicet ob hunc prælationis timorem, novi conductores, cum melioribus oblationibus, & conditionibus retrahantur, unde propterea antiquus ex hoc beneficio ansam habeat locatorem suffocandi, ac etiam ob æqualitatem servandam, dum locatori ad relocationem cogendi conductorem facultas denegatur; Quando autem pro locorum more, & usibus, aliisque circumstantiis, aliqua urgeat ratio, vel æquitas, quæ istis prævaleant rationibus, potissime vero illa considerabilis meliorationis, vel reductionis ad meliorem magisque æstimabilem statum rei conductæ unde propterea conductoris diligentia, vel factum novos alliciat conductores, qui meliores offerant conditiones, tunc prælationi locus dandus est, ne alias beneficium in maleficium convertatur; Ideoque in hoc themate idem dicendum est, quod pene in omnibus, ut non in litera legum, vel in generalitate regularum, & conclusionum procedendum sit, sed potius in ratione ex facti qualitate, & circumstantiis metienda. *d*

a *l. congruit, C. de locat. prædii. civil lib. 11.* b *l. nec cui, C. locat. & l. nec emere, C. de jur. delib.* c *disc. 52. de locat.* d *d. disc. 50. de locat.*

OBSERVATIO CCXXVIII.

De pensionis remissione, ob accidentalem rei conductæ diminutionem, conductori facienda.

ACcidentali non culposo, minusque præviso, vel prævidendo eveniente accidenti, quod intolerabile in fructibus rei conductæ inferat damnum, conductori pensionis remissionem fieri debere, sub defalchi, seu restauri vocabulo frequentius explicari solutam, utraque civilis, & canonica lex disponit, nisi præcedens, vel subsequens ubertas damnum compenset; Ubi vero non in fructibus damnum, vel deterioratio sit, sed in ipsa rei substantia, & in causa fructuum productiva, quæ in aliqua parte pereat, tunc notabile non desideratur damnum, sed tale quale sit, attenditur, quamvis modicum, eodem modo quo in fructibus etiam contingit, si ex voluntario a jure non permisso locatoris, vel tertii, quem ipse locator impedire potest, facto id sequatur. *a*

Super istius autem ita compendiose reassumptæ juris theoricæ praxi, vel applicatione, quando nempe in substantia, vel in fructibus damnum esse dicatur, & quando istud sit in fructibus, quale nam intolerabile ad hunc effectum dici mereatur, sive quando prævisum, aut prævidendum dici valeat, sive quomodo annorum computatio, vel peræquatio fieri debeat, ut præfata intret compensatio, aut quando locatoris, vel tertii ab eo dependentis voluntarium a jure non probatum factum verificetur, cum similibus considerationibus, magna lucta, magnaque involutio cernitur inter Scribentes, exindeque frequentes resultare asperitates, irrationabilitates, ac ineptias, & æquivoca, praxis docet, quod ex eodem in omnibus manat fonte procedendi cum litera legum, & auctoritatum, vel cum generalibus propositionibus, quoniam verius cum ratione procedendum est, juxta diversos regionum stylos, & mores, ac etiam pro bonorum, & præsertim appaltuum publicorum jurium, & effectuum diversa qualitate. Ideoque perpetuus est error dictorum inconvenientium productivus, cum generalitatibus in litera procedere, quoniam in uno casu legis ratio, & æquitas, pensionis remissionem suadere possunt, in altero autem denegandum est.

a *De hac materia, disc. 1. & seqq. de locat. disc. 64. & seqq. 105. & seqq. 113. & 159. de Regal. & alibi.*

OBSERVATIO CCXXIX.

An successor particularis locationi, seu colono stare teneatur.

INter privatos liberam suorum bonorum dispositionem, ac administrationem habentes, illa regula statuta est, ut universalis dependens successor, locationi, vel colono stare teneatur, particulari autem non; Ista vero posterior pars pene idealis esse videtur, ob tot limitationes, quibus dignoscitur subjecta, vel ratione scientiæ, aut ratione hypothecæ, sive juramenti, vel clausulæ *constituti*, aut quia sit cœptus annus, resque integra non sit, cum similibus limitationibus desuper dati solitis; In aliis autem bonis non liberæ dispositionis, ut feudalia, & fideicommissaria, vel dotalia, & similia sunt, in quibus successor jure suo independenter venit, inspiciendum est, an bona, vel mala fide actus initus fuerit, quia proprii juris expiratio immineret necne. Magis vero involutus est punctus, ubi de successore in beneficio ecclesiastico, seu Prælatura agatur, in quo casu non modica dignoscitur opinionum scissura, & rerum judicatarum inconstantia. *a*

Verum in his respective casibus procedere cum auctoritatum litera, vel cum conclusionum, & regularum generalitate, asperitates, ac irrationabilitates, & ineptias frequenter producit, quoniam verius procedi debet cum ratione, cui leges vel conclusiones innixæ sint, principa-

liter ad applicationem reflectendo, ex facti qualitate, & circumstantiis regulandam, & an bona, vel respective malæ fides exuberet, præsertim vero ubi agitur cum Ecclesia, quoniam cum illa justitiæ, & æquitatis profiteatur se matrem, & cultricem, ita indiscretus zelus procedendi cum litera, ipsam in justitiæ, & asperitatum potius esse nutricem ostenderet, ut præsertim ille docet casus, qui frequenti observatione insinuatur, cum similibus, quos frequens praxis docet.

a *de his omnib. disc. 24. 25. & 26. de Loc. & disc. 51. eod. tit.*

OBSERVATIO CCXXX.

Seminatum, vel alias melioratum per colonum in solo conducto prater legem conductionis, solo cedit ad favorem locatoris; Et generaliter de melioramentis in re aliena factis.

JUris regula disponente, ut quidquid in alieno solo ædificatum, vel plantatum, aut satum, vel alias melioratum sit, domino soli cedat; Hinc detestabilis usus insistendi in rigore literæ illam quandoque in magnis etiam, ac supremis Tribunalibus produxit asperitatem, ut satum, vel melioratum per conductorem in fundo conducto, cujus conductionem, naturali veritate, seu conventione attenta durare juste opinabatur, ejus autem expiratio prætendatur ex ea juris subtilitate, quæ præcedenti observatione insinuatur, quia nempe successor in Prælatura, prædecessoris locationi stare non teneatur, Ecclesiæ dominæ, vel prædecessoris in prælatura cedere deberet, *a* Res quidem nimium aspera, & irrationabilis, ut ita Ecclesia, quæ justitiæ, & æquitatis mater, & cultrix est, de alieno locupletetur, quod ipsa privatis adeo rigorose prohibet.

Duplex namque hujus regulæ assignabilis est ratio, una nempe, ut hæc pœna sit temeritatis, quam alteri opinantur, altera vero implicitæ, vel præsumptæ donationis; Utraque tamen, certam, ac positivam exigit malam fidem, ex qua vel criminosa temeritas, vel probabilis donandi præsumptio resultet, quorum neutrum verificabile est in colono rustico agrariæ arti operam navanti hujusmodi subtilitatum, ac superstitionum legalium ignaro, qui bona fide in suo colere, ac seminare credidit, juxta statutum ex conventione tempus cum prædecessore, ideoque manifestam id redolet asperitatem, ac irrationabilitatem, quæ frequens quoque dignoscitur generaliter in melioramentis, quæ fiant in re aliena per quemcunque possessorem bona fide opinantem se dominum, quem postea talem non esse denegatur; *b* Potissime vero, ut in alia casus contingentia, quando attenta veritate naturali, ac de facto justum haberet emptionis titulum, qui ex eisdem Juristarum formalitatibus, ac superstitionibus, ob aliquas male servatas solemnitates, invalidus declaretur, cum ita utraque excludatur assumpti ratio, temeritatis nempe criminosæ, a qua qualibet justa opinatio excusat, & præsumptæ donationis in dubio non admittendæ, quando talis animi probabilia non accedant argumenta, ut propterea idem sit dare inconveniens, in privatis etiam damnatum, magis vero, ut præmissum est in Ecclesia, locupletationis de alieno contra justitiæ, & æquitatis regulas; *c* Semperque edocemur quam evidens iste sit error cum sola litera, vel cum generalitatibus procedendi, atque judicia efformandi, cum verius procedendum sit cum legis spiritu, vel ratione ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, prudenti, beneque regulato probi ac rationalis viri arbitrio metienda, atque alias, vel asperitas, vel irrationabilitas, aut ineptia pene semper inesse dicitur.

a *Apud Bich. dec. 437. 472. & 470. cum aliis disc. 28. de Loc.* b *disc. 35. de Legit. & Detr. cum n.. disc. 37. de feud.* c *disc. 4. de Alien. & contract. prohib. & eod. disc. 35. de Legit. & Detract.*

OBSERVATIO CCXXXI.

De bonis invectis, & illatis in domum, vel fundum conductum, pro pensione affectis.

HYpothecam quamvis non conventam locatori concedente lege pro pensione in bonis, quæ per conductorem in re conducta invecta, & illata sint, ex istius legalis dispositionis literali intelligentia, ac generali praxi, plures oriri solent asperitates, ac irrationabilitates, cum extremis vitiosis; Aliqui namque solum privilegium concessionis hypothecæ attendentes, conductorem collocant inter alios hypothecarios creditores, ut propterea cum eis concursum cum ratione temporis habere teneatur; Alii vero e converso potioritatem adversus quoscunque anteriores illi concedunt; Et alii ad aliena etiam bona, quæ per conductorem invecta, & illata sint, extendunt, *a* ita generaliter, & in abstracto unam, vel alteram sequentes opinionem ad literam factionario more.

In hoc itaque dignoscitur idem irrationabilitatis, vel asperitatis vitium, quoniam potius in ratione procedendum est, cui legis provisio innixa est, adhibendo sacram anchoram distinctionis, sine qua pene inevitabile hoc vitium remanet. Ubi namque de alienis agitur bonis, quæ per conductorem expresse hypothecari non possunt, & tunc non videtur, ut hæc legalis tacita hypotheca intret, quoniam plus operari non debet fictio, quam veritas, aut plus tacitum, quam expressum, solumque locatori superest actio de in rem verso in ea tata, quam ipsorum bonorum conservatio importat, quatenus ex facti qualitate hæc actio intret; In bonis autem propriis conductoris, ut ad loci consuetudinem primario reflectendum sit, & an pro alimentis aliquod competat privilegium, quod ad habitationem extendendum videtur; Juris autem communis generali dispositione attenta, inspicienda est qualitas bonorum, & an de eorum natura talia sint, ut eorum fidem locator principaliter sit secutus, adeout adaptentur ea, quæ in manuali pignore conventionali ex quadam æquitate ratione commercii considerari solent, juris scripti temperando rigorem.

a *disc. 39. de loc.* b *Ibid.* c *disc. 22. de Cred.*

OBSERVATIO CCXXXII.

Pro usu proprio, an liceat inquilinum durante locatione expellere.

SUperveniente indigentia pro usu proprio, locatorem posse durante adhuc locatione inquilinum expellere, lex expresse decernit; *a* Exindeque deducitur regula, quæ per ora etiam vulgarium volitat, atque clara reputatur attenta litera, & tamen pene idealis videtur fere unquam ad praxim deducibilis, ob tot restrictiones ab Interpretibus datas, & super quarum verificatione non modica dignoscitur inter recentiores pugna, super indigentiæ scilicet qualitate, an præcisa requiratur, vel sufficiat moralis, ac etiam quando ea inopinato supervenia dicatur, quæ prævideri non potuerit, & an juramentum, & hypotheca aliaque vincula de stylo apponi solita istud tollant beneficium, sive (præsertim in Urbe) an ista lex usu recepta sit, quod sub Judice indecisum pendere videtur. *b*

In his itaque ineptia dignoscitur eorum, qui cum litera, & in superficie procedunt, hujus facultatis exercitium facile, ac promptum reputando, quoniam priusquam per plures instantias, quæ in articulo appellabili, & ordinario potius, quam executivo cadunt, lis terminetur, ipsa terminatur locatio, ubi ad breve sit tempus, ubi vero ad longum, tunc quia speciem alienationis redolet, adeout sub prohibita alienatione cadat, non improbabiliter dubitandum est, an hujus legis dispositio intret; *c* Ideoque in hoc eadem quoque adhibenda venit regula, procedendi in ratione, ex facti qualitate, & circumstantiis regulanda, potius quam in litera, reflectendo præsertim, an illæ cadant dubitandi rationes, ob quas in Urbe, seu Romana Curia istam legem usu receptam non esse, una opinio non improbabiliter creditur.

a *l. ade, C. locat.* b *disc. 45. de Locat.* c *Eod. disc. 45.*

OBSERVATIO CCXXXIII.

Locatio bonorum Ecclesiæ ultra triennium, neque pro licito triennio substinetur.

REstringente Pauli II. Constitutione, cum qua in rerum Ecclesiæ prohibita alienatione proceditur, locandi facultatem intra triennium, ita dirimendo quæstionem apud antiquiores involutam cum opinionum varietate, quando ad longum tempus locatio facta dicatur, ut propterea sub prohibitione cadat, ubi ultra triennium fiat. Modernorum præsertim sensus magis communis est, ut si pro longiori tempore fiat, in totum corruat, etiam pro licito triennio, adeout utile per inutile vitiatum sit, *a* Id autem ex quadam juris, vel Juristarum subtilitate, quæ superstitionis speciem redolet, provenire videtur, ut propterea irrationabilitatem, vel asperitatem contineat, potissime vero ubi de illis agatur personis, in quibus utpote hujusmodi subtilitatum ignaris, bona fides caberet, neque pro facti qualitate, fraudis, & calliditatis urgeat

suspi-

fpicio, potiffime quia non in omnibus bonis curfus folatis annum regulat, cum in aliquibus a fructuum natura, & perceptione, vel culturæ qualitate id pendeat, ut quandoque triennium, ac majus fpatium, pro uno reputetur anno, juxta quafdam fubtilitates vix Jurifconfultis notatæ funt; *b* Ideoque Ecclefia, quæ veritatis, & æquitatis naturalis mater, & cultrix effe profitetur, atque magis effe debet, legis rationem potius, quam literam attendendo, datam fidem pro eo tempore, quo fervari poteft, attendere, ac fervare tenetur, non autem cum rigorofis legis fubtilitatibus, ac fuperftitionibus illam violare.

Illa quoque ex eadem fubtilitate accedente irrationabilitate claudicationis, ut in facultate Ecclefiæ fit contractui, quamvis invalido acquiefcere, atque privatum contrahentium ad illius obfervantiam compellere, ipfa vero e converfo ifta deftituatur facultate, *c* contra illam æqualitatem, quam utraque lex civilis, & canonica, quinimo per modum loquendi ipfa lex naturæ, quæ ita explicari folet, pro illo inftinctu, qui a ratione regulatur, & qui homines tanquam animalia rationalia a brutis, & irrationalibus diftinguit.

Æquivocum item, quod ineptiam implicat in ifta triennali bonorum Ecclefiæ locatione, procedendo in litera, vel in fuperficie, dignofcitur, quando pro aliquarum regionum moribus, in urbanis præfertim prædiis, illa adjiciatur conventio, ut elapfo convento triennio, atque non fecuta ex parte utriufque contrahentis contraria animi declaratione, cenfeatur facta relocatio pro confimili triennio, & fic fucceffive de triennio in triennium, ut ifta conventio invalida cenfenda fit, etiam pro ipfo primo triennio; Evidentem etenim errorem, ac ineptiam id redolet, ubi continuatio ex prima conventione arctativa, & neceffaria non fit, fed ex implicita nova conventione, novaque libera voluntate, cum actu negativo explicata, & cum libertate partium non continuandi, cum tunc revera in quolibet triennio nova dicatur locatio, & tamen in hunc errorem, etiam aliqua magna Tribunalia incidiffe dignofcitur, *d* ex eodem vitio procedendi in auctoritatum litera, & fuperficie, vel in conclufionum generalitate, neglecto difcurfu, vel ratiocinio, quod diftinguere, atque ad hæc advertere docet, an fcilicet continuatio neceffaria, & obligatoria fit, vel potius voluntaria, & ex implicita nova conventione, ad inanem evitandum circuitum ex tunc explicata, ideoque femper error eft in litera, non autem in ratione procedere.

a Extrav. Ambitiofa, de reb. Eccl. non alien. & difc. 22. *de Locat.* b *difc.* 1. *de alien. & contract. prohib. & difc.* 22. *de Locat.* c *Eod. difc.* 1. *de alien. & contract. prohib.* d *d. difc.* 22. *de Locato, & d. difc.* 1. *de alien. & contract. prohib.*

DE REGALIBUS, HOC EST, GABELLIS, LOCIS MONTIUM, ET ALIIS SIMILIBUS.

OBSERVATIO CCXXXIV.

De Gabellario excessivam gabellam exigente.

QUadam indicta gabella fuper porcis, ut quando magni, atque jam perfecti fint, integra exigatur, quando vero imperfecti, adeout ad differentiam, porcaftri pro regionis loquendi ufu appellentur, dimidiata; Cum ftatus medius detur, qui in gabellæ capitulis omiffus eft, obfervantia inductum, ut etiam media teneretur via, nempe tres ex quatuor integræ gabellæ partibus exigendo; Rebufque jam in hoc ftatu exiftentibus, dum cum hoc præfuppofito, quod penfionis, vel pretii pars fuit, quidam negotiator gabellam conduxit, five juxta loquendi ufum in appaltum fufcepit, præfatumque exactionis tenuit modum, attamen finito appaltu, tanquam indebitæ, atque excesfivæ gabellæ exactor, ad integram fummam fifco reftituendam, cum fubfecuto effectu condemnatus fuit; res quidem nimium afpera, & irrationabilis, vel quia in hac media fpecie inter perfectos, & imperfectos, tanquam in cafu dubio, fi totum exegiffet, non illicite egiffe dici poffet; Igitur minus illicite ita egit; Vel quia in ambiguis obfervantiæ tanquam optimæ interpreti deferendum eft; Vel demum, & clarius, quia tunc gabellarius de exceffiva exactione merito redarguendus eft, quando ipfe fit introductor, qui pro gabellariorum more exceffivam exaturiat exactionem, nullo vero pacto ubi rem in eo ftatu jam reperit, quoniam ille ftatus inducit præfuppofitum cum quo ea penfio oblatura. Magifque irrationa-

Card. de Luca, Lib. XV.

bilitatem, ac afperitatem convincit fubfequens eventus, quod neglecta quadam contraria provifione, ne, utpote improbabili, maleque fundata, idem exactionis modus reftitutus eft, atque continuatus, ideoque canonizatus; Igitur quilibet agnofcat quæ & qualis juftitia, vel major, aut minor probabilitas refolutioni affiftat. *a*

a de ifto cafu difc. 71. *de Regal.*

OBSERVATIO CCXXXV.

Provifi de officiis, ac beneficiis, & dignitatibus, quæ de eorum natura, ab ufu comprobata, perpetua fint, an removeri valeant.

NON poffe Papam, vel refpective fupremum Principem officiis, ac beneficiis, & dignitatibus, quæ de fui natura ad vitam funt, poffeffores privare abfque delicto, pro quo talis pœna cadat, vel faltem abfque jufta caufa, quæ publicam refpiciat utilitatem, opinatur quædam Juriftarum, ac Moralium non exigua claffis, ex ea faltem poteftate, quam ordinariam dicunt, illi opinantes poteftati id competere, quam dicunt plenam, & abfolutam; eam tamen damnat, illud adhibendo dicterium, ut de plenitudine tempeftatis potius, quam poteftatis id fieri dicatur. *a* Simplicitatem vero, quæ ad ineptiæ metam afcendat, id redolet, potiffime, & clarius ubi de gratuita provifione, vel conceffione agitur, adeout non intret confideratio caufæ correfpectivæ, & contractus onerofi, in quo Princeps jure privati habendus eft, & quo cafu quidam interpretativus, vel moralis ex lege congruentiæ, & honeftatis potius quam verus, & pofitivus poteftatis defectus adeffe dicitur; Effe fiquidem officia, vel beneficia, & dignitates, aliaque jura hujufmodi ad vitam, vel alias majoris durationis in pofteritate, non provenit a jure divino, quod fub fe implicat naturale, ut propterea fupremæ poteftati humanæ non fubjaceat, fed provenit a jure pofitivo ecclefiaftico, vel refpective prophano, cui Princeps tanquam lex animata derogare, vel difpenfare poteft; cum illius fit deftruere, cujus eft condere; Et quamvis aliqui fuper obfervantia provifionum præfertim ex caufa onerofa, & correfpectiva, indifpenfabile jus naturæ, vel gentium ponderent; Nihilominus ubi jus divinum veteris, vel novæ paginæ in parte morali obligatoria non urgeat, id pariter fimplicitatem, ac fabulæ fpeciem redolere videtur, ut occafione agendi de juris, aut legum diftinctione alibi advertitur, quoniam non omne, quod ex quodam naturali inftinctu qui infitus eft, & potius a religiofa, civili educatione, quam a natura cogente jus naturale obligatorium proprie dicitur, fed potius improprie, ac pro noftro modo loquendi.

a difc. 20. *&* 148. *de Regal. & in annot.*

OBSERVATIO CCXXXVI.

De tranfitu libero locorum montium, aliorumque fimilium jurium cum Republica in tertium, non obftantibus vinculis, quæ favore creditorum per venditorem in eis adjecta fint.

EXorbitanti, ac odiofo, & irrationabili privilegio aliqui referunt illam libertatem locorum montium, aliorumque confimilium jurium cum Principe, vel cum Republica, quam praxis docet, non obftantibus hypothecis, alifque vinculis defuper per venditorem contractis, quoties illa in ejufdem Reipublicæ libris, ac in literis defuper expediri folitis defcripta, cum eadem publica auctoritate non fint, quafi quod ita fit jus tertii tollere, ipfumque jus naturæ, vel gentium lædere. Verum id æquivocum, ac fimplicitatem redolet, quoniam cum publicus favor prævalere debeat privato, ita pro ipfius Reipublicæ beneficio expedit hujufmodi jurium libertatem omnimodam confervari, cum iftud hodie reputetur melius, magifque promptum, ac opportunum Principum, ac Rerumpublicarum peculium, vel præfidium in earum indigentiis, ideoque fummam libertatem, fummamque fidem in eis confervari expedit. Aliaquoque in idem accedente ratione, quod eadem jura de fui natura, non privati, fed publici, ac regalis poteftatis & commercii effe dicuntur, ideoque ab ipfo Principe, vel Republica directe, ac immediate obtineri, ac recognofci dicuntur; quamvis ex privatorum poffefforum correfpectiva refignatione, tanquam per fpeciem emptionis, & venditionis indifferentium bonorum obtineantur, ideoque emptor ipfius Principis, vel Reipublicæ fidem potius, quam illam privati poffefforis dicitur fequi, ad inftar refignationis Beneficiorum Ecclefiafticorum; Unde propterea poffeffor, qui refignat, fuum jus transferre non dicitur, fed potius illud ex-

stinguere, ac supprimere, eoque extincto, vel suppresso, in emptore, vel resignatario novum ex integro jus efformatur directe, ac immediate ab ipso Principe, vel Republica, eodem modo quo debitore proprio creditori debitum solvente, vel censum extinguente, omnes hypothecæ, aliaque vincula, quibus illud nomen, vel ille census subjacebat, cessant, ac resolvuntur, sibique creditores, vel alii jus habentes imputent, cur desuper publicam auctoritatem super eorum hypothecis, vel vinculis interponi, atque in libris, vel respective in literis describi solliciti non fuerint; unde propterea simplicitas ac irrationabitas est, id exorbitanti privilegio referre, cum ex ipsorum jurium natura potius id proveniat. a

a *de his disc. 26. & seqq. de regal.*

OBSERVATIO CCXXXVII.

Datis in dotem locis montium, vel aliis juribus vacabilibus & vitalitiis, sive usufructu, quid restituendum veniat.

QUamvis Pragmatici multas desuper adhibeant distinctiones ac subtilitates ex verborum cortice, vel contextura desumptas, an ipsum jus in abstracto in dotem datum sit, vel potius fructus exinde percipiendi qui principaliter in contractum deducti sint, tanquam per speciem sortis, ut priori casu, nihil restituendum veniat, nisi ipsum jus percipiendi in futurum, quatenus adsit, ac duret, & tale quale sit, non autem id, quod medio tempore constantis matrimonii perceptum fuerit; secus autem in altero casu, ut tunc fructus percepti, proprietatis naturam habeant, adeout illorum intermedia fruitio stet loco illorum fructuum, quos in compensationem onerum matrimonii vir obtinere debet, & suos facit. Ineptiam tamen, ac irrationabilitatem evidentem id redolet, ex eodem consueto, & connaturali fonte manantem procedendi cum verborum formalitatibus, vel cum legum, & auctoritatum litera, aut cum conclusionum superficie, non reflectendo ad substantiam veritatis, ex factis, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis desumenda. Cum etenim quandoque ipsorum vacabilium, seu vitalitiorum jurium fructus, & emolumenta talia sint, ut pro qualitate personarum, ac moribus regionum, currentibus matrimonii oneribus vix proportionata sint, unde propterea in quotidianos, & currentes consumuntur usus, utique prorsus irrationabile, ac fabulosum est, ob verborum formulam, seu contexturam; quæ uno, vel altero modo ab imperito Notario concepta sit, ita virum obligare ad restituendum in sorte, vel proprietate, id quod tanquam proportionatum fructum pro matrimonii oneribus supportandis percepit, & consumpsit; Secus vero ubi (quod tamen nimium rarum est, forteque numquam ad praxim deducibile) adeo magna, & excessiva sint hujusmodi emolumenta, ut eorum fructus, ex eorumdem investimento percipiendi præfatis oneribus respondeant. Ideoque non juris, sed facti censenda est quæstio, ex præmissis considerationibus, ac facti circumstantiis regulanda, & decidenda, evidensque remanet error, irrationabilitatum, ac ineptiarum productivus, cum distinctionibus, ac formalitatibus ex verborum cortice desumptis procedere, cum potius in spiritu, vel in ratione, ut supra procedendum veniat.

OBSERVATIO CCXXXVIII.

De publica annona per Principem, vel ejus nomine per Magistratus, aut per Civitatem administrata, quibus potiatur privilegiis, quæ ipsi Principi, ejusque Fisco, vel Civitati de jure competunt.

PRincipe in Metropolitica præsertim ejus residentiæ Civitate per publicos Magistratus ad id deputatos, vel respective ipsa Civitate, vel Republica annonam administrante; Quæstio cadit, an pro victualibus, quæ pro publica annona, vel ubertate emuntur, vel alias de loco ad locum vehuntur, & introducuntur, illa intret a gabellis, aliisque oneribus exemptio, quæ ipsi Principi, ejusque Fisco de jure competit, sive Reipublicæ, aut Civitati, quæ domina sit gabellæ, vel alterius oneris ob eamdem exemptionem, quæ domino, & locatori gabellæ pro rebus suis de jure competit; Atque in hoc pariter idem dignoscitur error irrationabilitatum, ac ineptiarum, vel asperitatum productivus, procedendi cum regularum, vel auctoritatum litera, ac generalitate in abstracto, ad speciales non reflectendo circumstantias, ex quibus inspiciendum est, an congruat nec ne hujusmodi exemptionis ratio, quæ omnium regulatrix esse debet. Ubi etenim ista annonaria administratio, quæ a Principe, vel respective a Civitate fiat, aliud revera non importet, nisi quamdam publicam, beneque regulatam, ac nimium commendabilem ex officii debito incumbentem œconomicam administrationem, in gratiam populi, ad occurrendum dardanariorum oppressionibus, & suffocationibus, aliud ipso Principe, vel Civitate non patiente damnum, vel incommodum, nisi illud mutui, vel accommodationis promptæ pecuniæ, cujus plenam deinde obtineat æquivalentiam, cum eorumdem victualium usu, & venditione; Et tunc Principis, vel Civitatis negotium geri non dicitur, sed potius privatorum, qui gabellis, & oneribus subjacent, ideoque justum, ac rationabile est, ea persolvi. E converso autem, ubi magna penuriæ calamitate ita exigente, Principis, vel Civitatis, hæc annonaria administratio œconomica solum non sit, sed admixtam habeat donationem, quæ populo fiat, cum damno in proprio ære, victualia pro minori vendantur pretio, quam empta sint, & tunc exemptio intrare debeat, cum ita spectata rei substantia, & veritate, non a populo, sed ab ipso Principe, ejusque Fisco, vel respective ab ipsa Civitate supportari alias dicerentur; ideoque semper a litera, & generalitatibus in abstracto, in judicando, & consulendo cavendum est, sed insistendum est in spiritu, vel in ratione, cui legis dispositio innixa sit, reflectendoque pro facti qualitate, & circumstantiis, an illa ratio, necne congruat, atque alias irrationabilitates, ac asperitates perpetuo resultant. a

a *disc. 44. & seqq. & disc. 125. de Regal. & in annot.*

OBSERVATIO CCXXXIX.

De Clericorum, & Ecclesiasticorum exemptione a gabellis, aliisque publicis, quomodo intelligenda, & practicanda sit.

IN ista realis ecclesiasticæ immunitatis materia præsertim, in qua canonum, & legum dispositio, quæ illam concedit, justa, nimiumque rationabilis, ac pia censenda est, magnæ dignoscuntur asperitates, ac irrationabilitates, & exorbitantiæ, quandoque ex bono quidem, sed indiscreto, maleque regulam zelo provenientes, ideoque congruit dictum, quod sit effectus malus ex bona causa, ex eodem fonte hoc malo derivante, quod in litera, non autem in ratione proceditur. Immunitatis etenim realis clericorum, & ecclesiasticorum illa ratio est fundamentalis, quod cum ipsi spiritualia ferant onera, orationum, vigilarum, jejuniorum, aliarumque asperitatum, nec non administrationis sacramentorum, aliorumque divinorum, quibus laici non subjacent, hinc justum, ac rationabile est, ut a laicalibus oneribus exempti sint, cum ita utrumque genus hominum respective communia Reipublicæ onera pro diversa qualitate supportare dicatur, istaque est vera, & germana ratio, non autem altera frequentius per Pragmaticos considerari solita, quamvis in suis respective casibus, vel ad aliquos effectus, ratione deficientis potestatis, cum ista sola ratione attenta non deberet ecclesiastica immunitas locum sibi vendicare, quando utraque potestas penes eumdem Principem, vel Rectorem residat, ut sacra pagina veteris testamenti, tunc sequi docet, ac etiam in aliquibus Principatibus, & ditionibus, in illa præsertim temporalia dominii Ecclesiæ, ac etiam in tribus Ecclesiasticis Electoribus Germaniæ, aliisque Prælatis utramque spiritualem, & temporalem, tam cum clero, quam cum populo potestatem habentibus praxis docet.

Hinc effectus hujus immunitatis ille debet esse, ut clerici, & ecclesiastici in primævo conserventur statu libertatis, priusquam gabellarum, & onerum sequeretur introductio, & perinde ac si illa in rerum natura non essent, unde propterea integrum suorum bonorum fructum, & emolumentum assequantur intrinsecum, & naturalem, illamque non patiantur accidentalem diminutionem, & jacturam, quam gabellæ, & onera in ipso domino utente pro se ipso, vel aliis vendente producant, non autem, ut ad lucrum, & mercaturam eorumdem id tendat, quodque ad privatam convertant utilitatem illud extrinsecum alteratum pretium rerum, quod ipsa onera laicalia producunt, vel quod laici emptores occasione emptionis, & usus bonorum, vel fructuum pro publicis oneribus supportandis persolvant, adeout id, quod sub hoc prætextu immunitatis

ad

ad lucrum, & commodum illicitum Ecclesiasticorum tendit, duplicatum laicorum damnum, ac onus importet, quia nempe pro publicis indigentiis supplendis alia supportanda sint onera; Id etenim nedum irrationabilitatem, sed asperitatem, & iniquitatem, ab ipsismet canonibus, ipsoque divino, ac naturali jure damnatam redolet; Ideoque in hac præsertim materia, in spiritu, vel in ratione, potius quam in litera procedendum venit, spectando scilicet finem, vel effectum a Canonibus consideratum, quodque Ecclesiastici præserventur a damno, non autem ut mercaturam desuper faciant, atque cum aliena locupletentur jactura. *a*

a *disc. 5. & seq. Miscell. Eccl. disc. 50. cum plur. seq. de reg.*

OBSERVATIO CCXL.

Forenses inhabilitari ad bonorum acquisitionem, vel pro eis quæ obtinent, ad majora onera obligari, an justum, & rationabile sit.

DAmnant aliqui locales leges, quæ inhabilitant forenses ad acquirendum bona in loco, quasi quod naturali libertati id repugnet, ideoque tales leges odiosas, exorbitantes, ac irrationabiles reputant; Alii vero e converso illas laudant, atque justas, ac rationabiles reputant, quasi quod justum, & rationabile sit, ut illi gaudeant illorum bonorum commodo, qui sentiunt loci incommoda, & asperitates; Aliaque dignoscuntur pro varietate opinionum extrema, quoniam aliqui nedum habiles volunt forenses ad bonorum acquisitionem, ac retentionem, sed etiam ut a loci oneribus, & contributionibus debeant esse exempti; Alii vero laudantes incapacitatem, quando huic dispensetur, approbant leges, quæ ad majora etiam duplicata onera illos gravant, ita pro humana imperfectione, & imbecillitate qualibet classe, vel factione, rationabile, ac justum reputante id quod sibi placeat, injustum vero, ac irrationabile id quod displiceat, exindeque sequitur, ut justitia, & veritas ignotæ sint, earumque incertus sit vultus, vel habitus, cum pro ingeniorum, vel interesse varietate, ac affectione quilibet suo genio veritatem, & justitiam accomodet. Verius autem videtur, ut in utroque extremo respective, irrationabilitatis, & asperitatis dignoscatur vitium, unam, vel alteram sententiam in literis mordicus attendendo, atque cum solis generalitatibus in abstracto procedendo, quoniam potius, neglecta litera, neglectisque generalitatibus, procedendum est, cum spiritu, vel ratione regulanda ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, ex quibus inspiciendum est, quale sit hujusmodi legum motivum, an justum, & rationabile, vel e converso animosum, ac injustum, & irrationabile dici mereatur. *a*

a *de his disc. 77. de Reg. dis. 149. de dote, & disc. 82. de feud.*

OBSERVATIO CCXLI.

Clericos, & Ecclesiasticos in temporali Ecclesiæ ditione publica supportare onera laicalia, quæ alibi non supportant, an justum, & rationabile sit.

SCandalum superficiale concipere solent, quod in temporali Ecclesiæ ditione Pontifex, ab utriusque sæcularis, & regularis cleri personis, gabellas, aliaque laicalia onera quasi pariformiter a laicis exigat, aliis vero Principibus interdicat, quasi quod ita violate sit regulam ab omni divino, ac naturali, & humano jure statutam, ut quisque juris in alio statuit, in se ipso statuere debeat, vel ut eadem ipse mensura metiri debeat, cum qua alios metitur. Verum, qui solam rerum callent superficiem, eorum error, ac ineptia hic est, quoniam Pontifex in propria temporali ditione, pro illius fidei, & catholicæ Reipublicæ indigentiis, ac oneribus Ecclesiasticos gravat, pro quibus justum, ac rationabile foret ubique eosdem gravari, abstinet autem in aliis, ex Apostolica tamen concessione eos gravant singuli respective Principes pariformiter pro regionum qualitate; ideoque irrationabilitas, & ineptia dignoscuntur, ita generaliter, ac in abstracto id considerare, atque stylum redarguere, cum potius rationis, & æquitatis fomentum id habeat, cum ejusdem Pontificis præjudiciali restrictione, ut id, quod ab omnibus exigere potest, contentus sit ab illis tantum exigere, qui in ejus temporali ditione vivunt. *a*

a *disc. 55. de Regal.*

OBSERVATIO CCXLII.

Extrinsecum nimium alteratum salis, aliorumque mineralium, ac victualium, aliarumque rerum pretium, cum jure privativo exigi, an justum, ac rationabile sit.

EXorbitans ab utroque jure naturali, & positivo reputatur Principum, & Rerumpublicarum, sive Civitatum introductio, ut in salis, aliorumque mineralium, ac victualium contractione jus detur privativum, cujus ratione nimium alteratum pretium, quod extrinsecum, & accidentale appellatur, ultra intrinsecum, & naturale, quod nullum, vel modicum est, & quandoque etiam in re sua solvatur, quasi quod ita naturalis impediatur libertas, atque Prophetæ lamentatio verificetur; *Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus*; Idemque asseritur in piscationum, & venationum, sive aucupiorum, aliarumque usualium rerum productivis locis, in quibus natura nimium liberalis, ac fœcunda sit, quasi quod naturæ beneficium, ac liberalitas tollatur, atque penuria inducatur, ubi magnam Deus, & natura copiam, ac largitatem præbent, ideoque de asperitate, ac irrationabilitate hujusmodi redarguuntur introductiones, quas nonnulli tyrannicas vocant.

Irrationabilitas vero, ac ineptia in hujusmodi censoribus potius dignoscitur, cum juste, ac provide, & rationabiliter, ita introductum sit. Cum etenim humana malitia eadem ac majora produceret inconvenientia, quia nempe hujusmodi naturæ beneficia, & liberalitates, ad aliquorum potentium, & concussorum occupantium commodum, & locupletationem cederent, unde propterea, sexu, ætate, aut valetudine, vel animo, imbecilles, nullam haberent participationem. E converso autem Principatus, vel Reipublicæ onera pro publicis indigentiis personalia, vel realia, ab imbecillibus magis, quam a potentibus, & concussoribus supportari frequentior experientia doceat; Hinc justitiam, æquitatem, ac rationem hæc introductio habet, ut ita hujusmodi prodigalitatis naturæ emolumentis in publicas indigentias tendentibus, minuantur imbecillium, ac etiam ipsorum potentium onera, ideoque omnes pariformiter naturæ beneficio, ac liberalitate potiantur, atque æqualis omnium conditio sit, ita injustitiæ, ac irrationabilitati potius occurrendo, ideoque irrationabile est, id redargui de irrationabilitate. *a*

a *De his juribus privativis, & regalibus in sale, & salinis, in mineralibus, in piscationibus, & venalibus, & similibus, disc. 2. de feud. disc. 106. cum plur. seqq. disc. 118. & 134. & 159. de Regal. & alibi pluries.*

OBSERVATIO CCXLIII.

Pro uno eodemque crimine, quemlibet Principem, vel dominum, qui jura Fisci habeat, bona in ejus ditione existentia confiscare, aliqui volunt, illam statuentes propositionem, quod quilibet confiscat in suo.

NON cognoscentibus Romanorum legibus, quas civiles communes dicimus, principatuum independentium, atque Fiscorum, & confiscationum pluralitatem, ac diversitatem, cum illud læsæ majestatis crimen, pro quo solum eisdem attentis legibus, bonorum publicatio decernitur, in toto illo orbe, quod in eorundem Romanorum subjacebat imperio, unum, & idem esset ubique crimen punibile, ideoque unus, & idem esset ubique fiscus, unaque confiscatio, quoniam unus erat supremus Princeps unumque imperium; Postquam vero præfati antiqui Romani imperii, præsertim in occidente, ob tot exterarum nationum incursiones, ac donationes secuta est dissolutio, atque tot tantique inter se diversi, ac independentes exorti sunt principatus, quorum quilibet, licet exiguus eadem imperii jura in sua ditione haberet, unde propterea tantum valeat in eo proprius Princeps, quantum dictus antiquus Imperator in eo valebat Imperio, atque de consequenti, fiscorum, & confiscationum secuta est multiplex diversitas; Hinc antiqui præfatarum legum interpretes, motivando pro regionis in qua vivebant, qualitate, quæstionem excitarunt in uno tamen eodemque Principatu, qui pro modo regiminis in plures provincias, diversaque gubernia, vel præsidiatus, sub eodem Principe, ita divisus est, ut quilibet præsidiatus distinctam habeat fiscalem crumenam, an bona, quæ criminosus possideat extra fines, ac territorium ejus, qui condemnationem cum bonorum publicatione fecit, sub ista cadant publicatione; Illamque adhibent distinctionem *a*

an cri-

an crimen tale sit, ut ex illis provinciæ, vel gubernii legibus particularibus istam pœnam publicationis bonorum importet, ut tunc non veniant, secus autem, ubi ex eo jure, quod utrique ditioni, vel provinciæ sit commune, ut tunc veniant; Istaque posteriori parte præsupposita apud moderniores magis receptum est, ut non fiscus loci condemnationis, sed alter fiscus loci situationis bonorum ea capiat, atque ita vere, ac originatie prodiit axioma, quod quilibet in suo confiscat.

His itaque sic stantibus, aliqua Pragmaticorum schola, ob idem in omnibus damnatum, atque inculcatum vitium nimium quidem detestabile, ut unus post alium, pecudum, vel avium more in sola litera, vel traditione absque alio discursu ambulet, præsupposito, quod per dictas Romanorum leges ubique communes læsæ majestatis crimen huic subjacet confiscationis pœnæ, credit, ut bona, quæ in omnino diverso, ac independenti Imperio sunt, sub ea cadant condemnatione, quæ in Principatu, cujus illius Principis majestas læsa fuerit, secuta est, quamvis illius Principis in cujus ditione sunt bona, amicus, & fidelis, vel non infidelis ille reus esset, unde propterea intret idem assumptum, quod quilibet in suo confiscat.

Æquivocorum autem, ac irrationabilitatum, & ineptiarum cumulum id continet. Primo nempe, applicando ad casum diversitatis principatuum, & ditionum independentium, quorum quilibet vere proprium habeat fiscum, præfatas majorum traditiones vere percutientes casum unius principatus, cujus regimen in diversas provincias, vel præsidatus sit divisum, & in quo revera ubique unius, & idem est fiscus, cujus arcæ, vel crumenæ ita sint divisæ, eodem modo quo in prædicto antiquo sequebatur Imperio Romano, ob omnimodam diversitatem rationis, quæ in uno, ac in altero casu intrat, ut infra. Secundo magis, in altero præsupposito, quod illæ leges Romanorum, quæ pro isto crimine bonorum publicationem demandant, sint omnibus principatibus æque communes, eo modo quo in præfatu antiquo imperio erant, pro quo prodierunt, cum verius cujuslibet principatus absoluti, ac independentis ex proprii Principis permissione, tanquam si ab ipso editæ forent, particulares dicendæ sint, communes nuncupatæ ex quodam usu loquendi ob principatuum communicationem in earum usu, & receptione, atque ad differentiam municipalium, ut alibi insinuatur; Tertio ob longe diversam rationem, quoniam ubi unus, & idem est Princeps, unumque imperium, tunc quamvis regiminum adsit divisio; juxta exemplum a præfatis majoribus traditum, ille, qui Principis personam lædit, ejusque majestatis reus est in uno loco, talis esse dicitur ubique per universum, Principatuum Gubernicorum, & Provinciarum neglecta distinctione, ut in enunciato antiquo Romano Imperio pariter sequebatur; Id autem utique dici non potest, ubi de pluribus agitur principatibus omnino diversis ac independentibus. Quarto quoniam bona sequuntur personam, atque ad istius punitionem accessoria sunt, ideoque cum reus majestatis unius Principis in eo principatu, non sit reus majestatis alterius Principis, neque in diversorum Principum ditionibus sit punibilis, quatenus egrediendo fines læsi Principis, in eis moretur; Igitur si punibilis non est persona, minus intrare potest punitio in bonis. Ac demum ita suadentibus, tam in humano discursu, quam communi usu tot sæculorum, postquam ob præfati imperii scissuram nostræ communicationis Orbis, & præsertim Italia in tot dominationes scissa est, tantasque passa est factionarias divisiones, quæ in die bonorum proscriptiones præsertim producebant, ut notæ historiæ docent, quod nobiles, ac prudentes divites, ita curabant, hodieque curant in pluribus principatibus eorum assem dividere, idque judicatur nimium prudens consilium, ut hujusmodi infortunio in uno contingente principatu, vel ditione, se alibi confovendi, ibique cum convenienti decore se sustentandi, aditus supersit, cum aliis plerisque rationibus in idem tendentibus; Ideoque irrationabilitatem, ac asperitatem, clarumque æquivocum id redolet.

a *De his omnibus, disc. 161. de Regal.*

OBSERVATIO CCXLIV.

Monetarum cusio de regalibus est Supremo Principi competens, vel cui ipse dederit, ut propterea ejus suprema potestas valorem illi tribuat.

STante hoc assumpto de jure vero, ac recepto, ut monetarum cusio supremæ potestatis sit effectus, atque Supremo tantum Principi competat: unde propterea inter jura regalia recensetur, Baronibus, aliisque inferioribus Dominis, & Magistratibus non competens, nisi quatenus ex Supremi Principis concessione, ejusque vice, ac nomine id agere dicantur, & per consequens, ut ab ejus potestate, illius monetæ valor pendeat, unde privata cusio inter graviora recensetur crimina.

Hinc superficiales, qui de more literæ famulantur, totum potestati tribuentes, opinantur ut ita Princeps magnum lucrum facere valeat, cudendo monetam materiæ minus bonæ, minorisque naturalis, vel intrinseci valoris, atque alteratum extrinsecum pretium, seu valorem ratione juris privativi illi tribuendo, eodem modo, quo de sale, aliisque usualibus alibi advertitur: Et aliquando cum eorum consilio, ad id parum prudentes, parumque probos impellunt Principes. Id autem asperitatem, ac irrationabilitatem redolet, malumque continet consilium, nedum subditis, sed ipsimet Principi nimium præjudiciale, quoniam quamvis iste sit potestatis effectus, illa tamen cum justitia, & ratione regulanda est, spectato fine, vel ratione, ob quam monetæ usus introductionem habuit, pro commercio scilicet inter exteros, potius quam inter cives, ut illa sequi valeat communicatio victualium, aliarumque rerum, quæ pro vita civili necessariæ, vel opportunæ sint.

Cum etenim natura ejus dotes, & gratias regionibus distribuerit, ut aliquarum rerum copiam, aliarum vero inopiam aliquibus locis concesserit, aliis vero e converso tribuerit copiam ejus, in quo alibi avara fuit, ita per hujusmodi communicationem ubique obtinentur ejus gratiarum effectus, ac propterea, necnon ob bellorum, aliorumque accidentium contingentiam, justitia, & ratio exigunt, ut in materia bonitatis, ac valoris intrinseci cudatur moneta, eique ille tribuatur valor intrinsecus, & naturalis, qui ubique sit idem, ac uniformis, alias vero asperitas, ac irrationabilitas est, quamvis lex alias facere non prohibeat, vel permittat, cum in hac parte exorbitans, ac irrationabilis ea censeri mereatur. a

a *de hac materia disc. 127. & seq. de regal.*

DE SERVITUTIBUS, ET DE RETRACTIBUS.

OBSERVATIO CCXLV.

De jure prothomiseos, seu de retractu prælativo, ac etiam de coactivo, tam in feudis, quam in aliis bonis.

PRælationem, sub juris prothomiseos vocabulo explicatam, leges feudales concedunt illis sanguinis, qui per investituram vocati sunt, atque feudi successionem sperant, in illius emptione adversus extraneum, in quem ejus possessor illud distraxerit, vel distrahere intendat. Quia vero istius privilegii ea solet ratio assignari, quod hæres sanguinis, mortuo alienante, nullo refuso pretio feudum ab extraneo emptore vendicare posset, unde propterea sit quædam præventiva successio, quæ emptoris potius utilitatem concernit, ita obtinendo restitutionem pretii alias amittendi, ac non refutandi; Hinc Scribentes nimium se involvunt in istius prælationis restrictione, ut solum in feudis pacti, & providentiæ antiquis procedat, in quibus successor alienantis hæreditariam qualitatem habere non tenetur secus autem in novis oneroso titulo quæsitis, quæ allodialium ac indifferentium bonorum respectu successorum, quodammodo naturam habere videntur, magis vero in hæreditariis, in quibus authoris factum impugnare non conceditur, cum similibus restrictionibus, super quibus consuetum certamen, atque opinionum scissura dignoscuntur. a

Verum & hoc consueti enunciari defectus irrationabilitatis, vel asperitatis respective dignosci videntur, ex eodem manantes fonte procedendi in litera, judaico, vel grammaticali more, non autem in spiritu, vel in ratione, quæ regulanda est ex feudi qualitate, an nobile, & honorificum, atque qualificatum sit cum dignitate, jurisdictione, & imperio, ut propterea agnationi, ac generi inferat decus, & prærogativam, ideoque expediat, ubi in ea diu illud steterit, magis conservari, ad instar illius prælationis, quam quædam recepta æquitas, & quæ in legem obligatoriam pertransiit, finita investitura concedit proximioribus ultimi deficientis adversus extraneum de novo investitum de feudo, vel emphyteusi, ut alibi advertitur. b Ista itaque rei substantia, vel ratio attendi videtur, pro facti qualitate, & circumstantiis regulanda, non autem in rigore literæ, vel in verborum formalitate immorandum est.

Eadem

Eadem irrationabilitas, vel asperitas dignoscitur in ejusdem prælationis denegatione in portione alienata proprii, vel improprii feudi dividui, vel jurisdictionalis dominii ad favorem consortis, in quo dicta ratio successionis non cadit, hujusmodi denegatione legali rigori innixa, quod illa in jure non legatur, sed quod potius leges civiles cuilibet pro libitu vendendi libertatem tribuant, decernendo, ut nec emere, nec vendere invitus quis cogi debeat. c Id enim quod in privatis indifferentibus bonis in sola ratione privati commercii, privatæque utilitatis ita statutum est, non bene ad hanc bonorum speciem adaptatur, in qua ob subditorum melius regimen, melioremque justitiæ administrationem, expedit dominantium possessorum, quo magis fieri potest abbreviari numerum, ideoque ex non scripta æquitate, vel ratione, quæ rigori literæ prævalere debet, eadem prælatio concedenda videtur, quamvis pro aliis superstitiosis formalitatibus, ita alienatio concepta sit, ut in ea de stricto rigore istud jus prothomiseos non cadat. d

Cumque per locales leges, vicinis, vel consortibus, aut respective conjunctis, etiam in allodialibus, ac indifferentibus bonis, ista concedatur prælatio, sub juris congrui, vel retractus prælativi vocabulo explicari solita, ac etiam vicino pro publico ornatu alicubi ille concedatur retractus, qui coactivus dicitur, ut nempe rei possessorem quamvis vendere nolentem ad id vicinus cogat; Hinc super hujusmodi legum intelligentia, & praxi, cum eodem vitio immorandi in litera, & in legalibus, vel grammaticalibus significationibus, ac superstitionibus, pleræque dignoscuntur asperitates, & irrationabilitates ineptiæ, quandoque illud denegando, quia rigor literæ non concedat, quamvis ratio, & æquitas assistant, & quandoque concedendo ex eodem literæ rigore, quamvis a converso, tam ratio, quam æquitas resistant; Id autem damnabile quidem censendum est, cum pro facti qualitate, & circumstantiis, in spiritu potius, vel in ratione, quam in litera hujusmodi leges attendi debeant, spectato fine, vel effectu per ipsas leges desiderato, ipsamque rei substantiam, ac veritatem attendendo. e

a *disc. 36. cum seqq. de feud.* b *Observ. 72.*
c *disc. 28. de feud.* d *eod. disc. 38. & 110. de feud.*
e *de hoc retractu prælativo, & coactivo sub tit. de servit. disc. 68. & seqq.*

OBSERVATIO CCXLVI.

Quilibet in suo pro libito ædificare potest, ejusque ædificium ad sydera extollere, quamvis exinde vicino damnum, vel præjudicium resultet.

VEra quidem, ac rationabilis ista propositio est, quoties æmulationis, quæ in dubio non præsumitur, non accedat circumstantia, ut cuilibet in suo faciendi quodliber, quod juvat, libertas concedenda sit, quamvis in præteritum diu ab istius facultatis usu abstinuerit, utpote in re facultativa, in qua non facere non præjudicat; Potissime quia possibilitas, vel opportunitas non semper concedit, neglecto damno, vel præjudicio consecutivo vicini, cum ad facientis utilitatem principaliter reflectendum sit, non autem ad id, quod accidentaliter, vel in consequentiam resultet in alterius præjudicium. a

Asperitatem vero, ac irrationabilitatem in istius assumpti praxi experimur ob idem vitium procedendi in litera, vel in superficie, ac generaliter, non autem in spiritu, & in ratione pro facti qualitate, & circumstantiis more rationalium ponderandi; Adhibent siquidem leges hunc loquendi usum facultatis extollendi usque ad sydera, ut pro libito facientis, altius, vel depressius fiat ædificium, absque eo quod vicinus ei legem, vel modum statuat; Discrete vero id intelligendum est pro communi, magisque frequenti regionis usu, non autem, in rem singularem, atque deformem potius elevationem facere liceat, ex qua æmulationis probabile resultet argumentum. b Quamvis etenim difficile nimium sit æmulationem convincere, cum quælibet utilitas, etiam illa oblectamenti etiam excludere soleat; Attamen ex isto singulari, ac insolito modo, quamvis utilitatem, vel oblectamentum producat, illa de facili arguenda est,

Idemque in facultate ædificandi in suo, in quo diu nullum extiterit ædificium, quoniam ubi nimia urgeat inverisimilitudo abstinendi ab istius facultatis usu, qui notabilem attulisset utilitatem, seu commoditatem, atque faciendi possibilitas, vel opportunitas etiam de præterito adfuerit; Vel ubi qualitas adjacentis ædificii, cui ædificando, vel aliud novum opus faciendo, præjudicium inferatur, verisimilem reddat servitutis existentiam, cujus nunc probatio, vel memoria apud posteritatem perierit, cum similibus circumstantiis, argumentis. c Igitur semper damnabilis remanet stylus, irrationabilitatem, ac asperitatem, & ineptiam parens, cum litera, & superficie legum, & auctoritatum, vel cum regularum, & conclusionum generalitate in abstracto, non autem in ratione ex facti qualitate regulanda in concreto procedere.

a *disc. 1. cum plur. seqq. de Servit.*
b *disc. 4. 21. & 110. de Servit.*
c *in casibus, de quib. disc. 2. & 3. de Servit. & in aliis proximis, eod. tit.*

OBSERVATIO CCXLVII.

De provisionali decreto, quod in operis novi nunciatione cadit.

UTrumque canonicum, & civile jus, ad favorem volentium in suo solo ædificare, sive depressioris structuræ domum altius extollere, adversus adeo frequentes, peneque perpetuas, & connaturales oppositiones vicinorum, quibus novum opus aliquod pariat præjudicium, illam induxit provisionem, ut nisi oppositor infra quemdam terminum, de servitute, vel alia justa oppositionis causa doceat, licentia concedatur novum opus facere volenti, ut faciat cautione præstita de demoliendo, quatenus causæ eventus doceat fieri non posse. a

Justa, & rationabilis regulariter est provisio, asperitatem tamen, ac injustitiam, vel irrationabilitatem frequenter id producat, ex eodem vitio procedendi in litera legum, & auctoritatum, sive in generalitate propositionum indifferenter in omni casu, non distinguendo singulorum circumstantias; Spectanda siquidem venit oppositionis facies verisimilis, vel inverisimilis, juxta considerationes proxime præcedenti observatione contentas; Ubi etenim oppositio probabilitatem non habeat promptam, ideoque suspicio cadat, ut pro novo opere indirecte impediendo, cum litigantium calumniis, ac subterfugiis formales petantur disputationes; & tunc justa, & rationabilis provisio sit, cum nec justum, nec æquum, ac rationabile sit, ut ille qui juris assistentiam habet, impediri debeat lite durante in eo opere, quod in suo pro naturali libertate facere velit. Ubi vero e converso oppositio probabilitatis habeat aspectum, servitutis autem sufficiens probatio prompta non sit, quia rerum memoria apud posteros perierit, & tunc secus. Durum namque, ac irrationabile videtur, ut qui diu proprium ædificium in eo aeris, ventorum, Solis, & grati aspectus bono statu possedit, ita de facto cum hoc provisionali remedio suffocatus remanere debeat; potissime quia hujusmodi demolitiones nimium raro, vel unquam sequi praxis docet, Ideoque in ratione potius, quam in litera pro facti qualitate id practicandum est. b

a *De isto remedio disc. 5. de Servit. cum seq.*
b *d. disc. 5. de Servit. & disc. 89. eod. tit.*

OBSERVATIO CCXLVIII.

Monasteria Religiosorum utriusque sexus, vicino altius extollere, vel novum opus facere, impediunt.

ASperitatis, ac irrationabilitatis, & inconstantiæ vitium respective in hoc dignoscitur privilegio, quod in suis casibus juste, ac rationabiliter Monasteriis regularibus concessum est, ut vicinis ædificandi in suo facultatem impediant, ubi ædificium in aspectu, vel prospectu, sive introspectu, aut in aeris amenitate, vel solis, ac ventorum salubritate præjudicet. Id etenim, vel ex indiscreto zelo, vel ex consueta ineptia procedendi in sola litera, indistincte cuilibet utriusque sexus religiosis a plerisque applicatur, non distinguendo viros a mulieribus, ob longe diversas rationes tam sexus, quam clausuræ inter unum, ac alterum genus militantes, ac etiam non distinguendo ædificiorum qualitatem, ac respective antiquitatem, sive modum, cum quo valeat utrique consultum esse, cum similibus considerationibus desuper habendis, ut propterea facti potius, beneque regulati arbitrii, quam juris quæstio sit, pro singulorum casuum circumstantiis decidenda, cum ratione potius, vel fine per legem considerato, quam cum litera, vel cum regularum, & conclusionum generalitate. a

a *de his disc. 18. cum quatuor seqq. de Servit. & in annot.*

OB-

OBSERVATIO CCXLIX.

Aquam in proprio fundo nascentem, vel in illum ingressam, potest quis pro libito divertere, aliisque usibus applicare.

HAnc generalem regulam, lex merito statuit, quocunque temporis lapsu non obstante, atque neglecto præjudicio, quod exinde vicino resultat, quoties ex naturali cursu absque opere manufacto, quod fit in ipso prædio, in quo aqua oritur, & quod servitutem arguit, ita effluxerit, ex eadem ratione, quæ in libertate ædificandi in suo, superius insinuata est, ut in facultativis, permissio, vel non usus non præjudicet, quodque facientis utilitas, vel commodum principaliter spectari debet, non autem illud accessorium, & consecutivum præjudicium, quod exinde alteri patatur. a

Adhuc tamen cum hac litera, vel generalitate procedere in omnibus casibus, ad singulorum circumstantias cum convenienti ratiocinio, ac discursu non reflectendo, easdem ibidem insinuatas producit asperitates, ac irrationabilitates, cum verius in spiritu, vel in ratione ex prudenti arbitrio pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis metienda, in ista quoque materia procedendum sit; Nimium etenim asperum, ac irrationabile videtur, ut ille, qui diu aliquam rem in eo longe frugifero, ac meliori statu, quem ille cursus aquæ producat, possidendo, atque majorum, vel authorum possessionem continuando, post per antiquissima tempora, quando jurium, & conventionum periit memoria, ita de facto per hanc generalitatem spoliatus, ac notabiliter præjudicatus remanere debeat; Ideoque eadem videtur attendenda regula, quæ in operis novi nunciatione insinuata est, respiciendi ad bonum, vel malum, seu verisimilem, aut inverisimilem rei aspectum, ex quo resultat, an potius allegata naturalis libertas cui lex assistit, vel e converso allegata servitus probabilitatem habeat; Comparatione quoque facta utilitatis, quæ innovanti resultat, & damni, vel præjudicii, quod alteri parit innovatio; Et sic in spiritu, vel in ratione, non autem in litera, vel in generalitate procedendo, namque alias asperitates, ac irrationabilitates oriuntur.

a *disc. 25. cum plurib. seq. de Servit.*

OBSERVATIO CCL.

Ecclesia cogit vicinum invitum ad rem propriam vendendam, pro ejus ampliatione.

QUamvis, ducto argumento ab iis, quæ per antiquas leges civiles super defunctorum sepulchris, tunc nimium religiose habitis, disponuntur, juste, ac rationabiliter hæc illatio facta sit, ut pro Ecclesia construenda, vel ampliandа, religionis favore vicinus quamvis invitus ad rei suæ venditionem cogatur, a quod etiam non improbabiliter per aliquas locales leges, etiam in prophanis, ubi publici ornatus favor accedat, statutum esse superius insinuatum est. Quinimo ex ipsius communis juris intentione, vel ratione, ubi de magnis, atque conspicuis bonis prophanis privatis, magis vero publicis ædificiis agatur, idem dicendum sit; b Aliquorum tamen nimium indiscrete regulata pietas, vel sæpius inculcata simplicitas procedendi cum litera, vel cum generalitatibus, nedum in ipsis Ecclesiis, sed etiam in officinis, & appendicibus, etiam remotis, & quandoque ad luxum, ac superfluam ampliationem, adeout nulla præcisa, vel moralis urgeat necessitas, vel quod alias consuli valeat, indiscrete, ac irrationabiliter ampliat: Id autem asperitatem, ac irrationabilitatem redolere dicendum est, quoniam cum æquitatis, & justitiæ cultrix Ecclesia sit, hinc cum asperitate, & injustitia ad luxum, & ad pompam citra necessitatem id practicare non debet, dum aliis in his virtutibus colendis norma, ac exemplar esse debeat, ideoque non in litera, sed in ratione in istius privilegii praxi procedendum est, reflectendo ad finem, ob quem illud inductum sit, non autem ut indifferenter in omni casu pro Ecclesiasticorum ministrorum placito, tertii præjudicium exorbitans illum cogendi ad rei suæ venditionem practicandum sit; Habita quoque consideratione qualitatis rei vendendæ, & an ratione antiquitatis, vel conspicuitatis illud adsit interesse honorificentiæ, & decoris inæstimabile, ultra intrinsecum naturale pecuniarum interesse, cum similibus considerationibus, pro facti qualitate, & circumstantiis habendis in ratione, ac in spiritu, non autem in litera, cum qua propterea semper error est procedere. c

a *disc. 83. & seqq. de Servit.*
b *disc. 2. de Servit. & alibi eod. tit. c d. disc. 83. & seq.*

OBSERVATIO CCLI.

Quod intentans retractum prælatioum, vel coactivum, possit pœnitere, atque intentatum judicium nolle prosequi.

IN prælativo præsertim retractu, qui ex locali lege, vicino, vel consanguineo, aut consorti adversus novum extraneum emptorem competit, cujus ad instar ad coactivum quoque una sententia extendi, magis receptum est pœnitendi facultatem illum intentanti competere, quamvis actio intentata aliquem habuerit progressum, quinimo ubi etiam sententia desuper obtenta sit, atque ille contra quem intentatus est, pati velit. a Id autem irrationabilem asperitatem sapere videtur, ob illam inæqualitatem, vel claudicationem, quæ adeo in jure scripto, ac etiam ex ipsa naturali ratione, vel humano discursu damnata est, dum ipse volens, cogere potest emptorem, & e converso non potest cogi postquam secuta est ejus animi declaratio, per quam alteri jus videtur quæsitum; Ideoque inter irrationabilitates merito id recensendum est, cum nulla subsit congrua ratio, cui hoc innitatur assumptum; In ipsa siquidem Ecclesia, cui ex quodam speciali favore (adhuc tamen irrationabili, atque commendatione parum digno, ut alibi animadvertitur) receptum est, ut claudicatio procedat donec Ecclesia pœnitendi animum declaret, ut ea nolente pœnitere, alter contrahens contractui stare teneatur, secus autem pœnitentia declarata, ut tunc non detur recessus. Idemque in appellatione, ut in libito succumbentis appellare sit repositum, sed postquam appellatio interposita est, illique appellatus adhæsit non possit isto invito pœnitere, cum similibus; Igitur hoc assumptum omnis legalis, ac naturalis rationis videtur destitutum fundamento.

a *disc. 81. de Servit. n. 8.*

Ad materiam Aquarum titulo de Servitutibus. Lib. IV. spectabant præsentes decisiones, sed cum Liber jam sit impressus, ideo eas hoc loco adjungimus.

R. P. D. MOLINES

Narnien. seu Hortana Alluvionis.

Lunæ 18. Junii 1696.

DEvoluta per Appellationem ad hoc Sacrum Tribunal Controversia vertente inter Seminarium Civitatis Hortanæ, iisque Consortes ex una, & Canonicum Vitutium, ac Marchionem Montorium ex altera parte super pertinentia quarundam terrarum vulgo nuncupat. *Scappie*, in Rota 7. Junii 1694. gemina dubia unico contextu disputanda proposui, alterum respiciens Judicium possessorium, videlicet - *An, & cui sit danda manutentio* - Alterum vero Petitorium - *An nempe, & de cujus bono Jure constet*. Primum autem fuit sub illa die resolutum, concessa Seminario, & Consortibus manutentione. Alterius vero resolutione dilata, demandatum extitit, ut probationes coadjuvarentur.

Extensa subinde Decisione super articulo Possessorii jam definiti, institit Seminarium in Congregatione Rotali ejusdem anni 1694. pro illius expeditione. Placuit tamen Dominis judicium differre ad tempus repropositionis Causæ super bono jure: Quapropter reassumpta in hodierna Audientia indagine principalia Dubii petitorium concernentis, Domini responderunt, *Constare de bono Jure Seminarii*, & contemporanee Causam super articulo manutentionis expediri decreverunt.

Ex facto siquidem hodie melius elucidato constitit, Flumen Tyberis decurrens medium inter Territorium Otricolanum, & Territorium Civitatis Hortanæ a vigintiquinque annis citra, cursum Otricolanas Ripas versus deflectens, assidua, ac latenti earum corrosione plurimas fecisse alluviones in beneficium Prædiorum constituentium adversas Territorii Hortani Ripas; Quas Terras sic paulatim adjectas præfatum Seminarium aliique contermini Agrorum possessores pro modo singulorum latitudinis inter sese anno 1676. diviserunt; ut latius apparet ex ipsius Divisionis Instrumento; Quemadmodum constitit, quod post secutam hanc partitionem continuans flumen ulteriorem ejusdem Territorii Otricolani corrosionem, novum terrarum alluvionalium augmentum, de quibus est controversia, ipsismet Prædiis Hortanis adjecerit, quodque demum superventa de anno 1686. immodica Amnis excrescentia, vi, & impetu stagnantium aquarum successerit separatio terrarum alluvionalium antiquarum ab hisce recentibus, mediante

disnte decursu cujusdam Rivi illuc pro terræ mollitudine proteosi, quo deinceps nec multo post eabausto, stante aquarum declinatione ad pristioum alveum, nova alluvio, ut erat prius, antiquæ sese adjunxerit, juata facti seriem, quam cuns temporum distiocktione narrant quinque Testes formaliter eaaminari pro parte Seminarii, dari *in Summario 7. Junii* 1694. *sub. n.* 1. & 2. quibus utpote omni exceptione majoribus, beoe informatis, optitoamque scientiæ causam reddentibus plena fides est adhibenda. Rota *coram* Card. Seraphin. *dec.* 955. *n.* 3. & 8. *cum allegatis in dec.* 895. *numer.* 7. *coram* Card. Cerro, & *omissis generalibus in specie tradunt* Bart. *in Tract. de Fluminib. & alluvionib. verb. per alluvionem*, *n.* 5. Aym. *de alluvion. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 12.

Stabilito itaque quod terræ, de quibus agitur, per alluvionem sequutam ante annum 1686. paulatim, ac sine sensu accreverunt, cohæreantque Prædiis Seminarii Hortani, & litis Consortium, certa io Jure succedit conclusio, quod ab eorundem Agrorum Possessoribus fuerint acquisitæ, in eorumque dominium devenerint, ad apertum *Text. in l. Adeo* 7. §. 1. *ff. de acquirend. rer. domin.* ubi Gajus ait. *Quidquid per alluvionem Agro nostro flumen adjecerit, jure Gentium nobis acquiritur; Id autem per alluvionem adjici videtur, quod ita paulum adjicitur, ut intelligere non possimus quantum, quoquo temporis momento adjiciatur*, & concordat Teat. *in l. Martius* 38. *ff. eodem* & §. *Praterea, Instit. de rer. divis.* traduotque Bart. *in Tract. de Flumin. verb. adjecerit, verbo acquiritur, & verbo per alluvionem* Aym. *eod. Tract. cap.* 3. §. 1. *n.* 1. & *seqq.* Jas. *cons.* 146. *lib.* 1. & *cons.* 126. *lib.* 4. *per tot.* Goru. *cons.* 191. *lib.* 3. Valasc. *de Emphit. quest.* 16. *n.* 10. Pecch. *de Aquaductu*; *lib.* 2. *cap.* 11. *quest.* 15. *n.* 19. & latiori calamo Arias de Mesa *var. resol. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 1. & *per. tot.*

Non obstante unico objecto, in quo sistit totum præsentis causæ monumentum, quod scilicet alii Testes inducti a Canonico Vitutio, & litis consorte, asserant hujusmodi terras utpote ab aquis undique circumdatas, formam Insulæ accepisse, ac proinde ad illos tanquam habentes Prædia vicinioca fronti ipsius Insulæ jure dominii pertineant *ad Text. in d. l. Adeo*, §. *Insula, ver. quod si alteri parti. ff. de acquir. rer. do iu.* & *in l. Insula ff. eod.* §. *Insula Instit. de rer. divis.* Barthol. *in Tract. de Insula in verb. communis fiat, vers. sed si Insula esset plus*, & *in figura* 23. *eod. tit.* Gobb. *in Tract. de acqu. qu.* 28. *n.* 18. Pecch. *de Aquaduct. cap.* 4. *quest.* 8. *n.* 1.

Quandoquidem multipliciter visum fuit removeri, & ex eoquidem primo, quod proprie loquendo Insula est terra repente in Flumine nata, qoam aquæ undique circumluunt *ad Text. in* §. *Insula Instit de rer. divis. ubi Glossa in verb. Insula*, & Mynsig. aliique scribentes, & quidem pleoa, ac reali circumfluentia, per quam terra in medio Fluminis apparens diu supereminens remaneat, Bart. *de Insul. in verbis in Flumine nata*, Aym. *de alluvion. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 11. Neutrum autem ea dictis requisitis concurit in casu nostro; deficit enim primum repeotinæ nativitatis, quia ex facto superius firmato resultat controversas terras fuisse paulatim, & latenter corrosas ab una Ripa, & minutanm, ac insensibiliter additas alteri Ripæ, nec quoad corrosionem in genere discordant Testes inducti per Canonicum Vitutium; Exulat pariter secundum requisitum plenæ ac permanentis aquarum circumfluentiæ, quoniam ea eisdem Testibus Seminarii constat prædictum Rivum intersecantem Prædia Territorii Hortani a controversis terris evenisse ob aquarum excrescentiam uno impetu secutam, & continuasse per modicum tempus aliquorum mensium; Ideoque hujusmodi terræ per adeo breve temporis spatium apparentes in Flumine aquis circumfluxæ proprie dici nequeunt Insula, sed vere sunt terræ alluvionales prius latentes per excrescentiam aquarum, & deinde apparentes per illarum decrescentiam, quæ in Agro Romano nuncupantur *scappie*, & in Insubria appellantur *Ancone*, ut concorditer tradunt Augustin. Martinell. olim Professor Juris Cæsarei in hac Urbis Universitate in ejus libro, cujus titulus est *il Fiumi in liberta* cap. ultimo dell' Isole, fol. 244. & 245. & latius allegato Bartolo, & Aym. Boninus in ejus libro intitulato *il Tevere incatenato*, *lib.* 6. *cap.* 1.

Parum relevante depositione Testium inductorum a Canonico Vitutio asserentium, quod Canalis defloens per Ripas Otricolanas erat parvus, & angostus, ac viceversa altera decurrens prope Ripas Hortanas erat latior, profundior, ac navigabilis. Quoniam contrarium de directo deponunt Testes Seminarii, & præcipue ultimo loco eaaminati præsenti *Summario additionali*, *n.* 1. & 2. quorum depositio visa fuit magis verosimilis; nam tum e a accessu judiciali Eminentissimi Tanrusii tunc A. C. Locumtenentis, quam ea confrontatione alterius Plantæ de anno 1676. efformatæ super divisione aliarum Terrarum alluvionalium, liquet, Tyberim ab anuis 25. circiter, quo dereliquit antiquum Alveum, semper cursum diressisse versus Oras Otricolanas; Unde redditur inverisimile, excrescentiam, & profluvium aquarum pro majori parte ad Canale Hortanum irrupisse. Augetque inverisimilitudinem subsequens eventus, dum post paucos menses iste Canalis, ut præfertur, remansit eaaustus, & illius aquæ ad Otricolanum declioarunt. Prout in præsentiarum semper altronee fluvii cursus illuc protendi cernitur, ut probant Testes utriusque Partis, ideoque magis deferendum venit depositioni Testium Hortanorum, utpote recipienti fomentum a verisimilitudine, quæ est species veritatis *l. ob carmen* §. *ultimo*, *ff. de Testibus cap. licet causam*, *vers. e. pramissis de probat.* Aym. *cons.* 1. *pro Gtnero*, *n.* 372. Rota *coram* Mant. *dec.* 215. *numer.* 4. & 5. & *coram* Cels. *decis.* 215. *n.* 6.

Sed quatenus Rivus decurrens versus Ripas Hortanas fuisset profundus, adeout dictas Terras alluvionales veram Insulam constituisset, non inde tamen, Secundo respondebant Domini, factum est, ut desiderit esse in dominio Seminarii Hortani, & litis Consortium; Tribus namque modis Insula fit in Flumine; uno modo, cum Ager, qui Alveus oon erat, flumine circumluitur. Secundo cum Flumen Alveum reliquit; illumque circumqoaque defluit; Tertio cum paulatim alluendo locum eminentem supra Alveum facit, & coalluendo eum auxit; efformata autem Insula altero ex duobus posterioribus modis; eorum fit, qui Ripas habent eidem Insulæ proximas; Primo autem modo Causa possessionis non immutatur, remanetque Insola ejus, cujus antea fuerat juxta expressam Pomponii divisionem relatam *in l. Ergo* 30. §. *Tribus modis*, & *ibi Glossa*, *ff. de acquiren. rer. domin.* & explicat Bartol. *in Tract. de Insula*, *vers. in flumine nata*, Aym. *de alluvion. cap.* 14. *numer.* 6. *libr.* 1. Neuter autem ex duobus posterioribus modis convenit terris, de quibus est contentio, nam illæ antequam apparuerint in formam Insulæ, non erant Alveus ab eodem derelictus, nec minus ea colluvione aquarum factæ sunt locus eminens supra alveum, & deinde ea alluvione auctus, sed proprie adaptatur primus modus; Nam ea serie Facti a Testibus Seminarii comprobata *Summario*; *n.* 1. & 2. habetur, quod antequam successerit anno 1686. aquarum excrescentia, Terrenum controversum erat Ager beneficio alluvionis acquisitus Prædiis Hortanis, ac proinde, etsi secuta memorata inundatione, aquis hincinde declinantibus, idem Terrenum fluvio circumseptum apparuerit, non ea hoc taoien hujus generis Insula acquisita fuit Dominis prædiorum, qui Ripas habebant propiores, sed continuavit in possessione, ac dominio Hortanorum, quorum antea fuerat juxta relatam dispositionem Textus *in l. qui Ager*, cum qua concordant. §. *Insula, vers. final. Instiut. de rer. divisionibus. Quod si aliqua ex parte divisum sit Flumen deinde infra unitum, agrum alicujus in formam Insulæ redegerit, ejusdem permanebit Ager cujus, & fuerat*, & Text. *in l.* 1. *C. de alluvion. & palud. ubi* & *cum Fluvius priore alveo derelicto, alium sibi facit, ager, quem circuit, prioris Domini manet*, & *in l.* 1. §. *Item si omnis*, *ff. de Flumin.* & *tradunt* Aym. *de alluvion. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 7. Cyriac. *contr. for.* 376. *n.* 11.

Hinc consequenter non adversantur Testes inducti per Possessores agri Otricolanti, quatenus deponunt controversas terras apparuisse in formam Insulæ, immo esse veram Insulam, cum ratione amnis circumfluentiæ, recte hac Insulæ deoominatione nuncupari valeant, non tamen de illis Insulis secundi, & tertii generis, de quibus loquitur Text. *in d. l. Ager*, §. *Tribus*, quæque acquiruntur Dominis habeotibus prædia eidem proximiora, sed de illis primæ speciei, quæ non exeunt a possessione Dominorum, quibus antecedenter jure dominii quæsita fuerant ex superius firmatis.

Absque eo quod attendi meruerit assertio septimi Testis Canonici Vitutii, quod priusquam Terrenum controversum assumpsisset formam Insulæ, erat alveus fluminis, quoniam ipsius depositio coovincitur manifeste erronea ea depositione aliorum Testium ejusdem Vitutii, dicentium, ante prædictam aquarum eacrescentiam, alveum fluminis fuisse in eo loco ubi decurrebat Canalis, seu Rivus positus prope Agros Hortanos; quo fit, ut stante hac Testium contrarietate, neutris credendum est, cum unus adimat fidem alteri, Fatinac. *de Test. quest.* 65. *num.* 2. Rota *dec.* 147. *num.* 4. *part.* 19. *dec.* 8. *n.* 26. *dec.* 327. *n.* 13. & *dec.* 709. *n.* 19. *part.* 12. *rec.* & *dec.* 73. *num.* 20. *part.* 19.

Quemadmodum nec fuit eisdem Testibus adhibita fides, in eo

in eo quod ajunt, Insulam prædictam, efformatam fuisse ex Terris Otricolanis in Alveo Fluminis vi, & impetu aquarum asportatis, ut ex *Summ.* Canonici Vituii *n.* 4. quoniam ultra quod testantur de eorum credulitate, sicque nullum probationis genus constituunt, Rota coram Buratt. *dec.* 538. *n.* 18. *& in recen.* 397. *n.* 10. *p.* 19. habent contra se tam accessum A. C. quam etiam ipsorummet dictum, ex quibus apparet justificatum, quod Terrenum ex quo dicitur conflata Insula, fuerit simpliciter arenosum, & e contra Ripas Fluminis Territorii Otricolani esse Terras sativas, ex quo evitatur assumptum, quod Terræ controversæ impetu aquarum separatæ, efformaverint sæpe dictam Insulam in Alveo Fluminis; Addita aperta inverisimilitudine, quod Rivolus ceteroqui ad sensum Otricolanorum exiguus, cum tam modica aquarum copia potuerit uno impetu talem corrosionem facere, ut ex ea efformari potuisset Insula tam considerabilis Terrarum quantitatis. Ideoque d. d. Testibus, factum ita inverisimile deponentibus, nullatenus credi debet, Jas. *in l. si extraneus*, *n.* 8. *ff. de condit. caus. dat.* Abb. *in cap. quia verisimile*, *n.* 3. *vers. nota*, Buratt. *decis.* 175. *n.* 11. *&* 23. Cels. *dec.* 40. *n.* 8. *& in recen. decis.* 259. *n.* 13. *part.* 6.

Prout etiam convincuntur de manifesto errore alii Testes dicentes, quod Terræ controversæ formam Insulæ receperint ex corrosione Riparum Otricolanorum, quę incepit a novem, seu decem annis ante eorum examen; nam constat ejusmodi corrosionem incepisse longe ante 1676. dum de hoc anno, ut superius recensuimus, facta fuit inter Hortanos divisio plurium Terrarum alluvionalium ex eadem corrosione provenientium; atque ita tanquam parum informati, ne dicamus de falso quodam modo suspectis nullam promerentur fidem, quantumvis essent numero plures, ut in nostris terminis tradit Jas. *cons.* 126. *n.* 13. *& seq.* Præsertim quia nec deficiunt plures exceptiones contra eorum personas recensitæ, *in Summario Seminarii*, *n.* 12. proindeque, vel ex hoc ipsorum fides remanet imminuta Farinac. *de Testib. quæst.* 63. *n.* 94. Rot. coram Caput. *decis.* 278. *n.* 3. *p.* 3. *& decis.* 649. *n.* 8. coram Amat. Dunoz.

Et in omni casu in concursu Testium inter se dissidentium, Domini majorem fidem præstandam esse censuerunt productis per Seminarium, & litis Consortes utpote qui tanquam Navicularii, & a multo tempore versati in navigationibus Fluminis præsumuntur magis informati, ac ulterius quia verisimilia deponunt, citra ullam contrarietatis, varietatis, vel falsitatis notam, ac demum utpote adminiculatis ex publico Instrumento antedictæ divisionis anni 1676. ex notatis per Felin. *in cap. in nostro*, *n.* 10. *de Testib.* Gabriel. *eodem tit. conclus.* 4. *num.* 59. *&* 60. Posth. *de subhast. inspect.* 60. *n.* 97. *& plene* Rota *decis.* 297. *n.* 20. *&* 21. *part.* 19. *recent.*

Cæterum multiplicando suppositiones, ubi etiam admitteretur quod prædicta Insula fuisset repente nata, & quidem in Alveo Fluminis, ac per consequens juxta contrarium sensum acquiri debuisset Dominis agrorum vicinorum; adhuc tamen tertio loco ponderabant Domini, illam devenisse ad dominium Seminarii, litisque Consortium, attento, quod gemini ex eorundem Otricolanorum Testibus ingenue deposuerunt quod Insula apparuit propior Agris Hortanis, quam Ripis Otricolanis, unde Censura Text. *in d. l. Adeo*, *§. Insula*, *vers. quod si alteri parti*, *ff. de acquir. rer. dom.* patrocinatur Seminario, & suis Consortibus habentibus Prædia dictæ Insulæ proximiora, quibus Testibus utpote inductis, ac productis ab Otricolanis, plene contra eos deferendum est, Farinacc. *de Testib. q.* 62. *n.* 226. Noguerol. *allegat.* 29. *n.* 80. *& allegat.* 32. *n.* 92. Rota *decis.* 312. *n.* 5. *& dec.* 610. *n.* 3. *& decis.* 454. *n.* 9. *& decis.* 888. *n.* 3. coram bo. me. Card. Cerro, *& in recen. decis.* 41. *n.* 18. *part.* 18. *& decis.* 110. *n.* 1. *part.* 14.

Non resistente quod inductio Testium præseferat approbationem personæ, non autem dicti, adeoque non excludat, quin eorum depositio impugnari valeat ex firmatis per Rotam coram Manzaned. *dec.* 526. *n.* 8. *&* 9. quoniam conclusio procedit, ubi quis simpliciter induxit Testes, sed nullatenus eos produxit, nec illorum dictis usus fuit, in quibus terminis procedit Rota *in alleg. dec.* coram Manzaned. secus vero quando, prout hic, non solum quis induxit, sed etiam simpliciter produxit Testes, in eisque suam fundaverit intentionem; nam tunc non solum censetur approbasse eorum personam, sed etiam dictum, absque eo quod ullatenus sibi liceat illos impugnare, ut conciliando pugnantes Doctorum sententias distinctionis fœdere concordat Aymon. *de antiquitate temporis*, *p.* 1. *vers. quæritur etiam in hac materia*, *n.* 14. Tob. Non. *conf.* 24. *n.* 24. *&* 25. cum aliis suse cumulatis per Farinac. *de Testibus quæst.* 62. *n.* 242. *&* 243.

Et ita utraque Parte informante post secundam Causæ propositionem resolutum fuit.

R. P. D. PIO.

Narnien. seu Hortana Alluvionis.

Veneris 8. Martii 1697.

POstquam Canonicus Vituius curavit mihi per Signaturam Justitię dirigi ulteriorem appellationem super mandato de manutenendo, alias per Seminarium Hortanum, & litis Consortes obtento, ordo Judicii exposcebat, ut Causa etiam super negotio principali devolveretur, ideoque positis sub consuetum examine fundamentis Decisionis editæ coram R. P. D. meo Molines die 18. Junii anni præteriti agnita fuere undequaque subsistentia, ac merito proinde illa Domini confirmarunt.

Subnixi semper depositioni Testium a Seminario inductorum, juxta quam habetur, quod post divisionem Terræ alluvionalis secutam anno 1676. inter Hortanos pro latitudine conterminorum agrorum, flumen Tyberis ex ulteriori artiu Terrarum Otriculanorum sinuoso flexu illas denuo adjecerit supradictis agris, donec de anno 1686. imbribus auctum, ac in vicinos Campos se effundens, mediante decursu cujusdam Rivi diviserit primas alluviones ab ultimis, quo demum in veterum alveum declinato, Terræ ex memorata aquarum excrescentia separatæ; antiquis se adjunxerint; Quamobrem cum incrementum Terrarum, de quibus agitur, evenerit ex Terra latenter corrosa, adjectaque deinde latenter etiam prædiis Hortanis, dicitur alluvionale, *§. Præterea Instit. de rer. divis.* Joannes Bapt. Aym. *de alluvion. l.* 1. *cap.* 2. *n.* 2. Peregr. *de Jur. fisc. lib.* 8. *n.* 71. Petr. Greg. Tholos. *sintagm. Jur. l.* 20. *c.* 8. *n.* 2. & acquiritur juxta latitudinem frontis cujusque agri cohærentis Ripæ, & Prædia ab ea parte possidentibus ex Text. *in l. adeo* 7. *§. primo*, *ff. de acquir. rer. domin.* *& §. Præterea*, *ubi gloss. verb. adjectio*, *Instit. de rer. divis.* quos late expendunt Bald. *in rubr. de rer. divis. n.* 34. Rip. *in l. quo minus*, *n.* 77. *C. de flumin.* Bartol. *in Tyber. in fin. proem. p. prima*, *vers. pro modo*, *fol.* 118. *& in* 3. *p. vers. alicujus*, *fol.* 141. Rimin. Jun. *consil.* 373. *n.* 1. Curt. Jun. *cons.* 204. *n.* 10. *&* 11. Manzol. *cons.* 118. *n.* 8. Bursat. *cons.* 230. *n.* 6. Bardellon. *cons.* 245. *n.* 12. Cepoll. *de servit. rustic. præd. c.* 33. *n.* 13. Benincas. *de alluv. p. prima n.* 12. Menoch. *de arbitr. cas.* 245. *n.* 6. Peregr. *d. l.* 8. *n.* 72. Cyriac. *contr.* 376. *n.* 1. Ursell. *verb. alluvio*, *conclus.* 94. *n.* 3. Doring. *in Repertor. d. verb. n.* 29. Rot. *in recent. decis.* 29. *n.* 4. *part.* 4. *& decis.* 202. *n.* 7. *p.* 15. *& decis.* 111. *num.* 3. *part.* 16.

Dictaque acquisitio facta fuit ipso Jure, nec indigebat aliqua apprehensione, quia ut optime notat Criphiand *in Econom. legal. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 4. In hoc Insula distinguitur ab alluvione, ut illa sit incrementum separatum, ista vero unitum, ita ut omne id, quod prædio coalescit, non constituat novum prædium, sed sit pars illius accessoria, quæ ex possessione principalis, & illius Jure possidetur, juxta firmata per Benincas. *ubi supra*, *n.* 4. Rimin. Jun. *cons.* 275. *n.* 9. *&* 10. *& dicto cons.* 373. *n.* 2. *&* 4. Silvan. *cons.* 3. *n.* 13. Curt. Jun. *cons.* 204. *n.* 16. Anguisc. *cons.* 90. *n.* 4. Corn. *cons.* 15. *n.* 17. *lib.* 4. Bertazzol. *cons.* 72. *n.* 5. Bardellon. *dicto cons.* 184. *n.* 15. Peregr. *de Jur. fisc. lib.* 8. *n.* 74. Gob. *de aqu. quæst.* 26. *n.* 1. *&* 2. Bonden. *coll.* 26. *n.* 25. *tom. primo*, Posth. *de manut. observ.* 73. *n.* 86. Rot. post eum, *decis.* 253. *n.* 4. Cassad. *decis. unic. n.* 29. *de acquir. rer. domin.* & coram Coccin. *decis.* 1816. *n.* 5.

Flumina enim censitoria vice funguntur, totumque id, quod tradunt, irrevocabiliter donant, & adimunt ex notatis per Bald. *in Rubr. de rer. divis. n.* 23. Rimin. Jun. *cons.* 237. *n.* 7. Sacc. *cons.* 12. *n.* 6. Tolosan. *dicto cap.* 8. *in principio*, Buchner. *de Jure aquat. §.* 87. Ursell. *dicta conclus.* 94. *n.* 8. Arias de Mes. *var. resolut* 42. *n.* 45. *lib.* 2. Gob. *de aqu. quæst.* 25. *n.* 5. Franc. Marc. *decis.* 117. *n.* 23. *part.* 2.

Hujusmodi theoricas tanquam in se veras ultro, citroque admittebant Informantes pro Canonico, & solum idem regerebant objectum, quod nempe juxta examen eorum Testium deprehenditur, controversum Terrenum cessante insolita aquarum excrescentia in formam Insulæ supereminuisse.

Verum hæc qualitas, vel non concluditur, vel probata non relevaret. Et quidem qualitas Insularis non concluditur; quia quoad quantitatem aquæ illam intersecantis,

præ-

præscindendo etiam ab opinione Andr. de Isern. *In cap.* 1. §. *fin. vers. item vide*, *n.* 20. *de controv. Invest.* negantis unam partem fluminis Insulam fluvialem ambientis, latiorem esse posse alia, quia flumen non dicitur ambire Insulam, nisi de dimidia illius parte intelligatur, quem sequitur Hieronym. de Mont. *de fin. regend. c.* 24. *n.* 5. Nec modica aqua fluminis flumen facit, sed potius attendi debet naturalis, & consuetus alveus, ut ex *l. prima*, §. *Ripa*, *ff. de flumin.* firmat Franc. Marc. *dec. Delphin. n.* 270. *n.* 3. *p.* 2. Et in hanc sententiam ivisse videtur Rot. *in citata dec.* 111. *n.* 9. *p.* 26. ubi pro necessario constitutivo Insulæ requiri putavit, ut esset in medio fluminis, idque importare videtur nomen ipsum Insula, quæ alio nomine mediamnis nuncupatur, idest in medio amnis, prout observant Du Fresne *in glossar. ad med. & infim. Latin. Scriptor. verb. mediamnis*, Ebrard. *in Grecism. c.* 10. *& ex nostris* Ottinger. *de Jure limit. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 44. Griphyand. *de Insul. c.* 1. *n.* 10. Aym. *de alluv. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 2. & ibi Fritsch. *verb. mediamnis*.

Hoc unum sufficere Domini censuerunt in præsenti themate, quod respectu durationis, & permanentiæ ex ipsis Testibus Canonicis de anno 1692. examinatis desumitur, Canale intersecans Oras Hortanas exsiccatum remansisse per tres annos ante eorum examen, quapropter cum excrescentia evenerit de annos 1688. sequitur evidenter quod aquæ inundatio ex dicto Rivo promanans duraverit via spatio unius anni cum dimidio, non apta proinde Insulam facere, quippe quæ constituitur tantummodo ea magnitudine aquæ perpetua, non vero insolita, temporali, & caussativa, ut conciliando opinionem Isern. advertit in specie Griphyand. *dicto tract. de Insul. cap.* 2. *n.* 27. *&* 52.

Et ratio prædictorum ea est, quia cum alveus, qui naturalis non est, dicatur inundatio a Bartol. *in tract. de alveo verb. naturali*, quæ proprie fit ubi flumen imbribus auctum, & egressum in vicinos Campos se effundit, itaut simul alveum suum teneat, ex animadversis per Franc. Stypman. *de Jur. marit. & naut. p.* 2. *cap.* 5. *n.* 314. repetit. inter collecta per Fritsch. *in Jus fluviat. p.* 1. *tract.* 1. licet abstulerit fundi possessionem, eadem tamen aqua recedente statum restituitur, etiam absque nova apprehensione, Oinotom. *in* §. *Quod si naturali*, *num.* 5. *de acquir. rer. domin.* Cepoll. *de servit. rustic. prædior. tit. de alveo*, *n.* 4. Stypman. *ubi supra n.* 313. De Angel. *in astreal. patrocin. n.* 56. *& seq.*

Nec etiam dicta qualitas quidquam relevaret quatenus probaretur, sive quia supposita triplici divisione Insulæ comprobata in Decisione R.P.D. mei Molinet; Prima nempe cum ager, qui alveus non erat, flumine circumfluitur; Secunda cum flumen alveum, quem reliquit, circumquaque defluit, & tertia ubi alluendo, & coalluendo locum eminentem supra alveum facit, de qua *Jurisconsultus in l. ergo* 30. §. *Tribus modis*, *ff. de acquir. rerum domin.* in hypothesi, de qua agitur, adaptari non possunt duo novissimi modi, quia omnes Testes Canonici præter secundum, cui tanquam illius Colono nulla fides venit præstanda, probant solum, quod exarescente flumine parva Insula eminuerit, nihil deponendo an ante inundationem illic esset alveus fluminis, vel potius Terræ ea alluvione Oris Hortanis adjunctæ, quorum proinde depositiones si suppleantur, prout suppleri debent a Testibus Seminarii, hujusmodi præcedentem circumstantiam comprobantibus, non solum elidetur quælibet contrarietas, sed etiam aperte consequitur, hanc Insulam conflatam fuisse ex agris alluvionis beneficio adjunctis prædiis Hortanis, & sic intra primum modum præmissæ divisionis, juxta quem dominium jam Hortanis quæsitum nullo pacto extitit alteratum, sed continuavit pœnes ipsos, quorum antea fuerat, ut præter adductos in Decisione, quæ confirmatur, §. *Sed quatenus*, firmant Ninot. *in* §. *Insula*, *n.* 7. *Instit. de rer. divis.* Card. Tusc. *lit. I. concl.* 261. *n.* 5. Buchner. *de re*, *& Jur. aquat.* §. 116. Sebast. Gambos. *de alluv.* §. 47. *circa med.* Alex. Brugiot. *in Epitom. Jur. viar. & flumin. cap.* 2. *n.* 221.

Sive demum quia quatenus ad exuberantiam dicta qualitas Insularis adminiceretur in alveo fluminis juxta ultimum modum, ac dividenda esset ad censuram Text. *in l. adeo*, §. *Insula*, *ff. de acquir. rer. domin.* adhuc tamen adjudicanda foret Seminario, & litisconsortibus, attento, quod duo ex Testibus Canonicis deponunt — *E la detta Isoletta era posta in mezzo il fiume, mà più tosto verso il Territorio d'Orte* — divisio namque, quæ fit inter media ab utraque parte fluminis procedit in Insula nata in medio, non vero ubi ista nascatur propior alteri parti; hoc enim casu illi solum acquiritur, ut distinguunt Ninot. *dicto* §. *Insula*, *n.* 6. *de acquir. rer. domin.* Gregor. Tholos. *Syntagm. Jur. p.* 3. *lib.* 20. *c.* 8. *sub num.* 3. Anton. *de reg. donat. part.* 3. *cap.* 7. *n.* 8. etiamsi deinde crevisset versus Oras Otricolanas, & cœpisset esse viciniot illius fundis, Tusch. *de lit. I. conclus.* 262. *num.* 5. Sebast. Gambos. *de alluv.* §. 23. Propinquitatis enim disceptatio ad initium nati incrementi referenda est, ut ulli censeatur proximius, cui in initio proximius natum est, *l. ergo*, §. *Tribus modis*, ibi — *Insula fit ejus, cujus ager propior fuerat cum primum extitit*, *ff. de acquir. rer. domin. & in l. Insula*, *in princ.* ibi — *Insula, quæ in initio propior fundo tuo fuit, quam ejus, qui trans flumen habet, tota tua facta est*, *eod. tit.* & tradit. Aym. *dicto tract. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 6.

Absque eo, quod attendi mereretur declaratio dictorum Testium, quod intelligerent de minori parte, non de tota Insula, tanquam emissa lite pendente, & absque partium citatione ex vulgatis.

Et ita in reliquis approbando Decisionem R.P.D. mei Molines responderunt, utraque &c.

DE RENUNTIATIONIBUS.

OBSERVATIO CCLII.

Ad renunciationis naturam dignoscendam, an translativa, vel extinctiva sit, sive an realis, vel personalis, attenditur an bona, & jura renunciata, in dativo, vel in accusativo sint posita, aliaque similes attenduntur formalitates verborum.

MAgnam quidem primæ classis irrationabilitatem, ac ineptiam illud redolet aliquorum Pragmaticorum assumptum, ut ad renunciationis naturam, vel qualitatem regulandam verborum formalitas, vel figura debeat attendi, an scilicet dicatur, ut sit realis, sive an unica sit, vel multiplex renunciandi ratio, vel caussa, præsertim vero an bona, & jura renunciata, in dativo, vel in accusativo statu dignoscantur; ut si in accusativo, translativa sit, ac personalis; e converso extinctiva, & realis ubi sit in dativo. Id autem, manifestam redolere videtur ineptiam, ac irrationabilitatem, quod scilicet voluntas penitus inexpertæ puellæ, quæ (ut virginalem decet pudorem) domi reclusa vixerit a conversatione peritorum hominum, adeout neque maternæ, seu vulgaris linguæ calleat significationes; ac distinguat tempora, regulanda sit ex verborum contextura, vel phrasi per Notarium adhibita. Potissime autem ubi lingua latina conceptum sit instrumentum; Idemque pariter ubi agitur de inexperto adolescente, qui occasione ingressus in religionem eundem faciat actum, cum similibus, quibus eadem ratio congruat. Verus namque modus interpretandi hujusmodi actus ille est, ut verisimilis voluntatis attendatur substantia, an scilicet pro facti qualitate, & circumstantiis ea fuerit renunciantis voluntas, ut certis tunc superstitibus personis, quibus renunciatorum bonorum, ac jurium successio, vel obventio magis congruit, renunciandi solum voluntas fuerit, non autem aliis, qui nullatenus in animo habiti sint, ut est probabilius, magisque in praxi contingibilis, ad hoc, ut eis cessantibus, tanquam ex cessante causa, salvum remaneat jus renunciantis, vel potius ut se omnino mortuum faciat, non curato, an unis, potius quam aliis locus aperiatur, quod rarum, nimiumque inverisimile est, ideoque ista voluntatis verisimilis substantia attendenda venit, non autem in hujusmodi verborum formalitatibus, ac superstitionibus immorandum; id enim apertam redolet ineptiam ac irrationabilitatem, & quandoque asperitatem, ac exorbitantiam, trahendo ex alienis verbis voluntatem ad id, in quo voluntas vere non adfuit, quo nil ineptius, nihilque irrationabilius. a

a. *De his disc.* 1. *cum pluribus seqq. de Renunciat.*

OBSERVATIO CCLIII.

An renunciatio facta per fœminam carnaliter, vel spiritualiter nuptam, eam excludat in concursu alterius fœminæ, quæ in coæquali statu constituta sit.

CUM pro Italiæ præsertim, commendabili quidem usu, fœminæ illa reputari debeant provisione contentæ, quæ a dotatione pro carnali, vel spirituali matrimonio resultat, Juristarum autem irrationabiles subtilitates pluries enunciatæ, illas contra mores quandoque ad successionem in agnationum, ac familiarum præjudicium admittant, præsertim vero ubi de illis agitur, quæ spiritualis matrimonii,

monii, cum solemni professione in aliquo Monasterio statum eligunt, cum tunc substantia veritatis attenta, non illis de sanguine, sed extraneis potius successionis commodum deferri dicatur. Hinc aliet commendabilis etiam inolevit mos, ut ab eisdem uno, vel altero modo nubentibus foeminis exigantur renunciationes, quæ propterea contra ipsarum irregularem naturam hujusmodi generali consuetudine attenta, & a rationabili derivatæ motivo, favorabiles potius censendæ veniunt, atque latam, & benignam potius, quam strictam, & rigorosam recipere debent interpretationem, quando illud verificetur motivum, sive ille adimpleatur finis, ob quem iste mos inolevit; Superficialium tamen inepria ex vili, ac misero literæ famulatu, non infrequentes in hoc producere solet asperitates, ac irrationabilitates, ut literæ, vel verborum formalitati, omni neglecto ratiocinio, vel humano discursu, nimium inhærendo. ex illis verborum formulis, vel claosularum, & dictionum efficacia, quæ a Notariis provenient a formulario transcribentibus cum omnimoda earum efficaciæ ignorantia, quæ longe major est in ipsis contrahentibus, indiscretas, ac prorsus asperas, & irrationabiles hujusmodi renunciationibus tribuunt operationes, ut renunciantium personis exclusis a successione, ad istam, defectis agnatis, vel aliis verisimiliter contemplatis, in quarum gratiam hujusmodi usus irrepsit, admittantur aliæ personæ omnino remotiores, ac ignotæ, quæ tam a renunciantibus, quam a renunciatariis probabilius nolitæ, vel non cogitatæ sunt, sive ad illas, quæ sint quidem gradus coæqualis, sed etiam coæqualis status, & conditionis, quia nempe sint æque mulieres, & æque moniales, vel respective in sæculo nuptæ; Ubi enim, posita sexus, & gradus æqualitate, adest inæqualitas status, quia nempe illa, quæ renunciavit, sit monialis, altera vero, quæ vult renunciantem excludere, in sæculo nupta sit, tunc aliqua consideratione digna cadit ratio, ut illa, quæ in sæculo nupta posteros generat, atque sanguinem conservat, alteri infecundæ, nullumque successionis commodum sentienti, sed ad Monasterium extraneum transmittenti, præferatur, cum similibus casibus, in quibus naturalis ratio, & æquitas, ac verisimilis utriusque renunciantis, ac renunciatarii, præsertim vero istius voluntas assistat; Sed his cessantibus, asperum, ac irrationabile censendum est, ut ob illorum verborum, & clausularum significationea, ac formulas, quæ ex quadam resultant legis subtilitate, vix ejus eruditis professoribus ignota, sequi debeat id quod verisimiliter volitum non est.

Ad duplicem namque effectum de hujusmodi renunciationibus, parentes, aliive majores, vel fratres, qui puellas cum dote, & matrimonio provident, solliciti esse solent, unum nempe, ut liberam de bonis obtineant disponendi facultatem, quatenus testati decedere velint, vel alias disponere, & alterum, ut in eorum intestata successione non intret ille juris novissimi ordo, quem nostris modernis Italiæ, ac etiam Romanorum antiquis moribus nimium adversum esse frequenter animadversum est, quia nempe ad illos tunc superstites animus trahatur, ut successionem absque hujusmodi jam provisarum foeminarum concursu obtineant; Sed his cessantibus præsuppositis, vel rationibus, clarum videtur asperitatis, ac irrationabilitatis vitium, quod ex consueto derivat fonte procedendi cum litera legis, vel cum formalitate verborum, judaico, vel grammaticali more, sive cum generalium propositionum juris mala applicatione, quæ semper talis dicenda est, ubi ratiocinium, ac discursus negligantur. a

Quemadmodum enim, ut alibi animadvertitur, prorsus fabulosum est puellæ, vel adolescentis voluntatem metiri, an bona, & jura stent in dativo, vel in accusativo; ita magis fabulosum est judicium ex eo efformare, an adsit stipulatio pro hæredibus, & an istis adjectum sit verbum *quibuscumque*, vel simile, vel an dicatur renunciationem esse realem vel personalem cum similibus. b

a *disc. 1. cum plur. seqq. de Renunc.*

b *Locis citatis.*

OBSERVATIO CCLIV.

De solemnitatibus adhibendis in renunciationibus, quæ fiunt occasione ingressus in Religionem.

TRidentino Concilio novam præscribente formam in renunciationibus faciendis per illos utriusque sexus, qui solemnem professionem regularem emissuri sunt sub decreto annullativo, ut cum præsentia, & auctoritate Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, atque non antequam infra duos menses ante professionem; Hinc non modicæ dignoscuntur in aliquibus Juristis, & Moralibus, extra, qui profitentur literæ famulari, simplicitates, & ineptiæ, super istius formæ intelligentia, præsertim vero circa dictum terminum duorum mensium ante professionem, ut ille præcisus esse debeat, quasi quod si renunciatio post decimum noviriatus mensem sequeretur, emissio autem professionis post elapsum annum integrum, qui præcise necessarius est, ad alios differretur menses, unde propterea inter renunciationem, & professionem majus adesset intervallum, non diceretur formæ satisfactum; Vel ubi magis proxime professioni fieret, puta ejus præambula die, vel hora, ut pariter formæ implementum non adesset.

Merito autem hujusmodi sensus rejecti sunt, ex eo quod procedendum est in ratione, non autem in litera, dum Concilii mens ea est, ut hic actus non sequatur circa initia noviriatus, sed post elapsam majorem partem anni, & sic saltem decem menses, quod perseverantiæ probabilem denotat spem, ideoque decimo completo mense, ut propterea duo tantum desint ad facultatem emittendi professionem, ita dicatur satisfactum formæ, non curato in qua parte hujus bimestris, vel etiam postea, si professio differatur, id sequatur; Unde propterea ex hoc quoque edocemur, quam erroneum sit in litera immorari.

Ubi vero ista adimpletur forma, quæ sub decreto annullativo necessaria est, rationabiliter quidem receptum est, illas non exigi solemnitates, quæ a prophanis legibus communibus, aut localibus, in minorum, & mulierum contractibus, & alienationibus requiruntur, vel quia ille status ab hujusmodi legibus exemptionem importat, vel quia sufficit formam Conciliarem impleri, ne duplex inducatur onus. Sub quæstione vero est, cum solita factionaria divisione, an una, vel altera forma adhiberi debeat in illis renunciationibus, vel donationibus, aliisque contractibus, qui ante susceptionem habitus regularis, & assumptum statum novitii, dum adhuc in sæculo remaneat, fiat per ingressuro Religionem, seu Monasterium, intuitu, & contemplatione futuræ professionis; Cumque magis receptum sit Conciliarem formam non intrare, utpote extra casum, dum ita ea verificabilis non est, ut propterea vel non sufficiat, vel necessaria non sit, restringitur quæstio ad aliam formam, vel solemnitatem a sæculari lege præscriptam, an ea debeat adhiberi, atque magis communis, magisque moderno tempore receptus est sensus, ut neque adhibenda sit. Id autem irrationabilitatem redolere videtur ab eodem comprobatam consilio, quod etiam in iis, qui per plures menses illum statum experti sunt, hujusmodi renunciationes fieri non posse statuit, nisi Episcopi, seu Vicarii auctoritas accedat, dictusque labatur terminus majoris partis anni, unde propterea dici valeat jam expertus penes omnes illius status asperitates, & incommoda. Igitur multo minus ubi nullum adhuc adsit experimentum; Ac etiam quia ita est dare inconveniens naturali rationi, ac humano discursui contrarium, ut puella, vel adolescens seductionibus de facili subjectus, utraque forma, vel solemnitate neglecta contra utriusque juris dispositionem istum imprudenter perageret actum ad favorem eorum, cum quibus agi non debet, iis neglectis, erga quos fieri debere, justitiæ, vel honestatis, & congruentiæ ratio exigat, lausque ita fraudibus, & seductionibus aditus aperiri dicitur; Ideoque inter irrationabilitates id collocandum videtur, quoniam licet justum sit renunciandi motivum, attamen in modo, vel in persona, cujus favore renunciatur, injustitia, & machinatio adesse possunt. a

a *disc. 11. & 13. de renunc. disc. 58. & 59. & disc. 1. de Reg. & disc. 40. in annot. ad Conc. Trid.*

OBSERVATIO CCLV.

An in renunciatione detur læsio.

QUamvis in omni actu, ex quo præjudicium resultare potest, læsio pro regula intret, & in isto præsertim renunciationis, quæ frequentius aliquam habere solet correspectivitatem ad dotem; Adhuc tamen non infrequentes in hoc dignosci solent irrationabilitates, ab eodem resultantes vitio procedendi cum litera, vel cum generalitatibus, non autem cum ratione, attendendi nempe cum rigorosa æstimatione pretium, seu valorem jurium, ac bonorum renunciatorum, perinde ac si de simplicita emptione, & venditione, vel alio correspectivo contractu ad commutativæ justitiæ limites agatur. a

Id autem frequentius manifestam redolere videtur ineptiam, quoniam regula abstracte sumpta, & in suo casu vera,

pro-

procedat ubi de renunciatione agitur, quæ ad extraneæ personæ commodum fiat, cum qua nullum justum, ac rationabile, beneque regulatum urgeat renunciandi motivum, ideoque illud correspectivitatis tantum adesse dicatur; Secus vero ubi fiat ex communi usu, & moribus, commendatione quidem dignis, ut bona, & jura in familiis, & agnationibus conserventur, quodque de fœminis congrua sufficiat dos, cum qua de paterna, vel fraterna domo bene provisæ exeuntes, ab ea extraneæ fiant, ut propterea aliud non petant, unde pro dictæ nimium rationabilis consuetudinis usu, quæ continuativa est morum antiquorum Romanorum, ad occurrendum alias inculcatis ineptiis, & irrationabilitatibus antiquorum Juristarum recipiendi diversum successionis ordinem a novissimis Græcorum legibus præscriptum, istud renunciationis adhibeatur remedium, cum tunc ista ratio principaliter, non autem correspectivitas attendenda sit, ut propterea sufficiat provisionem in suo genere, vel pro sua qualitate congruam esse; Ad instar eorum, quæ in legibus, & statutis fœminarum exclusivis habentur, congrua dote demandata, ut sufficiat congruitatem adesse in genere suo, ideoque ubi pro carnalibus nuptiis magna esse deberet etiam centum millium, pro spiritualibus sufficeret exigua solum mille, quia sic exigat Monasterii consuetudo, ita pariformiter cum hac posteriori dote, ac si cum priori satisfactum dicitur statuto, quoniam sufficit ejus finem impleri, sic a pari cum ex eodem hujusmodi statutorum, ac legum motivo, ubi illæ non provideant, cum hoc remedio provideri rationabilia induxit usus: Et per consequens cum hoc discursu, vel ratiocinio hæc materia regulanda est, non autem cum irrationabili ineptia procedendi cum litera, vel cum generalitate propositionum, quæ vere, & proprie non percutiunt hos contractus.

a *disc. 14. de Renunciat.*

OBSERVATIO CCLVI.

An renunciatio facta per matrem obstet filiis ex propria persona venientibus.

NEgativa pars, ex magis communi sensu recepta videtur pro regula, ut renunciatio facta per matrem, filiis ex propria persona venientibus obstare non debeat, quamvis matris essent hæredes, nisi pro istis illa expresse promiserit; *a* Quamvis autem in suis respective casibus, verum, ac rationabile censendum sit assumptum, ubi nempe renunciatarii non intersit, nullumque exinde ejus resultet incommodum, vel præjudicium, quia nempe contentio sit in juribus ab ipso renunciatario independentibus inter renunciantis filios jure proprio venientes & remotiores, vel extraneos, quibus alias jus aperiatur ad bona, a quibus mater cum ea renunciatione, quæ realis, vel extinctiva dicitur, extraneam se effecerit, atque pro mortua se habere voluerit, cum tunc filiis, qui ea propria persona sint proximiores, nedum ratio, & naturalis æquitas assistant, sed etiam verisimilis intentio renunciatarii, quem præsumendum est de renunciatione sollicitum fuisse, ut sibi prosit pro libertate disponendi de iis, quæ sub ejus dispositione cadant, vel ut tunc extantibus, vel separatis magis dilectis intestatis successoribus bona, & jura renunciata deferantur, non autem ut bona, & jura differentia non liberæ dispositionis, extraneis, vel remotioribus minus dilectis, ac verisimiliter non contemplatis acquirantur. *b* Ineptia vero, ac irrationabilitas, ex consueto derivantes vitioso fonte procedendi cum litera, vel cum generalitatibus, neglecto discursu, vel ratiocinio, quod distinguere, beneque applicare docet, in eo dignosci videntur, ut hoc assumptum, quod in dicto casu originaliter vere inductum est, generaliter applicetur, etiam ubi jus filiorum ex propria venientium persona renunciatario duplex causet damnum, ac præjudicium verisimiliter nolitum, ipsorumque filiorum duplicatum irrationabile producat commodum, & lucrum, quia nempe obtinentes ex præmorientis matris successione dotem illi a parente constitutam, cum qua credidit pro communi usu, cum ipsa ejusque posteritate propriæ satisfecisse obligationi, legitimam quoque ex propria persona in bonis avi obtineant, unde propterea duplici onere iste gravatus remaneat, atque melior ita efficiatur conditio descendentium per fœminam, quam liberorum masculini sexus etiam primi gradus, quod utique asperitatem, ac irrationabilitatem redolet, ut etiam occasione imputationis dotis in legitimam alibi advertitur. Id etenim naturali discursui, ac rationi, & æquitati ad evidentiam adversari videtur.

a *disc. 15. de Renunciat.* b *disc. 4. & 5. de fideic.*

Card. de Luca, Lib. XV.

DE TRANSACTIONIBUS.

OBSERVATIO CCLVII.

De contradictione, quæ habetur in transactionibus, ut inter ipsos transigentes, de facili ratione læsionis, & malæ fidei, rescindantur, atque inefficaces declarentur, & tamen, ut ratione talis qualis bonæ fidei, & dubietatis, de facili afficiant, tertios etiam independentes, istique ab impugnatione rejiciantur.

INter ipsos transigentes, qui liberam habeant contrahendi, vel alias de bonis suis disponendi facultatem, adeout alter accidentalis defectus non consideretur, regulæ assistunt transactionis validitati, & efficaciæ, eaque nimium favorabilis in jure reputatur, utpote litibus finem imponens; Solaque dubitandi ratio cadit, an adsit illa dubietas, quæ reputatur essentiale requisitum istius contractus, qui non datur in re clara, atque ad hunc defectum evitandum, receptum est sufficere talem qualem litem actualem, vel habitualem, cujus timor subsit; Et quoad alterum requisitum, ut aliquid hinc inde detur, vel dimittatur, quandoque sufficit solus recessus a lite cum aliqua remissione expensarum. Ubi vero unus transigentium prætendat se circumventum, unde propterea intret quæstio læsionis, tunc non modica inter scribentes quæstio est, an cessante dolo vero, vel præsumpto, istud læsionis remedium, quod in emptione, & venditione proprie, ac principaliter per legem introductum est, in isto contractu quoque intret; Una opinione simpliciter negante, alia e converso simpliciter affirmante, quasi quod iidem emptionis, & venditionis termini intrent; Et alia mediam sequente viam, ut nempe intrent quidem isti termini, sed quando magnus concurrat excessus, qui raro, pæneque unquam verificabilis reputatur, dum non ab ipsarum rerum sub lite existentium valore intrinseco, & naturali, sed a futuri dubii eventus æstimatione læsionis regulatio pendet, & quæ æstimatio cum magna difficultate verificabilis est, cum hodie ob legalis facultatis adeo magnam involutionem, cum tanta scissura inter scribentes, & Tribunalium inconstantia, pæne impossibile est hujusmodi eventuum judicium efformare, adeout inter casus fortuitos illi reputentur.

E converso autem ubi de transactionis robore, & efficacia non sit quæstio inter ipsos transigentes, vel habentes causam ab eis, sed cum tertio independente, ut (exempli gratia) pro frequentiori praxi, contingit in eo, qui proprio jure sit independens successor, in fideicommisso, vel in beneficio, sive in emphyteusi, vel feudo pactionato cum similibus, adeout transigentem non agnoscat in auctorem, neque ipsius factu ligetur; Et tunc pariter eadem opinionum diversitas dignoscitur, quoniam aliqui generaliter, ac indefinite negativam sequuntur, alii vero cum ea procedunt distinctione bonæ, vel malæ fidei, ut quando mala fides adsit, opinio negativa recipienda sit, quando vero bona, tunc affirmativa, istam bonam, vel respective malam fidem regulando a qualitate dubietatis litis. *a*

Contingit itaque, quod in aliquibus locis, & Tribunalibus opinio distinguens recepta est in hac posteriori quæstione, in priori vero est recepta illa opinio, quæ istum contractum alteri emptionis, & venditionis simpliciter parificat, unde propterea iidem intrent termini læsionis enormis, ut sit ultra dimidiam, & enormissima, ultra bessem, adeout de facili rescissionibus locus fiat, læsionem regulando a quali quali injustitia; *b* E converso autem, ut successor independenter afficiatur ex quali quali dubietate, adeout quandoque opinio, vel dictum unius Doctoris sufficiens reputaretur ad inducendam dubietatem bonæ fidei productivam. *c*

In his itaque extremis, clarum dignosci videtur irrationabilitatis vitium. Priori siquidem casu, quod inter transigentes, vel dependentes ab eis quæstio sit assistentibus regulis pro transactionis validitate, & efficacia, adeout in magis rationabili sensu difficillima, peneque impracticabilis esse debeat impugnatio, ista nimium facilis efficitur; Et e converso in altero casu, in quo regulæ assistunt impugnatori, atque resistunt actui, ut magna dignoscatur difficultas super limitationis inductione, adeo facilis fit limitationis praxis; Hæc namque aperte contradictoria videntur, ex consueto vitioso resultantia fonte procedendi cum regularum, vel auctoritatum litera, & superficie, atque insimul confundendi auctoritates, ut unam percutientes quæstionem, alteri applicentur. Propositio namque, ut qualis qualis dubietas sufficiat, etiam illa, quæ ex unius, vel aliquorum Doctorum dicto, vel opinione quamvis minus recepta resultet, in prima quæstione

procedit, ut ita transactioni essentiale verificetur requisitum alicujus dubietatis, & ne in re omnino clara illam secutam esse dicatur, Secus autem in altera, in qua magna desideranda est dubietas, quæ probabilem inducat timorem amittendi totum, unde propterea prudentis patrisfamilias, & administratoris more, ille qui fideicommissi, vel feudi, seu emphyteusis, vel alterius similis juris est possessor, ita utile, ac bonum negotium, ad successorum commodum gessisse dicatur, cum istu contractu ponendo aliquam partem in tuto; Ideoque magna inter unam, & alteram dubietatis speciem differentia dignoscitur; Et per consequens priorem speciem posteriori applicare, nedum legali, sed etiam naturali ratione, humanoque discursu attentis, irrationabilitatem claram redolere videtur, ex eo quod negligatur ratiocinium, quod ad dictas distinctiones reflectere, & per consequens bene applicare decet.

a *de his, disc.49. de feud. disc.52. de emphyt. disc.173. & seq. de fideic. & disc.27. de empt. & vendit. & alibi.*
b *dicto disc. 27. de empt. & vendit.* c *locis supra citatis.*

DE TUTELA,

ET PATRIA POTESTATE.

OBSERVATIO CCLVIII.

De tutela, vel educatione pupillorum decernenda præter juris ordinem aliis quam matri, vel illis, quibus potius de jure debita sit.

ANtiquis Romanorum legibus indefinite fœmina ad Tutelæ, & Curæ munus inhabilitantibus, modernæ, quæ Græcorum potius, quam Romanorum leges dici merentur, ab ista excipiunt regula inhabilitativa matrem, & aviam, erga quas Interpretum literæ famulantium simplicitas adeo se extendit, ut id quod per gratiosæ habilitationis viam concessum est, magnam producat earumdem prærogativam, omni rationi, a regionis moribus regulatæ, contrariam, præsertim circa tutelam, ac etiam educationem, ut scilicet illam regulando ab ordine proximitatis, & intestatæ successionis, matri potius quam avo paterno, ubi in eo patria desit potestas, vel aviæ potius, quam patruo debeatur, ut quandoque neque Principi cum ordinaria, beneque regulata e jure ejus potestate id concedere, multo minus Magistratibus, & Tribunalibus licitum reddatur illum intervertere ordinem, adeout aliquando Principe tutelam, vel educationem decernente patruo ex justo, ac rationabili motivo, illamque auferente matri, magna apud superficialium vulgus visa fuerit exorbitantia. a Verum id continet solitos malos effectus irrationabilitatis, & ineptiæ, ex vitiosa resultantes causa procedendi cum litera, vel cum propositionum superficie, ac generalitate, non reflectendo ad antiquum rerum statum, antiquosve regionis mores, adhuc de facto in ea continuantes, ut matris, vel aviæ alias inhabilium, ista solum sit gratiosa habilitatio, vel dispensatio, ut præmissum est, Græcorum potius quam Romanorum adaptata moribus, quodque propterea, patruis, aliisve agnatis tutelam, & educationem decernere, ubi aliquod probabile accedat, ita decernendi motivum, pro majori pupillorum utilitate, quodque ita prudentiæ leges exigant, non sit rem a jure exorbitantem decernere, sed potius ad antiquas leges nostris moribus magis adaptatas regredi, dictarumque græcarum legum dispositionem imprudenter receptam, ita in casibus saltem particularibus, quando justum urgeat motivum, moderari; Ac propterea inter malos effectus præfato resultantes Pragmaticorum abusu, procedendi in litera, vel in superficie, neglecto ratiocinio, iste recenseri meretur. b

a *disc. 21. de tutor. cum seq.* b *eodem disc. 21.*

OBSERVATIO CCLIX.

De emancipatione facta per patrem filii, vel nepotis in potestate infirmi, ut fraudulenta censenda veniat.

ADimente lege filiisfamilias testandi facultatem, unde propterea contra omnem rationem, ac humanum discursum, decedens cogatur illos, quos nollet habere intestatos successores, atque non valeat gratificari illi parenti, in cujus sit potestate, & cui eadem lex totum deferebat, qui propterea a proximioribus excludatur, ut in avo contingit, quando mater extat, vel ad coæqualem admittere successionem alios ascendentes utriusque sexus, qui coæquali conjunguntur gradu, ac etiam fratres, fratrumque filios; Hinc, ut decedens istud adimplere valeat votum gratificandi magis parenti in cujus potestate sit, ita illum antiquo jure Romanorum, & Italorum moribus magis adaptato restituendo, quod cum novissimi juris Græcorum potius, quam Romanorum dispositione immutatum est, practicari solet emancipationis remedium, quo mediante decedens sui juris effectus, testandi libertatem obtineat; Et tamen Pragmaticorum ineptia, magna quidem irrisione digna, involutam desuper excitavit quæstionem, cum consueta scissura per classes, a tot distinctionibus, & declarationibus, eodem tempore bilem, ac risum promoventibus, ut ita de graviter infirmo, ac moribundo facta emancipatio fraudem redoleat, unde propterea inutilis, ac infecta reputari debeat, ut invalida sit dispositio ejus vigore facta. a

Id autem primi ordinis apertam redolet asperitatem, ac irrationabilitatem, & ineptiam, ex aliis irrationabilitatibus, ac ineptiis deductas, reputando nempe hodie intestabiles illos filiosfamilias, quos idem jus novissimum, dominii, & liberæ dispositionis inter vivos, nec non habendi hæredem capaces efficit, ita ex malo sensu forte potius interpretum efficiendo parentem, qui filium habeat in potestate, inferioris conditionis, quam sit alter parens fœminini sexus, vel cognatitii generis, ista patriæ potestatis prærogativa destitutus, quo nil absurdius, nilve irrationabilius, atque Romanorum moribus magis oppositum, Et tamen, ut hæc irrationabilitas, adeo coli debeat, quod istam quoque producat, impediendi, ne suo juri, suæque prærogativæ pater renunciare valeat, ita in odium cum magno præjudicio retorquendo id, quod lex pro ejus magno introduxit favore, & prærogativa.

Omnis namque ratio exigit, ut una eademque dispositio, in parte approbari, & in parte reprobari non valeat, sed prout jacet cum sua causa recipi debeat, ideoque aut cum antiquis legibus Romanorum, ex quibus filiorumfamilias intestabilitas provenit, procedendum est, & tunc in omnibus illarum dispositio attendi debet, unde propterea pater omnia intestabilium liberorum bona ad earumdem legum præscriptum jure peculii occupet, aliosque non admittat successores. Aut vero istis neglectis legibus, cum recentioribus Græcorum pro nostrorum majorum, ac primorum interpretum simplicitate procedendum est, & tunc omnis ratio exigit, ut obstacula, quæ ex antiquioribus legibus manant, non attendantur; Ideoque manifestus ita remanet irrationabilitatum ac ineptiarum cumulus, illasque fœcundas efficere matres, ut alias producant, & generent, ex eodem vitioso fonte negligendi originatæ literæ more irrationalium viliter famulando ratiocinium, sed ut ita lex, quæ rationis effectus est, irrationabilitatum remaneat mater, & nutrix.

a *Capyc. Latr. consult. 123. n. 58. & latius dec. 134. Boss. de patr. potest. cap. 2. §. 6. n. 69. & seqq.*

OBSERVATIO CCLX.

Mater quæ sit legitima Tutrix, transeundo ad secunda vota, non proviso pupillo de Tutore, privatur successione, qua non privatur, si non est legitima, quamvis de facto pro tutrice se gerat, atque tutelam se exerceat.

ITa novissimis legibus, quæ matrem alias inhabilem ad tutelam habilitantibus disponentibus, vel ita Juristis in magis communi sensu procedentibus, ut nempe mater, quæ ad secunda vota transitum faciat, non curando prius providere pupillo de tutore, & non redditis rationibus, ejusdem pupilli, alias sibi debita intestata privetur successione, quam non amittat, si tutelam minus legitime, ac de facto non servatis solemnitatibus, ac aliis de jure servandis suscipiat, & exerceat; Id autem irrationabilitatem redolere videtur, quoniam ita majori pœnæ subjacet illa mater, quæ legi paret, atque legitimam, & solemnem suscipit administrationem, quam sit illa, quæ magis delinquit, atque legem contemnit, ideoque tanquam magis criminosa majori punitione digna censenda videtur, quando cum ratione, non autem cum litera procedi debet.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

OBSERVATIO CCLXI.

Bona secundi viri sunt hypothecata pro tutela, vel cura per mulierem binubam administrata, etiam, pro tempore ante matrimonium, cum retrotractione ad tempus susceptæ administrationis.

ITa quadam disponente civili lege recenti, quæ Græcorum potius quam Romanorum dicenda est, dum Romanorum legibus, ac moribus attentis, fœminæ tutelæ, & curæ generaliter incapaces erant, a Græcis vero

vero matres, & aviæ sunt habilitatæ, irrationabilitatem nimiamque exorbitantiam id redolere, concors Juristarum schola, irrationabiliter tamen generaliter, ac indefinite credit; *a* Ubi etenim de ipsius secundi viri præjudicio tantum agitur, tunc licet a juris regulis exorbitet pro alieno debito nolentem obligare, probabilem tamen habet rationem, ut ita ille, qui viduam habentem filiorum primi matrimonii tutelam, vel curam suscipere velit, sollicitus esse debeat, ut illa quam uxorem ducere intendit, administrationem dimittat, atque rationes cum reliquatis reddat, ita occurrendo fraudibus; quas mulieres in secundorum virorum gratiam, cum eis colludendo, cum pupillorum supplantatione committere solent, ideoque irrationabile potius est de irrationabilitate id redarguere; Illa vero adesse dignoscitur irrationabilitas, ut per hanc hypothecam præjudicium generetur illis ejusdem secundi viri creditoribus, qui naturali veritate attenta sunt tempore anteriores, ex legis tamen superstitione ob hypothecam, qua carent, postponuntur, ut alibi supra advertitur.

Alia quoque non modica irrationabilitate, ac leguleica superstitione juxta unam opinionem accedente, ut isti secundi viri obligatio procedat, quando mulier legitima sit administratrix cum solemnitatum implemento, secus autem ubi illegitima, & de facto. *b* Id etenim omnimodam redolet improbabilitatem, ut melioris conditionis esse debeat actus illicitus, & criminosus, quam licitus, & solemnis, dum eadem, ac major viget fraudis ratio, ideoque eatenus id recipiendum est, quatenus illegitima, & non solemnis administratio justam in secundo viro inducat ignorantiam excusabilem, secus autem ubi sciat, cum tunc fortius intrare debeat obligatio.

a *l. 2. §. ne sit facilis C. qui mul. tutel. off. fung. Gabr. de secund. nupt. concl. 9. Rot. dec. 499. num. 12. & seqq. par. 9. recent.* b *decis. 499. par. 9. rec.*

OBSERVATIO CCLXII.

Pœnæ secundo nubentium mulieribus injunctæ, ad viros extensæ sunt, & quomodo eæ intelligendæ, ac practicandæ sunt.

MUlieribus, quæ ad secundas convolant nuptias, leges civiles quamplures imposuerunt pœnas, a lege canonica abolitas, in iis quæ liberorum primi matrimonii favorem non concernunt, illæ vero, quæ talem favorem percutiunt, adhuc firmæ remanent, atque Interpretum sensus in mulieribus indefinite, ac generaliter id recipit; Moderni vero potius quam antiqui ad viros quoque eas extendunt, quasi quod eadem cadat ratio. *a*

In hac itaque ampliatione, quam pro regula constituunt, irrationabilitas dignosci videtur ob deficientem rationem, cui antiquæ Romanorum, ac respective Græcorum leges imperiales innixæ sunt; Secundæ namque nuptiæ pro eorum moribus ideo damnatæ, atque plerisque pœnis affectæ sunt, majoribus tamen ubi intra annum luctus transitus fieret, quia juxta Romanorum, præsertim ethnicorum vanas opinationes, anima viri exinde contristaretur, quasi quod mortui illam adhuc retineant zelotipiam, quam viventes habent viri, nec alii cum eorum uxoribus concubitum habeant; Ac etiam quia in mulieribus, pro iisdem moribus, incontinentiæ vitium id arguebat, ideoque turpitudinis speciem quamdam inducebat; magis vero ob incertitudinem partus exinde resultare solitam, quando recens esset post viduitatem transitus.

Omnes autem rationes hujusmodi in viris cessant, ideoque irrationabiliter hæc extensio inducta est, ob illam præsertim differentiæ quoque rationem cujusdam majoris licentiæ, quam in viris lex, vel usus induxit cum aliis mulieribus concubitum habendi, ob cessantem in eis præfatam magis urgentem rationem mixturæ seminum, ac incertitudinis partus; Unde propterea adulterium in mulieribus crimen redolet turpitudinis, & infamiæ, ac etiam pœnarum in exteriori foro productivum, non autem in viris. Ac etiam quia in viro non præsumitur illa imbecillitas, quam in muliere incontinente lex præsumit, ut ob amorem erga secundum virum, liberos primi matrimonii excoriare satagat; Sive quia viri cum mulieribus majorem habent auctoritatem, reique familiaris dominicalem suscipiunt administrationem, ut ipsis mulieribus etiam invitis idem sequatur liberorum primi matrimonii præjudicium, quod in casu conversonon intrat, in quo potius expedit, ut pater aliam ducat uxorem pro meliori liberorum primi matrimonii educatione, & custodia. Igitur probabili ratione destituta est hæc extensio.

In mulieribus quoque asperum, ac irrationabile videtur, id in omni casu indifferenter accipere, cum potius attendendo magis legis rationem, quam literam, ex facti qualitate, & circumstantiis inspicienda sit causa, vel motivum hujusmodi nuptiarum, ut in dubio istæ reprehendi mereantur ob incontinentiæ præsumptionem, ista vero præsumptio utpote juris tantum, per contrarias probationes etiam præsumptivas excludi valeat, quia justum habuerit motivum, ut ejus honestati, ipsorumque liberorum meliori educationi, & protectioni, ac bonorum administrationi consultum sit, quo casu, cum nullum adsit crimen, sed potius actus prudens, ac laudabilis censendus veniat, hinc irrationabilis est punitio. Igitur ad mentem, seu rationem legis, non autem ad literam reflectendum est.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

OBSERVATIO CCLXIII.

De diuturna, nimiumque longa possessione beneficii non suffragante.

UT beneficiorum status, quo magis fieri potest, incertus non remaneat; quia non expedit Ecclesiam, vel cappellam sub incerto, ac litigioso Rectore esse, per Cancellariæ regulas provide cautum est, ut qui annalem molestare velit possessorem, cuidam magno subjaceat rigori. *a* Ille vero, qui triennalis pacificus possessor sit, ab omni reddatur molestia tutus, paucis exceptis limitationibus, quas decennalis possessio tollit. *b* Et tamen in quadam facti contingentia plurium Ecclesiarum unione facta in decimo quarto sæculo, eaque in fine decimi sexti, per magni, ac supremi Tribunalis rem judicatam canonizata cum subsecuto pacifico effectu annorum circiter septuaginta, adhuc ex beneficio restitutionis in integrum ratione injustitiæ, quam etiam re infecta non adesse probabilius dicendum videbatur, adeo longævus possessor beneficii privationem passus est, quo nil absurdius, nilve irrationabilius, ut res judicata titulo saltem bonæ fidei putativo innixa per tam diuturnum tempus pacificum sortita effectum, adhuc incertum reddat possessorem; Et quod magis est, ut injustitia ex leguleicis superstitionibus, ac formalitatibus tantum in abstracto decurreretur, illis non visis juribus, & actis, super quibus antiquum prodiit judicatum, culpa auctoris suscitatoris litis potius, quam possessoris peremptis, quo nil in jure absurdius, ac irrationabilius, dum incertum est, perempta illorum hominum memoria, quibusnam fundamentis illa sententia innixa esset, ideoque non videtur quænam legalis, vel humana ratio suadere unquam valeat, ut de injustitia redarguatur. *c*

a *de regula de annali, disc. 47. & 50. de Benefic. & eod. tit. disc. 131.*
b *de regula de triennali, disc. 77. & 91. de Benef. & eod. tit. disc. 132.* c *de isto casu, disc. 136. de Benef.*

OBSERVATIO CCLXVI.

Beneficii Ecclesiastici vacatio secuta per mortem ejus, qui in captivitate obiit, ex quo tempore regulanda sit, an captivitatis, vel mortis naturalis.

MEnsium divisione quadam inter Papam, & locorum Ordinarios per Cancellariæ regulas facta super beneficiorum collatione, ubi contingat in uno, vel altero mense possessori beneficii sequi mortem; Cum duæ in jure dentur species mortis; Una nempe ab ea lege, quæ *Cornelia* dicitur, ficta, seu præsumpta, quæ *Civilis* appellatur, præambula captivitatis hora, & altera naturalis in eodem captivitatis statu secuta; Hinc consuetus dignosci videtur error ambulantium in litera legum, opinando, ut ad ejusdem Corneliæ legis præscriptum, mortis civilis, vel fictæ mensis potius attendi debeat; Id etenim clarum redolet irrationabilitatem, dum in ecclesiasticis beneficiis, ecclesiastico jure metiendis, non autem civili, quod in hac parte pro antiquis Ethnicorum moribus prodiit, attendendum est, sive ut Ecclesiam decet, cum naturali veritate procedendum est, dum captivitate non obstante, habitualis Ecclesiæ, vel beneficii administratio, ac jus non desiit; Alias etenim uno conjugum in captivitatem redacto, alteri unum liceret contrahere matrimonium, quod implicitum validitatis haberet statum, quatenus ex intervallo in eadem captivitate, naturalis mors sequeretur ex ejusdem legis fictione, quod utique apertam continet fabulam. *a*

a *disc. 16. de Benef.*

OBSERVATIO CCLXV.

Regularium Monasteria sæcularibus commendari, an potestas, & congruentia resistant.

THeologorum potius, quam Juristarum est sensus, quinimo illis istos improbantibus, eosque de adulationis nota redarguentibus, ut Regularium Monasteria sæcularibus clericis commendari non valeant, adeo id negantes, ut nedum omni humano ecclesiastico, sed etiam naturali, ac divino juribus, quibus nulla humana potestas derogare, vel dispensare potest, adversari dicatur ob implicantiam, quam ipsa natura docet, ut caput a corpore diversum sit; *a* Ineptiam vero, seu claustralem simplicitatem hoc assumpium redolet, dum apud Catholicos, probabiliter quidem, ac extra controversiam receptum est, quod status regularis, humani ecclesiastici potius, quam divini sit juris, ut solemni professioni regulari, pontificis deroget potestas, ut alibi advertitur, Magis vero, quia hujus hyerarchici ordinis ea major distinctio, quam hodierna praxis docet, tam in membris, quam in capite, ut non nisi regulares ipsi habeant Superiores, ac Prælatos, recens est ex gratiosa, & privilegiativa Sedis Apostolicæ benignitate manans, dum antiquorum Canonum dispositione attenta, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ac Prælatis hyerarchiæ sæcularis populi, & cleri sæcularis ad instar subjacebant, *b* ideoque non videtur cui fundamento istud innitatur assumptum, ut eadem potestas, quæ concessit id tollere, vel moderare non valeat; Et per consequens in ratione justitiæ, ac positivi defectus potestatis, manifestam fabulam id sapit; Aliqua solum non improbabili urgente ratione congruentiæ, & honestatis, cui in concernentibus ipsorum Regularium regimen, ac regularis disciplinæ conservationem consulium videtur, dum reservatis commendatario aliis jurisdictionis, & præeminentiæ speciebus, in iis, quæ hoc concernunt, subalternus præfici solet regularis Superior, ac Prælatus; *c* ideo quoad fructus, & emolumenta magis re vera quæstio restringitur, quamvis sub disciplinæ regularis zelo, vel etiam pallio; Atque in hoc si aliquod pietatis, & congruentiæ præjudicium dignoscitur, illud loci pauperum potius dicendum est, non autem ipsorum Religiosorum, quos sufficit de necessariis, ac vitæ religiosæ proportionatis esse congrue provisus, experientia docente, quod illæ excedentes divitiæ, quas sæcularium Principum, ac privatorum pietas in eis induxit, malos potius producant effectus, ideoque manifestæ temeritatis opus est, ob juris divini, & naturalis repugnantiam in hoc Pontificiæ potestatis asseverare defectum.

a *disc. 54. in Miscell. Eccl.*
b *disc. 29. de jur. & dis. 1. de Reg. & alibi.* c *dis. 33. de Jur.*

OBSERVATIO CCLXVI.

De judicio interponendo per Episcopum inter approbatos in concursu ad Parochiales; Et de provocatione prælecti ad novum examen in Curia.

CUm per Concilium Tridentinum, ut curæ animarum rectæ, ac meliori administrationi consultum sit, nova in Ecclesiarum Parochialium provisione statuta sit forma, *a* ut per concursum coram Ordinario, vel ejus generali Vicario, & Examinatoribus in diœcesana Synodo deputatis provisio sequi debeat, concessa Ordinario facultate unum inter plures approbatos præeligendi, cum facultate appellandi ab irrationali judicio Ordinarii in præeligendo, ac etiam a judicio Examinatorum in reprobando.

Hinc super istius formæ observantia, vel praxi, ex eodem in omnibus inculcato vitio procedendi cum litera, vel formalitate verborum, non autem cum ratione, quamplures irrepsere asperitates, ac irrationabilitates, & contradictiones, præsertim vero, quod in parochialibus in titulum principaliter providendis, in quibus tantum declaratum, ac receptum est Conciliarem formam servari debere, adeo rigorose super istius formæ exacta observantia insistitur, ut ea speciem habeat cujusdam superstitionis, adeout raro, peneque unquam bene, ac perfecte servata dicatur, ideoque frequentius concursus annullentur, atque odiosis impetrationibus ex isto capite cum scandalosis litibus aditus aperiatur. *b* Potissime autem, magnum quidem, ac irrationabilem rigorem forus est expertus in eo casu, quod cum Sede vacante, in remota regione ultra montes, Vicarius a Capitulo, vel a consuetudine deputatus, publice & palam, & cum optima fide omnia illius diœcesis negotia explicaret, omnesque exercerer Episcopalis jurisdictionis actus, inter quos fuit iste, ut concursus bene in aliis forma servata haberetur, super parochiali reservata Sedi Apostolicæ, ut ipse collocationem non haberet, de eo autem tempore in Romana Curia, & in Papæ secreto Consistorio ad quondam Ecclesiam Cathedralem jam promotus esset Episcopus, declaratus fuit invalidus concursus, ex eo quod jam officium Vicarii vacasset, res quidem ab omni ratione, & æquitate naturali, imo etiam legali nimium aliena. *c*

E converso autem declaratum, ac receptum est, hanc formam servandam non esse in illis Ecclesiis parochialibus, quæ alicui beneficio, vel dignitati, seu corpori sint unitæ, sive agatur de providendis ipsis beneficiis, vel dignitatibus, quibus unio facta sit, sive de vicariis etiam perpetuis, atque in titulum provideri solitis, adeout a veris parochis de facto in nihilo differant, quibus curæ exercitium demandatur, adeo id extendendo, ut quamvis diuturno tempore in hac provisione forma prædicta adhiberi solita sit, adhuc abusus potius censeatur; *d* Id apertam redolere videtur irrationabilitatem; etenim spectata ratione cui ista Conciliaris provisio innixa est, vel spectato fine, vel effectu, in omnibus identitas rationis dignosci videtur, quoniam dum ita sibi commissas oves pascit, unus, ac alter, idemque curæ exercitium penes utrumque provisum residet, ideoque non videtur quæ ratio exigat, ut in uno casu ista adeo rigorose forma adhiberi debeat, & in altero non; dum illa differentiæ ratio, quæ assignari solet potius quandam idealitatem sapere videtur, contra naturalem veritatem, qua attenta unum, & idem revera est munus, atque unus, & idem est effectus, ideoque substantiam veritatis, non autem formalitates abstractas, & ideales attendi debere ratio exigit, atque ita extrema vitiosa potius dignosci videntur. Magis vero extrema vitiosa, quæ contradictionem implicant in eo dignoscuntur, quod licet ab irrationabili judicio Episcopi, vel respective examinatorum appellari concedatur, nimium tamen rari, peneque nulli sunt casus, in quibus, validitate posita, ex solo capite irrationabilitatis irritetur præelectio, & merito ob nimiam difficultatem illam convincendi, dum non sola literatura, vel gradus, aut ætas, vel nobilitas, aliave similis qualitas, quæ in appellante præemineat, irrationabile convincit judicium, cum frequenter expediat, minus literatum, doctiori ob mores, vel prudentiam, aliasque qualitates præferre, ubi ad munus sufficiens literatura accedat: E converso autem appellanti liber conceditur aditus appellatum ad novum examen in Curia provocandi, quamvis etiam irrationabilitatis probatio, vel saltem vehemens fumus non detur, juxta unam sententiam, ab aliquibus Tribunalibus receptam, ab aliis tamen probabilius improbatam, id practicando, quamvis de remota regione agatur, ut nimium incommodum appellato sit; Id enim omni videtur probabili destitutum ratione, tum ratione incommodi ita dandi prælecto, qui ne illud ratione ætatis, aut valetudinis, vel paupertatis patiatur, præelectionem negligere cogatur, unde propterea minus dignus ita indirecte, ac indebite sortiatur intentum; Tum clarius quia cum receptum sit, ut sola major literatura istam non convincat judicii irrationabilitatem, eo quia principaliter vitæ, & morum honestas, ac prudentia, & populi benevolentia spectari debent, quoties tanta sit literatura, quæ sufficiat; Hinc non videtur cuinam probabili rationi hæc introductio innixa sit, & quale judicium per Examinatores in Curia desuper efformari valeat, sed ejusdem vitii effectus est, ratiocinio neglecto, ambulandi cum traditionibus, vel cum aliquarum authoritatum litera. *e*

a *de ista forma, disc. 37. de Paroch. & disc. 32. in annot. ad Conc. Trid.*
b *patet ex casibus, de quibus, disc. 1. & seqq. de Paroch.*
c *de isto casu, disc. 4. de Paroch.*
d *disc. 10. cum seqq. & d. disc. 37. de Paroch. & d. disc. 32. in annot. ad Concil. Trid.*
e *de disc. 6. & seqq. eod. tit. de Paroch.*

DE JUREPATRONATUS.

OBSERVATIO CCLXVII.

Quod patronus habens facultatem præsentandi alios ad beneficia, non possit præsentare se ipsum.

CUm in electionibus, quæ secreti scrutinii formam ex canonum dispositione habere debent, quia de sponso viduata Ecclesia providenda sit; merito canum habeatur, ut se ipsum eligendi facultatem non habeat elector, nedum ob rationem implicantiæ, ut quis eodem tempore

pore

pote fit elector, & electus, cum ista in actibus comitialibus inepta potius esse videatur, ob aliorum eligentium concursum, sed verius quia in electionibus occultis per secrets scrutinia, unde aliorum votum ignotum est, vel esse debet, ambitum id redolet, ideoque indignum se declarat, unde propterea publicato scrutinio, seu publicatis votis aliquorum in ejus persona concurrentium, non prohibetur eis adhærere, ita insequendo vocationem per aliorum ora expletam. *a*

Hinc ad præsentationes in beneficiis de jurepatronatus infertur, ut quando plures contingat esse patronos, a quorum aliquibus eorum unus præsentetur, possit ipse eis adhærere, etiam ad faciendum numerum ad illorum majorem partem constituendam, tanquam ab aliis excitatus, non possit autem ubi sit solus præsentate se ipsum, sed solum indulgetur ut preces Episcopo pro se porrigere valeat, quæ tamen ad institutionem non arctant, sicuti præsentatio facit ad institutionem, istaque præsupposita prohibitione, aliqui illam adhibent, vel docent cautelam, ut ipse alteri mandatum tribuat ad præsentandum, qui ipsum præsentet. *b*

In utroque autem, in prohibitione scilicet, & in cautela, inepta, & irrationabilitas dignosci videntur, ex eodem confuso derivantes fonte procedendi cum litera, vel cum traditionibus, neglecta ratione; In beneficiis etenim de jurepatronatus, quod præsertim laicale sit ex dotatione, & fundatione, vel ejus præponderantia, pro frequentiori, pene que universali praxi, adesse non dicitur illa magna administratio, quæ provisum reddat viduatæ Ecclesiæ sponsum, cum formali matrimonio spirituali, unde propterea per speciem divinæ inspirationis in forma collegiativa, & per secreta suffragia electio fieri debeat, atque ita illud verificetur divinum oraculum, quod ubi duo, vel tres fuerint in nomine meo congregati, ibi ego sum, ut in Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesiis, ac in aliis, quibus eadem congruat ratio, contingit, sed proceditur per viam nominationis, quæ publice, ac etiam oretenus fieri potest, tam gratia honorificentiæ, quam etiam utilitatis, quæ per fundatores in posteritatis gratiam accessorie, & consecutive considerata sit, ut nempe secundo, vel ultrogeniti de bonis temporalibus ratione primogeniorum, & majoratuum non bene provisi, prout eorum qualitatem decet, ita aliquam obtineant provisionem, unde propterea frequens praxis docet, ut nedum activum, sed etiam passivum adjiciatur juspatronatus, quod necessitatem inducit præsentandi illos de sanguine, vel posteritate, aliove genere vocato, quibus, ubi neglecti sint, actio conceditur invitis patronis, eorumque præsentatione aliter facta pro infecta habenda, institutionem de justitia petere; *c* Ideoque non videtur, quænam naturalis, aut legalis ratio suadeat, ut ille; qui habet juspatronatum passivum, citra ambitum, possit pro se ipso petere beneficium resistente aliorum voluntate, per quam dici valeat, quod divinus spiritus illum non vocet; Ete converso absque hac resistentia, ille qui habet patronatum activum, quod est quid magis, non possit præsentare se ipsum, atque ita cogatur pati famem, ut panem, quem in peopria habent arca, aliis distribuat, ipse autem comedere sit prohibitus, cum tamen patrono indigenti, provisionem a beneficiato suppeditari debere, canones mandent, ideoque apertam id redolere videtur irrationabilitatem, quæ tanquam fœcunda mater aliam se ipsa majorem producit filiam, super dicta cautela, per quam lex verbis potius, quam rebus imposita diceretur, atque clarum superet judsifmum, sive superstitionem, stante regula, quod qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Non suffragante cautela precum, quoniam istæ Episcopum non obligant, ideoque præsentationi non æquivalent.

Prout irrationabilitatem continet aliquorum assumptum alibi supra adnotatum in materia ætatis, ut præsentatio facta per pupillum prævaleat illi, quæ facta sit per Tutorem; Ac alterum, de quo in materia fideicommissaria, ut juspatronatus non veniat sub fideicommisso.

a *disc. 26. & 27. de Canonic. & Capitulo.*
b *disc. 31. de Jurepatr.*
c *disc. 25. cum plurib. seq. de Jurep.*

DE PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS.

OBSERVATIO CCLXVIII.

De concessione præventiva ecclesiastica pensionis, quæ post alterius pensionis cessationem, reservata fuerit.

IN Episcopis, aliisque Ecclesiasticis Prælatis, vel Magistratibus, ista non cadit quæstio, eo modo quo in *Card. de Luca, Lib. XV.* concessionibus Apostolicis cadere potest, dum extra controversiam apud Catholicos, solius Pontificiæ dignitatis prærogativa est pensionas super ecclesiasticis dignitatibus, vel beneficiis reservare, vel eorum quibus eadem Pontificia potestas concesserit, ut in Hierosolymitanæ Religionis Magno Magistro præsertim contingit; Quamvis etenim locorum Ordinariis quandoque pensiones reservandi concedatur facultas, adeo magnas tamen hæc habet restrictiones, ut pene idealis, ac raro practicabilis remaneat; *a* Nunquam tamen in eis hæc species abusivæ, vel præventivæ reservationis verificabilis est.

Quando itaque per Papam ea fiat, ut a moderno præsertim tempore inolevit usus, ubi casus præbeat, ut ipso Papa vivente reservatio effectum non sortiatur, credunt aliqui reservationem corruere, nullumque debere sortiri effectum; Verum inter leguleicas ineptias, ac irrationabilitates merito id recensendum venit, quoniam actus per habentem potestatem ab initio jam perfectus est, suspensa solum, vel dilata executione, eodem modo quo in omnibus aliis gratiis expectativis, vel coadjutoriis, ac similibus executionem, non autem perfectionem a futuro eventu expectantibus, cum aliasetiam in aliis præmissis provisionibus, vel concessionibus ex rationis identitate idem dicendum foret. *b*

a *dist. 40. de pension.* b *disc. 1. de pension. cum seq.*

OBSERVATIO CCLXIX.

Pensio sub expressione certi valoris ad supplicationem reservata, in totum corruit, si narratus valor non detegatur verus,

QUando non motu proprio, sed ad supplicationem, sub certi valoris beneficii narrativa, pensionem reservari contingit, ubi assertio minus vera, quamvis in modico detegatur, magis communis, magisque receptus beneficialistarum sensus est, ut ob individuitatem actus, & voluntatis, pensio in totum corruat, non autem ad ratam veri valoris reducatur; Intelligere autem, & practicare id in litera, vel in generalitate in omni casu, neglecto ratiocinio, consuetos malos, asperitatis, ac irrationabilitatis producit effectus; Ubi namque de illa odibili agatur pensione, quæ fraudis nimiam habet suspicionem, voluntaria nuncupata, ad possessoris beneficii pleni preces, vel de ejus consensu reservata, tunc rigor, quamvis aliquando humana sit destitutus ratione, vel æquitate, non improbabiliter attendendus venit ad reprimendas frandes, quæ in hac specie de facili præsumuntur; *a* Ubi autem reservatio, justitiæ, & æquitatis probabile motivum habet, quia nempe ex causa resignationis ipsius beneficii ad resignantis favorem fiat, tunc ratio individuitatis actus ac voluntatis, ad favorem resignantis pensionatii urgere potius videtur, ut resignatario nolente integrum conventum supportare onus, reservato regressui tanquam per resolutionem actus locus fiat, neque ratam offerre liceat, non autem ut eidem resignatario ex hac subtilitate, vel errore, qui ubi de positivo dolo non constet, expeditorum esse solet, liceat obtinere beneficium liberum absque onere; Ita namque duplex irrationabilis dignoscitur asperitas; Una nempe ut resignans invitus utroque careat; Et altera ut resignatarius locupletationem de alieno indebite reportet, unde propterea fraudibus, & machinationibus ita de facili latus aditus aperiri potest, & per consequens inter irrationabiles asperitates id merito recensendum videtur. *b*

a *disc. 6. & seqq. de pension. cum seq.*
b *disc. 12. de pension. cum seq.*

OBSERVATIO CCLXX.

De amissione pensionis ob susceptam militiam.

REcens in foro inolevit propositio, ut militiæ sæcularis susceptio ecclesiasticæ pensionis amissionem producat, ea per aliquos assignari solita ratione, quod milites sævis immisceri coguntur; ideoq; irregularitatem contrahunt; Inepta vero ex magis probabili sensu hæc ratio censenda est, ideoq; merito neglecta, dum verius etiam expressa, & positiva irregularitas, quæ ex uno, vel pluribus quamvis dolosis, & criminosis homicidiis resultet, hanc non producit penam, nisi crimen aliam admixtam habeat qualitatem, vel circumstantiam, quæ beneficiorum privationem de jure importet, sub quorum nomine, vel genere pensiones quoque venire, una vult opinio; Ideoque multo minus hunc effectum operari potest illa incerta, & præsumpta irregularitas, quæ non

ex actu criminoso, sed potius licito sequitur, ideoque merito quidem receptum est, magis eam esse veram assumpti rationem, quod cum ex Curiæ stylo ecclesiasticæ pensiones (Papa alias non disponente,) clericatum saltim in minoribus exigant, Clericis autem militia interdicta sit, illaque cum clericatu incompatibilis, ea assumpto quod miles Christi prohibetur esse miles sæculi; Hinc infertur quod per assumptionem hujus status incompatibilis, implicita adesse dicatur dimissio clericatus, ac reversio ad statum sæcularem; unde propterea tanquam de consequenti vacent beneficia, & cessent pensiones ob deficientem clericalem qualitatem, sine qua (Apostolica dispensatione cessante) retineri non possunt, ad instar eorum quæ habentur in susceptione alterius incompatibilis status conjugalis.

Ista itaque retenta ratione, quæ unica, & vera, germanaque est, unde propterea ad alia infertur sæcularia officia, militiæ ad instar, cum clericatu incompatibilia, clara exinde resultat irrationabilitas, quæ non modicam redolet ineptiam, cum asperitate conjunctam, in litera generaliter in omni casu id attendere, & practicare; Tum quia non desunt species, vel casus militiæ compatibilis cum clericatu, puta pro servitio Papæ tanquam Principis Ecclesiastici, vel pro defensione fidei adversus infideles, aut Ecclesiæ adversus violentos perturbatores, sive pro defensione patriæ adversus hostes, cum similibus; in quibus præfata non adaptatur ratio; Tum etiam quia juris tantum præsumptio hæc est, ut per hujusmodi status susceptionem, (potestate posita) præsumatur clericatus dimissus, ideoque ubi contrariæ voluntatis accedat probatio, quæ hanc excludat præsumptionem, ita cessare dicitur assumpti ratio, quæ cessat etiam ubi potestatis defectus accedat, quia nempe in sacris constitutus ille clericus reperiatur, qui sæculari militiæ se adscribat, quoniam illicite quidem agit, ideoque punitione, ac reprehensione dignus est, non per hoc tamen desinit esse clericus, cum ab ejus non pendeat potestate, qua etiam posita, cum sit effectus voluntatis, ista trahi non potest ad casum, in quo illa in contrarium declarata sit, cum semper præsumptio cedat veritati. Igitur manifestam irrationabilitatem, ac ineptiam in hoc themate quoque producit Pragmaticorum stylus procedendi cum litera authoritatum, vel cum generalitate traditionum, neglecto ratiocinio, ac discursu, ex quibus bene distinguere, beneque applicare edocemur, eisque mediantibus rationabilia ab irrationalibus animalibus distinguuntur. *a*

a *de his omnibus, disc. 46. & seqq. de Pension.*

DE CLERICIS SÆCULARIBUS.

OBSERVATIO CCLXXI.

An Clerici, & personæ ecclesiasticæ uti valeant statutis, & legibus laicalibus in ratione activa, seu privilegiativa ad illorum favorem.

QUadam Urbis lege particulari sub Clemente Septimo prodita dotium excessivarum moderatoria, istam in illis magis proximis temporibus aliqua Tribunalia vere Pontificiam declararunt, ut propterea active, & passive clericos, aliasque personas ecclesiasticas quoque afficeret. Recentiori vero tempore, cum immutata sententia crederetur, quod statuta Urbis, quamvis pontificia auctoritate, & mandato condita, & approbata, laicalia censenda sint, ut ecclesiasticas personas non afficiant, nisi quando eas exprimant, vel quod talem contineant verborum amplitudinem, ut eas quoque comprehendi velle dicendum sit; Hinc isto moderno retento præsupposito, judicatum est dictam legem non suffragari clerico, qui excessivam dotem constituerit, ut propterea post integri pene sæculi silentium, ejus mediatus hæres solutionem pati coactus. *a*

Magnus igitur irrationabilitatum cumulus in hoc dignosci videtur; Primo nempe in moderna opinione, ut dicta particularis lex ecclesiasticos non comprehendat, dum ejus tenor quoad pleraque spiritualia, etiam cum ecclesiasticis censuris disposuit; quod laicali potestati referendum non est, talemque tempore magis proximo habuit interpretationem. Quinimo generaliter in Urbis statutis, utpote Papalibus, idem probabilius dicendum est, dum in plerisque clericorum habetur mentio, ac etiam in plerisque aliis receptum est, ut ob verborum amplitudinem eos comprehendant; Igitur in confesso est quod episcopalem, vel respective Papalem auctoritatem Pontifex quoque adhibere in animo habuit.

Secundo quia dum de illo agitur actu, qui eo tempore initus est, in quo cum ea opinione vivebatur, hanc juxta illam actus est regulandus ob præsumptam agentium intentionem, ut in eo jure, quo tunc vivi sciebant illum regulare voluerint, non autem cum diversa opinione in futurum post diuturnum tempus immutandus.

Tertio ut post annum pene centesimum, quando omnium rerum periit memoria, atque satisfactionis, vel concordiæ, alteriusque melioris tituli possibilitas viget, excitanda sit actio, quam lex merito, ne rerum dominia semper in incerto sint, longissimo triginta, vel ad summum quadraginta annorum spatio tolli statuit. Quarto ut lex, quæ consistans perpetua, æqualis, & certa esse debet, ita inæqualis, incerta, & inconstans dignoscatur; Et quinto demum, ut ecclesiastica qualificata qualitas, quæ favorem præbere debet, ita odium pariat, atque civicam tollat prærogativam, deteriorisque conditionis efficiat clericos, quam sint quilibet infimæ conditionis laici, cum tamen omnis lex, & ratio suadeant, ut clerici ad sui favorem in ratione activa, & privilegiativa non debeant ab usu laicalium legum repelli, ne alias dum reus, ac debitor est, illis juvari non valeat, ubi vero sit actor, & creditor, illæ sibi indirecte noceant, quia laico jus proprio in foro alleganti prosint, illumque excusent; Videantur igitur quantæ sint irrationabilitates, & exorbitantiæ. *b*

a *Disc. 22. de Dote.* b *eod. disc. 22. & disc. 143. de Dote.*

OBSERVATIO CCLXXII.

Episcopus non cogit clericum in minoribus ad dimittendum habitum, vel illum dimissum reassumendum, & tamen clericus invito Episcopo illum dimittit, vel dimissum reassumit.

COntractus, vel quasi iniri dicitur inter Episcopum conferentem, & subditum suspicientem habitum, & tonsuram clericalem, illius contractus ad instar, qui inter militiæ ducem, & militem illi se adscribentem initi dicitur, cum collatio, ac respective susceptio habitus, & tonsuræ clericalis adscriptionem cælesti militiæ importet. Id autem æqualitatem inter contrahentes omni positivo, ac naturali jure exigit, atque si quæ inæqualitas danda esset, Episcopi, & Superioris, & Ecclesiæ potius danda esset quam clerici, cujus tanquam famuli, & subditi meliorem esse conditionem quam superioris, ac domini omnis ratio prohibet; Majorem namque licentiam communis usus Duci tribuit dimittendi militem invitum non benemeritum, quam e converso militi deserendi militiam inscio, vel invito Duce. Et tamen in Pragmaticorum magis recepto sensu clerico facultas est habitum dimittendi, statumque sæcularem assumendi; Quamvis etenim Episcopi licentia desuper necessaria sit, qua non accedente, eidem ecclesiastico foro dimittens subjacet, ita utrique subjectus foro; Attamen si Episcopus negat, ab hac denegatione licitum est ad Superiorem appellare, vel recursum habere, quia sine causa denegare potest; E converso autem si Episcopus, etiam ex causa vult illum a clericali statu, ac servitio dimittere, nullatenus conceditur; Ac etiam post jam secutam dimissionem, clericus pro libito habitum, & tonsuram, ac statum clericalem assumit sine Episcopi licentia, vel consensu, quinimo ipso invito; E converso autem Episcopus illum non cogit ad reassumptionem; Id autem tanquam contrarium præfatæ æqualitati, inter irrationabilitates, ac ineptias Pragmaticorum utique recenseri meretur.

DE REGULARIBUS,

OBSERVATIO CCLXXIII.

De utriusque, activæ, & passivæ electionis restrictione, inter Regulares præsertim.

IN utraque, activa, & passiva ad Ecclesiasticas Prælaturas electione, quæ pro hodierna praxi frequentius, peneque in totum ad regulares restricta videtur (cum in sæcularibus hodie nimium rari sint illi casus, in quibus viduatis Ecclesiis per electionis viam de sponso provideatur) omnimodam sacris Canonibus demandantibus libertatem; Hinc ex consueto vitio procedendi in litera, non autem in ratione, superficialium resultat error, irritas, ac reprobas judicandi consuetudines, vel ordinationes, ut jus activæ electionis ad certas provincias, vel certa monasteria, seu certas personas privative ad alia ejusdem corporis membra restricta sit; Ac etiam in electione passiva, ut eas per provincias, vel nationes turnaria per circulum practicari debeat, ut propterea desit libertas eligendi illos, qui de illa non sint provincia, vel natione, sive alias non habeant qualitates. *a*

In

In utroque autem assumpto error dignoscitur, qui ex jam insinuato resultat fonte procedendi cum litera, vel cum generalitatibus, neglecta ratione, quæ pro locorum, & temporum, vel instituti qualitate hanc restrictionem de congruo exigat, eamque reddat commendabilem, præsertim vero circa turnariam passivam, ut ita æmulationum, ac factionariarum oppressionum, & monopoliorum tollatur occasio, omnesque nationes, vel provinciæ cæquali jure honores obtineant; Ideoque pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis id regulandum est, semperque erroneum censendum venit cum litera legum, vel cum generalitatibus procedere.

a *de his disc. 1. cum plur. seqq. de Regular.*

OBSERVATIO CCLXXIV.

Privilegia per Sedem Apostolicam Regularibus, & aliis concessa, meritorum, ac servitiorum intuitu, non posse revocari, multorum est sensus.

CUm exemptionis ab Episcoporum, & Ordinariorum potestate, aliaque similia privilegia ex causa meritorum, ac servitiorum erga Sedem Apostolicam, & Catholicam Religionem a Regulari Hierarchia præstitorum eadem Apostolica Sedes concesserit: Hinc aliqui negant illam revocandi, vel moderandi facultatem; Id etenim ipsi etiam naturali rationi, vel humano discursui aperte repugnare videtur, quoniam illa vere, ac proprie sunt merita, & servitia, quæ concessiones quamvis sub privilegiorum, vel donationum, aut gratiarum nomine pro eorum remuneratione factas in contractus onerosos, & correspectivos non revocabiles transire faciunt, quæ ex lege justitiæ commutativa civilem pariunt obligationem contra invitum in judicio exercibilem, ut propterea concedens, & concessionarius jure privatorum contrahentium censendi sint, quamvis unus Princeps esset, alter vero privatus; Secus autem ubi ille, qui servitia præstitit, ex quibus emeritus effectus est, ex officii, vel ejus status debito id egerit, bene tamen egisse, illam congruentiæ, ac honestatis pariat in eo, qui recepit obligationem, quæ antidotalis dicitur, in judicio tamen ex rigore justitiæ commutativæ contra invitum non exercibilem, sed cadentem potius sub justitia distributiva, quæ differre quidem facit istam concessionem ab alia mere gratuita, mereque lucrativa, ut tanquam de condigno remuneratoria speciem habeat contractus correspectivi, adeo ut sub generalibus gratiarum, & privilegiorum derogationibus non cadat, atque in eorum revocatione difficilior concedens esse debeat, non tamen ut revocandi denegetur potestas; Ut in milite bene serviente Duci, vel Principi, & in subdito, seu vassallo, ac respective famulo bene serviente domino, aut in filio obsequente patri, vel in muliere obsequente viro, cum similibus exemplificari solet; *a* Ideoque cum clericalis ordo utriusque sæcularis, & regularis hierarchiæ, Christi, & Catholicæ Ecclesiæ profiteatur militiam, & per consequens ex debito officii bene inservire, ac spiritualiter militare teneatur; Hinc sequitur, quod ex hoc servitio bene præstito resultat de hac posteriori specie censendum esse privilegium. Et per consequens irrationabilitates habentes quoque admiratam temeritatem, istud assumptum redolet.

a *De Feudis, disc. 94. disc. 16. 66. & 70. de Donat. & alibi, & faciunt ea, quæ habentur disc. 10. & 65. de Jurepatr. cum similibus.*

OBSERVATIO CCLXXV.

Ordinarium non posse exemptos, & præsertim Regulares corrigere, & punire in casibus, in quibus ejus jurisdictioni subjaceant, sed propriis Prælatis corrigendos, ac puniendos remittere debere, multorum est sententia.

MAjora, peneque omnia utriusque spiritualis, & prophanæ Reipublicæ mala, & inconvenientia, a vitiosis resultant extremitatibus, dum earum ministri, & operarii honestam mediam, atque conciliativam negligentes viam, in jurisdictionalibus, & in aliis, quæ utriusque Reipublicæ regimen concernunt, ex eodem vitio procedendi cum rigore literæ legum, vel cum generalitate propositionum, in præmissas vitiosas incidunt extremitates. Idemque dignoscitur error in ejusdem spiritualis, vel temporalis Reipublicæ operariis, & ministris utriusque cleri regularis, & sæcularis, cum magno quidem ejusdem Reipublicæ præjudicio. Cum etenim omnes, utpote eamdem profitentes Christi militiam, sub uno, eodemque essent Duce, qualis in qualibet diœcesi tanquam in legione, vel cohorte dicitur Episcopus, iste vero, ejusque ministri sæculares aspere cum regularibus agerent, ita ab orationibus, ac vita contemplativa, & solitaria, aliisque spiritualibus exercitiis eos divertendo, atque ad contentiosum forum evocando; Hinc Sedes Apostolica istum nimium emeritum hierarchicum regularem ordinem sub ejus immediata protectione recipere cœpit, atque ab Episcoporum, aliorumque Prælatorum sæcularium jurisdictione, & potestate omnino eximere, ut propriis regularibus Prælatis, ac Superioribus intra ipsamet claustra subjacerent, prout eorum solitariam, atque a sæculo segregatam vitam decebat. *a* Quia vero tractu temporis Regulares sæcularium ad instar, vitæ activæ, commendabiliter quidem circa introductionem, se addicere cœperunt, ut proximorum saluti vacarent, atque in Domini vinea operarentur, eorum autem exemptionibus, ac privilegiis abutebantur; Hinc aliqua priora Concilia generalia ad sedandas scandalosas contentiones, quæ præsertim ex decimarum, ex funerum, seu canonicæ portionis frequentius occasione contingebant, hæc privilegia moderari cœperunt, ut in Lateranensi sub Innocentio III. super decimarum exemptione secutum est, *b* & in Viennensi sub Clemente V. in funerum canonica portione, *c* cum similibus. Sed quoniam experientia docebat, istam non esse mali sufficientem medicinam; Hinc ultimum Tridentinum Concilium, quandam mediam tenendo viam, exemptivis privilegiis in eorum robore relictis quoad Episcoporum ordinariam jurisdictionem, delegatam quamdam ipsius Apostolicæ Sedis vice, ac nomine, eis concessit in concernentibus exercitium curæ animarum, & administrationem sacramentorum cum clero, & populo seculari, & super prædicatione verbi Dei, & plerisque aliis; Iidemque Summi Pontifices pro tempore in aliis quoque casibus statuerunt, & præsertim circa monasteriorum monialium clausuram, juxta casus per elaboratos collectores recensitos. *d*

Adhuc tamen contentionum occasiones non desierunt, nec desunt, dum etiam in istis exceptuatis casibus, sub Episcoporum, vel Ordinariorum delegata jurisdictione, ac potestate cadentibus, Moralium præsertim, & aliquorum modernorum Canonistarum, vel Collectorum sensus est, ut hæc jurisdictio, facultatem quidem tribuat cognitionis causarum, atque opportunas provisiones dandi, vel præcepta faciendi, observantium tamen, vel contravenientium punitionem, & correctionem cum pœnis corporalibus, vel spiritualibus censurarum non habeant, sed quod propriis Prælatis regularibus, ac Superioribus eos puniendos remittere debeant; Quamvis autem hæc opinio acriter, ut præmissum est, per Morales defensa, hodie per recentiores Apostolicas Constitutiones, ac Pontificias decisiones jam sopita dici mereatur; *e* Unde propterea ubi legitima habetur res judicata, de ratione quærere non oporteat; Adhuc tamen ista seclusa determinatione, in discursiva, vel ratiocinativa parte id agendo, inter irrationabilitates id collocari meretur, quoniam fatua censenda esset concessio illius jurisdictionis, ac potestatis, quæ coercendi facultatem annexam non habeat, potissime quia rei omnino novæ, ac exorbitantis concessionem id non importat, ut ea omnimoda dignoscatur incompetentia, quæ in laicali dignoscitur potestate cum clericis, ut propterea quo strictius fieri potest, exorbitans concessio intelligi, ac practicari debeat; sed de restitutione prioris nativæ, ac jam competentis potestatis, & jurisdictionis agitur, ita priorem statum, sive antiquam causam saltem in parte, restituendo, ideoque late potius, ac benigne id recipiendum, & interpretandum est.

a *disc. 29. de Jurisdict. disc. 1. de Regul. & in locis, de quibus infra.* b *Cap. nuper. de Decim. disc. 1. & 6. de Decim.*
c *Clem. dudum de sepultur. disc. 25. de Paroch.*
d *Barbos. de Episcop. alleg. 105. disc. 1. de Regular. & alibi, ut infra, e dicto disc. 1. de Regular. disc. 16. Miscell. Eccl. cum ibi proximis.*

OBSERVATIO CCLXXVI.

Regulares ab Ordinarii jurisdictione ex privilegiis exempti, si in cura Ordinario demandata, se intromittere volunt, illamque exercere, exemptionis autem privilegio retento, eidem Ordinario subjectionem denegare prætendunt, male agunt.

QUamvis hierarchicus ordo, vel clerus regularis de Catholica Ecclesia, & fide nimium sit emeritus, nimiumque in spirituali Republica laboret, ideoque merito Apostolica Sedes, multis illum honoraverit privilegiis, illo præsertim exemptionis ab illa Ordinarii loci jurisdictione, cui

alias subjacebant, ne Religionum secreta pandantur, neque judicialis forus ea tractet, quæ decet intra claustra recondi; Indiscretus tamen, ac irrationabilis censendus est hujusmodi exemptivi privilegii usus, in iis, quæ ecclesiasticæ, ac spiritualis Reipublicæ concernant regimen, præsertim vero ubi in respicientibus animarum curam, vel sacramentorum, ac divinorum administrationem, cum cleri, ac populi sæcularis animabus Ordinario commissis, se ingerere velint; Istud namque ex eorum parte, voluntarium potius quam necessarium est munus, a quo omnimoda exemptione potiri volentes, abstinere possunt; Ubi vero in iis se ingerere volunt, tunc nec justum, nec rationabile est, ut hanc denegent subjectionem, illorum operariorum ad instar, qui, licet ingenui, ac natura liberi sint, unde propterea nullam privati viri subjectionem pati cogantur; Attamen si in alicujus vinea colenda operari velint, vel si in alicujus ovium cura, & custodia se ingerere, tunc vineæ, vel ovilis domino, in eo quod hoc munus concernit, parere, ac subjacere debent, ut iste agnoscat, an vinea bene culta sit, vel oves bene custoditæ, & an bene, vel male operentur. a

a *sub tit. de Jurisdict. de Regular. ac etiam in Annot. ad Conc. Trid. & alibi.*

OBSERVATIO CCLXXVII.

Regulares in Ecclesia propria super Parochum, aliosque Clericos, vel Prælatos in divinis officiis peragendis, præeminentiam juste obtinent, injuste autem, ac irrationabiliter supra Episcopum, & Capitulum Cathedralis.

Receptum est, ut in funere, quod in Ecclesia regulari fiat, cum interventu Parochi, de cujus jurisdictione, vel territorio, dum vivebat, erat defunctus, ac etiam cum interventu alterius Prælati inferioris, vel cleri sæcularis, præter Capitulum Cathedralis, ad Prælatum regularem, vel alium ab eo deputatum pertineat officium peragere; Juste quidem, ac rationabiliter, cum Ecclesia regularis utpote exempta, sub Parochi territorio, & jurisdictione non sit, idemque in omnibus functionibus, & officiis, cum eadem congruat ratio. E converso autem pariter est receptum, si interveniat Episcopus, vel alter Prælatus, qui cum omnimoda, & plena Episcopali jurisdictione Ordinarius dicatur, ut ad istum id pertineat, eique Prælatus regularis, exemptione non obstante, locum cedat, juste pariter, ac rationabiliter, ob reverentiam sibi debitam ratione antiquæ nativæ jurisdictionis, & potestatis, quam ante exemptionum introductionem habebat, quoniam exemptio tollit jurisdictionalia, non autem reverentialia; Vel & proprius, ratione actualis jurisdictionis, & potestatis, quam in plerisque casibus Ordinarius, ratione saltem delegatæ jurisdictionis, adhuc obtinet. Sub quæstione vero est, ubi interveniat Capitulum Cathedralis, vel illius collegiatæ, cui eadem congruat ratio, quia in eo loco, & territorio eandem faciat figuram, eandemque habeat jurisdictionem, utpote de territorio separato cum qualitate nullius; Atque in casuum contingentia decisum est, ut quod de Parocho, aliisque inferioribus Prælatis, & clerici dicitur, Capitulo quoque congruat, quasi quod solius Ordinarii prærogativa sit.

In hoc autem idem irrationabilitatis, & æquivoci dignoscitur defectus, ex eodem consueto fonte manans, procedendi in sola litera, vel superficie auctoritatum, ac determinationum, congruo neglecto ratiocinio; Eadem etenim ratio, quæ Episcopo, vel alteri Ordinario Prælato convenit, sive illa sit reverentiæ ob reliquias antiquæ jurisdictionis, & potestatis, sive altera actualis jurisdictionis in plerisque casibus, vel altera universitatis territorii, Capitulo quoque congruit, tam sede adhuc plena, ob participationem jurisdictionis, & administrationis, quam fortius ea vacante; Ideoque id omni destitutum est rationis, ac probabilitatis fundamento; Verificabile autem remanet quando aliqua capitularium pars in funere interveniat, ex voluntaria invitatione, & assistentia singulari jure, vel etiam ex interventu necessario, quia Parochum repræsentet, ubi universalis, aut aliqua particularis cura penes ipsum Capitulum resideat, adeo ut ipsum capitulare integrum corpus non repræsentetur. a Tunc etenim Parochus, vel alter inferior Prælatus illos singulares capitulares in propria Ecclesia generaliter præcedit, quod non sequeretur in Capituli corpore, juxta distinctionem, quæ in præcedentiis, aliisque præeminentialibus actibus recepta est, ideoque semper edocemus quod a prædicto vitioso fonte procedendi in litera, non autem in ratione, vel discursu semper æquivoca & irrationabilitates manant.

a *De his disc. 21. de Jurisdict. disc. 21. & 22. de Praem. & disc. 64. & 65. Regular.*

DE ORDINUM COLLATIONE.

OBSERVATIO CCLXXVIII.

De domicilio, quando contractum dicatur, ad effectum collationis ordinum, præsertim in Urbe.

Sacris Canonibus, strictius vero Tridentino Concilio disponentibus, ut ordines minores, ac majores, nonnisi a proprio Episcopo, vel de istius licentia conferri valeant, ne unius ovilis pastor, cum alterius ovilis ovibus se ingerat, cum id magnam in Ecclesia pariat confusionem, proprii vero Episcopi competentia ex pluribus resultante causis, præsertim vero, (neglectis aliis utpote ad rem non facientibus) ex domicilio, cujus ratione aliqua major facultas, ac prærogativa in Vicario Urbis, quam in aliis Episcopis dignoscitur; a Cum ad alios effectus subjectionis illam præsertim statutorum, ea recepta sit de jure vera, & rationabilis propositio, ut occasionalis mora in loco, præsertim vero frequentius in Romana Curia occasione prælaturæ, vel aulæ, seu curialitatis, aut mercaturæ, & simili, veram domiciliariam non inducat civilitatem; b Hinc literæ famulando, atque rationem negligendo ad istum effectum collationis ordinum proprii Episcopi originis desideratur facultas, quasi quod deesse dicatur illa facultas, quæ ratione domicilii de jure competit, quamvis nimium diuturna, peneque tota fuerit vita in loco, vel Curia per longissimum triginta, vel quadraginta annorum spatium, ab ipsa adolescentia, peneque infantia.

Id autem aliquam forte redolere videtur irrationabilitatem, ad alios namque veræ civilitatis effectus favorabiles, vel respective odiosos, cum iste sit quidam quasi contractus qui ab animo pendet, hinc nedum mora, sed etiam ipsamet naturalis nativitas apta esse potest impedire unius loci civilitatem, & conservare illam alterius originis, in quo vere natus dicatur ille, qui casuales natales alibi habeat; Secus autem ad hunc effectum collationis ordinum, ad quem proprii Episcopi facultas ex ea ratione desideratur, quia ipse melius informatus esse potest de vita, & moribus, ac idoneitate, aliisque requisitis ordinandorum, & an eis obstent necne canonica impedimenta; Ista ergo ratione attenta, fabulæ speciem redolere videtur, ut deferendum sit judicio, ac testimonio illius Episcopi originarii, qui personam nunquam vidit, & practicavit, & de cujus statu, vita, & moribus nullam in propria diœcesi informationem habere valet, ob diuturnam absentiam, ob quam ille concivibus ignotus sit, negligendum vero sit testimonium, vel auctoritas illius Episcopi, sub cujus ditione tandiu vixit, & qui meliores desuper habere potest notitias, ac informationes, ideoque id aliquam sapere videtur irrationabilitatem ex eodem provenientem vitio famulandi literæ, vel generalitati propositionum, non distinguendo legis rationem, vel fines, & effectus, ad quos ita statutum est.

a *disc. 112. de Jurisd. & disc. 14. in annot. ad Concil.*
b *disc. 104. de Regal. disc. 37. & 77. de Praem. & alibi.*

DE MATRIMONIO.

OBSERVATIO CCLXXIX.

An matrimonium ratum adhuc non consummatum ex Papæ auctoritate dissolvi possit, quamvis causa dissolutionis a jure probata non accedat; Et an idem procedat in vinculo spirituali solemnis professionis, vel sacrorum ordinum.

Non modica dignoscitur in utroque themate discordantia inter Theologos, & Canonistas, præsertim vero quoad primum matrimonii, quoniam Theologi, vel concorditer, vel pro majori parte acriter istam negant potestatem, inter Canonistas autem aliqua vigere videtur dissensio, magis vero communis, magisque receptus sensus a praxi, & observantia Apostolicæ Sedis comprobatus affirmat. a Irrationabilitas itaque aliquam habens admixtam temeritatem hodie in prima sententia dignosci videtur, quoniam quidquid in disputativa ratione dici possit, quando adhuc integra, & indecisa esset quæstio; Attamen cum inter Catholicos de Pontificia potestate dubitandum non sit in omnibus iis, quæ ecclesiastici positivi juris sunt, derogandi, & immutandi, in illis vero, quæ sunt juris divini ambigui, & incerti declarandi, ac interpretandi, istaque interpretatio

cum

cum magna actum frequentia per diuturnum plurium sæculorum intervallum jam data, atque ad praxim redacta sit, ut nempe divinum oraculum, ne homini liceat separare illos, quos Deus conjunxit, in iis intelligendum sit, quibus illud congruit oraculum, ut jam effecti sint duo in carne una per matrimonii consumationem; Hinc, naturali etiam ratione, vel discursu attento, temeritatem, ac irrationabilitatem hodie ulterior quæstio, vel impugnatio ejus, quod jam ita decisum, ac receptum est, redolere videtur.

Idemque in altera thematis parte, super solutione, vel dispensatione vinculorum a regulari professione, vel a sacrorum ordinum susceptione resultantium, quoniam castitatis, paupertatis, & obedientiæ, aliaque pro diversis institutis vincula, qui uni, vel alteri statui respective insunt, ecclesiastici potius juris esse dicuntur, ut præsertim quoad illud castitatis probatus Græcorum ritus comprobat, ideoque nulla dignosci videtur congrua ratio, ob quam pro humano, ac rationabili discursu, dicto retento præsupposito, Pontificiæ potestati in omnibus iis, quæ claram, ac positivam non habeant juris divini resistentiam, ista potestas deneganda veniat; Istique mali effectus ex eodem derivant vitio procedendi in litera legum, vel antiquiorum traditionibus, sive dubitandi rationibus, ad istud non reflectendo ratiocinium, quod tempora distinguere solet, ac reflectere, an articulus adhuc indecisus sub judice pendeat, vel e converso per competentem judicem verbis, & factis, atque cum praxi, vel observantia jam sit decisus.

a *disc. 9. de Matrim.*

OBSERVATIO CCLXXX.

De nova matrimonii forma per Tridentinum Concilium inducta, & de domicilii contractu ad parochi jurisdictionem inducendam.

AD occurrendum magnis, ac frequentibus inconvenientibus, quæ ex clandestinis, vel tacitis, ac præsumptis matrimoniis resultare experientia docebat, prudenter quidem, & commendabiliter Tridentinum Concilium novam statuit formam, sub irritanti decreto in casu inobservantiæ, ut non nisi coram proprio unius contrahentium parocho, vel alio de ejus licentia, sive coram Episcopo, seu Vicario generali, aut alio de ejus licentia, ac duobus testibus, matrimonium celebrari debeat, ut ita publice, atque in faciem Ecclesiæ contractum dicatur, ipsorum tamen parochi, & testium nullo desiderato consensu, adeout coram eis quamvis invitis, malis artibus ad id inductis, aut audire, ac assistere renuentibus, dummodo ad actus intelligentiam idonei sint, id sequi valeat.

Super proprii vero parochi competentia frequenter cadunt quæstiones domicilii legitime contracti, quo mediante possit ille intra cujus fines contrahentes, vel eorum alter moram trahunt, dici competens; Atque in hoc contradictiones, ac irrationabilitates dignosci videntur, dum receptum est occasionalem moram, quamvis notabilem, ac diuturnam, ad id non sufficere, ubi nempe curandi, vel colligendi fructus, aut infirmæ valetudinis gratia, sive pro aeris beneficio, in loco per notabile tempus morari contingat, quasi quod determinatus animus ibi fixe permanendi, & vivendi ad id requiratur, accidentalis autem, vel occasionalis mora non sufficiat, E converso autem in clandestina, & fraudulenta brevissimi temporis, ac dierum habitatio quæ ad id sufficiens esse creditur, reputetur. a

Hæc itaque contradictionem redolere videntur, cum rationis, ac discursus naturalis repugnantia, ex eodem consueto vitioso fonte hujusmodi malis resultantibus, procedendi cum litera, vel cum formalitatibus, neglecta ratione, cui Conciliaris dispositio innixa est, atque non respiciendo ad finem, vel effectum, ad quem hujus formæ nova introductio secuta est, ideoque error censendus venit cum generalitatibus in omni casu procedere, sive cum litera illarum decisionum, & declarationum, quæ in diversis prodierint casibus, diversas habentibus circumstantias, quoniam pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, prudentis, ac rationalis viri more, ratio potius perscrutanda est, & an impleatur necne finis a Concilio habitus, vel effectus ab eo desideratus fiant, e converso an eis fraus fiat; Illud piæ oculis assumptum semper, ac principaliter habendo, quod lex non verbis, sed rebus imposita est, quodque non cortex, & formula verborum, sed substantia veritatis attendi, & inquiri debet, atque alias ineptiæ, & irrationabilitates resultant.

DE CENSURIS.

OBSERVATIO CCLXXXI.

De percutiente Clericum fornicarium alicujus conjunctæ, quando excommunicationem incurrat.

EXcommunicationis mucrone adjecto clericorum percussoribus pro regula generali, a plures per sacros canones statuuntur limitationes, inter quas illa est ubi clericus cum uxore, matre, sorore, vel filia turpiter agendo reperiatur, ut tunc justus reputetur dolor, qui a censura excuset si violentæ manus in eum injiciantur. b Justa quidem, ac rationabilis est provisio, irrationabilitas vero, ac ineptia apud aliquos eorundem canonum interpretes in eo dignosci videtur, quod literæ judaico, vel grammaticali more famulando, ad enumeratas personas se restringunt, quasi quod extra eas, censurarum incursus dari debeat, non reflectendo ad rationem, quæ pariformiter cadat in nuru, vel in nepte ex filio, sive in avia, aut in aliis proxime conjunctis, ac etiam in filiis, vel nepotibus masculini sexus, cum quibus etiam turpiter agatur, unde propterea eadem intret ratio injuriæ, aut justæ indignationis pro moribus regionum; Et per consequens, idem intrat vitium, irrationabilitatum, ac ineptiarum productivum procedendi cum litera, non autem cum ratione ex singulorum casuum qualitate regulanda.

b *Cap. si quis suadente diabolo, &c. & tot. tit. decretal. de senten. excommunicat.*

b *Cap. 3. in fin. eod. tit. de sentent. excommunicat.*

DE JURISDICTIONE.

OBSERVATIO CCLXXXII.

Prælatus inferior cum territorio separato, & nullius, dicitur in eo loco verus ordinarius, tam in jurisdictione ordinaria, quam delegata, eandemque habet potestatem, quam Episcopus habet in sua diœcesi.

AGnoscens, merito quidem, ac prudenter Sacrum Concilium Tridentinum, spiritualem, seu episcopalem jurisdictionem, ac potestatem non bene exerceri per inferiores Prælatos, exindeque plura oriri inconvenientia, hanc jurisdictionem in plerisque restrinxit, vel ademit, illam jure delegato concedendo Episcopis; Interpretum vero sensus hanc provisionem pene ad nihilum, præter ejusdem Concilii sensum, redegisse videtur, declarando nempe solum procedere in illis inferioribus Prælatis, qui prælaturam habeant intra limites, ac territorium Episcoporum, adeout sola ratio exemptionis in eis consideretur, non autem in illis, qui habeant territorium vere separatum, quod nullius diœcesis censeatur, ut isti in omnibus plenam, ac omnimodam habeant jurisdictionem, & potestatem Episcoporum ad instar, adeout Ordinarii loci nomen, ac attributum eis congruat, etiam quoad jurisdictionem a Concilio Tridentino delegatam supra inferiores Prælatos exemptos iis exceptis, quæ pertineant ad Pontificialia, quæ per eosdem alicui in pontificali ordine, vel dignitate constituto delegabilia sunt, adeout pene in nihilo ab Episcopis differre videantur.

Id autem irrationabilitatem redolere videtur ob identitatem rationis a Concilio consideratæ ad ita statuendum, quoniam ita æque viget in una, & in altera Prælatorum specie, dum pariformiter in hujusmodi locis eadem cognoscuntur inconvenientia. Ac etiam quia prorsus irrationabile videtur, quod Ecclesia prudenter quidem, ac pie desiderante in Episcopis tot requisita, ut nempe Canonum, & sacræ Theologiæ Doctores in publica universitate graduati esse debeant, ex legitimo matrimonio procreati, in ætate provecta saltem triginta annorum constituti, bonum habentes testimonium vitæ, & morum, atque in ecclesiasticis muneribus bene versati, adeout per saltum promoti non sint; totque adhibendo diligentias, & solemnitates, tam in eorum electione, quam in examine solemniter coram

Summo

Summo Pontifice habendo cum interventu tot Cardinalium, & Prælatorum, deindeque cum adeo solemni præconizatione, & propositione in pontificio consistorio, ac demum cum tot juratis promissionibus in consecratione. Eandem jurisdictionem, ac potestatem, ac animarum curam, saltem habitualem æqualiter habere debeat inferior Prælatus sæcularis, vel regularis, in quo nullum ex dictis requisitis verificetur, nullaque in ejus electione adhibeatur solemnitas, adeout frequenter in minori ætate, ac in minoribus tantum ordinibus sit constitutus, quinimo aliquando literarum ignarus, atque militaris vitæ professor, ut præsertim in aliquarum militiarum Ecclesiasticarum professoribus contingit obtinentibus dignitates, vel commendas, quibus hæc jurisdictio annexa sit, & competat, quo nil absurdius, nilve irrationabilius.

DE PRÆEMINENTIIS.

OBSERVATIO CCLXXXIII.

Archiepiscopus, vel Episcopus titularis, qui diversam figuram, vel personam in loco gerat, puta Vicarii Pontificalium Metropolitani, vel illam Canonici Cathedralis, an Provinciæ Episcopos suffraganeos, vel respective antiquiores dignitates, & Canonicos Capituli præcedat.

FRequenter, præsertim vero ultra montes, præbente casu, ut Metropolitanus pro exercitio Pontificalium, Vicarium, seu coadjutorem habeat, cui suffraganei nomen, pro loquendi usu congruit, in Archiepiscopali, vel Episcopali dignitate constitutum, qui actuali careat administratione Ecclesiæ propriæ, utpote in partibus infidelium, vel ob ejus dimissionem; Hinc ubi Archiepiscopali præfulgeat dignitate, indifferenter quæstio est, an Provinciæ Episcopos suffraganeos actuales ratione majoris dignitatis præcedere debeat; Idemque ubi sit in coæquali dignitate Episcopali antiquiori; Atque pro eorum præcedentia, ex motivo observantiæ Pontificiæ Capellæ, prodiit quandoque determinatio, quæ tamen probabilis rationis fundamento destituta censenda est, ex eodem vitio procedendi in litera, vel in superficie absque discursu, vel ratiocinio; In Capella namque pontificia, nulla cadit jurisdictionis, vel potestatis consideratio, vel personarum discretio, atque solus interventus est ratione ordinis, quem congruit juxta hyerarchicam simetriam servari; Omnes etenim, qui in Archiepiscopali, vel Episcopali dignitate constituti sint, non aliam nisi illam faciunt figuram, secus autem si diversam, ideoque inter Cardinales, illi qui Archiepiscopali, vel Episcopali, imo Patriarchali præfulgent dignitate, si Cardinales diaconi sunt, inter diaconos recensentur, atque antiquitate, & pontificali dignitate non obstante, junioribus simplicibus presbyteris, vel antiquioribus diaconis locum cedunt; Igitur non diversa dignitas personalis, sed illud munus, quod in loco exerceatur, attendi debet.

Hinc cum in provincia, Episcopi suffraganei, cum Metropolitano primarium efforment jurisdictionale corpus metropoliticum, hujusmodi vero Archiepiscopi, & Episcopi titulares, ministrorum, ac famulorum personam gerant, exinde irrationabilitas oritur, ut famulus, vel minister dominum præcedat. Si etenim pontificiæ capellæ ordo servandus esset, deberet Archiepiscopus titularis istud gerens ministerium, ipsummet Archiepiscopum, cujus suffraganeus, vel adjutor est, quoque præcedere, si antiquior esset, vel si in Episcopali ordine constitutus foret, dum in Pontificia Capella, in qua omnium æqualis est conditio, nullaque cadit jurisdictionis, vel dominationis ratio, illum absque dubio præcederet, & tamen esset dare absurdum, quo nullum majus, vel irrationabilius. *a*

Eadem dignosci videtur irrationabilitas in ea præcedentia, quæ titularibus Episcopis, vel Archiepiscopis, Dignitatum, vel Canonicorum in Choro, aliisque Capitularibus functionibus personam gerentibus, conceditur etiam supra primam Dignitatem, vel antiquiorem Canonicum, ex fundamento consuetudinis patriarchalium Basilicarum Urbis; In hoc etenim idem dignoscitur error, vel æquivocum derivans ab eodem fonte procedendi in litera, vel superficie, quoniam in Basilicis conceditur, rationabiliter quidem, hæc præcedentia supra alios Canonicos, qui in solo presbyterali, vel diaconali ordine constituti sint, ratione diversitatis habitus, ne simetricus intervertatur ordo, ac etiam rationis majoris ordinis pontificalis, dum ad instar Cardinalium, ut supra, junior presbyter præcedit antiquiorem Diaconum, vel ille, qui non est in sacris, quamvis antiquior, locum cedit juniori in majori ordini constituto: Ideoque rationabilis, beneque regulata est consuetudo, male vero adaptata, quoniam in his Basilicis supra primam dignitatem Archipresbyteri nulla datur præcedentia, quæ respectu primæ dignitatis, vel illius, qui primam illius corporis repræsentet personam, irrationabilis dicenda est, cum in ea integrum repræsentetur corpus Capituli, cujus propterea caput dicitur, quod implicat subjacere membris, obstantia vero diversitatis habitus, quæ debitum simetricum pervertat ordinem, promptum, ac facile remedium habet jam canonizatum, ut ille, qui primam in eo corpore figuram faciat, eundem adhibeat prælatitium habitum a canonicali diversum. *b*

a *de his, disc. 16. de præminent.*
b *eodem tit. de præminent. disc. 53.*

OBSERVATIO CCLXXXIV.

De ficta continuatione illius cathedralitatis, quæ antiquissimo tempore, etiam sub dubio fuerit per plura vero secula, sub diverso, vel opposito statu interrupta, vel abolita.

INter fori exorbitantes eventus, quibus merito casus fortuiti nomen tribuitur, & in prima classe recenseri meretur, quod cum in eadem Civitate, ob unius majoris, & nobilioris structuræ materialis Ecclesiæ occupationem ab infidelibus, altera humilioris structuræ Ecclesia per aliqua sæcula Cathedralis loco deservierit, atque talis reputata fuerit, postmodum autem, infidelium tyrannidis jugo excusso, atque pacifico, & libero restituto Christiano cultu, ad præfatam notabiliorem Ecclesiam, quæ infidelium superstitionibus destinata extitit, translata, vel reintegrata cathedra, alia vero in statu collegiatæ regularis exemptæ constituta, atque per quamplura sæcula continuante, cum honorificentiæ gratia ad quosdam honorificos, ac præeminentiales effectus eam alias fuisse antiquitus Cathedralem justificari obtinuisset, nulla unquam actualitatis, vel continuationis mentione facta, atque post fidelium expulsionem, dicta majori Ecclesia binam faciente mutationem, unam de Cathedrali, in Metropolitanam, & alteram de regulari in sæcularem; Adhuc tamen judicatum sit, ut antiquæ, ac præteritæ cathedralitatis canonizatio rem judicatam exequibilem, atque exequi demandatam induceret, unde propterea omnino coæqualis esset utriusque Ecclesiæ conditio, etiam in jure metropolitico aliisque omnibus.

Id autem non modicum irrationabilitatum, ac exorbitantiarum continet cumulum; Primo etenim inducit rem judicatam in eo, quod nullatenus actum, ac disputatum fuit, quinimo neque sententiatum, cum sententia præteritam antiquam solum contineat cathedralitatem, nullo facto verbo de superventa intermedia metropoliciitate. Secundo, ut unum, & idem cathedraticum, ac metropoliticum individuum corpus, quod ejusdem omnino debet esse naturæ, ita ex duabus diversis, ac oppositis, sæculari, ac regulari natura sit compositum; Tertio, ut eadem esset eodem tempore Ecclesia metropolis, & collegiata, atque ita mater, & filia, vel domina & serva. Quarto, ut ejusdem corporis membra non agnoscant caput, sed aliud habeant diversum caput, nempe Prælatum particularem cum omnimoda exemptione. Quinto, ut æqualis esset conditio gigantis, ac pigmei, seu maximi, ac minimi. Et sexto, ut retenta, & continuata censeatur possessio, illorum jurium, quæ per quamplura sæcula nunquam habita, neque possessa fuerunt, cum similibus absurdis omni humanæ rationi, ac legali dispositioni contraria, ideoque merito impracticabilia, ut illud adhibere oportuerit unicum, & honestum temperamentum, per quod, cum suppressione antiqui inferioris corporis regularis, illud sæculare, quod majus, ac dignius erat, utrique Ecclesiæ æque famularetur. *a*

a *de isto casu, disc. 3. cum duobus seqq. de præminent, & in annot.*

OB-

OBSERVATIO CCLXXXV.

Quod Doctor non possit pro debito carcerari, vel pro delicto retorqueri.

CLaram irrationabilitatem, ac ineptiam redolet istud modernorum Pragmaticorum in superficie, seu litera ambulantium assumptum, admittendo in praxi aliquorum antiquorum non improbabiles traditiones pro illorum temporum conditione, & moribus veras super doctorum privilegiis, ut militum, vel clericorum ad instar, pro debito carcerari, vel in carcere detineri non debeant, minusque pro crimine torqueri; *a* eos adeo qualificatos, atque in notabili dignitate constitutos reputando, ut vilibus, ac plebeis natalibus non curatis congrue, ac decenter quælibet comitissa, vel nobilis, & illustris mulier, doctori digne nubere dicatur, atque ita dignum ducere virum, *b* dum ex iis, quæ occasione denegandæ restitutionis in integrum, minori ætate non obstante, istius gradus ratione superius insinuata sunt, *c* liquet quod præsertim in Italia, ob nimiam facilitatem assecutionis hujus gradus, quamvis omnimoda accedat Imperitia, malaque morum compositio, manifestæ fabulæ speciem id redoleat, quoniam a reliquo populo doctores, quoties magna, & eximia non accedat doctrina, non differunt, utpote doctorari potius, quam doctores recensendi, adeout vix illam legalem, ac genericam obtineant nobilitatem, quæ ab ignominiosa ignobilium pœnis, vel sordidis muneribus excusat, non autem ad alios effectus. *d*

a *late Rota Senen. dec. edita 15. Maii 1671. ubi pene omnes de materia agentes cumulantur, &c.*

b *disc. 1. & 144. de dote.*

c *observ.* 8. d *disc. 35. de preeminent.*

DE JUDICIIS, ET JUDICIALIBUS.

OBSERVATIO CCLXXXVI.

Quando adesse dicatur injustitia sufficiens pro rescissione laudi; Ac etiam quando dispositio sit conditionalis, necne, ad transmissionis effectum.

PRudens, ac provida magnatis ordinis pater, quatuordecim relinquens filios in infantili, ac respective pupillari ætate constitutos, quorum congrua provisio totum pene assem, ejusque magnatitiæ domus statum destitueret, cum prudenti beneque regulata dispositione, instituto hærede primogenito, cui ex lege investituræ antiquorum feudorum successio debita erat, alimenta aliis filiis decrevit, usquequo masculi sæculares ad ætatem triginta annorum devenerint, quando summam scutorum viginiquinque millium pro quolibet reliquit, religiosis autem, vel clericis, solam summam scutorum quinque millium; fœminis vero dum carnaliter, vel spiritualiter nuberent, dotem congruam. Cum itaque aliqui ex dictis filiis, in pupillari, vel in minori obierint ætate, hinc prætensionem adversus primogenitum excitarunt alii fratres, qui ad præmissam obvenerunt ætatem, ut hæreditario jure fratrum defunctorum, hoc legatum utpote in eos transmissum assequi deberent, potissime dum pro legitima, ea quocunque jure fieri testator declaravit. Unde post diuturnam triginta circiter annorum accerrimam adhuc indecisam in duobus magnis, ac supremis diversorum Principatuum tribunalibus peractam litem, decretum est illi finem dare cum arbitramentali duorum probati nominis jurisconsultorum judicio, quo emanato pro non transmissione, eoque cum bina disputatione per quoddam magnum tribunal in gradu appellationis, vel recursus canonizato, alterius quoque magni tribunalis canonizatione accedente, in alia instantia pro infirmatione laudi ex capite injustitiæ responsum est, ex quadam juris subtilitate opinando transmissioni locum fore. *a*

Duo itaque defectus in hoc dignoscuntur; Primo nempe ille inconstantiæ, & incertitudinis, ut quod in eodem cum tribunali gemina accerrima disputatione jam firmatum est, & ab altero quoque magno tribunali canonizatum, ex eisdem jam deductis; nulla, nec facti, nec juris variatione superventa, retractetur; Et secundo defectus irrationabilitatis, quoniam tam ex ipsius articuli perplexitate in abstracto, ubi etiam esset novus, quam ex eventu, quod in duobus magnis, ac supremis tribunalibus jam diu lis indecisa fuerit, ipsoque subsecuto post laudum dictorum aliorum tribunalium judicio approbativo ejus quod judicatum est, utique negari non potest quin controversia magnum haberet dubium, ad quod dirimendum, atque ulteriorem litem terminandum determinatum est, arbitrorum judicio acquiescendum esse; Igitur quando istud secutum est, omnino improbabile est, ut de tali positiva, & clara injustitia redargui valeat, quod ex istius motivo licitum sit propriam juratam promissionem impugnare.

Clarius vero dum ipsum arbitramentale judicium potius justum, magisque probabile censendum est, utpote fundatum (ut decet) in substantia verisimilis disponentis voluntatis, ex facti qualitate, & circumstantiis desumptæ, non autem in quadam leguleica subtilitate, vel superstitione abstracta, & generali, quæ diversos casus, ac terminos, diversosque mores percutit, adeout si res esset integra, & in fieri, adhuc deberet ita per rationales viros judicari, magis itaque ubi agitur de retractando jam judicatum, atque pluries approbatum, ideoque inconstantiæ, & irrationabilitatis defectibus, ille quoque injustitiæ annectendus venit. *b*

a *de hac serie, disc. 108. de feud. & in ejus annot.*

b *eod. disc. 108. de feud. & in ejus annot.*

OBSERVATIO CCLXXXVII.

De appellatione de jure canonico admittenda, etiam in possessorio, & de Ægidiana non afficiente personas, & bona ecclesiastica.

JUre civili disponente, ut in possessoriis judiciis, adipiscendæ, recuperandæ, ac retinendæ, appellatio non detur suspensiva; De jure canonico id non procedere, sed etiam in possessoriis, petitorii ad instar, appellationem dari, magis communis canonistarum schola recepit: Cumque in temporali Ecclesiæ ditione quædam prodierit lex præfati juris civilis reintegrativa, cui Ægidianæ vocabulum tribuitur, ab auctore Ægidio, qui in Italia pro Sede Apostolica tunc Avenione residente legatus fuit, atque a pluribus Pontificibus post ejusdem Sedis regressum in Italiam confirmata: Hinc apud Pragmaticos magis receptum est, ut ista lex utpote a præfato Ægidio laicali regimini præfecto lata laicalis censenda sit, ideoque non attendenda in causis, in quibus mixturam adesse contingat ecclesiasticæ personæ, sive sit appellans, sive appellatus, vel ecclesiasticæ rei, quia de directo dominio Ecclesiæ, vel ecclesiastici loci sit, quamvis nulla super ipso dominio sit quæstio, quæ inter solos laicos super utili tantum dominio absque Ecclesiæ præjudicio pendeat; Vel ubi tam personæ quam bona laicalem habeant qualitatem, causa vero in foro agatur ecclesiastico, ut in his respective casibus, cum canonum dispositione procedendum sit, ista Ægidiana constitutione non intrante. *a*

Plurium itaque irrationabilitatum cumulum hæc assumpta continere videntur; Primo nempe ut canones, qui longe magis quam leges sæculares litigantium calumniis occurrere student, magisque veritatem amant, atque justitiam colunt, ita majores foveant calumnias, & dilationes Reipublicæ nimium præjudiciales, cum eo inconvenienti, ut ecclesiasticarum personarum mixtura justitiæ executionem retardare debeat, quod utique magnum censendum est absurdum. Aut etenim recta justitiæ administratio exigit in hujusmodi summariis judiciis pro Reipublicæ beneficio, & quiete suspensivam appellationem denegari, aut non. Si non exigit, ergo injustum, & irrationabile est id practicare cum laicis, qui subditi Papæ sunt Principis ecclesiastici, & canonum auctoris, cui justitiæ, & pietatis, quam Ecclesia colere profitetur, protectio incumbit; Si vero e converso id expedit, atque justum, & rationabile reputatur, igitur injustum, ac irrationabile remanet non practicari quoque cum Ecclesia, quæ justitiam, ac veritatem magis colere debet, ac profitetur, ideoque unum ex duobus inconvenientibus indubitatum remanet. Exindeque manat, ut malæ intelligentiæ potius, quam ipsorum canonum dispositioni, vel intentioni referendum id veniat. *b*

Altera irrationabilitas, ac æquivocatio dignoscitur in assumpto, quod dicta lex laicalis esset, utpote a temporali præfecto condita, quoniam verius est illum fuisse Apostolicum Legatum cum utraque potestate, potissime ob subsecutam plurium Pontificum extensionem, ac approbationem, ideoque leguleicam id redolet frigiditatem, ac ineptiam, omni destitutam ratione, solumque legalibus superstitionibus innixam.

Et

Et tertia demum omnium major, & clarior irrationabilitas dignoscitur, ut in causis, quæ in foro laicali inter laicos pertractantur super solo utili dominio, absque eo quod super directo, quod est Ecclesiæ, aliqua vigeat controversia, vel quod aliquod exinde resultet eidem dominio præjudicium, non debeat ista lex attendi; Nulla namque videtur subesse ratio probabilis, cui hoc innitatur assumptum; Si enim solum directum dominium, absque Ecclesiæ interesse, ecclesiasticam imprimeret qualitatem, tunc etiam inter laicos, neque posset, vel deberet causa in foro laicali tractari, ejusque incompetens esse sæcularis judex, minusque laici possessores possent pro hujusmodi bonis, collectis, & oneribus laicalibus gravari, cum hæc omnia pariformi censeantur jure, dum paria sunt forum sortiri, ac legibus ligari, seu laicalibus oneribus subjacere; Ideoque cum extra controversiam, in laicali foro hujusmodi agatur causa, atque pro hujusmodi bonis per laicos possessores, laicalia supportentur onera, hinc manibus palpabilis remanet hujus assumpti irrationabilitas pro non subjectione dictæ legis, quæ pontificia quoque est, probabilius ecclesiastica, atque ad effectum canonum veræ intentioni ut supra adaptatum.

a *disc. 37. & 44. de judic.* b *eisdem locis citatis.*

OBSERVATIO CCLXXXVIII.

De restitutione in integrum adversus rem judicatam, vel tres conformes, de facili ex capite ordinariæ, non autem notoriæ injustitiæ, concedenda.

INter Pragmaticorum irrationabilitates, ac errores, non infimum occupat locum iste, ut postquam unica sententia, ob non interpositam, vel non prosecutam appellationem, rei judicatæ statum, ac naturam assumpsit, fortius vero ubi tres accedunt conformes, adversus quas lex ulterioris appellationis denegat beneficium, eo statuto, ut rerum status irretractabilis ita firmetur, quod ens de non ente constitui dicatur, atque de albo nigrum fieri, & merito ne dominia & jura perpetuo in incerto sint, perpetuamque lites durationem habeant, modernorum præsertim subtilitas, vel superstitio quoddam introduxit remedium, vel beneficium, antiquis legibus quidem non ignotum, male autem intellectum, seu derivatum, quod restitutionis in integrum dicitur, majoribus quoque, ratione magnæ læsionis concedendum, hanc læsionem deducendo ab injustitia, super cujus qualitate, irrationabilitas, ac error dignoscuntur, ut etiam illa simplex, & ordinaria, de qua in ambiguo, ubi de appellationis ordinario remedio agitur, quæri, ac disputari solet, quasi quod magna, & notoria injustitia pro effectu nullitatis, non autem pro isto restitutionis in integrum requisita sit. a

Verum, ut præmissum est, magnam, etiam primæ classis irrationabilitatem, ac errorem id redolet, cum ita inanes, atque irrisione potius dignæ remaneant mt utriusque civilis, & canonici juris provisiones, ac dispositiones super appellationis interpositione, ac prosecutione, cum competentium terminorum præfinitione, ac tot tantisque virtutibus, & operationibus, quæ tribus tribuuntur conformibus, si cum hoc extraordinario remedio sequeretur idem, quod ea ordinario denegatur, cum ita verbis, non autem rebus, lex imponi diceretur, semperque incertus remaneret rerum status, perpetuamque haberent vitam lites, quo nil absurdius, nilve irrationabilius; Iste namque rei judicatæ, vel trium conformium effectus est, ut quod erat dubium incertum, pro ingeniorum varietate, uni, vel alteri eventui subjectum, im certum, ac firmum efficitur, atque statum firmet. a

a *disc. 38. de judic.* b *Ibidem.*

OBSERVATIO CCLXXXIX.

De judicio preventivo, vel de futuro, dando, vel denegando.

PRæventivum, sive de futuro judicium non dari, attento numero, major forte Pragmaticorum classis, vel schola credit, ubi præsertim de illo agitur jure, quod non omnino certum sit exiturum fore, vel agenti competere debere, quia nempe pro frequentiori contingentia de fideicommissi, vel majoratus, aut feudi, & similis agatur sperata successione, cujus casus ob præmorientiam potest non dari, ideoque possessorem pro incerto eventuali jure litibus defatigari, injustum, ac irrationabile reputant; Irrationabilitatem vero id redolet, ideoque probabilior, magisque rationabilis ea censenda est opinio, quæ id concedit; Aut enim possessor, vel alter contra quem promovetur judicium, spretum jus actoris, quatenus etiam conditionem purificari contingat, impugnat, aut non. Si non impugnat, nil sua interest illud canonizari, nullamque habet causam, vel occasionem patiendi litis incommoda, & sumptus; Ubi vero impugnat, tunc justum, ac rationabile non est, ut qui successionem sperat, expectare teneatur casum, eoque secuto litem suscipere, cujus tractatio, ac terminatio vitam hominis pene absorbere, ac sæpius excedere solet, dum pariter nullum exinde possessoris damnum, vel interesse resultat, quoniam ejus jure durante illud salvum remanet. a

a *disc. 16. de j dic. & disc. 201. de fideicommiss.*

OBSERVATIO CCXC.

Fidejussoria cautio de judicio sisti, ac de judicatum solvendo, an ad illam instantiam illumque judicem, coram quo causa tunc pendebat, restricta sit, necne.

IMprobum de more magnum in hoc themate adhibent laborem Juristæ, cum non modica inter eos discordia, ut propterea legiones hinc inde colligere aliqui profiteantur. a Id autem ineptiam, ac irrationabilitatem redolet, quoniam facti, ac voluntatis potius quam juris ista censenda est quæstio, male ex regulis, & propositionibus generalibus, vel ex litera, aut numero arithmetico auctoritatum regulanda, & decidenda, sed principaliter ex locorum, vel tribunalium stylis, quibus deficientibus, verisimilis voluntatis substantiam ex singulorum casuum circumstantiis inquirendam esse, naturalis, ac legalis ratio dictat. Ita enim irrationabile censendum est, ut ille qui pro alio cavit, certæ, ac specificatæ personæ judicio, & integritati confisus, pro diverso teneri debeat judicio, pro quo suam non interposuisset fidem, sicut e converso irrationabile est, ut actor qui huic acquiescens cautioni, alias prosequatur instantia, ex hac juris subtilitate, quæ vix eximiis ejus professoribus nota est, elusus remanere debeat; Igitur certus, ac perpetuus censendus est error cum generalitatibus, vel cum legum, & auctoritatum literæ, seu calculo in abstracto procedere, cum in ratione ex facti qualitate metienda procedi debeat.

a *Cyriac. controverſ. 285. & alii relati, disc. 99. & 190. de credito.*

OBSERVATIO CCXCI.

Condemnatio fructuum judicialium, ex quo tempore facienda sit.

QUæstio est inter forenses, ex quo tempore veniant ad favorem victoris fructus rei in judicium deductæ, ad quos victus veniat condemnandus, atque consueta dignoscitur factionaria divisio, sive opinionum diversitas; Aliis extremam, nimiumque rigorosam tenentibus opinionem; ut veniant ab ipso initio, in quo lis ad ipsum mota dici valeat, quasi quod ex tunc agnoverit, se non dominum, ideoque in mala fide constitutus fuerit; vel saltem dubitare debuerit de ejus juribus. Alii vero, ut contestationis, non autem initii litis tempus attendi debeat, quasi quod ex tunc vere illa introducta dicenda sit; Alii e converso æquitativum tenentes extremum volunt, ut nonnisi ex tempore sententiæ, & condemnationis, qua pendente possessor ob victoriæ spem, quam litigantes habere solent, a malis causidicis præsertim pro turpi lucro, etiam in causis, quarum injustitia clara sit, promitti, & assecurari solitam, non dicatur antea mala fides oriri; Et alii, ut ex tempore probationum, quas actor, vel petitor per scripturas, vel per testes, aut per utramque speciem its faciat, ut de ejus malo jure possessor instrui valeat, vel saltem probabilem concipiat dubitandi rationem.

Quamvis autem hæc posterior opinio, in discursiva ratione probabilior, & æquior videatur, plerique tamen fori, sive aliqua tribunalia, pro stylo, cui in hoc deferri solet, (ut præsertim in Romana Curia contingit) primam rigorosam sequuntur opinionem, adeo extensam, ut quamvis lis jam incepta per notabile intervallum deferatur, adeo ut jure civili attento pereat instantia, cujus instauratio deinde per Principem, vel Magistratum, ad quem pertinet

conces-

concedatur; vel & quod juxta jus canonicum nunquam pereat, neque diuturnum tempus ejus desertionem inducat, quia non verificetur copulativus concursus injustitiæ, eaque reassumpta ad initium retrotrahatur, eundemque operetur effectum; Quinimo (quod magis est) ut quamvis possessor favorabilea unam, vel plures reportet sententias, quæ in aliis instantiis ex appellationis beneficio revocentur, imo quod rem obtineat judicatam, cujus infirmationem per extraordinarium restitutionis in integrum remedium petitor obtineat, adhuc eadem inuet retrotractio, ut fructus a litis initio veniant.

In his itaque, non modica dignosci videtur rationis, ac æquitatis naturalis repugnantia, unde propterea asperitas, & irrationabilitas resultant, ac etiam hujus legalis facultatis inconstantia, & incertitudo, ob adeo magnam opinionum, ac stylorum varietatem; In illis autem præsertim hujusmodi defectus nimium dignosci videntur, in quibus vel favorabilis sententia reportata sit, quoties non ex sordibus malisque actibus, ut justitia petitoris opprimeretur, exorta esset, cum tunc mala fides potius augeatur, vel fortius ob rem judicatam, aut alias ob notabilem petitoris acquiescentiam, ac neglectam prosecutionem, ut ita possessor in bona fide versatus dici valeat, probabiliter opinando se esse potius justum possessorem, unde propterea credendo continuare in antiquo jure, hujusmodi subtilitatum, & formalitatum ignarus, perceperit, & consumpserit fructus alias verisimiliter non consumpturus, adeout alias ex magno eorum cumulo depauperationem in reliquo asse pati cogendus veniat; Petitori nanque potius imputandum videtur cur prosecutionem negligendo, sive non bene ejus jura tuendo, illum in ea justa constituerit credulitate, potissime ubi justitia causæ probabiliter dubia sit, juxta illas species, quarum aliquæ ad juris, ac justitiæ inconstantiam, ac incertitudinem continuandam pluries insinuantur, ipseque de facto vitiosus, maleque fidei possessor dici non valeat; Hinc idem dignosci videtur consuetum vitium quod asperitatum, ac irrationabilitatum est parens, generaliter, ac indefinite in omni casu procedendi cum litera, vel cum generalitatibus, neglecto ratiocinio, vel discursu, quo mediante procedendum est potius cum ratione, cui lex innixa est, hujusmodi fructuum præcipiendo restitutionem, & condemnationem, & an pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis bona fides, justaque excusatio adesse dicatur necne, ut ita rationalium ac prudentum virorum more proferatur judicium, attendendo naturalis veritatis, & æquitatis substantiam potius, quam juridicas superstitiones, & formalitates in verbis, vel in traditione, non autem rationali, ac scientifico more. *a*

a *de his disc. 39. de Judic. disc. 185. de fideic.*

OBSERVATIO CCXCII.

De apprehensione in Curia, an causet competentiam fori, & de assumpto, quod Roma communis patria est.

CUm per Curiæ Romanæ practicos illos possessores, qui testium de audito ad instar, omnia sciunt per traditiones, nihil vero per scientiæ causam, vel rationem, propositio volitet, quod apprehensio personæ in Curia, competentiam fori causat, quamvis nihil ea iis, ex quibus ista competentia producitur, accedat, puta originis, vel domicilii, vel contractus, aut destinatæ solutionis, vel rei sitæ, sive pacti, cum similibus; *a* Id a superficialibus referri solet cuidam antiquorum Romanorum legi, per quam Roma omnium communis patria dicitur, *b* ita præsupponendo, quod idem sit antiqua, ac moderna Roma, sive quod idem sit Romana Civitas, ac Romana Curia.

Id autem inter ineptias, ac irrationabilitates recenseri meretur, ea eodem resultantes consueto vitioso fonte procedendi cum litera, vel cum traditionibus, omni neglecto ratiocinio, vel discursu; quoniam Romana Curia, non a materiali Romana Civitate nomen, & essentiam recipit, sed a residentia, & a Curia Papæ in quacunque alia sit Civitate, sive citra, sive ultra montes; *c* Atque assumptum procedit in iis, qui sint ipsi Curiæ subditi, quales in spiritualibus sunt omnes christianæ fidei professores, in prophanis vero, seu laicalibus solum illi, qui temporali Ecclesiæ ditioni subjacent; Et tamen ista subjectione quoque posita, non semper hanc apprehensio hunc operatur effectum, ut in suis advertitur sedibus *d* cum non de assumpto principaliter agatur, sed incidenter; ut ita dignoscatur ineptia, quæ ea literæ famulatu resultat.

Alterum vero antiquarum legum assumptum de Roma communi patria, in ea antiqua procedebat Roma triumphatrice, peneque totius Orbis dominatrice, quæ ob Imperatoris, ac Senatus residentiam, ejusdem subditi orbis metropolis erat, & per consequens Curia Principis dicebatur omnibus communis, cum tunc unus ubique Supremus Princeps, ac Imperator esset; Hodie vero in quolibet Supremo, ac independenti Principatu singulis Civitatibus, in quibus Princeps cum sua Curia resideat, quoad illius ditionis subditos idem congruit Romæ attributum, ut omnibus quoad concernentia Principatum, & Curiam in universum, non autem quoad illius particularis Civitatis administrationem, omnium communis patria sit: *e* Ideoque monemur ad rationem potius quam ad literam reflecti debere, cum ita distinguere, atque ad hoc reflectere, beneque applicare doceat, illaque neglecta inevitabiles remanent ineptiæ, ac irrationabilitates.

a *disc. 89. & 90. de Jurisdict.*
b *l. Roma, ff. ad municip.*
c *in relat. Curiæ disc. 1.*
d *disc. 89. & 90. de jurisdict.*
e *Ibidem.*

OBSERVATIO CCXCIII.

De obligatione penes acta, pro aliquarum Regionum stylo, absque aliqua citatione exequenda.

IN aliquibus ditionibus, præsertim vero in Neapolitani Regni Tribunalibus secularibus, quorum ad instar, illa fori ecclesiastici quoque aliquando, sed perperam, & erronee, idem practicare solent, ille viget stylus, ut pro illis obligationibus, quæ penes acta fiunt, quia nempe de illis rogetur Tribunalis, vel Curiæ Notarius actuarius, realis, ac personalis decernatur executio de facto, nulla prævia citatione, ex eo assumpto quod in suis casibus verum est, male autem intellectum, quod in confessum in judicio aliæ non sunt partes judicis, nisi in condemnando, & exequendo. Intelligendo siquidem hoc assumptum in litera, irrationabilem asperitatem, qua nulla major id producit; ut idoneus, ac probatus vir, in quo nulla fugæ cadat suspicio; ita sine aliqua monitione, personalis, vel realis executionis injuriam, ac molestiam recipiat, quo nil absurdius, nilve ineptius, ac irrationabilius, dum monitus, incontinenti de satisfactione, ac implemento, vel de inefficacia obligationis docere potest; ut propterea nulla decernenda sit condemnatio, & executio, quæ juri divino, seu naturæ, per quemdam modum loquendi adversatur, ubi sine citatione fiat, ab ipsius Dei exemplo cum Adamo desumendo, ut saltem unicæ citationis requisitum desideretur, quasi quod illius modus, vel solemnitas, utpote a jure positivo inducta ab eodem jure tolli valeat, non autem substantia, utpote divini, vel naturalis juris, quando justum non accedat motivum; ea mala itaque intelligentia, vel applicatione id provenit præfati assumpti, quod in suo casu verum est, ac rationabile, quando nempe de illa tractatur confessione, & obligatione quæ coram Judice contentiosi judicii calore fiat, puta quia per creditorem ad judicium evocatus debitor, agnoscat, ac fateatur, debitum, ut præmissum est in forma, & calore judicii pure, & simpliciter persolvendum, cum tunc aliud judicium non supersit, nisi condemnando, & cogendo, non autem ubi apud acta judicii ad formam voluntarii, & conventionalis obligationis aliquid in diem, vel sub conditione promittitur, eo modo quo coram quolibet alio privato Notario sequi solet, quoniam alicujus quidem majoris probationis, & efficaciæ, magisque promptæ executionis judicati meretur illa obligatio, quæ penes Notarium actuarium ex stylo habentem quemdam judicis delegationem fiat, ut etiam coram ipso Judice factum censeatur, quam si penes Notarium privatum, non tamen, ut exinde dictum assumptum inferr, dum ante cessam diem, vel purificatam conditionem potuit obligatus ejus adimplere obligationem, vel alia sibi potuit supervenire legitima, & prompta exceptio; Ideoque inevitabilitas, ac irrationabilitas & asperitas dignoscitur.

a *disc. 9. & 42. de judic. & disc. 116. de credito.*

OBSER-

OBSERVATIO CCXCIV.

Depositionibus in judicio cum juramento dandis, ut pariter cum juramento eis respondeatur, ac de altera juramento calumniae, & similibus.

INter irrationabilitates, vel superstitiosas formalitates, non quidem a priori, sed a posteriori, quae inter fori praesertim professores dignoscuntur, ista videtur, ut inhaerendo antiquatum legum civilium, & canonicarum, communium, ac etiam localium literae, sive antiquorum interpretum traditionibus, in ea continuetur praxi, quod ab uno litigantium cum juramento dentur positiones, quibus pariter cum juramento per collitigantem respondeatur, sive quod alterum exigatur juramentum calumniae, vel suppletivum, sive decisorium, ac etiam illud, quod adeo exacte, ac praecise in testibus desideratur, cum similibus. Experientia namque frequens, & communis, cum nullo forte, vel nimium raro exemplo docet, quod istud sufficiens non sit calumniarum, vel mendaciorum, ac falsitatum fraenum, nullosque producat proficuos effectus; Illi enim qui calumniandi, ac debitum negandi, vel indebitum petendi, sive pejerandi propositum habent, non exinde coercentur, vel abstinent, dum tot adinventae sunt captiones, & cautelae, praesertim circa responsiones, quae positionibus fiunt, vel circa juramentum, quod de calumnia praestetur, ut ad inanem, ac mere superstitiosam formalitatem id redigatur, ob cessantem rationem, ob quam antiquis temporibus, magna habebatur juramenti ratio, magnusque erat timor, ut etiam altera docet frequentior, magisque quotidiana praxis in eo juramento, quod in voluntariis conventionibus, tanquam clausula de stylo, vel pro formulario apponi solita adjicitur, ut ad illius praestationem nulla fiat particularis reflexio, nullaque habeatur ratio incursus perjurii, quando id quod promissum est, exacte non impleatur; E converso autem, ubi de praemissis judicialis juramenti speciebus agatur, positive perjurii incursus resultet; Hinc itaque manifesta videtur irrationabilitas, vel superstitio cum his formalitatibus continuare ad cessantem rationem pro motum, & temporum diversitatem non reflectendo, isteque recensendus est inter illos quamplures errores, ac irrationabilitates, & ineptias, quae neglecta ratione, ex literae, vel generalitatum vili famulatu resultant. a

a *De his, disc. 23. 25 & 34. de Judiciis, & in aliis.*

OBSERVATIO CCXCV.

De annullationibus actorum, & processuum ob aliquos terminos judiciales non adeo exacte servatos.

QUotidiana docet fori praxis, ut ob aliquos telae judicialis terminos, vel formulas non adeo exacte, ac bene servatas, post diuturnam peractam litem, ac sententias unam, vel plures, imo rem judicatam subsecutas, tota processuum, & actorum corruat machina, quamvis naturalis veritas, ac ratio, iisque gesta sunt, assistant, quia nempe victus, cum quo male praetendatur concepta citatio, vel male servatus terminus, alterque commissus defectus, naturali veritate attenta, de omnibus conscius fuerit, atque in judicio comparuerit, omniaque sibi competentia jura deduxerit, ac defensiones paraverit, adeout nulla urgeat ratio, ob quam, naturali veritate, humanoque discursu attentis, suum jus in aliquo perierit, vel deterius effectum sit, ideoque ex sola legis subtilitate, quae superstitiosam redoleat formalitatem, cui naturalis veritas, & aequitas resistant, annullatio proveniat, cum id irrationabilem asperitatem, atque damnabile calumniatum forum omni destitutum ratione potius importet, quoties illa impleatur ratio, vel ille impleatur finis, sive effectus, ob quem hujusmodi judiciorum formalitates introductae sunt; Quando enim de processibus, & condemnationibus agitur contumacialibus, adeout absens, & indefensus, pro praesente, atque ut in deterius confitente, ejusque malum jus agnoscente, ex legis rigore fingitur, tunc nec ratio, nec aequitas resistunt, ut unus rigor cum altero compensetur; Sed quando, ut praemissum est, adimpletus est finis, vel adimpleta est ratio, tunc inter irrationabiles asperitates, ac superstitiones, & quandoque ineptias, non immerito id recensendum est ita calumnias, fraudes, & commenta contra legis, & justitiae sensum confovendo.

OBSERVATIO CCXCVI.

De attentatorum incursu, & poenis, ac purgatione.

ALiquibus de bonorum, vel jurium pertinentia aeque contendentibus, adeout lis in ambiguo sit, atque Judicis determinatione certitudinem expectet, sive quod absque litis introductione, dubitante possessore, vel detentore de aemuli molestiis de facto, ad suae possessionis defensionem, cum alicujus judicis, vel superioris inhibitione, vel praecepto se muniat, aut quod alias ipsa lex inhibeat, ut appellatione, vel termino ad appellandum pendente sequitur, cum similibus; Si contingat, ut collitigans, vel praetensor cum alterius judicis auctoritate in possessione controversorum bonorum, vel jurium se intrudat, aut quod spreta inhibitione legis, vel hominis, possessorem turbet, aut alias praejudicium illi inferat, tunc attentatorum crimen exinde sequi merito lex disponit atque attentantem, tanquam criminosum, pluribusque subjicit poenis, illi praesertim omnimodae reductionis rerum in pristinum, ac refectionis fructuum, & expensarum tam judicialium, quam extrajudicialium, omniumque damnorum, & interesse, denegata interim attentanti audientia in suorum jurium, & actionum prosecutione, ac etiam illi, qui attentata passus est, actionem tribuendo per districtionem realem, & personalem, ad hujusmodi purgationem cogendi attentantem.

Haec autem omnia, quae tam legis, quam rationis probabile fomentum habent, irrationabiliter, ac inepte superficialium literae famulantium vulgus applicat ad casum, in quo morosus, & calumniosus liquidus debitor, ad impediendam contra eum jam decretam executionem, cum affectatis indebitis inhibitionibus se munire satagat, ut creditore executionem prosequente, istud attentatorum crimen sequi dicatur praefatis poenis subjectum, unde propterea denegari sibi debeat facultas clari, & liquidi crediti exactionem prosequendi, donec expensas, aliaque damna reficiat, & ad quae per personalem, seu realem districtionem quoque cogi valeat, unde de facto maximum practicari solet absurdum, ut debitor a coactione interim sit immunis, atque creditor sui creditoris efficiatur, illumque in carcere detrudat, sive in bonis cum praetorio pignore molestet; Irrationabilitas quidem, ac ineptia, qua nulla major, ex eodem consueto derivans vitioso fonte procedendi cum litera, non autem cum spiritu, vel ratione, dum maxima diversitas rationis inter unum dignoscitur casum, & alterum, negligenda ponderatione rationem; quod cum istud incidens originem trahat a culpa, & a calumnia debitoris, qui criminosus in pluribus censendus est, ita sequitur, ut creditor innocens, ac injuratus poenas luat pro debitoris delicto, quod commodum, ut utilitatem ipsi delinquenti, & criminoso pariat dum damno, & jactura innocentis, ac offensi creditoris, & cum fomento calumniarum, quod omni scripto, ac naturali juri, omnique rationi nimium adversum est; Ideoque monemur quam damnabilis, ac perniciosus error sit, cum litera, non autem cum ratione procedere, quoniam in priori casu, legis dispositio justa est, ac rationabilis, male autem ad alterum applicatur.

OBSERVATIO CCXCVII.

Quando Judici dantur Consultores, illa adhibetur distinctio, quod si praecipitur, ut de eorum voto judicare debeat, tunc votum, seu consilium sequi teneatur, secus autem si dicatur cum voto, ut tunc illud sequendi obligationem non habeat.

IN hac autem distinctione, irrationabilitas, ac ineptia quoque dignosci videtur, ex eo quod accidentalis varietas verbi, vel dictionis apta sit immutare substantiam dispositionis, vel operari destructionem illius finis, ob quem Assessorum, vel Consiliariorum votum demandatum est, ut nempe ob diffidentiam, quae habeatur de solo judicio illius, qui sententiam proferre debet, aliarum sapientium consilium, seu judicium requiratur, ac accedat; Ita nanque inanis, ac elusoria censenda esset haec pequisitio, si Judex in cujus judicio fides non habeatur, spreto consilio, cum solo ejus Judicio pronunciare posse, ideoque non formalitas verbi, vel dictionis, sed substantia rei, seu ratio, ob quam id demandatum est, attendi debet, nullatenus curato an dicatur de, vel cum voto, judaicum enim est in hac verborum formalitate immorari, sed rerum substantiam attendere debemus.

DE

DE DELICTIS, ET POENIS.

OBSERVATIO CCXCVIII.

De furto magis criminoso, ac habente admixtum sacrilegium, vel admixtam proditionem, ac violationem fidei, mitius propterea puniendo.

INter quamplures irrationales formalitates, quæ in criminalibus adverti possunt, nisi genium, & possessio avertetent, duæ præsertim in furti crimine nimium patentes videntur; Una nempe, quod si unum, & fortius si plura in prophano loco committuntur furta qualificata, pro quibus extra controversiam pœna ordinaria ultimi supplicii intrare debet, ista non intret, ubi in Ecclesia cum sacrilegii mixtura sequantur, eo quia ex bis duobus criminibus, illud sacrilegii tanquam majus occupat, atque absorbet alterum furti, & per consequens cum pro sacrilegio Canones dictam pœnam non irrogent, idcirco debeat criminosus immunis remanere.

Irrationabilitas quidem, ac ineptia, qua nulla major, ut scilicet illa circumstantia, quæ longe magis aggravat delictum, debeat pœnæ diminutionem inducere, atque ita invitare ad magis delinquendum, ac furta magis in Ecclesia, quam in privatis locis committendum.

Non minor quoque irrationabilitas in eodem genere criminis dignoscitur, quod si nempe furtum qualificatum ordinaria pœna dignum, quando ab extraneo committatur, si fiat a famulo, vel alio ministro, cui rerum furatarum custodia commissa est, cum eadem tamen aggravante qualitate, non debeat eadem, sed minor pœna intrare ratione fiduciæ, dum ista potius retorqueri meretur, atque auget crimen, quoniam ultra crimen furti qualificati, quod ita in isto, ac in quolibet extraneo fure adesse dicitur, concurrit alterum proditionis, ac violationis fidei, ideoque cum sit circumstantia aggravans, non videtur quomodo apta esse debeat pœnam temperare; Alia quoque accedente consideratione mali exempli, magisque promptæ & facilis consummationis, unde propterea longe gravior debet esse pœna ad magis coercendum, & ne alias domestici, a quibus minus cavemus, ad delinquendum alliciantur, ideoque illæmet adaptari videntur rationes, quæ homicidium proditorium longe gravius, ac majoribus pœnis subjectum reddunt, quam sit absque proditione, quamvis æque dolosum, & appensatum, cum similibus.

OBSERVATIO CCXCIX.

Homicidium in loco immuni, non tamen in Ecclesia, vel in Cœmeterio patratum, non cadit sub Gregoriana exceptuatione.

GRegorii Decimiquarti Constitutione, quæ ecclesiasticæ localis immunitatis est hodie regulatrix, immunitatis præsidium plerisque facinorosis denegante, illis præsertim (per verba præcisa) *qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere non verentur*. Illi, qui nimium quam par sit, hanc zelantur immunitatem, ut ita criminosos, ac facinorosos homines in delinquendi licentia, & facilitate confoveant, cum adeo magno publicæ quietis, ac Reipublicæ præjudicio, in litera, non autem in spiritu, ac ratione illam cum grammaticalibus significationibus, legalibusque axiomatibus, ac subtilitatibus interpretantes, opinantur quod in illis tantum homicidiis, vel mutilationibus congruat exceptuatio, quæ intus ipsas Ecclesias, vel Cœmeteria sequantur, non autem ubi in ejusdem Ecclesiæ, vel cœmeterii atrio, vel scalis, aut sacristia, seu campanili, vel tecto, ac solario, & similibus partibus extrinsecis, vel annexis, quasi quod Constitutione adhibente dictionem, *in*, quæ intrinsicitatem denotat, ac etiam adhibente verbum personalissimum, *ipsis*, ad præcisum restringatur casum, in quo intus ipsas Ecclesias, vel Cœmeteria perpetrantur crimina.

Irrationabilitatem vero id redolere videtur, ob eandem frequenter insinuatam rationem, quod non verbis, sed rebus imposita est lex, cujus ratio, vel finis attendi debet; Ita nanque minus privilegiatum esset principale, quam accessorium, vel minus dominus, quam famulus, dum hujusmodi partes, vel membra, & officinæ apud antiquos canones negligi videntur, sed per extensionem, vel communicationem, eadem gaudent immunitate; Potissime vero, & clarius, quoniam nova non est hujus Constitutionis elocutio, quæ ita mysteriose concepta dici valeat, pro aliorum immunium locorum exclusione, sed est elocutio antiqua per eadem præcisa verba desumpta ex alterius antiquioris Gregorii epistola decretali, super iis, qui in ipsis Ecclesiis, vel prope eas, ista perpetrarent crimina sub immunitatis fiducia, *a* ita moderna Constitutione loquente more antiquorum Canonum, qui hujusmodi officiorum, & membrorum immunitatem, vel non agnoverunt, vel non tractarunt, adeout hæc provisio non sit nova.

Si etenim cum grammaticalibus significationibus, vel cum Juristarum subtilitatibus procedendum est, ubi etiam in ipsismet Ecclesiis unicum perpetrarunt homicidium, vel unica mutilatio tunc immunitatis præsidium intrare deberet, quoniam Constitutio in numero loquitur plurali, qui non verificatur in singulari; Igitur non litera, sed spiritus, ac ratio attenda debet, ab eadem alterius antiquioris Gregorii decretali assignata, ut frustra legis auxilium invocet qui in legem committit, sive ut in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat, dum ita hæc ratio intrat in uno, ac in altero loco, spectato fine, vel effectu. *b*

a *cap. fin. de immun. Eccles.*
b *De his, disc.* 10. *Miscellan. Eccles.*

OBSERVATIO CCC.

De ambitioso repetere volente a Principis conjuncto, id quod pro non assecuta ambita dignitate amiserit.

AMbitiosus, nimiumque imprudens senex, quarumdam dignitatum assecutionem sibi facilem reddere credens, aliqua ejus ætati omnino impropria, maleque adaptata emit officia venalia, seu jura vacabilia a se gnantis Principis conjunctis, qui aliis pro eodem pretio prompte vendituri erant, ejusdem pretii parte non soluta; Cumque ob ejusdem brevi secutum obitum, officia & jura vacassent, ipseque ejus vana elusus esset ambitione; Hinc hæres ad prædicti residualis certi, ac liquidi pretii solutionem pulsatus, non solum illam denegavit, sed reconventionis judicium instituit pro repetitione ejus, quod ex causa dictæ vacationis amissum est, ob non assecutam ambitam dignitatem, quam ex falsa ejus credulitate assequi, ac facilitate opinabatur; Prætensio quidem, omni juris, ac rationis fundamento penitus destituta, ut propterea manifestam redoleat, vel ineptiam, vel calumniam, atque apud ipsosmet pueros usum rationis non habentes, aliosque omnino idiotas, & rusticos homines irrisione digna; Et tamen ea in quodam magno Tribunali annorum quinquaginta, & ultra spatio, cum sententiarum invicem pugnantium prolatione fomentum, ac durationem habuit, & habet, atque continuat, cum implicita victoria rei conventi, qui hanc excitavit prætensionem, dum ita se confovet in denegatione solutionis præfati residualis pretii omnino certi, & liquidi, quod cum pactis executivis promissum est; *a* Videatur itaque ad quem asperitatis, ac irrationabilitatis, & ineptiæ gradum legalis res, vel justitiæ administratio devenerit, ob Juristarum subtilitates, ac superstitiosas formalitates, a legum, ac doctrinarum litera, neglecta ratione, vel a quarundam generalium regularum, & propositionum mala applicatione derivantes.

a *de isto casu, disc.* 2. *de Regal.*

V A R I A, SEU MISCELLANEA

Eorum, quæ ad jam actas materias pertinentia, post earum distributionem, tanquam per speciem Supplementi observata sunt.

OBSERVATIO CCCI.

Substitutio pupillaris excludit matrem a legitima.

bi hæc substitutio per habentem patriam potestatem, pupillo expresse facta sit, concors est Juristarum sensus, utpote claræ legum literæ innixus, ut matrem, aliosque ascendentes, quibus alias ex bonis gravati decedentis debita sit legitima, substitutos etiam ab ista excludat, quamvis de pupilli bonis propriis agatur, alias quam ab ipso patre, isto vivente, vel defuncto in eum obventis. Ubi vero sit tacita, utpote sub compendiosa comprehensa, tunc nimium iidem Juristæ certant, an huic exclusioni locus fiat, illaque pro magis communi sensu adhiberi solet distinctio, an pupillaris ætatis mentio facta sit, ut tunc expressæ æquivaleat, ideoque præfatam quoque operetur exclusionem; Ista vero mentione cessante, tunc magis se involvunt cum consueta opinionum scissura, eaque recepta est distinctio, ut pars negativa pro non exclusione statuenda sit pro regula, ex tacita, vel præsumpta testantis voluntate limitanda, quam suadeant conjecturæ, super quarum efficacia major dignoscitur conflictus.

Irrationabilitatem autem hæc exclusio, etiam ubi substitutio sit expressa, videtur hodie redolere, præsupposita illius novissimi juris dispositione, cum qua vivitur; Cum etenim fictum pupilli testamentum ista substitutio contineat, ejus vice utpote intestabili a patre factum; Hinc non videtur quænam ratio suadeat, ut majorem virtutem, & efficaciam habere debeat illud fictum testamentum, quod per alium vice intestabilis conditum est, quam illud quod vere per testabilem factum sit, ita majus robur fictioni, quam veritati tribuendo. Si enim post pupillarem ætatem, gravatus decederet, utique non posset testando, matrem, vel alios ascendentes, quibus de jure debita est legitima, ab ea excludere, quinimo teneretur honorabili restitutionis titulo eam relinquere sub pœna irritationis testamenti. Igitur multo minus id agendi facultas intestabili cum ficto testamento decedenti concedenda est.

Ab eodem autem consueto vitioso fonte, irrationabilitatum, ac ineptiarum productivo, id provenit, procedendi cum litera, non reflectendo ad temporum, ac legum diversitatem, sive ad variata præsupposita. Ideo namque antiquæ, ac etiam novæ leges istam directo substituendo potestatem patri concesserunt, non curato jure matris, aliorumque ascendentium materni generis pro legitima, quia illarum dispositione attenta, filiusfamilias nil proprium habebat, sed totum quod sibi deferebatur, acquirebatur patri, quamvis extra ejus causam proveniret, ideoque pater de suis potius, quam de pupilli bonis disponere dicebatur, in quibus mater, vel alii parentes nullum jus tunc habebant, utpote per jus recentius eis attributum, ita fingendo, quod ille qui in pupillari ætate decedit, pro non superstite, sed patri præmoriente habeatur; Hodie vero quod per jus novissimum adventitii peculii introductio facta est; unde propterea filiusfamilias quamvis in pupillari ætate sit constitutus, effectus est capax dominii, & possessionis bonorum, ac etiam habendi proprium intestatum successorem, ad instar cujuscunque sui juris adulti, adeout si patre, vel avo paterno, in cujus potestate sit, superstite decedat, adhuc attendatur intestatæ successionis ordo, per quem ipsius patris æqualis est conditio cum matre, & fratribus utrinque conjunctis, avus autem paternus per matrem excludatur, vel ea prædefuncta, æqualem habet concurrentem avum maternum, nulla patriæ potestatis ratione habita; Hinc resultat, ut prorsus irrationabile sit cum dictis antiquis, ac modernis legibus ita immutatis hodie procedere; Potissime vero in bonis propriis in pupillum aliunde obventis, & magis post patris mortem, istam fictionem ad summum sustinendo in ejusdem patris testantis hæreditate, & bonis, ut ita fingendo mortem pupilli ante istam ipsius patris, in isto cesset onus legitimæ erga ipsum filium pupillum; Isteque videtur verus, ac originarius sensus antiquorum, qui hanc firmarunt propositionem, sed in bonis propriis videtur assumptum omni destitutum ratione, quatenus cum præfata juris novissimi dispositione procedendum sit.

In altero item puncto, an ista exclusio matris a legitima resultet ab illa tacita substitutione pupillari, quæ sub compendiosa continetur, consuetæ dignoscuntur ineptiæ, ac frigiditates, super conjecturarum pondere, & efficacia, præsertim vero quid in hoc operetur substituti qualitas, quia sit pia causa, vel de liberis, aut quid operetur transitus matris ad secunda vota, adeo se dividentibus Scriptoribus per classes, aliis unam, aliis vero alteram sequentibus opinionem, cum non modica, etiam aliquorum tribunalium variatione, modo unam, & modo alteram tenendo sententiam, cum verius ista quæstio, utpote facti, & voluntatis, certas non recipiat regulas, vel theoricas generales in abstracto, sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, verisimilis voluntatis substantia desumenda sit, & ex quibus aliquæ conjecturæ in uno casu efficaces reputari merentur ad hanc voluntatem inducendam, in alteram autem eædem, aliæque majores eis adjunctæ inefficaces remaneant, ut superius agendo de fideicommisso conjecturali advertitur; Ineptia vero clara est desuper adhibere terminos *privilegii piæ causæ*, aut liberorum, quoniam in hoc nullum adest privilegium, dictaque qualitas operativa solum est, ut facilius præsumatur voluntas.

OBSERVATIO CCCII.

Per furorem, vel amentiam patris, non cessat patria potestas.

Patre furioso, patriam potestatem non cessare, sed in ea filios adhuc perseverare donec naturaliter pater vivit, leges disponunt; *a* Atque cum earumdem legum dispositione, utpote literali, Juristæ passim procedunt; *b* Irrationabilitatem autem, vel ineptiam hodie, ob immotatum rerum statum, id redolere videtur. De tempore siquidem, in quo hujusmodi leges prodiere, dominii, & possessionis, ac dispositionis, & hæredis filiusfamilias incapax erat, totumque, etiam in proprietate, quod filio deferebatur, acquirebatur patri, cui furoris, vel amentiæ accidens, tollere, vel impedire non deberet hoc jus, vel dominium, eodem modo, quo alia bona, vel jura non tollit, idque non omnino incongruum, neque omnino irrationabile erat, licet aliqua etiam subesset asperitas in eo quod filiis emancipationis assequendæ spes ob defectum consensus tolleretur. Hodie vero, quod per jus novissimum adeo immutatus est præfatus antiquus rerum status, cum cujus præsupposito dictæ leges prodierunt, quoniam filiusfamilias capax est dominii, & possessionis, ac etiam dispositionis, saltem inter vivos, bonorum, & jurium, quæ ab eo acquiruntur, & in quibus etiam ad instar patrisfamilias, hæredem, & successorem habet, nullum subesse videtur fundamentum rationis, cui dictarum antiquarum legum dispositio innixa sit, hodieq; servari debeat, dum patri reservatus est solum ususfructus, qui in plerisque etiam casibus denegatur, illeque correspectivus

est ad

cui ad legalem administrationem, quæ sibi commissa est, ideoque prorsus irrationabile videtur; ut filius qui sui compos, ac perfecti judicii est, sub furiosi, vel amentis patris administratione vivere cogatur; Atque in hoc dignosci videtur aliquorum Juristarum ineptia, ex consueta resultans vitioso fonte procedendi cum sola litera, ad hanc temporum, ac rerum status mutationem non reflectendo.

a *l. Patre furioso, ff. de his, qui sunt sui, vel alterius juris, l. cum hæres, ff. de acquirend. vel amitten. hered.*

b *ex collectis per Bossium de patr. potest. cap. 2. §. 2. n. 22.*

OBSERVATIO CCCIII.

De auctoritate Canonum contentorum in Decreto Gratiani.

QUemadmodum superius agendo de legibus, observata est ineptia, vel simplicitas illorum superficialium literæ misere famulantium, qui pro authenticis legibus reperunt quidquid in codicibus modernæ impressionis ex privatis insertionibus, vel superadditionibus scriptum inveniunt, ut etiam in aliquibus modernis canonibus registratis in libris Decretalium sequi solet. Ita quoque sequitur in eo quod scriptum, seu registratum reperitur in eo volumine, quod Gratiani decretum appellatur, quoniam in primis a superficialibus Pragmaticis sub miseræ literæ servitute viventibus, nulla fieri solet distinctio inter Canones, & Paleam, totum capiendo pro lege, non advertendo, quod illa pars, cui Paleæ vocabulum inscribitur, mere privatam adnotationem continet. Quinimo etiam circa eam partem, cui Canonum nomen, sive attributum datur, adhuc eadem dignoscitur simplicitas, ut tanquam authenticam, & obligantem legem ecclesiasticam in judicando, vel consulendo attendant absque alio patrocinio, vel estrinseco fomento authentici relati, cujus potius quam referentis auctoritas attendenda venit. Ex quatuor enim fontibus Gratianus studiosus claustralis, pro illorum tempore nimium rudi, & imperito statu, nimia quidem commendatione dignus, illam privato jure collectionem fecit. Primo nempe ex Pandectarum fragmentis continentibus aliquas antiquorum Romanorum leges. Secundo, ex Sanctorum Patrum scriptis, vel sententiis. Tertio, ex aliquibus, Summorum Pontificum epistolis decretalibus; Et quarto, ex decretis aliquorum Conciliorum generalium, seu nationalium, aut provincialium.

Prima itaque species, utique vim legis non habet, nisi quatenus eam tribuat ille populorum usus, qui post integri corporis inventionem invaluit, juxta legalem historiam superius insinuatam, agendo de legibus, ac etiam in ratione legum sæcularium illæ considerandæ sunt, non autem ecclesiasticarum, & canonicarum, igitur irrationabile, ac ineptum est recensere inter canones, vel istorum vim eis tribuere.

Altera species, probabilem quidem, ac magistralem continet doctrinam, non autem necessariam auctoritatem legis. Tertia vero ratione pontificiæ potestatis, necessariam, ac legalem importaret auctoritatem, quando aliunde authenticum relatum haberetur, sine quo referenti non defertur, quoniam privatis Scriptoribus aliquam pontificiam legem referentibus, non bene constito de relato non creditur; Et ulterius omnem vim substulit generalis pontificia determinatio, ut illis tantum decretalibus epistolis deferendum sit, quæ in libris decretalium continentur, eo modo quo in eis registratæ sunt, & non alias, ideoque pariter ineptum, ac irrationabile est, eas ex hac sola relatione attendere. Idemque in quarta, & ultima specie decretorum Conciliarium, quoniam de authentico relato constare debet, atque referens non sufficit; Ac etiam quia provincialibus, vel nationalibus deferendum non esset, sed totum generalibus, & Oecumenicis, ac etiam in istis, ubi antiqua sint, inspiciendum est, an immutatio morum eis congruat, sive cum eis compatiatur. a

a *de his agitur disc. 35. de Jud. & disc. 30. in Miscellan. Eccles.*

OBSERVATIO CCCIV.

Salarium famulorum, vel Causidicorum, ac operariorum ubi non adsit statutum, non præscribitur nisi per longum tempus triginta annorum.

CUm generica personalium actionum regula in hac materia salarii, vel mercedis operariorum, ac famulorum, & causidicorum, aliorumque similium procedunt Juristæ, ut nempe particularibus legibus, vel statutis cessantibus, præscriptio non admittatur, nisi illa longissimi temporis aliarum personalium actionum ad instar: Id autem claram redolere videtur irrationabilitatem, quoniam cum de hujusmodi solutionibus quietantiæ reportari non soleant, minusque aliæ exquiri probationes, sed manualiter, brevique manu in dies, & tempora fiant; Ac etiam, quia hujusmodi personæ, quæ alieno servitio cum earum opera, seu labore se addicunt, ea hujusmodi mercibus victum quotidianum sibi comparare solent, neque diu ex actionem negligere, ideoque inter irrationabilitates, ac superstitiones legales idem censeri meretur, quoniam potius cum regionis moribus, magisque communi usu, ex quibus verisimilitudo resultat, quæ veritatis faciem habet, materia regulanda videatur, adhibendo potius terminos præsumptæ solutionis, quam illos formalis præscriptionis; Nimiumque asperum, ac irrationabile est, ut hujusmodi debiti, adeo magnus cumulus admitti debeat, nisi clara accedat probatio, quæ istam, vehementem quidem, excludat præsumptionem.

OBSERVATIO CCCV.

Privilegium reputatur illud Cardinalium, & familiarium Papæ, aliorumque, vel Prælatorum, absque solemnitatibus testandi.

CUm ex alias in testamentorum materia superius insinuatis, Cardinalibus, & qualificatis Prælatis, vel Papæ familiaribus testandi etiam absque solemnitatibus indultum Apostolicum concedi soleat. Hinc superficiales istud magnum, ac singulare privilegium reputant. Id autem inter irrationabilitates, ac leguleicas simplicitates recenseri meretur; Cum etenim lex, non in odium, sed in favorem decedentium, tot introduxerit solemnitates, ut ita fraudibus, ac falsitatibus occurratur, quibus magis defunctorum, quam viventium subjacent actus, cum ipsi non valeant superstites declarare, an verus, vel falsus esset actus, atque ita falsitatem detegere, ut superviventes facere possunt; Hinc irrationabile, ac ineptum est dicere, ut importet privilegium, ac favorem, quo enim magis agitur de magnatibus, & qualificatis, in quibus opulenta hæreditas præsupponenda est, eo magis intrat falsitatis, & machinationis suspicio, ac frequentia, quam in viris depressæ, vel mediocris privatæ personæ; Igitur clara est ineptia, ut majores solemnitates in istis, quam in illis desiderandæ veniant. a

a *disc. 5. seqq. de testam.*

OBSERVATIO CCCVI.

Obtinens quis ab uno judice ex causa subhastationis, & deliberationis, & adjudicationis, aut remedii possessorii, sive ex alio titulo, bona, si ad ista petat reintegrari ille qui subhastationem, vel adjudicationem, aut remedium possessorium passus est, debet sequi forum privilegiatum possessoris.

HUic assumpto, quod ecclesiastici fori possessores præsertim pene concorditer firmant, a ratio nimium adversari videtur, nedum quia irrationabile, ac illicitum in jure reputatur proprii auctoris, a quo aliquid obtinetur, impugnare potestatem, quæ dividi non potest, eam in favorabilibus admittendo, & approbando, in odiosis autem negando, vel improbando, sed etiam quia ille, qui rei alias a se possessæ ex judicis facto, dominio, vel possessione privatus est, eundem adeundo judicem pro retractatione ejus quod gestum est, utpote nullum, vel injustum, non dicitur novum instituere judicium, neque actoris gerere personam, sed potius antiquum judicium prosequi, atque rei priorem personam, quæ spolium passa est continuare, ideoque ab illomet judice, qui eum spoliavit, in pristinum reponi petit, tanquam per remotionem intermedii obsta-

culi per eum nulliter, vel injuste præstiti aminqnum ejus jus continuando, idque in eisdem actis, eodemque processu inspiciendum est, neque judex alias incompetens aliquam dicitur jurisdictionem exercere cum eo, qui ejus foro non sit subjectus, sed solum proprium revocare factum, atque impedimentum a se præstitum tollere; Nimiumque propterea irrationabile esset, ut coram novo, diversoque judice non informato, cum novo, diversoque processu, id agere cogendus esset; Tunc vero assumptum ratione destitutum non esset, quando ex novo jure, vel titulo, novoque judicio ejusdem rei recuperationem ille, qui amisesit experiri vellet. *b*

a *disc. 94. de jurisdiction.* b *eod. loc. supra cit.*

OBSERVATIO CCCVII.

De privilegiato succedente alteri non privilegiato, ut ex propria persona declinet forum defuncti etiam lite cœpta.

NEgant plerique, alii vero affirmant, Istaque posterior opinio, quam ecclesiastici fori sequaces veriorem putant, ubi cum ratione examinanda sit, ei repugnans videtur, quoniam cum hæres in universo jure activo, & passivo, defuncti personam repræsentet, idcirco eam in omnibus gerere, ac repræsentare tenetur, non autem ut solum in activis, & favorabilibus, non in passivis, ac odiosis; Fictio nanque veritatis pedissequa, & imitatrix est, illam vero non excedit, neque absorbet, durumque videtur, ut vivens non possit quis in judicio jam cœpto forum variare, atque collitiganti præjudicium in hoc inferre, valeat autem id agere mortuus, & annihilatus, hæredem diversi fori eligendo; Prout nulla cum privilegiato hærede jurisdictio in ejus persona, & bonis exerceri dicitur, dum illa cum defuncti bonis, ac persona, quam in hæreditate vivere fingitur, potius exercetur,

Clarius vero ubi hæres inventarii beneficio sit munitus, quo mediante ab omni molestia in persona, & bonis propriis tutus est, adeout non verus hæres, sed potius administrator ita reputetur, ideoque administratori hac facultas declinandi ex persona propria forum ejus, cujus bona administrat, non conceditur; Tunc itaque assumptum admittendum veniret, quando hoc inventarii beneficio non suffragante, de damno, ac molestiis, in persona, & bonis propriis ageret, cum tunc vere, ac proprie cum sola jurisdictio exerceri diceretur, non autem ubi judicium defuncti bona solum percutiat, cum ista opinio irrationalis censenda videatur. *a*

a *de his disc. 84. de jurisc. & alibi,*

OBSERVATIO CCCVIII.

Stylus Curiæ Romanæ est semper condemnandi victum in expensis, non attenta justa litigandi causa.

EXorbitans quidem, ac asper, parumque rationabilis iste stylus censendus est, atque in hoc præsertim vilis, nimiumque damnabilis Pragmaticorum famulatus dignosci videtur, ut etiam in casu, in quo probabilem, justamve causam litigandi adesse pateat, adhuc expensarum condemnationi locus esse debeat, Ista siquidem condemnatio prodit in pœnam criminis temere litigantium, ideoque dare pœnam sine delicto, nedum positivam legem, sed ipsam naturalem lædit rationem; Fortius vero, ubi justa litigandi causa, non a sola probabili opinione litigantis, ejusque defensorum proveniat, sed ab ipsorummet Judicum, ac Tribunalium judicio fomentum receperit, quia nempe pro eis pluries responsum, vel judicatum sit quamvis postmodum recedendo, atque mutando sententiam, diversus dignoscatur causæ exitus, *a* ita nanque opinatione litigantis ab ipsorum Judicum sensu comprobato, nulla videtur suadere congrua ratio, cur istam pœnam luere debeat, ac propterea inter irrationabilitates id recenseri meretur.

a *præsertim in casu, de quo disc. 179. de fideicom. cum plerisque similibus,*

OBSERVATIO CCCIX.

Approbatur Curiæ Romanæ stylus habendi terminum pro servato, ut ita extra diem cadentis citationis pronunciare liceat, reprobatur autem stylus aliarum Curiarum, ut eadem citatio ad certam diem, cum aliarum continuatione concipiatur,

ALius jam superius insinuatum Romanæ Curiæ stylum habet, habendi terminum pro servato, ut propterea etiam post plurium dierum lapsum, dummodo decem, ac respective pro Tribunalium qualitate, quindecim dierum spatium non excedatur, liceat sententiam proferre sub ipsa die cadentis citationis, quamvis naturali veritate inspecta, post pluries dies sequatur, isteque stylus in præfata Curia approbatur. E converso autem in aliis Curiis eo vigente stylo, ut citatio ad sententiam pariformiter concipiatur ad certam diem juridicam sub qua cadat, adjiciatur vero clausula, *& deinde cum continuatione, &c.* cujus vigore liceat infra eundem decem dierum, sive majorem, vel minorem terminum pro Curiarum usu, pronunciare, sub ea tamen die, in qua naturali veritate attenta de facto pronuncietur, ab eadem Curia iste stylus reprobatur. *a* Id autem evidentem redolet irrationabilitatem, ac exorbitantiam, dum nulla quoad substantiam inter unam, & alteram stylorum speciem probabili militante ratione, approbatur ille, qui revera mendacium, & fictionem continet, atque majores aptus est producere fraudes, majoraque præjudicia, illud præsertim in judiciorum titulo superius insinuatum, ut antequam judicetur, res judicata oriatur, reprobatur autem ille, qui naturalem attendit veritatem, atque fictionem, & mendacium excludit, ita magis favorabile, ac privilegiatum reputando mendacium, quam veritatem, cui fictio antefertur, quo nil irrationabilius.

a *disc. 34. de Judic,*

OBSERVATIO CCCX.

Omne possessorium, juris civilis dispositione attenta, non admittit appellationem suspensivam, quam e converso admittit jus canonicum, excepto illo retinendæ, ac etiam altero adipiscendæ, quod associationis dicitur.

MUltæ in hoc themate dignosci videntur irrationabilitates; Prima nempe in generica differentia inter jus civile, & canonicum, quoniam si justitiæ ratio exigit, ut hæc judiciorum species, tanquam celeris expeditionis, appellationem suspensivam non admittat, ut civile jus disponit, ergo irrationabile remanet jus canonicum; Et e converso si eadem justitiæ ratio exigit, ut appellatio intrare debeat, ergo irrationabile jus civile dicendum est, Individua nanque justitia est, neque unius personarum generis unam alterius autem respectu justitia diversam habere debet formam, ut ita contingit, quod in laicali foro jus civile attendatur, in ecclesiastico autem canonicum, cum debeat cum omnibus esse æqualis, magisque illam ecclesiastici, quam laici colere teneantur; Ergo male conceditur ecclesiasticis major litium protractio, vel e converso male laicis, appellationis denegatur beneficium,

Altera dignosci videtur irrationabilitas, juris canonici dispositione attenta, in differentia, quæ per modernos pragmaticos constituitur, inter possessorium reintegrandæ & illud retinendæ, ut primum sit appellabile, alterum vero non, quamvis istud posterius decernatur ad favorem non habentis naturalem possessionem, quia de facto sit privatus ex sola possessione civili animo retenta, quam apud eosdem receptum est pro isto retinendæ possessorio quoque sufficere, unde propterea ob hoc privilegium, istud manutentionis remedium usu receptum est, alterum vero reintegrationis pœnæ abolitum. Non videtur etenim congrua urgere ratio, quæ istam comprobet differentiam, adeout sit mera formalitas verborum, quibus ita lex potius, quam rebus imposita diceretur, quod unque damnatum est; Aut etenim spoliator isto indignus est beneficio, quia indebite spoliato prompte succurri debeat, aut non; Si enim spoliator est indignus, atque spoliato commiserandum est, & tunc idem in uno, ac in altero remedio dicendum est; Si vero res in oppositum se habet, & tunc in utroque remedio idem pariformiter dicendum venit, ideoque totum ad meram verbalem formalitatem absque ratione reducitur.

Tertia item irrationabilitas viget in possessorio adipiscendæ præ-

næ præsertim inter judicium in salviano, & alterum associationis, ut istud non admittat etiam de jure canonico suspensivam appellationem, illud vero sic; non videtur etenim quæ congrua ratio hanc foveat differentiam, cum imo potius res in oppositum esse deberet, quoniam immissus in salviano rei proprietatem distrahere non potest, sed solum facultatem obtinet procuratorio quodam nomine debitoris fructus percipiendi, ut sibi ex eis satisfiat, e converso autem immissus in judicio associationis proprietatis distractio a Judice peti potest; Ideoque magis istud, quam illud remedium gravat, atque præjudiciale est, & per consequens, vel in neutro, vel potius in posteriori, quam in priori admittenda esset suspensiva appellatio.

OBSERVATIO CCCXI.

Clericos non posse in carceribus pro debito detineri, minusque urgeri ultra quam facere possint, Canones disponunt.

Rationabilis quidem censenda est Canonum hæc dispositio, per quam, attenta illorum temporum conditione vetatur clericorum detrusio in carcere pro debito civili, atque pro eo bonis omnibus spoliari, sed quod congrua portio eorum alimoniæ proportionata relinquatur ex ea probabili ratione, ut cum totius clericalis ordinis dedecore mendicare non cogantur; Irrationabilis vero in plerisque hujus legis praxis censenda est, & præsertim vero circa istius beneficii denegationem ob debiti qualitatem, quia nempe ex causa ecclesiasticæ pensionis, vel dolosæ administrationis pendeat, vel ob formulam obligationis cameralis, ac simili; Si etenim ex publico totius ordinis clericalis favore illud competit, tunc indefinite competere debet, quoniam debita qualitas id non alterat, dum ita dedecus ordinis adesse dicitur, si clericus in carcere detrudatur, vel mendicet ex debito, quod ex una, vel ex altera causa contractum sit, solumque istud accidens personam indigoam reddit eo beneficio, quod alias jure privato sibi competeret; ideoque, vel regula, vel limitatio irrationabilis censenda est.

Prout irrationabilis est praxis, indefinite decernendi clerico debitori tantum redditum annuum, vel menstruum, ut ex eo congrua percipere valeat alimenta, ultra illam taxam, quam loci synodalis constitutio, vel consuetudo taxavit pro sufficienti patrimonio promovendorum ad ordines; Si etenim in eo, qui est innocens ab omni culpa, pilve alienum in manibus habet, minor provisio reputatur sufficiens pro clericali decore substinendo, hinc non videtur quæ ratio unquam suadere valeat, ut culposo debitori ex bonis creditorum potius ista pinguior provisio assignari debeat. Fortius vero ubi cum illo servitio, seu exercitio, quod clericalis ordinis decori non adversatur, victum sibi comparare valeat, id autem negligat, ut otiosam ducat vitam in creditorum præjudicium.

Ea quoque ratione accedente valde notabilis morum immutationis intermedio tempore post hujusmodi canonum ordinationem, quando longe minor erat clericorum numerus, longeque major disciplina, & reverentia, neque forte dabatur illa clericorum species, qui nullum habentes ecclesiasticum titulum, ex devotione statum assumunt clericalem, absque eo quod Ecclesiarum cultui, vel populorum servitio, & ædificationi deserviant, adeout ratio cui canones innixi sunt, eis utique non adaptetur. Ideoque istos canones ita generaliter, ac indefinite practicare, inter irrationabilitates recenseri merentur, dum ita clerici, qui Justitiæ cultores esse debent, atque sæcularibus in hoc exemplar esse, justitiam potius lædunt, atque sub istius beneficii spe, & clypeo aliena dissipandi licentiam sibi assumunt, utpote ab illis molestiis, & incommodis mô, quibus alias deberent subjacere, clericam ad delinquendum potius, maleque faciendum invitante. a

a *de hoc materia disc. 168. de Credito.*

OBSERVATIO CCCXII.

Bonorum prohibitorum facilius conceditur hypotecatio, utpote minoris præjudicii, quam omnimoda alienatio.

Prohibitorum bonorum hypothecationem pro debito quantitatis, utpote minoris reputatam præjudicii, quia largam potius, ac impropriam, non autem veram, & propriam alienationem importet, facilius concedendam esse quam veram, ac omnimodam alienationem per translationem dominii, communis videtur Pragmaticorum

sensus, adeout sub non modica quæstione sit, an hæc impropriæ alienationis species illas exigat solemnitates, quas vera, & propria exigit. a Quamvis autem theorice, sive attendendo juris regulas, ac propositiones in abstracto, verum sit assumptum, ut minor alienationis species hypothecatio sit, quam omnimoda dominii translatio; Practice tamen in bonis prohibitis, quorum alienatio, vel respective hypothecatio successorum independentium potius, quam ipsius facientis actum, præjudicium importat, ut præsertim pro frequentiori contingentia in licentia, quæ per Principem conceditur alienandi, vel hypothecandi bona fideicommisso, vel feudo pacti, & providentiæ subjecta, sequi solet, errorem, ac irrationabilitatem id continet, quoniam ita majus est præjudicium. Ubi nanque vera, & omnimoda sit alienatio, tunc successor aliud non patitur præjudicium, nisi circa illius rei amissionem, ac dismembrationem illius partis a reliquo corpore, absque alio tractu successivo, adeout semel quoddam certum sentiatur damnum; Ubi vero de facultate obligandi agitur pro debito, quod juxta frequentiorem usum, usuras, aliasve accessiones producturum est, tunc ingens potest esse damnum, ac præjudicium, quod universum assem, vel corpus absorbeat, cum usurarum, vel accessionum cumulo, ideoque iste communis sensus, qui juris regulis innixus est, eas in litera, vel superficie, seu generalitate attendendo, isto neglecto ratiocinio, errorem, ac irrationabilitatem continet evidentem.

a *disc. 1. de Alien. & Contractib. prohibit. & disc. 145. de Dote, & alibi pluries.*

OBSERVATIO CCCXIII.

Melioramenta intrinseca ex temporis beneficio, vel ex alio accidenti secuta, penes possessorem, qui legali, vel conventionali retractui sit subjectus, ad quem pertineant.

Legali competente retractu, ratione prælationis jure sanguinis, vel vicinitatis, aut consortii, sive inquilinatus, vel ex beneficio juris offerendi, sive conventionali ex reservato jure redimendi, vel ex adjecto pacto de retrovendendo, quando retrahendi jus ad exercitium deducitur, suumque obtinet effectum, tunc lex, cujusdam retrotractionis jure, omnimodam inducit resolutionem dominii, & possessionis, omnisque alterius juris intermedii possessoris, fingendo ac si retrahens ab initio rem obtinuerit; Unde propterea ex juris stricta censura, intermediæ rei retrahendæ accessiones, vel meliorationes, ex temporis beneficio, vel ex alio accidenti superventiæ, & e converso deteriorationes, retrahentis commodo, ac respective incommodo cedere debent, tanquam sequela dominii, quod ita semper penes ipsum fingitur extinsse, nunquam vero penes intermedium possessorem retractui subjectum.

Judiciose tamen, ac rationabiliter, moderni potius, quam antiqui, intermedio possessori retractum patienti, non autem retrahenti has accessiones, seu meliorationes defetunt, naturali rationi, & equitati innixi, ut cum sequantur commoda, quem sequuntur incommoda, dum in casu deteriorationis, jus retrahendi, utpote facultativum, ac voluntarium, non autem necessarium, per illum cui competit, non exerceretur, neque ad id cogi posset per possessorem, cujus ita remaneret damnum, ideoque ejusdem debet esse commodum, & beneficium, ne alias inequalitas omni jure damnata sequatur. a

Ad id autem, fori præsertim professores, ut rationales, efficiantur, nimium reflectere debent, exindeque edoceri, quod non literæ, sed rationi legum incumbendum est, quodque licitum, ac laudabile est a legum litera, seu regulis recedere, ubi ratio in contrarium urgeat, dum in hoc themate, legis litera, & regulis in contrarium clare urgentibus, licitum sibi reddiderunt recentiores, ob rationem ab illis recedere, eorumque sensus laudatus, ac receptus est, ideoque in omnibus aliis ubi eadem urgeat ratio, id faciendum est, ita servile, nimiumque vile jugum literæ excutiendo.

a *disc. 32. de Emption. & Vendition.*

OBSERVATIO CCCXIV.

Loca, quæ magnam, insolitamque donorum naturæ copiam habeant, per Principes, vel Civitates sibi appropriari atque in eis usum naturalem prohiberi, an rationabile, vel irrationabile sit,

NAturam in aliquibus locis nimium fœcundam, ac benevolam, nimiamque suorum donorum copiam facientem, humana malitia restringere curavit, illamque avaram quoad effectum reddit; Ubi namque, præter solitum copiosa sit, quia nempe in aliqua maris, vel fluminis, aut stagni parte magnam, ac insolitam producat piscium copiam, absque magno labore, magnaque industria obtinendam, sive in aliqua foresta, vel sylva, magnam ferarum, aut volatilium multitudinem, vel quod pingues fodinas auri, vel argenti, aliorumque metallorum, aut lapidum, ac mineralium producat, aut salinas tam terrestres, quam maritimas, cum similibus, adeout ea, quæ humano usui deserviunt, ibi commode omnibus pateant; Principes, vel Civitates hujusmodi loca, utpote de regalibus sibi appropriarunt, piscationem, seu venationem, aut aucupium, vel effosionem, aliumve usum prohibendo illis eorumdem locorum incolis, qui naturali quodam civico jure, utendi, ac fruendi facultatem alias haberent, magnum exinde assequendo proventum, a Juri autem naturæ id adversari pleri que afferunt eo quia leges juris naturæ, venationem, & piscationem dicunt, ideoque facultatem illam prohibendi, etiam ipsis Principibus, multo magis Baronibus, & Magistratibus denegant. Neque desunt qui juri quoque divino adversari credunt, Hieremiæ Prophetæ ponderantes lamentationem, ibi *Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparamus*.

Inter inepties vero, ac irrationabilitates id quoque recenseri meretur, nedum quia, ut pluries alibi advertitur, nullibi scripta reperitur ista lex naturæ, ex qua venandi, atque piscandi facultatem competere superficiales literæ legum civilium professores competere credunt, sed etiam quia ista per quendam loquendi usum naturalis nuncupata facultas, de illis intelligenda est locis, in quibus labor, ac industria, & incertitudo verificantur, non autem in iis, in quibus venatio, piscatio, sive aucupatum in fructu prædii. Fortius vero, quoniam hujusmodi locorum applicatio Reipublicæ facta, magnum rationis, ac justitiæ, & æquitatis fomentum habet, ut ita omnes, tam potentes, quam depressi, & infimæ qualitatis de isto participent exuberanti naturæ dono, mediante conversione proventuum, qui exinde percipiuntur, in illas publicas Reipublicæ, vel Principatus expensas, quam alias cum eorundem incolarum collectis, & contributionibus, aliisque oneribus facere oportet; E converso autem potentes, magisque sagaces, & industrii totum perciperent emolumentum, pauperes autem, ac infantes, & mulieres, & similes ab aliis oppressi eo carerent, ideoque inepta, & irrationabilis est objectio.

a de his tot. tit. de Regal. ad materiam Pischeriarum, Salinarum, Mineralium & similium, & disc. 2. de Feud.

OBSERVATIO CCCXV.

Quomodo judicandum sit, an cum regulis generalibus, vel cum doctrinis punctualibus, vel potius cum rationibus.

PRo consueta ingeniorum varietate, ob quam id quod uni placet, atque videtur optimum, alteri displicet, ac pessimum reputatur, varia in hoc dignoscuntur vota; Aliqui nanque opinantur, ut cum regulis procedendum sit, neglectis doctrinis, ac ratiociniis, quasi quod in istis consistant legalis scientiæ (si talis dici meretur) principia; Unde propterea illud prodiit axioma, quod qui habet regulam, habere dicitur fundatam intentionem; Alii vero toti insistunt in doctrinis punctualibus, quibus vim legum tribuere profitentur, neglectis regulis generalibus, vel ratiociniis, ex illo, frigido quidem, ac insulso dicterio quod per Pragmaticorum ora volitare solet, quod plus valet una doctrina punctualis, quam centum ratiocinia, & ex altero non minoris frigiditatis, & ineptiæ assumpto, quod pauperis doctoris est absque auctoritate, in generalitatibus immorari; Ac etiam ex altero magis inepto, quod erubescimus quando sine lege loquimur. Et demum alii, neglectis regulis, & doctrinis, toti insistunt in ratione, quam dicunt legum animam, & sine qua putrido cadaveri eas assimilant,

Quamvis autem hæc tertia opinio genio magis arrideat, ut istud præsertim opusculum docet; Adhuc tamen inter ineptias, ac irrationabilitates, omnes præfatæ opiniones ita generaliter sumptæ recenseri merentur, quoniam rationi magis congruit, ut omnes dictæ partes, non singulariter, sed unitim attendi debeant, illas pro locorum, temporum, personarum, & bonorum qualitate, aliisque singulorum casuum circumstantiis conjungendo, sive una alteram adjuvante, quia nempe solum ratiocinium pro ingenio jus dicentis, a regulis, & auctoritatibus alienum vel non comprobatum, frequentius periculosum est, ac damnabile, & e converso procedere cum solis regulis, vel respective cum solis punctualibus auctoritatibus, absque ratione, quæ bene distinguere, beneque applicare docet, ineptum est, ac irrationabile, Ideoque in omnibus extremis, vel in singulis simplicibus, ineptiæ, ac irrationabilitatis vitium adest. a

a disc. 35. de Judic. & in Opusculo styli.

FIRMANA.

HOMICIDII.

Votum, sive Discursus super puncto;

An, & quando minori temperanda sit pœna perpetrati criminis. *Ad Observ. 11.*

SUMMARIUM.

1 *OCcasio scribendi.*
2 *Quod inter errores populares iste recensendus veniat,*
3 *In statu Ecclesiastico jus Canonicum est primario attendendum, & de ratione.*
4 *Quid in hoc disponat jus Canonicum, & n. 14.*
5 *Et quid disponant leges civiles, quæ singillatim expenduntur.*
6 *De errore modernorum circa auctoritates Doctorum.*
7 *Expenduntur pariter singillatim auctoritates Doctorum.*
8 *De æquivoco circa auctoritates Regnicolarum, aliorumque similium.*
9 *Adolescentes non debent transmitti ad triremes, & quid agendum sit.*
10 *In quibus minoribus intret excusatio.*
11 *De legibus restringentibus minorem ætatem ad annum decimum octavum.*
12 *Quomodo istæ leges attendi, & considerari debeant.*
13 *Considerantur absurda ob diversitates legum circa ætatem.*
14 *Repetitur dispositio juris Canonici, de qua supra, numer. 4.*
15 *De ratione, ob quam minor ætas post annum decimum octavum non debet attendi.*
16 *Respondetur aliquibus legibus civilibus.*
17 *De historia legali, & quare illa præ oculis haberi debeat,*
18 *In Principibus ætas quatuordecim annorum habetur pro majori, quod etiam in privatis antiquitus erat,*
19 *Statuere ætatem majorem in anno decimo octavo, non fuit eam abbreviare, sed potius prorogare.*
20 *In feudatariis antiquitus ætas major perficiebatur in anno decimo quarto,*
21 *De constitutionibus Julii II. & Pii IV.*
22 *De applicatione ad casum,*

CUm quidam miles Curiæ forensis, vulgo birruarius, Gubernatoris Firmi, in rixa cum sclopo occidisset ejusdem ministri socium, unde propterea ab eadem Curia condemnatus fuit in contumaciam ad triremes per decennium, eoque devento ad manus justitiæ, actum esset in congregatione deputata super gubernio principatus Firmani, an ratione minoris ætatis, eo quia tunc esset in ætate annorum viginti duo, minoranda esset pœna; Quamvis majori parti visum esset illam reducere ad septem annos; Attamen Ego, & alii in minori numero fuimus in contrario voto, istaque occasione edidi discursum, ut sequitur,

Inter multos errores populares, quibus forensium Juristarum Respublica adeo abundat, iste recensendus videtur, etiam inter illos primæ classis, quod generaliter, ac indefinite in omnibus, qui de jure communi, vel statutario dici non possunt majores ac habiles ad alienationes, &

contra-

contractus, & ad publica munera, vel magistratus, adeo ut veniant sub genere minorum, temperanda sit illa pœna, quam alia pro perpetrato crimine, si essent majores, pati deberent; Unde mihi visum est inter legales ineptias, ac irrationabilitates id recensere *in Conflictu legis, & rationis, observ.* 11. Istequе error, sicuti omnes alii, proveniuns ex eo quod proceditur in sola litera, vel traditione aliquorum modernorum, non perquirendo rem per principia, & rationes.

Cumque casus, qui huic disputationi ansam dedit in Congregatione super gubernio Principatus Firmani, sit in Statu Ecclesiastico; Hinc duæ veniunt efformandæ inspectiones; Una in terminis utriusque juris communis, civilis, & canonici, & altera attentis Constitutionibus Apostolicis.

Quatenus itaque pertinet ad primam inspectionem juris communis, in hoc Pontificio Principatu primariò at-
3 tendendum est jus canonicum, quoniam non est solùm jus ecclesiasticum, vel spirituale ut in aliis principatibus contingit, sed est etiam civile, vel sæculare, utpote conditum a proprio Principe sæculari, ut advertitur, *discurs.* 35. *de Judic.* & alibi; Istoque jure attento, habemus duas Decretales *in cap.* 1. *&* 2. *de delictis puerorum*, in quarum secunda, quæ est Alex. III. disponitur, quod
4 consideratur pro diminutione pœnæ ætas puerilis infra annum decimum quartum, non autem ultra; Atque huic Decretali probabiliter innixæ sunt Constitutiones Julii II. & Pii IV. de quibus infra; Et in *cap.* 1. pariter agitur de pueris minoribus dicta ętate annorum quatuordecim; Ettamen deciditur, quod exceptis delictis fornicariis, in aliis, eo ipso quo sunt doli capaces, sunt punibiles; Ac propterea lex canonica non assistit, sed potius resistit assumpto, quod post annum decimum quartum, usque ad vigesimumquintum, vel aliam ætatem respective, juxta locorum leges, ętas excuset, ideoque leges civiles curandæ non videntur ubi habemus jus canonicum.

Verum ubi etiam cum legibus civilibus procedendum
5 esset, quamplures earum pariter loquuntur de pueris constitutis in ætate infantili, vel pupillari, ideoque pariter non faciunt ad rem; Ut est *text. in l. infans, ff. ad l. Cornel. de Sicar.* ubi de infante, qui assimilatur furioso; Et in *l. damni infecti* 18. *§. si pupillus, ff. de damno infecto*, ubi de pupillo, qui tamen sit doli capax, reputatur criminosus eodem modo, quo in *dicto capite primo de delictis puerorum*.

In l. 1. *§. impubes, & in l. excipiuntur, ff. ad Syllanianum* agitur de impubere, atque *gloss.* in verbo *ætas* dicit, quod ætas excusationem meretur, sed juxta subjectam materiam *textus*, in quo agitur de impubere; Imo *in d. l. excipiuntur*, habetur, quod etiam impubeti, qui sit doli capax, non parcitur.

In l. 1. *&* 2. *C. si advers. delictum*, statuitur regula generalis, quod ubi agitur de criminibus, quæ ex animo veniunt, minor ętas non excusat, ideoque istæ leges male ad rem adducuntur.

In l. fere in omnibus, ff. de reg. jur. statuitur regula, quod pene in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati, & imprudentiæ succurritur, sed qualis sit ista ætas, non exprimitur, cumque ęquiparetur imprudentiæ, idcirco intelligendus venit text. de ætate puerili, quæ pari passu ambulat cum judicii defectu, juxta *dict. text. in l. infans, ff. ad l. Cornel. de Sicar.*

In lege aut facta, §. persona, de pœnis dicitur, quod ætatis ratio habetur, sed qualis sit ista ætas, non exprimitur.

In l. si adulterium, §. fratres, ff. ad l. Cornel. de adulter. dicitur, quod Imperatores Claudiæ crimen incestus propter ætatem omiserunt, sed qualis ætas esset, non exprimitur, forteque probabilius erat puerilis.

Remanere itaque videtur *text. in l. auxilium, §. in delictis, ff. de minor.* qui, vel est unicus, vel capitalis, a quo vere ista propositio derivat, ubi expresse agitur de minore vigintiquinque annorum, ac firmatur, quod restitutionem in integrum nutu ratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit.

Verumtamen que hic text. bene consideratus statuit regulam quod omni minori vigintiquinque annorum pœna minoranda sit, cum potius statui videatur regula in contrarium, ut in aliis supra allegatis juribus statuitur, sed per modum limitationis dicitur, quod interdum ratio ætatis id exigere solet, sed non exprimitur quænam sit ætas, dum ita dicitur minor ille qui animum vigesimumquintum agit, ac ille qui solum decimumquartum explevit, unde propterea sit

in decimo quinto, vel decimosexto, quando imprudens puer adhuc dici meretur; Et si quæ aliæ sunt leges, utique minus probant, quam proxime allegatæ, ut est præsertim text. *in l. Senatus pœnam, ff. ad l. Cornel. de fals.* cui eadem adaptatur responsio, de qua proxime supra, ac etiam quia gestus erat actus de jussu patris, ad quem ille principaliter pertinebat.

Hactenus quoad leges, & canones; Descendendo autem ad auctoritates Doctorum, in hac parte major dignoscitur error; Cum etenim antiquiores parum hunc pun- 6
ctum examinent, recentiores vero, quorum magna pars est Consulentium ad pecuniam, vel affectionem, procedant cum diversis particularium casuum pręsuppositis, quibus tetenus bene loquuntur; Hinc prodiit consueta modernorum Collectorum ineptia, cumulandi nempe hujusmodi auctoritates in idem, atque magnum in earum numero constituendo fundamentum, non reflectendo ad circumstantias, vel ad præsupppposita, cum quibus loquun- 7
tur, atque ita regulam generalem desuper statuerunt, unis alios ad litteram absque alio discursu transcribentibus.

Multi etenim graves Criminalistæ, ut sunt præsertim Clarius *in pract. crim. q.* 60. *in princ. &* Gramat. *decis.* 23. *ex n.* 11. *&* Sanfelic. *dec.* 57. aliique similes Neapolitani, vel Siculi, aut Hetrusci, vel Insubres, & præsertim Mediolanenses, ac Romani, & similes, loquuntur cum præsupposito, quod minor ætas non se extendat ultra an- 8
num decimum octavum, ut est in Regnis Neapolis, & Siciliæ, & in aliquibus Hetruriæ partibus, vel quod non excedat annum vigesimum, ut est in Urbe, & in Civitate Mediolani, aliisque locis, ideoque clarus est error istas auctoritates attendere in illis locis, in quibus, ad juris communis præscriptum, minor ætas se extendit usque ad annum vigesimum quintum.

Præterea plerique de hoc puncto agunt in casibus particularibus, in quibus agebatur de pueris, vel adolescentibus infra ætatem annorum decem & octo; Ut est in casu, de quo agit Honded. *cons.* 99. quod adeo magnificatur per Farinac. *quæst.* 92. quoniam ut patet ex *num.* 46. agitur de minore decem & octo annorum, ac ulterius in eo casu agebatur de actu ad defensam. Et apud Joseph. Ludovic. *decis. Lucen.* 17. agitur de adolescente annorum sexdecim non completorum, atque apud Sanfelic. *dict. disc.* 57. agitur etiam de adolescente sexdecim annorum; Apud Grammat. *dict. disc.* 23. agitur de adolescente non excedente ætatem decem septem annorum, & apud *Conciol. allegat.* 86, de non excedente annum decimum octavum.

Et qui magis otio abundat, singulos perquirendo comperit, quod major pars eorum, quos late colligunt Farinac. *dict. quæst.* 92. Concil. *alleg. crim. verb. minor. primo*, 9
& Orilia *ad Campan, observ.* 2. & alii similes, percutit casum illorum adolescentium, quibus puerorum potius nomen congruit. Atque in casu recensito per Oril. *dicta observ.* 2. ad ostendendum stylum Sac. Consultæ practicatum cum quodam Urbevetano de anno 1648. observetur forma condemnationis, quæ fuit quidem ad triremes, quoniam agebatur de adolescente imberbe, unde propterea scandalosum fuisset illum ad triremes transmittere, idcirco transmissus fuit ad Arcem Civitatis Verulę, donec ad provectiorem perveniret ætatem, juxta alium casum similem relatum per Sanfelic. *d. decis.* 57. *n.* 10. & sic potius de puero; Idemque Oril. referendo præcisa verba Oddi *de restit. in integrum* qui loquitur de adolescentibus, agit de alio adolescente.

Atque observetur apud Tiraquell. *in tract. de pen. temperan. caus.* 7. ubi docte, & erudite de more agit de hoc puncto, & quem Criminalistæ in magistrum super ista 10
propositione recognoscere videntur, quoniam præsupponit loqui de illis, qui in tenella, & florescente ætate constituti sunt, & sic in illis adolescentibus, qui sub puerorum genere potius cadunt; Atque cum eodem præsupposito loquitur alter Criminalistarum magister Clarus *in dicta quæst.* 60. adeout nimium rari sint illi, qui loquantur de juvenibus post ætatem ab anno vigesimo ad vigesimum quintum, dum quantum in jam nota temporis angustia, & negotiorum mole concedi potuit, vidi solum Thesaur. *decis.* 161. loquentem de constituto in ætate viginti quatuor annorum, qui tamen pœna ordinaria mortis punitus fuit.

Et merito quidem, unde propterea indebite illud judicium redarguitur, quoniam eædem leges civiles superius recensitæ, bene, ac attente consideratæ, ad evidentiam com-

probant hanc veritatem, dum statuunt regulam quod in delictis ætas non excusat, quodque denegatur minoribus ista restitutio in integrum, quæ in civilibus conceditur, solum quæ insinuatur justa excusatio, quam inducat illa tenera, & immatura ætas, in qua judicium adhuc imperfectum, atque inordinata voluntas adesse dicitur; Unde propterea consideratur qualitas, vel modus criminis, an sit de atrocibus, & an cum dolo, vel sine, aut cum præmeditato, vel impræmeditato animo patratum sit; Et an delinquentes pueri potius, quam viri dici mereantur, ut sequitur in illis adolescentibus, qui licet juridice dicantur puberes, quia pupillarem ætatem expleverint, attamen quia est pubertas imperfecta, dum pubertas perfecta, seu plena non dicitur compleri in anno decimoquarto, sed completur in anno decimo octavo, idcirco usque ad hanc ætatem durare dicitur pueritia, ut bene observat Gomez *var. resol. to.* 3. *c.* 1. *sub n.* 63. ubi quod in minoribus decem & octo annorum intrat per necesse minoratio pœnæ, secus autem supra dictam ætatem; Ut etiam retentis terminis ejusdem juris civilis comprobat Text. *in l. mela, ff. de alim. & lib. leg.* ponderatur *in d. Consiliis legis, & ratione, observ.* 1. *in fine*, occasione legati alimentorum usque ad pubertatem, quod in masculis intelligitur usque ad annum decimum octavum & sic non restringitur ad annum decimum quartum, neque extenditur ad vigesimum quintum.

Comprobant ad evidentiam hanc veritatem antiquæ
11 leges prædictorum Regnorum Neapolis, & Siciliæ, ac etiam complurium Civitatum Hetruriæ, quod ætas minor restricta est ad annum decimum octavum, quo expleto quis dicitur major in omnibus, ideoque in criminibus a pœna ordinaria non excusatur. Istæ siquidem leges considerandæ non sunt in sola potestate legislatoris, unde propterea proprios fines, propriamque ditionem non egrediantur, eo modo, quo in successionibus, vel in ultimis voluntatibus, aut in contractibus, ac aliis, quæ pendent a potestate legis positivæ consideratur.

In hoc etenim dignoscitur, atque manibus palpatur magna
12 Pragmaticorum, irrisione quidem digna, ineptia considerata *in d. Consiliis, obser.* 2. quod scilicet ea quæ sunt naturalia, & individua, atque non possunt ex locorum, vel dominiorum diversitate variari, ac diversam sortiri naturam, regulentur eodem modo, quo regulantur ultimæ voluntates, ac successiones, vel obligationes, & alienationes, aliique contractus, ac alia hujusmodi, quæ a mero jure positivo pendent, atque ex ejusdem legis potentia diversam possunt habere formam.

Naturaliter siquidem implicat, atque impossibile est, ut unus & idem homo constitutus in ætate decem & novem,
13 vel viginti annorum, vel ultra usque ad vigesimum quintum si vivit, & delinquit in extremitatibus provinciæ Aprutinæ Regni Neapolitani, unde ab illis judicibus, & magistratibus cognoscendus, ac puniendus veniat, reputetur major, ac vir perfecti judicii, adeout pœnæ ordinariæ subjaceat; Si autem vivit, & delinquit in extremitatibus provinciæ Marchiæ Status Ecclesiastici, sub eodem cœlo, seu climate cum distantia brevi unius leucæ circiter puta in Territorio Asculano, vel Spoletano, seu Firmano, adeout a judicibus, & magistratibus istius Principatus puniri debeat, reputetur minor, ac vir imperfecti judicii, ideoque tanquam talis non possit condemnari ad pœnam ordinariam, quæ minuenda sit, quasi quod mutatio territorii sub eodem cœlo, eademque ratione, immutet intellectum, qui in uno loco sit sanus, & in altero infirmus, quod utique naturæ implicat.

Quinimo dari potest casus, quod unus, & idem homo pro eodem individuo crimine, æque puniri possit in utroque principatu, puta in uno ratione furti commissi, & in altero ratione contrectationis, vel in uno ratione homicidii patrati, & in altero ratione mandati, seu præordinationis, cum plerisque similibus casibus, in quibus pro eodem delicto subjaceat delinquens foro, ac jurisdictioni diversorum Principum, unde propterea in uno loco veniret furca suspendendus tanquam major, & non excusabilis, in altero autem transmittendus esset ad triremes, vel relegandus tanquam minor, & excusabilis, quo nil absurdius, nilve ineptius.

Prout etiam ista veritas comprobatur a Jure Canonico,
14 quod, ut præmissum est, in hoc Principatu Pontificio est verum, ac proprium jus, ideoque primario attendendum ex deductis *dict. disc.* 35. *de Judic.* & alibi pluries, quoniam in Rubrica, & duabus decretalibus *sub tit. de delictis puerorum*, consideratur solum, atque excusatione digna reputatur pueritia, sed in omnibus materiis spiritualibus & præsertim in beneficiali ille qui ætatem pupillarem explevit, pro majori habetur, & post completam pubertatem ligatur juramento, atque reputatur habilis ad emittendum solemnem professionem regularem cum tribus votis substantialibus, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, cum quibus se ipsum occidit in mundo, in quo civiliter moritur; licet enim hodie ista professio emitti non valeat ante annum decimum sextum completum, attamen id provenit a dispositione Concilii Tridentini, sed attento Jure Canonico sufficit dicta ætas, ut advertitur *discurs.* 41. *&* 43. *de Regul. cum similibus*.

Ergo semper erit verum dicere, quod in hoc proposito considerari solum debet ætas puerilis magis lata, idest quæ non cesset in anno decimoquarto, sed protrahatur ad decimum octavum, in quo dicitur quis effici perfectus adultus, ut bene *per Gomesium loco supra cit.*

Atque ubi non haberemus auctoritates, id ad evidentiam comprobaret ipsa ratio naturalis, vel ipse humanus discursus, quoniam pro frequentiori contingentia, pene omnia homicidia, stupra, adulteria, furta, & grassationes, aliaque delicta, non perpetrantur per viros jam maturos, & prudentes, sed per juvenes inter annum decimum octavum completum, & vigesimumquintum incompletum, quando calor magis fervet, ideoque sensus prævalet, atque magis vita luxuriosa, & licentiosa dicitur; Igitur ita esset latissimum aperire aditum juvenibus ad delinquendum, & male vivendum.

Neque his adversatur præfatus Text. *in l. auxilium, ff. de minor.* qui unice loquitur de minore vigintiquinque annorum, quoniam, ut superius advertitur, ab anno decimoquarto usque ad vigesimumquintum semper quis dicitur minor, & tamen absolutum est, quod non semper est in eodem statu imperfecti judicii, ideoque Text. intelligendus est discrete, in ea ætate, quæ justa excusatione digna sit ob judicii imperfectionem, ne alias apertam fatuitatem, ac ineptiam demus in Jure Consulto, quod pari forma misericorditer tractare voluerit puerum quindecim annorum, ac juvenem annorum vigintiquinque incompletorum, ut clare ad sensum; Eademque responsio cadit in supra alleg. Text. *in l. Senatus pœnam, ff. ad l. Cor. fals.* cui alia congruit melior responsio, de qua supra, quod scilicet fecerit jussu patris.

Cæterum assumendo aliquantulum materiam altius, ad ostendendum clarum errorem Pragmaticorum, qui in superficie, sive in litera legum civilium procedunt, absque debito discursu; Atque recensendo pluries repetitam, & inculcatam historiam legalem, sine cujus notitia, & reflexione, perpetuo in æquivoca, & in errores, ac ineptias 15
incurritur, & cujus historiæ repetitio, etiam si millies fiat, semper opportuna, & utilis est, ut advertitur præsertim *disc.* 1. *de servit. & disc.* 161. *de Regal. & disc.* 35. *de Judic. & alibi pluries*.

Illæ leges, quas dicimus Pandectarum, seu Digestorum, revera de tempore quo Sedes Imperialis fuit in Italia, & in Urbe, non leges editæ auctoritate Imperiali, sed erant responsa Jurisconsultorum tunc florentium, sub Alexandro Severo, aliisque proximis Imperatoribus, quales præsertim sunt, Vulpianus, Papinianus, Paulus, & similes atque pro meo judicio erant idem quod sunt, hodiernæ decisiones Rotæ in maximo num. 50. mil. voluminum, ut advertitur *disc.* 32. *in relatione Curiæ, & in opusculo styli, & alibi*; Illæ vero leges, quæ cum auctoritate Imperiali ordinabantur tanquam leges, appellabantur Constitutiones, quarum plures editæ in Urbe per Imperatores ante Constantinum primum habentur registratæ in Codice.

Postquam vero in quarto sæculo præfatus Constantinus primus transtulit Sedem Imperialem in Græciam, ad Civitatem Byzantii, quæ ab ipso desumpsit nomen Urbis Constantinopolitanæ, ipse, ejusque successores secum traxerunt res magis pretiosas ab Urbe, & ab Italia, inter quas fuerunt dicta volumina responsorum, & Constitutionum, atque ob divisionem præsertim Imperii, quam præfatus Constantinus moriens fecit cum tribus ejus filiis, idem Imperium in Occidente, præsertim vero in Italia, nimium declinare cœpit, totalemque scissuram, ac peremptionem habuit in sequenti sæculo quinto, ob incursiones Hunnorum, Gothorum, & Vandalorum, ac etiam Herulorum, antequam in Imperio Orientis, vel Constantinopolitano succederet Justinianus primus, qui propterea, exceptis aliquibus locis ad oras maris Adriatici, in quibus mediante illo Magistratu, qui Exarca nuncupabatur, ac residentiam habebat in Civitate Ravennæ, nullum dominium habebat in Italia, minus vero in Hispania occupata a Gothis, &

tiis, & in Gallia occupata a Franchis, aliisque Occidentalibus Regionibus, & Provinciis.

Corpus autem legum quod hodie habemus in Digestis, in Codice, & in Authentico compilatum, atque in hanc formam redactum fuit ex auctoritate præfati Imperatoris Justiniani mediante opera Triboniani, Theophili, & Dorothæi, aliorumque illius temporis JurisConsultorum, qui novum opus non construxerunt, sed perfecerunt illud, quod a sæculis jam cæptum, ac præordinatum fuerat, idque secutum est in sexto sæculo in dicta Civitate Constantinopolitana; atque per istam compilationem dicta responsa antiquorum Jurisconsultorum Romanorum, quæ prius probabilem solum faciebant auctoritatem, sortita sunt vim ac naturam legum ex auctoritate præfati Imperatoris Justiniani, qui in ejus Codice Imperiales Constitutiones reformans, tam Imperatorum Occidentis, quam illorum Orientis, inseri mandavit.

Istæ vero leges, nec publicatæ, nec receptæ, vel cognitæ fuerunt in Italia, præter quam forte in dictis oris maris Adriatici, minus vero in Hispaniis, Gallia, & Germania aliisque occidentalibus regionibus, quoniam saltem de facto jam se subtraxerant ab obedientia dicti Imperatoris, propriosque habebant Reges Gothos, & Françôs, ideoque cum propriorum Regum legibus vivebatur.

Et licèt idem Justinianus mediante opera celeberrimorum Ducum Bellisarii, & Narsetis expulerit Gothos, & Vandalos ab aliquibus partibus Germaniæ, & Italiæ, & presertim ab Urbe, cujus mœnia Bellisarius construxit, vel refecit; Attamen nimium brevis fuit, præsertim in Italia, duratio ejus dominationis, cum id secutum sit potius circa finem Imperii, circa quem postea secutum fuit dictum opus compilationis legum; Eo namque defuncto, circa initia Imperii Justini ejus filii, ex opera præfati Narsetis ob fœmineam imprudentiam nimium indignati, secuta est hujus Provinciæ occupatio per Longobardos, quorum dominatio per plura sæcula duravit, & sub qua inolevit divisio tot principatuum, ac usus Ducum, aliorumque dominorum, unde propterea cum isti eorum leges ordinassent, quæ adhuc habentur insertæ post volumen Authenticorum, juxta aliquas antiquiores impressiones, idcirco cum dictis legibus in hac regione vixerunt populi, etiam postquam Normani Longobardos expulerunt, exceptis illis legibus, quas ipsi, & post eos Germani, vel Suevi, seu Bavari in aliquibus partibus ordinarunt, usque ad sæculum duodecimum, in quo secuta est casualis inventio præfati corporis legum civilium, justinianeam compilationem in Civitate Amalphiæ occasione excidii Pisanorum, a quibus ex consimili excidio devenit ad manus Florentinorum, *ut in dict. disc. 1. de Serv. & in ejus annot. & disc. 161. de Reg. & alibi.*

Hinc in isto intermedio spatio sex circiter sæculorum, leges civiles fuerunt in Italia, totoque Occidente sepultæ,
58 ac omnino ignotæ, ideoque penitus ignotus fuit mos Romanorum, quod minor, ac imperfecta ætas protraheretur usque ad annum vigesimum quintum, sed post completam ætatem pupillarem annorum quatuordecim, & quando quis reputatur aptus ad matrimonium, & ad testamenti factionem, reputabatur etiam aptus ad contractus, omnemque aliam suorum bonorum administrationem, & ad illum quasi contractum, qui delinquendo contrahitur cum justitia; Quinimo etiam ad publicam majorem administrationem Regnorum, & Principatuum, aliorumque dominiorum, & qui usus etiam hodie viget, ut quamplura actualia exempla probant; Itaque mos non est novus Longobardorum, vel Gothorum, ac Normannorum, aliarumque exterarum Nationum, quoniam antiquissimus est etiam apud Hebræos, ex deductis apud Surd. *dec.* 133. & habetur *disc.* 15. *de Matrim.* unde non mirum si cum hoc eodem usu procedit jus canonicum, ut supra.

In hoc itaque rerum statu, quando ignotum erat jus civi-
59 le Romanorum, quodque ætas quatuordecim annorum reputabatur major, ac perfecta; Cum in aliquibus Italiæ locis, & præsertim in enunciato Regno Neapolis, & in altero Siciliæ, ac etiam in plerisque Civitatibus Hetruriæ experientia doceret, quod id pleraque produceret inconvenientia, quodque revera pubertas apta ad perfectum intellectum non perficitur ante annum decimum octavum; Hinc in eo antiquo tempore, antequam dicta juris civilis sequeretur inventio, vel acceptatio, & usus, ordinatæ fuerunt leges, ut præsertim in dictis Regnis est Constitutio, quæ incipit *Minorum jura*, edita per Imperatorem Fridericum, per quam major ætas statuitur in anno decimo octavo completo; Ideoque id non fuit corrigere jus commune, atque abbreviare minorem ætatem ab isto præfinitam, ut ignarum vulgus opinatur, sed potius fuit illam extendere ab anno decimo quarto ad decimum octavum, ut advertitur *disc. 1. & 142. de Dote*, & alibi pluries; Atque ad instar postea, vel antea (super quo relinquitur locus veritati) idem secutum est in Urbe, & in Civitate Mediolani, ac in aliis locis cum majori tamen extensione ad annum vigesimum, adeout dispositio juris communis super ætate annorum viginti quinque fuerit posterior, atque potius contraria concurrentibus Italiæ moribus, unde propterea in illis Italiæ locis, in quibus minor ætas protrahitur usque ad annum vigesimum quintum id potius evenit ex imperitia populorum ob has Romanorum leges, quæ novæ, & exorbitantes potius in regione dici merebantur, illas in litera recipiendo, dum earundem legum vigor hodie non pendet ab auctoritate legislatoris, juxta regularem legum naturam, sed potius a populorum receptione, & usu, qui paulatim sub diversis temporibus est secutus, adeout in aliquibus provinciis, ut est præsertim in Regno Neapolitano, sit recens a duobus sæculis citra, & in Civitate Venetiarum nunquam est secutus, ut advertitur *d. disc. 1. de Servitut. & in ejus annot.* & alibi; Quare reflectendo ad hanc historiam conjunctam cum tot aliis considerationibus, de quibus supra, palpatur manibus iste popularis error ad effectum, de quo agitur.

Quinimo in dicto Regno Neapolis quamvis minor ætas per dictam antiquam legem extensa fuisset ad annum decimum octavum, adhuc tamen illa recepta, & practicata fuit solum inter privatos, non autem inter Magnates, & Barones, in quibus per plura sæcula usque ad proxime decursum decimum sextum continuatum fuit in eodem usu, in quo, ut supra continuant Reges, & Principes absoluti, quod in ætate quatuordecim annorum haberentur pro majoribus, sed per modernam pragmaticam, etiam quoad eos præfata ætas annorum decem & octo statuta est.

Ex his autem resultat plana resolutio secundæ inspectionis super Constitutionum Julii II. & Pii IV. intelligentia, circa quam, pareat alias apudmet summæ auctoritatis, & existimationis Farinac. si dicit, quod sequendo leguleicas interpretationes datas per aliquos ad pecuniam, vel affectionem scribentes, ut est præsertim Honded. *d. cons. 99. lib. 1.* in cujus auctoritate magnum constituit fundamentum, nimium se involvit, maleque de illis locutus est, vel eas malè est interpretatus *d. q. 92.* quoniam ita patet, quod præfati Summi Pontifices, prudenter, ac serio se conformarunt cum antiquo jure testamenti veteris, & cum novo jure ecclesiastico sacrorum canonum ac etiam cum moribus Italiæ ut supra immutatis, ut ætas perfecta censenda sit post expletam pupillarem, ideoque istæ Constitutiones capiendæ non sunt solæ, & de per se tanquam novæ leges exorbitantes, & correctoriæ juris communis, sed conjunctim cum aliis motivis, & considerationibus, de quibus supra, & in earum declarationem, seu comprobationem, ac etiam cum bannimentis generalibus Urbis, & Status Ecclesiastici, atque in hoc consistere videtur equivocum.

Sed quoniam attenta naturali veritate, quæ ubique pariformiter attendenda est, revera in d. ætate quatuordecim annorum, non adest judicii perfectio, sed adhuc durat pueritia usque ad annum decimum octavum, in quo propria pubertas perficitur, ut supra, vel ad summum in vigesimo; Idcirco in hoc intermedio spatio locus esse videtur huic arbitrio pro minoratione pœnæ, ob teneram ætatem excusatione dignam, sed post annum decimum octavum, magis vero post vigesimum, admittere hanc regulam, forte inter fabulas, ac ineptias meretur recenseri.

Ac propterea, applicando ad casum, de quo agitur, in dicta causa Firmana in qua vilis, maligni genii vir (qualis præsupponendus est ille, qui munus birruarii exercet) constitutus erat in ætate ann. 22. & qui sine aliqua causa excusante homicidium commisit, atque excusatus fuit a pœna mortis, ex eo quod cessaret appensatio, ideoque condemnatus fuit ad triremes per decennium, forte parum considerata, & non bene fundata visa est resolutio, per quam ratione ætatis dictæ pœnæ minorationem obtinuit, cum potius de justitia pœna debuisset augeri ad triremes ad vitam; Iste vero labor ex justitiæ zelo pro futuris causis, & negotiis potius adhibitus est, quam pro casu particulari, qui tanta dote dignus non videtur, cum parum referat, an adeo vilis homo in triremibus moretur per tres annos plus, vel minus.

FINIS.

DELLO STILE
LEGALE
CIOE

Del modo, col quale i Professori della facoltà legale, così Avvocati, e Procuratori, come Giudici, e Consiglieri, ed anche i Cattedratici, e Lettori, debbano trattare in scritto, ed in voce delle materie giuridiche, giudiziali, ed estragiudiziali.

DISCORSO

Dello istesso Auttore del Teatro della Verità, e della Giustizia.

INDICE

degli Argomenti.

CAPITOLO PRIMO PROEMIALE.

De' motivi dell' Autore a comporre questo discorso con alcuni avvertimenti, e prenotazioni generali, per l'introduzione, e per l'ordine della materia; E della ragione per la quale di presente si debba tenere uno stile diverso da quello degl' antichi.

SOMMARIO.

1 *L'Uomo come animale ragionevole deve regolare le sue azioni per il fine anche ragionevole.*
2 *Della vicinanza tra la consuetudine, e la corrutela.*
3 *Che le leggi, e le consuetudini si debbano conformare, overo abolire quando riescano prejudiziali.*
4 *Lo stile de Legisti dal principio fu poco grato ed ameno.*
5 *Leggisti non ammessi al Parnaso, e del loro luogo.*
6 *Lettura de libri legali non usata dagli altri letterati.*
7 *Latinità delle Pandette migliore d' ogn' altra.*
8 *Dell' istoria legale, e dell' invenzione delle leggi.*
9 *Introduzione della lingua de' leggisti.*
10 *Della ragione dello stile moderno copioso, e mal ordinato.*
11 *Che oggi cessino le ragioni di questo stile.*
12 *Stile della Curia Romana corrotto.*
13 *Motivi, e ragioni dell'opera.*
14 *Altro fine per l' istesso.*
15 *Della ragione per la quale non si spera il frutto di quest' opera nell' età corrente, ma nella futura.*
16 *A che giovino le regole, e le teoriche sopra lo stile.*

CAP. I.

ESsendo l'uomo un' animale ragionevole, il quale regola, e deve regolare le sue azioni per il fine onesto, e con la ragione (mentre quelli i quali lo regolano per il solo fine del senso, poco o niente differiscono dalle be-
1 stie;) Quindi segue, che le usanze, o tutte, o per la maggior parte, nella loro primiera introduzione abbiano avuto qualche fine onesto, e ragionevole, overo che la necessità, o la contingenza de' tempi così portasse, e che dipoi crescendo, e cominciando insensibilmente a corrompersi, siano passate nelle corrutele, essendo troppo confinanti la consuetudine, e la corrutela; sicchè con molta facilità si
2 dia il passaggio dall' una all'altra; Perlochè dal principio del Mondo, in tutto il suo progresso, ed in tutti i tempi, ed appresso tutte le nazioni sono state e sono connaturali le riforme, e le moderazioni, ed anche alle volte le totali abolizioni, non solamente delle consuetudini, delle quali come introdotte a poco a poco insensibilmente con un tacito uso e consenso del popolo, non si può assegnare una certa ragione, la quale nella loro introduzione si fosse maturamente considerata; Ma eziandio delle leggi medesime
3 scritte, le quali con molta maturità, ragione, e prudenza siano state ordinate da Principi, o Republiche, o Radunanze e Comizii generali; Attesochè la continua mptazione e vicendevolezza delle cose del mondo cagiona, che quel chè in un tempo sia lecito, ed onesto, ed utile alla Republica, in un' altro sia illecito, dannoso, e prejudiziale.

Anai essendo l'osservanza de patti, e contratti leciti, e giusti, per un modo di dire, ordinata dall' indispensabile legge della natura, o delle genti; tuttavia se le contingenze de' tempi ne cagionassero l'ingiustizia, o altro inconveniente, meritano la riforma, e la riduzione alla giustizia.

Che però, se bene i maestri de precetti politici, e mo-
4 rali, ed anche l' una e l'altra legge, civile, e canonica, ed i loro primi Interpreti nostre guide insegnano la riverenza dovuta all'antichità, e che per lo più le innovazioni, e le riforme producano disordini, ed inconvenienti; Nondi-
5 meno ciò va inteso, quando le antiche usanze non siano giunte al grado della corrutela, sicchè devino dalla ragione, la quale dev' essere la maestra, e la regolatrice dell' umane azioni.

Così pare che segua nello stile dello scrivere de Leggisti; Attesochè se bene, anche dal principio che la legge fu ridotta a forma di scienza, o facoltà, lo stile di questi Professori non fu molto ameno; ne grato a gli altri Letterati, i quali però gli negano la bella stanza del Parnaso, collocandoli per grazia speziale in un vile tinello al di fuori per pascersi della scolatura della broda che avanza nella loro cucina; Ed ancora che quel primiero stile nel corso del tempo si sia reso sempre peggiore, sicchè le opere, ed i libri de' Leggisti si siano rese troppo nauseanti, ed indegne di quella
lettura degli altri letterati non professori, della quale la 6
pratica insegna degni i libri dell' altre scienze, e facoltà.

A tal segno, che bene spesso se ne stomacano i medesimi suoi professori, i quali, quando siano d' elevato intelletto, ne assumano solamente la lettura, per la mera necessità non già per dilettazione alcuna, al usanza degl' infermi nel prendere le medicine; Tuttavia ne' tempi passati si poteva considerare qualche ragione, per la quale si fatto stile non meritasse dirsi totalmente irragionevole.

Attesoche quantunque le leggi civili, e particolarmen-
te quelle delle Pandette, che volgarmente si dicono de i 7
Digesti, ed alcune del Codice, fatte in Roma, prima che seguisse la traslazione dell' Imperio in Constantinopoli, siano composte nella più culta, ed elegante lingua latina che vi sia; Onde in senso più commune degli eruditi, questa occupa il primo luogo fra tutti i scrittori antichi; Ed anche molte opere di Cicerone, di Seneca, di Quintiliano, e di altri eccellenti antichi professori della medesima lingua siano intorno alle leggi, e sopra la difesa delle cause, e l'arte oratoria, perlochè di ragione i Legisti dovrebbono parlare con eleganza sopra tutti gli altri Professori.

Nondimeno per quanto insegna l' Istoria legale più volte
accennata nell' una e nell' altr' opera del Teatro, e del Dot- 8
tor Volgare queste leggi dopo la compilazione fattane in Constantinopoli per ordine di Giustiniano Imperatore nel principio del sesto secolo della nostra salute, per Triboniano, Teofilo, e Dorotteo, ed altri, non solamente nella Europa occidentale, e particolarmente nella nostra Italia, giunsero in tempo, che già per le tante incorsioni de Goti o Visigoti, Ostrogoti, Vandali ed altre barbare nazioni, la lingua era in gran parte corrotta; Ma quel che più importa, per la sopravenuta incursione de Longobardi sotto Giustino figlio del medesimo Giustiniano; E dopoi, de' Francesi, Germani, Greci, e Saraceni, e per le altre contingenze, stettero sepolte ed incognite per sei secoli, finchè nella Città d' Amalfi circa il principio del secolo duodecimo ne seguì la casuale invenzione, nella sorpresa, e saccheggiatovi dall' Armata navale de' Pisani.

In questo tempo dunque l'Italia era quasi totalmente insalvatichita, e l'antica lingua latina quasi affatto perduta, per un certo mescuglio di molte lingue diverse delle sudette nazioni, dal quale circa questo tempo nacque l' odierna favella Italiana: Che però a quei primi glosatori, ed inter-
preti, li quali nel medesimo secolo duodecimo, e nel se- 9
guente decimo terzo, cominciarono ad interpretarle, ed a ridotle a forma di facoltà nelle scuole, e nelle academie, convenne a forzosamente di parlare in quella così corrotta lingua, perchè non si sapeva, ne si poteva meglio; Il che seguì ancora in alcune altre scienze.

Onde seguì che gli bisognasse adoprare molti vocaboli già introdotti, ed usati dal foro, per le leggi de Longobardi, sicchè non è meraviglia che lo stile da principi o fosse poco ameno, e culto, perchè così portava la necessità di quei tempi, ne i quali questo era forse il più culto, ed il più elegante che fosse; Onde la prima introduzione, se pure non ebbe la ragione nella elezione, l'ebbe tuttavia per la necessità, e questo quanto alla poca eleganza, ed a i vocaboli barbari introdotti da principio.

Nè potè a ciò remediare affatto la sopragiunta erudizione del Budeo, e degli altri Professori di questa facoltà, li quali professarono ancora in gran parte di restituire l' antica lingua latina; Attesochè essendosi già per alcuni secoli introdotto quell' uso di parlare, non fu possibile il mutarlo affatto, ancorche quelle moderne erudizioni, abbiano addolcito in gran parte l'antico barbarismo, ed anche abbiano chiariti molti equivoci ne' quali scusabilmente gli antichi incorsero.

Ma perchè i medesimi primi Interpreti e maestri, per la solita diversità degli umani intelleti, così sopra l' interpretazione d'alcune leggi dubbie, come ancora sopra la
conciliazione di quelle, le quali fossero contrarie, overo 10
in quelle cose, nelle quali le leggi non avessero espressamente provisto, furono di varii pareri; Quindi seguì, che avendo ciascuna opinione i suoi seguaci, ad imitazione di quelle usanze fazionarie, le quali in quei tempi tanto regnavano, insorgessero infinite questioni molto dubie; ed intricate, pretendendo ciascuna delle fazioni, che la sua opinione fosse la più comunemente ricevuta, ovvero la più fondata nelle leggi, o nella ragione; Perlochè ne i tempi più moderni, per alcuni scrittori di gran pazienza, con quella intollerabile fauca tutta di schiena, e niuna d'

inge-

ingegno, la quale dagli altri letterati ne i soli leggisti viene in latino chiamata *labor improbus*, furono fatte grandissime raccolte di scrittori, facendo gran forza nel maggior numero aritmetico; Ed anche constituendo nelle opinioni i tre gradi, del positivo, comparativo, e superlativo, furono fatti grandi contrasti, sopra la commune, più commune, e communissima varietà dello stile de' scrittori, perloche nel decimosesto, e nel principio del corrente decimosettimo furono costretti di adoperare uno stile così laborioso, prolisso, infelice, con tanto gran cumulo d' allegazioni, quanto le loro opere insegnano.

Come ancora, non essendosi così dilatato per ogni Città e luogo l'uso de' professori di questa facoltà scientificamente, ma essendovi solamente nelle Città, e luoghi alcuni causidici piuttosto meccanici per la compilazione de' processi, quindi seguì che li consulti, e le scritture legali nascano dalle publiche università, e da loro professori, conforme più distintamente s' accenna nel Dottor Volgare nella relazione della Curia, in occasione di parlare de' Curiali, quindi seguiva che agli accennati Causidici, ed a' Giudici, fossero nuove, ed incognite anche le regole, e le proposizioni certe e generali, che però conveniva a sudetti scrittori di comprovarle con l'autorità delle leggi, e delli Dottori.

Queste ragioni oggidì, in tutto, o almeno per la maggior parte cessano, Attesoche le sudette intricate questioni sono già terminate, conforme particolarmente se ne discorre di sotto nel capitolo sesto, e le regole, e le proposizioni generali sono già rese certe e cognite ad ognuno; Come anche la lingua latina è stata in gran parte restituita; E per conseguenza non vi resta ragione alcuna, per la quale si debba continuare il medesimo stile antico, il quale non serve ad altro, che a cumulare degli equivoci, con gran pregiudizio della verità, e della giustizia, e solo per rendere maggiormente disprezzevole, e nauseante la facoltà legale, e la maniera dello scrivere de' Leggisti.

E pure nell' età corrente, non solamente si continua con maggior abuso; l'accennato stile di que' paesi, ne quali si sia già introdotto; Ma quel ch'è peggio, essendosi lo stile nobile, o almeno meno ignobile, come più sugoso, e più ristretto al punto della difficoltà, come in un asilo,
12 ricoverato nella Corte di Roma, alcuni sciocchi moderni, non conoscendo il buono, e gustando il cattivo all' usanza degli Ebrei nel deserto, che nauseando la manna celeste, desideravano, e gustavano gli agli, e le cipolle dell' Egitto, hanno cercato, e cercano di corromperlo, e di sbandirlo, conforme in gran parte già è seguito.

Quindi per quel medesimo zelo della verità, e della giustizia, per il quale (essendone vero e buon testimonio Iddio) si sono assunte quelle fatiche, le quali la publica luce ha vedute, e quell'altre che vedrà, quan-
13 do qualche supersessoria della falce commune lo permetta; Ed anche per restituire quanto sia possibile la riputazione della facoltà, ed il commercio de' leggisti con gli altri letterati, mentre le materie per se stesse sono altissime, e respettivamente al genere umano grate, ed opportune, forse più dell' altre, come concernenti al governo politico, e civile della republica, ed alla vita, e morte de gl' uomini, agli onori, a' gradi, ed alla robba, sicche il solo male proviene dallo stile; Lo scrittore, così nell' una come nell'altra opera, del Teatro, e del Dottor Volgare, ha cercato di accennare sopra ciò alcune cose per torre via, se fosse possibile, o almeno riformare sì fatto stile.

Ma perchè, non facilmente si dà il caso dell'attenta lettura, e riflessione di que' luoghi, nelli quali di ciò si trat-
14 ta, per la ragione che gli altri letterati nè anche vedono le coperte de i libri legali; Ed i suoi professori, per lo più non li leggono seguitamente, e di proposito per addottrinarsi della facoltà in tutte le sue parti, ma solamente per via de gl'indici, e de' repertorj, cercano all' usanza de' cacciatori di ritrovare quel che sia confacente all' istante bisogno de' negozj correnti; Però a' medesimi fini, non già per voler addottrinare, o riformare il mondo (essendo al fatti pensieri totalmente lontani dalla mente dello scrittore;) E seguendo l'orme, e gli esempj di que' moderni eruditi professori delle lettere umane, i quali in quel genere hanno composto discorsi, ed opere particolari sopra l'arte dello stile; Ha stimata opportuna quest' opera, reassumendo, overo mettendo in compendio quel che sparsamente si sia accennato nell' opere sudette; Valendosi in gran parte de i medesimi pensieri, e paralelli, all' usanza di quel Pittore il quale voglia ridurre in piccoli quadretti di camera, quelle stesse figure, le quali siano già fatte in più tavole grandi sparse in diversi luoghi, valendosi perciò de' medesimi dissegni, e pensieri.

E quando agli altri di più chiaro, e più purgato intelletto e di più alto intendimento, paresse, che i pensieri dello scrittore fossero singolari, e sregolati, sicche fusse più conveniente il continuare lo stile antico già introdotto; Tuttavia quest' opera cagionerà un buon' effetto cioè che darà a' medesimi un'incentivo di palesare al mondo quelle migliori, e più efficaci ragioni, le quali persuadano il contrario, acciò in tal materia restino addottrinati, ed illuminati quelli i quali di sì fatto stile si scandalizano, e lo stimano degno dell' abolizione, o della riforma.

Conosce bene lo scrittore, che quando anche li suoi pensieri siano ragionevoli, e degni d' essere abbracciati, e praticati, tuttavia nell' età corrente, difficilmente sia per vedersene l'effetto, e per raccogliersene il frutto; E ciò per
la ragione, che le già introdotte, ed invecchiate usanze, 15
difficilmente si tolgono in quell' età, ed in quelle persone, le quali abbiano per qualche tempo in esse vissuto; A somiglianza di quelle piante, le quali si siano invecchiate, overo indurite nella mala piega; E ancora, perchè portando il commune distinto naturale, che tra gli uomini viventi, uno non facilmente ceda all'altro nelle parti dell' ingegno; Però difficilmente, e molto di raro si dà il caso, che a scrittori vivi s'obedisca, cagionandosi la loro autorità, e la venerazione dalla morte, e dall'antichità.

Ma non perciò si è stimato doversene astenere, seguendo l'esempio delle cose naturali, dalle quali in gran parte vanno regolate le morali, e le intellettuali; Attesoche per un comune istinto naturale, regolato anche dalla ragione, gli uomini d' età provetta, anzi matura, e vicina alla corruzione, non si astengono dal piantare degli oliveti, e de pineti, e dall'assumere altre imprese per beneficio de posteri, ancorchè siano certi di non doverne vedere, nè godere il frutto; Nè perchè le piante invecchiate, o indurite in una viziosa piegatura non si possano raddrizzare, deve il giardiniero astenersi a ridurre i viali del giardino al buon ordine, ed al dovuto simetrico filo, attesochè gioverà per le piante novelle, sicchè da queste nel progresso del tempo, seccandosi le vecchie, restino i viali ben ordinati, ed ornati.

E questo è appunto il caso, posciachè l' ingegno de' giovani, come più vivace, e più raziocinativo, come un vaso nuovo, overo come un palato digiuno, sicchè non abbia appreso il mal' odore, overo non abbia corrotto il gusto con l'uso de mali cibi, con molta facilità si attaccherà a quello stile, che la ragione, e l' umano discorso gli insegnerà essere il migliore, ed il più grato, e più ameno; Maggiormente perchè quando i giovani s' applicano allo studio delle leggi, per lo più sono di fresco passati per le altre più grate, e più discorsive scienze, della retorica, e poetica, logica, e filosofia, e per lo studio delle altre lettere umane; Che però con qualche ragione nell' età futura più che nella presente, si crede, e si spera il frutto di quest' opera, acciò si desse una volta l'accennata restituzione de' leggisti al commercio degli altri letterati, ed il loro ingresso nel Parnaso, sicche le loro opere potessero meritare d' esser collocate nella Delfica libreria.

Le regole, ed i precetti del buono stile, che di sotto, secondo la diversità delle operazioni, e degli operarii si accennano, si rassomigliano alla lanterna, overo alla fiaccola per far lume al viandante, acciò camini per la strada buona, e non caschi ne i sterpi. Mà conforme niente gioverà questo lume, se il viandante sarà cieco, overo se caminerà con inavertenza, senza badare dove metta il piede; Così nulla, ò molto poco gioveranno queste regole, senza il dovuto studio, e l' applicazione al metterle in pratica, senza la 16
quale resta inutile la teorica, non dovendo sempre, ed in tutti i casi la pratica essere uniforme.

Che però si adatta a questo proposito quel simile, il quale nel proemio del Dottor Volgare si è dato alla legge, cioè che sia una spada di finissima tempera, la quale si deve avere al fianco, ma niente questa gioverà, se non si sappiano bene le regole della scherma, nè queste basteranno quando non vi concorrranno, la fortezza del braccio, la destrezza, e l' agilità della vita, il coraggio, l' accortezza, e la prudenza circa il tempo, il modo di adoperarla, e maneggiarla; E questo è anche il caso in tal proposito dello stile per quello che in tutto il discorso si và accennando.

CA-

CAPITOLO II.

Dell'etimologia, overo significazione della parola *stile*; E delle sue diverse specie, a de quali si tratti nel presente discorso.

SOMMARIO.

1 *Dell'etimologia della parola* stile *appresso i Gramatici.*
2 *E qual sia appresso i Giuristi, con varie distinzioni.*
3 *Di qual stile quivi si tratti.*
4 *Se convengo trattare le scienze con ellegenza di stile, o pure con i vocaboli proprii, e come si debbono trattare le materie legali, remissivamente.*
5 *Di quale stile propriamente si tratti nell'opera presente.*
6 *Come si adatti anche al legale l'etimologia dello stile.*

CAP. II.

1 IN senso commune de gli Scrittori antichi, a moderni, questa parola *stile*, overo *stili*, la quale nella lingua latina vien usata promiscuamente nel mascolino, e nel neutro; deriva da quello strumento di ferro, overo di altra soda materia, col quale in forma aguzza e piramidata anticamente si scriveva nelle tavole, e nelle tele incerate, e della qual sorte d'instrumenti gli Uomini di presente si vagliono per arme offensive volgarmente chiamati *stili*, ove-
2 ro *stiletti*; Attesochè quando si vedea una scrittura ben fatta, si dicea effetto d'un buono stile, il che dopo l'uso delle pene, a della carta fu adattato alla buona, o mala maniera dello scrivere; overo alla maggior, o minor chiarezza, ed eleganza; Ed in questo senso appresso i Gramatici ed altri letterati oggidì è communemente presa questa parola.

Però appresso i Giuristi la medesima parola ha molte, diverse significazioni; E principalmente denota l'usanza, overo la consuetudine, che in alcune parti si dice anche *rito*, così nelle materie graziose nelle Segretarie, e Cancellarie de Principi, a nella Dataria, a Cancellaria Apostolica, per quello che se ne discorre di sotto nel Capitolo ultimo; Come ancora nelle cause contenziose, e giudiciali, nelle quali è più frequente la materia dello stile de Tribunali, e Magistrati, con la distinzione tra gli ordinatorii, ed i decisorii, con altre simili distinzioni solite darsi da Giuristi, le quali si accennano nel sudetto Capitolo finale.

Ma però in questo senso lo stile vuol dire l'istesso che una consuetudine, overo un rito sicchè è cosa diversa dal sopradetto senso più generale, e più commune all'altre scienze, e facoltà, cioè sopra la maniera dello scrivere, e del parlare.

In questo senso dunque più commune, e più generale de Grammatici, e de professori dell'altre lettere, la parole *stilo* si verifica anche tra i Giuristi sopra la maniera dello scrivere, o del parlare in pruva de fondamenti, e delle ragioni, per le quali si sia giudicato, overo si debba giudicar più in un modo, che nell'altro; Cioè a rispetto da i Giudici a de' Magistrati, overo de loro Assessori, nel modo di metter in carta, come per una specie di manifesto vero di publica giustificazione, le ragioni, ed i motivi, che abbiano mosso a giudicare più in un modo che nell'altro, o pure, che gli diano occasione di dubitare, o motivo di dover così giudicare; E queste scritture si sogliono esplicare sotto diversi vocaboli, de voti, o motivi, o decisioni, secondo le diverse usanze, non solamente de luoghi e de Principati, ma anche de Tribunali, Magistrati in un medesimo luogo, o Città, per quel che se ne accenna di sotto nel Capitolo undecimo.

Ed a rispetto degli Avvocati, e procuratori, ed altri difensori, o pure de savj Giurisconsulti richiesti dalle Parti de loro pareri, secondo le diverse usanze di parlare, si dicono *consegli*, overo *consulti*, o *responsi*, o *allegazioni*, overo, *informazioni*, o *scritti*, o *discorsi*, con altri simili vocaboli, con li quali s'esplicano quelle scritture, che contengono le ragioni favorevoli per uno de litiganti; quando siano per la sola difesa d'una Parte, ed al serviaio della causa, o pure di tutte due, quando siano per la verità; Ed in questo caso si sogliono ancora chiamare *discorsi* importando poco la formalità de nomi, o de vocaboli, mentre il punto consiste nella sostanza, se la scrittura sia più in modo che in un'altro.

Di quest'ultima specie di stile, estragiudiziale, si dovrà 3
in quest'opera principalmente discorrere, cioè sopra il modo, col quale, così li giudici, ed i Magistrati, o loro Assessori, come anche gli Avvocati, e Procuratori, ed altri Giurisconsulti debbano formare i loro voti, o motivi, o decisioni, e respettivamente i loro consigli, overo informazioni, ed allegazioni; Ed anche come da' difensori, o relatori delle cause si debba parlare in voce, quando occorra far quelle parti che si facevano dagli antichi Oratori; Accennandosi ancora per qualche soddisfazione de professori, nelli Capitoli penultimo, e finale, ma fuori dell'idea, overo del fine dell'opera, qualche cosa circa le altre specie degli stili de' Principi, e Principati, a de i Tribunali nelle materie graziose, ed anche contenziose.

Sopra questo stile, particolarmente nello scrivere; Quei professori delle lettera umane, overo dell'arte oratoria, li quali sopra ciò hanno scritto di proposito, e particolarmente alcuni moderni eruditi, come sono, *il Mascardi,*
ed il Palavizino, disputano molto la problematica questio- 4
ne, se nel trattare delle facoltà, e delle scienze sia più spediente premere nella cultura, e polizia delle parole, a nell'eleganza della favella, o pure all'incontro nella sostanza delle cose, non badando alla cultura, e proprietà de' vocaboli usando le parole, ed i vocaboli barbari usati da' primi Interpreti, e Maestri; Ma di ciò si tratta particolarmente di sotto nel Capitolo quarto, dove si potrà vedere.

Il fine dunque di quest'opera, conforme nel sudetto
Capitolo quarto si accenna, non sarà di trattare dello stile 5
gramaticale sopra la formalità, a la crudeltà de vocaboli, e delle parole, overo sopra l'eleganza, e la polizia della favella, mentre di ciò lo scrittore non fa professione; Ma sarà di trattare dello stile legale del foro, cioè come si debbano portare i motivi, e le ragioni, e le autorità, per le quali si giustifichi che si sia giudicato, overo che si debba giudicare più in un modo che nell'altro, acciò meglio resti provato quale sia la verità e la giustizia di quella causa, della quale si tratta.

Con la solita protesta di discorrere di ciò in uno stile piano, ed addattato all'intelligenza di tutti anche volgari, professando perciò di parlare volgare, e non toscano, a di scrivere da Giurisconsulto, e non da Gramatico, badando principalmente alla sostanza delle cose, e non alla formalità delle parole; non volendo come Giurista riconoscersi soggetto alli rigorosi precetti, ed alle regole de Gramatici.

Non è però totalmente fuori del proposito, anche nelle
materie legali la sudetta etimologia origionale, e generale 6
di questa parola *stile*; Attesochè, conforme questa specie d'armatura, tanto più è buona, e stimabile, quanto che sia breve, aguzza, e penetrante; Così anche lo stile dello scrivere, e del parlare nelle materie legali, sarà tanto più buono, a stimabile, quanto che sia breve, ma sostanzioso, stringente, e penetrante, mentre altrimenti con le inutili digressioni, e con le superfluità fuori del bisogno, sarà un'arma in asta, e non sarà uno stilo.

CAPITOLO III.

Dello stile, il quale si deve tenere dagli Avvocati e Procuratori, ed altri difensori delle causa nelle loro scritture: E particolarmente se convenga che sia più tosto breve, che si dice Laconico, overo prolisso, e copioso, che si dice Asiatico.

SOMMARIO.

1 *DI quali scrittori si parli.*
2 *Del precetto della brevità.*
3 *Del detto che* homo longus, raro sapiens,
4 *De pregiudizj i quali nascono dalla lunghezza dello scrivere.*
5 *La superfluità sono escrementi.*
6 *Paralelli.*
7 *Quanto le scritture prolisse sono scusabili.*
8 *Si dichiara il precetto della brevità come vada inteso, e quando sia prolissità viziosa.*
9 *Che anche la brevità sia alle volte viziosa.*
10 *Degli altri paralelli, e quando sia lodevole la prolissità.*

CAP.

C A III.

1 ANcorchè nella Corte Romana, nelle medesime cause sogliano scrivere nell'istesso tempo due sorti di difensori di sfere diverse, cioè i Procuratori in fatto, e gli Avvocati in giure, con stili diversi per quel che se n'accenna di sotto nelli Capitoli nono e decimo; Tuttavia essendo questa usanza forse singolare, overo men frequente, sicchè l'uso più commune, e più frequente sia che gli Avvocati come principali, e totali direttori delle cause scrivano nell'uno, e nell'altro, cioè in fatto ed in giure, consistendo solamente le parti de' Procuratori nella compilazione di alcuni atti ordinatorj; Quindi segue che nel presente Capitolo, ed in molti seguenti si discorra generalmente di tutti i scrittori per la difesa delle cause; Convenendo molte cose a proporzione anche alle scritture, le quali si facciano da Giudici, overo da Consiglieri col nome di voti, o di motivi, overo di decisioni; Discorrendosi di poi negli accennati Capitoli nono, e seguenti di alcune particolarità, le quali riguardano le sudette diverse sfere de' scrittori.

Tralli precetti dunque, overo tra le regole del buono stile nello scrivere, pare che meriti il primo luogo quello della brevità, usando quello stile, il quale si dice laconi-
2 co, e fugendo al possibile il prolisso, e superfluo, il quale si dice asiatico; E ciò per due rispetti; Uno cioè principalmente per il servizio della causa per le ragioni, che di sotto si accennano; E l'altro per la riputazione dello scrittore, attesochè per lo più il modo dello scrivere suol' essere un grand'argomento del buono, o mal giudizioso del difensore, nascendo la superflua prolissità da intelletto confuso, overo del poco giudizio di non saper sciegliere, e stringere le buone ragioni della causa; Che però quella propofizione, che *homo longus raro sapiens*, nel senso più
3 commune de' letterati non và intesa della lunghezza naturale della statura, (circa la quale lo scrittore difende la causa propria,) ma per la lunghezza delle azioni, ed oppressioni, come denotante la tardità, e la confusione dell' intelletto.

Riesce per lo più la prolissità delle scritture pregiudiziale alle cause, così per la tardanza della loro spedizione, attesochè li Giudici vedendo le scritture troppo longhe non si fanno indotte ad assumere la lettura, e lo studio con
4 quella acilità, che si farebbe delle brevi, apportandoli noja, e timore la sola vista, ed il concetto della maggior fatica; Come ancora perchè i Giudici, o si annojano, o si confondono, overo s' insospettiscono, che si usi la prolissità per intorbidare la causa, sicchè per tutti i rispetti la superflua prolissità si dee stimare degna del biasimo.

Le cose superflue sogliono esser esplicate col termine, o vocabolo degli escrementi, che però una scrittura piena di
5 superfluità, e di cose, le quali non faciano al bisogno, overo all' opportunità della causa merita dirsi una cosa sporca, e piena d'escrementi.

Vien paragonato le scritture, ed anche l'oratore al de-
6 bitore, il quale debba dare al creditore qualche somma di denaro; Attesochè sarà sempre degno di maggior lode, e riuscirà più commodo al creditore, che quell' istessa somma se gli dia in piccioli gruppi di moneta d'oro, che in grossi sachetti di moneta d'argento, e molto più dannabile, e d'incommodo sarà quando se gli desse in una gran quantità di moneta di rame; Attesoche se bene la somma, ed il valore sono gli stessi, tuttavia di gran lunga più stimabile, e più comoda sarà una specie che l'altra; A tal segno che, secondo i diversi costumi de' paesi, ne segua una notabile variazione del valore estrinseco, il quale volgarmente si dice l'aggio, conforme si accenna particolarmente nella materia dell' usure, ed in quella de' cambj; Overo adattandosi l' altro paralello dell' agricoltore, il quale sarà sempre stimato sciocco, e degno di biasimo, quando in cambio di pochi sacchi di grano, ben polito, e netto, portasse al padrone affasciata su i carri la raccolta con tutta la paglia, e con tutta l' erba che abbia segato con la falce, con altri somiglianti paralelli.

Se pure questo stile prolisso, e superfluo non meriti quella scusa, la quale frequentemente suol nascere dall' usanza d'alcuni paesi, overo dall' ignoranza del volgo, cioè che la bontà della scrittura, overo la mercede vada regolata
dal numero delle carte all' uso dell' opere manuali, e 7
mecaniche; Attesochè quando ciò fosse, in tal caso saranno i scrittori scusati, purchè si contengano dentro i limiti del gusto, e dell' onesto; Si deve però dire un' usanza molto sciocca, ed irragionevole.

Va inteso però questo precetto della brevità con la sua discretezza, cioè che si risechino le inutili superfluità, e quelle evagazioni, le quali non facciano al bisogno, ove-
ro all'opportunità della causa, attesochè se la lunghezza 8
della scrittura nasca dalla moltiplicità de motivi, che tutti convenga portare secondo il precetto, del quale si discorre nel capitolo quinto, overo per narrare il fatto con tutte le sue circostanze per maggior chiarezza, o pure per esplicare, o distinguere le conclusioni ed i motivi legali, o per altro somigliante giusto, e ragionevole rispetto; In tal caso non si dirà lunghezza disdicevole, mentre conforme dice il Principe de' Lirici compatriota dello scrittore, non si dicono lunghe quelle cose delle quali niente si possa, o convenga scemare, ma si dice lunghezza, e prolissità viziosa il fare i preludj, e gli apparati, o digressioni fuori della necessità, o dell' opportunità della causa, o pure quando si dicano con cento parole quelle cose, le quali possono dirsi con dieci, overo ripetendo più volte le medesime cose con somiglianti diserti, dovendosi stare strettamente sul ponto della difficoltà, e del bisogno, o non fare quel che si accenna di sotto nel Capitolo decimoquarto, in occasione di narrare dell' informar' in voce.

Come all' incontro difetto sarebbe, se per voler trop- 9
po attendere alla brevità, si tralasciassero de' motivi, overo non si narrasse abbastanza il fatto con tutte le sue circostanze opportune, o che non si esplicassero bene i motivi legali, sicchè riesca quel che il medesimo Poeta dice, che si diventi oscuro quando si voglia fare sovverchio studio alla brevità.

Ed in somma tutti gli estremi sono viziosi, mentre in tanto lo stile laconico, e stretto è degno di somma lode, in quanto che sia ben accompagnato dalla chiarezza, del requisito della quale si parla di sotto nel Capitolo seguente; Ed ancora perchè alle volte comple per servizio della causa l'usare la prolissità secondo le circostanze de' casi, sicchè vada il precetto della brevità inteso, che sia una regola, la quale non sia esente dalle limitazioni.

Sono i litiganti, ed i loro difensori come i duellanti, overo i nemici, i quali combattano assieme con le armi de' motivi, e della scritture, non essendo altro le liti, che civili, e pacifichi duelli, e combattimenti; Che 10
però a quello il quale sara forte e valoroso, sicchè creda di poter essere superiore al nemico, e di ritrovarsi in posto vantaggioso, comple combattere con l' armi corte, ed andare alla vita del nemico quanto più presto sia possibile per non dargli campo da schermirsi, o di mettersi in un posto di più vantaggio; Che all' incontro, all' altro, il quale si conosca più debole, e in [illegible] overo con armi ineguali, comple d'andare schermendosi, e di tirare il nemico alla lunga, o pure cercare di levarlo dalla strada, e dal sito migliore, e più forte, anche col fingere di dar indietro, o di fuggire, e con altri artificj, e stratagemme simili; Onde (parlando però sempre dentro i termini del lecito, e dell' onesto) suol esser artificio, e prudenza degli Avvocati, e difensori di quella Parte, la quale si conosca debole ad effetto di sfuggire i motivi forti, e sostanziali, cercare di tirare gli Avvocati, e difensori avversarj alle dispute di quelle conclusioni, ed articoli, che siano fuori della necessità, o dell' opportunità della causa, e che da' medesimi difensori avversarj, con l'accennato vizio dell' inutile lunghezza si siano addotte; Che però queste superfluità, e digressioni serviranno a dar adito all'altra parte a schermirsi maggiormente, e di divertirla, e levarla di strada overo del posto buono, e vantaggioso.

O pure che quando anche uno degli Scrittori adoperi il buono stile di scrivere con brevità, e strettamente al punto, l'altro per isfugire, o divertire la difficoltà, cerchi di scrivere prolissamente, e di promovere molte questioni anche superflue, overo estranee, non già per sciocchezza, o per malo stile, ma per artificio, e per l' opportunità della causa; E ciò alle volte, secondo le diverse circostanze de' casi, non è illecito, cioè che fuori della calunnia si faccia per l'onesto fine d'aver maggior tempo, e di preparare quelle difese, che non s'abbiamo pronte; O pure

per

per sfuggire i mali influssi, e le male contingenze, e gli accidentali vantaggi del collitigante, ma non già per la calunnia di tirare in lungo la causa per defaticare l'avversario, mentre in questo caso è cosa illecita, e detestabilissima; Che però si conclude che questo, e tutti gli altri precetti s' intendono dati per regola, la quale riceva le sue limitazioni secondo le circostanze de' casi.

CAPITOLO IV.

Dell' elocuzione, o favella, nella quale sì fatte scritture si debbano comporre, cioè se si debba scrivere nella lingua latina, overo nella materna, che si dice volgare, e così nell' una come nell' altra, se sia meglio attendere all' eleganza, e cultura della lingua, overo all' incontro, che si debba usare la più frequentata, e più facile senza badare alla cultura, ed all' eleganza.

SOMMARIO.

1 *La chiarezza, e la facilità sono requisiti utili, e necessarii nella scrittura.*
2 *Se si debba scrivere nella lingua latina, overo nella volgare e materna, si distingue.*
3 *Si danna la mistura dell' una, e dell' altra lingua,*
4 *Se l'elocuzione debba esser culta ed elegante, a no, & n. 5,*
6 *Quale sia l'ordine, overo il metodo.*
7 *Quali siano i diffetti maggiori, e quali minori.*
8 *A che giovano, il buon' ordine, e l'eleganza del dire,*
9 *Della differenza tra i motivi, e le parole.*
10 *In che modo si debba scrivere, se nello stile culto, overo nel più basso e corrente.*
11 *Paralello, e quali parole si debbano sfuggire.*
12 *Detto notabile di Bartolo in questo proposito,*

CAP. IV.

Essendo, conforme si è di sopra accennato, necessaria sopra tutto per il buono stile la chiarezza, e la fa-
1 cilità del dire; Quindi nasce la presente questione sopra la qualità della lingua, nella quale si deve scrivere, cioè se nella latina, o veramente in quella, la quale sia idiomatica, che si dice materna, overo volgare; E posto che si debba scrivere, o nell' una, o nell' altra, circa l' eleganza del dire, e la cultura delle parole, e de' vocaboli.

Quanto alla prima parte sopra la qualità della lingua Primieramente si deve caminare con l'uso commune del paese, overo del Tribunale, nel quale si scriva; Atteso-
2 chè, quando non si tratti di usanza, la quale si possa dire passata a terminare di corruttela, sicchè abbia dibisogno d' abolizione, o di riforma, non si deve da quella partire conforme nel principio si è accennato; Ma quando l'uso sia vario, o dubbio, sicchè convenga discorrere per ragione quale stile sia il migliore, si deve distinguere secondo le diverse qualità de' Giudici, overo de' magistrati, avanti i quali si scrive.

Attesoche se saranno Giudici non professori, che legalmente si dicono illeterati, e volgarmente si dicono idioti, overo pettorali, e che abbiano da vedere le scritture, e da giudicare per se stessi col proprio giudizio senza aver da dipendere dal voto giuridico degli assessori, o consultori; Ed in tal caso si stima meglio lo scrivere nella lingua volgare; Non solamente perchè i Giudici non siano intendenti della latina; Ma perchè quando anche siano intendenti, come periti, e professori delle lettere umane, e delle altre scienze amene; Tuttavia non avranno per lo più la pratica delli termini, e de' vocaboli proprii legali, con li quali in quella lingua sogliono, e devono scrivere i legisti; Ed anche perchè le materie le quali si solgono conoscere, e giudicare da sì fatti Giudici, e Magistrati, per lo più sono pratiche, e non teoriche, o scientifiche, sicchè vanno meglio esplicate nella lingua corrente, e naturale.

Ma se all'incontro si scrive avanti Giudici Giurisconsulti, li quali legalmente si dicono letterati, o volgarmentente si dicono togati, oppure avanti gli Assessori, o consultori de' suddeti Giudici, o Magistrati non letterati; Ed in tal caso cade l'alta distinzione, cioè che se si tratta di punti di fatto più che di legge, e particolarmente di calcoli, e di conti, overo di prove per mezzo de i testimonii, e cose simili, sicchè la decisione della causa non dipenda da punti, e da articoli legali, ma dal ben chiarire, e fermar' il fatto; Ed in questo caso si stima anche migliore stile lo scrivere nell' accenata lingua naturale, o volgare più che nella latina; Che all' incontro, se si tratta di punti, e di articoli legali, sarà meglio scrivere nella lingua latina per quella ragione che sì fatte materie sono di gran lunga meglio esplicate con i vocaboli usati nella facoltà degli Autori, le autorità de quali si portano.

In ogni caso però la scrittura dovrà esser tutta in 3
una lingua solamente, o sia latina, o volgare, che però sarà sempre dannabile, e degno di disprezzo, come contrario a tutte le regole lo stile di far' un misto nello scrivere cioè parte latino, e parte volgare, cosa che non si sa a qual ragione mai si possa adattare; Eccetto quando bisognasse, scrivendo in latino, registrare alcune poche parole sostanziali del testamento, o del contratto, o di altra cosa; O che all' incontro scrivendo in Italiano, bisognasse registrare le parole di qualche autorità, ma però di raro, e quando lo ricerchi la precisa necessità, e non altrimente, essendo sciocchissimo lo stile moderno di riempire le scritture con le parole d' altri Autori.

Quanto poi all' altra parte di questo requisito sopra l' elocuzione, cioè presupposto che si debba scrivere nell' una, o nell' altra lingua, se questa debba essere colta ed 4
elegante, opure ordinaria, e corrente; Si deve riflettere alla proposizione, la quale si è accennata da principio, cioè che essendo le umane operazioni drizzate al suo fine, però scopo principale dell' operante deve essere nell' adoprare quei mezzi, per li quali con maggior facilità si ottenga quel fine, al quale sia indirizzata la sua operazione; E per conseguenza essendo il fine dello scrittore il persuadere il Giudice con i motivi, e con le ragioni acciò interompa il suo giudicio a favore di quello, per 5
il quale si scrive; Quindi segue che il suo studio, e lo scopo principale debba essere ne' sodi motivi, nelle buone ragioni, mentre in queste consiste la sostanza della scrittura, sicchè questo è il panno, overo il drappo del vestito, e tutte le altre cose sono ornamenti.

Ma perchè non basta d'aver le buone ragioni, ed i motivi, se non si capiscono, e non s' apprendono per 6
tali dal Giudice; Però conviene dargli la sua forma, e gli ornamenti, acciò il panno, overo il drappo si riduca alla forma del vestito, sicchè serva per quell'uso, e per quel commodo, al quale sia ordinato, che però a tal effetto è necessaria l'opera del buon'artefice; Onde primieramente se gli deve dare la sua forma che ha il buon metodo, e l'ordine nel promoverli secondo le regole, le quali si accennano nel capitolo seguente; Secondariamente conforme il vestito si deve accomodare alle fattezze del corpo, il quale avrà da averne l' uso ed il commodo, così occorre ne' motivi, cioè che sia la scrittura composta in maniera, che sia capita con facilità del Giudice; Che però a quest' effetto si deve fare studio particolare sopra la chiarezza, e la facilità del dire; Ed in terzo luogo si deve attendere a gli altri ornamenti ed abbellimenti più accidentali, che sono le frasi, e le parole, e vocaboli culti, sicche l'elocuzione per la sua eleganza riesca più grata, onde il Giudice la legga con maggior gusto, overo con minor noja, e per conseguenza che apprenda meglio i motivi, e le ragioni.

Quando dunque la scrittura potrà avere tutte queste par- 7
ti unite assieme, sarà ottima, e perfetta, e sarà sodisfatto al buono stile; Ma quando ciò non possa seguire, sicchè vi abbia ad essere l'imperfezione in qualche parte; In tal caso si deve riflettere all' ordine sudetto, cioè che il primo luogo è, che principalmente si prema su li buoni, e sodi motivi; Secondariamente nel buon' ordine e metodo di promoverli; Ed ultimamente nell' eleganza, e nella cultura della lingua; Che però quando vi abbia da esser difetto, sia nell' ultime parti meno sostanziali, e non al roverscio, cioè che principalmente si prema nella terza, overo nella seconda parte, e poco si badi alla prima.

Non si nega, che il secondo requisito del buon' ordine ed 8
il terzo della culta, ed elegante favella giovano molto al primo più sostanziale requisito de' motivi, e delle ragioni, perchè li fanno comparire, e spiccare molto più coll' accennato paralello del panno, overo del drappo, il quale si debba ridurre all'uso del vestire; Dandosi frequentemente il caso che sopra una istessa materia, un' artefice formerà un tappeto nobilissimo, overo una galantissima, e ben' acconcia veste, e d' un altro farà un straccio di cucina, overo un scroc-

un sciocco vestita da villano; Però mai l'opera dell'artefice solo senza la materia potrà essere profittevole ed opportuna.

Che però manifesto resta l' errore di quelli, i quali dovendo formare un consulto, overo un' informazione, constituiscono la maggior applicazione nell'elegante, e culta favella, niente, o poco applicando alla sodezza, e al buon' ordine de' motivi, e degli argomenti, attesochè questa sarà una bella orazione, o composizione academica da far pompa dell'erudizione del compositore, ma non sarà una buona informazione da Avvocato per servizio della causa, onde in concorso di questi due difetti, sarà sempre minore quello dell' eleganza delle parole, e delle frasi, che l'altro de i motivi; Attesochè, per servizio, o benefizio della causa, overo del negozio sempre di gran lunga migliore una scrittura in lingua Calabrese, o Pugliese, o Genovese, o Veneziana, ma piena di sodi motivi, e di buone ragioni ed autorità, d'un'altra, la quale sia composta in una elegantissima, e culta lingua Toscana, overo della Corte Romana, con tutte le regole, e precetti dell' arte, ma senza buoni motivi, e senza argomenti stringenti,

Le parole, ed i vocaboli con la loro ben' ordinata tessitura, e le buone frasi vengono paragonate alle foglie,
9 ed i motivi, e le ragioni a i frutti; Che però sarà degno di molta stima e lode quell' albero, il quale sia carico di buoni, e salubri frutti, e sia ancora ornato di foglie verdeggianti, e ben culto senza seccume, o altro difetto; Ma in concorso di due alberi, uno de quali essendo carico di buoni frutti, abbia delle foglie ingiallite, e mal composte, e del seccume, e l'altro che sia ornatissimo di foglie verdeggianti, e molto ben coltivato, ma senza frutti, al certo sarà di maggior stima, utile, e profitto il primo che il secondo; questo appunto è il caso.

E se bene alle volte insegna la pratica che siano più stimati gli alberi di questa seconda, che dalla prima specie; Nondimeno questi sono casi molto rari, cioè per i giardini, e per le delizie de Principi, e de Signori, i quali desiderino quella sorte d' alberi per ombra, o per verdura non curandosi del frutto, ma non già per il beneficio più comune, ed universale della Republica, al quale si deve principalmente riflettere.

Ma quando lo scrittore con la dottrina della facoltà legale avesse anche accompagnata l'erudizione della cultura, e nell' eleganza della favella, e nell'altre lettere amene, sicchè possa sodisfare all' uno ed all'altro requisito; Non perciò si deve l'eleganza practicare indifferentemente, e come per regola generale di tutti i casi, ma si dovrà regolare secondo la qualità del Giudice col quale si parla, tenendo quel mezzo il quale per il suo genio, overo per la sua capacità sia stimato il migliore per ottenere il fine, dovendosi principalmente badare alla chiarezza, ed alla facilità; Attesochè dovendo l' intelletto del Giudice fare la principale operazione dell' intelligenza, non si deve estrarre, o faticare nell' intelligenza della frase, o delle parole, o de vocaboli, necessitandolo a studiare il Calepino, ed il Nizolio, o veramente il vocabolario della crusca, ma parlandosi di quello stile, più chiaro, e più facile che sia possibile, si deve fare in maniera, che l' intelletto abbia da fare quella sola operazione, la qual'è la più necessaria per l'intelligenza, e per la buona apprensione de' motivi.

Che però ritenendo la medesima distinzione data di sopra se avanti Giudici non professori ed illetterati si scriverà (parlando della nostra Italia) in lingua Italiana, si dovrà parlare in quella lingua, la quale sia comune, e più frequentemente usata in quel paese tra la gente nobile e civile, sicchè sia la più polita che ivi corra, purchè la polizia non pregiudichi alla chiarezza ed alla facilità, senza badare se i vocaboli siano usati, o nò dal Dante, dal Petrarca, dal Bocaccio ed altri, e se siano conformi alle opinioni dell'Academia della crusca, o nò, dovendosi parlare volgare Italiano, e non Toscano, coll' accomodarsi all'uso corrente ed usato, e non all' antico, e non usato in quel paese.

E se si scriverà in lingua latina avanti Giudici, e professori della facoltà legale; Non si dovranno usare le frasi ed i vocaboli usati da Cicerone, Seneca, Plauto, Terenzio, Salustio, Livio, Celso, Quintiliano, e simili, ne meno quelli, che ne tempi moderni abbiano usato, ed usino quelli, i quali principalmente facciano professione
10 della grammatica, e della lingua latina; Ma si devono usare i vocaboli ed i termini proprii della facoltà, li quali sono più communemente correnti, e praticati nel foro, e nelle scuole sicchè sia un parlare proprio per il bisogno della causa, onde appresso tutti le parole significhino quel che si voglia dire.

Attesochè molte parole, le quali appresso gli antichi latini, avevano una significazione, oggidì ne hanno un' altra; Come per esempio; La parola Principe in latino significava il primo di un Senato, o di un' altro corpo collegiale, ancorche per altro quello fosse eguale, e non superiore, onde era ben detto di chiamare Principe il Primo Cardinale Prete, overo Diacono, oppure il Decano della Ruota, o della Camera, o della Signatora, e simili Collegii; E pure di presente appresso ogni genere di persone, ma molto più appresso Giuristi nel foro ciò sarebbe un chiaro errore, ed una pedantaria degna del disprezzo, mentre questo attributo, o vocabolo di Principe di presente, particolarmente nel foro, e nelle materie legali, conviene solamente, a quello, il quale sia l' assoluto, e sovranno signore col dominio e governo monarchico, sicchè anche impropriamente si adatta a quello il quale sia qualche primo magistrato di Republica Democratica overo Aristocratica; Che però gli altri si dicono, Prefetti, e Presidenti, o Decani, e simili; ma non Principi, con altri somiglianti vocaboli; Come per esempio nelle pubbliche gravezze, che anticamente si dicevano tributi, indutti, superinditti, vettigali, e simili, ma oggi si dicono, doanne, gabelle, collette, contribuzioni, o simili; Dovendosi parlare secondo l' uso commune per la capacità, e intelligenza di tutti, così nell'una, come nell'altra lingua latina, e volgare.

Queste sono le regole generali, ed ordinarie, non escludendone però quella limitazione, la quale nascesse dalla qualità del Giudice cioè che professando, o affettando l' erudizione, gustasse ono scrivere culto ed elegante, sicchè in tal modo s' incontrasse più il suo genio, onde con maggior gusto, ed applicazione studiasse la scrittura; Però questa sarà una limitazione della regola, ed in ciò consiste la prudenza, ed il giudizio dello Scrittore.

Al che per la più facile capacità si può adattare il paralello (ancorchè basso) il quale in questo proposito si è addotto nel Dottor Volgare dello Scalco, overo del cuoco circa il modo d' apparecchiare i cibi, a proporzione delle 11
persone, le quali li devono mangiare; Attesochè (valendosi del paralello del bacalà, al quale à comparazione degli altri pesci nobili li professori di quelle lettere che si dicono belle, paragonano le materie legali, a comparazione dell' altre lettere e scienze;) Se il bisogno porti di dover' apparecchiare per tutti, così nobili, e signori, come contadini, ed operarj di questo medesimo cibo, sarà errore dello scalco, o del cuoco l'apparecchiarlo per tutti in un medesimo modo, mentre per i Signori e Cavalieri, li quali abbiano il palato avvezzo a' cibi noblili, e delicati, si dovrà con molta diligenza dissalzare, coprire, ed ornare con saporetti ed intingoli, sicchè si mangi con quella nausea minore, che sia possibile; Ma all' incontro alli contadini, ed agli operarj il cibo non piacerà se non sia salato, e se non avrà la puzza del bacalà.

E questo appunto è il caso, perchè à puri legulei non piacerà se non lo stile leguleico, e non l' elegante ed erudito; che però si deve adoperare quello stile il quale sia proporzionato alle persone, con le quali si parla; Valendosi del precetto del nostro Bartolo, accennato nel principio 12
del Dottor Volgare, cioè che con i letterati si deve parlare letteratamente, e con i volgari volgarmente, cercandosi bensì d' addolcire, e di moderare quanto sia possibile le asprezze, e le amarezze de barbarismi legali, senza però partire dal parlare proprio della facoltà, nel foro più che nelle scuole, e nelle cattedre, e senza pregiudicare alla facilità ed alla chiarezza, alle quali per le accennate ragioni si deve principalmente premere.

CAPITOLO V.

Dell'ordine, il quale si deve tenere nel promovere i motivi proprii, e nel rispondere a gli obietti, o motivi dell' aversario.

SOMMARIO.

1 *Delle due sorti de scrittori antichi, e da quali si debba prendere il metodo dello scrivere.*
2 *Dello stile degli oratori antichi.*
3 *Dello stile degli Consulenti antichi, e moderni.*
4 *Della narrazione del fatto.*

5 *Moti-*

5 Motivi migliori nel principio.
6 Si devono portare tutti i motivi anche deboli, e della ragione.
7 Della ragione di premettere i motivi migliori, e del paralello.
8 Non si loda il promovere gli objetti.
9 Per qual ragione non si debbano imitar gli oratori antichi.
10 Quale sia oggidì il buon stile nel promovere i motivi, e le ragioni.
11 Se si debbano promover gli obbietti ed i motivi dell' avversario, si distingua.
12 Conclusione circa questi precetti.

C A P. V.

1 DUe sorti di scrittori abbiamo, da' quali molti credono che si debba apprendere lo stile dello scrivere legale per la difesa delle cause del foro; Una cioè degli oratori, e declamatori dell'antica Roma, li quali appresero le regole e le forme dell' orare da i Greci per quel che ne insegnano le orazioni, e le declamazioni di Cicerone, di Seneca, di Quintiliano, e simili, ad imitazione de' quali hanno dato alla publica luce le loro informazioni, e declamazioni alcuni moderni nell'una; e nell'altra lingua latina, ed Italiana respettivamente; E l'altra de' Giuristi antichi moderni, per lo più de due ultimi secoli decorsi, ad imitazione de quali hanno scritto, e tuttavia scrivono molti moderni del nostro secolo corrente.

2 Lo stile di quelli della prima specie, cammina con le regole, e con i precetti della retorica, e dell' arte oratoria, cioè che con i proemii, ed apparati, si renda attento l'animo dell' uditorio, a quel che si dovrà dire, e dipoi cominciando dalli motivi, e dalle cose più deboli, fare in modo che l'orazione vada sempre crescendo, sicchè nel fine si concluda con i motivi, e con le ragioni migliori, e più concludenti, esagerando anche, e ripetendo le medesime cose più volte per quel che se ne discorre di sotto nel capitolo decimoquarto, trattando delle funzioni in voce.

3 E quello de' Scrittori dell'altra specie nel modo più legale che retorico, è di premettere tutte le ragioni del dubitare, ed i motivi, li quali facciano in contrario, e di poi addurre i motivi proprii per lo più coll' istess' ordine di cominciare dalli più deboli, acciò l' orazione vada crescendo, rispondendo nel fine a gli argomenti, e motivi, li quali da principio si siano addotti in contrario per la ragione del dubitare, conforme insegnano tanti consigli già dati alla publica luce.

4 Però di presente, almeno secondo lo stile vero, e buono della Corte di Roma (ancorchè in parte corrotto per alcuni scrittori moderni) ed il quale veramente doverebbe essere imitato da tutti, non pare lodevole, ne l'uno, ne l'altro modo; Attesochè quando sia una scrittura sola, la quale abbracci tutta la serie del fatto, ed i motivi legali, secondo l' uso più frequente fuori della Curia, ed anche alle volte in questa, e particolarmente nelli discorsi per la verità; in tal caso per il buon'ordine, e metodo della scrittura, deve procedere la pura, e candida narrazione istorica del fatto, e delle sue circostanze, le quali influiscono alla giustizia, ed alli meriti della causa, senza intersecarla di motivi, o di digressioni, sicchè sia veramente una semplice narrazione istorica, a forma di scrivere all'assente una lettera informativa; acciò il Giudice sia bene informato, così del fatto come dello stato della causa, e del punto, del quale si disputa. E dipoi venendo alli motivi, ed alle ragioni proprie, addurre da principio, e

5 come si dice in frontispizio, quelle le quali vengono stimate le migliori, e le più forti, e convincenti, senza però lasciare l'altre, le quali siano stimate più deboli, ma portandole nel fine, sicchè la regola sia al roverscio da quelli degli Oratori.

6 Si devono però portare tutti i motivi per quel che ci viene insegnato de' nostri maggiori, e maestri di questa facoltà; E ciò per quella ragione, che stante la gran varietà de' cervelli, con tutti i gusti, o sentimenti sono uniformi; Onde segue che que' motivi, i quali ad uno pareranno buoni, e sodi, ad un'altro pareranno deboli, ed irrelevanti, ed all'incontro quelli che al primo pareranno di niuna vaglia, dall'altro saranno stimati i migliori; Al che si adatta il troppo volgare paralello, solito communemente in ciò addursi dello scalco, al quale vien rassomigliato il difensore della causa, cioè che nel banchetto deve porre di tutte le sorte di vivande, che vi siano per la varietà de' gusti, e de' stomachi, per la quale molti nauseranno i cibi nobili, e delicati, e gusteranno gl' ignobili, ed i grossolani.

Che però si stima errore quello degli Avvocati, o difensori; maggiormente scrivendo in Tribunali Collegiali, quando abbiamo de' molti motivi, di restringersi a quelli che ad essi pajono li migliori, e di voler regolare il gusto, overo il giudizio di tutti gli altri col proprio, mentre, conforme si è accennato nel capitolo terzo, non si dice longhezza, o prolissità viziosa quella, la quale nasca da questa moltiplicità de' motivi, e di ragioni, come ordinata al serviaio, ed al buon governo della causa, sicchè in questo caso la prolissità averà il suo fine onesto, e ragionevole.

Il suo giudizio dunque nello stimare più rilevanti gli uni che gli altri motivi, sarà il regolatore dell' ordine di sopra accennato, cioè di cominciare, e di mettere in frontispizio i migliori, col medesimo paralello de' cibi (il quale viene stimato il più adattato, mentre i motivi, e le ragioni sono i cibi dell' intelletto.) Cioè che da principio 7
si devono mangiare i più sani, e buoni, lasciando per il fine della tavola l' erbe, i frutti, il cascio, e gli altri cibi men sani, e più ignobili, attesochè altrimente, riempiendosi lo stomaco a prima fame di questa sorte di cibi inferiori, ed escrementosi, non si gusteranno dipoi i buoni, ed i nobili; Conforme trattandosi del vino ne insegna l'oracolo evangelico nelle nozze di Galilea; E questo è appunto il caso ne' motivi, perchè l'intelletto del Giudice, stanco, e nauseato dalli motivi deboli, ed irrelevanti, ed avendo cominciato a formare, per la debolezza delle prime ragioni, poco buon concetto della causa, non faranno i motivi buoni quella operazione, che avrebbono fatta da principio, e con i quali il Giudice sodisfatto non si sarebbe curato d' applicare a gli altri meno rilevanti, o dubbiosi.

Per l' istessa ragione non si stima degno di lode lo stile dell'altra specie de' scrittori legali come sopra cioè di premettere gli objetti, e le ragioni del dubitare, e di 8
comprovarle copiosamente, conforme si vede praticato appresso tanti consulenti, attesochè in tal modo si formano le prime idee, e le impressioni cattive nella mente del Giudice, che non così facilmente tolgono con le ragioni proprie apportare dipoi.

Nè deve in ciò attendersi l' esempio de' sudetti celebri 9
antichi oratori, e declamatori, communemente stimati maestri dell' arte oratoria, per la chiara ragione della differenza assegnata di sotto nel capitolo decimoquarto, io occasione di trattare dello stile dell' orare in voce, dove si potrà vedere, per non ripetere più volte le medesime cose; Attesochè quelle orazioni, e declamazioni, che leggiamo appresso gli accennati Autori antichi, ed altri simili, ed anche ne moderni loro imitatori, non si davano come informazioni in scritto al Giudice perchè le dovessero studiare, ma si recitavano con la voce viva, accompagnata dall' enfasi, e da' gesti, e dall' altre parti; Come per appunto occorre in quelle prediche che abbiamo impresse in tanti volumi; Che però chiaro resta l'errore di quelli, li quali paragonano li consulti, e le informazioni in scritto d'oggidì, con le orazioni, e le declamazioni degli antichi oratori,

Anziche anche nell' orare in voce oggidì non si deve tenere quel medesimo stile per le ragioni accennate nel sudetto capitolo decimoquarto, sicche la parte retorica dello scrittore legale a tempi nostri avanti i Giudici giurisconsulti, e professori, consiste nel portare i motivi, e le ragioni più strettamente che sia possibile; Però con buon 10
ordine, e metodo, e con spirito, e vivezza, acciò spicchino, e faccino maggiori impressioni, mentre il portarli languidamente, e con lo stile ignobile, gli toglie gran forza, e gli fa comparire minori, secondo il paralello accennato di sopra degli operarii, i quali diversamente lavorino una stessa materia, overo che d'un istesso drappo facciano de' vestiti, più, o meno al proposito.

Circa il promovere gli objetti, e le ragioni dell' avversario, si scorge qualche varietà d'opinioni, Attesochè alcuni lo lodano, acciò non si dia campo a far impressione nella mente del Giudice, sicchè le risposte le quali arrivano doppo qualche dimora non facciano quell' operazione che avrebbono fatta, se si fossero date dal principio; Ed altri lo dannano per la possibilità, che l'avversario non sia per addurli, ov-

li, overo che non fia per portarli con questa chiarezza, ed efficacia, con la quale si promovano, onde le risposte riescano più deboli.

Che però frequentemente la pratica insegna, che le risposte servano ad autenticare maggiormente gli objetti, Anzi che alcuni professori della satira più fina, e proditoria, col manto d'amico, e di parziale, assumono l'impresa della difesa, e di rispondere alle satire, acciò in tal modo le rendano publiche e cognite a tutti, portando gli objetti con molta vivezza, acciò con le risposte languide, restion maggiormente autenticati, o pure più dichiarati, e scoverti.

Entra però quell' istesso errore, il quale generalmente cade in tutte le questioni problematiche, particolarmente in questa facoltà legale, cioè nel caminare indifferentemente più con una che coll' altra opinione, applicandola a tutti i casi, senza distinguerli; essendo più vero, che si debba caminare con la distinzione de' casi, e delle loro circostanze; Cioè che quando si sia in dubio, se li motivi dei quali si tema, siano per addursi, o no, in tal caso non si debbano promovere; Ma se ciò sia certo, perchè si siano già promossi nell'altre dispute antecedenti della medesima istanza; O pure avanti il Giudice dell' altra istanza, ed in tal caso si debbano promovere nella medesima scrittura, però nel fine, ed in forma oscura, e languida, sicche spicchino molto più le risposte.

Bensì che non dandosi regola, la quale non patisca le sue eccezzioni, alle volte conviene di mettere gli objetti, e le difficoltà nel frontispizio, per togliere, perchè così porti lo stato della causa; Cioè che per altro sia chiaramente fondata l'intenzione di quello, per il quale si scriva nelle regole legali certe, overo nel fatto chiaro, sicchè non vi sia il bisogno di comprovarla con motivi, e con ragioni, ma che il nodo delle difficoltà, ed il punto della disputa si restringa all' eccezione, overo all'objetto dell' Avversario, mentre in tal caso sarà lodevole, e sarà buono stile l'andare ad incontrare la difficoltà, per impedire che non faccia impressione nella mente del Giudice.

Ed in somma in tutti li requisiti, o precetti, bisogna ripetere l'istesso intercalare, cioè che servono per una regola, la quale però riceve le sue limitazioni, secondo che persuadono le diverse circostanze de' casi; Onde a quest' effetto è necessario il giudizio dello scrittore, secondo quello che si accenna nella conclusione dell'opera, nel fine del capitolo decimo ottavo, ed anche si è detto nel fine del primo capitolo proemiale, ed altrove, consistendo tutto il punto nella pratica, mentre in tutte le cose del mondo, infinito è il numero de' teorici, e de' discorrenti, ma molto raro è quello de' buoni praticanti.

C A P. VI.

Quale sia migliore stile, il raziocinativo o discorsivo, premendo nelle ragioni, e nelli argomenti, overo il dottrinale premendo nelle autorità; E quali siano le ragioni, delle quali debba servirsi il Giurista.

S O M M A R I O.

1 *Dell' opinione de' seguaci dello stile dottrinale e delle sue ragioni.*
2 *De' seguaci dell' altro stile raziocinativo, e delle sue ragioni.*
3 *Della distinzione con la quale si deve caminare.*
4 *La legge chiara ed espressa deve prevalere ad ogni discorso.*
5 *Che non facilmente si dia questo caso delle leggi chiare.*
6 *Quando anche sia una legge chiara, se convenga lo stile raziocinativo.*
7 *Della distinzione quando si debba attendere la parte raziocinativa, overo la dottrinale respettivamente.*
8 *Quali siano quelle ragioni nelle quali deve consistere il buono stile raziocinativo.*
9 *Delle considerazioni da farsi sopra le autorità.*
10 *Del disordine per non studiarsi le facoltà teoricamente, e per i suoi principii.*
11 *In che consista la vera parte discorsiva e raziocinativa.*
12 *Della distinzione sopra il modo di praticare l'una, e l'altro stile.*

CAPITOLO VI.

Questa è forse tra i Giuristi professori del foro, la più
problematica, ed intricata questione che sia in que-
sto proposito; dello stile dello scrivere, ed anche del giu- 1
dicare, o del consigliare, scorgendosi una gran varietà
d'opinioni; Attesochè i seguaci della fazione, la quale si
dice de i Prammatici, e che ne tempi correnti molto trion-
fa, ed ha il maggior seguito, dannando lo stile discorsivo,
overo raziocinativo, dicono che nella facoltà legale sia
rossore, e vergogna il parlare senza l'autorità delle leggi,
e de Dottori; Che però frequentemente per le loro penne,
n bocche corre quella proposizione, che vaglia più una
dottrina, che cento raziocinii; E che sia cosa da povero
Dottore il caminare con le ragioni, e con le regole gene-
rali, overo con i simili.

Ed all' incontro, i seguaci dell'altra fazione la quale si
suol chiamare de' Neoterici, o veramente de' Raziocinatori,
dicono quel che si è detto nel capitolo primo, cioè che l'uo-
mo sia un'animale ragionevole, il quale deve regolare le sue
azioni della ragione più che dal detto degli altri; Ed anco- 2
ra che la ragione sia l'anima della legge, la quale sia un'
effetto più della ragione, che della podestà.

Però in questa ancora, come nelle antecedenti, ed
in tutte le altre questioni problematiche, cade l'istesso 3
che di già si è detto; Cioè che manifesto sia l' erro-
re di quelli, li quali vogliono camminare con le sole
generalità, seguendo indifferentemente in tutti i casi,
l'una, o l'altra opinione; Attesochè veramente la de-
cisione deve dipendere dalla distinzione de casi, e delle
loro circostanze, sicchè non sia punto capace di rego-
le generali applicabili a tutti i casi.

Che però quando vi sia la chiara, e l'espressa autorità
necessaria della legge comune, o particolare, la quale per
i suoi requisiti, sia valida, ed obligatoria; ed in tal caso
non entrano i discorsi, nè i raziocinii, e gli argomenti,
ma si deve insistere solamente su l'osservanza della legge
chiara, senza badare se sia ragionevole o no, mentre se- 4
condo l' opinione più ricevuta nel foro esterno prattico,
e giudiziario, la legge, col presupposto de suoi legitimi re-
quisiti, si dice un'effetto particolare della potestà, ed in
ciò consiste la sua forza, che ancorchè sia dura, si de-
ve nondimeno osservare.

Questo caso però, ad un certo modo, si può dire idea-
le, sicchè, o mai, o molto di raro se ne dia la sua prattica,
e verificazione, particolarmente quando si tratti di leggi 5
comuni, canoniche, o civili; Onde solamente resta verifi-
cabile in qualche legge locale, o particolare, attesochè al-
le volte insegna la sperienza che si facciano delle leggi ap-
passionate per interesse, o per altro fine, ne casi par-
ticolari.

E ciò per due ragioni, una cioè che difficilmente si danno
leggi comuni, le quali siano chiaramente contrarie a quel-
la ragione, la quale sia veramente naturale, e comune a tut-
to, overo alla maggior parte del genere umano; E l'altra
perchè quando vi sia la legge così chiara, ed espressa, sicchè
non riceva glose, ed interpretazioni, non facilmente si dà il
caso che vi sia la lite, nella quale debbano gli Avvocati, e
gli altri difensori scrivere, sostenendo le ragioni più d'una
Parte, che dell'altra.

Però rare sono queste leggi così chiare ed espresse, sopra
l'intelletto delle quali non vi sia la solita discordia de Dot-
tori, e la varietà delle opinioni; E dal che si convince la
sciocchezza di quelli infarinati, i quali volendo fare i sa-
pientoni, non sanno che si dicano, quando esagerano che
si debba scrivere solamente con i testi, e con le glose
conforme più distintamente si discorre nell'una, e nell'
altra opera; Pure quando questo caso si dia, si dovrà
caminare con l'autorità della lege chiara.

Eccetto se si trattasse di scrivere avanti il Principe sov-
rano, o veramente avanti un Magistrato supremo, il qua-
le abbia l'autorità di derogare o moderare, o dispensare
alle leggi, nel qual caso si dovrà principalmente premere 6
sopra la ragione, e non sopra l'autorità di quella legge,
contro la quale si abbia il ricorso.

Quando dunque porti il caso, che non vi sia legge alcuna
sopra il punto della questione, o pure che essendovi, quella
fosse dubbia, e capace di più intelletti, sopra i quali con-
corra la solita varietà delle opinioni, con la differenza del-
la più, o meno comune; O pure che non essendovi questo
contrasto de' Dottori, vi siano alcune autorità per una par-
te, e per l'altra assistano le ragioni, sicchè propriamente vi

cada

cada la presente questione del concorso trà le autorità, e le ragioni, così per regolare lo stile del difensore come quel-
8 lo del Giudice.

Ed in questo caso la decisione in gran parte dovrà dipendere dalla qualità del Giudice, o del Magistrato, avanti il quale si scriva; Attesoche, se occorrerà di scrivere avanti il Principe sovrano, come per esempio occorre nella Corte di Roma, quando si scriva per il Tribunale della Segnatura di Grazia; O pure che sia Tribunal, il quale abbia un'autorità da sovrano, e che proceda in forma estragiudiziale, e con le regole prudenziali, più da Principe che da Giudice, come per esempio (senza uscire dalla medesima Curia) sono alcune Congregazioni Cardinalizie, e particolarmente quelle sopra Vescovi, e Regolari, e della Consulta, ed altre simili, delle quali si è discorso nell'una, e nell' altr' opera nella Relazione della medesima Curia; E da quali esempj si potranno tirare le linee a somiglianti Tribunali, a Magistrati, a quali si adatti la medesima ragione.

Ed all'ora fuora d'ogni dubbio, si dovrà principalmente per lo scrittore premere più nelle ragioni, che nell' autorità; Non trascurando però queste, quando vi siano, come famulanti, ed accessorie alle ragioni, le quali devono prevalere.

Ma se si dovrà scrivere avanti Giudici, e Magistrati, li quali habbiano l'arbitrio ristretto dentro i cancelli legali; In tal caso, entra parimente la distinzione tra i Giudici unici, ed inferiori, ed i Tribunali grandi, e collegiali; Attesoche difficilmente si da il caso che un Giudice solo, ed inferiore si muova più dalle ragioni, che dalle autorità; Maggiormente quando, secondo l'uso corrente, e più frequente, quelle siano di decisioni di Tribunali grandi di quel Principato; E per consequenza lo scrittore dovrà premere più nelle autorità quando possa; E non potendo perche siano in contrario, dovrà valersi delle ragioni, e de discorsi, non già per distruggere, e per impugnare direttamente le autorità, col pensiere, che quelle debbano a queste prevalere, ma ben per schermirsi da esse, e per isfuggire l'applicazione al caso, del quale si tratti per la diversità delle circostanze; Che all'incontro ne Tribunali grandi, si deve principalmente premere nelle ragioni (di quella qualità però, la quale di sotto si esplica) non ostante che in contrario vi siano delle autorità, e delle decisioni, anche dell'istesso Tribunale, o altro simile, attesoche con sè stesso, e con gli eguali non fanno le decisioni quell' autorità, che fanno con gl'inferiori; E queste pajono le regole generali, da limitarsi, o praticarsi, secondo che richiedano le circostanze de casi, dalle quali veramente dipende la decisione.

Bensì che quando attentamente si faranno le dovute considerazioni, così sopra la qualità delle ragioni, come anche sopra quella delle autorità, difficilmente, e molto di raro si darà il caso, che sia di bisogno d'esaminare, a di decidere sì
9 fatta questione; Attesoche per quello spetta alle ragioni, non si deve intendere di quelle che a ciascuno persuada il suo cervello, overo il proprio discorso, e lume naturale, conforme molti malamente credono, vivendo con questo inganno, mentre non ritrovandosi stabilito nel mondo, quale sia la vera, e la certa ragione delle cose, ciascuno se la figura, o la suppone a suo modo, secondo la varietà de' cervelli, sicche quello che ad uno parerà bianco, ad un' altro, con egual sentimento di verità, parerà nero; Onde per questo effetto è stato di bisogno d'introdurre le leggi, ed in difetto di queste si è stabilito doversi deferire alle opinioni ricevute, & alle decisioni de Tribunali, per quel che più di proposito se ne discorre nel proemio del Dottor Volgare; Ma s'intende delle ragioni derivanti dalli principj legali, ed alle regole, e massime certe della facoltà, sicche siano ragioni legali, e non naturali solamente.

E quanto all'autorità; Quando si facciano le dovute riflessioni, e distinzioni, le quali si accennano nel capitolo seguente, sicche non si camini con lo sciocco stile della plebe
10 leguleica, di fare (come volgarmente si dice) d'ogn'erba fascio, e col solo stile colletorio di badare al numero aritmetico di quelli i quali parlino di quel punto, senza distinguere il modo, e la qualità, ma che si attendano solamente quelli Dottori, li quali veramente meritino di far autorità, Difficilmente si darà il caso di questa contrarietà chiara, a diretta, tra le autorità, e le ragioni; Che però gli equivoci consistono nel confondere questi termini, e prendere per ragioni le naturali solamente, e per autorità il detto d'ogni scrittore tale quale sia; Onde a quest' effetto, e per tal distinzione, la parte discorsiva, overo raziocinativa si dovrà sempre stimare la migliore, a la più lodevole, come adattata al senso delle medesima leggi, e de' Dottori.

Che però a quest' effetto, nell' accennato proemio del Dottor Volgare si è discorso di quello, che anche si accenna di sotto nel capitolo duodecimo, sopra lo stile da tenersi da lettori, a Cattedratici; E nel sudetto Proemio si è esagerato il disordine de tempi nostri, nel non studiare la facoltà teoricamente, e per i suoi principj, e termini, ma solamente per tradizioni, a repertorj, con lo studio delle moderne autorità, e decisioni, a l'uso de' papagalli, o veramente all' usanza di quei musici, li quali cantino per aria, a non per la scienza, e per la notizia delle note, e delle regole musicali.

Attesoche quando non vi sia la parte scientifica della 11
teorica per i suoi principj, non si possono fare queste riflessioni; Che però la parte discorsiva, o ratiocinativa, la quale sia degna di lode, non consiste in quei discorsi, o ratiocinii, ad argomenti, i quali all' uso da dialettici si facciano col solo acume dell' ingegno, e col solo discorso, o lume naturale, ma è quella, la quale consista nel ratiocinare, e discorrere per i veri principj, e per le massime certe, ed inalterabili della facoltà, contro la quali i Dottori non possono parlare senza manifesto errore. E per consequenza, quelli i quali così parlassero, non meritano dirsi Dottori, ma ciavattini indegni d'ogni autorità.

Tuttavia, quantunque questo discorso sia il più vero, 12
Non perciò deve lo scrittore praticar lo indifferentemente, quando anche sapesse eccellentemente farlo, come ben versato nella parte scientifica; Ma secondo quel che di sopra si è accenato, circa l'elocuzione elegante, a culta, o respettivamente bassa ed ignobile; si dovrà regolare secondo la qualità, e la capacità del Giudice; Ad imitazione del medico, il quale, anche in una stessa specie di morbo, non deve con tutti egualmente adoprare l'istessa qualità, e quantità de' medicamenti, ma si deve regolare secondo le complessioni, l'atà, le forze, la stagione, l'aria, a le altre circostanze; Attesoche con giudici di basso intendimento, e di poca capacità, lo scrivere con quello stile nobile, a discorsivo, col quale si dovrebbero trattare le materie, e gl'articoli altamente, serve più tosto a pregiudicare, ed a far danno alle cause; Maggiormente quando l'Avvocato stia in opinione d'uomo dotto, a d'ingegno elevato, e raziocinativo, per essere l'ignoranza, ed il sospetto, continui, & indivisibili compagni, onde si metterà più tosto alla parata, e crederà, come volgarmente si dice, che se gli voglia buttare la polvere sù gli occhi, overo che con la forza dell' arte, e dell' ingegno se gli voglia far vedere il bianco per il nero; Che però in questo caso sarà stile migliore l'abbassarsi al possibile, e portare i motivi in una forma più piana, e più facile, premendo più nelle autorità, che nelle ragioni; Overo quando le autorità ostassero in contrario, si dovrà, conforme si è detto, premere nello sfuggirne l'applicaziona col fatto, e con dimostrazioni più tosto piane, e pratiche, che alte, a scientifiche, valendosi dell' accennato parallello sopra il diverso modo di preparare i cibi, overo i medicamenti secondo la qualità di quelli, i quali li devono mangiare, o prendere.

CAPITOLO VII.

Del modo di contenersi nelle allegazioni delle autorità; così circa la loro copia, o scarsezza respettivamente, come ancora circa l'ordine da tenersi in esse; E se convenga addurre le autorità degli Storici, e de' Poeti, altri scrittori non legali.

SOMMARIO.

1 *IN che consista l'abuso dello stile sopra le autorità.*
2 *Si distinguino le ispezioni sopra le allegazioni.*
3 *Della ragione, dalla quale sia derivato lo stile delle copiose allegazioni.*
4 *Che nelle regole, e negli assiomi generali certi non si debba allegare.*
5 *Et anche nelle antiche questioni dubbie, nelle quali si siano già fermate le regole, o le limitazioni, e quando si debba allegare.*
6 *Si da il paralello.*

7 *Si risponde alle ragioni le quali si sogliono addurre per giustificare lo stile delle inutili allegazioni.*
8 *Altro paralello.*
9 *Quando per sovrabondante cautela, anche sopra le cose certe si voglia allegare, quale stile si debba tenere.*
10 *Se le allegazioni debbano essere copiose, o veramente poche.*
11 *Dell'ordine da tenersi nelle allegazioni.*
12 *Dell'osservazioni, le quali si devono fare sopra le medesime allegazioni.*
13 *Della ragione per la quale si debbano portare poche autorità.*
14 *Paralello de' testimonj.*
15 *Se le allegazioni si debbano fare in corpo, overo nella margine.*
16 *Se convenga addurre delle autorità non legali, e dell'erudizione.*
17 *Si conchiude sopra il modo che si deve tenere.*
18 *Paralello del Pittore.*
19 *Sopra l'abuso, senza fine alcuno.*

C A P. VII.

IL maggior disordine che sia nello stile de Giuristi, e
per il quale si è principalmente mosso lo scrittore a com-
porre il presente discorso, consiste in questa parte, sopra
1 il modo di allegare le autorità; Non che ciò sia dannabile,
e vizioso, essendo più tosto opportuno, anzi necessario il
provar bene gli assunti ed i motivi con le autorità delle
leggi, e de i Dottori, mentre tale è la natura di questa
facoltà; Ma per l'abuso, il quale in ciò si scorge, e
che principalmente ha cagionato, e tuttavia cagiona
quel disprezzo de leggisti che si è accennato di sopra
nel capitolo primo proemiale.

Cinque dunque sono le ispezioni, le quali cadono nella
presente rubrica; La prima cioè sopra quali cose si debbano
fare le allegazioni, e sopra quali nò; L'altra, presupposto
che siano opportune, e che si debbano fare, se debbano es-
sere copiose, ed in gran quantità, overo se sia migliore stile
l'addurne poche; La terza qual'ordine si debba tenere nell'
allegare le autorità; La quarta sopra la qualità delle mede-
sime, cioè di quali specie si debbaon addurre; E la quinta
sopra il modo materiale, cioè se sia meglio intersecarle nel
corpo della scrittura sopra ogni proposizione e motivo, o
pure senza interrompere l'orazione, ed il filo del discorso,
allegarle nel margine con i suoi segni.

Per quel che spetta alla prima ispezione; Nell'addotto
3 capitolo primo proemiale, pare che si siano accennate a ba-
stanza le ragioni, per le quali sia passato in abuso, ed io cor-
ruttela questo stile dell'allegare, ancorchè appresso gli an-
tichi fosse scusabile; Attesochè, cessando oggidì quelle ra-
gioni per le quali i nostri maggiori furono costretti ciò fare,
non si sà vedere qual ragione possa mai scusare, overo coo-
nestare questa usanza di riempire inutilmente le carte, senza
il bisogno, e senza proposito, di superflue allegazioni; Che
però quando si tratta di quelle regole, ed assiomi i quali sia-
no oggi notorii, ed assoluti, sicchè li difensori dell'avversa-
rio, ed il Giudice, non siano per impugnarli, o dubitar-
ne, in tal caso si deve stimare manifesto errore di riempire
inutilmente le carte di sporcare le scritture con gli escre-
menti, quali si dicono le superfluità, e le cose inutili, non
essendovi fine alcuno ragionevole, al quale l'umane azio-
ni devono drizzarsi, quando si voglia operare da anima-
le ragionevole, e non da bestia.

E l'istesso ne' tempi nostri camina in quelli articoli, ed in
quelle questioni, le quali appresso i nostri maggiori erano
molto dubbie ed intricate, mentre già per lo più vi sono sta-
5 bilite le regole, e respettivamente le limitazioni, della ve-
rità delle quali generalmente ed in astratto più non si dubi-
ta, sicchè tutto il dubbio suol'essere nell'applicazione, per-
chè una delle Parti pretenda d'essere nel caso della regola,
l'altra in quello della limitazione.

Dunque manifesto abuso e molto detestabile stile si deve
dire quello, di fare un gran cumolo di allegazioni sopra sì
fatte proposizioni già certe, e ricevute in modo che non sia-
no per impugnarsi nè dall'Avversario, nè dal Giudice; Che
però, quelle presupponendosi, come già certe, e note, de-
ve lo scrittore premere sopra l'applicazione a se opportuna,
e sopra questa deve caricare la mano quanto più possa nel
provare il suo intento con le autorità, e con le ragioni; e per
consequenza al bisogno, e non fuori del proposito, ed in-
utilmente. Si deve però copiosamente allegare, quando il
caso porti che anche di presente si adatti l'istessa ragione,
la qual necessitò gli antichi a tenere quello stile, cioè che
l'articolo fosse tuttavia dubbioso, e disputabile, Ed io tal 4
caso si segua pure l'istesso stile degli antichi, perchè si farà
bene, e sarà cosa degna di lode, ma senza questo bisogno,
è un'errore manifesto.

Se in tempo di guerra, o di peste, o di carestia o di al-
tri accidenti, i nostri maggiori, per savj, e dotti che fos- 6
sero, avessero tenuto uno stile di governo della Republi-
ca adattabile a quei tempi, non perciò l'istesso si deve
tenere ne' tempi correnti pacifici, e non calamitosi, ne'
quali si deve tenere una diversa forma di governo; On-
de di certo sarà chiaro errore il voler continuare quel-
lo stesso stile, e col motivo che l'usassero i maggiori
molto savj e prudenti, per la diversità della ragione; E 7
questo è appunto il caso.

Sogliono alcuni per iscusare questo stile, addurre una
ragione, che non a tutti i Giudici siano cognite le re-
gole, e le conclusioni, le quali appresso i savj, e dotti
professori siano già certe, e ricevute fuori d'ogni dub-
bio, e che però a quest'effetto sia bene di vestirle con
l'autorità; Però si risponde, che ciò sia supporre un'incon-
veniente, il quale non si deve presumere ne' Giudici pro-
fessori, e togati, e molto meno nelle Città, e Tribunali
grandi; E se pure alle volte se ne desse il caso, tuttavia que-
sta sarà una limitazione speciale, per timore della quale
non si deve distrugere la regola; Insegnandoci la medesi-
ma legge, che dobbiamo regolarci con quel che sia più fre-
quente, e non con casi rari da non supporsi. 8

Se un Capitano, overo un soldato dovrà mettere in car-
ta all'effetto di persuadere al suo Principe, o respettiva-
mente all'esercito, le ragioni, per le quali si debba asse-
diare, overo assaltare l'inimico, o la piazza più in un mo-
do, che nell'altro, che porti delle massime, e delle re-
gole militari; le quali conviene premettere, o supporre
per cavarne le consequenze, overo le illazioni per il fine,
del quale si tratta; In tal caso, se sopra ciascuna massima,
o regola, ancorchè sia certa, e tra soldati notoria, portas-
se gran quantità di scrittori dell'arte della guerra, e dell'
istorie, con altri ornamenti d'erudizione, questa scrittu-
ra appresso i religiosi claustrali, overo appresso gl'altri
del clero, e del popolo imbelle, li quali niuna perizia ab-
biano dell'arte militare, sarà stimata una cosa molto dot-
ta, e bella, ed avrà un gran plauso; Ma da i Capitani, e
soldati, per i quali si sia composta, sarà stimata degna
dell'irrisione, non che del biasimo, come piena di super-
fluità, e di cose fuori del proposito, mentre parlandosi
con soldati, queste cose si devono presupporre, e si devono
brevemente accennare, premendosi sopra l'illazioni, e le
consequenze che se ne vogliono tirare, overo sopra l'ap-
plicazione, al fine, ed all'effetto, del quale si tratta, e
sopra il quale consiste tutta l'opera, e l'artificio dello scrit-
tore; E questo è appunto il caso.

O pure, quando lo scrittore legale voglia sodisfar'a se
stesso in questa parte, per togliere l'accennato dubbio, che 9
ad alcuni Giudici, anche le massime, e le regole certe sia-
no nuove, ed incognite, sicchè abbiano bisogno della pro-
va. Stante che oggidì sono ripiene le librarie di tanti col-
lettori, li quali sopra ciò hanno fatto delle fatiche immen-
se, però senza fare il mecanico mestiere del copista, baste-
rà d'accennare uno, o due sì fatti collettori, dove il poco
prattico Giudice si possa cavare la sete sciocca.

Nel caso dunque, che le allegazioni siano opportune,
sicchè si debbano fare; Per quel che spetta alla seconda ispez-
zione, cioè se debbano essere copiose, ed in gran quantità, 10
o pure che basti l'addurne alcune poche; La decisione di-
pende dalla qualità della massima, o della conclusione, la
quale si porti, ed anche dalla qualità delle autorità, le qua-
li sopra ciò s'abbiano; Attesochè, se nel luogo, o Tribuna-
le, nel quale si scriva, si abbiano delle moderne decisioni,
e delle buone, e ricevute autorità, le quali copiosamente,
e di proposito fermino quella conclusione, e canonizino più
una opinione che l'altra, e che in esse si alleghino de molti
autori; in tal caso, superfluo parimente sarà il portare tut-
te quelle autorità, le quali più commodamente si possono
vedere già stampate ne i volumi, sicchè sarà un far il me-
stiere del copista. Che però sarà meglio il portarne poche,
ma al proposito e stringenti, accennando che appresso di
queste si possono veder l'altre.

Onde quei cumoli, e quelle lunghe litanie, le quali si
vedono appresso alcuni scrittori saranno solamente oppor-
tune, ed al proposito, quando l'articolo sia tuttavia dub-
bio-

bioso, ed indeciso, sicche convenga pigliandolo da capo, ed essaminando tutte le autorità, dimostrare quale sia l'opinione più vera, e la più comunemente ricevuta, nella maniera che facevano i nostri maggiori, per le ragioni accennate nel sudetto capitolo primo; Però oggidì molto di raro ciò occorre; Ed altrimente sarà ancora una inutile, e superflua riempitura di carte senza proposito.

Ma se per il bisogno, overo per l'opportunità della causa, convenisse fare questo cumulo; In tal caso si deve, per il buono stile, avvertir all'ordine da tenersi nell'allegate le
11 dottrine secondo le diverse classi de Dottori, portandoli seriamente, e con la distinzione delle sue classi di maggior, o di minor autorità; Cioè di portare primieramente gli antichi Glossatori, o Ripetenti, ed ad essi connettere anche i moderni dell'istessa classe; Dipoi i Trattatisti, e Questionanti, come quelli i quali hanno parimente scritto alla verità, e con l'istess'ordine tra gli antichi, e moderni; In terzo luogo portare li Consulenti; parimente con l'ordine dell'antichità; Ed in ultimo luogo le decisioni de i Tribunali grandi per concludere che quell'opinione sia stata più canonizzata in pratica; Attesoche se bene nel capitolo nono del proemio del Dottor Volgare, per quel che spetta all'autorità, si è dato il primo luogo a queste ultime, per le ragioni ivi accennate, dove il curioso potrà vederle; Tuttavia a quest'effetto dello stile, conviene tener un'ordine diverso quando s'habbia da far tal cumolo, o scala; Essendo chiaro l'errore di quelli, li quali fanno de' confusi mescugli delle sudette classi, cioè d'andare interseeando, e confondendo una classe con l'altra, e posponendo gli antichi alli moderni, con altre confusioni dell'ordine sudetto.

Il punto principale però, in proposito delle autorità, consiste nell'altra ispezzione, cioè circa la loro qualità, e
12 quali si debbano addurre, e quali nò; Ed in ciò deve consistere la maggior diligenza, e l'applicazione dello scrittore, cioè che debba sfuggire onninamente l'accennato mestiere del copista, col seguitare la fede de i collettori, overo de' i proprj, o degl'altrui repertorj; Ma deve accuratamente considerare quelle autorità, e dottrine, le quali siano stringenti, ed al proposito; Attesoche frequentemente si portano di quelle, le quali, secondo lo stile degli antichi moderni, parlano in un modo per ragione del dubitare, ma dipoi concludono il contrario, sicche l'avversario con le medesime lo convinca, e cavi l'antidoto, e la medicina dal veleno; Ed in quest'errore frequentemente si inciampa quando le allegazioni si facciano inconsideratamente.

Ed in oltre si deve ben riflettere a i casi, de quali gli Autori parlino, e sopra tutto a gli presupposti, con i quali fermano, overo applicano quella proposizione, per vedere se facendosi la dovuta combinazione delle circostanze si applichino, o nò al caso del quale si tratta, mentre frequentemente occorre che per la diversità della ragione, o de presupposti, quelle autorità più tosto si ritorcono.

Considerando ancora, se gli scrittori si fondino nelle leggi comuni, ò particolari, le quali si osservano in quel luogo, o Tribunale, overo nelle leggi, e ne i stili particolari ni diversi paesi; Attesoche sarebbe specie di pazzia se per provare per esempio un'usanza di Spagna, si adducessero per testimonj li Francesi, li Tedeschi, gl'Italiani, ed i Polacchi, i quali parlino delle diverse usanze de' loro paesi, e questi mettere in massa con i Spagnoli senza distinguerli.

Dopo fatte queste considerazioni, si deve ancora riflettere alla qualità de' Dottori, se siano di maggior, o di minor autorità, secondo le classi constituite nell'una, e nell'altra opera, del Teatro, e del Dottor Volgare; Ed anche attentamente si deve riflettere al modo, col quale parlano, cioè se maturamente, e di proposito, o pure incidentemente; O se siano semplici relatori del detto d'altri, o pure a diverso proposito, ed a diverso effetto.

Onde quando si faranno queste considerazioni si ritroverà che difficilmente tra cento ve ne siano dieci, li quali
13 facciano al proposito, e che meritino le fede; Che però è sempre più opportuno il portarne poche, e buone, ed al proposito, mentre portandone molte senza queste considerazioni, se il caso porti che il Giudice voglia vederne alcune di quelle, le quali ritrovi che non facciano al caso, o pure che più tosto si ritorcano in contrario, si discrediteranno tutte l'altre, e tutta la scrittura.

14 Sono i Dottori paragonati alli testimonj, i quali s'inducano per provare quel che si desidera; Onde conforme manifesto errore sarebbe quello del Giudice, overo del difensore, che dovesse indifferentemente credere a testimonj per il solo numero aritmetico, col trattarli tutti d'una maniera, affasciandoli assieme, senza riflettere alla loro qualità personale, per la quale siano sospetti, e più, o meno degni di fede; Ed anche senza riflettere al loro detto, se sia di certa scienza, overo di udito, o pure se siano falsi, o varj, o contrarj, o che parlino con presupposti erronei, o diversi, con altre somiglianti considerazioni.

Così manifesto sarà l'errore nel tenere questo stile, delle dottrine, e delle autorità, mentre conforme non ha da uguagliarsi un testimonio, il quale sia personaggio grande di somma fede, ed integrità, non interessato nella causa, e ben' informato, sicche alleghi concludenti ragioni della sua scienza, con un testimonio, vile, interressato, sospetto, vario, e che non assegni buona causa, o ragione della sua scienza, o che sia convinto per falso, overo per erroneo; E a ciò per gli Avvocati, e difensori, ed anche per i Giudici, si deve principalmente riflettere, mentre dal non farsi queste considerazioni, risultano tutti gli equivoci pregiudiziali alla verità, ed alla giustizia, ed alla nobiltà della facoltà legale, la quale così si confonde, e si avvilisce.

E finalmente quanto all'ultima ispezzione, circa il modo
materiale delle allegazioni, cioè se si debbano intersecare 15
dentro il discorso, e l'orazione, o pure si debbano addurre nella margine senza interrompere il filo del discorso; Ancorche a discorrerla con la ragione, e con le regole dell'arte oratoria, indifferentemente si dovrebbe dire che sia erroneo, e dannabile lo stilo dell'intersecazione, e dell'interrozione dell'orazione, facendo ciò molti mali effetti, e particolarmente perche rende il discorso di più difficile intelligenza per la diversione dell'intelletto, che ne segue; Tuttavia, quando si tratta di scritture composte nella lingua latina, è tolerabile questo stile, come più communemente usato da nostri maggiori; attesoche quando le allegazioni siano fatte con la dovuta discrezione, per il solo bisogno, e per l'opportunità, secondo le regole, ed i precetti di sopra accennati, non ne seguirà tanto mal'effetto; Ma quando sia con il dannato abuso del superfluo, ed indiscreto cumulo come sopra; anche scrivendosi nella lingua latina, sarà minor male, e produrrà minori inconvenienti, che si faccia nella margine, sicche il farlo in corpo, e con l'intersecazione sarà cosa dannabile.

Però nel caso, che si scriva nella lingua volgare, o materna sempre sarà chiaro errore il farlo in corpo, e con l'intersecazioni, attesoche in questa lingua cessa quell'unica ragione dell'antica usanza, e dell'assuefazione, la quale salva quando si scriva in latino.

E ciò a tal segno si verifica, che essendo lo scrittore Giurista di professione, per quanto ne provano le carte date alla publica luce; Tuttavia facendo anche forza a se stesso in diverse occasioni non ha potuto indursi a leggere quelle scritture, le quali con tali intersecazioni sian composte in lingua Italiana, come per una specie di manifesti, per giustificazione d'alcune cose publiche, politiche, o civili già cognite a quelli, i quali habbiano qualche mediocre notizia delle cose notabili occorse in questo secolo nella nostra Italia, ed anche fuori.

Sotto questa rubrica delle allegazione delle dottrine,
cade anche il vedere se allo scrittore legale convenga va- 16
lersi delle autorità non legali di scrittori nelle altre facoltà come per esempio, de Filosofi, Theologi, Scolastici, o Morali, de Medici, degl'Istorici, de Poeti, de Gramatici, ed altri simili.

Et in ciò si deve esaminare con la distinzione, cioè che se quelle autorità influiscono alla necessità, overo all'opportunità della causa, sicche la decisione dipende da cose spettanti a tali facoltà respettivamente; Come per esempio per la maggior frequenza occorre nelle materie della medicina, e nell'istorie, ed anche segue ne i Gramatici, e negli eruditi per l'intelligenza, e significazione delle parole; Ed in questi casi si fatte autorità sono degne di lode, come opportune per il bisogno, e per il fine della scrittura: Ma se siano per ornamento, e per far pompa dell'erudizione dello scrittore, sarà errore, ed una cosa dannabile, come superflua, e che cagiona la prolissità della scrittura, e l'interrompimento de motivi, e delle ragioni senza proposito; Eccetto se fossero rari, ed opportuni per allettare l'animo del Giudice, adattandoli il paralello altre volte addotto del sale, e del pepe, e del zucchero, e degli altri aromati nelle vivande.

17 Che però conchiudendo, conviene ricantare l'istesso intercalare, cioè che l'operazione dello scrittore deve ferire il fine, per il quale si faccia la scrittura, e per conseguenza sfuggendo le cose inutili, e superflue si deve premere sopra quel che sia necessario, overo opportuno per ottere il fine desiderato, e sopra questo sarà lodevole, e di profitto l'addurre delle autorità, e delle ragioni per provare il suo intento; Ma non già che si faccia all'uso de prodighi, e degl'imprudenti, li quali abbondano nelle cose superflue, e mancano nelle necessarie, conforme frequentemente la pratica insegna in sì fatti scrittori seguaci di questo sciocco, e corrotto stile, cioè ch'empiono le carte d'allegazioni fuori del bisogno, e del proposito, e diffondendosi molto in queste, lasciano sprovisti i punti sostanziali, ne' quali consiste la causa, anzi alle volte niente li toccano.

18 Le autorità, e le regole, e le conclusioni legali sono quelle piccole pietre colorite, con le quali si formano le pitture di mosaico, overo sono i colori, con i quali si dipinge a pennello, attesochè per se stessi sono buoni, e coloriti, e sono atti a formare le figure; Però il punto consiste nella buona loro disposizione, e nell'applicare opportunamente secondo il disegno, e per il fine che si desidera, mentre con l'istesse pietre, overo con gl'istessi colori possono così formarsi un Angelo, come un diavolo, overo così un'uomo, come una bestia.

E quando si dispongano per formare una imagine desiderata, poco importerà che la pittura sia ricca e copiosa di colori finissimi, se non corrisponderà al disegno, e se non rappresenterà quell'imagine, o effigie che si desidera; Anzi l'abondanza de' colori, e delle panneggiature in quelle parti, le quali devono essere ignude pregiudica; Ed all'incontro le parti ignude, ed i scurci, overo l'ombre fanno spiccar meglio la pittura, e la rendono più perfetta, e vaga; E questo è appunto il caso delle allegazioni delle autorità fuori del bisogno, e dell'opportunità della causa; Onde conforme sì fatte pitture ricche e copiose di finissimi colori, ma senza il buon disegno, e senza l'aria di quella effigie, che si desidera, piaceranno molto al volgo ignorante, il quale appagandosi della vista, non s'intenda di disegno e di pittura, ma dagl'intendenti saranno stimate degne d'irrisione col dispregio totale del Pittore; Così le scritture copiose di allegazioni fuori del bisogno piacciono al volgo ignorante, ma sono disprezzate da dotti.

19 E veramente questa è una di quelle cose, le quali, conforme dice il più volte accennato Principe de lirici, muovono nell'istesso tempo la bile ed il riso, cioè che il volgo stima e desidera questa copia di allegazioni, senza sapere alzo-no, e non sapendo il perchè; Attesochè per lo più, sodisfacendosi di quel confuso mosaico, il lettore non aprirà pure un libro, nè vedrà pur una delle dottrine allegate, sicchè si desidera quel che non si vede, e si trascura a vedere quello che sia necessario. A somiglianza di colui, il quale nell'orazione funebre, che si recitava nel Parnaso sopra la perdita delle dieci Deche di Tito Livio, piangea così dirottamente tal perdita che interrompeva l'oratore, e l'uditorio; E pure fu convinto che mai si fosse curato di legger quelle dieci, che abbiamo.

Che però si conclude, che veramente ciò sia un discorrere ed un'operare senza bisogno ed opportunità, e senza il suo fine, che vuol dir l'istesso, che operare all'usanza delle bestie senza ragione, ma solamente, perchè così si veda fare dagli altri senza sapere, e senza discorrere il perchè.

CAPITOLO VIII.

Se allo stile dello scrivere convenga, o nò il requisito dell'integrità, e del buon concetto dello scrittore, e dell'altre virtù, e buone parti, le quali in esso devono concorrere.

SOMMARIO.

1 *CHE l'integrità e la bontà dello scrittore non sia necessaria.*
2 *Il contrario, che sia necessaria, overo profittevole.*
3 *Di quale integrità e bontà si debba intendere.*
4 *Degli effetti mali che producono i vizj ancorchè fuori dell'esercizio della professione.*
5 *Che il requisito dell'integrità sia necessario più nel fattista che nel Giurista.*
6 *Dell'altre virtù, e buone parti che devono concorrere nello scrittore.*

CAPITOLO VIII.

1 CRedono alcuni, che l'integrità ed i buoni costumi dello scrittor non abbia connessione alcuna col buon talento, e col buono stile nello scrivere, e nell'informare per difesa delle cause; Attesochè dovendo il Giudice persuadersi dalli motivi, e dalle ragioni, così di fatto come di legge importa poco, che quello il quale le promove, e la rappresenta, sia un'uomo da bene, overo sia un tristo, mentre non si bada allo scrittore, overo al dicitore, ma alla rilevanza de' motivi, e delle ragioni; Maggiormente, che gli uomini viziosi, e di mal genio, per lo più sono d'ingegno elevato, abusandosi del talento, che Iddio gli ha dato, e malamente impiegandolo, sicchè nelle parti intellettuali operano con maggiore spirito, & vivezza.

Ciò non ostante, più communemente (e con ragione) viene stimato, che questo sia uno de requisiti opportuni per il buono stile legale del foro pratico, per la ragione accennata de medesimi antichi professori dell'arte oratoria, ancorchè fossero gentili, la quale molto più resta efficace tra noi Cristiani, cioè che difficilmente una bocca mendace, ed una persona mal costumata potrà persuadere ad altri la verità, ed indurre i giudici a dargli fede.

2 E se bene è vera la sudetta ragione, cioè che poco importa la mala vita, ed opinione dello scrittore, se i motivi siano sodi, e rilevanti ben provati, e portati con buon metodo; Ed all'incontro niente giova l'ottima vita e l'integrità, se i motivi siano irrelevanti e mal provati; Tuttavia per la migliore, e più facile apprensione de' medesimi motivi e ragioni, gran beneficio fa il concetto che si abbia dal Giudice dell'integrità, e della buona vita dello scrittore, perchè applicherà allo studio, ed alla lettura della scrittura con minor sospetto, sicchè il suo intelletto farà molto meglio la sua principale operazione nell'apprendere il fatto, ed i motivi; A somiglianza del Viandante, overo del Corritore, perchè correrà molto più quando abbia buona opinione della bontà, e della sodezza, e sicurezza della strada, di quel che faccia quando abbia il sospetto de' fossi, e de' lacci, e degl'inganni; Che però senza dubbio questo si deve stimare uno de requisiti del buono stile.

3 Si deve però ciò intendere di quella integrità, e bontà, la quale riguardi la professione, ed il fine, per il quale sia desiderata, che però se un causidico sarà puntuale, veridico, ed intiero nella sua professione, ma sarà soggetto alle fragilità ed ad altri vizii personali, li quali non influiscano al fine del qual si tratta, ciò poco importerà; Ed all'incontro mentre importerà che sia continentissimo, divoto, e tutto spirituale, se sia poco veridico, o calunnioso, o mancatore nell'esercizio della sua professione.

4 E cosa però molto lodevole chi vi concorra ancora la bontà della vita nelle parti personali, ed indifferenti, così per il maggior concetto che se ne formi da' Giudici, e dai litiganti, come ancora perchè frequentemente la pratica insegna, che i vizj costituiscono la persona nel bisogno, per il quale si fanno de i mancamenti anche nell'esercizio della professione ancorchè il genio sia buono, ed onorato, mentre il bisogno alle volte induce a fare molte cose, le quali non si vorrebono, nè per altro si farebbono.

Si desidera questo requisito nello scrittore col presupposto più commune e più frequente, che il medesimo sia direttore, così delle cose legali, come di quelle de fatto, sicchè faccia l'uno e l'altro offizio di fattista e di Giurista; 5 Attesochè nelle cose del fatto più che in quelle della legge l'integrità, e la dabennaggine vien stimata necessaria, cadendo in esse più che nelle legali la calunnia, e la bugia positiva con l'inganno de' Giudici, li quali degl'inganni nelle cose legali, e dottrinali si possono facilmente accorgere da se stessi, con lo studio, e con l'apertura dei libri; Che però quando, secondo lo stile della Corte Romana, queste professioni del fattista, e del Giurista siano divise, per quel che si discorre nelli due capitoli seguenti, questo requisito resta più desiderabile nel primo, ancorchè nell'altro parimente sia cosa molto lodevole, e profittevole, anche ad accompagnar il buono stile dello scrivere, e del parlare, perchè le sue scritture, o le parole saranno più stimate; Ed ancora perchè un'uomo da bene può parlare a' Giudici con maggior franchezza, e mettergli maggior timore, acciò facciano la giustizia, e che questa non sia corrotta, overo alterata per le compiacenze, o per altri rispetti.

Per l'istesse ragioni, conferisce ancora molto al buono stile il conveniente decoro, il quale dallo scrittore si deve-

vē sostenere, così nel trattamento proporzionato al suo stato per quel che porta l'uso del luogo, come ancora di non avvilirsi con i clienti, overo con i Giudici, e Magistrati, mendicando le cause, con le suppliche, e con le racomandazioni, sichè si professi d'essere tra la curialità, essendo ciò cosa molto pregiudiziale al concetto, & alla stima, mentre da questa si suole ancora in qualche parte regolare il giudizio sopra la scrittura, conforme in proposito dell'integrità, e de buoni costumi si è detto; Che però si devono abborire quelle bassezze servili, e quelle viltà, delle quali si è discorso nella relazione della Curia nel Dottor Volgare in occasione di trattare de' Curiali, dove il curioso potrà vederlo.

Sogliono alcuni Giuristi, i quali però con il solito poco grato stile leguleico hanno professato di dare i precetti, e le regole sopra lo stile di esercitare la professione dell'Avvocato, ammonire i Professori che debbano vendere cara la loro mercanzia, e farla stentare, acciò sia più grata, e più ben pagata, valendosi del detto, che si disprezza quell'arte, la quale non si vende; Et anche dando l'esempio del medico, il quale deve premere, quando vi sia il male, senza aspettare, che l'infermo sia guarito; Cioè che il cliente si debba mungere, e pelare nel fervore, e nella maggior passione della lite.

Però questi sono precetti molto ignobili, e mecanici convenienti ad artegiani, & a mecanici operarii, ad un' ordine così nobile, qual'è, o dev'essere quello degli Avvocati, a quali non conviene il termine del salario, overo della mercede, ma quello dell'onorario da darsi spontaneamente, che però l'artificio dello scrittore, o difensore, quando anche lo spinga il motivo dell'avarizia, dovrà essere nell'adoprare quei stimoli virtuosi, li quali nascano dalla sua dottrina, applicazione, integrità, e prudenza, sostenendo il conveniente decoro, e puntualità, conforme più distintamente si discorre nell'accennata relazione nel Dottor Volgare, dove il curioso in ciò si potrà sodisfare.

CAPITOLO IX.

Di alcune osservazioni particolari sopra lo stile de' Fattisti, che volgarmente si dicono Procuratori, nelle loro scritture e sommarii nella Curia Romana.

S O M M A R I O.

1 *Della distinzione delle classi de Curiali nella Curia Romana.*
2 *Che questa distinzione fosse anche in Roma antica.*
3 *Dello stile del Procuratore, overo fattista nella narrazione del fatto.*
4 *Dell'altro nel promovere i motivi.*
5 *Delle ragioni per le quali non deve diffondersi nelle allegazioni, e ne i discorsi legali.*
6 *Dell'altra ragione per la quale i procuratori non portino i motivi legali così bene come gli Avvocati.*
7 *Della composizione & uso de sommarj.*
8 *Per questo rispetto si desidera maggior integrità ne i Procuratori.*
9 *Della perizia della pratica ne i Procuratori.*
10 *Se sia bene il valersi de' sollecitatori, e de i Giovani nel comporre i sommarj.*
11 *Che i Procuratori debbano anche esser periti nella teorica.*
12 *Si desidera maggior abilità nelli Procuratori, e della ragione, e si danna il caminare con il solo studio de' praticanti.*
13 *Si danna lo stile che i soli Procuratori diano la direzione alle cause.*
14 *Che l'Avvocato si debba chiamare da principio, e poi non continuarsi l'opera sua.*

C A P. IX.

QUanto negli antecedenti capitoli s'è detto, camina generalmente in tutti gli scrittori nella facoltà legale, o siano Giudici, o Avvocati, o Procuratori, o Cattedratici respettivamente, e da per tutto, applicando con la dovuta proporzione a ciascuno quel che gli conviene, ancorche principalmente ferisca gli Avvocati, ed i defensori delle cause.

Ma venendo alla distinzione delle classi, e delle sfere de professori di questa medesima facoltà; Se per l'uso del paese, in un'istessa causa, e nell'istesso tempo scrivano più pro- 1
fessori di sfere diverse; Come per esempio si pratica nella Corte Romana, che sono distinte le classi, overo le professioni de Giuristi, e de fattisti, chiamandosi i primi Avvocati, e gli altri Procuratori, oltre le altre classi de' Sollecitatori, & Agenti per quel che nella relazione della Curia si accenna nell'una, e nell'altra opera, trattando de' Curiali in tal caso, si deve caminare con un diverso stile.

Questa distinzione de' causidici della Corte di Roma, non è nuova, essendo ancora nella antica Republica Romana; Attesoche oltre gli Avvocati, li quali anche in 2
quei tempi erano controdistinti dai Procuratori, all'ora chiamati ancora col nome di Patroni delle cause, come parimente di presente si chiamano, e gli altri inferiori, i quali erano chiamati sotto il nome generale de Causidici; Vi era ancora un'altr'ordine, o classe, che oggidì non abbiamo, cioè degli Oratori, e Declamatori, de quali resta un'imagine nell'accennata Città di Venezia in quelli, li quali si dicono *Avvogadori*, che sono diversi dagli Avvocati, e sono più qualificati conforme si accenna di sotto nel capitolo decimoquarto.

Per quel che dunque spetta allo stile, che deve tenere il Procuratore, che è l'istesso che il fattista; L'officio suo dev'essere, con quella brevità che sia possibile, senza pregiudicare però alla chiarezza, la quale in questa specie di scrittori, è troppo necessaria, più che nell'altra de' Giuristi, di narrare candidamente il fatto, con tutte le sue circostanze, concludendo quel che si chiegga, ciò si deve fare con una serie continuata, senza divertirsi in digressioni, o illazioni, e motivi; Ed in somma, conforme si è detto di sopra, si deve far conto di far'ad un' assente per lettera la relazione, o narrazione istorica d'un caso, il quale sia occorso, dovendosi presupporre che si parli ad un'uomo nuovo, e non informato, il quale abbia bisogno di sape- 3
re quel fatto per minuto, e distintamente per avervi a dare il suo giudizio.

Seguita che sia questa narrazione, senza ingerirsi nelle parti del Giurista con le allegazioni, e con i discorsi, o raziocinii, deve succintamente accenare i motivi legali, però in forma più tosto imperfetta, relativamente al Giurista, 4
il quale supponga che sia per discorrervi perfettamente, senza diffondersi nelle allegazioni, e ne' discorsi legali, dovendosi da ciò astenere per due ragioni; Una cioè per il buon' ordine della distribuzione degli officii, acciò faccia 5
ciascuno l'officio suo, non s'ingerisca in quello nell'altro, mentre altrimente in tutte le cose del mondo questa confusione partorisce de i disordini; E l'altra perche altrimente l'opera delli Giuristi per lo più così suole restar' inutile, attesoche vedendo il Giudice, che dal fattista si opera, e si discorre anche da Giurista, presuppone che gli Avvocati, uno, ò più siano per ripetere le medesime cose, onde non si cura di legere le loro scritture, il che frequentemente ridonda in pregiudizio delle cause; Attesoche se bene nella Curia, conforme si è detto nella sua relazione, tra i Procuratori vi sono de periti Giurisconsulti, sicche molti d'essi sarebbono abili, quando volessero a far l'Avvocato, & a scrivere da Giurista, anche con eccellenza; Nondimeno valendosi del precetto della legge, di regolare le nostre azioni con quelle cose, le quali siano le più frequenti, e le più contingibili, e per essere i Procuratori molto divertiti, così nel sentire i litiganti, come nel fare gli atti ordinatorii, e nel vedere li processi, e le scrit-
ture, non possono attendere molto di proposito allo stu- 6
dio delle conclusioni legali, che non vi hanno quella consuetudine, e maniera propria, che vi hanno gli Avvocati, come tutti dediti a questo studio senza far'altro, che perciò non portano le conclusioni, e le dottrine, o le ragioni con quella vivezza di spirito, e con quel buon metodo, che le portano i Giuristi; E per conseguenza deve scrivere in modo, che costituisca il Giudice, non solamente in curiosità, ma anche in necessità di ricorrere alle scritture degli Avvocati.

Consiste ancora il buono stile, e la diligenza del fattista, secondo l'uso della Curia (forse singolare) nel concepire bene il sommario delle scritture, e de i testimonj, e l'al- 7
tre prove, o atti per la prova di quel che abbia detto nell' informazione, con l'ordine della medesima seriatamente; Attesochè, conforme più distintamente si è accennato nella Relazione della Curia, così i Giudici, come gli Avvocati, non vedono i processi, e le scritture, ma caminano con questi sommarj, li quali contengono le cose più sostanziali

Card. de Luca, Lib. XV.

per il bisogno, e per l'opportunità della causa, ed al fine, ed effetto del quale si tratta; Che però per questa ragione particolarmente si richiede ne i Procuratori, più che negli Avvocati il concetto d'una somma integrità, conforme
8 nell'una, e nell'altr'opera si è più a pieno discorso, in occasione di trattare del punto, se si possano diffendere le cause contro la propria opinione.

Si desidera ancora ne i fattisti (secondo lo stile della Curia) la molta perizia, così nella teorica, come nella pratica, per la buona direzione del giudicio, o dell'azione nel
9 suo principio, acciò non s'intentino azioni inette, overo pregiudiziali, formando bene i libelli, overo i monitorii, le commissioni, e le altre partizioni, ed anche nel formare gli articoli, e le posizioni, e gl'interrogatorii, e le cedole delle sentenze, le proteste, e gli altri atti, mentre tutto ciò nella Curia si fa da Procuratori, senza che vi si ingeriscano gli Avvocati.

Per far dunque in tutte le sudette cose l'officio di fattista bene, e con buono stile, primieramente vi bisogna
10 un'esatto, e diligente studio per se stesso; e non a relazione delle Parti, overo de Sollecitatori, o de Giovani, del processo, e di tutte le scritture, e prove; Attesoche mai si potrà ben informare il Giudice da quello il quale non sia informato più che bene.

E quantunque non sia biasimevole il valersi in alcune cose, e particolarmente nella vista del processo, e nella composizione del sommario, dell'opera de i Sollecitatori, e de i Giovani, cioè per avanzo del tempo, e per sollievo qualche inutile fatica, come ancora per istruire, ed impratichire la gioventù, la quale come più spiritosa, e più ardente, ed invogliata in quei primi fervori, applicherà forse con maggior diligenza, e risveglierà de buoni motivi, conforme si è discorso ancora nella detta relazione, parlando de i sollecitatori; Nondimeno deve dipoi per se stesso riscontrare il tutto, sicche col suo maturo giudizio, e non con quello de' Giovani seguano gli atti.

Devono ancora, secondo questo stile, i Procuratori
11 della Curia esser molto periti nella facoltà legale, anche nella teorica, mentre senza questa, congionta con la pratica, non si potranno ben' introdotte i giudizj, e le azioni nè dare le buone direzzioni alle cause, e promovere i motivi legali; Ed anche per sapere quali scritture si debbano produrre, mentre da queste produzioni, overo dalle commissioni, o monitorii, o libelli malamente concepiti, o da alcune proteste, o confessioni inconsiderate, sogliono frequentemente nascere de considerabili pregiudizj.

Che però ne i procuratori pare che sia desiderata maggior abilità che negli Avvocati, attesoche in questi basta
12 la teorica, e la notizia delle conclusioni più ricevute de' Tribunali, ma in quelli, oltre questa teorica, vi è anche necessaria la buona, e la perfetta notizia della pratica; Circa la quale manifesto errore, e gran disordine è quello nel credere di apprenderla a bastanza con lo studio, e con la lettura d'alcuni scrittori moderni mecanici, li quali hanno composto de i volumi sopra la pratica, mentre si deve apprendere col lungo praticare i negozj appresso i vecchi e provetti Procuratori, in occasione di sollecitare le cause; Addattandosi il paralello de medici, ne quali non basta il solo studio della facoltà con la lettura de i libri, anche se siano d ottimi praticanti; Ma bisogna che per un luogo tempo si faccia l'assistenze negli ospedali, overo a gl'infermi, nelle case sono l'ordine, e la direzione de medici vecchi, e sperimentati, per apprendere bene la pratica col praticare, sicchè in ciò si scorge non poco disordine, ed un grande abuso nella gioventù.

Di qualche disordine ancora si può dire l'accenata usanza della Curia, che debba dal solo Proruratore dipender
13 l'introduzione de' giudizj, e la direzzione delle cause, & il formare i libelli, overo le commissioni, e monitorj, ed il fare gli altri atti come sopra; ed anche di cominciare ad informare i Giudici, ricorrendo dipoi a gli Avvocati, quando si sia ricevuto qualche provisione pregiudiziale, overo che s'incontrino nel Giudice delle difficoltà considerabili, sicchè gli Avvocati siano chiamati, come per una specie di chirurgi, quando già si sia ricevuta la ferita, overo come una specie di medici aggiunti e straordinarj, quando già il male abbia preso forza, e si sia fatto grande; Mentre in sì fatto stato quella loro opera, la quale dal principio sarebbe stata molto profittevole, per lo più resta inutile. e di poca operazione; O sia perchè il pregiudizio cagionato dalla mala direzzione della causa, o dall'imprudente produzione delle scritture, overo dall'inconsiderata confessione, sia irrimediabile; O veramente: perche essendosi fatta nella mente del Giudice la mala impressione, molto di raro, con difficoltà questa si tolga dagli Avvocati.

Però dall'altro canto pare un male necessario per l'impotenza, overo per il grand' incommodo de litiganti nell'avere in tutte le cause, e dal principio ad assumere gli Avvoca- 14
ti, per la maggiora spesa che per ciò bisogna fare.

Si crede però che per ovviare quanto sia possibile all'uno, ed all'altro inconveniente, sarebbe pratica migliore che si adoprasse dal principio l'opera dell'Avvocato nella buona introduzione del giudizio, e respettivamente nella buona direzione della causa, e nelle prime informazioni per fare la prima buona impressione nella mente del Giudice, a che di poi il progresso della causa segua col solo Prorutatore, quando la qualità delle cause, e de litiganti non comporti l'opera continuata dell'uno, e dell'altro operario.

CAPITOLO X.

Di alcune altre osservazioni particolari sopra lo stile de' Giuristi che si dicono Avvocati, nelle loro scritture, nell'istessa Curia; E se siano degni di lode overo di biasmo i ristretti.

SOMMARIO.

1 *Quali siano le parti del Giurista nello scrivere.*
2 *Paralello tra l' Avvocato & il Procuratore.*
3 *Quando l' Avvocato debba ingerirsi nelle cose del fatto.*
4 *Deve l' Avvocato comprovare tutti i motivi del Procuratore.*
5 *Che debba supplire secondo il bisogno.*
6 *Che alle volte debba vedere le scritture, e non caminare col solo sommario.*
7 *Se siano lodevoli, o ne à ristretti, si discorrono le ragioni per l' una parte, e per l' altra.*

CAP. X.

COl presupposto degli altri requisiti, e precetti già accennati nelle rubriche antecedenti, così circa la brevità, e la chiarezza, come ancora circa l'ordine de i motivi, ed il modo delle allegazioni, e de i discorsi, o raziocinii, col di più che già si è detto.

Per quel che riguarda allo stile particolare degli Avvocati della Curia Romana, nella quale più che altrove si pratica la contradistinzione de Giuristi, e de' Fattisti; Il primo, & il principale precetto dello scrittore Giurista, è quell'istesso che nell'antecedente capitolo si è dato al Fatti- 1
sta, cioè di doversi contenere nel suo officio, e dentro la sua sfera, scrivendo da Avvocato, e non da Procuratore; Che però dovendosi presuppore il fatto nell'informazione del Procuratore, le sue parti saranno di comprovare con le autorità, e con le ragioni legali i motivi da quello promossi; Adatrandosi a queste due diverse sfere di scrittori il paralello del bracco, al quale va paragonato il Procuratore, e del leuriero al quale si rassomiglia l'Avvocato; 2
cioè che il primo ritrova, e fa levare il lepre, o altra fera, e l'altro col suo corso più veloce, l'arriva, e la ferma, sicche il cacciatore ottenga il suo intento.

Che però il Giurista non avrà da ingerirsi nella narrazione del fatto, se non in due casi; Uno cioè, che si tratti di discorsi, o consulti per la verità fuori della Cu- 3
ria, attesoche la narrazione del fatto rende più metodico, e molto migliore il discorso; E l'altro, quando il caso portasse, che il Procuratore non avesse fatto à bastanza bene le sue parti, perche la narrazione del fatto riuscisse oscura, o confusa, o manca, mentre in tal caso l'Avvocato deve supplire, riassumendo quanto più brevemente sia possibile a forma di compendio il fatto, in quelle parti sostanziali, che stimi esser necessario che spicchino bene, per dare spirito, e calore alli motivi, ed alle ragioni legali, che da esso si potrino.

Deve l'Avvocato vestire, e comprovare tutti i motivi promossi dal Procuratore, diffondendosi in essi, più, o 4
meno secondo il loro bisogno, ma niuno abbandonandone; E ciò per la ragione che quando i Giudici vedono che gli Avvocati lasciano sotto silenzio alcuni motivi, li credo-

no

no irrelevanti; Ma quando il riassumerli tutti di proposito cagionasse viziosa superfluità, in tal caso dovrà almeno farne una breve menzione approvativa, e relativa, overo per lo più persupposiiva, quando cioè le altre cose siano certe, oe in quelle consista la difficoltà della causa, ma negli altri punti, sicchè presupponendole, convenga d'incontrare i punti essenziali, e maggiori delle difficoltà, senza imbrattare la magior parte delle carte nel vestire le cose certe, e notorie addotte dal Procuratore, perchè così ricerchi l'ordine del suo stile, ma non quello del Giurista.

5 E se bene queste sono le sue parti; Tuttavia se il caso portasse, che il Procuratore non promovesse alcuni motivi, a quali forse non avesse pensato, o che li promovesse in diverso modo da quel che l'Avocato creda dovers si promovere, sarà cosa degna di lode, anzi necessaria, per sodisfar bene all'officio suo il supplirli, overo il dargli miglior forma, e metodo, secondo che stimerà utile, ed opportuno per la causa.

6 A quest'effetto però alle volte il Giurista, quando voglia sodisfar bene alle sue parti con la dovuta carità, senza fermarsi al solo sommario datogli dal Procuratore, deve vedere le scritture per se stesso, e particolarmente i testamenti, e l'altre disposizioni dubbiose, dell'interpretazioni, delle quali si tratti, attesochè spesse volte la sperienza insegna, che per gli Avvocati si cavino, e si promovano de'motivi sodi, e rilevanti, a'quali non sia arrivato il Procuratore; Che però è bene lodevole, che il leutiere segua la traccia del bracco, ma se vedrà che la fiera tenga una diversa strada, appresso a questa, e non appresso il bracco dovrà correr; Non soggiungendosi il di più sopra lo stile dello scrivere, mentre di ciò abbastanza, principalmente si è discorso ne capitoli antecedenti.

7 Ma perchè frequentemente nelle cause gravi, ed di qualche difficoltà si sogliono assumere molti Avvocati, i quali tutti scrivano sopra una medesima informazione del fatto composta dal Procuratore; Quindi nasce la questione, se sia spediente, o nò per beneficio delle cause il ridurre tutte le scritture degli Avvocati in una sola, nella quale, come in un compendio vi siano tutti i motivi, e le autorità, che in esse si portano, il che nella Curia si dice di fare il Ristretto.

Questa viene stimata una delle questioni problematiche de causidici, avendo delle opinioni, e degli argomenti per l'una, e per l'altra parte; Attesochè quelli, li quali lo lodano, si muovono dalla ragione, che in tal modo per à Giudici si vedano meglio tutti i motivi, e tutte le autorità, e le ragioni, mentre per la molta brevità del tempo che porta lo stile, particolarmente della Curia Romana di doversi studiare molte cause in un giorno solo, conforme si è accennato nella Relazione della Curia in occasione di trattare del Tribunale della Ruota, non è facilmente praticabile il vedere, e lo studiare le scritture di tutti gli Avvocati, perilche suol seguire, che i motivi, e le autorità addotte dagli uni, e non dagli altri, non siano vedute, che in sì fatto modo cessa questo timore, ed a Giudici riesce più commodo, perloche i motivi faciano maggior impressione; Ed in oltre che vi sia ancora la maggior commodità delle Parti per lo sparmio nella spesa de' copisti.

Altri all'incontro tacciandolo dicono, che sia un disordine per più rispetti; Primieramente, che ciò più tosto corrompe il così celebre lodato stile della Curia nello scrivere stretto, ed al punto, e con buon'ordine; Attesochè essendo ciascuno per il commune istinto naturale innamorato de proprii parti, e desiderando ogni scrittore, che i suoi motivi siano portati più che quelli degli altri, come da esso stimati i migliori, secondo il troppo volgare paralello della scimia dello stimare i suoi scimiotti i più belli animali del mondo; Quindi segue, che quello il quale forma il ristretto, cercando, e desiderando di sodisfare a tutti, procura di mettervi i motivi di ciascuno, e ciò cagiona che riesca un centone mal composto, e confuso.

Secondariamente perchè la forza dello scriver bene, non consiste nel sapere i motivi, e le dottrine, mentre fan a che sia nella causa una congregazione, overo che si sia fatta una disputa, già si sanno egualmente da tutti i motivi, e le autorità, ma consiste nello stile che uno avrà, migliore dell'altro; A somiglianza di più Poeti, o istorici, o Segretarii, li quali sopra un'istesso soggetto, o tema, o successo facciano le sue composizioni, perchè quella d'uno sarà di gran lunga migliore, e più esplicativa, e concludente dell'altra sicchè l'eccellenza maggiore d'uno scrittore più che dell'altro suol essere nel dire l'istesse cose con maggiore spirito, e vivezza, e con stile più elegante, e frizzante, e con maggior artificio retorico, a somiglianza di più artefici, a quali si dia l'istessa quantità, e qualità di seta, o di altra materia, per farne un medesimo lavoro, tesochè uno ne farà un tappeto nobilissimo degno della stanza del Principe, ed un'altro ne farà uno molto inferiore, e di poca stima con somigliantí paralelli.

Maggiormente che per una certa usanza (con qualche ragione introdotta per le occupazioni maggiori de più vecchi, e de più eccellenti, li quali però non facilmente possono a ciò applicare) questi ristretti si sogliono comporre dall'Avvocato più giovane, e men pratico; E pure quando fosse praticabile, si dovrebbe fare da quello, il quale si stimi che abbia stile megliore, e maggior' artificio nella retorica legale però, la quale in alcune parti, è diversa da quella degli Umanisti, e de' professori dell'arte oratoria, e particolarmente nel di sopra accennato precetto, circa l'ordine de' motivi.

Che però vi si può adattare quell'esempio, o paralello delle pitture, cioè che facendosi fare da più Pittori, o scultori sopra un medesimo dissegno, o modello più quadri, overo più statue per significare l'istessa effigie, sicchè siano di maggior', o minor bontà secondo il diverso talento, e l'eccellenza de scultori, o pittori, si dia poi l'incombenza al più giovane, ed al men pratico pittore, e scultore che da tutti i quadri overo da tutte le statue, le quali abbiano diverse arie, e fattezze, o maniere, secondo le diverse idee, e maniere de' pittori, o degli scultori, ne formi un quadro, overo una statua, la quale contenga delle fattezze, e maniere di tutti, sicchè non si mostri di stimare più uno che l'altro, mentre ciascuno il quale, anche sotto la mediocrità s'intende di dissegno, della pittura, o scultura, potrà argomentare che bel quadro, overo che bella statua possa riuscire.

E questo è appunto il caso, mentre generalmente a gli scrittori giuristi forensi si addatta questo paralello de' Pittori a penello, overo di mosaico, i quali con i colori, overo con le piccole pietre delli motivi, e delle conclusioni legali, e delle dottrine devono formare un ritratto, o altra figura; Attesochè l'artificio, e l'eccellenza del Pittore, non consiste nella quantità, e nella finezza de' colori, o delle pietre; ma principalmente nel dissegno, ed anche nella loro buona disposizione, e distribuzione, che però niente giovèrà, che il quadro sia molto ricco di finissimi colori, se non abbia il buon dissegno, e l'aria, o la somiglianza di quella figura che si vuol esprimere conforme di sopra si è ancora accennato; Potendosi, e dovendosi condonare questo difetto di replicare i medesimi paralelli per maggior capacità, ed impressione.

La terza più efficace, e più importante ragione è quella, che quando si sappia che si deve fare il ristretto, sicchè le loro scritture non siano per vedersi da'Giudici, e dal mondo, i scrittori non vi applicano con quello spirito, e maggior' attenzione che per altro si farebbe; Attesochè nelle parti, e nelle operazioni degli artefici, o de'lavoratori di campagna, e degli altri operarii mecanici si opera per il solo stimolo della mercede stabilita, ma nell'operazioni dell'ingegno per lo più si opera principalmente con applicazione per lo stimolo della gloria, e particolarmente da' giovani per pigliare fama, e grido, quando scrivono in concorrenza de' vecchi, ed accreditati; Onde s'affaticano più dell'ordinario nell'addure de buoni, ed ingegnosi motivi, e buone dottrine, e nello scrivere spiritosamente con buono stile per esigere il plauso, il che cessa in questo caso.

E questa ragione deve ancora servire per ricordo, e ammonizione a litiganti, e particolarmente a signori, ed a personaggi grandi, nel procurare, con la stima, e con le cortesie, di guadagnare l'affetto degli Avvocati, e degli altri difensori, mentre l'affetto più che la mercede negli spiriti elevati, e puntuali dà lo stimolo d'operar bene, e con particolar'applicazione.

Onde (ritornando al nostro proposito) da ciò nasce un doppio disordine; Uno ciò del pregiudizio privato del cliente, e della causa, perche si opera, e si scrive più languidamente, e con minor applicazione; E l'altro maggiore come publico, e di cattive conseguenze nel progresso del tempo, cioè che la gioventù si illanguidisce, onde a poco a poco si va perdendo, e corrompendo il buono stile, come pare che per lo più vada già insegnando la pratica.

Queste ragioni dunque pajono senza dubbio migliori, e

più

più efficaci delle prime; e per conseguenza ne segue la conclusione che sia migliore, e più probabile quell'opinione, la quale danna sì fatta usanza; E de fatto da primi giorni, che ancora forastiere, & irresoluto cominciò lo scrittore a praticare la Curia, sperimentò che da i più vecchi, e da quelli del prim' ordine, communemente ciò fosse disapprovato, conforme tuttavia si continua a disapprova da quelli dell'ordine sudetto.

Bensì che ciò si deve intendere con la dovuta discretezza, cioè che questa sia la regola, da limitarsi però alle volte, secondo che ricerchino le circonstanze de' casi, sicche sia lodato, ed approvato di comune consenso degl'Avvocati, e non per arbitrio, e per elezione delle Parti, ò d'un' Avvocato solo; Ed in tal caso il ristretto composto che sia, deve passare sotto l' occhio, e la correzzione di tutti, mentre in tutte le cose del mondo, & in tutte le operazioni intellettuali per lo più problematiche, sicche vi sia il dritto, ed il roverscio, la forza consiste nella preponderanza, conforme nel principio del proemio del Dottor Volgare si va discorrendo.

Che però il disordine consiste nella frequenza, overo nell'uso, il quale sia con maggior', ò minor discretezza adoperato; Insegnando la natura che anche le cose velenose, e nocive, quando siano poche, ed adoprate a suoi debiti tempi non nuocono, ma più tosto giovano; Ed all'incontro che le buone, e le giovevoli, anzi i medesimi medicamenti, quando siano in gran quantità, e fuori della dovuta dosa, ò pure che s' adoprino troppo frequentemente, ò fuori de suoi tempi opportuni, non fanno giovamento alcuno, anzi che nuocono, e pregiudicano, E questo per appunto si può dire il caso, sopra il punto del quale si tratta con altri somiglianti, a quali s'adattino le medesime ragioni; Onde il tutto consiste nell' adoprar le cose opportunemente, e secondo le circostanze particolari de casi, perloche entra il più volte accennato errore del caminare indifferentemente in tutti i casi con le sole generalità, e senza le dovute distinzioni, e le riflessioni alle circostanze particolari di ciascuno, dalle quali dipende l' applicazione opportuna.

CAPITOLO XI.

Di alcune osservazioni particolari sopra lo stile de' Giudici o Consiglieri ne' loro voti, o motivi, o decisinoi, che si diano in scritto.

SOMMARIO

1 *Delle diverse specie di decisioni de' Tribunali.*
2 *A quali propriamente convenga il titolo delle decisioni.*
3 *Della differenza trà l'una e l' altra specie di decisioni.*
4 *Le decisioni della Rota Roma a sono atti stragiudiciali.*
5 *Delle ragioni degli stili antichi, e perche di presente quelli siano degni della riforma.*
6 *Che à queste specie di scritture più si adattino i precetti della brevità, e della chiarezza e gli altri.*
7 *Con che stile si debba parlare in queste scritture.*
8 *Si devono esplicar bene i motivi approvati, e li reprovati.*

CAP. XI.

IN due modi si sogliono formare le scritture giuridiche
per i Giudici, e per i Tribunali, col nome di voti, ò di
motivi, overo di decisioni; Uno cioè quando non richie-
1 dendolo lo stile del Tribunale per necessità, alcuno de Giu-
dici, overo de' defensori, doppo che la causa sia gia termi-
nata, per giustificazione del giudicato, eleggendo tra mol-
te cause quelle le quali gli pajano più gravi, overo più
degne di questa memoria, vi formi de i discorsi, a quali
dia il nome più frequente di decisioni, sì che sia una fatica
privata, e volontaria; E l'altro, quando sì fatte scritture
si formino per necessità da uno di quelli, i quali sedono nel
Tribunale, sì che sia il Giudice, overo il Commissario, ò
Ponente, ò Relatore della causa, perche così ricerchino
le leggi, overo i stili del Tribunale, e che ciò segua prima
che si venga alla sentenza, ò ad altra provisione giudizia-
le, onde la scrittura sia come una publicazione de motivi,
e de sensi del Tribunale; in qual modo, e per quali ragioni
abbia in animo giudicare più a favore d' una Parte che
dell' altra, quando non si sodisfaccia a suoi motivi,
& alle difficoltà accennate, sicche sia come una preparazio-
ne, ò preludio della giudicatura, la quale dovrà seguire.

Della prima specie sono (senza uscire dalla nostra Italia) tante decisioni che abbiamo impresse ne i volumi di diversi Tribunali grandi, e collegiali; Come per esempio sono le decisioni dell' Afflitto, del Gramatico, del Capicio, del Franco, del Gizzarella, del Tappia, del Capio Latro, del San Felice, del Mastrillo, del Castiglio, del Muta, del Giurba, del Cacherano, del Tesauro, del Sordo, del Medici, & altri simili; E dell'altra Specie sono le decisioni della Ruota Romana, & anche quelle delle Ruote Fiorentina, Senese, e Lucchese, e simili, le quali con termine, ò nome più proprio, e più significativo, si chiamano motivi, e l' istesso in quegli altri Tribunali, li quali abbiano il medesimo stile.

E se bene abbiamo ne volumi sotto questo nome di deci- 2
sioni, certi voti, ò discorsi di alcuni Giudici unici, e sin-
golari; Nondimeno, conforme si è accennato nell'una,
e nell' altr' opera, e particolarmente nel proemio del Dot-
tor Volgare, è stata una manifesta temerità di coloro,
quali alli loro sentimenti, ò voti particolari, e per giu-
stificare il proprio giudizio abbiano dato questo nome, ò
titolo di decisioni, convenendogli più tosto quello d'
annotazioni, ò di discorsi decisivi, mentre questo titolo di
decisioni pare che non convenga, se non à Tribunali colle-
giali grandi, e supremi, come sono i già accennati, e simili.

Gran differenza però si scorge tra l' una, e l' altra
specie di queste scritture decisive; Attesoche quelle della 3
prima specie, come formate nelle cause già decise, e fi-
nite, non portano seco quegli effetti giovevoli, ò res-
pettivamente pregiudiziali, che cagionano quelle dell'
altra specie, che però importa poco, se lo stile sia buo-
no, e perfetto ò nò, eccetto che per la gloria, e per
la lode dell'Autore, a somiglianza di tutte le altre scrit-
ture, & opere, le quali si diano alla stampa; Giovando
tuttavia il buono stile per la direzione, e determinazione
dell' altre cause simili in avvenire, sicchè servano per esem-
plare; Che però anche a queste si adattano alcune di quelle
ragioni, e di quei requisiti, li quali si considerano di sotto
nell' altra specie di quelle scritture, le quali in effetto
sono preparazione della futura decisione giudiziale della
causa, ancorchè non in tutto si adattino l' istesse ragioni.

Che però, conforme si accenna nella relazione della
Curia, così nell'una, come nell' altra lingua, latina,
ed Italiana, parlando del Tribunale della Ruota Roma- 4
na, queste decisioni si dicono atti stragiudiziali, onde
chiaro resta l'errore di quelli i quali credono che siano
sentenze, ed atti giudiziali, o veramente che vogliano
fare le comparazioni trà questa specie di decisioni, e l'
altra, conforme ivi più distintamente si discorre.

Per quel che dunque spetta a questa seconda specie
di decisioni preparatorie della futura sentenza, o provi-
sione; Pare che per la mutazione de' tempi, e dell' u-
sanze si adatti ancora quello che circa la riforma de-
gli antichi stili si è accennato del capitolo primo proe-
miale; Cioè che anticamente, quando non si era in-
trodotto, overo non si era reso così frequente l'uso di 5
raccogliere, e dar alla publica luce con le stampe ne'
volumi sì fatte decisioni, di queste, ed' altri somiglian-
ti Tribunali, li quali avessero l' istesso stile, era scusa-
bile quel metodo che si teneva di non permetter la ben
distinta narrazione del fatto, ma di presupotla, attesochè essendo scritture, le quali principalmente si formavano per communicarle alle Parti, de loro difensori per rispondere alle difficoltà, non occorreva narrare quel fatto come molto ben noto a quelli, con li quali si parlava.

Come ancora erano scusabili alcuni altri stili, cioè circa l' allegare i scrittori sotto il solo nome della patria, overo col solo nome della dignità, ò dell' officio; Ma di presente, ancorchè a rispetto delle parti collitiganti, e de' loro difensori entrino l' istesse ragioni; Tuttavia per l'accennato uso delle stampe, pare che sì fatti antichi stili siano degni di qualche riforma per le ragioni, quali si assegnano di sotto nel capitolo decimoterzo, dove si potranno vedere, e sfuggire al possibile la repetizione delle stesse cose.

Circoscritta questa considerazione, circa le sudette,
o simili cose accidentali; Per quel che aspetta alle so-
stanziali, cioè che riguardano al fine, per il quale tali 6
scritture si compongono; A questa specie più che a quel-
le degli Avocati, e de consultori, si adattano quelle
consi-

considerazioni, le quali si sono fatte di sopra in più rubriche antecedenti; cioè sopra la brevità, la chiarezza, la buona elocuzione, in modo discorsivo, o raziocinativo, sopra tutto intorno allo stile delle allegazioni, quando si debbano fare, o nò; Attesochè parlandosi in nome di tutto un Tribunale a forma decisiva per indicare alle Parti, ed a loro difensori le ragioni,
7 ed i motivi, per i quali il Tribunale s' induca a dichiararsi di voler giudicare più in un modo, che nell' altro; Quindi segue, che convenga parlare da maestro, e da provetto Giurisconsulto, presupponendo quelle regole, overo proposizioni, le quali siano cognite, o che non si controvertano dalle Parti, e da' loro difensori; Ornando solamente con le allegazioni quei punti, e quelle proposizioni, alle quali si restringa la difficoltà della causa, sicchè l' opera sia ordinata al suo fine, il quale non è altro che di giustificare, che quella giudicatura, la quale si abbia nell' animo di fare, sia ben fondata con autorità, e con ragioni legali; Usando anche nelle autorità lo stile grave, e da maestro, cioè di valersi delle autorità più stringenti, a più antiche, ed accreditate.

Che però maggior diversità di stile si deve usare in questa specie di scritture, che in quelle degli Avvocati, e particolarmente de' Giovani, Attesochè questi sono scusabili, se per l' accennato motivo di fare qualche ostentazione della loro dottrina, o fatica, e per acquistare grido appresso il volgo si diffondono più del dovere nel cumulo delle allegazioni, ma ciò non si adatta a' tribunali grandi; Ed in somma basta dire che questo stile debba essere magistrale, e grave come opera, non di un solo, ma di molti, li quali siano, o si debbano presuppore dotti, e provetti Giurisconsulti; onde troppo disconviene di usare lo stile d' un' Avvocato giovane; E questo pare quello stile, il quale si debba tenere in questa specie di scritture.

Il requisito però, overo il precetto migliore, ed il più sostanziale, così per la causa particolare, e per il fine per il quale la scrittura si sia formata, come ancora per regolare l' altre cause, si stima quello di discorrere di tutti i motivi, e di esprimere bene quelli i quali siano stati riprovati, e quali siano gli approvati, e quale veramente sia stato la causa, ed il fon-
8 damento della resoluzione; E quando siano conclusioni adattabili all' una, ed all' altra opinione, secondo le diverse circonstanze de' casi, all' ora si deve onninamente esplicar, e distinguere bene per qual circostanza si adatti la conclusione, o regola legale, più ad una opinione, con la quale il Tribunale camini in quel caso, e perchè in un' altro camini con l' altra.

Si deve ancora in questa specie sfuggire al possibile l' addure incidentemente, e fuori del preciso bisogno della causa, proposizioni dubbie, mentre da ciò sogliono nascere di molti equivoci pregiudiziali alla giustizia nelle determinazioni dell' altre cause; Che però lo stile di distinguere i casi, ed a ciascuno applicare le conclusioni, e le autorità opportunamente, in questa specie di scritture si stima molto al proposito, e profittevole, anzi più necessario che in quelle degli Avvocati, e de' Consulenti, ancorchè in queste parimente ciò sia molto lodevole, ed opportuno.

CAPITOLO XII.

Di alcune osservazioni particolari sopra lo stile de Cattedratici, o Lettori, parimente in scritto.

S O M M A R I O.

1 *Dell' antico stato de' Cattedratici diverso dal precedente.*
2 *Quale stile si debba tenere da Cattedratici ne' loro scritti.*
3 *Dello stile da tenersi per i Lettori dell' Istituta.*
4 *E di quello de' Lettori dell' ordinario.*
5 *Si biasimano i compendj, ed a quali siano giovevoli.*
6 *Si danna l' allegare le decisioni, e le autorità prattiche.*
7 *Della differenza tra le scuole, ed i Tribunali.*
8 *Delle ragioni per le quali sia necessario, e profittevole lo studio scolastico.*
9 *A quale sorte di persone, convenga lo studio per compendio, e per pratica solamente.*
10 *Si loda ne' scolastici la buona elocuzione, e l' erudizione.*
11 *Delle cose le quali si debbano abborrire da Cattedratici, e lettori.*
12 *Si dichiara che cosa sia quella legge delle genti, della quale parlano i Giuristi, overo i Politici.*

C A P. XII.

IL trattare dello stile in questa specie di scritture de' Cattedratici, li quali volgarmente si dicono Lettori, per addottrinare i Giovani nella facoltà legale, pare incongruo ad un professore praticante del foro; Attesochè se bene anticamente i Cattedratici attende-
vano all' una, ed all' altra professione, cioè d' interpre- 1
tare le leggi nelle scuole, e nelle cattedre, alla forma scolastica, e disputativa, coltivando però i circoli, e le accademie; Ed anche di dare i consulti, ed i voti, o risposte sopra i casi prattici, i quali si disputavano nelle Città e Tribunali conforme insegnano le opere di tanti antichi nostri Maestri, nell' uno, e nell' altro genere, di repetizioni, e di consigli.

Nondimeno perche, conforme anche si accenna nel Dottor Volgare, nella relazione della Corte, in occasione di trattare de' Coriali, lo stato delle cose si è così mutato, che i Professori pratici del foro molto di rado applicano alla cattedra; Ed all' incontro i Professori scolastici delle cattedre, e delle accademie, poco, o niente si curano applicare alle cose prattiche del foro, quasi che siano oggi rese professioni, overo classi totalmente diverse, e per un certo modo opposte.

Non sarà però inutile il dar anco brevemente qualche poco saggio di questa specie di stile, lasciando il dovuto luogo a i medesimi Professori delle scuole, e delle cattedre, a' quali veramente spetta, e conviene, il trattarne più di proposito, come dovrebbono fare.

Questo stile deve essere totalmente diverso, e quasi
opposito a quello, del quale si è di sopra discorso per 2
il foro pratico, attesochè a questa specie di professori conviene più tosto di trattare le materie, e le questioni legali idealmente, ed in astratto, e più con argomenti e con ragioni specolative, che con le autorità, e con le cose pratiche; Ed all' incontro agli altri conviene trattarle praticamente, e nel concreto, a con le autorità, e le ragioni pratiche, e con gli esempi delle decisioni di Tribunali grandi, premendo principalmente all' applicazione secondo le circonstanze particolari del caso, del quale si tratta.

Distinguendo dunque i Cattedratici Istituisti come primi maestri, ed introduttori de' Giovani allo studio di questa facoltà, dagli altri delle letture ordinarie; Pare, che alli primi, a comparazione, o differenza degli altri, convenga il Paralello delli Procuratori, con gli Avvocati, cioè che conforme l' officio de' Procuratori deve essere, che con uno stile piano, e candido si debba attendere alla ben distinta narrazione del fatto per informarne, ed imbeverne, il Giudice non informato, col toccare, e promovere solamente i motivi, e le questioni legali, lasciando agli Avvocati l' incombenza di proseguire, secondo l' addotto paralello del Bracco, e del Levriere; Così le parti del Lenore, o Cattedratico Istituista, devono essere di adoprare uno stile piano, e facile, ma ben distinto, e più tosto prolisso, che breve, per imbever bene i Giovani de' principj, e de' termini della facoltà, senza molto divertirli alle difficoltà, ed alle questioni proporzionate agli scolari più provetti, li quali siano nel corso ordinario; Dovendo essere lo scopo, non solamente principale, ma unico di sì fatti Maestri, o Cattedratici nel corso d' un' anno intiero, di far' apprendere, ed impossessare bene i Giovani de i principj, e de' termini, come troppo necessarj, toccando alcune piccole, e facili questioni per cominciare a disporre l' ingegno alla parte disputativa, ma che ferisca l' istesso fine della suddetta notizia de termini.

Adattandosegli il paralello de' Maestri della Gramatica, li quali ne' principj devono attendere solamente ad insegnare, ed a far' apprendere bene alli scolari le regole,

le, senza ingerirsi in modo alcuno nel fraseggiare, in quell' altre cose, le quali riguardano la scuola dell' Umanità, perchè altrimente i discepoli saranno confusi, ed ignoranti nell' una, e nell' altra specie; O pure adattandosi l' altro più basso parallelo, ma più significativo, dello Scozzone, il quale non deve fare da cavallerizzo, anche quando ne avesse qualche perizia, e che conoscesse la disposizione del polledro nel metterlo al passeggio, overo ai salò, ed ad altri somiglianti esercizj, perchè l' officio suo deve essere d' attendere solamente al farlo trottare, e galoppare, acciò si rompa, e si allegerisca, ed intenda bene la mano, nel voltare, e nel dare in dietro, con simili esercizj, li quali convengono al polledro, e non al cavallo fatto, sicchè faccia da scozzone, e non da cavallerizzo, essendo queste professioni differenti.

Quanto agli altri Cattedratici delle letture, le quali si
4 dicono le ordinarie, e che, secondo i precetti di Giustiniano, ricercano il corso di altri anni quattro; Si deve parimente attendere al solo studio, ed all' addottrinamento della teorica, con le questioni generali, anche ideali, e con l' avvezzare i giovani alle dispute delle questioni problematiche, ed a sostenere le opinioni più stravaganti, e meno communi; Ed anche sopra tutto, che si esercitino nella lettura, e nella pratica de i testi, cioè delle leggi, e de i Canoni, e delle loro Glose, ed Interpreti antichi con l' induzioni, e conciliazioni delle contrarietà, e simili esercizj.

Attesochè, se bene ai pratici del foro questi pajono studj inutili, e superflui; Nondimeno sono necessarj, non che opportuni, e molto profittevoli, mentre in tal modo si confermano meglio i termini, ed i principj appresi nel primo anno dell' Istituta, e s' avvezza l ingegno al discorrere, ed al raziocinare per acquistare il modo dell' applicar bene leggi, e le autorità al fano, e di sapere distinguere, e conoscere le fallacie, sicchè si acquisti quella tanto lodevole, e buona parte discorsiva, overo raziocinativa, della quale si è discorso di sopra, e senza la quale un professore mai potrassi dire che sia Giurisconsulto, e Dottore scientifico, ma solamente sarà un' infarinato, il quale sappia alcune conclusioni, o proposizioni legali per tradizione, all' uso de papagalli; E questo deve essere il buono stile de' Cattedratici nelle loro scritture, o lezioni, li quali si diano a studiare agli scolari.

5 Devono però onninamente sfuggire due cose, (ancorchè ne' tempi moderni, e particolarmente in Roma molto dannabilmente siano passate in abuso, sicchè può dirsi corruttela degna della riforma;) una cioè di astenersi dall' insegnare in compendio, essendo questo profittevole, e degno di lode per i già provetti, e più per reminiscenza delle cose apprese, e studiate, che per primo studio, sicchè ciò si stima errore troppo manifesto; E l' altra di fuggire le conclusioni pratiche, e di allegare le decisioni, e le autorità de' Trattatisti, o de' Consulenti, overo de' Colettori, e particolarmente moderni, non dovendosi partire da i testi, e dalle Glose, e da i Repetenti antichi, ed anche da quei moderni, li quali abbiano tenuto un buono stile di puri teorici, o scolastici. Attesochè desiderandosi volentieri dagli uomini d' ottenere presto quel fine, per il quale si faccia un' operazione laboriosa, ed essendo l' accennato studio scolastico di maggior fastidio, e di fatica all intel-
6 letto; Quindi segue che facilmente la gioventù lo sfugge, e s attacca alle cose pratiche, ed allo studio delle decisioni, e de' trattati, o de' consigli per il loro stile più facile, e piano, ma però è cosa perniciosa alla gioventù nelle scuole, dispensandosene solamente verso il fine, e nell' ultimo anno a i scolari già provetti qualche poco saggio, come per una preparazione all' altro futuro diverso esercizio della pratica de i Tribunali.

7 Lo studio delle leggi teorico nelle scuole viene paragonato al mangiare, ed all' ingiottire, e l' altro pratico nelli Tribunali, al digerire il cibo già mangiato, acciò si converta in sangue di buon nutrimento, secondo il detto de' nostri maggiori, cioè che le leggi si mangiano, e s' ingiottiscono nelle scuole, e si digeriscono ne i palazzi, e ne i Tribunali; Che però mai si potrà far buona digestione; quando non si mangi con la dovuta preparazione, e che non si mastichi bene, sicchè il palato ne abbia ottenuto il gusto, e la buona cognizione, ma che si sia divorato intiero, ed inconsideratamente senza gustarlo; Eccettuatine quei casi rari, ne i quali il giovane mall' avvezzo ad ingojare, e non a masticare, fosse di natura di bove, cioè che con gran fatica, e pazienza doppoi assumasse un lungo studio camerale, col quale raffinasse bene l' ingojato ed in tal maniera facesse la buona digestione.

E se bene molti credono, che questa specie di studio sia inutile per il fine, al quale si faccia, mentre nel foro pratico, così nei i Giudici, come negli Avvocati, o difensori, viene stimato dannabile lo stile scolastico, per le ragioni diffusamente accennate nell' una, e nell' altra opera, sicchè debba bastare una compendiosa notizia de i termini; Nondimeno questo è un' errore, ed un' inganno troppo grande, e manifesto, attesochè lo stile scolastico è necessario per apprendere la facoltà scientificamente, e con i suoi dovuti termini, sicchè si ottenga la vera scienza, la quale consiste nel sapere le cose per la sua vera causa, overo per la ragione, e non per semplice tradizione.

Altrimente, conforme si è accennato nel proemio del 8
Dottor Volgare, non occorrerebbe consumar tanto tempo nell' insegnare per regole a' putti la grammatica, e l' umanità per parlare, e per scrivere nella lingua latina, e per intenderla; mentre bastarebbe che l' apprendessero per pratica, e per tradizione, in quel modo che si apprendono nella nostra Italia la lingua Spagnuola, Francese, Tedesca, e simili; O pure non occorrerebbe consumar così lungo tempo nell' insegnare la musica con le note, perchè quando vi sia un buon' orecchio, in poco tempo si può imparare a cantare per aria; Overo a quelli i quali vogliono fare il medico, bastarebbe in compendio, con breve tempo acquistare qualche notizia de' termini della medicina, e dipoi mettersi negli ospedali a praticarla; E pure vi si deve consumare un settenio ad apprendere le due scienze, cioè prima della filosofia, e poi della medicina, e ciò per l' accennata ragione, che altrimente non si cantarebbe, nè si parlarebbe latino, nè si medicarebbe per scienza, ma per pratica, e tradizione, overo si cantarebbe per aria; E questo è appunto il caso in quei Leggisti, li quali non avendo fatto i studj della teorica col suo corso stabilito da Giustiniano, ed anche da i primi interpreti, e maestri, cominciano con lo studio delle decisioni, e de' trattati, e degli libri pratici, perchè mai saranno Giurisconsulti, e professori scientifici, i quali sappiano le conclusioni legali per la sua causa, ma saranno musici d' aria, o medici di sola pratica.

Questo stile compendioso, e più per tradizione, e per
pratica, che in forma scolastica, e scientifica, conviene 9
a quelli, a' quali sia espediente d' avere solamente una infarinatura, ed una notizia superficiale, così della facoltà legale, come anche di alcun' altre scienze, e lettere, per non essere tanto soggetto a gl' inganni de loro Consiglieri, ed Auditori, e ministri, sicchè non abbiano da far il Giurista in sfera di Avvocato, o di Procuratore, o di Giudice per professione; come sono i Signori, e personaggi, ed anche i privati cavalieri, e nobili, overo grandi negozianti, e simili per i quali s' è composta l' opera del Dottor Volgare; Che però a sì fatto genere di persone forse sarebbe opportuno il fare apprendere anche la lingua latina per pratica, in quell' istesso modo che apprendono la francese, e la spagnuola, la tedesca, e simili, acciò possano più speditamente attendere allo studio della politica, e delle storie, overo a gli esercizj militari, e cavallereschi, per quel che si discorre nel proemio dell' accennato Dottor Volgare.

E da ciò deriva l' inganno, particolarmente in Roma, che essendosi facilmente tenuto questo stile con alcuni Signori, e personaggi, si voglia generalmente usare con persone private, e popolari, le quali abbiano a fare il Giurista per professione, senza riflettere alla distinzione delle persone, ed al fine per il quale si faccia l' operazione.

A questo stile scolastico pare, che sarebbe ancora con- 10
veniente una lingua latina più elegante, e culta, come per appunto l' hanno usata molti Professori della Cattedra più che del foro; Ed anche la mistura delle erudizioni, per sollevare maggiormente l' ingegno de Giovani, e per avvezzarli in modo, che quando gli conviene nel foro di poi dovere trattare per necessità li barbarismi per le ragioni accennate di sopra nel capitolo quarto, li sappiano in qualche modo addolcire, e temperare.

Dovendosi ancora sopra tutto abborrire d' imbevere la gioventù di quelle simplicità, e sciocche favolette, overo di quelli equivoci della lingua, ne' quali gli antichi incorsero per le ragioni allegate di sopra nel capitolo primo proemiale; E particolarmente circa l' antica comunione de' beni, overo del non esservi anticamente l' uso delle monete d' oro, ed' argento; E di certe cose, le quali si dicono

dicono della legge, della natura, o delle genti, mentre veramente sono della legge positiva, e cose simili io più occasioni accennate nel sudetto Dottor Volgare; E specialmente di quella sciocca favola, la quale da molti si racconta di quel pazzo, il quale da' Romani fosse mandato in Grecia a prender le leggi, cosa veramente non solo inverisimile, ma degna dell' irrisione, e del disprezzo non ordinario, per molte chiare ragioni, che sarebbe nojosa digressione il riassumerle.

12 E particolarmente devono avvertire, che se bene, così per gli antichi Giurisconsulti, dalli responsi de' quali si sono formate quelle leggi, le quali si dicono delle Pandette, overo de' Digesti, come anche per alcuni Imperatori nelle loro costituzioni, dalle quali si sono formate quelle leggi, che si dicono del Codice, o dell' Autentico, overo delle Novelle, è per conseguenza per i Glosatori, ed Interpreti, con i quali camina la turba de' Consulenti, e degli altri scrittori, si usa con frequenza la distinzione tra la legge civile, e quella delle genti, riferendo respettivamente alcuni contratti, ed ultime volontà, ed altre cose, parte all' una, e parte all' altra legge, con diverse distinzioni, a formalità.

Nondimeno, conforme più distintamente si discorre più volte nell' accennato Dottor Volgare nel proemio, ed in diverse altre sue parti, questa è una delle simplicità, e così de' Giuristi, come de' Morali; Attesocchè quella legge indispensabile, ed inviolabile delle genti, della quale sogliono così frequentemente discorrere i Politici, non si ritrova scritta, nè hà regole, o principj stabilti dalla podestà umana, ma deriva da quella ragione, la quale distingue gl' uomini dalle bestie, e che si stima necessaria per il commercio in generale, sicchè sia commune a tutto il genere umano, senza distinzione di paesi, e di Principati, overo di Religioni, e Sette; Che però sia la medesima frà Cristiani, Giudei, Turchi, Persiani, Indiani, Tartari, ed altri senza differenza; Ma quella legge delle genti, la quale da' Giuristi si controdistingue dalla civile ne' contratti, e nell' ultime volontà, e nell' altre cose legali, o forensi, in fatti è anche legge umana, e positiva introdotta con l' autorità, overo con i costumi d'alcuni popoli, più, e meno civili, ma si dice delle genti perchè non sia ordinata di nuovo da Romani, ma che già fosse in essere prima che la Republica Romana divenisse grande; Dicendosi però solamente legge civile, quella la quale sia stata di nuovo ordinata da essi Romani; A somiglianza di quel che si legge nella sacra scrittura del Testamento vecchio, che genti si chiamano tutti quelli i quali non fossero Ebrei.

Essendosi anche da medesimi savissimi Romani antichi incorso in molti equivoci per non aver notizia di altre lettere, ed istorie, che di quelle apprese da' Greci; attesochè non ebbero quel maggior lume, che di poi ci à dato la più antica istoria della sudetta sacra scrittura, dalla quale siamo venuti in cognizione delle più antiche, e grandi Monarchie, o Republiche, degli Assirj, de' Medj, de' Persiani, e degli Egizzj; E che anche in molti secoli prima che nascessero le piccole Republiche, o Principati della Grecia, e la Republica Romana, in tempo di Abramo, e di Giacobe, e Giuseffo, vi era l' uso delle monete d' oro, e d' argento, e del contratto della compra, e vendita, e degli altri contratti; Anzi che tra gl' istessi primi figli Abbello, e Caino del primo Padre Adamo vi fosse la distinzione delle possessioni, e del mio, a del tuo con l' emulazione, la quale cagionò il fratricidio.

Che però restano chiare favolette da dirsi e putti e veglia quelle tradizioni de' nostri maggiori, che anticamente non vi fosse la distinzione de' dominj, e che il tutto fosse commune, e che non vi fossero alcuni contratti, e particolarmente quello della compre, e vendita, per non essersi ancora introdotto l'uso del denaro, sicchè si vivesse col solo contratto della permutazione; Overo che il fare i testamenti, ed i fideicommissi fosse di ragion di nature, o delle genti, con altre simili simplicità, delle quali più distintamente si è discorso nell' una, e nell' altra opera, del Teatro, e del Dottor Volgare, e particolarmente in questa seconda.

A tutto ciò dunque devono riflettere i Cattedratici, lettori, corregendo, o riformando gli antichi stili per non imbevere la gioventù di sì fatti errori, e favolette, da quali nascono dipoi de' molti equivoci, intorno la podestà del Principe, e le altre cose accenate più diffusamente nella sudetta opere del Dottor Volgare sparsamente, e particolarmente nel proemio, e nel titolo de' regali in occasione di trattare della podestà del Principe, di togliere le ragioni del terzo, e di derogare a' testamenti, e fideicommissi, ed anche a' contratti, e cose simili, sicchè chiaro errore si stima il continuare con le antiche, e solite tradizioni.

CAPITOLO XIII.

Della diversità dello stile tra le scritture correnti le quali si facciano per la sola opportunità della causa di presente; E quelle le quali siano ordinate alle stampe, ed alla luce publica per la perpetuità.

S O M M A R I O.

1 *IL primo requisito nelle scritture, che si danno alle stampe, è quello della narrazione del fatto.*
2 *Della differenza circa le allegazioni tra le scritture correnti, e le opere in stampa.*
3 *Della differenza trà gli scrittori discorsivi, o raziocinativi, ed i collettori, o prammatici.*
4 *Dell' altra differenza nel presupporre alcune opinioni.*
5 *Dell' errore di allegare i Dottori col nome della Patria, o della dignità, o dell' officio.*
6 *Delle lodi de i Giudici, e degli altri superiori, se si debbano fare.*
7 *Che nelle stampe si debba tenere uno stile più alto, e più nobile, e della ragione, e se ne dà il paralello.*
8 *Si danno il dare alle stampe le informazioni, e li consulti nel modo che si facciano nelle scritture correnti, e come ciò si debba fare.*
9 *Quando anche nelle scritture correnti si debba scrivere solamente per la verità.*
10 *Se si debbano ripetere le scritture sopra gl' istessi articoli.*
11 *Se nelle stampe convenga trattare le materie legali nella lingua volgare.*

C A P. XIII.

TRa gli errori, ne i quali vive il volgo, si scorge quello di regolare con un' istesso stile lo scrivere nelle cause correnti per l' opportunità presente, e lo scrivere per l' eternità nelle stampe, e nei volumi, essendovi grandissima differenza in molte cose; Primieramente cioè, nell' esatta narrazione del fatto, attesochè nelle informazioni, o consulti degli Avvocati per difesa delle cause correnti, ed anche alle volte ne i discorsi per la verità, o per la direzione, non disdice, anzi frequentemente conviene, ed è lodevole per isfuggire l' inutile prolissità di presupporlo come narrato nell' informazione del Procuratore, o nella serie trasmessa, sopra la quale si dimandi il consulto, sicchè il fatto non si controverta; E l' istesso nei voti, o motivi, o decisioni; attesochè essendo scritture ordinate per ammonire le Parti, e i loro difensori delle ragioni per le quali si delibera, overo si accenna di voler giudicare più in un modo che nell' altro: Quindi segue che sia superflua la narrazione del fatto, mentre si parla con persone, le quali già ne sono bene informate, sicchè lo stile merita dirsi più tosto degno di lode. 1

Ma quando sì fatte, o simili scritture siano destinate alle stampe, o pure che probabilmente per l' uso più frequente siano per darvisi; In tal caso, necessaria non che opportuna si stima questa narrazione, senza la quale, così quelli li quali non ne siano informati, anche di presente, e nell' età corrente, non possono formare il giudizio, come ancora per l' età future, o per la posterità, all' effetto di vedere se le conclusioni, e le ragioni, e le dottrine, le quali si adducono, siano adattabili, o nò a quei diversi casi per i quali si alleghino, onde altrimente appresso i sensati restano opere di poca autorità, e di poca stima.

L' altra differenza consiste nelle allegazioni delle autorità; Attesochè nelle scritture correnti, è cosa lodevole, conforme già si è accennato, il valersi delle decisioni moderne de i Tribunali di quel paese, o principato, come di maggior autorità, e per mostrare, che di presente si viva, e si camini con quelle opinioni, e massime, sicchè non occorre insistere molto nell' autorità degli antichi, 2

chi, e nelle ragioni legali, mentre in quel tribunale già si è la via spianata, che all'incontro nelle scritture destinate alla posterità, si deve principalmente premere nelle ragioni.

3 Che però, quella è la differenza tra lo stile collettorio, e prammatico, ed il discorsivo, o raziocinativo, che il primo, all'uso delle Zucche, a dell'altr'erbe, overo di alcune piante di fiori, cresce presto, cioè che subito riceve il plauso appresso il volgo, nell'età corrente, ma presto muore, perchè nell'età futura resta di niuna stima; Che all'incontro l'altro stile discorsivo, o raziocinativo, è una specie d'albore sodo, il quale tarda più al crescere, ma riceve più lunga vita, e più durazione, per l'accennato rispetto che le dottrine s'invecchiano, e l'opinioni si mutano, ma le ragioni fondate nelli principj certi della facoltà, sono sempre le medesime, sicchè in esse non si dà la differenza trà le antiche, e le moderne.

4 La terza differenza, la quale simbolizza con l'antecedente, consiste che nelle scritture correnti molte proposizioni si possono, anzi si devono supporre, senza la necessità di comprovarle, perchè in quel Tribunale, overo in quel paese siano certe, ricevute, overo che i Giudici avanti i quali si scrive, l'abbiano per vere, sicchè non vi facciano difficoltà; Che all'incontro quando generalmente siano dubbie, ed abbiano delle difficoltà, e nell'altra specie bisogna ben provarle, con l'autorità, e con le ragioni.

5 La quarta differenza consiste nel modo di allegare alcuni Autori moderni, li quali siano ancora viventi, cioè che nelle scritture correnti, o sia per sodisfare allo stile, o sia per livore, ed invidia, o per altro rispetto, non sia solito d'allegarli col nome proprio, col quale in tutti i luoghi, ed in tutti i tempi siano cogniti, ma si alleghino col nome della patria, o dell'officio, o della dignità, perchè in quel paese, ed in quell'età sia certo, e notorio quello il quale in tal modo si alleghi; Che all'incontro nell'altra specie delle scritture destinate all'eternità, e communicabili da per tutto, questo è un'errore troppo grande, e degno dell'irrisione, non che del biasimo, mentre anche nella medesima età negli altri paesi nell'istesso paese nell'età future, già appresso la posterità sarà incognito qual'egli si fosse.

6 La quinta differenza è quella, che alle volte nelle scritture correnti, secondo l'usanza de i paesi, overo il genio, e l'ambizione de'Giudici, e de gli altri Magistrati, si stima degno di lode lo stile adulatorio, per cattivare la loro benevolenza, diffendendosi nelle lodi de'Giudici, o de'Principi, o di altri Superiori; Che all'incontro nell'altra specie di scritture per l'eternità, si stima una superflua riempitura di carte, ed un manifestare al mondo il vizio dell'adulazione senza proposito, mentre nell'età future, e ne i paesi lontani ciò produce molti cattivi effetti, e niuno buono.

7 La sesta differenza è che, conforme si è discorso di sopra nelli capitoli quarto, e sesto, così à rispetto dell'eleganza, e della frase, come a rispetto dello stile più alto, e raziocinativo nelle scritture correnti, per l'opportunità della causa particolare, lo scrittore deve variare lo stile, secondo la qualità, e la maggior, o minore capacità de'Giudici, che però un medesimo scrittore sopra un'istesso articolo, avanti un Giudice scriverà con uno stile alto, e discorsivo, ed avanti un'altro con uno stile basso, e puramente dottrinale, overo prammatico, secondo l'accennato paralello di dover condire i cibi diversamente, conforme ricerca la diversa qualità di quelli, li quali li debbano mangiare; Che all'incontro nell'altra specie delle scritture per le stampe, e per l'eternità, bisognando tenere un solo stile invariabile, sicchè non sia addattabile la sudetta regola del variare, si deve eleggere lo stile più alto, e più nobile, per sodisfare a i magnati, ed a i nobili nel genere de'letterati, e professori, e non alla plebe, Attesocchè i libri popolari mai si nobilitano, ne si rendono degni delle persone, e di grande sfera, onde nel progresso del tempo muojono, o restano negletti; Che all'incontro gli altri, ed i nobili, nel progresso del tempo, come abbracciati da'letterati, e dichiarati dalli altri scrittori, in avvenire diventano anche cibo adattato a'popolari, onde, si rendono communi all'uno, ed all'altro genere di persone.

Al che si adatta (con quella proporzione che vi cada) il paralello, il quale da S. Gregorio, e da altri Santi Padri, si suol dare alli cibi profani, e alli spirituali, cioè che li primi dagli affamati si appetiscono, ed a prima fame si mangiano con molto gusto, ed avidità, ma satollano, sicchè dopoi cagionano nausea, e sono disprezzati; Che all'incontro gli altri non si appetiscono, e nel principio pajono amari, e dispiacevoli, ma dopoi quanto più se ne mangia, tanto più gustano, e più ne cresce l'appetito.

E quindi segue che non si debba badare a i primi sentimenti popolari, e del volgo, ma si deve caminare col sentimento, e col gusto de'nobili, e de'magnati della Republica letteraria de Professori; Attesocchè, secondo il bel detto di Seneca, i detti, e le voci del volgo sono come le ventosità de'corpi umani, che volgarmente si dicono peditti, o peti, perchè o facciano strepito, o nò, sempre sono puzzolenti, ed acaso, non già regolate dalla ragione, sicchè o siano in lode, overo in biasmo, non se ne deve far conto; E per conseguenza si deve cercare di sodisfare alle persone dotte delle prime classi, a non al volgo.

Finalmente, oltre molte altre differenze, le quali si potrebbono considerare, grande, e la più notabile di tutte si deve stimare quella, che nelle scritture correnti per le cause particolari, quando lo scrittore creda che la causa sia giusta per alcuni sodi, e ben fondati motivi, ma che questi non siano capiti, nè abbracciati da'Giudici, so gli rende lecito di addurre degli altri motivi fallaci; Purche però la fallacia sia legale, non già nel fatto, sicchè non vi sia l'inganno, e la bugia positiva; Opure che trattandosi di articolo legale disputabile, gli sia lecito di scrivere anche contro il proprio senso, secondo le distinzioni addotte nell'una, e nell'altra opera, sopra il punto, se sia lecito di addurre de'motivi fallaci, overo di scrivere contro la propria opinione. 8

Che all'incontro nell'altra specie, tutto ciò si stima di male conseguenze di molto pregiudizio alla verità, ed alla giustizia per gli altri negozj giudiziali, ed estragiudiziali; Maggiormente quando lo scrittore sia di qualche nome, o talento, sicchè nel progresso del tempo, e particolarmente doppo la sua morte, possa fare qualche autorità, mentre in tal modo sarà un manifesto inganno, che si faccia al mondo, ed alla posterità, publicando come sue quelle dottrine, e conclusioni, le quali siano da esso stimate fallaci, e men sicure, sicchè avrebbe giudicato in contrario; Cessando in questa specie di scritture le accennate ragioni, le quali nell'altra specie possano rendere ciò scusabile.

E quindi segue la decisione della questione tra il Deciano, e l'Alciato sopra questo punto, cioè che degno di biasimo, e pregiudiziale alla giustizia, ed alla Republica si debba stimare l'uso di dar'alla publica luce sotto nome di consigli, o di responsi, o di resoluzioni, e simili vocaboli, quelle scritture, le quali in forma venale si facciano per la difesa, e per l'opportunità delle cause correnti in quello stesso modo per appunto, che si son fatte secondo il senso dell'Alciato; Ed all'incontro che lodevole secondo il senso del Deciano sia, quando si tratta di responsi, o consulti per la verità, overo che in quelli fatti per l'opportunità delle cause si scuoprono le fallacie, acciò non seguano gli accennati inconvenienti, e lo scrittore non meriti la taccia d'un buggiardo, a d'ingannatore della posterità; Che però l'una e l'altra opinione è vera con i suoi dovuti termini, e distinzioni; Bensì di maggior taccia degni sono quei Giudici, o Consulenti, i quali deferiscono a sì fatte autorità, per quel che si accenna di sotto nel capitolo decimo settimo.

Questa istessa considerazione, overo quest'ultima differenza, con la sua proporzione, si adatta ancora a quelle informazioni, o consulti, li quali si diano dagli Avvocati, e Professori di Città, e Corti grandi di qualche concetto, e grido; per le cause pendenti avanti i Giudici singolari, sicchè non siano Tribunali collegiali, e grandi fuori di quella Curia grande, della quale sia lo scrittore sicchè non facilmente nel luogo, nel quale penda la causa, vi siano degli altri professori eccellenti, ed abili a scuoprire le fallacie; Attesocchè il nome, overo il concetto dello scrittore, che appresso gli assenti, ed i lontani per lo più suol essere maggiore, che ne'pressenti, può far qualche impressione nella mente del Giudice, ed indurlo à seguitare quelle fallacie, e stimarle vere per la sua autorità; Che però il buono stile in questo caso si stima di doversi scrivere con sentimenti della verità, e di ammonire quelli, li quali chiedono i consulti, delle fallacie, e de'suoi sentimenti, conforme si è ne i suoi luoghi discorso in 9

fu in proposito dell'accennato punto, se, e quando gli Avvocati, e professori possano scrivere contro la peopcia opinione, ed i proprj sentimenti; E quindi segue che non in tutti i casi lo stile dello scrittore debba essere uniforme.

Si considera ancora un'altra diversità tra l'una, e l' altra specie di scritture, cioè che nelle correnti pec l' opportunità delle cause, oon disconviene sopra un'istesso articolo, anche della medesima istanza, ed avanti un'istesso Giudice, più volte ripetere ed inculcare con diverse, e replicate scritture, le medesime conclusioni, o dottrine, e ragioni; E molto più quando si tratti di eanse, o istanze diverse, ed avanti diversi Giudici; Che all'incontro nell'altre specie di scritture per la stampa, disconviene, e si stima degna di biasimo, la repetizione delle medesime cose, o conclusioni, quando in uoa occasione si siano già dette, e fermate.

E se bene la natura di questa facoltà, pare che porti seco per oecessità questo difetto, cioè, che aoche in casi, ed in questioni affatto diverse, faccia di mestiere di valersi, secondo la sua proporzione, ed opportunità, delle medesime regole, o conclusioni, e dottrine, o ragioni; Nondimeno in questa specie non conviene adoperare quello stile, il quale si adopera nell'altra specie, di portarle pienamente e di pianta, ma basterà di accennarle brevemente con cimettersene a quel che altrove più di proposito si sia detto per sfuggire il vizio dannabile della superfluità, e dell'ioutile riempitura delle carte senza il bisogoo.

Si deve però ciò intendere, coosorme di sopra più volte si è accennato, quaodo questa operazione non si faccia per qualche fine ragionevole, e pcofittevole, sicchè sia solamente per sodisfare all'inerta usaoaa; Che però bisogna sempre ripetere l'istesso intercalare, cioè che il tutto dipende dal fine, overo dall'effetto; Attesochè non solamente è lodevole, e molto profittevole, ma anzi necessario in questa specie di scritture ordinate all'addottrinamento della posterità, il trattare di più e diversi casi, li quali pajano simili, anzi medesimi, e che cadano sotto le medesime regole, ed articoli, ma che siano stati diversamente trattati, e decisi per qualche diversità anche piccola delle circonstanze del fatto; E ciò per istruice ed illnminare i Giudici, ed i Consiglieri, ed anche i defensoci, che per lo più sia maoifesto l'errore tante volte inculcato, di caminare alla cieca con le generalità delle regole, e delle conclusioni legali, overo con la sola lettera delle decisioni, e delle dottrine, le quali feriscano altri casi, attesochè tutto il punto consiste nell'applicazione opportuoa, la quale principalmente si deve regolare dalle circostanze particolari di ciascun caso, e di queste si deve fare attentamente il ragguaglio, o la comparazione, con quelle de' casi, de' quali trattano le decisioni, o le dottrine; E ciò particolarmente segue nelle ultime volontà, e nelle altre somiglianti materie congetturali, ed ambigue. Che però giova molto il vedere assieme più trattati e diversi casi, i quali siano simili, e che cadano sotto i medesimi articoli, ma che siano stati diversamente decisi, per cicevere questo lume tanto oecessario, col quale si tolgano le tenebre degli equivoci, nelle quali si caminerà sempre che si continuerà nell'usanaa di fermarsi alla lettera delle dottrine, ed alla generalità delle regole e delle conclusioni.

Ed essendosi discorso nel capitolo quatto, se convenga o nò, lo scrivere per la difesa delle cause nella lingua naturale, overo idiomatica, chiamata volgare, con
51 le ivi accenoate distinzioni; Però cade l'istesso problema in questa specie di scritture destioate con le stampe alla perpetuità, ed all'addottrioamento della posterità; Ma perchè di ciò si è abbastanza ivi discorso a forma di questione pcoblematica, seminando gli argomenti, e le ragioni dell'una, e dell'altra opinione; Però ivi potrà il curioso sodisfarsi, mentre sarebbe soverchia, e nojosa digressione di riassumerlo.

E da quella lettura si potraono in ciò chiarire della loro semplicità quelli, i quali parlano a caso, o veramente discorrono delle cose del mondo supecficialmente, e senza saperne la ragione, e che, conforme volgarmente si dice, si fermano alla prima osteria, non riflettendo che le leggi furono da quei savissimi Imperadoci, e Giurisconsulti fatte io quella liogua, la quale in quei tempi era volgare, e che nella medesima scrissero, Cicerone, Seneca, Celso, Plinio, Salustio, Valerio Massimo, Qnintiliano, ed altri, i quali trattarono delle altre scienze, ed anche delle materie legali, e giudiziarie per il foro, conforme nell' accennato luogo si discorre di proposito.

Card. de Luca, Lib. XV.

Molte altre differenze vi sono, le quali sopra questo diverse specie di scritture si possono considecare, ma sarebbe troppo nojosa digressione il riassumerle potendo bastare le sudette, e le loco ragioni, dalle quali si può inferire all'altre differenze.

CAPITOLO XIV.

Dello stile da tenersi dagli Avvocati, e Procuratori, ed altri defensori delle cause, nel parlare, e nelle funziooi in voce.

SOMMARIO.

1 *SI mette per esempio, overo per idea del discorso la Corte di Roma.*
2 *Si distinguono le specie delle funzioni in voce.*
3 *Delle Congregazioni, o Collegj, che questa sia la funzione più difficile per gli Avvocati, o Procuratori.*
4 *Dell'ordine, o del metodo che si deve tenere nelle Congregazioni.*
5 *Del discorrere nell'udienza delle citazioni.*
6 *Dell'uso de' contradittorj, e del modo di parlare in essi.*
7 *Dell'errore di quelli li quali paragonano gli oratorj, ed i causidici antichi con i presenti curiali.*
8 *Se oggi vi sia l'uso degli antichi Oratori.*
9 *De' precetti, e delle regole nell'orare ne' publici contradittorj con le sue distinzioni.*
10 *Paralello de' Predicatori, e degli Avvocati.*
11 *Differenza di orare anche appresso gli antichi Romani.*
12 *Stile particolare de' contraditorj nella Curia Romana.*
13 *Modi di rispondere al Giudice motivante.*
14 *Scherzo di Marziale contro un Causidico.*
15 *Si ricerca l'integrità, e si deve sfuggire d'esser convinto di bugia, o di calunnia.*
16 *Quando convenga uscire dalle regole.*
17 *Errori de' Litiganti a' quali non si deve sodisfare.*
18 *Del modo d'informare il Giudice in camera.*
19 *Del diverso modo d'informare i Principi, ed i personaggi grandi di quello de' Giudici.*
20 *E particolarmente del modo d'informare il Papa nella segnatura di Grazia.*

CAP. XIV.

ESsendo troppo diversa l'usanza de' paesi, e de' Tribunali, sopra il modo dell'orare, o di diffendere le cause in voce, nè potendosi avere la distinta notizia di tutte sì fatte usanze, o puce che avendosi, cagionerebbe troppo nojosa digressione, anzi confusione il riassumerle, e discorrere di tutte; Quindi si stima opportuno di resteingere il discorso in questa specie di stile all'uso della Corte di Roma, acciò ciascuno a proporzione possa citrarne le linee per applicare quanto si accenna all'uso del paese, o Tribunale, nel quale dimori, overo che debba face tal funzione.

Quattro specie dunque di funzione in voce sogliono farsi dagli Avvocati, e Procuratori, ed altri peofessori del foro nella Curia, per la difesa, e respettivamente pec il goveeno delle cause; La prima cioè quella nelle congregazioni degli Avvocati, e Procuratori, ed altri operarj d'una delle Parti per la direzione, e per la buona preordinazione della causa, in quel modo che si è più distintamente accennato nella relazione della Curia, discorrendo di sì fatte congregazioni, le quali altrove si dicono collegj, overo congressi; L'altra nelle publiche udienze avanti il Giudice, il quale nella forma veramente giudiziale, seda pro Tribunali, sentendo leggere dal Notaro le citazioni, e sopra quelle decretando; La terza nella publici contradittorj avanti il Giudice con gli Avvocati, e diffensori dell'altra Parte; E la quarta nell'informare in camera peivatamente i Giudici, senza contradittore; Attesochè se bene vi sono quelle informazioni, le quali dagli Avvocati consistoriali si facciano avanti il Papa nei consistorj publici, o respettivamente secreti pec la canonizazione di qualche servo di Dio, o pure pec la concessione del pallio, e per l'altre funzioni consistociali; Ed anche vi è un'altra specie di funzioni, parimente accennata nella sudetta celazione della Curia, cioè quella, la quale si faccia dalli nuovi Auditori di Ruota, e dalli

nuovi Avvocati concistoriali nelle publiche dispute, coll' intervento del sacro Collegio; Nondimeno queste sono certe funzioni singolari, e rare, le quali dall'antica usanza hanno ricevuto un certo stile uniforme, che però non cadono sotto il presente discorso ordinato ad alcune regole del buono stile, ed alla riforma di qualche abuso per le cause contenziose del foro giudiziale.

Nella prima specie del parlare che si faccia nelle Congregazioni, overo ne' congressi, questa funzione, a giudizio de' sensati, si deve dire la più difficile fra tutte
3 l'altre, sicchè venga stimata la pietra del paragone, e l' esame migliore del giudizio, e del sapere de' Professori; Attesocchè ne' contradittorj, e nell'altre funzioni, non è biasimevole l'addurre de' molti motivi, senza la necessità di scieglere i sodi dalli deboli, essendo questa parte del Giudice, mentre conforme si è detto più volte, frequentemente piacciono i motivi deboli, e dispiacciono i sodi, e buoni. Ma in questa funzione si fa mostra, così del sapere, come del giudizio nel fare questa scelta, ed anche nella direzione della causa; Questa difficoltà per lo più è maggiore de' Procuratori, e degli Avvocati giovani, attesocchè sono i primi a discorrere, essendo facile alli provetti, i quali discorrono in ultimo col sentire gli altri nel formare delle buone idee, e dare il loro giudizio più maturo ed adequato; Che però ne i giovani consiste la maggior applicazione nell'eleggere bene, e nel parlare al proposito.

Tuttavia si deve dire funzione difficile anche ne' provetti quando tra primi vi sia qualche varietà d'opinione, overo che da essi giovani si promovano, e si discorrano molti motivi per l'elezione, la quale da essi dipende, ed anche per dettare ivi all'improviso con ogni prontezza al Procuratore il modo, col quale si dovrà regolare.

In questa specie di funzioni, le parti del Procuratore sono le medesime, che si sono accennate nel capitolo nono, cioè di contenersi dentro la sua sfera nella candida narrazione del fatto, e dello stato della causa, con quella bre-
4 vità la quale non pregiudichi alla chiarezza, ed anche nel promovere tutti i motivi che gli sia parso potersi cavare dal processo, e dalle scritture, senza inoltrarsi in altro discorso sopra la rilevanza legale, mentre l' efficio suo consiste nel discorrere delle giustificazioni in fatto sopra ciascun motivo, sicchè il di più si deve lasciare a gli Avvocati.

Ed a rispetto di questi, cominciandosi a discorrere per i più giovani, devono questi essere molto ben' informati della causa, così in quelle cose, le quali consistono nel fatto, come ancora nelle cose legali; E nel discorrere devono con buon metodo, risecando gli apparati superflui, non partirsi da quel che strettamente ferisca la necessità, o l'opportunità della causa.

Bensì che devono i primi essere copiosi nel discorso, riassumendo tutti i motivi promossi dal Procuratore, e promovendone altri, che ad essi paja di potersi aggiungere, accennando con modestia il loro parere; cioè quali gli pajano più sodi, e sussistabili, e quali pericolosi, però devono rimetterne l'elezione alli più provetti, li quali all'incontro più brevemente, ed in compendio, riassumendo quel che da i primi si sia discorso, devono concludere, così sopra l'elezione di quei motivi, li quali si stimino i migliori, come ancora sopra l'ordine di promoverli, e nel di più che riguardi la direzione, ed il buon governo della causa. Dovendosi però da tutti sfuggire quella lunghezza superflua, e viziosa, la quale non ferisca la necessità, overo l' opportunità della causa, nell'istesso modo che si è detto in proposito dello scrivere.

Si deve in oltre in questi discorsi avvertire, che conforme l'obligo de' Giovani è di discorrere con rispetto verso i vecchi, dicendo risolutamente il loro parere, ma con buon termine, e mostrando ad essi deferire; Così all'incontro l'obligo de' vecchi, è di lodare, e di mostrare di fare stima de' discorsi fatti, e delle difficoltà promosse da i Giovani, sicchè nel rispetto, e nell'urbanità vi sia la conveniente reciprocanza, senza usare lo stile d'alcuni indiscreti ed accreditati provetti nel tacciare, e disprezzare qualche debolezza de' Giovani, dovendoli più tosto con la dovuta carità, e discretezza compatire, e ricordarsi che ancor' essi sono stati giovani.

Però tutti nelle regole, e nelle proposizioni generali certe, devono discorrere presuppositivamente, mentre tutto il congresso è d'Avvocati, a' quali si devono supporre cognite, sicchè non si devono diffondere nelle superflue allegazioni, ma solo si devono accennare quelle autorità, le quali pajano le più puntuali, e stringenti, sicchè facciano al proposito.

Dalla seconda specie di funzioni nelle publiche au- 5
dienze giudiziali, quando il Giudice sedendo pro Tribunali senza leggere le citazioni, e v'interloquisca, sono, per lo stile della Curia, totalmente esenti gli Avvocati, ed anche molti Procuratori di qualche classe qualificata, onde per lo più questa è funzione di Procuratori di minor classe, overo de' sollecitatori, o de' Giovani, ed anche alle volte de' medesimi principali, che però non è facile il darvi delle regole, e de' precetti, per il buono stile, o metodo del parlare, essendo una funzione, la quale ha molto di quello strepito del foro, del quale parlano gli antichi scrittori, e le leggi, e particolarmente le canoniche; Tuttavia sarà sempre degna di lode la modestia, e la riverenza, dicendo quel che gli occorra, con quella urbanità, la quale è propria della Città, e della Corte di Roma; Però ciò non è facile a praticarsi per la ragione, che parlando di questa medesima funzione, se ne assegna nel capitolo seguente in occasione di parlare de i Giudici.

Della terza funzione, che è la più comune, e la più propria per tutte le parti del mondo, più negli Avvocati, che ne' Procuratori, cioè dell'orare per i loro clienti avan-
ti i Giudici in publico contradittorio con gli Avvocati, e 6
Procuratore dell'Avversario; Molto cara, a proporzione delle cause, e de' negozj è la pratica nella Corte Romana; Attesochè, conforme nell'antico foro Romano, le maggiori funzioni degli Oratori, e Declamatori, ed Avvocati, ed altri Causidici erano nell'orare, e nel declamare, o strepitare, sicchè la maggior' operazione nascesse dall'arte oratoria nel genere demonstrativo, e suasivo in voce; Così nel presente foro Romano le maggiori funzioni degli Avvocati, e Procuratori, ed altri Causidici sono nello scrivere, sicchè la maggior' operazione sia delle scritture più che delle parole, e delle orazioni, o declamazioni in voce, mentre i Senati, ed i Magistrati, o Tribunali grandi, e primarj; Come sono, il Consistoro, le Congregazioni Cardinalizie, ed i Tribunali della Ruota, della Camera, e dell'una, e dell'altra Signatura di grazia, e di giustizia, non hanno l'uso de' publici contradittorj, per quello che se ne accenna più distintamente nella relazione della Curia.

E se bene quest'uso si pratica avanti alcuni Giudici singolari, e particolarmente per la maggior frequenza, nel Tribunale dell'Auditore della Camera, sicchè solamente si scorge nella Congregazione de' Baroni, qualche imagine de' solenni contradittorj publici, a forma di Senato, o Tribunale grande collegiale. Tuttavia sono come una specie di discorsi famigliari più che di quei solenni, e strepitosi contradittorj, i quali si possano rassomigliare all'antiche forme di orare, overo di declamare in publico con le regole, e con i precetti formali dell'arte oratoria.

E quindi segue l'equivoco manifesto di quelli, li quali, essendo un poco infarinati con la lettura dell'opere di Seneca, e degli altri antichi Scrittori, vogliono applicare agli Avvocati, ed a' Causidici de' tempi nostri, e particolarmente a quelli della Corte Romana quel che a gli Oratori, e Declamatori, e Causidici di quei tempi si attribuiva, cioè di vendere, o locare le parole, i clamori, i pianti, e sospiri, il riso, le facezie, i gesti, e gli azzi, e cose simili, mentre di ciò niente si pratica.

Come ancora chiaro è l'equivoco degli istessi infarinati, nel credere, che siano i medesimi gli Oratori, e Declamatori antichi, che i moderni Avvocati; Overo che quanto dagli antichi si dice delli Causidici, e delle Rabbole forensi in loro disprezzo, indifferentemente convenga agli Avvocati, e Procuratori, e Curiali de' tempi nostri; Attesochè anticamente, altri erano gli Oratori, e Declamatori, ed altri gli Avvocati, ed altri li Padroni delle cause, ed altri quelli di classe inferiori, li quali vengono chiamati col nome generale de' Causidici, essendo questi contradistinti come di spece diverse. Nell'istesso modo che di presente abbiamo le diverse specie, o classi degli Avvocati, de' Procuratori, e Sollecitatori. Ed anche in questi abbiamo le distinzioni di diverse classi, secondo le diverse qualità e stili de' Tribunali, per quel che distintamente si discorre nella più volte accennata relazione della Curia; Sicchè quei Cau-

fidici, de' quali con disprezzo parlando Marziale, ed altri antichi scrittori, erano per appunto quelli che di presente in Roma si dicono i mozzorecchi; E ciò si comprova dal vedere, che Marziale parla di quel Causidico Postumo, il quale informava il Giudice in criminale ad offesa per il furto d' alcune poche capre (dal che si argomenti che fosse di causidico fosse.)

Ne oggidì è in uso l'antico ordine, o classe degli Oratori, o Declamatori contradistinti dagli Avvocati, e Procuratori, restandone solamente qualche imagine nella Città
8 di Venezia in quelli i quali si dicono gli Avvogadori, contradistinti dagli Avvocati; Attesochè, conforme quella Republica ritiene in qualche parte la dignità dell'antica libertà dell'Italia, e della maestà dell' antica Republica Romana, così ne conserva molti stili.

Discorrendo però delle regole, e de i precetti, li quali da per tutto generalmente si devono osservare sopra questa forma di orare, overo d'informare ne' publici contradittorj, per applicarli con la dovuta proporzione a ciascun paese, o Tribunale secondo le sue usanze, con le quali principalmente si deve caminare; Entra la medesima distinzione, che di sopra nelli Capitoli quarto, e sesto si è data circa lo stile da tenersi nello scrivere; Cioè che; O
9 si tratta di parlare avanti Giudici, e Magistrati, li quali legalmente si dicono non letterati, e volgarmente idioti, overo pettorali, secondo l' accennata usanza di quelle Città, le quali si governino a forma di Republica, o che non essendo tali di presente, lo siano state per il passato, sicchè si ritengono tuttavia le antiche usanze; Ed in tal caso, si debba imitare al possibile lo stile degli Oratori, e Declamatori antichi, con le regole dell'arte oratoria; Usando i proemj, e gli apparati per rendere attento l' animo de gli uditori; E cominciando dalli motivi più deboli, acciò l'orazione vada sempre crescendo, e nel fine si concluda con i motivi più forti, e stringenti, sicchè l' intelletto a poco a poco aperto resti appagato in quello stato, nel quale si deve venire alla decisione; Esaggerando, e ancora magnificando i motivi, e le ragioni col ripeterle più volte, acciò facciano maggior impressione; Ed anche ornando il discorso con erudizioni, e facezzie, e con i gesti, ed atti per dar grazia al parlare, e per tener'attenti, e sollevati gli uditori, acciò il parlare de' soli motivi della causa non gli arrecchi noja; Adoprando ancora degli antichi artificj, cioè col portare i motivi della compassione, e questi accompagnare con i pianti, e sospiri, overo esaggerando i meriti del litigante con il publico, e cose simili, ancorchè siano estranee dal punto della disputa, secondo quel che ne insegnano le orazioni, e le declamazioni di Cicerone e di Seneca, di Quintiliano, e simili, ad imitazione de' quali hanno composto ancora al fare orazioni, e declamazioni alcuni moderni, così della passata, come della presente età, nell' una, e nell'altra lingua latina, ed Italiana.

Overo all' incontro si tratta di parlare avanti Giudici Professori della facoltà legale, li quali legalmente si dicono letterati, e volgarmente diciamo togati; Ed in questo caso manifesto si stima l'errore di adoperare il sudetto stile, attesochè trattandosi con persone, le quali siano, overo si debbano supporre letterate, si devono strettamente portare i motivi e le ragioni, e provarle bene con le scritture, e con le prove nel fatto, ed anche con le autorità, e con le ragioni legali, sicchè quanto più l' orazione sia breve, e stretta al punto, senza che se ne possa resecare una parola superflua, tanto più sarà lodevole per l'oratore, e profittevole per la causa.

E se bene l' ignorante volgo dell'uditorio, anzi gl' istessi principali, sogliono gradire, e far molto plauso a quegli Avvocati, e Procuratori, i quali anche in questa specie di Giudici, e di Magistrati adoprino l' altro stile superfluo, e pieno di cose fuori del proposito, del quale di sopra si è discorso; Nondimeno l'Oratore deve parlare in modo che sodisfaccia a' Giudici, e che giovi alla causa, e non che sodisfaccia all'udienza, overo al principale litigante; A somiglianza del medico, il quale deve principalmente badare a curare il morbo, overo la piaga, e non alle soddisfazioni, o al gusto dell' infermo, e di quelli, li quali siano presenti alla cura.

Non che il parlare acconciamente, e con buon metodo, ed anche con qualche poca mistura d'ornamento, e d'erudizione al proposito, non sia cosa lodevole, ed anche profittevole alla causa; Ma però, che ciò sia un piccolo, e proporzionato condimento, il quale non tolga il sapore, secondo l'accennato paralello del sale, e del pepe, e del zucchero, e degli aromati nelle vivande; O veramente secondo l'altro paralello delle trine e de' nastri, e degli altri ornamenti de' vestiti, sicchè principalmente spicchi bene il panno, overo il drappo, nel quale consiste la sostanza del vestito.

Chiara è la ragione della differenza tra queste due sorti di stile, cioè che nel primo caso si parla con persone non legali, le quali devono in quell' istesso istante senza altro studio giudicare col solo lume e discorso naturale, overo con la sola pratica e sperienza de' negozj, sicchè in esse faccia la maggior operazione l'arte oratoria, e la persuasione dell' Oratore, che però si dicono Giudici pettorali, cioè che la risoluzione in quel punto nasca dal petto, cioè dal discorso naturale; Che all' incontro nell'altro caso si parla con persone, le quali sentendo quell' informazione come una preparazione del futuro studio, overo per un maggior lume delle cose già studiate, devono giudicare col fondamento de' motivi, e delle loro giustificazioni, così in fatto, come in legge, sicchè niente importa che l' oratore sia più facondo, ed artificioso di Demostene, e di Cicerone, se i motivi non saranno sodi, e ben giustificati; Giovando la facondia, e l'arte oratoria col buon metodo di portarli acciò spicchino più, e facciano maggior' impressione.

Al che si adatta bene il paralello del Predicatore, 10
overo dell'Oratore accademico, e dall'Avvocato; Attesochè se per esempio, si dovrà parlare delle virtù, e de' miracoli d'un medesimo servo di Dio dal Predicatore, overo dall'Oratore accademico facendone un panegirico, o discorso accademico, e dall' Avvocato informando la sacra Congregazione de' Riti, per canonizarlo, o beatificarlo; Il predicatore, overo l'accademico, userà la prima specie dello stile oratorio, con i suoi proemj, ed apparati, e con le sudette altre parti, e precetti dell' arte oratoria, portando, e magnificando ancora quelle virtù, overo quei segni e miracoli, de' quali non vi sia quella prova perfetta, e concludente, la quale sia necessaria per la beatificazione, o canonizazione, ma che vi siano prove tali, che la Chiesa per la pietà, e divozione de' popoli ne permetta una pia credenza, sicchè ne possa predicare, o scrivere; Ma all' incontro se l'Avvocato tenesse l' istesso stile informando la sacra Congregazione per il sudetto fine, sarebbe degno dell' irrisione, attesochè le sue parti devono essere di provare strettamente che vi siano le prove perfette, e ben concludenti delle virtù, e de' segni, e miracoli con la qualità di sopranaturali; Che però manifesto sarebbe l'errore del Predicatore, overo dell'Oratore accademico, e Panegirista, se tenesse lo stile secco e stringente dell'Avvocato; E all' incontro sarebbe errore dell'Avvocato se tenesse lo stile profuso, e largo del Predicatore, o dell'Oratore, per l' accennata ragione della differenza che l' uno parla al popolo, il quale senz' altro studio delle scritture, e giustificazioni, deve in quel punto formare il concetto della divozione, e della pia credulità, ma l' altro parla a' Giudici letterati, i quali si devono muovere dalle giustificaaimoi, e non dalle parole, e dalla facondia, ed arte dell'Oratore.

Questa differenza, per la medesima ragione fu anche 11
conosciuta, e praticata dagli antichi Romani, per quel che ne porta la testimonianza di Quintiliano, e degli altri scrittori di que' tempi, cioè che molto diverso fosse lo stile dell' orare ne' tempi della Republica, quando anche per la decisione delle cause si orava al popolo, overo al Senato, o al Tribunale centumvirale, o pure a' Tribuni della plebe; E quello più moderno sotto gl'Imperatori doppo l' introduzione de' Tribunali constituiti da' Giurisconsulti, da i Responsi de' quali si sono formate le leggi de' Digesti, overo delle Pandette; come sono, i Vulpiani, i Papiniani, i Pauli, gli Scevoli, i Jaboleni, i Pomponj, e simili.

E quindi, con troppa evidenza si convince l'errore, e l'ignoranza del volgo, overo di quelli infarinati non professori, li quali facciano le comparazioni del facondo, e prolisso stile degli Avvocati di quelle parti, nelle quali convenga orare appresso i magistrati pettorali, e non professori, con quelli, li quali orino appresso i Tribunali constituiti da Giurisconsulti, e professori.

Venendo poi al particolare dell'informare in contradittorio nella Curia Romana, in que' Tribunali, ne' quali ciò sia in uso; Per darsi in questa facilmente il caso della sudetta distinzione della diversa qualità di Giudici, lette-

rati, e non letterati; Entra parimente l'istessa distinzione trai Procuratori, e gli Avvocati, la quale si è accennata nel modo dello scrivere, overo nell'altro modo del discorrere nelle Congregazioni; Cioè che facendosi da ciascuno l'officio suo, e le sue parti in questa scena; Il Procuratore deve con chiarezza, e con buon'ordine, senza interruzzione, e digressione, narrare candidamente il fatto, con accennare brevemente i motivi sopra i meriti; e l'Avvocato dipoi deve comprovare con le autorità, e con le ragioni legali, i motivi già promossi; Ma parimente con medesimo stile accennato sopra il medesimo modo di scrivere, cioè strettamente per il bisogno e per l'opportunità della causa, lasciando i superflui apparati, e le digressioni, ed adoperando l'opera sua principalmente per il fine, per lo quale il cliente l'abbia condotta, cioè d'informare il Giudice, e di cattivare la sua mente, e di far'il servizio della causa, e non per sodisfare all'auditorio, e per esigere il suo vano plauso dal volgo, il quale non sa distinguere il bianco dal nero, ed è solito lodare quelle cose, le quali veramente sono difettose, e che meritano biasimo; Attesochè in tal caso non sarà informare per il servizio del cliente, e della causa, ma per la sua vanagloria (Il che piaccia a Dio, che alle volte non segua ne' Predicatori della parola Evangelica.)

12 Quando poi vi siano più Avvocati, degno anche di biasimo si deve stimare quello stile, il quale alle volte si deve usare, cioè che tutti, con noja intollerabile vogliono recitare le loro informazioni, per appunto come l'abbiano composte, sicchè ricantino i medesimi motivi e le medesime cose; Difetto veramente grande; Attesochè, quando coll'ordine dell'anzianità, abbia discorso il più giovane Avvocato, deve il secondo supplire solamente quello, in che si sia mancato dal primo, o pure quel, che si sia detto, ma non con quella maggior chiarezza, e prova, sicchè si stimi necessario l'esplicarlo, e l'imprimerlo meglio, e così successivamente, sicchè in somma si parli al bisogno, ed all'opportunità, e non al superfluo, secondo i paralelli della moneta, o del grano, accennati di sopra nel capitolo terzo, in proposito della brevità; E questo quanto alla prima operazione, per informare e promovere i proprj motivi.

Restando le altre operazioni, le quali nell'istesso contradittorio si facciano nel rispondere, o replicare a quel che si sia discorso dal Procuratore, o dagli Avvocati dell'altra Parte; Ed in questa specie tenendo l'istess'ordine, che un Fattista risponda all'altro nelle cose concernenti il fatto senza ingerirsi più oltre, suppliscono gli Avvocati nelle cose giuridiche in quel che gli altri Avvocati non habbiano detto; Il tutto però con urbanità, e modestia come per discorsi familiari, sfuggendo al possibile i clamori, i strepiti, e le punture, e le ingiurie, come cose contrarie all'urbanità sommamente professata nella Corte di Roma.

Quando siano più Avvocati, acciò la funzione non riesca troppo lunga, e nojosa al Giudice, si stima miglior ordine, che tra essi si debbano dividere i motivi, sopra i quali ciascuno respettivamente discorra; O pure che uno informi, e l'altro si servi di rispondere, o di replicare, come l'altra simile discreta divisione.

Nel caso che convenga di rispondere al Giudice mo-
13 tivante; Quando il motivo sia nel puro fatto, dovrà rispondersegli dal Fattista, ma quando sia di cose legali, dovrà rispondersegli dal Giurista; E tra i più, questa funzione si deve far'al rovescio del discorso, cioè che risponda il più provetto, e quando dagli altri paja che non si sia soddisfatto abbastanza, e che se gli suggerisca risposta migliore; in tal caso, chiedendosi licenza al più anziano, con la conveniente urbanità, si potrà brevemente soggiungere quel che gli occorra; Però in questa funzione del rispondere al Giudice, più che nell'altra di rispondere alli difensori dell'avversario, si stima lodevole, anzi necessaria la modestia, e l'urbanità, sicche quando il Giudice, contro i precetti, li quali s'accennano nel capitolo seguente, parlasse troppo, o che s'infervorasse nel suo motivo, non conviene di assumere in quel punto le dispute formali, ne si deve apertamente convincere che abbia promosso motivi fallaci, ed erronei, o che abbia preso degli equivoci legali, ma più tosto mostrando di stimar' il motivo, ancorchè non fosse stimabile, deve riserbarsi di farvi la conveniente riflessione; Quando però lo stato della causa lo componi, ancorchè si abbia pronta, e facile la risposta, e ciò per cattivar l'animo, e per non irritarlo; O pur quando vi sia il bisogno, si deve dare la risposta, ma ornata, e coonestata da qualche distinzione, o dichiarazione, ancorchè fallace, in modo che non se gli rimproveri apertamente la fallacia, mentre non disdice il rispondere ad una fallacia con un'altra fallacia, purchè vi siano gli altri motivi buoni.

Nelle seconde, o altre simili successive informazio- 14
ni in contradittorio sopra l'istessa causa, si doverà tenere uno stile diverso di quel che si sia tenuto nella prima; Cioè d'informare brevemente, e con modo presuppositivo delle cose già dette, mentre si parla con persona già informata, premendo strettamente sopra quelle cose, alle quali paja che nelli passati contradittorj si restringesse la difficoltà della causa; Ed in somma facendo studio di sfuggire le superfluità, e quelle cose, le quali non conferiscono al bisogno, ed all'oportunità della causa, acciò non si tenga lo stile dell'accennato causidico Posthumo burlato da Marziale, cioè che informando il Giudice sopra il furto d'alcune povere capre, fattogli dal vicino, con grand'enfasi, e clamori, e gesti, discorresse della rotta data da Annibale a' Romani a Canne, e dell'altre guerre, o pure de' veleni, e de' malefici, e di cose simili fuori del proposito, e totalmente lontane dal bisogno, e dall'opportunità della causa, senza stringere il punto della prova del furto delle capre, del che il Poeta finge che il cliente si dolga.

E sopra tutto, così per propria riputazione, come per 15
servizio della causa, il discorso deve essere accompagnato dall'integrità, e della verità, fuggendo le calunnie, e le bugie, così positive nell'asserire quel che non sia vero, come anche le negative, nel negare con isfacciataggine quel che nell'istesso istante si convinca vero, e si mostri che già gli sia cognito, solendo ciò per lo più far molto pregiudizio della causa, e dar discredito al difensore.

Ricevono però queste regole alcune limitazioni, cioè che alle volte, quando si veda che il Giudice inflessibilmente si ostinasse in qualche fallacia, o pure che dalli discorsi si temesse di qualche precipizio nella cau-
sa, ed in altri somiglianti casi, non sarà difetto l'usci- 16
re dalle regole nel riscaldarsi, e nel contendere al possibile, e con assumere le lunghe dispute sopra l'articolo per toglier gli equivoci, overo in altro modo uscire dà precetti del buono stile; Sempre però dentro i termini del lecito, e dell'onesto, e che l'operazione abbia il suo fine ragionevole, al quale sia diriazata.

Bisogna alle volte ancora usare dalle regole della 17
prolissità col discorrere fuori del bisogno, overo nel riscaldarsi, e nell'uscir dalli confini della dovuta urbanità, per sodisfare al litigante, il quale sia presente; Attesochè essendo i litiganti infermi nella loro passione, frequentemente gustano, e desiderano le cose dannose, e pregiudiziali; Però conforme è errore del medico, il quale soddisfi all'ammalato, così è errore dell'Avvocato, o Procuratore di soddisfare al litigante, la presenza, e l'intervento del quale in sì fatta funzione, sempre, overo per lo più riesce dannosa, e pregiudiziale.

Finalmente, quanto all'ultima funzione dell'informa- 18
re il Giudice privatamente in camera, senza l'intervento dell'avversario, e de' suoi difensori; Per lo più si adattano con la sua proporzione l'istesse regole accennate nell'antecedente funzione de' contradittorj, e le altre, le quali si accennano nel capitolo seguente in occasione di discorrere come il Giudice in questa specie d'informazione si debba regolare, e contenere; Soggiungendo solamente, che anche in un'istessa causa, e con Giudici d'un'istesso Tribunale, non si deve tenere uno stile uniforme, dovendo questo essere vario, secondo la diversa qualità delle persone, le quali s'informino; Attesochè se il Giudice sarà di molta capacità, e dottrina, l'informazione dovrà essere molto breve, restringendosi alli soli punti più sostanziali a' quali si restringa la difficoltà della causa, mentre la superflua prolissità gli cagionerà noja, e sarà più tosto danno che utile.

Onde per questo rispetto, ed ancora per l'altro, che si accenna nel capitolo seguente, non è lodevole che i principali litiganti, overo i loro agenti non professori intervengano in questa funzione; Ma se sarà d'ingegno tardo, e di poca capacità, in tal caso si dovrà con maggior pazienza, e chiarezza informarlo, in modo però che la moltiplicità de' motivi, e la prolissità del discorso non gli confonda più l'intelletto, sicchè niente gli resti di chiaro; Ed in somma si devono somministrare i cibi a misura,

ed

ed a proporzione de stomachi, e non si deve caminare indifferentemente col nojosissimo, e dannabile stile di volere ad uso degli scolari quando recitano la lezione al maestro, dire per minuto quanto si sia detto nell' informazione, senza lasciarvi nè pure una virgola, come alcuni sogliono fare.

Si deve parimente diversificare lo stile per la diversa qualità di quelli, li quali s' informano; Atteso che conviene con la dovuta proporzione, usare qualche diversità nel modo d'informare un Giudice inferiore, e pedaneo, di quel che si faccia con un supremo, Overo (parlando nella Curia) tra un Prelato, ed un Cardinale, con somiglianti considerazioni; E molto più quando occorra d' informare il Principe sovrano; Il che frequentemente occorre nella Curia in occasione d'informare il Papa per la Segnatura di grazia, overo per le Congregazioni de Riti, che si facciano avanti di esso per la beatificazione, o canonizazione de servi di Dio, e cose simili; Attesoche manifesto errore si deve stimare di coloro, i quali con un lungo, e nojoso stile, vogliono informare il Papa di tutta la serie del fatto, con tutte le sue minute circostanze, e dipoi fare le cantilene delle conclusioni legali con le allegazioni, come se si informasse un Giudice ordinario, ed inferiore, mentre si deve supporre, che quando il Papa, per i giusti, e molto lodevoli motivi accennati nella relazione della Curia in occasione di trattar della Segnatura di grazia, riceve l' informazione degli Avocati, e de Procuratori, già sia stato bene informato dal suo Auditore della causa, e di quel che si dimandi, ed a che si restringa la difficoltà, facendosegli ristretti molto brevi nelle sole cose sostanziali; Che però l' informante, fatte alcune brevissime premesse della causa, deve con quella riverenza, e sommessione, con la quale conviene di parlare ad un tanto Principe, cercare d'incontrare la difficoltà, la quale si sia scoperta in occasione d'informare per prima l'accennato Auditore, e sopra quella premere, e stringere con le cagioni della giustizia naturale, overo della pietà, o della congruenza, o della mala introduzione, e con altri somiglianti motivi, con i quali si deve guadagnare l'animo, e cattivare l' intelletto del Principe sovrano, come un soggetto a quella necessità, ed a quelle restrizioni, alle quali sia soggetto un Giudice inferiore, obligato a giudicare con le regole legali, overo con le decisioni, e con le dottrine, conforme si è ancora accennato di sopra in proposito del modo dello scrivere avanti il medesimo Papa; E da ciò, a proporzione, si possono tirare le linee per regolarsi con gli altri Principi, e magistrati grandi, e supremi; Ed anche per gli altri Giudici, e magistrati secondo le diverse usanze de' paesi, a' quali conviene conformarsi.

19

CAPITOLO XV.

Dello stesso stile nelle funzioni in voce, da tenersi da i Giudici e Magistrati, o loro Consiglieri.

S O M M A R I O.

1 *Delle diverse fonzioni in voce de' Giudici.*
2 *Come si debba discorrere dentro la Congregazione, e Tribunale.*
3 *Inganno de' forastieri non pratici della Corte.*
4 *Com si debba disputare con i Colleghi.*
5 *Deve esser ben informato del fatto.*
6 *Funzione nella publica audienza delle citazioni.*
7 *Dell' altra ne contradittorj.*
8 *Delle informazioni in Camera.*
9 *Presenza delle Parti sempre pregiudiziale.*
10 *Quando il Giudice debba aprirsi nel motivare.*

C A P. XV.

Con l'istessa distinzione addotta nel capitolo antecedente; In più modi occorre che da Giudici si parli del-
1 le cause; Primieramente cioè in quei paesi, e Tribunali, ne i quali quello il quale si dice il Ponente, overo il Commissario, o il Relatore, deve riferire nel Tribunale proprio a' suoi Colleghi, ed alle volte ad un'altro Tribunale maggiore, lo stato della causa; Il che nella Curia Romana in qualche parte si pratica dal Ponente nelle sacre Congregazioni Cardinalizie, e ne tribunali dell'una, e dell' altra Segnatura di Grazia, e Giustizia, ed in quello della Camera, e simili, mentre nel tribunale della Ruota il Ponente vi fa poca figura, conforme si accenna nella relazione della Curia, nell' una, e nell'altra lingua; Secondariamente nel dir'il suo voto quando si tratti di Tribunali collegiali; Terzo nelle publiche audienze, sedendo pro Tribunali, e sentendo leggere le citazioni; Quarto sentendo l'informazioni degli Avvocati, e Procuratori d' ambe le parti in publico contraditorio; E quinto sentendo le medesime informazioni in forma privata, e familiare d'una Parte solamente in Camera.

Nel primo, e nel secondo modo, non facilmente si possono dare delle regole certe, e generali da praticarsi da per tutto, mentre in gran parte ciò dipende dagli stili particolari de paesi, e de Tribunali; Però discorrendo dell' uso della Corte Romana, come per un' esemplare, dal quale con la sua proporzione si potranno tirare le linee per gli altri luoghi, e Tribunali; così nell uno, come nell' altro modo, il vero stile degno di lode è quello di unire assieme la sodezza de i motivi, la chiarezza del discorso, la brevità, e la mo-
destia, sfuggendo al possibile gli apparati, ed i fuchi, 2
overo il voler fare ostentazione di molta dottrina, ed erudizione, sicche per un certo modo si voglia fare il maestro degli altri; Attesoche la vera regola è che ciò segua in fatti, sicche gli altri lo conoscano, e lo confessino, ma non si mostri di volerlo fare, e di affettarlo.

Ed in ciò di gran lunga s'ingannano i forastieri poco pra-
tici della Curia, quando avendo qualche poca erudizio- 3
ne, credono di acquistare stima, e plauso grande, con quegli apparati, e lunghi discorsi, che in altri paesi si usano, attesoche ciò più tosto gli cagionerà discredito, e concetto di poco giudizio, mentre parlandosi tra gente dotta, ed informata, l'eccellenza consiste nel par- 4
lare poco, ma sodamente, ed al punto; E se per il disparer de voti convenga di disputare, ò di contrastare, si deve cercare di farlo con ogni maggior'urbanità, e piacevolezza possibile, sicchè in fatti, e nella sostanza si mostri un' uomo forte nel sustenere la sua opinione, quando la creda ragionevole, e ben fondata, ma placido, e dimesso al possibile nel modo di discorrerla, sicchè si stia sempre dentro i limiti della urbanità.

Come ancora deve mostrarsi alle volte flessibile, e facile a farsi convincere dalle ragioni, le quali si adducano da gli
altri, acciò di se non si formi concetto d' ostinato; E per 5
tal' effetto è necessario, non che lodevole, d' essere esattamente informato, così del fatto, come delle conclusioni, e delle dottrine, e ragioni, ad'effetto di poter discorrere bene della causa, e di poter persuadere gli altri, e tirarli nella sua opinione; O pure ad' effetto di conoscere i motivi migliori, per mutar parere, quando veda che i motivi de Colleghi sieno sodi, e ben fondati; Dovendosi principalmente riflettere che il voto del Giudice si deve regolare dall' intelletto, e non dalla volontà di compiacere più ad una Parte, che all' altra; Cercando di formare il suo voto, e discorrerlo con le accennate buone maniere, ma sopra tutto metodicamente, e col buon' ordine per rendere capaci gli altri a seguitarlo; Principalmente però col solo fine d' essere un buon ministro della verità, e della giustizia.

Nella terza funzione della lettura delle citazioni nell' udienza publica sentendo le Parti nel contradittorio, e decretando mentre stia sedendo pro Tribunali; Deve forse più che in ogn'altra funzione il Giudice esercitar molti atti di virtù, ciè dell' urbanità, congionta con gravità, e sostenutezza, sicche si cattivi la benevolenza dell uditorio, ma che nel medesimo tempo mantenga l'istess'uditorio nel dovuto timore, e rispetto; Ed
anche (e forse sopra tutto) deve esercitare la virtù della sof- 6
ferenza fino a quel segno, che sia compatibile col mantenimento della maestà, e del rispetto; Attesoche in quello strepito giudiziale, e clamoroso, le Parti interessate quando ricevano qualche provista contraria come inferme nella propria passione sogliono risentirsi, e dare alle volte in qualche stravaganza, o mal termine, onde sono degne di essere compatite, sicche la cortesia e la compassione del Giudice almeno rendano la piaga men dolorosa; E ancora perchè, conforme si è accennato nel capitolo antecedente, generalmente gli Avvocati, ed anche i Procuratori vecchi, e classici, non sogliono intervenire in sì fatte fonzioni, sicche per lo più intervenendovi i sollecitatori, tra quali forse vi siano alcuni poco intendenti, e poco capaci, overo de i Giovani de' Procuratori, li quali siano intendenti, ma troppo spiritosi, ed ardenti; Però vi bisogna una gran prudenza, e destrezza, accennando solamente con brevità, e con soavità qualche

soda ragione, e ciò può sodisfare agli altri, i quali sentono, che alle Parti, overo a i loro defensori essendo mera vanità de' Giudici il credere, o prendere, o persuadere alla Parte soccombente, che si operi bene quando se le facciano i decreti contrarii; Attesochè i litiganti come infermi, overo acciecati dall'interesse, o dalla passione, molto di raro, e forse mai arrivano a conoscere la verità, ed a quietarsi; Ed i causidici loro difensori, o non la conoscono per la stessa ragione d'appassionarsi nella causa, e nella propria opinione; Overo non la vogliono conoscere per adulare il cliente.

7 Nella quarta specie di funzione, cioè nelle informazioni degli Avvocati, e de' Procuratori d'ambe le Parti nel publico contradittorio, entrano a proporzione l'istesse regole, e precetti, che nell'antecedente funzione si sono dette; Però con qualche maggior moderazione per esser funzione più urbana, e di minor clamore, e strepito, e con l'intervento di persone più intendenti, e più discrete; Tuttavia è dannabile l'uno e l'altro estremo; Quello cioè del silenzio totale senza promovere difficoltà, o motivo alcuno, sicchè i litiganti, ed i loro difensori si sentono venir addosso le sentenze, ed i decreti contrarii all'improviso, e forse per motivi, a' quali, se si fossero accennati, si sarebbe potuto sodisfare; E l'altro estremo di parlare, e di motivare molto, essendo questo anche dannabile per non palesare l'animo suo, e dimostrarsi inclinato più ad una parte che all'altra; Ed ancora perchè secondo la maggior frequenza, di quell'articolo, o punto del quale si disputa, sono più informati gli Avvocati, ed i Procuratori, di quel che ne sia il Giudice, sicchè con la disputa ne possono seguire due inconvenienti; Uno cioè che possa restare convinto di qualche equivoco, o errore nel motivare fuori del proposito; E l'altro che se gli perda il rispetto; Che però deve solamente con urbanità, brevemente, come per un tocco, motivare delle difficoltà, così contro l'una, come contro l'altra Parte, che lasciare ambedue sospese, e per mantenerle egualmente in speranza ed in timore.

8 Finalmente nella quinta, ed ultima specie di funzione, cioè nelle private informazioni in camera per una delle Parti senza il contraditorio; Questo non è punto capace d'una regola certa e generale adatabile a tutti i casi, dipendendo il diverso modo da tenersi, non solamente dalla diversa usanza, o stile del paese, o dal Tribunale, ma ancora in un'istesso Giudice, dalle diverse circostanze; Attesochè quando vi sia presente il principale interessato, overo qualche suo Agente, o ministro, il quale non sia professore, in tal caso si deve caminare molto cautamente nel motivare; per l'istesse ragioni assegnate di sopra nell'antecedente funzione de' contradittorii, onde l'appassionato litigante non pratico dello stile, facilmente formerà il concetto, che già quel Giudice gli sia contrario, overo che motivandogli a favore sia dalla sua, e pure nell'uno, e nell'altro caso l'evento suol' essere in contrario, formandosi il voto dipoi con lo studio delle scritture, perloche si darà maggior occasione di doglianza al soccombente, a favore del quale si sia motivato.

9 Che però la pratica insegna che l'intervento de principali, e delle parti interessate, così nell'una come nell'altra funzione, sia per lo più dannoso, e pregiudiziale; Ma quando non essendovi i principali, o altri loro ministri non professori, si discorra famigliarmente con i Curiali, e difensori, e come volgarmente si dica a quattr'occhi, in tal caso il doversi il Giudice aprire più e meno, nasce dalla qua-
10 lità de Curiali, più o meno intendenti, o veramente più, o meno discreti; Che però non è materia capace d'una regola certa e generale adattabile a tutti i casi, ma con la prudenza si dovrà regolare secondo le circostanze particolari di ciascun caso, conforme in tutte l'umane azioni pare che si verifichi; Convenendo però, ed essendo servizio della causa il motivare la difficoltà perchè se gli possa rispondere, e sodisfare; Ma sempre con l'accennata riserva, sicchè si usi bene l'urbanità, e si mostri qualche desiderio di compiacere all'informante per quanto la giustizia lo comporti, ma non in modo che concependo il litigante certa speranza, resti deluso, e si chiami tradito, overo ingannato.

CAPITOLO XVI.

Dell'istesso stile nelle funzioni in voce, da tenersi dai Lettori, o Cattedratici.

SOMMARIO.

1 *Delle stile antica de' Catedratici, e del moderno del fare scrivere, il quale si loda.*
2 *Che nel tempo degli studj publici si debbano proibire le lettere private.*
3 *Come si deve operare in voce da' Cattedratici.*
4 *Se convenga esplicare la lezione anche in lingua materna.*
5 *Del cieco maestro dell'Autore.*
6 *Degli altri eserzici da farsi per i Lettori.*
7 *Che anche in questi si ricerchino i buoni costumi.*
8 *Si devono astenere dall'uso de' libri di poco sana dottrina.*

CAP. XVI.

L'Antico stile de' Cattedratici nelle publiche scuole, e accademie, consisteva solamente in questa funzione in voce d'interpretare, e d'esplicare le leggi, e di addottrinare la gioventù nella teorica della facoltà legale, ammonendogli appresso quali Autori dovessero studiare, e vedere quelle materie, delle quali già si sia discorso, overo che si dovesse discorrere nel giorno seguente; Ma per la solita ragion della mutazione de' tempi, e delle circostanze, nelle ben regolate scuole, ed accademie publiche acciò l'opera de' lettori, e Cattedratici riuscisse profittevole, e non fosse ceremoniale, è stato introdotto che si debba far l'uno, e l'altro, cioè di dettare con pazienza a gli scolari la lezione, in modo che da essi si possa, e debba scrivere, adoprando in ciò lo stile, del quale si è discorso di sopra nel capitolo duodecimo; Ed anche dipoi d'esplicare con la viva voce quel che si fosse scritto, con un breve epilogo della passata lezione; E la sperienza insegna che questo moderno stile sia veramente il migliore, ed il più profittevole, così per l'addottrinamento, e per l'applicazione de gli scolari, come ancora per il decoro delle publiche scuole; Per il quale ancora molto lodevole si deve dire lo stile di alcune parti, così della nostra Italia, e della Spagna, come d'altri paesi di proibita rigorosamente le letture private in quel tempo, che stiano aperti gli studj publici, mentre in questi per l' 2
obligo sudetto dello scrivere si ottiene quel fine, per il quale seguono le letture nelle case private. 1

3 Essendosi dunque discorso di sopra nel sudetto capitolo duodecimo dello stile, il quale per i Cattedratici si deve tenere in scritto; Per quello che spetta all'altro stile dell'insegnare in voce, acciò questa funzione segua con profitto, si deve riflettere a quella massima, la quale si è accenata nel principio di quest'opera, o discorso, cioè che le umane azioni, e particolarmente le intellettuali, devono esser indirizzate al suo fine onesto, e ragionevole, che però si devono adoperare quei mezzi, per i quali tal fine si ottenga; Onde essendo il fine dell'azione del Cattedratico, che gli scolari, e gli uditori si approfittino nell'apprendere la teorica, ed i veri termini, e principj della facoltà; Quindi segue che debba adoprare quello stile, il quale sia stimato per ciò il più opportuno, ed il più facile.

Quando dunque la sperienza insegni, che il discorrere in voce altamente, e con eleganza di parole, riesca di poco profitto a' scolari, perchè in tal modo non apprendano bene quel che il Cattedratico voglia dire, in tal caso deve farlo in stile più facile, piano, e più communicativo; Ed anche se bisognasse dovrà esplicare molte cose nella lingua materna, la quale si dice volgare, con dare gli esempli, e de paralelli; Attesochè se bene nel sudetto capitolo duodecimo, trattando dello stile in scritto de' Cattedratici, si è lodato, e tuttavia si loda lo stile elevato, ed elegante, per avvezzare la gioventù alla nobile elocuzione, e compatibile con i termini, e col parlare proprio della facoltà; Tuttavia non si deve tenere l'istesso stile nella esplicazione di quello che in voce si sia scritto, che se bene scrivendo, e studiando, intendiamo molto bene la lingua latina per elegante che sia, nondimeno se sentiremo una predica, overo un'orazione, nella medesima lingua latina, non l'apprenderemo così bene, nè ci farà quell'impressione, che ci farebbe, se fosse nella lingua materna; Conforme anche la prattica insegna la differenza nelle sceniche rappresentazioni, le quali si facciano nella lingua materna, e quelle che si facciano nella

la latina; Attesocchè se bene gli Uditori siano di questa intendentissimi, nondimeno gusteranno più di quella nella lingua materna.

Questo buono stile, fu sperimentato molto profittevole dello scrittore ne' primi anni delle sue scuole delle letture ordinarie, con molta carità adoprato dal quasi miracoloso cieco nato, overo alle fascie Salimbeni da Siena, primario Cattedratico negli Studii di Salerno, dove lo scrittore studiò ne' primi anni, ed indi passò a quei di Napoli; Attesochè se bene fosse professore di una lingua culta, ed elegante, nondimeno doppo aver dettata la lezzione scritta da scolari, e di aver fatto con lo stile comune, la ripetizione su la cattedra in lingua latina parimente elegante, e con frase nobile, smontato dalla cattedra faceva un circolo, nel quale discorreva della medesima materia nella lingua Italiana, e con esempi, e modi molto facili; Sentendo anche da scolari le loro difficoltà, e le obiezioni, così in quella, come nell'antecedente lezione; Cosa veramente degna di molta lode, e della introduzione da per tutto, per l'accennata ragione, che sì fatte operazioni devono avere per iscopo principal il suo fine, e non si devono ridurre ad una mera formalità, e cerimonia, senza profitto alcuno.

Devono ancora i Cattedratici accompagnare questo stile, con gli altri esercizii delle dispute publiche, e delle Academie, ed anche de circoli privati continui, introducendo tra scolari l'emulazioni e le picche; Ed in somma adoprando tutti quei mezzi, li quali la pratica insegni più opportuni, e profittevoli per ottenere il fine, per il quale le operazioni si facciano.

Ed anche a questi Professori, più che a quelli del foro, convengono quelle virtù, e buone parti morali, le quali
1 di sopra si sono accennate nel capitolo ottavo; Attesochè da essi come esemplari devono le novelle piante apprendere i buoni costumi, e le virtù morali, sicchè siano come una specie di padri di famiglia, overo de Prelati; Che però a queste parti devono forse principalmente riflettere i superiori, ed i direttori delle cattedre, e delle publiche università, cioè che i lettori siano persone timorate di Dio, e di buoni, ed esemplari costumi, e dotati dell'altre buone doti dell'animo, acciò la gioventù non apprenda da essi i vizj in cambio delle virtù, e di false opinioni in vece delle buone, dal che la pratica ha insegnato, ed insegna che alla cattolica religione, ed a tutta la Republica cristiana sono nati gravissimi pregiudizj.

Per l'istesse ragioni deve questa sorte de professori totalmente bandire la lettura, e l'uso de libri di poco sana dottrina, e pregiudiziali alla cattolica religione, overo all'immunità ecclesiastica vera, e buona, non già a quella, la quale per alcuni sregolatamente viene stirata, ed anche a buoni costumi; Attesocchè se bene questo precetto è comune a tutti i Professori, anche del foro giudiziale, nondimeno da questi, come quelli i quali mettono il vino, ed altri liquori ne vasi nuovi, si deve più esattamente osservar per le maggiori cattive conseguenze.

Che però si deve stimare grand'errore di quei Cattedratici, i quali si vagliono d'alcuni Autori oltramontani infetti del veleno dell'eresia, e dello scisma, ancorchè abbiano scritto dottamente, mentre non mancano per i dotti scrittori cattolici, e sani.

E quantunque si allontanino poco da dogmi cattolici, sicchè siano meno perversi degli altri, nondimeno questi sono i peggiori, perchè più facilmente che gli altri ingannano; A somiglianza de lupi, che sono peggiori quelli, i quali siano coperti con la pelle di agnello, e de' delitti prodiotorj molto più gravi, e detestabili, che quelli di scoperti nemici, che però l'ipocriti sono la razza peggiore di tutti gli uomini del mondo.

Onde vediamo che più rigorosamente sono prohibiti, e dannati i libri degli Eretici, e de mali cattolici, che quelli de gentili, ed infedeli, E nelle scuole cattoliche si permette lo studio di Aristotile, e non quello di Platone, e pure questo più che quello si accosta alla nostra cristiana religione, sicchè da molti gli vien dato l'attributo del divino; E ciò per l'accennata ragione, che dalli più perversi ci guardiamo più come da scoperti nemici; Onde la legge alle volte punisce più rigorosamente alcuni delitti ancorchè minori, come più facili, e familiari, e frequenti, che alcuni più enormi naturalmente aborriti.

CAPITOLO XVII.

Dello stile de Giudici, e Tribunali nel conoscere, giudicare, e decidere le Cause.

S O M M A R I O.

1 *Della ragione per la quale si tratti di alcuni altri stili ancorche fuori del tema.*
2 *Niente giova il buono stile de difensori, se non corrispondono i Giudici.*
3 *Di quale de' Giudici quivi si parli.*
4 *Ogni fallacia si può colorire con conclusioni, e con autorità, e ragioni.*
5 *Quali vengono sotto nome de' Giudici.*
6 *Il Principe, ed il Signore non deve fare da Giudice, ne il Giudice deve fare da Principe, e da Signore.*
7 *Che nell'istesso genere de' Giudici, o superiori, lo stile non deve essere uniforme, ma vario seconde le circostanze de' casi; E di diverse considerazioni.*
8 *La giustizia è sempre l'istessa, però il modo di esercitarla deve esser vario.*
9 *Delle ragioni per le quali la legge ha rimesso molte cose all'arbitrio de' Giudici.*
10 *Che cosa sia quest'arbitrio del Giudice, e come s'intenda.*
11 *Del simbolo della giostizia, e delle sue ragioni.*
12 *Delle diverse specie della giustizia, distributiva, e commutativa, si esplicano con gli esempj.*
13 *Che non si tratti dello stile del Principe, e de' ministri della giustizia distributiva con le regole della politica, e qual sia la ragione di non trattarne.*
14 *Di quale stile si tratti, e se questo convenga anche a' Principi, e Signori.*
15 *Che li Principi e signori debbano essere intesi delle cose legali.*
16 *Paralello della vigna, e che le cose non mutino il suo corso.*
17 *Qualità desiderate ne' Giudici.*
18 *Di alcuni precetti, e regole per il buono stile nel giudicare.*
19 *Se sia lodevole o nò che i Giudici conoscano le parti litiganti, che abbiano molta familiarità con essi, e con i loro difensori.*
20 *Come il giudice debba regolare circa li motivi, e gli articoli legali, e le autorità de Dottori.*
21 *Del misterio, overo dell'allegoria dell'inimicizia tra Giuristi, e grammatici, cioè che non si deve stare su la lettera.*
22 *L'istesso circa l'inimicizia tra li prattici, e gli scolastici.*
23 *Della favola nel chiamare il defunto ed interregarlo, quale sia il suo mistero.*
24 *Di alcuni altri precetti nel giudicare.*
25 *Si devono fuggire le opinioni singolare.*

C A P. XVII.

ANcorchè nell'antecedente capitolo si sia compito di discorrere di questo stile, per il quale propriamente 1
l'opera presente si è ordinata, cioè del modo di trattare la facoltà legale in scritto, ed in voce, sicchè le materie della presente, e della seguente rubrica, siano piuttosto estranee dal tema; Tuttavia per quell'istessa ragione, la quale è la regolatrice di tutto questo discorso, cioè che le azioni, e le operazioni umane devono essere dirizzate al suo fine, senza il quale restano superflue, non si stima fuori del proposito il discorrere ancora di questa specie di stile;
Attesochè conforme niente giovano i mezzi, quando non 2
si ottenga il fine, per lo quale si siano questi adoprati; Così niente gioverà che gli Avocati ed i Procuratori, e gli altri defensori, ed operarj delle cause, scrivano ed informino bene, e tengano quei stili megliori che si possano dare, se i Giudici non faranno l'officio loro nel terminar bene le cause, che è il fine, per il quale si richiede, e si desidera il buono stile ne' difensori.

E se bene si è parlato ancora dello stile de Giudici, e de' 3
Consiglieri; nondimeno quello stile, del quale si è discorso, riguarda il modo del motivare, e del discorrere, overo del mettere in carta le ragioni ed i motivi, per i quali si sia giudicato, overo che si abbia in pensiero di giudicare, che è cosa diversa da questa specie di stile, il quale non serisce il modo dello scrivere, overo del parlare, ma rigarda la sostan-

sostanza del giudicato; Attesochè possono star bene assieme che si giudichi male, e che la giustizia sia mal'amministrata, e nondimeno che con un buon metodo, e con un dotto, ed elegantissimo, e ben regolato stile si coonestino le fallacie, e si ornino con molte conclusioni, ed autorità, o ragioni, mentre conforme più volte si è detto, le conclusioni, e le dottrine e le ragioni, sono come le pietre colorite, overo come i colori, con li quali si dipinga a mosaico, overo a pennello, sicchè si possono egualmente con esse formare un'Angelo, ed un Diavolo, overo un'uomo, ed una bestia, secondo che si applichino; Non dandosi oggi in questa facoltà legale per la gran copia, e varietà de' scrittori, e delle decisioni, cosa più facile che il colorire, e contestare con dottrine, e con regole generali, ogni risoluzione per ingiusta, e per iniqua che sia.
4 Che però il punto consiste nella sostanza dell'opportuna applicazione delle ragioni, non nel modo di metterlo in carta, o di discorrerlo; Cioè che il Giudice faccia veramente bene le sue parti da sincero ministro della Giustizia e della verità.

Ma perchè questo nome, o vocabolo di Giudice convie-
5 ne ad ogni superiore, e commandante, o pure ad ogni ministro, ed operario della Republica, e della giustizia, sicchè nella sua larga significazione abbraccia non solamente quelli li quali di fatto giudicano nelle cause, e proferiscono le sentenze, onde abbiano la giurisdizione, e la giudicatura nell'esercizio, e che propriamente nel comun'uso del parlare vengono chiamati tali; Ma ancora quelli, li quali abbiano la giurisdizione in abito, ed in dominio, e che ne commettano a gli altri l'esercizio, sicchè abbiano respettivamente il governo, non solamente civile, ma anche il politico; Come sono i Principi sovrani, ed i Magistrati, ed i Prelati grandi, overo i Signori, e Baroni, e simili.

Ed ancora essendo la giustizia, della quale gli uni, e gli altri sono operarj, e ministri, di più specie, cioè che altra sia la distributiva, ed altra la commutativa, sicchè questa parte di Giudice si faccia diversamente, secondo le sue diverse specie, ed anche le diverse specie de' suoi ministri, ed operarj respettivamente.

6 Quindi segue, che manifesto sarebbe l'errore del Giudice, il quale deve giudicare le cause con i precetti della giustizia commutativa, e con le regole legali, se volesse adoprare lo stile de' Principi, e di Signori, o Magistrati grandi; Ed all'incontro, errore sarebbe di questi, se nel governo del Principato, e della Republica si volessero restringere allo stile, ed all'obligo di quelli nell'amministrazione della distributiva, e dell'istessa commutativa respettivamente.

Anzi nel medesimo genere di quelli, li quali abbiano
7 la giudicatura, e la giurisdizione nel solo esercizio, o respettivamente nel solo abito, errore sarebbe il praticare in tutti i casi uno stile uniforme; Attesochè (parlando de i Principi, o de' Signori, o Prelati, li quali abbiano la giurisdizione in dominio, ed in abito) diverso è lo stile del Papa, e dell'Imperadore, e degli altri Rè grandi, e totalmente assoluti, ed independenti, dallo stile di quelli, li quali abbiano la signoria in feudo, o con altra dipendenza, e soggezzione; Ed anche trà questi si danno le differenze trà quei feudatarj, e dipendenti, li quali abbiano i regali maggiori, e le ragioni del principato, e gli altri, i quali l'abbiano in natura di semplici Baroni, e Domicelli; E così a proporzione nelli Prelati, e Magistrati di maggiore, o minore autorità.

Ed all'incontro nell'altro genere di quelli, li quali abbiano la giudicatura, e la giurisdizione nell'atto, e nell'esercizio, parimente sarebbe errore lo stabilirvi uno stile di giudicare generale, ed uniforme, dipendendo ancora la varietà dalle loro diverse specie, e qualità; Attesochè non si doverà tenere da un Giudice pedaneo di villa, ed anche in Città nelle cause sommarie, e di poco momento, e tra la gente minuta, quello stile che si tenga da' Giudici, e Tribunali grandi, collegiali nelle cause gravi ed ordinarie; Overo non dev'essere eguale lo stile di un Giudice ordinario, in Città, di quel che sia un Giudice d'esercizio, o di armata navale, o pure un Giudice di Porto, o fiera tra negozianti, o pure non deve essere uniforme lo stile de' Vescovi, e degli altri Prelati con i cherici secolari, a quali non disconviene il praticare il foro ecclesiastico, anche strepitoso, con la tela, e forma giudiziale di quel che abbia da tenere un Giudice, e Prelato regolare, trà i religiosi dentro i chiostri, con altre somiglianti differenze, che troppo nojosa digressione sarebbe il riassumerle, e distinguerle per minuto, potendo il curioso in ciò sodisfarsi nell'una, e nell'altra opera, sono la materia de' giudizj e sono l'altra della Giurisdizione, e de' regolari.

E quel che più importa, in ciascona di queste specie, parimente non si da uno stile generale, ed uniforme, quando anche si tratti dell'istesso genere di cause, o di delitti, nascendo la diversità dalla diversa qualità delle persone, de luoghi, de' tempi, e dell'altre contingenze; Che però non si ha da tenere il medesimo stile trà la gente militare, quando siano attualmente nel campo, o nella navigazione, che quando si stia ne i quartieri, o nel porto; E tra Religiosi non dev'essere uniforme lo stile tra le Religioni più strette, e riformate, di quel che sia nelle più larghe, e quelle le quali meno si discostano dallo stato secolare; Ed in una medesima religione, diverso è lo stile, il quale si deve tenere nelle cause, che occorrono ne i capitoli, e ne i comizj generali, o provinciali da terminarsi brevemente nello spazio di giorni, o di ore, da quel che si tenga quando si stia ne i conventi, e ne i monasterj; O pure che in altro stile vadano trattate le cause de' religiosi del sesso mascolino, che del feminino; E generalmente tra il clero, ed il popolo secolare in tempo tranquillo, e non accidentale, da quello che si debba tenere ne i tempi calamitosi di peste, o di guerra, o di carestia; O che altro sia il modo di procedere nelle prime contravenzioni d'una nuova legge, overo ne primi, e ne prossimi tempi a qualche inconveniente, sicchè vi sia la ragione dell'esempio, di quel che siano i tempi correnti, e quando non vi concorra qualche ragione particolare, con somiglianti considerazioni.

Attesochè, se bene la giustizia è una, e deve amministrar con egual rettitudine a tutti senza differenza di per-
sone, nondimeno il modo di praticarla e di amministrarla, non può, ne deve esser uniforme; Appunto come (valendosi delle cose naturali per regola delle morali) abbiamo nella scienza della medicina, la qual'è una, e questa con tutti si deve egualmente esercitare, ed adoprare; E pure non tutti i morbi vanno curati in una maniera; Anzi una stessa specie di morbo non si deve curare egualmente in tutti li corpi, ma con grandissima varietà, secondo le complessioni, l'età, le forze, le stagioni, l'arie, e l'altre contingenze; E l'istesso con la sua proporzione si può adatare all'agricoltura, overo all opera dell'artefice, e cose simili. 8

E quindi segue che sia impossibile il dare sopra questa specie di stile, precetti e regole certe, e generali; Che però, così nell'uno, come nell'altro genere dei Giudici, attuali, ed abituali, di sfere maggiori e minori respettivamen-
te, la legge è stata costretta di rimettere molte cose all'ar- 9
bitrio de' Giudici, e de' Superiori, e governanti, acciò secondo le diverse circostanze de casi vi applichino queste provisioni, le quali da essa legge si sono date, secondo l'accennato paralello del Medico, overo dell'Agricoltore, o dell'Artefice.

Si deve però circa quest'arbitrio avvertire ad'un troppo manifesto, e dannabile errore, nel quale pare che molti vivano, cioè nel credere, che sia l'istesso l'arbitrio, che
la volontà, sicchè dalla loro libera elezione, e compia- 10
cenza dipenda, o per interesse, o per affezione, o per altro rispetto, giudicare più in un modo, che nell'altro; Attesochè questo arbitrio dev'essere d'un'uomo retto, savio, e prudente, il quale lo debba interporre con una totale indifferenza, e rettitudine, e con quella necessità che in noi porta quel buon'istinto ragionevole, e quel lume della natura, che da molti si dice participare del Divino.

Il simbolo, overo la figura della giustizia, si finge in una Donna bella, per dinotare il candore del animo; Con gli occhi bendati, acciò non la muovano le simpatie, e le affezioni; E con una bilancia nelle mani, la quale stia in un totale equilibrio per dinotare la totale indipendenza, e che il trabboccare che faccia più una bilancia che l'altra, dipenda dal solo giusto, & approvato peso maggiore delle ragioni, e de motivi, e non dall'altro peso de doni, e delle passioni, overo degli altri illeciti rispetti, & interessi; Che però degni di molto biasimo sono quelli, li quali per mezzo de favori, o di altre cose illecite, esigono da Giudici l'arbitrio. Ma molto più degni di biasimo, e di castigo sono i medesimi Giudici, li quali credono di poter ciò fare, e che di fatto lo faccino; Dovendo eglino sapere che la legge distingue l'arbitrio dalla volontà, e che a questa solo concede la libertà nell'elegere il bene, ed il male, ma non all'altro, il quale dev'essere regolato dalla lege, e dalla ragione, sicchè sia un'operazione nessaria, e non volontaria dell'intelletto,

Ma

12 Ma perchè l'istessa giustizia in astratto, overo in generale, non è uniforme per essere di due specie, e dalla distinzione delle quali specie dipende ancora la diversità della sua amministrazione tra gli accennati suoi operarj, e ministri di diverse sfere, e qualità; Quindi, all'effetto di regolar bene l'arbitrio, e di tenere il buon stile in questa amministrazione, si deve primieramente riflettere alla distinzione di queste diverse specie della Giustizia; Cioè che altra sia la distributiva, ed altra la commutativa, conforme di sopra si è accennato.

La distributiva, propriamente, e per ordinario, viene esercitata, ed amministrata da Principi, e da Prelati, e Magistrati grandi della prima specie, di sopra descritta, cioè che abbiano questa amministrazione, e la giurisdizione in dominio, e nell'abito; E la commutativa viene esercitata, ed amministrata da Giudici, e Magistrati ordinarj dell'altra specie di quelli, i quali abbiano questa amministrazione in esercizio.

La diversità trà queste due specie, si è forse abbastanza esplicata nel proemio del Dottor Volgare, con l'esempio pratticato delle figure, sferica, e quadra, adattandosi la prima alla distributiva, e l'altra alla commutativa; Cioè che conforme la figura sferica ha il suo centro, o punto, che volgarmente diciamo asso, dal quale poi derivano, con la sua simetria, i razzi, i quali constituiscono una figura ad uso di una ruota di carozza, di maggiore, o minore circonferenza, secondo l'opportunità, e la dovuta proporzione; Così concorrendovi il centro, overo il punto del merito come precisamente necessario, si possono dal Principe, o dal Capitano, o da altro ministro, ed operario di questa giustizia tirare i razzi proporzionati di maggiore, o di minore circonferenza, secondo le circostanze de' casi, e la maggiore, o minore potestà di quello il quale sia l'artefice di questa ruota, e che sia ministro di questa giustizia.

Cioè che se ne' stretti termini della giustizia commutativa, il merito ricerca il premio di dieci, ne termini di questa giustizia il Principe, overo il Capitano, o altro superiore ne darà cento, o mille; E l'istesso del padre con i figli, del padrone con i servitori, con altri somiglianti paralelli accennati nel sudetto luogo, sempre però col presupposto del centro, overo dell'asso del merito, senza il quale ogni premio, ed ogni mercede sarà fuori de' termini della giustizia.

Ma all'incontro nell'altra specie della commutativa; Conforme la figura quadra rigorosamente ricerca un'egualità totale da tutte le parti, sicchè niuno eccesso si dia per piccolo che sia, più d'una linea, che dell'altra; Così l'amministrazione di questa giustizia dev'essere alla stretta misura, e proporzione del merito, sicchè se si meritano dieci; non si devono, ne si possono dare nuove, o undici, ma si devono dare i dieci, con altri esempj parimente addotti nell'accennato luogo.

13 Della prima specie dell'amministrazione della distributiva, da farsi da Principi, e da ministri, o Prelati, e Magistrati, i quali abbiano questa amministrazione nella forma stragiudiziale, con le regole del governo politico, e civile, non è congruo di trattare di proposito in quest'opera, come principalmente ordinata allo stile legale giudiziario per la decisione delle cause contenziose, la quale si deve fare da Giudici con i termini dell'altra specie della giustizia commutativa; Maggiormente che questa è più materia de Politici, e di persone versate ne maneggi più grandi delle cose del mondo, e nell'arte del governo della Republica, e de popoli, che de' Giuristi.

Attesoche, sebene in quest'arte, la quale non hà le leggi, o le regole, ne i principj certi come l'altre scienze, e facoltà, ciascuno si pretende istrutissimo, e maestro, sicchè molò siano i suoi professori per quello che ne insegna la sperienza quotidiana; Ed anche si chiari con quell'ingegnoso, e bizaro pensiero dell'Imperadore Sigismondo (il quale con tanta gloria del suo nome, procurò la convocazione del Concilio di Costanza, e la terminazione d'un così lungo, e pernicioso scisma); Cioè che avendo ordinato in una solenne, e generale Dieta de Stati, e delle Città franche, nella quale, all'uso della Germania, v'intervenero molte persone di diverse professioni, ed arti, che dovessero solamente levarsi in piedi i professori di quella scienza, o arte, la quale fosse chiamata, così fu esattamente osservato; Ma essendo nel fine fatta la chiamata de Professori della politica, e dell'arte di governare, e di riformare il mondo, tutti niuno eccettuato, si levarono in piedi; Tuttavia questo è un inganno grande, essendo questa la cosa più rara, e difficile che sia nel mondo, sicche merita dirsi l'arte dell'arti.

Ed ancora perchè lo scrittore come Giurista di professione, avrebbe giusto timore d'una querela di usurpata giurisdizione da questi tali, i quali, senza che veramente abbiano fondamento di alcuna scienza, ma con la sola infarinatora di qualche poca lettura d'Istorie, o di gazette, si professano Politici, e valevoli a rimattonare il mondo, e pretendendo che i leggisti non siano a ciò atti, che però ad essi si lascia il peso del trattarne; Assumendo solamente le parti proporzionate al suo stato, ed ordinato al suo fine, cioè della buona norma, e di decisione delle cause nel foro; Accennandosi solamente qualche cosa dello stile de Principi, o Ministri, o Prelati, o Magistrati grandi, nelle cose graziose, e stragiudiziali, spettanti a questa amministrazione della giustizia distributiva, in ordine però all'istesso fine di regolare, e di decidere le cause nel foro giudiziale, con le regole legali.

14 Si tratta dunque solamente dello stile del giudicare nelle cause giudiziali, e contenziose con gli accennati termini dell'altra specie del giustizia commutativa di dare a ciascuno quel che sia suo, o che di ragione gli sia dovuto, sì che sia uno stile, il qual non sia giustificabile negli atti giudiziali, cioè del modo, col quale deve il giudice regolare il suo giudizio, ed arbitrio, per giudicar bene, contradistinto dall'altro stile giustificabile negli atti, e che abbia una forma, o regola certa, mentre di questo si tratta nel cap. seguente.

15 Però anche questo stile conviene a Principi, ed a Ministri, o Magistrati grandi, ancorchè non giudichino, e non conoscano le cause per se stessi, ma ne commettano la cognizione, e la decisione, a quelli, i quali propriamente si dicono li giudici, attesochè non meno della distributiva, che di questa commutativa, sono essi ministri, ed operari, essendo ad essi egualmente appoggiato il governo politico della Republica, per il tempo della guerra, e degli altri accidenti, che il governo civile per il tempo della pace; Che però a quest'effetto devono i Principi, ed i ministri aver qualche notizia, ed infarinatura della facoltà legale, per conoscere se la giustizia sia bene amministrata a Popoli, se i Giudici da essi deputati facciano bene l'officio loro, o no, per quel che più distintamente si è accennato nel proemio del Dottor Volgare, dove il curioso ne potrà più diffusamente vedere le ragioni.

16 La Republica viene paragonata ad una vigna, la quale non solamente deve havere gli zappatori, e potatori, e gli altri operarj, che fatichino nella sua cultura, come sono i Giudici, e gli altri Ministri attuali; Ma ancora deve haver i custodi, ed i soprastanti a gli operarj, acciò vedano se questi facciano bene i lavori, prescrivendogli anche alle volte il modo, col quale li debbano fare; E questi sono i Principi, ed i Ministri, e Prelati, e Magistrati grandi.

Ma parimente gli stili devono essere diversi; Cioè, che quello de primi sia nell'opere, e ne i lavori attuali, e quello degli altri sia nella vigilanza, e nella soprainrendenza, sicchè ciascuno con la dovuta proporzione faccia l'officio suo, senza mutare il solito corso delle cose; Eccetto che per riformarlo, e ridurlo al buon stato antico; A somiglianza del corso dell'acqua per i solidi canali, e condotti; Attesochè da questi non si deve divertire, mentre quando non abbia il suo corso ordinario, il podere si allagherà, e si renderà infruttifero, ma solamente si deve invigilare, che i canali, o condotti siano politi, e sani, sicchè il corso segua bene, col rivederli esattamente, e con diligenza, sicchè quando vi sia bisogno, si ripuliscano, e si connettano, overo si risarciscano, ed anche alle volte si murino, ma sempre senza mutare il solito corso dall'acqua per le sue vie.

17 Però restringendosi a Giudici, come operarj attuali di questa giustizia commutativa, nel foro contenzioso, e giudiziale; Per acquistare questo buono stile, si ricercano primieramente molte virtù, e doti dell'animo, unite assieme nella persona di quello, il quale faccia questo personaggio; Cioè, l'integrità, la fortezza, la dottrina, la prudenza, e il buon giudizio raffinato dalla pratica, e dalla speranza, sicchè tutte queste virtù siano ben unite assieme, non bastandone alcune senza tal'unione dell'altre, per quello, che più pienamente, e con maggior distinzione, si è accennato nell'una, e nell'altra opera, sopra questa materia de Giudici, e de giudizj, dove il curioso si potrà maggiormente soddisfare.

Presupposte queste parti, devono i Giudici riflettere, che

che essi più che gl' Avvocati, ed i Procuratori, e gli altri difensori, sono pittori da ritratti, e non da belle idee a loro capriccio; Che però, conforme un pittore da ritratti non farà bene l'officio suo, ne osserverà il buon stile del dipingere, se piglierà le idee da altre figure, ancorchè al naturale, quando la pittura non abbia l'aria, e non rappresenti bene l'effiggie di quella persona, che si desideri, onde niente importerà, che quella si sia fatta con ogni maggior eccellenza dell'arte nel disegno, e che si sia benissimo colorita, mentre non si ottiene il fine, che si desidera; Così niente importerà, che il Giudice sia dotto, ed integro, e che faccia fatiche grandi nello studio degli articoli legali, i quali cadono nella causa, vedendo tutte le autorità, e facendovi grandissime annotazioni, e discorsi, se non colpirà bene il punto, e non adatterà bene la legge al fatto, secondo le circostanze particolari del caso, del quale si tratta; Che però le maggiori sue parti consistono nell' applicazione opportuna, ed adattata al bisogno.

Per far dunque bene quest' applicazione, si devono in esso unire quelle due parti, le quali nella Curia, e forsi in altri luoghi, ne defensori sogliono essere disunite, cioè del Fattista, e del Giurista; Che però deve primieramente impossessarsi molto bene del fatto, e di tutte le sue circostanze, con vedere per se stesso diligentemente, secondo le diverse usanze de' paesi, e de' Tribunali, i processi, e le scritture, o respettivamente i sommarj; E quando gli paja, che questi non portino a sufficienza, quel che bisogna per la buona, e per la perfetta notizia del fatto, deve vedere le scritture per intiero; Conforme particolarmente suol riuscire di molto profitto ne' Testamenti, ed anche ne i contratti dubbj, supplendo in ciò a quel che manchino i difensori; Ed ancora cercando d'aver notizia ben distinta, anche estragiudiziale, della qualità delle persone, e di quell'altre circostanze, le quali possono influire al medesimo fine; Attesochè, se bene il Giudice deve giudicare con quel che sia negl' atti, e non con le notizie, ed informazioni stragiudiziali; Tuttavia queste gioveranno molto ne casi dubbj, per la buona interpretazione, overo applicazione, o regolazione del suo arbitrio.

Onde quantunque problematica sia la questione, con la solita varietà delle opinioni, e delle ragioni, se sia espediente, o nò, nei Giudici la notizia della qualità delle persone, credendo alcuni, che la giustizia sarebbe molto me-
19 glio amministrata, quando i casi, con le loro circostanze giustificate dagli atti si proponessero con nomi, e paesi supposti, sicchè i Giudici non avessero notizia alcuna de litiganti, e delle Parti interessate, perchè in tal modo si giudicherebbe più disappassionatamente; Nondimeno viene stimata più probabile l'altra opinione, non solamente per impraticabilità di questo stile, ma ancora perchè per regolare bene l'arbitrio, e per fare le buone interpretazioni, e le applicazioni, ne i casi dubbj, conferiscono molto al fatte circostanze risultanti dalla qualità delle persone, de luoghi, e de tempi, e dell' altre contingenze; Dovendosi, conforme si è detto più volte, nelle cose problematiche, attaccare alla parte preponderante, per non darsi ditto alcuno senza il suo roverscio, e per non darsi regola senza la sua limitazione.

Deve però questa conoscenza esser indirizzata al sudetto buono, ed onesto fine, ma non già che passi in soverchia pratica, ed amicizia, essendo ciò nel giudice cosa molto detestabile; Attesochè quando anche sia professore di una perfetta integrità, tuttavia darà occasione di sospetto al collitigante, e di scandalo al mondo.

E ciò parimente camina nella soverchia pratica, e confidenza con gli Avvocati, e Procuratori, ed altri defensori per la medesima ragione; Ed anche perchè la pratica insegna che vi siano di quelli, i quali di quest' amicizie fanno mercanzia, e vendono i giudici, diffamandoli quando anche siano innocenti; Che però si deve stimare cosa molto biasimevole che li Giudici raccomandino, o propongano alli litiganti gli Avvocati, o Procuratori, dovendo lasciarli nella loro libertà, a somiglianza degli infermi, che debbano eleggere i medici a loro genio, e soddisfazione, e non per forza, come segue per queste raccommandazioni, le quali in sostanza fanno forza formale a poveri litiganti.

Anzi questa forza suol' nascere quando anche non raccomandino espressamente, ma col solo lodare alcuni più degl' altri, overo senza parlare; col far' apprendere al mondo la soverchia confidenza, e qualche prevaglianza.

Come all' incontro è difetto di quei Giudici, i quali volendo troppo affettare il concetto dell' integrità, cercano, come si suol dire il pelo nell' ovo, per giudicare contro à loro amici; Che però in tutte le cose del mondo gli estremi sono sempre viziosi; Bensì che de' due mali sarà minore quest' ultimo, come di minore scandalo, e meno pregiudiziale alla buona amministrazione della giustizia.

Impossessato che si sia il Giudice del fatto, e non prima, deve applicare allo studio delle ragioni, e de motivi legali; Essendo troppo chiaro l'errore di quelli, i quali al roverscio, cominciano ad aprire i libri, ed a studiare le conclusioni, senza sapere bene il fatto, la notizia del quale ancora ne i Tribunali collegiali è troppo necessaria per discorrere bene della causa, e per poter tirare gli altri alla sua opinione, o pure per farsi tirare da gli altri, quando si sentano de motivi, e delle ragioni più stringenti.

E circa l' applicazione delle conclusioni, e dell' autorità, 20
o veramente se queste debbano prevalere, o respettivamente cedere alle ragioni, si doverà riflettere ancora a quanto si è accennato negli antecedenti capitoli sesto, e settimo; E particolarmente deve il Giudice valersi del simile già addotto de testimonj, a quali vengono paragonati li Dottori, circa il modo di deferirli, distinguendo le classi, e le altre qualità, e circostanze già accennate, che non occorre ripetere potendole ivi vedere.

Corre una comune opinione, anche antica, che trà i
21 Legisti, ed i Gramatici sia una naturale antipatia, la quale passi a qualche grado d'inimicizia; E che trà li medesimi Legisti sia qualche inimicizia, overo antipatia, trà le diverse sfere de puri Cattedratici, e Scolastici, e quelli, i quali facendo il Giudice, o l' Avvocato attendono solamente al foro pratico.

Troppo lunga, e nojosa digressione sarebbe il discorrere delle ragioni di queste antipatie, ed inimicizie, e de quali sia la maggior colpa, che però se ne lasciano i discorsi a i più disoccupati curiosi, ed eruditi per le Accademie, non essendo cose, le quali facciano al nostro proposito; Però devono, così li Giudici come gli Avvocati, e gli altri Professori del foro, ma più li primi, che gli altri, considerare queste inimicizie, overo antipatie nel senso allegorico, cavando dall' una, e dall' altra il mistero, o veramente l' allegoria; Cioè quanto all' inimicizia con i Gramatici, che non si debba all' uso di questi obedire esattamente al senso litterale, ed alle significazioni gramaticali delle parole, ma si debba particolarmente attendere la sostanza della verità, e della verisimile volontà, particolarmente quando le parole de testamenti, o degl' istromenti siano più tosto de' Notarj, che delle Parti: O pure che siano concepite più in una frase che nell' altra inconsideratamente; Overo che l' uso del parlare di quel tempo, nel quale ciò che seguì, fosse diverso dal moderno, conforme particolarmente segue nelle parole degli Statuti, con altre simili considerazioni più distintamente accennate nell' una, e nell' altra opera del Teatro, e del Dottor Volgare.

E a risperto dell' altra inimicizia con gli Scolastici, de-
ve ancora cavarsene l'allegoria, overo l'ammonizione, 22
cioè di non dover caminare con quelle irragionevoli sottigliezze e superstiziose formalità, le quali, conforme si è discorso nel capitolo duodecimo, sono degne di lode nelle Scuole, e nelle Cattedre, ed Accademie per aguzzare l'ingegno de' giovani, e per avezzargli alla parte discorsiva, o raziocinativa, apprendendo in tal maniera bene i termini, ed principj della facoltà; Ma non sono opportuni, ne lodevoli nel foro per la pratica, nella quale si deve caminare per la strada più adattata alla ragione, ed all' uso comune conforme le distinzioni gia date.

Allegorica parimente è quella favola la quale per comun 23
tradizione corre sopra la simplicità di quel Giudice, avanti il quale si disputava molto sopra la vera interpretazione della volontà dubia di un defonto, ordinando che questo si dovesse chiamare, acciò la dichiarasse; Cioè, che deve il Giudice far conto di parlare col defonto, ed intendere da esso qual fosse la sua volontà, vestendosi della di lui persona, e riflettendo a quel che si dovesse rispondere da un Uomo savio, o ragionevole, quale si deve supporre un disponente, e non farlo comparire per una bestia, o per un Uomo irragionevole, conforme frequentemente insegna la pratica, quando le disposizioni de' morti s' interpretano litteralmente, e con lo stile de' Gramatici piochè de Giurisconsulti, o pure con lo stile de' scolastici nell' obedire, e servire esattamente alla sottigliezza, ed alla formalità delle leggi antiche, le quali in que' tempi, per i diversi costumi a noi incogniti, potevano esser ragionevoli, e ben ordinate, che oggidì restano irragionevoli, e contrarie all' uso, ed a' costumi correnti.

Dovra-

Dovendosi particolarmente riflettere a due cose; Una cioè all'istoria legale accennata di sopra nel capitolo primo proemiale, dalla quale apparisce, che abbiamo l'uso delle leggi più per volontaria elezione, che per necessaria autorità del legislatore. E l'altra che la legge non si dice scienza, ma prudenza, con altre considerazioni accennate nell' una, e nell'altr'opera sudetta, che troppo nojosa digressione sarebbe il riassumerle per minuto, potendo bastare il cenno delle suddette cose, come più sostanziali.

Si devono ancora fuggire le opinioni singolari, abbracciando quelle, le quali siano più adattate all'uso comune. Non intendendo questo uso più comune, perche in un'articolo disputabile, sia più numero di Dottori per una opinione, che per l'altra, mentre conforme si è già di sopra accennato, particolarmente ne Tribunali grandi, non si deve il numero aritmetico considerare, ma la qualità de' Dottori, e quella de'loro fondamenti, e ragioni appoggiate ne veri principj, e termini legali; Ma per un altra specie d'uso comune, cioè che, o tutti, o la maggior parte de'Tribunali del nostro mondo civile comunicabile, il qual viva con l'uso delle leggi, seguiti un'opinione, e che questa ancora sia più addattata alli costumi de'paesi, e de popoli, ed al comun discorso naturale, sicchè l'altra opinione sia contraria a tutto ciò, ed abbia qualche ripugnanza alla ragion naturale, overo al comun sentimento: Devendosi seguire quelle opinioni, le quali verisimilmente siano per essersi seguitate, ed abbracciate da tutti gli altri Magistrati, e Tribunali, ed in tutti i paesi, e non fermare quelle opinioni, le quali restino singolari nel proprio paese.

E per questo rispetto il Giudice deve essere d'ingegno, e di natura flessibile, e facile al persuadersi, essendo perniciosissima in un Giudice la soverchia tenacità de'primi concetti, e delle prime impressioni; Come, ancora e sopra tutto, deve professare la virtù dell'umiltà, e di non avere molto concetto, o sentimento di sè medesimo, presupponendo, che gli altri, come più dotti, e più consumati, overo d'intelletto più chiaro, ed elevato, possano promovere de motivi migliori, ed aprir meglio la strada alla verità.

Al che frequentemente soggiacciono quelli, i quali per i soliti accidenti del caso, o della cieca, e pazza fortuna, siano per salto assunti a fare il Giudice in tribunali grandi, perche facilmente s'innamorano di sè medesimi, e si credono di essere Giganti, quando in effetto, anche ne'paesi de'Pigmei, siano di piccola statura, sicchè tra difensori, e rispondenti, sarebbero tra l'infima classe, overo almeno un pezzo sotto la mediocrità; Non considerando, che quei plausi che ricevono da litiganti, overo da causidici, sono meramente adulatorj, per la sodisfazione del giudicato a favore per il passato, o per la speranza in avvenire; Che però quando con quell'alternativa, la quale lodevolmente si usa in alcuni paesi, e nel Regno di Sicilia particolarmente, si facesse per un tempo da'Giudici, e dopoi per un'altro tempo da Avvocato, si accorgerebbe bene di questo errore, e di questa falsa loro opinione, la quale pregiudica molto al buon stile del giudicare.

CAPITOLO XVIII.

Di alcune generalità legali sopra questa materia dello stile; particolarmente giudiziale; e di diverse altre sue specie.

S O M M A R I O.

1 *De i quali stili si è discorso ne capitoli antecedenti.*
2 *Degli stili giudiziali ridotti in scrittura.*
3 *Degli stili generali, notorj, e certi.*
4 *Degli stili stragiudiziali della Dataria, e Cancellaria Apostolica, e simili, ed a qual fine si considerano.*
5 *Dello stile giudiziale, con la distinzione dell'ordinaterie, e del decisorie.*
6 *Di alcune differenze e questioni sopra queste specie di stili, ordinaterio, e decisorio.*
7 *Degli stili de Notarj, e de mercanti, e simili.*
8 *De i stili, o riti sacri, ed ecclesiastici.*
9 *De i stili onorifici ne'titoli, e negli altri trattamenti.*
10 *Conclusione dell'opera, e che la teorica mente vale senza la pratica.*

C A P. XVIII.

Utti quei stili, de quali fin ora si è parlato, così nello scrivere, e nel parlare, come nel giudicare, nascono da precetti dall'arte per far bene, e lodevolmente le parti del Giudice, overo del Consigliere, o dell'Avvocato, o altro difensore delle cause, senza che si possa dire uno stile necessario, e giustificabile negli atti, sicchè la sua inosservanza, o contravenzione possa cagionare la nullità, overo l'ingiustizia degli atti, o del giudicato; Attesochè se un Avvocato scriverà, o parlerà male, overo un Giudice non formarà bene il suo voto, ne discorrerà la causa con le regole del buono stile di sopra accennato, non per ciò si può inferire alla nullità, overo all'ingiustizia del giudicato, o che quello sia precisamente obligatorio.

Resta però da discorrere dell'altro genere dello stile giudiziale, ed obligatorio, giustificabile negli atti, sicchè influisca alla validità, ed alla giostizia del giudicato; E questo genere si distingue in più specie; Primieramente cioè, che altri siano i stili già ridotti in scrittura, con l'autorità di quel superiore, il quale possa autenticarli, e dargli forza di legge; Come per esempio sono i Riti della Vicaria di Napoli, e simili; Et anche sono molte consuetudini, con l'istess'autorità ridotte in scrittura; E si può dire che siano alcune regole della Cancellaria Apostolica. Et in questi cade poca disputa per la loro necessaria osservanza tra i sudditi di quello, con l'autorità del quale siano ridotti in quella forma, attesochè caminano nella riga delle leggi, e degli statuti, sicchè si dicono stili più tosto impropriamente, e che propriamente siano leggi.

L'altro genere più frequente, è quello de i stili non scritti, i quali siano giustificabili negli atti, o veramente, che come notorj, ed indubitatamente ricevuti, si abbiano per giustificati; E questi parimenti si distinguono in diverse specie; Attesochè altri sono gli stili generali di tutto il Principato, overo di tutta la Curia, già notorj, e approvati; ed altri quelli d'un Tribunale, overo d'un magistrato particolare.

Della prima specie ne abbiamo alcuni della Curia; Come per esempio, le pensioni ecclesiastiche di loro natura, e per termine della ragione commune, si possono ottenere, e possedere anche da i secolari, ma per lo stile della Curia Romana, non si ottengono, ne si possedono se non da Chierici, si che così per la consecuzione, come per la retenzione, sia necessario il Chiericato, e ciò per la ragione di questo stile, il quale non ha bisogno di giustificazione per essere notorio, e per conseguenza con esso si giudica come se fosse una legge, con molti altri casi di simili stili generali adattabili ad ogni Tribunale.

Quanto agli altri stili particolari de'Tribunali e Magistrati, entra l'altra distinzione, tra gli stragiudiziali, nelle materie graziose, li quali ancora s'attendono nel giudizio per regolare, e decidere le cause contenziose, ed i stili meramente giudiziali nel foro contenzioso; Come per esempio (parlando degli stragiudiziali) abbiamo ne i stili della Dataria, e Cancellaria Apostolica, se, e quali cose si sogliano concedere, e quali nò, attesochè da questi stili si argomenta la volontà del Papa, e de i suoi officiali, per il vizio della surrezione, overo del difetto dell'intenzione, o per sospetto, ed amminicolo della falsità; Come ancora dallo stile di concepire le lettere Apostoliche in diverse forme si argomenta la natura, o la qualità della grazia; Cioè per esempio, se la provista del beneficio sia nella forma graziosa, o veramente rigorosa, che volgarmente si dice dignum, overo se sia fatta per capo di riserva, o per quello di devoluzione, o di prevenire l'Ordinario collatore, con molti altri somiglianti esempj, attesochè dallo stile di concepir le lettere si argomenta questa volontà, anche all'effetto di regolar, e decidere le cause nel foro contenzioso; E da questi esempj si potranno örare le linee da per tutto, con la sua proporzione.

L'altro stile giudiziale non scritto, vuol dire l'istesso, che la pratica di un Tribunale; E questo si distingue nell' ordinatorio, e nel decisorio; Cioè, che l'ordinatorio sia quello, il quale riguarda il modo di far gli atti ordinatorj, e le prove, così circa la forma delle citazioni, se debbano essere personali, overo se basti che siano fatte in casa, ed anche circa il termine, che si dice PRO SERVATO, overo per il modo di prodor le scritture, ed esaminare i testimonj, e simili; Ed il decisorio è quello, il quale riguarda la giustizia, ed i meriti della causa, cioè come si debba decidere, e questo è come una specie di legge.

Sopra li varj effetti, overo sopra l'appellazione di questa distinzione, i Giuristi s'intricano molto al solito, e particolarmente circa quelle cose, le quali concernono l'appellazione, se si debbano dire stili ordinatorj, o decisorj; Ed anche, se gli esenti dalla giurisdizione di quel foro, se occorra, che in esso abbiano delle cause, debbano essere

soggetti

soggetti a tali stili, o nò; O se facendosi degli atti in una medesima causa in diversi fori, o Tribunali, come per esempio del delegante, e del delegato, o dell'essecutore, o di quello per ordine del quale si faccia, e si consumi l'esecuzione, con quale stile si debba caminare, con molte simili questioni.

E particolarmente si scorge la differenza sopra la forma, o modo di provare ai fatti stili, cioè che quando siano ordinarj, si provino con maggior facilità, e si deferisca alle attestazioni de causidici pratici nel Tribunale, e foro, ma che i decisori abbiano dibisogno di prove, e di requisiti più rigorosi, a somiglianza delle consuetudini, con la distinzione, se siano contrarj alla legge scritta, ò nò, conforme più diffusamente si discorre ne i suoi luoghi, ne quali si tratta de giudicj, overo della pratica, così civile, come criminale, accennandosi qui ciò solo incidentemente, e per fuga come per un saggio di questo termine, o parola STILE, e quante diverse specie di significazioni abbia appresso i Giuristi.

Vi sono ancore dell'altre molte specie di stili, delle quali parimente occorre trattare nel foro per la cognizione, e decisione delle cause, overo circa il modo di trattarle, e disputarle; Come per esempio se il Ponente abbie voto, o nò, overo se vi sia necessario il dubbio, o che si stenda la decisione, overo quanti voti concludano la maggior parte per la resoluzione, con altre cose simili accennate nella relazione della Curia in occasione di trattare delle sacre Congregazioni, e de'Tribunali della Ruota, e della Camera, e loro stili.

Si dà ancora lo stile de Notari, per la forza, ed operazione d'alcune clausule, o parole, overo per conoscere se una scrittura sia autentica, ed originale, o nò per le cose giudiziali; Ed anche per le cose estragiudiziali in quel che si è detto nel proemio del Dottor Volgare, cioè se li testamenti, ed i contratti si debbano da essi fare nella lingua latina, overo nella volgare; O pure lo stile de mercanti, o de negozianti, per interpretare i loro contratti, e particolarmente le lettere di cambio, e gli altri negozj; E l'istesso tra gli artigiani; O pure nell'agricoltora, e tra quelli, i quali facciano i negozj di campagna, con casi simili; mentre a questi effetti lo stile non vuol dire altro che un solito, overo una consuetudine, o pratica, sicche si adattano quelle cose, le quali nella legge appresso gli scrittori si dicono nella materia della consuetudine, overo nella materia della pratica civile, e criminale sotto il titolo de'giudizj.

In oltre, essendo, conforme si è detto, sinonime queste parole, stile, rito, usanza, consuetudine, e simili; Quindi segue, che sotto questo genere de'stili vengano ancore quei riti ecclesiastici, i quali si usano nelle canonizazioni, o beatificazioni de'servi di Dio, e nelle consecrazioni delle Chiese e degli Altari, e de'vasi sacri, come anche nella collazione degli Ordini, e nell'amministrazione degli altri Sagramenti, e nella celebrazione della Messe, e degli altri officj divini; O pure circa i trattamenti, e le precedenze tra li Prelati, ed i Sacerdoti, ed altri ministri sacri; Però di questa specie di stili sarebbe troppo fuori del proposito il trattare in questo luogo, accennandosi ciò incidentemente, perche si sappia anche questa specie di stili, sopra la quale il curioso potrà intenderne qualche cosa nel Dottor Volgare, nel titolo delle preminenze, e nelle annotazioni al Concilio di Trento, ed anche nella relazione della Curia in occasione di parlare della sacra Congregazione de'Riti dove particolarmente si tratta dello stile, o rito delle canonizazioni, o beatificazioni de'servi di Dio.

Abbraccia ancora questo genere di stile, overo di usanze le preminenze de'secolari, ed i loro trattamenti, e cerimonie, come per esempio sono i titoli, e le precedenze, e le altre prerogative, ed onorevolezze, con l'inegualità de' trattamenti tra gl'ordini superiori, ed inferiori, mentre anche in ciò gran parte vi hanno i stili, e le usanze de'paesi; Ma parimente sarebbe fuori del proposito il trattare in quest'opera delle sudette, e somiglianti cose, come estranee dalla sua idea; E parimente sopre di esse potrà il curioso sodisfarsi nell'accennata materia delle preminenze nel Dottor Volgare, dove particolarmente si discorre dell'origine, e della qualità de'titoli, e de'trattamenti, ed e qual dignità convengano; Come anche donde derivi la parola Cavaliere, ed a quali veramente convenga questo attributo di Cavaliere, o di Signore, o di gentil'uomo, e di quante sorti sia la nobiltà.

Accennandosi ancora, che le sole parti naturali non bastano per questi trattamenti, quando non siano accompagnate dalla virtù, e dalle doti dell'animo, e molto meno, quando non solamente vi manchi il lustro della virtù, ma che vi siano i nuvoli, e le macchie de'vizj, e dell'indegne azioni, le quali oscurano affatto quel poco lustro, che dia il caso, e la natura, mentre a considerar bene l'etimologia, è significazione de'titoli, tutti significano un lustro, o chiarezza, o cognizione maggiore, o minore, con la distinzione de'gradi del positivo, comparativo, e superlativo, per tutto il nostro mondo communicabile, overo per la provincia, o nazione, o Principato; Che però degni dell'irrisione si devono stimar quelli, i quali affettano, ed eleggono si fatti titoli, anche nel maggior grado del soperlativo, quando siano tali, che a pena siano conosciuti nel proprio paese, anzi nel vicinato, e che niuna parte vi sia di lustro, e di splendore, che gli renda eminenti, e maggiori del restante del popolo, si che ne anche nel lustro, e nel chiaro gli convenga il semplice positivo; Anzi che quella cognizione, la quale di essi si abbie per i loro vizj, ed indignità, serve più tosto ad oscurare qualche lustro, e chiarezza naturale, onde e questo stile ancora si adatte quel che nel capitolo primo proemiale, si è detto, cioè che sia uno stile senza ragione, e senza fine, sicche meriti dirsi più tosto abuso, e corruttela.

Si conclude però sopre tutto quel, che nell'opera presente si contiene, quell'istesso, che già si è accennato di sopra nel fine del sudetto capitolo primo; Cioè, che le regole, ed i precetti generali, sono come le spade, le quali ancorche siano di finissima tempera, e che le regole della scherma siano vere, e bene insegnate dal maestro; Nondimeno di niuna, o di poca operazione saranno, quando il braccio, l'agilità, il coraggio, ed il giudizio dello schermitore, non vi concorrano, attesoche in tutte le scienze, e facoltà, ed anche nelle medesime arti mecaniche, le teoriche, ed i discorsi, sono molto opportuni, anzi necessarj, senza i quali particolarmente nelle parti scientifiche, ed intellettuali, o mai, o molto di raro, con la sola pratica, overo col solo intelletto chiaro, e perspicace si potrà fare cosa di buono continuamente, mentre alle volte il buono evento suol nascere dal caso; Però all'incontro la sola teorica, senza l'abilità, e la buona disposizione, ed applicazione di metterla bene in pratice, e di applicarla opportunamente, sarà di minor vaglia; Che però il vizio consiste negli estremi, o veramente nella scompagnatura di queste due parti, le quali devono essere perpetue compagne, cioè della teorica, e della pratica, paragonandosi la prima alla testa, e particolarmente a gli occhi, e l'altra alle gambe, ed alle braccia, per far bene il camino, overo le altre operazioni.

Si dà finalmente lo stile de'critici, e de'censori, i quali sono di più specie, cioè che, alcuni esercitano la censura per la sola maligna natura, e per il genio del dir male d'ogni cosa, o per livore senza veruna ragione; Altri per sciocchezza, perche lo sentano dire dagli altri, senza sapere il perchè; Altri con qualche ragione rigorosa, ma senza che sappiano in che modo quello, il quale ad essi pare errore, si possa correggere; Et altri finalmente è quali con ragione diano la censura, ma mostrino il modo migliore, overo il più proprio, ed adattato.

Quelli della prima, e della seconda specie, meritano il disprezzo totale, e non sono degni, che di essi in verun modo si discorra.

La terza specie non si può, ne si deve dire degna del disprezzo perchè i loro motivi possono giovare, come per un avviso, o avvertimento per la correzzione; Tuttavia non si può dire uno stile degno di lode; Essendo questi delle nazioni sempre smunte, overo critici stitici, come il Sole di Marzo, il quale muove, e non risolve, e senza che niente del loro si vegga sotto la luce; Buon, e degno di lode si deve stimare lo stile della quarta specie.

E questo è quanto sopre questa seccagine dello stile legale, è sovvenuto in mente allo scrittore in alcuni pochi giorni del solito ozio di Frascati di accennare; Si supplisca però degl'altri quello di vantaggio, che parerà più opportuno.



IL FINE.

